BIBLIOTECA NAZ
XLVI
H
15
NAPOLI
XLVI - H - 15
BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLVI
H
15
NAPOLI

Digitized by Google

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS,

E SOCIETATE JESU,

OPUS DE DOCTRINA TEMPORUM:

IN QUO

URANOLOGIUM

SIVE SYSTEMA VARIORUM AUCTORUM,

Qui de SPHÆRA AC SIDERIBUS eorúmque motibus Græcè commentati ſunt, quorum nomina poſt Præfationem leguntur.

Omnia vel Græcè ac Latinè nunc primùm edita, vel antè non edita;

ITEM

VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBRI VIII.

Acceſſerunt in hac

NOVA EDITIONE

EJUSDEM PETAVII ET JAC. SIRMONDI

Diſſertationes de Anno Synodi Sirmienſis & Fidei formulis in ea editis,

PETAVII *Lib. II. de Lege & Gratia*, *Elenchus Theriacæ* Vincentii Lenis, *Diſſertatio de Adjutorio ſine quo non, & Adjutorio quo, quæ in Dogmatibus Theologicis omiſſa fuerunt;*

AC DENIQUE

EPISTOLARUM LIBRI TRES.

TOMUS TERTIUS.

ANTWERPIÆ,
Apud GEORGIUM GALLET.
M. DCCIII.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO,

AC REVERENDISSIMO D.

ARMANDO JOANNI

S. R. E.

CARDINALI

DE RICHELIEU.

COElestes in hominibus eſſe ſatus animorum (Carˈdinalis Illustrissime) res hæc una perſuadere poteſt; quòd incredibiliter eos cœli, ſiderúmque vel contuitus ipſe delectat. Quis eſt enim, qui cùm ſe paullulùm erexerit, & ad pictos illos mirabili varietate, ac ſplendentes orbes ora converterit, non ſe affici ſubita voluptate ſentiat; & hoc velut tacitum teſtimonium ortus inde ſui, & originis agnoſcat? Hinc neſcio quis ex illa vetuſtate ſapientum, cùm à quopiam interrogatus eſſet, quam ob cauſſam veniſſe putaret in mundum, Solis contemplandi gratiâ reſpondiſſe fertur. Quàm id ſapienter, nihil ad præſens negotium attinet: eò certè quidem valet, ut naturalem ineſſe cum cœlo neceſſitudinem animis noſtris, arcana conſenſio, & cupiditas iſta teſtetur. Sed ſunt plerique ita vaſti, & agreſtes homines, & in corporum curam adeò intemperanter effuſi; ut illius inſitæ dignitatis nulla, vel obſcura veſtigia, & quaſi lineamenta retineant. Sunt autem è contrario quidam rara mentis indole præditi, qui communium, ut ita dicam, natalium ſplendorem excellentis naturæ bonitate ſuſtinent. Quod quidem duarum rerum conſequuntur aliqua. Nam aut ad veri perſpicientiam, & ad res abſtruſas acutiſſimè pervidendas celeres habent ingenii motus, ac propè divinos: quo in genere ſapientia cernitur. aut ad uſum vitæ, ac cùm ſui, tum ceterorum gubernationem ſolertia valent: quod eſt prudentiæ proprium. Ad illos priores annumerandi ſunt ii, qui ſuo ſtudio aut inventas artes, ac diſciplinas poſteris tradiderunt; aut ab aliis elaboratas, ut minore quàm iſti gloria, ſic interdum pari ſunt ingenii laude complexi. Ex his porrò artibus ad illam, quam quærimus, informandam divinitatis animorum notam, ac ſpecimen, eæ potiſſimùm ſpectant, quarum in cœli, ſtellarúmque perveſtigandis motibus occupata cognitio eſt. Quis enim non aut humana perfectum hoc induſtria jure miretur; aut ſine altioris communione naturæ potuiſſe fieri putet; ut tam infinitis remota ſpatiis poſiti in terra mortales animadverterent; eáque non minùs exploratam, quàm ſubtilem in rationem viámque cogerent? Aſpice tot ortus ſiderum, & occaſus: Solis item, ac Lunæ, & errantium quinque reliquorum varios curſus, cùm per ſe difficiles ſingulos, tum mutua complexione magis inextricabiles, & obſcuros. adde horum omnium; ſed duorum præſertim, qui mundi principatum tenent, conjunctiones invicem, & regreſſus ab ſeſe. tum ſuppreſſiones luminis, ac defectus. hæc omnia conſtantibus, neque fallentibus regulis ita comprehendi, ut tanto antè ſciri futura poſſent, non incluſorum corporibus, & in ſolo repentium, ſed in cœlo ipſo degentium eſſe opus animorum videtur. Meritò itaque Plinius tantam in homine vim miratus ingenii, Plin. lib. II. cap. XXVI.
principem doctrinæ, inventique hujus Hipparchum prædicat iis verbis, quibus eamdem ferè, quam poſui, ſententiam expreſſit. *Hipparchus*, inquit, *numquam ſatis laudatus; ut quo nemo magis approbaverit cognationem cum homine ſiderum, animáſque noſtras partem eſſe cœli.* Imò verò non cœli partem animas eſſe noſtras; ſed eo ſublimius aliquid, & divinius; præſtantiorum cœlo rerum iis ſubjecta ſcientia demonſtrat.

Jam in altero genere, quod in ordinandis, & conſilio, ac prudentia gubernandis rebus exiſtit, ineſt etiam ſummi illius imago numinis expreſſior. Dei eſt enim moderari inferioribus omnibus, & eorum aptas ex ſeſe continere cauſſas; ac per ſingula diffuſum, & impulſu ſuo cuncta vegetantem, vim iis, actionem, modum, ordinémque tribuere. eaſdem denique, quas in ſpirantium corporibus exercet anima, partes ſibi in hac mundi univerſitate depoſcere. Quod adeò peculiare Deo eſt, ut qui cetera ipſius propter mentis cæcitatem non videtant, hoc de eo tamen ſenſerint veteres Philoſophi, ac mundi animam Deum eſſe, minore, quàm in reliquis, contentione ſtatuerint. Hanc prudenter adminiſtrantis univerſa, & ut blandè, ſic potenter inſinuantis per ſingula ſe Dei ſpeciem qui quantum hominibus licèt perfectè poſſent aſſequi, nonnullos majorum noſtrorum extitiſſe memoria fatendum eſt, & hac ætate pauciores eſſe. qui autem ex hac poſteriore, civilis prudentiæ; & illa priore, doctrinæ, & ſapientiæ laude confectam, & abſolutam cum Deo germanitatem exprimerent, longè pauciſſimos invenies & majorum noſtrorum temporibus, & noſtris. ac ne nullos eſſe conqueramur hodie; néve ſolis ex hiſtoriis illius nobis capienda putemus exempla; facis tu quidem (Cardinalis Illustrissime) inſigniter ex omnibus. Nam neque te ſcientia eſt majore quiſquam iſtius loci, & ordinis hominum. & rerum gerendarum induſtria, navitate, conſilio, felicitate longè præter ceteros excellis. Sapientia primùm quanta in te ſit, qui tui uſum habebit aliquem, teſtem nullum requiret. qui non noverit, poteſt ex editis à te libris conjecturam capere:

quos partim inſtituendis Catholicis: partim confutandis hæreticis eruditè, ornatéque ſcripſiſti. His aliarum quoque diſciplinarum adjungis ſtudia. ſic ut nulla polito ſit ars homine digna, cujus non vel peritiam tibi: vel, ſi minùs neceſſaria ſit, amorem certè, ac patrocinium aſciſcas. Sed hoc fortaſſe domeſticum decus nos Franci populares tui coràm cernere, & admirari poſſumus: exteri verò minùs propter longinquitatem ſentiunt. Illud alterum invictæ, excelſæque mentis, & quamlibet multis, magniſque rebus fortiter capiendis, & ſolerter explicandis idoneæ, nulla eſt hodie neque tam remota gens, quæ non intelligat; neque tam inimica, quæ non fateatur, ac prædicet. Etenim illa paucis annis te hortatore, conſiliario, & adjutore geſta ſunt, quæ vix animo concipere quiſquam ob magnitudinem; ignorare propter claritatem, & ſplendorem nemo poſſit. obſcurare verò detrahendo, ne invidia quidem ipſa, malevolentiáque audeat. Ac ſi pacis ea tantummodò eſſent, ac togæ, quamvis glorioſa, & magnifica, minùs tamen incredibilia de eo viro putarentur, qui ad Eccleſiaſticum adſcriptus ordinem pacis artibus ſe ab ineunte ætate dedidiſſet. Verùm ita bellica etiam in re, ac militari verſatus es, quaſi nihil in vita egiſſes aliud. ac cum præſtantiſſimorum Imperatorum gloria non ſolùm adæquaſti, ſed ſupra illos etiam extuliſti tuam. Quod enim plerique nec uſu plurimorum annorum, ac diſciplina, nec aſſiduitate bellandi conſequi potuerunt, id ſola ingenii, & naturæ felicitate es adeptus: veriſſimúmque illud eſſe probaſti quod dixit Pindarus, *σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ*. hoc eſt præſtantes homines natura magis, quàm inſtitutione niti ad ſapientiam. Habent enim divinos impetus animorum excellentes viri; quales in Heroibus extitiſſe ſcribit Ariſtoteles; quibus ad res magnas, atque arduas excitantur, maximéque communi hominum generi ſalutares. Ejuſmodi in te motus, & inſtinctus eſſe qui neget, non is tam iniquus gloriæ tuæ, quàm infeſtus divinæ, & in ambos ingratus habeatur. Deus eſt profectò, Deus, qui tibi (Cardinalis Illustrissime) parem tot rebus providendis, obeundis, perficiendis animum dedit, quibus vix tentandis vis, aut ætas humana ſufficeret. Hunc habes auctorem capiendorum conſiliorum; hunc exequendorum ducem, ac præſidem. hic in dubiis, & impeditis lucem objicit menti tuæ: ut non tam de incertis exiſtimare ſapienter, quàm proſpicere futura videaris. Idem denique, ut quæ priora ſunt omnibus attingam, Ludovicum regem impulit, te ut adhiberet in regno gubernando, curarum omnium, conſiliorúmque participem; ac tuæ fidei, & prudentiæ graviſſima quæque committeret. Cujus de te principis judicium, non ſolùm ut juſti; non ut ſapientis ſolùm: ſed ut innocentis, ac Deo cari, propéque familiaris; ſic tamquam ab juſtitia ipſa, à ſapientia, ab innocentia; poſtremò ab ipſo Deo profectum debet videri.

Mirabamur anteà, cùm id, quod ſæpè dici meminimus, de rege hoc audiebamus, nihil illum priùs aggredi, quàm cum Deo prolixè, diligentérque communicaſſet, atque in quoddam ſe divini numinis ſacrarium recipiens, occultas inde ſignificationes, afflatúſque ſumpſiſſet. Hanc non temerè de illo ſparſam eſſe famam, ſi non ei ſuffragatrix vitæ reliqua integritas accederet, ſatis ipſe delectus oſtenderet eorum hominum, quos pacis, bellique muneribus adminiſtros, & curatores præficit. Te verò cùm præ cunctis optavit unum, cujus in fide ac prudentia de omnibus acquieſceret, communem de ſe opinionem vehementiùs hoc ſuo facto comprobavit. Eſt quidem minime hoc ſapientis hominis, ex eventu probare conſilia: propterea quòd temerè ſuſceptis interdum temeritatis comes fortuna reſpondet. eadem prudenter cautéque proviſa medio in curſu plerumque deſtituit. Sed ſunt extraordinarii quidem ac miraculi ſimiles exitus rerum; in quibus auctorem Deum admirabilitas ipſa commendat; cùm inuſitatum aliquid, ac voto majus accidit; quod nec humana providere ratio potuit, nec ſibi tam facilè, ac repentè polliceri. Ejuſmodi illa fuêre primum, quæ in Santonibus, & ad Rupellam, atque in finitimis provinciis à te ſunt geſta nuper; quibus non præſentium modò temporum viciſti ſpem, ſed etiam memoriam ſuperiorum. Urbs non Galliæ ſolùm, ſed orbis terrarum munitiſſima: quæ in medio regni ſinu, & gremio novum ſibi regnum ſtatuerat: quam nemo non obſideri, ac vallari poſſe diffideret; nedum capi, expugnarique crederet: paucis obſeſſa menſibus, ac terra, marique vallata, capta, expugnata, Ludovici regis auſpiciis ac virtute, conſiliis tuis, in illius poteſtatem venit. Hoc in uno facto quàm multa & ad ſtuporem ingentia, & ad gloriam illuſtria, & ad præſentis numinis indicium expreſſa continentur! Sed ea non ſolùm epiſtolæ modum, ſed ſcribentis etiam captum ſuperant. quæ qui longiùs diducta, & majori, quàm eſt in me, orationis illuſtrata copia legerit, non unius anni, ſed ſæculi eſſe res arbitretur. Quid illa, quæ deinceps geſta ſunt? Hac enim perfidiæ, & ſeditionis arce de prædonum manibus extorta; everſis oppidis aliquot, & ſucceſis; fuſis ac disjectis perduellium copiis; curſibus deinceps ad libertatem, & ſalutem, imperii cum religione fortuna contendit. Tum demùm civitates, & provinciæ, peſtifera ſocietate diſſuta, certatim ad obſequium fidémque redierunt. Ex quo, ſublatis factionibus, regno ſimul, Eccleſiæque parta in ſempiternum pax, & ſecuritas. Nam quod hactenus, velut portentum de fabula, biceps erat, & bicorpor, & vix eodem trunco ac radice adhuc hærebat, paullatim in unum corpus, formámque coaluit. Hic ille optatus magis à nobis, quàm ſperatus victoriæ fructus oſtendit quorſum conſilia tua pertinerent, ac quid in iſtis laboribus, vigiliiſque propoſitum haberes. Intelleximus eò te ſpectaſſe pridem, quod & nondum perfecta re, ac ne ſuſcepta, aut deliberata quidem præ te tuleras, ut civilibus pariter, & Eccleſiaſticis rebus Galliæ compoſitis, liber ubique Catholicæ fidei campus aperiretur. ut eſſet in ea non magis Chriſtianiſſimo regi, quam religioni, pietati, juſtitiæ, Chriſto denique conſtitutum ſine ullo competitore regnum. Hæc tibi quanta contentione corporis, animíque; curis, ac vigiliis quantis conſtiterint; dum eodem tempore intenta in omnes partes imperii, publicæque rei tua mens eſſet, etſi eſt conjectura difficilis, utcumque tamen de ſe quiſque cognoſcet, ac divinum robur animi tui faciliùs æſtimabit, qui ſuas in una ſæpè domo gubernanda moleſtias recordari voluerit. Habes verò graviſſimum eorum teſtem, & arbitrum, cujus, ſecundùm Deum, iſta omnia cauſſâ ſuſcepiſti, Chriſtianiſſimum regem: qui non ſemel publicis litteris immortali te præconio commendavit; dum ſe in conficiendis iis rebus, conſortem glorioſiſſimi laboris habuiſſe te dixit; valdéque tuam in cunctis operam, aſſiduitatem, induſtriam probatam ſibi, ac neceſſariam fuiſſe. Idem poſteà conflato in Italia difficillimo bello, in quo Francici nominis dignitas, & ſociorum ſalus agebatur, ac de noſtra fide regnorum omnium, & populorum exiſtimatio, parem te moli tantæ ſuſtinendæ putavit eſſe; & eò te ſumma cum rei militaris poteſtate, atque ampliſſimo imperio proficiſci voluit. Nec illius exſpectationem res ibi geſtæ à te fefellerunt. Idem, qui ſuperioris belli, ſucceſſus expeditionis hujus fuit. Pateſactæ noſtris exercitibus Alpes, quarum aditum natura primùm; tum hoſtis armis, ac præſidiis intercluſerat. Capta primo impetu noſtrorum Italiæ clauſtra; confirmati ſociorum animi; hoſtilis ab eorum mœnibus repreſſus furor. ſive priſtinæ in Italia recuperandæ poſſeſſionis ſpes facta noſtris. ſive, quod Ludovico regi, ac tibi omnibus victoriæ præmiis antiquius eſt, redintegrandæ pacis, & concordiæ. quam ſi, ut ſperamus, & communi omnes voto petimus, per te nobis Deus aliquando conceſſerit; ejus tibi, poſt Regem, adeptæ gloria cùm multò erit ad immortalitatem nominis illuſtrior: tum propenſiore Chriſtiani orbis ſtudio, ac voluntate tribuetur. In his curis, ac cogitationibus defixus, ſi nihil tractares, nihil animo verſares aliud, ac ſi rerum ceterarum, etiam doctrinarum, quas habes cariſſimas, memoriam ſeponeres, nihil non uſitatum faceres, nec abhorrens ab uſu, vitáque communi. Sed non eſt ita. Non enim quantalibet negotiorum aut magnitudine ſuperatur invicta vis animi tui; aut varietate, ac multitudine in immenſum diffuſa capacitas expletur. Itaque tum, cùm plurimæ te, graviſſimæque rerum maximarum curæ diſtinent, liberam, ac vacuæ ſimilem ad alia mentem accommodas; præſertim quæ ad honeſtas artes, vel æquitatis, & virtutis officia referuntur. Quod ego ſum admirabiliter expertus, cùm ſub primos armorum ſtrepitus, & in ortu ipſo civilium turbinum, ac ſolicitudinum tuarum, Opus meum de Doctrina Temporum nomini tuo inſcripſi, ac coràm obtuli. Nam non ſolùm interpellari te paſſus es; quod ægrè in tantis occupationibus permitti ſolet: ſed etiam

benignè,

benignè, ac peramanter à me munus illud accepiſti; & eum poſtea librum, velut in ſummo otio, identidem legiſti. Quo majore fiducia modò cum reliquiis Operis ejuſdem, & Auctario doctrinæ illius ad te revertor (ILLUSTRISSIME CARDINALIS) & hoc metu, ac verecundia minore, quàm tunc, facio: quòd adhuc nova, & integrâ re, excuſari fortaſſe nonnulla noſtra vel temeritas, vel importunitas debuit. inchoatâ ſemel, & impulsâ, nulla jam à me, cur hoc recens tibi patrocinium deferam, requirenda ratio eſt. cùm ſi cuivis, præter te, deferre inſtituiſſem, afferendæ ob hoc ipſum cauſſæ fuerint, cur alteri potiùs, quàm tibi.

Atque ut, unde mihi hujus ad te ſermonis ingreſſum ceperam, ad illam cum cœlo propinquitatem animorum revertar, quàm in tui ſimilibus elucere potiſſimùm docui; magnam inducor in ſpem, &, ut opinor, veriſimilem, plus hoc novum apud te gratiæ munus, quàm illud prius habiturum. paullò quidem majorem meretur argumenti vel dignitas, vel affinitas illa, quam dixi. Eſt enim pars ejus maxima de cœlo, & iis ſideribus, quæ in cœlo fixa volvuntur. de quibus certa Græcorum veterum Opuſcula ſelegi: ut Hipparchi, qui antiſtea illius artis, cognationem cum cœlo animorum noſtrorum imprimis aſſeruit; ut ex Plinio ſuprà demonſtravimus. Ut Gemini præſtantiſſimi, ac politiſſimi Scriptoris. ut Ptolemæi. ut Achillis Tatii, ceterorúmque, quos vel nondum editos, vel Græcè nunc primùm, Latinéque diſputantes huic libro mandavimus. His accedunt variarum Diſſertationum commentarii: in quibus partim de eâdem cœleſti ſcientia quædam ſcitu digna promuntur: partim ſuperiorum doctrina librorom illuſtratur, ac defenditur. Nam fuit uno tempore tibi contra Eccleſiæ, ac regni hujus hoſtes; mihi contra veritatis oppugnatores imperitos homines propoſita dimicatio. In qua non ſolùm arbitrum te, ſed fautorem etiam, ac patronum confido fore. Siquidem ut ex eo, quod prius nómini conſecratum eſt tuo, obligatum tibi, velut pignore quodam hoc illius conſectarium Opus tenetur. ſic eo ipſo, quod libenter, benignéque priùs admiſiſti; poſteriori huic oppigneratam humanitatem tuam jure mihi quodam meo polliceor.

ILLUSTRISS. AMPLIT. T.

Deditiſſimus,
DIONYSIUS PETAVIUS
Societ. JESU Presbyter.

AD
CANDIDUM LECTOREM.

CONSILIUM meum fuerat, cùm Operis de Doctrina Temporum editionem inſtituerem, Scriptores aliquot Græcos in illius calcem conferre; qui in commentationibus iſtis magno mihi uſui, & adjumento fuiſſent. Sed cùm major opinione mea libri moles exſtitiſſet, rem in aliud tempus differre placuit; ac ſeparatum ei volumen conficere. quod tibi nunc (erudite Lector) ſub Auctarii nomine, ac titulo repræſentamus.

In quo non ii tantùm, quos initiò deſponderam, auctores prodeunt: ſed alii præterea longe utiliſſimi, ac præſtantiſſimi. imprimis autem Hipparchus, & Achilles Tatius. de quibus edendis non anteà mihi venit in mentem, quàm Geminus typis mandari cœpiſſet. Ex quo factum eſt, ut qui ceteris & ætate, & dignitate anteiret Hipparchus, non, uti par erat, primum in hac editione ſortitus ſit locum; ſed poſt Geminum, alióſque collatus fuerit. De quibus, uti & de ceteris, quæ unà publicantur, aliorum opuſculis, præfari & admonère nonnulla neceſſarium videtur.

Primus eſt Geminus, qui ante annos ampliùs quadraginta prodiit, Græcè Latinéque ab Edone Hilderico; Scriptor eruditus, & antiquus. Vixit enim Sullæ, ac Ciceronis ſæculo, ut ex iis conſtat, quæ ad pag. 19 in Notis obſervamus. Patria Rhodium fuiſſe inter omnes convenit. Sed Romæ, & in Italia vixiſſe, non levis eſt conjectura, ibique commentarium hunc ſcripſiſſe; ut in iiſdem Scholiis adnotavimus. Ac vel nomine ipſo *Gemini* ſatis hoc evincitur, Latinorum uſu, & commercio implicatum eſſe hominem; ac libertum fortean, aut clientem alicujus fuiſſe familiæ, cui peculiare cognomen id erat; nempe Serviliorum. Proclus in Commentariis ad priores Euclidis libros non ſemel Geminum laudat; quem & Γεμῖνον perpetuò nominat, circumflexa penultima: indidémque colligitur, quædam illum de Geometria ſcripſiſſe. cujus fidem facit catalogus librorum, qui ex Barocciana bibliotheca nuper in Angliam avecti ſunt. quos inter Gemini liber exſtat nondum editus. Sed & Procli Sphæra nihil aliud eſt, præter Iſagoges Gemini capita quædam. quod ſuo loco declaravimus.

Hujus nos teſtimonio Scriptoris ſæpè, ac libenter uſi ſumus in his, quæ ad annum Græciæ veteris, & Ægyptiacum ſpectant. Nam de priore illo nemo eſt, qui diligentiùs, expreſſiúſque verba fecerit; cujúſque propter antiquitatem, & eruditionem ratio major haberi debeat. quem ſi in conſilium adhibuiſſet Scaliger, aut ſi eum attentiùs legiſſet; neque præjudicatam illam ſuam de anno Græco πρόληψιν ad illius tractationem attuliſſet; non illa nobis anni Græci, & Attici commenta periiſſet, quæ & abſurdiſſima ſunt; & unius præter ceteros Gemini auctoritate refelluntur. Hunc igitur cum Latina interpretatione veteri primo loco poſuimus; qua profectò meliorem, elegantiorémque merebatur. & erat animus novam aggredi, niſi in Hipparchum, & alios, qui nullam habebant omninò, id operæ conferre ſatius eſſe judicaſſem. Græca verò ad veterum manuſcriptorum fidem exactè caſtigavimus. è quibus unum penes nos habebamus haud adeo veterem; ſed accuratum, ac ſcriptum imprimis eleganter. alter in Oxonienſi bibliotheca reperitur. quo cum editionem Hilderici diligenter contulit Henricus Briggius Oxonienſis Mathematicus; à quo id meo nomine poſtularat Lucas Holſteinius Hamburgenſis, vir eruditiſſimus; qui in Illuſtr. Cardin. Barberini comitatu Romæ hodie vivit. Utriuſque ope, ac beneficio variarum lectionum Indiculum accepimus; quas paucis exceptis totidem in noſtro codice deprehendimus. Quamobrem quicquid in nova hac editione Gemini aliter atque in priore, ſtudioſe Lector, offenderis; id ex amborum auctoritate, & conſenſu immutatum eſſe ſcias. Nec pauca verò illa ſunt; neque levia. ut, qui ambas legerit, agnoſcet.

Poſt Geminum Ptolemæi liber ſequitur, qui φάσεις ἀπλανῶν ἐπισημασιῶν in antiquo codice inſcriptus legitur; uti nos edidimus. Hujus nobis copiam amicus quidam fecit; qui ex antiquo codice eum deſcripſerat. Eumdémque pòſt invenimus in Regia bibliotheca; & à Cl. V. D. Nicolao Rigaltio utendum accepimus, ex quo etiam non pauca caſtigavimus. De hujus auctore quid dicam nihil habeo, præter ea quæ in Notis expoſui. Cui quidem Calendaria ejuſdem argumenti ſubjecta ſunt tria. Primum eſt ſub falſo nomine Ptolemæi editum à Leonico, è Græcóque tranſlatum; quam miſcellam eſſe tumultuariam ex variis parapegmatibus confectam, non ſemel in Diſſertationibus oſtendimus. in quo ridiculus eſt Solinianus Exercitator, qui hunc libellum aureolum in ſua farragine Plinianarum Exercitationum nominat; ex quo nihil certi, boníque, propter confuſionem, & auctorum, locorúmque tacita vocabula, harum rerum ſtudioſus colligat. ſed habent ſimiles labra lactucas. Alteros Faſtos ex Ovidii, Columellæ, Pliniique libris concinnavimus ipſi, qui Julianorum inſtar eſſe queant. Ex Soſigenis enim, vel Julii Cæſaris parapegmate, nec uniuſmodi fortaſſe, uti libro II Variarum docuimus; auctores illi phænomena ſua perſcripſerunt. Qui noſter labor non parùm eos adjuvabit, qui Poëtas, alióſque Scriptores in manus ſumpſerint; ubi orientium, vel occidentium ſtellarum fit nonnulla mentio. præſertim ſi ad uſum Calendarii iſtius, libri primi Variarum Diſſertationum noſtrarum doctrinam adjunxerint. Tertium eſt Calendarium Conſtantini M. à Joanne Herwarto olim editum. cujus enarrationem ὁ μακαρίτης Hieronymus Alexander ſcribere inſtituerat.

Exinde Achillis Tatii, & Hipparchi libros addidimus, quos Græcè primus è Medicea bibliotheca vulgavit Petrus Victorius. nos Latinos fecimus. ac principiò quidem ſolum Tatium conferre in Auctarium hoc noſtrum voluimus. pòſt de Hipparcho quoque remiſimus doctorum quorumdam amicorum precibus. unde etiam accidiſſe noris, ut poſt Achillem Tatium tanto & antiquior, & præſtantior poneretur Hipparchus; quòd in eo Latinè vertendo paullulùm ſpatii interponendum fuit; & ne operæ vacarent interim, in aliis excudendis occupare eas oportuit.

In Achillis commentariis nonnulla ſunt πάρεργα, ac minimè neceſſaria. plura tamen ſcitu non indigna. in quibus quæ erant menda corrigi non potuerunt, quòd nullum vetus exemplar, quo niteremur, ad manum fuit.

Hipparchi verò libri multis in locis emendati ſunt, non ex conjectura ſolùm, quæ, ubi opus fuit, ad marginem adſcripta eſt, quemadmodum & in ceteris fecimus. ſed etiam ex antiquo Bibliothecæ regiæ libro, pulcherrimè ſcripto, quem nobis Cl. V. D. Rigaltius commodavit. Eo præeunte libro, quicquid ſecus, atque in Florentina editione, in hac noſtra leges, conformatum eſſe memineris. Aſteriſmos autem, quos ſub Hipparchi nomine eadem Florentina editio continet, conſultò prætermiſimus. Non enim Hipparchi ſunt, ſed Ptolemæi. à cujus Tabula paucis interdum minutis diſcrepant. Itaque ſupervacaneum erat illos recudere.

Succedit his Gazæ liber de Menſibus Atticis, cum Latina verſione Joannis Perrelli ante centum ferè annos edita.

Tum S. Maximi Martyris Computus, quem è Vaticana Bibliotheca deſcribendum curavi. Hujus excerpta quædam Joſephus Scaliger Operi de Emendatione

Temporum

Temporum inſeruerat; & uberibus Notis Græci computi doctrinam explicarat. quæ res, uti cetera illius Operis, ei infeliciter ſucceſſit. ut ex octavo Variarum Diſſertationum noſtrarum eruditus Lector intelliget. Adjecimus & Iſaaci Argyri computum duplicem. quorum prior à Jacobo Chriſtmanno primùm Græcè vulgatus eſt. nos Latinè vertimus; & poſteriorem ejuſdem computum ex Chriſtianiſſimi Regis bibliotheca ſubjecimus beneficio Cl. V. Nicolai Rigaltii. Acceſſit perbrevis Andreæ Cretenſis computus olim ad nos à P. Andrea Schotto miſſus, quem ex Vaticana ſe accepiſſe ſcriptum reliquit. nec non Anonymi cujuſdam Diatriba de Paſchate noviſſimo Chriſti. cui perperam inſcriptum nomen erat S. Petri Alexandri Epiſcopi, & Martyris. quòd inter Patres aliquot; quorum teſtimonia producuntur, primo ille loco nominatur. Ac duplex Fragmenti eſſe iſtius argumentum videtur. Primùm enim Chriſtum demonſtrat ultima in Cœna legale Paſcha non celebraſſe; quòd pridie ejus diei, quo à Judæis peractum eſt, myſticum ſuum, ac novi Teſtamenti proprium Paſcha Chriſtus obierit. Cujus opinionis Veteres nonnullos teſtes citat. Sed ea videlicet, quod illorum pace dixerim, falſa, & Evangeliorum auctoritati contraria eſt. Nec illud nos argumentum movet, quod ut ita ſentirent eos impulit: de quo in XII de Doctrina Temporum plenè diſputavimus. Altera pars Fragmenti, præfatio eſt in Πασχάλιον, ſive computum Paſchalem, quem illius auctor in tabulas redegerat, ad quas cyclum Victorianum annorum DXXXII accommodarat. quam methodum ut ne multùm deſideremus, Maximi & Iſaaci computi faciunt; qui inſtar ſunt ceterorum omnium. Tum nihil verò de hac re quæri poſſe confido, quod non in octavo Variarum noſtrarum Diſſertationum explicatum habeas. Quas quidem Diſſertationes ſic elucubrare ſtuduimus, ut ad illos ipſos Anctarii Scriptores declarandos, & illuſtrandos vice commentariorum eſſent. Nam nullus in his ferè locus eſt quæſtione, diſputationéque dignus, quem non iis in libris attigerim. Quam in rem perbreves Notas adjeci, præſertim ad Hipparchum, & Geminum; quæ ſingulis propemodum in locis ea capita Diſſertationum indicant, ubi illa copioſiùs explicantur. nec pauca tamen nova interim adduntur; quæ ibi prætermiſſa fuerant. Sed de Diſſertationum propoſito ac ſcopo peculiari te præfatione docebimus. Vale candide Lector, & ad hujus noſtræ operæ fructum colligendum fac eum viciſſim animum afferas, quo tibi devotam illam, addictámque confidas velim.

PETRI VICTORII
AD LECTOREM
PRÆFATIO.

QUIA fidem meam omnibus probatam eſſe cupio, totam rem tibi accuratè narrabo: ac quibus auxiliis in hoc munere obeundo uſus ſim, aperiam. Exſtat antiquus liber Hipparchi in Meditea bibliotheca, quem olim cùm primùm legiſſem, impulit me ſubtilitas hujus Scriptoris, ut ipſum cum iis, qui cognitione ſtellarum cælique delectantur, communicarem. Antequam tamen impreſſori darem, quia audiveram in Vaticana bibliotheca alterum cuſtodiri, curavi meum, è Mediceo expreſſum, cum eo diligenter conferendum. ſunt autem in illo tres tantum libri, quos ſcripſit in Eudoxi, & Arati phænomena. hujus igitur, qui ſequitur in excuſo, inſcribiturque ἀστερισμοί, unicum tantùm exemplar habui. Achillis itidem duo exemplaria nactus ſum, non parum inter ſe multis locis diſcrepantia. quod facit tamen ad verba potiùs, & ipſorum ſeriem, quàm ad ſententiam auctoris magnopere variandam. Miſſa quoque ſunt ad me Roma unà cum Achille, ſcripta quædam mutilata veterum quorumdam doctorum hominum, qui ſtudio ac labore ſuo aut Arati poëma, aut ſcientiam hanc ſiderum illuſtrare voluerant: & illa ipſa præterea plena macularum, quæ tamen cùm haud penitus inutilia judicaſſem, multis locis correcta ſedulitate mea, non indigna putavi, quæ foras exirent. Quod verò in extremo, ſive Eratoſthenis, ſive Hipparchi nomine additum eſt, falſo prorſus indice, nullam in partem redolet acumen, eruditionémque nobiliſſimorum eorum vetuſtiſſimorúmque auctorum: multíſque modis intelligitur ab inferioris ætatis aliquo notatum fuiſſe. Leges etiam illic, quod cognitu dignum judicavi, magnum numerum doctorum virorum, & in variis artibus laudatorum, Arati opus vigiliis ſuis ornaſſe. quod multùm facit ad gloriam ipſius celebrandam, ſignificandúmque quanto in honore olim fuerit hæc rerum cæleſtium cognitio, quæ hodie, quod dolendum eſt, penè jacet ignavia noſtra, atque omni dignitate ſpoliata eſt. nam additis illis ipſis Latinis, inſignibus clariſque in primis auctoribus, Theonéque Alexandrino, magno mathematico, cujus eruditiſſimus, copioſiſſimúſque commentarius in Aratum exſtat, ad quinquaginta illi pervenerunt. Magnis autem ego occupationibus impeditus, & quia ſatisfacere cupidis hujus gravis auctoris non poteram, niſi ipſum ſua lingua loquentem citò divulgaſſem, non edidi nunc, ut optabam, Hipparchum à me in Latinum ſermonem converſum, ac penè perpolitum, ſed brevi (ut ſpero) ille quoque meus labos edetur. Hæc volebam tibi non ignota eſſe. Vale.

ΠΕΡΙ ΙΠΠΑΡΧΟΥ

ἐκ τῶν Σουΐδα.

Ἵππαρχος Νικαεὺς φιλόσοφος, γεγονὼς ἐπὶ τῶν ὑπάτων, ἔγραψε περὶ τῶν Ἀράτου φαινομένων, περὶ τῆς τῶν ἀπλανῶν συντάξεως, καὶ τοῦ καταστηριγμοῦ περὶ τῆς κατὰ πλάτος μηνιαίας τῆς σελήνης κινήσεως καὶ εἰς τοὺς ἀστερισμούς.

HIPPARCHI ELOGIUM E SUIDA.

Hipparchus Nicænus Philoſophus, qui fuit ſub Conſulibus. Scripſit de Arati Phænomenis. de ſtellarum inerrantium conſtitutione; & immota ſtatione. de menſtruo Lunæ motu ſecundùm latitudinem. & in aſteriſmos.

ΠΕΡΙ ΑΧΙΛΛΕΩΣ ΣΤΑΤΙΟΥ

ἐκ τοῦ αὐτοῦ.

Ἀχιλλεὺς Στάτιος Ἀλεξανδρεύς, ὁ γράψας τὰ κατὰ Λευκίππην, καὶ Κλειτοφῶντα, καὶ ἄλλα ἐρωτικὰ ἐν βιβλίοις η΄, γέγονεν ἔσχατον Χριστιανός, καὶ Ἐπίσκοπος. ἔγραψε δὲ περὶ σφαίρας, καὶ ἐτυμολογίας, καὶ ἱστορίαν σύμμικτον, πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ θαυμασίων ἀνδρῶν μνημονεύουσαν. ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ κατὰ πάντα ὅμοιος τοῖς ἐρωτικοῖς.

DE ACHILLE STATIO EX EODEM.

Achilles Statius, Alexandrinus; qui de Leucippe, & Clitophonte ſcripſit, & alia amatoria libris octo; tandem factus eſt Chriſtianus, & Epiſcopus. Scripſit de ſphæra, & etymologia, & hiſtoriam miſcellaneam; quæ multorum, & magnorum, & admirabilium virorum mentionem facit. Ipſius verò oratio in omnibus prorſus eſt amatoriis orationibus ſimilis.

Meminit & Achillis Tatii Photius Cod. LXXXVII. ubi non Στάτιον vocat, ſed Τάτιον, quemadmodum & Palatinus codex habebat, unde Clitophontis & Leucippes amores Commelinus edidit. Nam altera ex errore profecta lectio videtur, repetitâ perperam litterâ Σ ex priori nomine Ἀχιλλεύς.

INDEX AUCTORUM,

qui in Uranologio continentur.

Gemini Iſagoge.	Pag. 1	*Interprete Edone Hilderico.*
Ptolemæus de Apparentiis inerrantium.	42	*Interprete Dionyſio Petavio.*
Ptolemæi inerrantium ſignificationes.	52	*Latinè per Nicolaum Leonicum.*
Calendarium vetus Romanum cum ortu occaſûque ſtellarum ex Ovidio, Columella, Plinio.	60	*A Dionyſio Petavio confectum.*
Calendarium Romanum ab Joanne Georgio Herwart editum.	67	
Achillis Tatii Iſagoge ad Arati Phænomena.	73	*Interprete Dionyſio Petavio.*
Ejuſdem Tatii Fragmenta Græca.	94	
Hipparchi Bithyni ad Arati, & Eudoxi Phænomena libri tres.	97	*Interprete Dionyſio Petavio.*
Achillis Tatii ad Arati Phænomena, qui liber falſò Eratoſthenis tribuitur.	142	*Interprete Dionyſio Petavio.*
Arati genus, & vita.	148	*Interprete Dionyſio Petavio.*
Theodorus Gaza de menſibus.	153	*Interprete Joanne Perrello.*
S. Maximi Computus.	170	*Interprete Dionyſio Petavio.*
Iſaaci Argyri Computus.	194	*Interprete Dionyſio Petavio.*
Ejuſdem Computus alter.	207	*Interprete Dionyſio Petavio.*
S. Andreæ Computus.	211	*Interprete Dionyſio Petavio.*
Fragmentum Græcum de Paſchate.	213	
Notæ Dionyſii Petavii ad Geminum, Ptolemæum, & Hipparchum in locis poſitæ. pag. 1. & ſeqq.		
Fragmentum Aëtii de Significationibus ſtellarum.	216	*Interprete Cornario.*
Index rerum memorabilium.	218	
Subjecti ſunt variarum Diſſertationum libri VIII, auctore Dionyſio Petavio.		

ΓΕΜΙΝΟΥ

ΓΕΜΙΝΟΥ
ΕΙΣΑΓΩΓΗ
ΕΙΣ ΤΑ ΦΑΙΝΟΜΕΝΑ.

GEMINI
ELEMENTA
ASTRONOMIÆ.

INTERPRETE EDONE HILDERICO D.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ α'.

Ο ΤΩΝ ζῳδίων κύκλος διαιρεῖται εἰς μέρη δώδεκα, καὶ καλεῖται κοινῶς μὲν ἕκαστον τῶν τμημάτων δωδεκατημόριον· ἰδίως δὲ ἀπὸ τῶν ἐμπεριεχομένων ἀστέρων, ὑφ' ὧν καὶ διατυποῦται ἕκαστον αὐτῶν ζῴδιον. Ἔστι δὲ καὶ τὰ δώδεκα ζῴδια τάδε, κριός, ταῦρος, δίδυμοι, καρκίνος, λέων, παρθένος, ζυγός, σκορπίος, τοξότης, αἰγόκερως, ὑδροχόος, ἰχθύες.

[1] Διχῶς δὲ λέγεται ζῴδιον· καθ' ἕνα μὲν τρόπον τὸ ιβ' μέρος τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου· ὅ ἐστι διάστημά τι τοπικόν, ἢ ἄστροις, ἢ σημείοις ἀφοριζόμενον· καθ' ἕτερον δὲ τὸ ἐκ τῶν ἀστέρων εἰδωλοπεποιημένον κατὰ τὴν ὁμοιότητα, καὶ τὴν θέσιν τῶν ἀστέρων.

Τὰ μὲν οὖν δωδεκατημόρια ἴσα ἐστὶ κατὰ τὸ μέγεθος. [a] διῄρηται δὲ ὁ τῶν ζῳδίων κύκλος εἰς ιβ' μέρη ἴσα. τὰ δὲ [b] κατηστερισμένα ζῴδια, ὅτι ἴσα ἐστὶ κατὰ τὸ μέγεθος ὅτι ἐξ ἴσων ἀστέρων συνέστηκεν· [2] ὅτι πάντα ἀναπληροῖ τοὺς ἰδίους τόπους τῶν δωδεκατημορίων, ἀλλ' ἃ μὲν ἐλλείπει. καθάπερ ὁ καρκίνος· μικρὸν γὰρ τόπον ἐπέχει τοῦ ἰδίου τόπου. ἃ δὲ ὑπερπίπτει, καὶ μέρη τινὰ τῶν προηγουμένων, καὶ τῶν ἑπομένων ζῳδίων [c] ἐπιλαμβάνει· καθάπερ ὁ λέων.

[a] γρ. διῄρηται γὰρ.
[b] γρ. κατηστερισμένα.
[c] γρ. ἀπολαμβάνεται.

CAPUT I.

ZODIACUS circulus in duodecim dividitur partes, atque horum ſegmentorum unumquodque generaliter quidem vocatur dodecatemorion, id eſt pars duodecima, ſpecialiter verò ſignum: idque à ſtellis, quas continet, & à quibus etiam certam effigiem ſortitur. Sunt autem hæc duodecim ſigna. Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Piſces.

Dicitur ſignum duobus modis: uno, ſecundùm quem eſt duodecima pars zodiaci: quæ eſt intervallum quoddam locale, quod vel ſtellis, vel punctis determinatur: altero, ſecundùm quem eſt conſtellatio quædam, ex pluribus ſtellis compoſita, ſecundùm ſimilitudinem, & ſitum ſtellarum.

Dodecatemoria igitur, quoad magnitudinem inter ſe ſunt æqualia, eo quòd zodiacus in duodecim partes æquales eſt diviſus: at ſigna, quæ ex fixis ſtellis ſunt compoſita, neque inter ſe ſunt æqualia quoad magnitudinem, neque ex æqualibus ſtellis ſunt compoſita, neque explent propria ſpatia dodecatemoriorum, ſed quædam ab hujuſmodi expletione deficiunt; ut cancer. parvum enim ſpatium ſui proprii loci occupat: quædam verò ultra ſua propria loca extenduntur, & partes quaſdam præcedentium, & ſequentium ſignorum occupant, ut leo.

Præ-

1 Διχῶς δὲ λέγεται.] Zodiacus duplex eſt, quod ad inſtitutum noſtrum pertinet: alter in primo mobili, qui ſitum non mutat, hoc eſt interſectiones eaſdem perpetuo ejus ecliptica cum æquinoctiali retinet: & eſt imaginum expers. alter in orbe ſtellato qui εἰς τὰ ἑπόμενα progreſſum faciens, in aliis, & aliis punctis continuè interſectiones cum æquinoctiali facit. Hujus propria ſunt ζῴδια, ſive aſteriſmi dodecatemoriorum. Primus Hipparchus, collatis inter ſe veterum ac ſuis obſervationibus, ſuſpicatus eſt moveri in conſequentia ſignorum octavam ſphæram; adeóque duplicem eſſe zodiacum. Sed quòd ἀλογχρόνως priorum obſervationes forent; neque ſatis longum eſſet interjectum ſpatium; non poſitivè affirmavit. Ptolemæus verò rem planè definit. Vide caput I. libri VII. μεγαλ. συντ. Hæc dicenda fuerunt, ne quis id à Gemino miretur eſſe præteritum qui, ut in pleriſque aliis, Eudoxum potiùs, quàm Hipparchum ſequitur. neque τὸ ἀκριβὲς conſectatur. quod nec fuit neceſſe εἰσαγωγῇ, ac prima hujus artis elementa ſcribenti. Quocirca de zodiaco ſic loquitur, quaſi unius orbis eſſet, ac nunquam ſitum mutaret. Dodecatemoria veri zodiaci, qui eſt in primo mobili, de ζῳδίοις, & aſteriſmis vocabula tunc acceperunt, cùm ea continerent. putà Aries dictus eſt primum dodecatemorion, quòd in eo tunc eſſet aſteriſmus octavæ ſphæræ, cui hoc vocabulum inditum eſt. quod Metonis, Eudoxi, ac Ptolemæi ſeculis accuratè contigit. Noſtro verò longiùs in poſteriora progreſſi ſunt aſteriſmi, ac toti ferè extra ὁμώνυμα ſegmenta conſiſtunt. Ex quo in pleriſque ſtellis latitudines a vera ecliptica, & declinationes immutatæ ſunt, ut auſtrales fierent, quæ erant boreales, & contrà.

2 Οὔτε πάντα ἀναπληροῖ.] Vide Hipparchum lib. II. ſub initium.

Præterea ex duodecim ſignis quædam ne tota quidem poſita ſunt in zodiaco, ſed alia eo ſunt borealiora, ut leo; alia auſtraliora, ut ſcorpius.

Diviſio ſigni uniuſcujuſque in partes.

Rurſus unumquodque dodecatemoriorum dividitur in partes triginta, & vocatur unum ſegmentum pars, ſeu gradus. Itaque zodiacus continet ſigna quidem duodecim, partes verò 360.

Quid annus & quot dies habeat annus.

Sol autem uno anno percurrit zodiacum. eſt enim tempus annuum illud, in quo Sol peragrat zodiacum, & ab eodem puncto ad idem punctum redit. hoc tempus eſt dierum 365¼. In tot enim diebus illas 360 partes zodiaci Sol conficit. ferè itaque in uno die unum gradum Sol abſolvit.

Diſcrimen inter partem ſeu gradum, & diem.

Verumtamen aliud eſt pars, aliud dies. pars enim eſt intervallum quoddam, cùm ſit 30 pars ſigni. dies verò eſt tempus, quod ferè 30 pars eſt menſtrui temporis, deinde pars quidem eſt 360 pars zodiaci. dies autem eſt pars 365¼ ferè annui temporis, ac ſemper quidem ſigna ſunt 30 partium, non ſemper autem 30 dierum.

Anni partes earumque metæ.

Dividitur autem annuum tempus in partes quatuor, ver, æſtatem, autumnum, & hiemem. Vernum igitur æquinoctium fit circa florum vigorem ſummum, in prima parte Arietis. Solſtitium æſtivum contingit circa æſtuum intentionem in prima parte Cancri, ubi Sol borealiſſimum circulum deſcribit, & longiſſimum omnium, qui ſunt in anno, diem efficit, noctem verò breviſſimam. Atqui dies longiſſimus æqualis eſt nocti longiſſimæ, & dies breviſſimus æqualis eſt nocti breviſſimæ. dies verò longiſſimus in climate Rhodi eſt horarum æquinoctialium 14½. Æquinoctium autumnale eſt, cùm Sol à boreali plaga ad auſtralem plagam tendens, iterum ad æquinoctialem circulum pervenerit, & diem nocti æqualem effecerit. Solſtitium autem hybernum eſt, cùm Sol longiſſime à puncto noſtro verticali diſceſſerit, & humillimus, quoad horizontem, factus fuerit, idémque circulum maximè auſtralem deſcripſerit, & noctem longiſſimam omnium, quæ ſunt in anno, effecerit, diem verò breviſſimum. eſt autem longiſſima nox in climate Rhodi horarum æquinoctialium 14½.

Quatuor anni partium magnitudo.

Tempora verò, quæ ſunt inter ſolſtitia, & æquinoctia, hoc modo dividuntur. Ab æquinoctio verno, uſque ad ſolſtitium æſtivum dies ſunt 94½. nam in tot diebus tranſit ſol, arietem, taurum, geminos, & ad primam partem cancri accedens ſolſtitium æſtivum efficit. Ab æſtivo ſolſtitio uſque ad æquinoctium autumnale dies ſunt 92½. nam in tot diebus tranſit ſol, cancrum, leonem, virginem, & ad primam partem libræ accedens efficit æquinoctium autumnale. Ab æquinoctio autumnali uſque ad ſolſtitium hybernum dies ſunt 88⅛. nam in tot diebus tranſit ſol libram, ſcorpium, ſagittarium, & ad primam partem capricorni perveniens efficit ſolſtitium hybernum. A ſolſtitio hyberno uſque ad æquinoctium vernum dies ſunt 90⅛. in tot enim diebus tranſit ſol reliqua tria ſigna, capricornum, aquarium, piſces. omnes igitur dies horum quatuor temporum ſimul ſumpti efficiunt dies 365¼ quot etiam in uno ſunt anno.

Cur ſol in zodiaco moveatur inæqualiter.

Quæritur igitur in his, cur, cùm quatuor dicti quadrantes zodiaci inter ſe ſint æquales, & ſol ſemper æqualiter moveatur; ipſe in temporibus inæqualibus æquales horum quadrantum arcus peragret. nam per totam Aſtronomiam præſupponitur, & ſolem, & lunam, & quinque planetas æqualiter, circulariter, & contra mundi motum moveri. Pythagoræi enim, cùm primi has quæſtiones aggrederentur, præſuppoſuerunt circulares, atque æquales ſolis, lunæ, & erraticarum ſtellarum motus. nam hujuſmodi irregularitatem non admiſerunt in his divinis, atque æternis corporibus, ut interdum velocius moverentur, interdum tardius, interdum ſtarent, ut ſanè etiam ſtationes vocant in quinque erraticis ſtellis. Neque enim in homine benè

Ἔτι δὲ τινὰ τῶν ιβ΄ ζωδίων, οὐχ ὅλα κεῖται ἐν τῷ ζωδιακῷ κύκλῳ· ἀλλ' ἃ μέν ἐστι βορειότερα αὐτοῦ, καθάπερ ὁ λέων· ἃ δὲ νοτιώτερα, καθάπερ ὁ σκορπίος.

³ Πάλιν ἕκαστον τῶν δωδεκατημορίων διαιρεῖται εἰς μέρη λ΄, καὶ καλεῖται τὸ ἓν τμῆμα μοῖρα. ὥστε τὸν ὅλον κύκλον τῶν ζωδίων περιέχειν ζώδια μὲν ιβ΄, μοίρας δὲ τξ΄.

⁴ Ὁ δὲ ἥλιος * ἐνιαυτῷ διαπορεύεται τὸν ζωδιακὸν κύκλον, ἔστι γὰρ ἐνιαύσιος χρόνος, ἐν ᾧ ὁ ἥλιος περιπορεύεται τὸν ζωδιακὸν κύκλον, καὶ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σημείου ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον ἀποκαθίσταται. ὁ δὲ χρόνος οὗτός ἐστιν ἡμερῶν τξε΄, δ΄΄. ἐν τοσαύταις γὰρ ἡμέραις τὰς τξ΄ μοίρας παροδεύει ὁ ἥλιος, ὥστε παρὰ μικρὸν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ μοῖραν κινεῖσθαι τὸν ἥλιον.

* γρ. ἐν αὐτῷ.

Ἄλλο μέντοι γέ ἐστι μοῖρα, καὶ ἄλλο ἡμέρα. μοῖρα μὲν γάρ ἐστι διάστημά τι λ΄ μέρος ὑπάρχον τοῦ ζωδίου, ἡμέρα δέ ἐστι χρόνος, τριακοστὸν μέρος, ὡς ἔγγιστα, τοῦ μηνιαίου χρόνου. καὶ ἡ μὲν μοῖρα τξ΄ μέρος ἐστὶ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου, ἡ δὲ ἡμέρα τξε΄, καὶ δ΄ μέρος, ὡς ἔγγιστα, τοῦ ἐνιαυσιαίου χρόνου. καὶ * πάντα μὲν τὰ ζώδια τριακοντημοιριαῖά ἐστιν, οὐ πάντα δὲ τριακονθήμερα.

* γρ. πάντα.

Διαιρεῖται δὲ ὁ ἐνιαύσιος χρόνος εἰς μέρη δ΄, ἔαρ, θέρος, φθινόπωρον, καὶ χειμῶνα. ⁵ Ἐαρινὴ μὲν οὖν ἰσημερία γίνεται περὶ τὴν τῶν ἀνθῶν ἀκμήν, ἐν κριοῦ μιᾷ μοίρᾳ. τροπὴ δὲ θερινὴ γίνεται περὶ τὴν τῶν καυμάτων ἐπίτασιν, ἐν καρκίνου μιᾷ μοίρᾳ· ὅτε ὁ ἥλιος τὸν βορειότατον κύκλον γράφει, καὶ μεγίστην πασῶν τῶν ἐν ἐνιαυτῷ ἡμερῶν ἐπιτελεῖ, ἐλαχίστην δὲ τὴν νύκτα. ἡ μέντοι γε μεγίστη ἡμέρα ἴση ἐστὶ τῇ μεγίστῃ νυκτί, καὶ ἡ ἐλαχίστη ἡμέρα ἴση ἐστὶ τῇ ἐλαχίστῃ νυκτί. ἔστι δὲ ἡ μεγίστη ἡμέρα κατὰ τὸ ἐν Ῥόδῳ κλίμα ὡρῶν ἰσημερινῶν ιδS΄΄. ἰσημερία δέ ἐστι φθινοπωρινή, ὅταν ὁ ἥλιος ἀπ' ἄρκτων πρὸς μεσημβρίαν παροδεύων, πάλιν ἐπὶ τοῦ ἰσημερινοῦ γένηται κύκλου, καὶ ἴσην τὴν ἡμέραν τῇ νυκτὶ ποιήσηται. τροπὴ δέ ἐστι χειμερινή, ὅταν ὁ ἥλιος * πορρωτάτω ἡμῶν τῆς οἰκήσεως γένηται, ⁶ καὶ ταπεινότατος, ὡς πρὸς τὸν ὁρίζοντα, καὶ νοτιώτατον κύκλον γράφῃ, καὶ μεγίστην πασῶν τὴν ἐν αὐτῷ νύκτα ποιήσηται, ἐλαχίστην δὲ ἡμέραν. ἔστι δὲ ἡ μεγίστη νὺξ κατὰ τὸ ἐν Ῥόδῳ κλίμα ὡρῶν ἰσημερινῶν ιδS΄΄.

* γρ. πορρώτατος.

⁷ Οἱ δὲ μεταξὺ χρόνοι τῶν τροπῶν καὶ τῶν ἰσημεριῶν, τοῦτον διαιροῦνται τὸν τρόπον· ἀπὸ μὲν ἰσημερίας ἐαρινῆς μέχρι τροπῆς θερινῆς ἡμέραι εἰσὶ ϟδS΄΄. ἐν γὰρ τοσαύταις ἡμέραις διαπορεύεται ὁ ἥλιος κριόν, ταῦρον, διδύμους, καὶ ἐπὶ τὴν πρώτην μοῖραν τοῦ καρκίνου παραγενόμενος τὴν θερινὴν τροπὴν ποιεῖται. ἀπὸ δὲ θερινῆς τροπῆς μέχρις ἰσημερίας φθινοπωρινῆς ἡμέραι εἰσὶ ϟβS΄΄. ἐν γὰρ τοσαύταις ἡμέραις διαπορεύεται ὁ ἥλιος καρκίνον, λέοντα, παρθένον, καὶ ἐπὶ τὴν πρώτην μοῖραν τῶν χηλῶν παραγενόμενος τὴν φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν ποιεῖται. ἀπὸ δὲ ἰσημερίας φθινοπωρινῆς μέχρι τροπῆς χειμερινῆς ἡμέραι εἰσὶ πη΄ η΄΄. ἐν γὰρ τοσαύταις ἡμέραις διαπορεύεται ὁ ἥλιος χηλάς, σκορπίον, τοξότην, καὶ ἐπὶ τὴν πρώτην μοῖραν παραγενόμενος ὁ ἥλιος τοῦ αἰγόκερω, τὴν χειμερινὴν τροπὴν ποιεῖται. ἀπὸ δὲ τροπῆς χειμερινῆς μέχρις ἰσημερίας ἐαρινῆς ἡμέραι εἰσὶ ϟ΄, η΄΄. ἐν γὰρ τοσαύταις ἡμέραις διαπορεύεται ὁ ἥλιος τὰ ἀπολειπόμενα τρία ζώδια, αἰγόκερων, ὑδροχόον, ἰχθύας. αἱ πᾶσαι οὖν ἡμέραι τούτων τῶν τεσσάρων χρόνων συντιθέμεναι ποιοῦσι τξε΄ ¼ ὅσαιπερ ἦσαν αἱ τοῦ ἐνιαυτοῦ.

Ἐπιζητεῖται οὖν ἐν τούτοις, πῶς, ἴσων ὄντων τῶν τεσσάρων μερῶν τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου, ὁ ἥλιος ἰσοταχῶς κινούμενος διὰ παντός, ἐν ἀνίσοις χρόνοις διαπορεύεται τὰς ἴσας περιφερείας. ὑπόκειται γὰρ πρὸς ὅλην τὴν * ἀστρολογίαν, ἥλιόν τε καὶ σελήνην, καὶ τοὺς πέντε πλανήτας ἰσοταχῶς, καὶ ἐγκυκλίως, καὶ ὑπεναντίως τῷ κόσμῳ κινεῖσθαι. οἱ γὰρ Πυθαγόρειοι πρῶτοι προσελθόντες ταῖς τοιαύταις ζητήσεσιν, ὑπέθεντο ἐγκυκλίους, καὶ ὁμαλὰς ἡλίου, καὶ σελήνης, καὶ τῶν ε΄ πλανητῶν ἀστέρων τὰς κινήσεις. τὴν γὰρ τοιαύτην ἀταξίαν οὐ προσεδέξαντο πρὸς τὰ θεῖα, καὶ αἰώνια· ὡς ποτὲ μὲν τάχιον κινεῖσθαι, ποτὲ δὲ βραδύτερον, ποτὲ δὲ ἑστάναι· οὓς δὴ καὶ καλοῦσι στηριγμοὺς ἐπὶ τῶν ε΄ πλανητῶν ἀστέρων. οὐδὲ γὰρ περὶ ἄνθρωπον κόσμιον, καὶ τεταγμένον ἐν

* γρ. ἀστρονομίαν.

---

3 Πάλιν ἕκαστον.] Vide librum II, ubi de inſtituta circulorum diſtributione aliis aliâ temporibus.

4 Ὁ δὲ ἥλιος ἐνιαυτῷ.] Nondum ἀσυμμετρία ἡμερῶν liquidò comperta erat, ut alibi diximus. & intelligitur iterum capite VI. de menſibus.

5 Ἐαρινὴ μὲν οὖν ἰσημερία.] Annuarum tempeſtatum exordia aliter ab aſtronomis, & ratione conſtituuntur, quàm ſenſu, popularique judicio. Nam aſtronomi per quadrantes tributo anno, cuilibet tempeſtati quadrantem ſuum aſſignant, quem τροπὴν appellat Paulus Alexandrinus. Initium fit ab arietis ingreſſu; ac ſic deinceps. Popularis uſus ex cœli mutatione tempeſtatum intervalla metitur cui & Scriptores illi ſerviunt, qui rem ruſticam & hujus generis alia pertractant; Vide caput IV. libri II.

6 Καὶ ταπεινότατος ὡς πρὸς τὸν ὁρίζοντα.] Φαινομενικῶς, & ad oculum ita Geminus loquitur. quia tunc Sol maximè dejectus, & horizonti vicinus apparet. Rectè autem addidit, ὡς πρὸς τὸν ὁρίζοντα, eo ſenſu quem diximus. Nam reverà terris vicinus non erat Sol ætate Gemini in hiberno Tropico; ſed in Sagittarii gradu quinto circiter; ubi tùm Solis erat perigeum. ut apogeum in quinto Geminorum. quod & pag. 4. Geminus indicat.

7 Οἱ δὲ μεταξὺ χρόνοι.] Eodem modo annus ab Hipparcho diſtributus eſt. Vide lib. IV. de Doctrina Temporum capite XXX. ubi de ſumma Solis apſide, cæteriſque quæ hic à Gemino tradita ſunt, copioſè diſputatur.

8 Τοῦ

ἐν τῇ τοιαύτῃ τὴν τοιαύτην ἀνωμαλίαν τῆς κινήσεως * προσεδέξαντο ἄν. αἱ γὰρ τοῦ βίου χρεῖαι τοῖς ἀνθρώποις πολλάκις αἴτιαι γίνονται βραδυτῆτος, καὶ ταχυτῆτος· περὶ δὲ τὴν ἄφθαρτον φύσιν τῶν ἀστέρων οὐδεμίαν δυνατὸν αἰτίαν προσαχθῆναι ταχυτῆτος, καὶ βραδυτῆτος. δι᾽ ἣν αἰτίαν προέτειναν οὕτω, πῶς ἂν δι᾽ ἐγκυκλίων, καὶ ὁμαλῶν κινήσεων ἀποδειχθείη τὰ φαινόμενα.

* χ. προσδέξαιτο.

Περὶ μὲν οὖν τῶν λοιπῶν ἀστέρων ἐν ἑτέροις ἀποδώσομεν τὴν αἰτίαν. νυνὶ δὲ περὶ ἡλίου ἀποδείξομεν, δι᾽ ἣν αἰτίαν ἰσοταχῶς κινούμενος, ἐν ἀνίσοις χρόνοις τὰς ἴσας περιφερείας * διαπορεύεται. ἀνωτάτω γὰρ πάντων ἐστὶν ἡ λεγομένη τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων σφαῖρα, ἡ περιέχουσα πάντων τῶν κατηστερισμένων ζῳδίων τὴν εἰδωλοποιΐαν· οὐ πάντας δὲ τοὺς ἀστέρας ὑποληπτέον ὑπὸ μίαν ἐπιφάνειαν κεῖσθαι· ἀλλ᾽ οὓς μὲν μετεωροτέρους ὑπάρχειν, οὓς δὲ ταπεινοτέρους. διὰ δὲ τὸ τὴν ὅρασιν ἐπὶ ἴσον ἐξικνεῖσθαι μῆκος, ἀνεπαίσθητος γίνεται ἡ τοῦ ὕψους διαφορά.

* χ. περιφερείας.

[g] Ὑπὸ δὲ τὴν τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων σφαῖραν κεῖται Φαίνων, ὁ τοῦ Κρόνου προσαγορευόμενος ἀστήρ. οὗτος τὸν μὲν ζῳδιακὸν κύκλον ἐν ἔτεσι λ΄ ὡς ἔγγιστα διαπορεύεται. τὸ δὲ ἓν ζῴδιον ἐν δυσὶν ἔτεσι, καὶ ἓξ μησίν. ὑπὸ δὲ τὸν Φαίνοντα κατώτερον αὐτοῦ φέρεται Φαέθων, ὁ τοῦ Διὸς προσαγορευόμενος ἀστήρ· οὗτος δὲ τὸν ζῳδιακὸν κύκλον διαπορεύεται ἐν ιβ΄ ἔτεσι· τὸ δὲ ἓν ζῴδιον ἐν ἐνιαυτῷ. ὑπὸ δὲ τοῦτον τέτακται Πυρόεις, ὁ τοῦ Ἄρεος ἀστήρ· οὗτος δὲ τὸν μὲν ζῳδιακὸν κύκλον διέρχεται ἐν δυσὶν ἔτεσι, καὶ ἑξαμήνῳ. τὸ δὲ ζῴδιον ἐν δυσὶ μησί, καὶ ἡμίσει· τὴν δὲ ἐχομένην χώραν κατέχει ὁ ἥλιος, ἐνιαυτῷ διαπορευόμενος τὸν ζῳδιακὸν κύκλον, τὸ δὲ ζῴδιον, ὡς ἔγγιστα ἐνὶ μηνί. κατώτερος δὲ τούτου κεῖται Φωσφόρος, ὁ τῆς Ἀφροδίτης ἀστήρ· οὗτος δὲ, ὡς ἔγγιστα, ἰσοταχῶς κινεῖται τῷ ἡλίῳ. * ὑπὸ τοῦτον δὲ ὁ τοῦ Ἑρμοῦ ἀστὴρ κεῖται, καὶ αὐτὸς τε ἰσοταχῶς κινεῖται τῷ ἡλίῳ. κατωτάτω δὲ πάντων φέρεται ἡ σελήνη ἐν ἡμέραις κζ΄ καὶ τρίτῳ διαπορευομένη τὸν ζῳδιακὸν κύκλον· τὸ δὲ ζῴδιον ἐν ἡμέραις β΄, καὶ τετάρτῳ μέρει τῆς μιᾶς ἡμέρας, ὡς ἔγγιστα.

* Abſunt hæc de Mercurio ab Anglic. & noſtro.

Εἰ μὲν οὖν ὁ ἥλιος ἐκινεῖτο ἐπὶ τῶν κατηστερισμένων ζῳδίων, πάντως ἂν ἐγίνοντο οἱ μεταξὺ τῶν τροπῶν, καὶ τῶν ἰσημεριῶν χρόνοι ἴσοι ἀλλήλοις. τὰς γὰρ ἴσας περιφερείας ἰσοταχῶς κινούμενος, ὤφειλεν ἐν ἴσοις διανύειν χρόνοις. ὁμοίως δὲ εἰ καὶ κατώτερον τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου φερόμενος ὁ ἥλιος περὶ τὸ αὐτὸ κέντρον ἐκινεῖτο τῷ ζῳδιακῷ κύκλῳ, καὶ οὕτως ἂν ἐγίνοντο οἱ μεταξὺ τῶν τροπῶν, καὶ τῶν ἰσημεριῶν χρόνοι ἴσοι. πάντες γὰρ οἱ περὶ τὸ αὐτὸ κέντρον * χωρούμενοι κύκλοι, ὁμοίως * ὑπὸ τῶν διαμέτρων διαιροῦνται. ὥστε ἐπεὶ ὁ ζῳδιακὸς κύκλος εἰς δ΄ μέρη ἴσα διαιρεῖται ὑπὸ τῶν διαμέτρων, τῶν τὰ τροπικὰ, καὶ ἰσημερινὰ σημεῖα ἐπιζευγνυουσῶν· ἀνάγκη καὶ τὸν ἡλιακὸν κύκλον εἰς δ΄ μέρη διαιρεῖσθαι ἴσα ὑπὸ τῶν αὐτῶν διαμέτρων. ἰσοταχῶς οὖν κινούμενος ὁ ἥλιος ἐπὶ τῆς ἰδίας περιφερείας, ἴσους ἂν ἐποίει τοὺς τῶν τεταρτημορίων χρόνους. νυνὶ δὲ κατώτερον φέρεται ὁ ἥλιος, καὶ ἐπὶ ἐκκέντρου κύκλου κινεῖται, καθάπερ ὑπογέγραπται. οὐ γὰρ τὸ αὐτὸ κέντρον ἐστὶ τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου, καὶ τοῦ ζῳδιακοῦ· ἀλλ᾽ * ἐφ᾽ ἓν μέρος παρῶσται ἡ τοῦ ἡλίου σφαῖρα. διὰ δὲ τὴν τοιαύτην θέσιν εἰς τέσσαρα μέρη ἄνισα διαιρεῖται ὁ ἡλιακὸς δρόμος. καὶ γίνεται μεγίστη μὲν περιφέρεια, ἡ ὑποπεπτωκυῖα ὑπὸ τὸ τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου τεταρτημόριον, τὸ ἀπὸ τοῦ κριοῦ α΄ μοίρας μέχρι διδύμων λ΄. ἐλαχίστη δὲ περιφέρεια ἡ κειμένη ὑπὸ τὸ τεταρτημόριον τὸ ἀπὸ ζυγοῦ, α΄ μοίρας μέχρι τοξότου μοίρας λ΄.

* χ. φερόμενοι.
* χ. ἴσοι.
* χ. ἐφ᾽ ἕν.

Ὅθεν εὐλόγως ὁ ἥλιος ἰσοταχῶς κινούμενος ἐπὶ τοῦ ἰδίου κύκλου, τὰς ἀνίσους περιφερείας ἐν ἀνίσοις χρόνοις διέρχεται· καὶ τὴν μὲν μεγίστην ἐν μεγίστῳ, τὴν δὲ ἐλαχίστην ἐν ἐλαχίστῳ χρόνῳ διαπορεύεται. ἀλλ᾽ ὅταν μὲν τὴν μεγίστην περιφέρειαν ἐπὶ τοῦ ἰδίου κύκλου διανύῃ, τότε παροδεύει τὸ τοῦ ζῳδιακοῦ τεταρτημόριον τὸ ἀπὸ ἰσημερίας ἐαρινῆς μέχρι τροπῆς θερινῆς. ὅταν δὲ τὴν ἐλαχίστην περιφέρειαν ἐπὶ τοῦ ἰδίου κύκλου κινῆται, τότε παροδεύει τοῦ ζῳδιακοῦ τὸ τεταρτημόριον, τὸ ἀπὸ ἰσημερίας φθινοπωρινῆς μέχρι τροπῆς χειμερινῆς. ἐπεὶ οὖν ἄνισοι περιφέρειαι τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου ὑπὸ ἴσας περιφερείας τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου ὑποπεπτώκασιν, ἀνάγκη ἀνίσους γίνεσθαι τοὺς ἀπὸ τῶν τροπῶν μέχρι τῶν ἰσημεριῶν χρόνους, καὶ μέγιστον μὲν τὸν ἀπὸ ἰσημερίας ἐαρινῆς μέχρι τροπῆς θερινῆς· ἐλάχιστον δὲ τὸν ἀπὸ ἰσημερίας φθινοπωρινῆς μέχρι τροπῆς χειμερινῆς. ὁ μὲν οὖν ἥλιος διὰ παντὸς ἰσο-

compoſito, & ordinato talem motûs irregularitatem in greſſibus aliquis admitteret. Nam vitæ neceſſitates ſæpè ſiunt hominibus cauſſæ tarditatis, & velocitatis. at in ipſa incorruptibili natura ſtellarum non poteſt ulla cauſſa celeritatis, & tarditatis adduci. quam ob cauſſam Pythagoræi hanc propoſuerunt quæſtionem, quomodo per circulares, & æquales motus poſſent apparentiæ ſalvari.

De reliquis igitur planetis in aliis ſcriptis cauſſam exponemus. nunc veró de ſole cauſſam oſtendemus, cur, cùm æqualiter moveatur, in temporibus inæqualibus æquales arcus zodiaci conficiat. Suprema igitur eſt omnium ea ſphæra, quæ ſtellarum fixarum dicitur, quæ in ſe continet omnium fixarum conſtellationum, ſive ſignorum effigiem. non eſt autem cogitandum, omnes ſtellas ſub eadem eſſe poſitas ſuperficie, ſed alias eſſe ſublimiores, alias humiliores. Cùm enim viſus noſter ad æqualem longitudinem à terra in cœlum ſeſe extendat: redditur inſenſibilis altitudinis differentia.

Stellæ fixæ, & ordo ſphærarum cœleſtium.

Sub ſphæra ſtellarum fixarum ponitur ſtella Saturni, Græcis φαίνων, id eſt lucens dicta. hæc ſtella zodiacum circulum in triginta annis ferè peragrat, unum verò ſignum duobus annis, & ſex menſibus. Sub Saturno, eòque inferiùs fertur Jovis ſtella, quæ Græcis φαέθων vocatur. peragrat autem Juppiter zodiacum in duodecim annis: unum veró ſignum in anno uno. Sub Jove ſita eſt ſtella Martis, Græcis πυρόεις vocata. hæc ſtella zodiacum conficit annis duobus, & ſex menſibus: unum verò ſignum duobus menſibus, & dimidio. Proximum locum obtinet ſol, uno anno zodiacum peragrans: unum autem ſignum uno feré menſe. Inferior ſole eſt Lucifer, id eſt ſtella Veneris hæc ferè æquali velocitate cum ſole movetur. Sub Venere collocatur Mercurii ſtella, quæ & ipſa ſoli eſt æqualis in motu. Infima omnium eſt Luna. quæ diebus $27\frac{1}{3}$ zodiacum percurrit, unum verò ſignum diebus duobus, & una feré quarta parte unius diei.

Saturnus.
Juppiter.
Mars.
Sol.
Venus.
Mercurius.
Luna.

Si igitur ſol moveretur ſuper conſtellatis ſignis, omninò tempora, quæ ſunt inter ſolſtitia, & æquinoctia, eſſent inter ſe æqualia. æquales enim arcus, cúm æqualiter moveretur, in temporibus æqualibus conficeret. ſimiliter ſi ſol infra zodiacum ferretur, & moveretur circa idem centrum zodiaci: tamen etiam ſic tempora, quæ ſunt inter ſolſtitia, & æquinoctia, eſſent inter ſe æqualia. omnes enim circuli, qui circa idem centrum moventur, ſimiliter à diametris dividuntur. itaque cùm zodiacus in quatuor partes æquales dividatur à diametris, quæ puncta ſolſtitialia, & æquinoctialia connectunt: neceſſarió etiam ſolaris circulus ab iiſdem diametris in quatuor partes æquales dividetur. Cùm igitur ſol ſuper propria circumferentia æqualiter moveatur, tempora quadrantum zodiaci inter ſe æqualia efficeret. At nunc inferiùs fertur ſol, & ſuper eccentrico circulo movetur: ſicut figura ſubſcripta oſtendit. non enim idem eſt centrum ſolaris circuli, & zodiaci: ſed verſus unam partem adducta eſt ſolis ſphæra. Propter talem poſitum in quatuor partes inæquales dividitur ſolaris curſus: & fit maximus arcus, qui cadit ſub quadrantem zodiaci eum, qui eſt ab arietis primo gradu uſque ad geminorum gradum triceſimum: minimus verò arcus, qui poſitus eſt ſub eo zodiaci quadrante, qui eſt à primo gradu libræ, uſque ad triceſimum gradum ſagittarii.


Unde cùm ſol ſuper proprio circulo æqualiter moveatur, idem convenienter inæquales arcus ſui circuli inæqualibus temporibus conficit, ac maximum quidem arcum maximo, minimum veró minimo tempore tranſit. at cùm maximum arcum ſui proprii circuli peragrat, tunc eum zodiaci quadrantem conficit, qui eſt inter æquinoctium vernum, & ſolſtitium æſtivum. cùm verò per minimum arcum ſui proprii circuli movetur, tunc eum zodiaci quadrantem percurrit, qui eſt inter æquinoctium autumnale, & ſolſtitium hybernum. Cúm igitur inæquales arcus ſolaris circuli ſub æquales arcus zodiaci cadant: neceſſe eſt inæqualia fieri tempora inter ſe, quæ ſunt inter ſolſtitialia, & æquinoctialia puncta: & maximum quidem id, quod eſt ab æquinoctiali puncto verno uſque ad ſolſtitiale punctum æſtivum: minimum verò id, quod eſt ab æquinoctiali puncto autumnali uſque ad ſolſtitiale punctum hybernum. Sol igitur perpetuò

g Ὑπὸ δὲ τὴν τῶν ἀπλανῶν.] Hæc Planetarum vocabula ab Ægyptiis manaſſe ſcribit Firmicus lib II, cap. II. Mercurii nomen omiſſum hic à Gemino, vel librario potiùs. Eſt autem ϛίλβων De Planetarum motibus, ſive ſphærarum, in quibus volvantur, eadem habet Philo in Libro de Cherubim, ſive Cain. cujus verba corrigenda ſunt pag. 75. edit. Græcæ. ver. οὐδ᾽ ἡ μὲν οὖν ἐξωτάτω τῶν λεγομένων ἀπλανῶν μία [illegible] Nam vulgò legitur μία, ἡ τῶν, &c. Octo quippe ſphæras ſtatuit, quarum una eſt quæ fixas continet. reliquæ ſunt ſeptem.

Pars III.

petuò movetur æqualiter: ſed propter eccentricitatem ſolaris ſphæræ temporibus inæqualibus æquales zodiaci quadrantes conficit. Propter eamdem cauſſam etiam æqualia ſigna in temporibus inæqualibus ſol peragrat. ſi enim ab extremitatibus dodecatemoriorum ad centrum zodiaci connectamus lineas rectas: quemadmodum figura ſubſcripta oſtendit, erit quidem zodiacus in duodecim partes æquales diviſus: ſolis verò circulus propter eccentricitatem in duodecim partes inæquales diviſus. ac maximus quidem arcus in ſolari circulo erit ille, qui eſt ſub geminis: minimus verò, qui eſt ſub ſagittario.

ταχῶς κινεῖται. διὰ δὲ τὴν ἐκκεντρότητα τῆς ἡλιακῆς σφαίρας ἐν ἀνίσοις χρόνοις διαπορεύεται τὰ τοῦ ζῳδιακοῦ τεταρτημόρια. διὰ δὲ τὴν ταυτὴν αἰτίαν, καὶ τὰ ἴσα ζώδια ἐν ἀνίσοις χρόνοις διαπορεύεται ὁ ἥλιος. ἐὰν γὰρ ἀπὸ τῶν περάτων τῶν δωδεκατημορίων ἐπὶ τὸ κέντρον τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου ἐπιζεύξωμεν εὐθείας, καθάπερ ὑπογέγραπται· ἔσται ὁ μὲν τῶν ζῳδίων κύκλος εἰς ιβ΄ μέρη ἴσα διῃρημένος· ὁ δὲ τοῦ ἡλίου κύκλος διὰ τὴν ἐκκεντρότητα εἰς ιβ΄ μέρη ἄνισα διῃρημένος· καὶ μεγίστη μὲν περιφέρεια ἡ ὑποπίπτουσα ὑπὸ τοὺς διδύμους· ἐλαχίστη δὲ ἡ ὑποπίπτουσα ὑπὸ τὸν τοξότην.



Propter quam cauſſam maximo tempore percurrit ſol geminos: minimo verò tempore ſagittarium, cum ipſe ſol ſemper æqualiter moveatur. ſed cùm propter eccentricitatem in partes inæquales ſolaris circulus ſecetur, contingit tempora ſignorum zodiaci inæqualia eſſe.

Δι᾽ ἣν αἰτίαν ἐν πλείστῳ μὲν χρόνῳ διαπορεύεται ὁ ἥλιος τοὺς διδύμους, ἐν ἐλαχίστῳ δὲ χρόνῳ τὸν τοξότην, αὐτὸς μὲν διὰ παντὸς ἰσοταχῶς κινούμενος, διὰ δὲ τὴν ἐκκεντρότητα εἰς ἄνισα μέρη διῃρημένου τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου, συμβαίνει καὶ τοὺς χρόνους ἀνίσους εἶναι τῶν ζῳδίων.

Ordo & ſitus ſignorum, ſeu aſpectus eorum.

Quoad ordinem autem, & ſitum, quem inter ſe duodecim ſigna habent, ſunt eorum quatuor differentiæ. eorum enim quædam diametraliter opponuntur, quædam ſecundùm triangulum diſtant, quædam ſecundùm quadratum, quædam ſecundùm combinationem, quam aliqui etiam oppoſitam combinationem vocant.

[9] Τῆς δὲ πρὸς ἄλληλα τάξεως, καὶ θέσεως τῶν ιβ΄ ζῳδίων διαφοραί εἰσι τέσσαρες. ἃ μὲν γὰρ αὐτῶν λέγεται κατὰ διάμετρον· ἃ δὲ κατὰ τρίγωνον. ἃ δὲ κατὰ τετράγωνον· ἃ δὲ κατὰ συζυγίαν, ὑπό τινων δὲ ἀντισυζυγίαν.

Diametralis aſpectus ſignorum.

Ea igitur ſigna diametraliter oppoſita dicuntur, quæ ſecundùm eamdem diametrum ſunt poſita. ſunt autem hæc, Aries, Libra, Taurus, Scorpius, Gemini, Sagittarius, Cancer, Capricornus, Leo, Aquarius, Virgo, Piſces. his autem contingit, cùm alterutrum eorum oritur, occidere id, quod eſt diametraliter oppoſitum, & contrà. hæc á nobis dicuntur de dodecatemoriis, non de ſtelliferis ſignis. Ariete enim oriente, occidit libra. Tauro verò oriente, occidit ſcorpius. eadem ratio eſt reliquorum diametraliter oppoſitorum ſignorum. accipiuntur autem diametraliter oppoſita ſigna à Chaldæis etiam ad mutuas compaſſiones in nativitatibus. videntur enim illi, qui in oppoſitis ſignis ſunt nati, ſibi invicem compati, & ut dixerit aliquis, ſibi invicem adverſari. & ſtellarum epochæ in ſignis diametraliter oppoſitis ſecundùm idem tempus & unà juvant, & unà lædunt nativitates ſecundùm traditas vires ſtellarum.

Trigonus aſpectus ſignorum.

Κατὰ διάμετρον μὲν δή εἰσι ζώδια τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν διάμετρον κείμενα. ἔστι δὲ τάδε, κριός, ζυγός, ταῦρος, σκορπίος, δίδυμοι, τοξότης, καρκῖνος, αἰγόκερως, λέων, ὑδροχόος, παρθένος, ἰχθύες. συμβέβηκε δὲ τούτοις, ὅταν τὸ ἕτερον αὐτῶν ἀνατέλλῃ, τὸ κατὰ διάμετρον δύνειν, καὶ τοὐναντίον. ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῶν δωδεκατημορίων, καὶ οὐκ ἐπὶ τῶν κατηστερισμένων ζῳδίων. κριοῦ μὲν γὰρ ἀνατέλλοντος, δύνει ζυγός. ταύρου δὲ ἀνατέλλοντος δύνει σκορπίος. ὁ δὲ αὐτὸς λόγος, καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν τῶν κατὰ διάμετρον ζῳδίων. λαμβάνεται δὲ τὰ κατὰ διάμετρον ὑπὸ τῶν Χαλδαίων, καὶ πρὸς τὰς ἐν ταῖς γενέσεσι συμπαθείας. δοκοῦσι γὰρ οἱ κατὰ διάμετρον γενόμενοι συμπάσχειν ἀλλήλοις, καὶ, ὡς ἂν εἴποι τις, ἀντιπεπόνθασιν ἀλλήλοις. καὶ τῶν ἀστέρων ἐποχαὶ ἐν τοῖς κατὰ διάμετρον ζῳδίοις κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν καὶ συνωφελοῦσι, καὶ συμβλάπτουσι τὰς γενέσεις, κατὰ τὰς παραδεδομένας δυνάμεις τῶν ἀστέρων.

Secundùm triangulum autem poſita ſigna ſunt, Aries, Leo, Sagittarius: Taurus, Virgo, Capricornus: Gemini, Libra, Aquarius: Cancer, Scorpius, Piſces. omnia trian-

Κατὰ τρίγωνον δέ ἐστι, κριός, λέων, τοξότης· ταῦρος, παρθένος, αἰγόκερως· δίδυμοι, ζυγός, ὑδροχόος· καρκῖνος, σκορπίος, ἰχθύες. τὰ πάντα τρίγωνα ἰσό-
πλευρα

9 Τῆς δὲ πρὸς ἄλληλα τάξεως.] Quatuor habitudines, ſive conſpectus Signorum capiunt, qui vim aliquam in γενεθλιαλογίᾳ genethliacorum ſortito putantur. Primus eſt κατὰ διάμετρον, quæ ſex ſigna ſubtendit. ut Aries, & libra. II κατὰ τρίγωνον; cujus latus quatuor ſigna ſubtendit. ut Aries, Leo, Sagittarius trigonum efficiunt. Tertius eſt κατὰ τετράγωνον, quadrantalis; cujus latus gradibus 90, ſignis tribus ſubtenditur. Sic Aries, Cancer, Libra, Capricornus quadrangulum faciunt. Quartus eſt κατὰ συζυγίαν, atque hic duorum Signorum eſt, quæ à punctis tropicis ex æquo removentur. ut Cancer, & Gemini Capricornus, Sagittarius quæ ſunt βλέποντα Ptolemæi, & antiſcia Julii Firmici. de quibus h bes lib. II. ad Auctarium cap. VII Hoc genus ſeparatim à primis quatuor ab illis ponitur. Nam is propriè σχηματισμὸς non eſt. hoc eſt figuram in circulo integram non facit; cùm uno tantummodò latere conſtet, quod uni ſigno, vel tribus, vel quinque ſubtenditur. Habent tamen λόγον, nec ſunt ἀσύνδετα Signa, quæ ſe hoc modo reſpiciunt. ut auctor eſt Ptolem. lib. I. Tetrab. Sed ſchematiſmus non eſt. Pro eo Mathematici τὸ κατὰ ἑξάγωνον σχῆμα ſubſtituunt. cujus latus ſignis duobus, & gradibus ſexaginta ſubtenditur. Vide p æter citatos auctores, Manilium, & Paulum Alexandrinum. Κατὰ συζυγίαν ſigna ſunt, quæ ex eodem loco oriuntur, & in eodem occidunt: ita tamen ut contrarii motu eorum, ut termini procedant. Vide caput citatum V. libri II.

Portò ſchema illud, quod è manuſcripto codice repræſentavimus, ſolos è diametro, & κατὰ τρίγωνον aſpectus exhibet: quadrantales, & hexagonos non continet. Ideo nos alterum hoc loco ſubjecimus, in quo ſchematiſmi quatuor apparent.

10 Οἱ

πλευρὰ τέτταρα. ὑποτείνει δὲ ἡ τοῦ τριγώνου πλευρὰ ὑπὸ ζῴδια μὲν τέτταρα, μοίρας δὲ ρκ΄.

Καλεῖται δὲ τὸ μὲν πρῶτον τρίγωνον τὸ ἀπὸ κριοῦ βόρειον. ἐὰν γὰρ τῆς σελήνης ἔν τινι τῶν τριῶν ζῳδίων ὑπαρχούσης, βορέας πνεύσῃ, ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἡ αὐτὴ διαμένει στάσις. ὅθεν ἀπὸ ταύτης τῆς παρατηρήσεως ὁρμηθέντες οἱ ἀστρολόγοι προλέγουσι τὰς βορείας στάσεις. ἐὰν μὲν γὰρ ἐν ἄλλῳ ζῳδίῳ τῆς σελήνης ὑπαρχούσης, βορεινὴ γένηται στάσις, εὐδιάλυτος γίνεται ὁ βορέας. ἐὰν δὲ ἔν τινι τῶν ἀφωρισμένων ζῳδίων ἐν τῷ βορεινῷ τριγώνῳ βορέας συμπνεύσῃ, προλέγουσιν ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας διαμένειν τὴν αὐτὴν στάσιν. τὸ δὲ ἑξῆς τρίγωνον τὸ ἀπὸ τοῦ ταύρου, καλεῖται νότιον. πάλιν γὰρ ἐὰν, τῆς σελήνης ἔν τινι τῶν τριῶν ζῳδίων ὑπαρχούσης, νότος πνεύσῃ, ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἡ αὐτὴ διαμένει στάσις. τὸ δὲ ἑξῆς τρίγωνον τὸ ἀπὸ τῶν διδύμων, καλεῖται ζεφυρικὸν διὰ τὴν ὁμοίαν αἰτίαν. τὸ δὲ ἐπὶ πᾶσι τρίγωνον τὸ ἀπὸ καρκίνου, ἀφηλιωτικὸν, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν.

Λαμβάνεται δὲ τὰ τρίγωνα καὶ πρὸς τὰς ἐν ταῖς γενέσεσι συμπαθείας. δοκοῦσι γὰρ οἱ κατὰ τρίγωνον γεννώμενοι συμπαθεῖν ἀλλήλοις, καὶ αἱ τῶν ἀστέρων στάσεις αἱ ἐν τοῖς αὐτοῖς τριγώνοις, καὶ συνωφελεῖν, καὶ συμβλάπτειν ἅμα τὰς γενέσεις. κατὰ γὰρ τρεῖς τρόπους αἱ συμπάθειαι γίνονται, κατὰ διάμετρον, κατὰ τρίγωνον, κατὰ τετράγωνον. κατ' ἄλλην δὲ διάστασιν οὐδεμία συμπάθεια γίνεται. καίτοι εὔλογον ἦν, ἐκ τῶν μάλιστα σύνεγγυς συγκειμένων ζῳδίων συμπάθειαν γίνεσθαι. ἡ γὰρ ἀποφορὰ καὶ ἀπόρροια ἡ φερομένη ἀπὸ τῆς ἰδίας δυνάμεως ἑκάστου τῶν ἀστέρων, ὤφελε μάλιστα συναναχρωτίζεσθαι, καὶ συνανακιρνᾶσθαι τοῖς πλησιάζουσι ζῳδίοις. ὥσπερ γὰρ τὰ τρίγωνα, καὶ τετράγωνα ἐγγράφεται εἰς τὸν κύκλον· οὕτω καὶ ἑξάγωνον, καὶ ὀκτάγωνον, καὶ δωδεκάγωνον. ἀλλὰ κατὰ μὲν τὰς τούτων ἐγγραφὰς οὐδεμία γίνεται συμπάθεια· κατὰ δὲ τοὺς προειρημένους τρόπους μόνον, φυσικῆς τινὸς ὑπαρχούσης ἐν ταῖς τοιαύταις ἀποστάσεσι συμπαθείας.

Κατὰ τετράγωνον δέ ἐστι, κριὸς, καρκῖνος, ζυγὸς, αἰγόκερως· ταῦρος, λέων, σκορπίος, ὑδροχόος· δίδυμοι, παρθένος, τοξότης, ἰχθύες. τὰ πάντα τετράγωνα τρία. ὑποτείνει δὲ ἡ τοῦ τετραγώνου πλευρὰ ὑπὸ ζῴδια μὲν τρία, μοίρας δὲ ϟ΄. Καλεῖται μὲν τὸ πρῶτον τετράγωνον τὸ ἀπὸ τοῦ κριοῦ, ἐν ᾧ αἱ ὧραι ἄρχονται, ἔαρ, θέρος, φθινόπωρον, χειμών. τὸ δεύτερον τετράγωνον τὸ ἀπὸ τοῦ ταύρου, ἐν ᾧ αἱ ὧραι τὸν μέσον ἔχουσι χρόνον, ἔαρος, θέρους, φθινοπώρου, χειμῶνος. τὸ δὲ τρίτον τετράγωνον τὸ ἀπὸ τῶν διδύμων, ἐν ᾧ αἱ ὧραι λήγουσι κατὰ τοὺς χρόνους. λαμβάνεται δὲ τὸ * τετράγωνον ἓν, καθάπερ εἴρηται, καὶ πρὸς τὰς ἐν ταῖς γενέσεσι συμπαθείας.

* χ Πτο- [illegible]

gula æquilatera ſunt quatuor: ſubtendit autem trianguli latus ſigna quatuor, gradus 120.

Vocatur autem primum triangulum boreale. ſi enim lunâ in uno trium ſignorum primi trianguli poſitâ, ventus boreas ſpiraverit: per dies multos eadem permanet conſtitutio. unde Aſtrologi, cùm ab hac obſervatione initium habeant, boreæ conſtitutiones prædicunt. nam ſi in alio quodam ſigno luna conſtituta, exſtiterit conſtitutio borealis, facilè boreas diſſolvitur. at ſi unà ſpiraverit boreas in uno eorum ſignorum, quæ in boreali triangulo continentur: prædicunt per dies multos eamdem permanere conſtitutionem. Proximum triangulum, quod à tauro incipit, nominatur auſtrale. contrà enim, ſi in uno horum trium ſignorum luna conſtituta, auſter flaverit: per dies multos eadem permanet conſtitutio. Proximum triangulum, quod à Geminis inchoatur, vocatur zephyricum ſimilem ob cauſſam. Poſtremum triangulum, quod à Cancro initium habet, dicitur ſubſolanum propter eamdem cauſſam.


Triangulum boreale.
Triangulum auſtrale.
Triangulum zephyricum.
Triangulum ſubſolanum, ſeu apheliοticum.

Uſurpantur autem etiam hæc triangula ad inveniendas compaſſiones, quæ in nativitatibus ſpectantur. videntur enim, qui ſecundùm idem triangulum naſcuntur, ſibi invicem compati: & ſtellarum conſtitutiones, quæ ſunt in iiſdem triangulis, ſimul & adjuvare & lædere nativitates. nam compaſſiones fiunt tribus modis, ſecundùm diametrum, ſecundùm triangulum, ſecundùm quadratum. ſed ſecundùm aliam diſtantiam nulla fit compaſſio. atqui conſentaneum erat, ut ex ſignis maximè vicinis compaſſio fieret. delatio enim, & defluxus, qui fertur à propria vi ſingularum ſtellarum, debebat maximè concorporari, & commiſceri cum vicinis ſignis. Ut enim triangula, & quadrata inſcribuntur circulo: ſic etiam hexagonum, & octagonum, & dodecagonum. at ſecundùm horum inſcriptiones nulla fit compaſſio. tantum ea fit ſecundùm prædictos modos, cùm in hujuſmodi diſtantiis naturalis quædam ſit compaſſio.

Uſus triangulorum in nativitatibus.

Secundùm quadratum poſita ſigna ſunt hæc: Aries, Cancer, Libra, Capricornus: Taurus, Leo, Scorpius, Aquarius: Gemini, Virgo, Sagittarius, Piſces. omnia quadrata ſunt tria: ſubtendit autem latus quadrati ſigna tria, gradus 90. Vocatur primum quadratum, quadratum ab Ariete inceptum, in quo horæ ſeu quatuor partes anni incipiunt, ver, æſtas, autumnus, hyems. Secundum quadratum nominatur quadratum à Tauro inchoatum, in quo horæ habent medium tempus veris, æſtatis, autumni, hyemis. Tertium quadratum dicitur quadratum à Geminis inceptum, in quo horæ ſecundùm tempora deſinunt. Uſurpatur autem unum idémque quadratum, ut dictum eſt, etiam ad inveniendas compaſſiones, quæ in nativitatibus ſpectantur.

Quadratus aſpectus ſignorum.
Numerus quadratorum.
Quadratum ab Ariete inceptum.
Quadratum à Tauro inceptum.
Quadratum à Geminis inceptum.
Uſus quadratorum.



Præterea

Præterea quadratorum doctrina etiam ad alium quemdam uſum à quibuſdam accipitur. nam uno eorumdem ſignorum, quæ ſunt in eodem quadrato, occidente, proximum putabant tenere medium cœli in ſuperiore hemiſphærio. ut capricorno occidente, tenere medium cœli arietem, oriri cancrum, tenere imum cœli libram. eadem eſt ratio in reliquis quadratis. Hoc præceptum cùm integrè dicitur, tantum in uno quadrato, quod in ſe continet puncta ſolſtitialia, & æquinoctialis, congruet cum eo quod apparet: at diſſentit ſi totum hoc quadratum ſubtiliter conſideretur. Capricorni enim primo gradu occidente, arietis primus gradus medium cœli tenebit: cancer ſuo primo gradu orietur: libra verò ſuo primo gradu imum cœli occupabit. tunc enim ecliptica in quatuor partes æquales dividitur à coluris circulis: ut intervallum zodiaci, quod eſt à medio cœli ad ortum, ſit æquale intervallo zodiaci, quod eſt à medio cœli ad occaſum. utrumque enim horum intervallorum tria continet ſigna. at in reliquis ſtatibus hujus quadrati, & aliorum quadratorum non contingit in quatuor partes æquales zodiacum circulum dividi. ac propterea intervallum à medio cœli ad ortum non ſemper eſt æquale intervallo à medio cœli ad occaſum, cùm hæc intervalla, ſeu arcus, in zodiaco ſumuntur. at ſi hæc intervalla in parallelo aliquo circulo ſumuntur, ſemper id quod eſt à medio cœli ad ortum eſt æquale ei, quod eſt à medio cœli ad occaſum unde fit, ut cum ſol quotidie in parallelis circulis feratur, habeat curſum, qui eſt ab ortu ad medium cœli, æqualem ei curſui, qui eſt à medio cœli uſque ad occaſum. Cùm verò in zodiaco hæc intervalla ſumuntur, contingit ut id intervallum, quod eſt à medio cœli ad ortum, ſit inæquale ei intervallo, quod eſt à medio cœli ad occaſum, idque propter obliquitatem zodiaci, ac interdum ex illis ſex ſignis, quæ ſemper ſunt ſupra horizontem, tria, & dimidium à medio cœli verſus ortum intercipiuntur: duo & dimidium verſus occaſum.

Jam propter climatum differentias etiam in partes magis inæquales dividitur zodiacus à meridiano, & interdum de 180. gradibus, qui ſemper ſunt ſupra horizontem, 120. gradus à medio cœli verſus ortum intercipiuntur: 60. verò gradus verſus occaſum, & contrà. Cùm igitur in diviſione zodiaci talis ſit varietas: omnino manifeſtum fit erratum. cùm enim aquarius oritur, non tenet medium cœli taurus, ſed toto ſigno à medio cœli aberit interdum etiam longiùs. neque imum cœli habebit ſcorpius: ſed idem à meridiano integro ſigno diſtabit, interdum etiam longiùs. itaque hæc ſecundum quoſdam quadratorum doctrina omnino eſt falſa.

Combinatio ſignorum, quæ eſt quarta differentia in ordine, & ſitu.

Secundùm combinationem poſita ſigna ea dicuntur, quæ ex eodem loco oriuntur, & in eumdem locum occidunt. hæc autem ſunt, quæ inter eoſdem ſita ſunt parallelos circulos. Veteres quidem combinationes ſignorum ſic exponebant: cancrum docuerunt nullam habere combinationem cum alio ſigno: ſed & oriri maximè borealem, & occidere maximè borealem, cùm in tali aliquo argumento probabili acquieſcerent. Cum enim æſtiva ſolſtitia fiant in cancro, & in æſtivis ſolſtitiis ſol maxime borealis fiat: ob hoc putarunt maximè borealem oriri cancrum, ſimiliter & occidere. eadem autem ratio eſt etiam in capricorno. Etenim hunc putabant maximè auſtralem oriri, & cum nullo alio ſigno combinationem habere. Cùm enim hyberna ſolſtitia fiant in capricorno, in ſolſtitiis verò hybernis maximè auſtralis ſol fiat: ob hoc putabant maximè auſtralem oriri capricornum, & nullum aliud ſignum ex eodem loco oriri, & in eumdem locum occidere cum capricorno. Reliquas combinationes ſic exponebant, attribuentes geminis leonem: tauro virginem: arieti libram: piſcibus ſcorpium: aquario ſagittarium. at talem expoſitionem omnino eſſe erroneam contingit. neque enim in toto cancro ſolſtitia fiunt: ſed eſt unum quoddam ſignum ratione percipiendum, in quo ſol poſitus ſolſtitium efficit. In momento enim temporis converſiones, ſive ſolſtitia fiunt. at totum ſignum cancri poſitione ſimile eſt geminis, & utrumque eorum æqualiter diſtat ab æſtivo puncto ſolſtitiali: ob quam cauſſam etiam magnitudines dierum, & noctium æquales ſunt in geminis, & in cancro: & in inſtrumentis horariis lineæ à gnomonibus deſcriptæ æqualiter diſtant ab æſtivo puncto ſolſtitiali, cùm in cancro, tum in geminis nam ad æſtivum hoc punctum æqualem ſitum habent hæc duo ſigna. unde etiam inter eoſdem

Ἔτι δὲ ἡ τῶν τετραγώνων ἔκθεσις, καὶ πρός τινα ἄλλην χρείαν λαμβάνεται ὑπό τινων. τοῦ γὰρ ἑνὸς αὐτῶν ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ τετραγώνου δύνοντος, τὸ ἑξῆς ὑπολαμβάνουσι μεσουρανεῖν ἐν τῷ ὑπὲρ γῆν ἡμισφαιρίῳ. οἷον αἰγόκερω δύνοντος, μεσουρανεῖν κριόν, ἀνατέλλειν δὲ καρκίνον, καὶ μεσουρανεῖν δὲ ὑπὸ γῆν ζυγόν. ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν τετραγώνων ἐστί. τὸ δὲ τοιοῦτον παράγγελμα ἐπὶ μὲν τοῦ ἑνὸς τετραγώνου, τοῦ τὰς τροπὰς καὶ τὰς ἰσημερίας περιέχοντος, καὶ τὸ ὁλοσχερὲς λεγόμενον συμφωνεῖ πρὸς τὸ φαινόμενον· πρὸς δὲ τὴν ἐν τῷ ὅλῳ ἀκρίβειαν διαφωνεῖ. αἰγόκερω γὰρ τῆς πρώτης μοίρας δυνούσης, κριοῦ πρώτη μοῖρα μεσουρανεῖ· καρκίνου δὲ πρώτη μοῖρα ἀνατέλλει· ζυγοῦ δὲ πρώτη μοῖρα ὑπὸ γῆν μεσουρανεῖ. τότε γὰρ ὁ διὰ μέσων τῶν ζῳδίων κύκλος εἰς τέσσαρα μέρη ἴσα διαιρεῖται ὑπὸ τῶν κολούρων κύκλων· ὥστε ἴσα εἶναι τὰ ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως πρὸς ἀνατολὴν καὶ δύσιν, τοῦ ζῳδιακοῦ διαστήματα· ἑκάτερον γὰρ αὐτῶν γίνεται ζῳδίων τριῶν. ἐν δὲ ταῖς λοιπαῖς θέσεσι τοῦ τετραγώνου τούτου, καὶ τῶν λοιπῶν, οὐ συμβαίνει εἰς δ' μέρη ἴσα διαιρεῖσθαι τὸν ζῳδιακὸν κύκλον. διὰ δὲ τοῦτο οὐκ ἐστὶ διὰ παντὸς ἴσον τὸ ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως πρὸς ἀνατολὴν καὶ δύσιν διάστημα, ἐπὶ τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου λαμβανομένων τῶν διαστημάτων. ἐπὶ μὲν γὰρ παραλλήλου κύκλου ἴσον ἐστὶ διὰ παντὸς τὸ ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως πρὸς ἀνατολὴν, καὶ πρὸς τὴν δύσιν διάστημα. ὅθεν καὶ τῷ ἡλίῳ φερομένῳ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπὶ κύκλου παραλλήλου, ἴσον εἶναι συμβαίνει τὸν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς μέχρι τῆς μεσουρανήσεως δρόμον τῷ ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως μέχρι δύσεως. ἐπὶ δὲ τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου λαμβανομένων τῶν διαστημάτων, ἄνισον εἶναι συμβέβηκε τὸ ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως μέχρι τῆς ἀνατολῆς διάστημα τῷ ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως μέχρι τῆς δύσεως, διὰ τὴν λοξότητα τοῦ ζῳδιακοῦ. καὶ ἔστιν ὅτε τῶν ἓξ ζῳδίων τῶν διὰ παντὸς ὑπὲρ γῆν ὄντων τρία μὲν, καὶ ἥμισυ ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως πρὸς ἀνατολὴν ἀπολαμβάνεται· δύο δὲ καὶ ἥμισυ πρὸς δύσιν.

Ἤδη δὲ καὶ διὰ τὰς τῶν κλιμάτων διαφορὰς, καὶ εἰς ἀνισώτερα μέρη διαιρεῖται ὑπὸ τοῦ μεσημβρινοῦ κύκλου. καὶ ἔστιν ὅτε τῶν ρπ' μοιρῶν τῶν διὰ παντὸς ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα ὑπαρχουσῶν, ρ' μὲν καὶ κ' μοῖραι ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως πρὸς ἀνατολὴν ἀπολαμβάνονται, ξ' δὲ πρὸς δύσιν, καὶ τοὐναντίον. τοιαύτης οὖν οὔσης τῆς παραλλαγῆς ἐν τῇ διαιρέσει τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου, ἔκδηλον ὁλοσχερῶς γίνεται τὸ ἁμάρτημα. ὑδροχόου γὰρ ἀνατέλλοντος, οὐ μεσουρανεῖ ταῦρος, ἀλλ' ἀφέξει ζῴδιον ὅλον ἀπὸ τῆς μεσουρανήσεως· ἔστι δὲ ὅτε καὶ πλεῖον. οὐδὲ ὑπὸ γῆν μεσουρανήσει σκορπίος, ἀλλὰ ζῴδιον ὅλον ἀφέξει ἀπὸ τοῦ μεσημβρινοῦ· ἔστι δὲ ὅτε καὶ πλεῖον. ὥστε καθόλου τὴν τῶν τετραγώνων ἔκθεσιν διημαρτῆσθαι.

Κατὰ συζυγίαν δὲ λέγεται ζῴδια, τὰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ἀνατέλλοντα, καὶ εἰς τὸν αὐτὸν τόπον δύνοντα. ταῦτα δέ ἐστι τὰ ὑπὸ τῶν αὐτῶν παραλλήλων * παραλαμβανόμενα κύκλων. [10] οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τὰς συζυγίας ἀπεφαίνοντο οὕτως· καρκίνον μὲν ἐξετίθεντο μηδεμίαν ἔχειν συζυγίαν πρὸς ἄλλο ζῴδιον· ἀλλὰ καὶ ἀνατέλλειν βορειότατον, καὶ δύνειν βορειότατον, τοιούτῳ τινὶ πιθανῷ παραπεπεισμένοι. ἐπεὶ γὰρ αἱ θεριναὶ τροπαὶ γίνονται ἐν καρκίνῳ· ἐν δὲ ταῖς θεριναῖς τροπαῖς βορειότατος γίνεται ὁ ἥλιος, διὰ τοῦτο ὑπέλαβον βορειότατον ἀνατέλλειν τὸν καρκίνον· ὁμοίως δὲ καὶ δύνειν. ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τοῦ αἰγόκερω. καὶ γὰρ τοῦτον ὑπολαμβάνουσι νοτιώτατον ἀνατέλλειν, καὶ πρὸς μηδὲν ἕτερον ζῴδιον συζυγίαν ἔχειν. ἐπεὶ γὰρ αἱ τροπαὶ χειμεριναὶ γίνονται ἐν αἰγόκερῳ· ἐν δὲ ταῖς χειμεριναῖς τροπαῖς νοτιώτατος γίνεται ὁ ἥλιος, διὰ τοῦτο ὑπελάμβανον νοτιώτατον ἀνατέλλειν τὸν αἰγόκερων, καὶ μηδὲν ἄλλο ζῴδιον ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ἀνατέλλειν, καὶ δύνειν αἰγόκερῳ. τὰς δὲ λοιπὰς συζυγίας ἐξετίθεντο οὕτως· διδύμοις λέοντα· ταύρῳ παρθένον· κριῷ ζυγόν· ἰχθύσι σκορπίον· ὑδροχόῳ τοξότην. τὴν δὲ τοιαύτην ἔκθεσιν παντελῶς διημαρτημένην εἶναι συμβέβηκεν. οὐ γὰρ ἐν ὅλῳ τῷ καρκίνῳ τροπὴ γίνεται. ἀλλ' ἔστιν ἕν τι σημεῖον λόγῳ θεωρητὸν, ἐφ' οὗ γενόμενος ὁ ἥλιος τὴν τροπὴν ποιεῖται. ἐν γὰρ στιγμιαίῳ χρόνῳ αἱ τροπαὶ γίνονται. τὸ δὲ ὅλον δωδεκατημόριον τοῦ καρκίνου ὁμοίως κεῖται τοῖς διδύμοις, καὶ ἑκάτερον αὐτῶν ἴσον ἀπέχει ἀπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ σημείου. δι' ἣν αἰτίαν καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν, καὶ νυκτῶν ἴσα ἐστὶν ἐν διδύμοις, καὶ ἐν καρκίνῳ· καὶ ἐν τοῖς ὡροσκοπίοις αἱ ὑπὸ τῶν γνωμόνων γραφόμεναι γραμμαὶ ἴσον ἀπέχουσι τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ * σημείου καὶ ἐν καρκίνῳ καὶ ἐν διδύμοις. ἐξ ἴσου γὰρ κεῖται πρὸς τὸ θερινὸν σημεῖον τὰ δύο δωδεκατημόρια. ὅθεν καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν παραλλήλων ἐμπεριλαμβάνεται κύκλων,

* f. ἀπολαμβ.

* Abeſt vox σημείου à veteribus.

10 Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι] Hanc totam Gemini diſputationem illuſtramus lib. II, cap. VII, ubi veterum rationem adverſus Geminum defendimus.

Βόρεια

κύκλων, διὰ τοῦτο ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ἀνατέλλουσι, δίδυμοι, καρκῖνος, ὁμοίως τε δύνουσιν εἰς τὸν αὐτὸν τόπον.

Ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τοῦ αἰγόκερω. οὔτε γὰρ οὗτός ἐστι νοτιώτατος· ἀλλ' ἕν τι σημεῖον λόγῳ θεωρητόν· ὃ κοινόν ἐστι τοῦ τε τοῦ τοξότου τελευτῆς, καὶ τοῦ τοῦ αἰγόκερω ἀρχῆς. διὸ ἐξ ἴσου κεῖται τῷ τοξότῃ, καὶ τὴν αὐτὴν ἀπόστασιν ἔχει ἀπὸ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ σημείου. ὅθεν καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν, καὶ τῶν νυκτῶν τὰ αὐτά ἐστιν ἐν τῷ τοξότῃ, καὶ ἐν τῷ αἰγόκερῳ, καὶ τὸ ἄκρον τοῦ γνώμονος ἐν τοῖς ὡρολογίοις τὰς αὐτὰς γράφει γραμμάς, καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν παραλλήλων ἐμπεριλαμβάνεται κύκλων τὰ δύο δωδεκατημόρια, τοῦ τοξότου τε, καὶ αἰγόκερω. καὶ διὰ τοῦτο ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ἀνατέλλει, καὶ εἰς τὸν αὐτὸν τόπον δύει ὁ τοξότης, καὶ αἰγόκερως.

Ὁμοίως δὲ καὶ τὰς λοιπὰς συζυγίας διημαρτημένας εἶναι συμβέβηκεν. ἐκδηλότατον δὲ γίνεται ἁμάρτημα περὶ τὴν συζυγίαν τοῦ κριοῦ. ἀποφαίνονται γὰρ κατὰ συζυγίαν κριὸν, ζυγὸν εἶναι, τούτων τῶν ζωδίων ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ἀνατελλόντων, καὶ εἰς τὸν αὐτὸν τόπον δυνόντων. ἀλλ' ὁ μὲν κριὸς βόρειος ἀνατέλλει, καὶ δύνει. ἀπὸ τοῦ γὰρ ἰσημερινοῦ κύκλου πρὸς ἄρκτους κεῖται. ὁ δὲ ζυγὸς νότιος ἀνατέλλει· ἐκ γὰρ τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου πρὸς μεσημβρίαν κεῖται. πῶς οὖν δύναται κριὸς ζυγῷ κατὰ συζυγίαν εἶναι, ἐκ διαφόρων γὰρ τόπων ἀνατέλλουσι, ὁμοίως δὲ καὶ δύνουσιν. οὐ δύναται δὲ ταῦτα τὰ ζώδια ὑπὸ τῶν αὐτῶν παραλλήλων περιέχεσθαι κύκλων. ὁμοίως δὲ οὐδὲ αἱ λοιπαὶ συζυγίαι συμφωνοῦσιν. ἠγνοήκασιν οὖν τὰ περὶ τὰς πρώτας μοίρας συμβεβηκότα τοῖς κατὰ συζυγίας ζωδίοις περὶ ὅλα τὰ ζώδια ἐκθέμενοι. πολὺ γὰρ μᾶλλον ἔδει τὰ * ὅλοις τοῖς δωδεκατημορίοις συμβεβηκότα εἰς ἀναγραφὴν, καὶ παραγγέλματα ἀγαγεῖν.

* γρ. ὅλα

Εἰσὶν οὖν κατ' ἀλήθειαν συζυγίαι ἕξ, δίδυμοι καρκίνῳ· ταῦρος λέοντι· κριὸς παρθένῳ· ἰχθύες ζυγῷ· ὑδροχόος σκορπίῳ· αἰγόκερως τοξότῃ· ταῦτα γὰρ καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ἀνατέλλει, καὶ εἰς τὸν αὐτὸν τόπον δύει, καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἐμπεριλαμβάνεται παραλλήλων κύκλων, καὶ ἐξ ἴσου κεῖται πρὸς τὰ τροπικὰ σημεῖα. ἐν τούτοις γὰρ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν, καὶ τῶν νυκτῶν ἴσα, καὶ τὰ ἄκρα τῶν γνωμόνων ἐν τοῖς ὡρολογίοις τὰς αὐτὰς γράφει γραμμάς.

circulos parallelos ſunt ſita: & ob hoc ex eodem loco oriuntur gemini, cancer, ſimiliter & occidunt in eumdem locum.

Eadem eſt ratio etiam in capricorno. neque enim hic eſt maxime auſtralis, ſed unum aliquod punctum ratione percipiendum, quod commune eſt & fini ſagittarii, & principio capricorni: quam ob cauſſam ſimilem ſitum habet cum ſagittario, & eamdem habet diſtantiam ab hyberno puncto ſolſtitiali. unde etiam magnitudines dierum, & noctium eædem ſunt in ſagittario, & capricorno: & extremitas gnomonis in inſtrumentis horariis eaſdem deſcribit lineas, & inter eoſdem parallelos circulos ſita ſunt hæc duo dodecatemoria cùm ſagittarii, tum capricorni: atque ob hoc ex eodem loco oriuntur, & in eumdem locum occidunt ſagittarius, & capricornus.

Similiter verò & reliquas combinationes erroneas eſſe contingit. manifeſtiſſimus enim fit error in combinatione arietis. Affirmant enim combinationem inter ſe habere arietem, & libram, quaſi hæc ſigna ex eodem loco oriantur, & in eumdem locum occidant. Atqui aries quidem borealis oritur, & occidit, nam ab æquinoctiali verſus boream ſitus eſt. libra verò auſtralis oritur, & occidit. ab æquinoctiali enim verſus meridiem eſt ſita. quomodo igitur aries cum libra poteſt habere combinationem? hæc enim ſigna ea diverſis locis oriuntur, & ſimiliter in diverſa loca occidunt. nec poſſunt hæc ſigna ab iiſdem parallelis comprehendi. Similiter neque reliquæ combinationes benè ſe habent. non enim animadverterunt veteres, ſe ea, quæ tantùm circa primas partes eorum ſignis combinatoriis contigerunt, totis ſignis tribuere. multò enim magis oportuiſſet ea, quæ totis ſignis acciderunt, ad doctrinam, & præcepta referre.

Sunt igitur ſecundùm veritatem ſex combinationes: gemini, cancro: taurus, leoni: aries, virgini: piſces, libræ: aquarius, ſcorpio: capricornus, ſagittario. hæc enim & ex eodem loco oriuntur, & in eumdem locum occidunt, & ab iiſdem parallelis comprehenduntur: & ſimilem ſitum habent ad ſolſtitialia puncta. in his enim & magnitudines dierum, & noctium æquales ſunt, & extremitates gnomonum in inſtrumentis horariis eaſdem lineas deſcribunt.

Veræ combinationes ſignorum.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ β'.

Περὶ τῶν * κατηστερισμένων ζωδίων.

* γρ. κατεστερισμένων.

ΤΑ κατηστερισμένα ἄστρα διαιρεῖται εἰς μέρη τρία. ἃ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐπὶ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου κεῖται· ἃ δὲ λέγεται βόρεια· ἃ δὲ προσαγορεύεται νότια.

Τὰ μὲν οὖν ἐπὶ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου κείμενά ἐστι τὰ δώδεκα ζώδια, ὧν τὰς ὀνομασίας προειρήκαμεν. καὶ ἐν τοῖς δώδεκα ζωδίοις τινὲς ἀστέρες, διὰ τὰς ἐπ' αὐτοῖς γινομένας ἐπισημασίας, ἰδίας προσηγορίας ἠξιωμένοι εἰσίν. οἱ μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ ταύρου ἐπὶ τοῦ νώτου αὐτοῦ κείμενοι ἀστέρες τὸν ἀριθμὸν ἕξ, καλοῦνται πλειάδες.

Οἱ δὲ ἐπὶ τοῦ μετώπου τοῦ ταύρου κείμενοι ἀστέρες, τὸν ἀριθμὸν πέντε, καλοῦνται ὑάδες· ὁ δὲ προηγούμενος τῶν ποδῶν τῶν διδύμων ἀστήρ, προσαγορεύεται πρόπους. οἱ δὲ ἐν τῷ καρκίνῳ νεφελοειδεῖ συστροφῇ ἐοικότες καλοῦνται φάτνη. οἱ δὲ πλησίον αὐτῆς δύο ἀστέρες κείμενοι, ὄνοι προσαγορεύονται. ὁ δὲ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ λέοντος κείμενος ἀστὴρ λαμπρός, ὁμωνύμως τῷ τόπῳ, ἐφ' ᾧ κεῖται, καρδία λέοντος προσαγορεύεται, ὑπὸ δέ τινων βασιλίσκος καλεῖται· ὅτι δοκοῦσιν οἱ περὶ τὸν τόπον τοῦτον γεννώμενοι βασιλικὸν ἔχειν τὸ γενέθλιον.

Ὁ δὲ ἐν ἄκρῳ τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τῆς παρθένου κείμενος λαμπρὸς ἀστήρ, στάχυς προσαγορεύεται. ὁ δὲ κατὰ τὴν δεξιὰν τῆς παρθένου πτέρυγα κείμενος ἀστερίσκος προτρυγητὴρ ὀνομάζεται. οἱ δὲ ἐν ἄκρᾳ τῇ δεξιᾷ χειρὶ κείμενοι τοῦ ὑδροχόου τέσσαρες ἀστέρες κάλπις καλοῦνται.

Οἱ δὲ ἀπὸ τῶν ἐσχάτων μερῶν τῶν ἰχθύων κατὰ τὸ ἑξῆς κείμενοι ἀστέρες, λίνοι προσαγορεύονται. εἰσὶ δὲ ἐν μὲν τῷ νοτίῳ λίνῳ ἀστέρες ἐννέα. ἐν δὲ τῷ βορείῳ λίνῳ ἀστέρες πέντε. ὁ δὲ ἐν ἄκρῳ τῷ λίνῳ κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ σύνδεσμος προσαγορεύεται.

[11] Βόρεια δέ ἐστιν, ὅσα τοῦ τῶν ζωδίων κύκλου πρὸς ἄρκτους κεῖται. ἔστι δὲ τάδε. ἡ μεγάλη ἄρκτος· ἡ μικρὰ ἄρκτος· δράκων ὁ διὰ τῶν ἄρκτων· ἀρκτοφύλαξ· στέφανος· ἐν γόνασιν· ὀφιοῦχος. ὄφις· λύρα· ὄρνις· οἰστός· ἀετός·

CAPUT II.

De ſignis, quæ ſtellis ſunt inſignita, ſeu de conſtellationibus

COnſtellata aſtra in tres partes dividuntur. eorum enim quædam in zodiaco circulo ſunt ſita: quædam dicuntur borealia: quædam vocantur auſtralia.

Quæ igitur in zodiaco ponuntur, ea ſunt duodecim ſigna, quorum appellationes antea diximus. in duodecim autem ſignis quædam ſtellæ dignæ habitæ ſunt propriis appellationibus, idque propter ſignificationes, quas habent. nam in dorſo tauri poſitæ ſtellæ numero ſex vocantur pleiades.

Inſigniores ſtellæ in ſignis zodiaci. Pleiades.

In fronte tauri poſitæ ſtellæ numero quinque nominantur hyades. quæ ſtella præcedit pedes geminorum, vocatur propus. quæ verò in cancro nebuloſæ ſtellarum congregationi ſimiles ſunt, vocantur præſepe. duæ ſtellæ præſepi vicinæ vocantur aſini. ſtella lucida, quæ eſt in corde leonis ſita, cognominis illi loco, in quo poſita eſt, cor leonis appellatur, ab aliquibus baſiliſcus, ſeu regulus nominatur, eo quod hi, qui circa hunc locum naſcuntur, regiam videantur habere nativitatem.

Hyades. Propus. Præſepe. Aſini. Cor leonis.

At ſtella ſplendida, quæ in ſiniſtra manu virginis ponitur, ſpica vocatur at ea ſtellula, quæ apud dextram virginis alam ponitur, vindemiator appellatur. quatuor ſtellæ, quæ in extrema dextra manu aquarii ſunt ſitæ, nominantur urna.

Spica virginis. Vindemiator. Urna.

Stellæ quæ ab extremis partibus piſcium continuò ſunt poſitæ, appellantur lineæ. ſunt autem in auſtrali linea ſtellæ novem, in borea linea ſtellæ quinque, ſtella verò ſplendida, quæ in extrema linea ponitur, nodus appellatur.

Lineæ. Nodus.

Borealia verò ſigna ſunt, quæ extra zodiacum circulum verſus urſas ſita ſunt: ut ſunt hæc, urſa major, urſa minor, draco per urſas extenſus, arctophylax, corona, in genibus, ſerpentarius, ſerpens, lyra, avis, ſagitta, aquila,

Conſtellationes boreales, ſeu ſigna borealia.

11 Βόρεια δέ ἐστι] Aſteriſmos, ſtellásve boreales, vel auſtrales percenſet ratione zodiaci circuli, non æquinoctialis, ex quo confirmari poteſt, quod contra Scaligerum docuimus libro III, ante Ptolemæi tempora, aſtronomos in ſtellarum latitudinibus deſignandis non ſolùm æquinoctialis circuli, ſed etiam zodiaci rationem duxiſſe.

la, delphinus, præfectio equi, vel ſecundùm Hipparchum, equus, Cepheus, Caſſiopeia, Andromeda, Perſeus, auriga, Deltoton, & quæ poſtea à Callimacho inter ſtellas eſt relata coma Berenices.

Inſigniores ſtellæ boreales. Rurſus autem etiam in his borealibus ſignis ſtellæ quædam proprias habent appellationes, propter eas quas habent, utcumque, ſignificationes. Nam inſignis ſtella, quæ
Arcturus. in medio crurum arctophylacis ſita eſt, arcturus nominatur. ſplendida ſtella, quæ juxta lyram poſita eſt, nomine
Lyra. totius ſui aſteriſmi etiam lyra appellatur. quæ verò in extre-
Stellæ Gorgonum. ma manu ſiniſtra Perſei ſitæ ſunt ſtellæ, vocantur ſtellæ Gorgonum. quæ verò in ſumma manu dextra Perſei ſtellu-
Falcis conſtellatio. læ crebræ & parvæ collocantur, hæ efficiunt conſtellationem falcis. Quæ in ſiniſtro humero aurigæ ponitur ſplendida ſtella, hæc appellatur capra. at duæ ſtellulæ, quæ ſitæ
Capra: hœdi. ſunt in ejuſdem ſumma manu, hœdi vocantur.

Conſtellationes, ſeu ſigna auſtralia. Auſtralia ſigna ſunt, quæ à zodiaco circulo verſus meridiem declinant. ſunt autem hæc. Orion, canis major, procyon, lepus, argo, hydra, crater, corvus, centaurus, fera, haſta quam tenet centaurus, ſecundùm Hipparchum, ara, piſcis auſtralis, cetus, aqua ab aquario veniens, fluvius ab orione veniens, corona auſtralis, quæ à nonnullis uraniſcus, id eſt, parvum cœlum vocatur, ſecundùm Hipparchum verò caduceus.

Inſigniores ſtellæ auſtrales. Rurſus etiam in his auſtralibus ſignis, quædam ſtellæ proprias habent appellationes. nam ſtella ſplendida, quæ
Canis minor. eſt in cane minore, procyon, id eſt, præcedens canis vocatur. ſtella verò ſplendida, quæ eſt in ore canis majoris,
Canis major. quæque videtur incrementum æſtuum efficere, eodem nomine cum toto ſigno canis appellatur. ſed inſignis ſtella,
Canobus. quæ ſita eſt in ſummo gubernaculo navis Argus, Canobus dicitur. atque hæc Canobi ſtella in Rhodo difficulter videri poteſt, aut in locis planè excelſis apparet. at Alexandriæ prorſus hæc videri poteſt. nam ferè quarta parte ſigni Canobus ab horizonte elevatus apparet.

δελφίς· προτομὴ ἵππου καθ' Ἵππαρχον ἵππος· Κηφεύς· Κασσιέπεια· Ἀνδρομέδη, Περσεύς, ἡνίοχος· Δελτωτόν· καὶ ὁ ὕστερον κατηστερισμένος ὑπὸ Καλλιμάχου Βερενίκης πλόκαμος.

Πάλιν δὲ καὶ ἐν τούτοις ἀστέρες τινὲς ἰδίας ἔχουσι προσηγορίας διὰ τὰς ὁλοσχερεῖς ἐπ' αὐτοῖς γινομένας ἐπισημασίας. ὁ μὲν γὰρ ἀνὰ μέσον τῶν σκελῶν τοῦ Ἀρκτοφύλακος κείμενος ἀστὴρ ἐπίσημος, Ἀρκτοῦρος ὀνομάζεται. ὁ δὲ περὶ τὴν λύραν κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζῳδίῳ λύρα προσαγορεύεται. οἱ δὲ ἐν ἄκρᾳ τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τοῦ Περσέως κείμενοι ἀστέρες, γοργόνιον καλοῦνται. οἱ δὲ ἐν ἄκρᾳ τῇ δεξιᾷ χειρὶ τοῦ Περσέως κείμενοι ἀστερίσκοι πυκνοὶ καὶ μικροί, εἰς τὴν ἅρπην κατηστερίζονται. ὁ δὲ ἐν τῷ εὐωνύμῳ ὤμῳ τοῦ ἡνιόχου κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ αἲξ προσαγορεύεται· οἱ δὲ ἐν ἄκρᾳ τῇ αὐτοῦ χειρὶ κείμενοι ἀστερίσκοι δύο, ἔριφοι καλοῦνται.

Νότια δέ ἐστιν, ὅσα τοῦ τῶν ζῳδίων κύκλου πρὸς μεσημβρίαν κεῖται. ἔστι δὲ τάδε· ὠρίων, κύων, καὶ προκύων· λαγωός· Ἀργώ· ὕδρος· κρατήρ· κόραξ· κένταυρος· θηρίον, ὃ κρατεῖ ὁ κένταυρος· καὶ θυρσόλογχος, ὃν κρατεῖ ὁ κένταυρος, καθ' Ἵππαρχον· θυμιατήριον· νότιος ἰχθύς· κῆτος· ὕδωρ τὸ ἀπὸ τοῦ ὑδροχόου· ποταμὸς ὁ ἀπὸ ὠρίωνος· νότιος στέφανος, ὑπὸ δέ τινων οὐρανίσκος προσαγορευόμενος, κηρύκιον καθ' Ἵππαρχον.

Πάλιν δὲ ἐν τούτοις τινὲς ἀστέρες ἰδίας ἔχουσι προσηγορίας. ὁ μὲν γὰρ ἐν τῷ προκύνῳ ὢν λαμπρὸς ἀστὴρ προκύων καλεῖται· ὁ δὲ ἐν τῷ στόματι τοῦ κυνὸς λαμπρὸς ἀστήρ, ὃς δοκεῖ τὴν ἐπίτασιν τὴν τῶν καυμάτων ποιεῖν, ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζῳδίῳ κύων προσαγορεύεται. ὁ δὲ ἐν ἄκρῳ τῷ πηδαλίῳ τῆς Ἀργοῦς κείμενος λαμπρὸς ἀστήρ, Κάνωβος ὀνομάζεται. οὗτος μὲν ἐν Ῥόδῳ δυσθεώρητός ἐστιν, ἢ παντελῶς ἀφ' ὑψηλῶν τόπων ὁρᾶται· ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ ἐστι παντελῶς ἐμφανής. [02] σχεδὸν γὰρ τέταρτον μέρος τοῦ ζῳδίου ἀπὸ τοῦ ὁρίζοντος μετεωρισμένος φαίνεται.

CAPUT III.

De Axe, & Polis.

CUm mundus ſphæricam habeat figuram, axis vocatur ejus diameter, circa quam mundus convertitur. extremitates verò axis dicuntur poli mundi. polorum autem alter vocatur boreus, id eſt, arcticus; alter notius, id eſt, antarcticus. Boreus quidem ſemper apparet, quoad noſtram habitationem: auſtralis verò ſemper eſt inviſibilis, quoad noſtrum horizontem. verumtamen ſunt in terra loca quædam, ubi contingit polum, qui apud nos ſemper eſt apparens, illis eſſe inviſibilem: & contra eum polum, qui apud nos eſt inviſibilis, illis conſpicuum eſſe. & rurſus eſt locus quidam in terra, ubi duo hi poli ſimiliter in horizonte jacent.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ γ'.

Περὶ Ἄξονος, καὶ Πόλων.

[03] ΤΟΥ δὲ κόσμου σφαιροειδοῦς ὑπάρχοντος, ἄξων καλεῖται ἡ διάμετρος τοῦ κόσμου, περὶ ἣν στρέφεται ὁ κόσμος. τὰ δὲ πέρατα τοῦ ἄξονος, πόλοι λέγονται τοῦ κόσμου. τῶν δὲ πόλων ὁ μὲν λέγεται βόρειος, ὁ δὲ νότιος. βόρειος μέν, ὁ διὰ παντὸς φαινόμενος, ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν οἴκησιν. νότιος δὲ ὁ διὰ παντὸς ἀόρατος, ὡς πρὸς τὸν ἡμέτερον ὁρίζοντα. εἰσὶ μέντοι τόποι τινὲς ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπου συμβαίνει, τὸν μὲν παρ' ἡμῖν πόλον τὸν ἀεὶ φανερόν, ἐκείνοις ἀόρατον εἶναι· τὸν δὲ παρ' ἡμῖν ἀόρατον ἐκείνοις φανερὸν εἶναι. καὶ πάλιν ἐστί τις τόπος ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπου οἱ δύο πόλοι ὁμοίως ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος κεῖνται.

CAPUT IV.

De circulis Sphæræ.

CIrculorum ſphæræ alii ſunt paralleli, alii obliqui, alii per polos ducti. paralleli ſunt, qui eoſdem habent po-
Circuli paralleli. los cum mundo. ſunt autem quinque paralleli circuli, arcticus, æſtivus tropicus, æquinoctialis, hybernus tropicus, & antarcticus.

Arcticus circulus alius apud Græcos, quàm Latinos. Arcticus circulus igitur eſt, qui inter circulos ſemper apparentes eſt maximus, & horizontem attingit in uno puncto, totúſque ſupta terram deſumitur, in quo aſtra poſita neque occidunt, neque oriuntur, ſed per totam noctem circa polum moveri cernuntur. hic circulus in noſtro orbe habitabili ab anteriore pede urſæ majoris deſcribitur.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ δ'.

Περὶ τῶν ἐν τῇ Σφαίρᾳ κύκλων.

ΤΩΝ δὲ ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλων οἱ μέν εἰσι παράλληλοι, οἱ δὲ λοξοί, οἱ δὲ διὰ τῶν πόλων. παράλληλοι μὲν οὖν εἰσιν οἱ τοὺς αὐτοὺς πόλους ἔχοντες τῷ κόσμῳ. εἰσὶ δὲ παράλληλοι κύκλοι πέντε, ἀρκτικός, θερινὸς τροπικός, ἰσημερινός, χειμερινὸς τροπικός, ἀνταρκτικός.

[14] Ἀρκτικὸς μὲν οὖν ἐστι κύκλος ὁ μέγιστος τῶν ἀεὶ θεωρουμένων κύκλων, ὁ ἐφαπτόμενος τοῦ ὁρίζοντος καθ' ἓν σημεῖον, καὶ ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβανόμενος· ἐν ᾧ τὰ κείμενα τῶν ἄστρων οὔτε δύσιν, οὔτε ἀνατολὴν ποιεῖται· ἀλλὰ δι' ὅλης τῆς νυκτὸς περὶ τὸν πόλον στρεφόμενα θεωρεῖται. [15] οὗτος δὲ ὁ κύκλος ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ ὑπὸ τοῦ ἐμπροσθίου ποδὸς τῆς μεγάλης ἄρκτου περιγράφεται.

Θερινὸς

02 Σχεδὸν γὰρ τέταρτον μέρος.] Imo quadrante ſolido. ut Hipparchus docet lib. I, Num. XXVI. Nam diſtabat à polo gradibus 38, 30'. quod & tabularum noſtrarum epilogiſmus adamuſſim exhibet. Alexandriæ polus elatus erat grad. 31. ſere. Igitur gradibus 7, 30', hoc eſt exactè quadrante, Canobus ſuperabat horizontem.

03 Τοῦ δὲ κόσμου.] Proclus ſphæram ſuam edidit, quæ nihil aliud eſt quàm hoc Gemini caput tertium, & quartum: quibus ejuſdem XII, & poſtremò II adtexuit.

14 Ἀρκτικὸς κύκλος.] Circulus arcticus, quo veteres uſi ſunt, longè ab noſtro, & uſitato diverſus eſt. Nam illi τῶν ἀειφανῶν maximum vocant arcticum: cujus ſemidiameter eſt altitudo poli; centrum, polus mundi. Itaque pro regionum poſitu varius eſt, ac major, minórve. Vide Ptolemæum lib. II, c. IV, Cleomedem lib. I, c. II.

15 Οὗτος δ' ὁ κύκλος.] Scribit Geminus circulum Arcticum ibi, ubi habitabat, delineatum fuiſſe anteriori pede majoris Urſæ. Igitur XXXVII, vel XXXVIII. circiter gradibus polus ibi ſupra horizontem emergebat; qui eſt Græciæ tractus. Verùm infrà longè alium ſitum indicat. Nam ait circulum tropicum illic ab horizonte ita dividi, ut illo in octo partes diviſo, quinque ſuprà, tres infrà continentur.

Geminus p. 9.

Θερινὸς δὲ τροπικὸς κύκλος ἐστὶν ὁ βορειότατος τῶν ὑπὸ τοῦ ἡλίου γραφομένων κύκλων. κατὰ τὴν τοῦ κόσμου γενομένην περιστροφήν, ἐφ᾽ οὗ γινόμενος ὁ ἥλιος τὴν θερινὴν τροπὴν ποιεῖται· ἐν ᾗ μεγίστη μὲν πασῶν τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἡμέρα, ἐλαχίστη δὲ ἡ νὺξ γίνεται. μετὰ μέντοι γε τὴν θερινὴν τροπὴν οὐκέτι πρὸς τὰς ἄρκτους προσβαίνων ὁ ἥλιος θεωρεῖται· ἀλλ᾽ ἐπὶ τὰ ἕτερα μέρη τρέπεται τοῦ κόσμου. διὸ καὶ καλεῖται τροπικός.

Ἰσημερινὸς δέ ἐστι κύκλος ὁ μέγιστος τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων, ὁ διχοτομούμενος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος· ὥστε ἡμικύκλιον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμικύκλιον δὲ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα· ἐφ᾽ οὗ γινόμενος ὁ ἥλιος τὰς ἰσημερίας ποιεῖται, τήν τε ἐαρινήν, καὶ τὴν φθινοπωρινήν.

Χειμερινὸς δὲ τροπικὸς κύκλος ἐστὶν ὁ νοτιώτατος τῶν ὑπὸ τοῦ ἡλίου γραφομένων κύκλων κατὰ τὴν ὑπὸ τοῦ κόσμου γινομένην περιστροφήν· ἐφ᾽ οὗ γινόμενος ὁ ἥλιος τὴν χειμερινὴν τροπὴν ποιεῖται· ἐν ᾗ ἡ μεγίστη μὲν πασῶν τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ νὺξ ἐπιτελεῖται, ἐλαχίστη δὲ ἡμέρα. μετὰ μέντοι γε τὴν χειμερινὴν τροπὴν οὐκέτι πρὸς μεσημβρίαν προσβαίνων ὁ ἥλιος θεωρεῖται, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὰ ἕτερα μέρη τρέπεται τοῦ κόσμου, διὸ καὶ καλεῖται καὶ οὗτος τροπικός.

Ἀνταρκτικὸς δέ ἐστι κύκλος ἴσος, καὶ παράλληλος τῷ ἀρκτικῷ, καὶ ἐφαπτόμενος τοῦ ὁρίζοντος καθ᾽ ἓν σημεῖον, καὶ ὅλος ὑπὸ γῆν ἀπολαμβανόμενος. ἐν ᾧ τὰ κείμενα τῶν ἄστρων διὰ παντὸς ἡμῖν ἐστιν ἀόρατα.

16 Τῶν δὲ προειρημένων πέντε κύκλων μέγιστος μὲν ὁ ἰσημερινός· ἑξῆς δὲ τοῖς μεγέθεσιν οἱ τροπικοί. ἐλάχιστοι δὲ ὡς πρὸς ἡμετέραν οἴκησιν οἱ ἀρκτικοί.

Τούτους δὲ τοὺς κύκλους δεῖ νοεῖν ἀπλατεῖς λόγῳ θεωρητούς, ἔκ τε τῆς τῶν ἄστρων θέσεως, καὶ τῆς τῶν διόπτρων θεωρίας, καὶ τῆς ἡμετέρας ἐπινοίας διαγραφομένους. μόνος γὰρ ἐν τῷ κόσμῳ κύκλος ἐστὶ θεωρητὸς ὁ τοῦ γάλακτος· οἱ δὲ λοιποὶ λόγῳ εἰσὶ θεωρητοί.

Πέντε δὲ παράλληλοι μόνοι καταγράφονται κύκλοι εἰς τὴν σφαῖραν, οὐ διὰ τὸ μόνους τούτους ἐν τῷ κόσμῳ παραλλήλους εἶναι. ὁ γὰρ ἥλιος καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ὡς πρὸς αἴσθησιν κύκλον παράλληλον περιγράφεται τῷ ἰσημερινῷ, κατὰ τὴν ἐπὶ τοῦ κόσμου γινομένην περιστροφήν· ὥστε μεταξὺ τῶν τροπικῶν κύκλων ρπ΄ δὶς κύκλους παραλλήλους γράφεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. τοσαῦται γὰρ ἡμέραι εἰσὶν αἱ μεταξὺ τῶν τροπῶν.

Φέρονται δὲ καὶ πάντες οἱ ἀστέρες ἐπὶ παραλλήλων κύκλων καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν. συγκαταγράφονται δὲ οὐ πάντες εἰς τὴν σφαῖραν, διὰ τὸ πρὸς μὲν ἄλλας πραγματείας τῆς ἐν τῇ ἀστρολογίᾳ πολλὰ συμβάλλεσθαι. οὐδὲ γὰρ κατατεθῆναι δυνατὸν καλῶς τὴν σφαῖραν ἄνευ πάντων τῶν παραλλήλων κύκλων· οὐδὲ τὰ μεγέθη τῶν νυκτῶν, καὶ τῶν ἡμερῶν ἀκριβῶς εὑρεθῆναι ἄνευ τῶν προειρημένων κύκλων· πρὸς μέντοι γε τὴν πρώτην εἰσαγωγὴν τῆς ἀστρολογίας οὐδὲν ἀποτέλεσμα προσφερόμενοι, οὐ καταγράφονται ἐν τῇ σφαίρᾳ. οἱ δὲ πέντε παράλληλοι κύκλοι διὰ τὸ ἀποτελέσματά τινα προσφέρεσθαι ἀφωρισμένα εἰς τὴν πρώτην εἰσαγωγὴν τῆς ἀστρολογίας, καταγράφονται εἰς τὴν σφαῖραν. ὁ μὲν γὰρ ἀρκτικὸς κύκλος ἀφορίζει τὰ ἀεὶ θεωρούμενα τῶν ἄστρων. ὁ δὲ θερινὸς τροπικὸς κύκλος τὴν τροπὴν περιέχει, καὶ πέρας ἐστὶ τῆς τοῦ ἡλίου πρὸς ἄρκτον μεταβάσεως· ὁ δὲ ἰσημερινὸς κύκλος τὰς ἰσημερίας περιέχει· ὁ δὲ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος τέρμα ἐστὶ τῆς πρὸς μεσημβρίαν προόδου τοῦ ἡλίου, καὶ τὴν χειμερινὴν τροπὴν περιέχει. ὁ δὲ ἀνταρκτικὸς κύκλος τὰ μὴ θεωρούμενα τῶν ἄστρων ἀφορίζει. ἔχοντες οὖν κεφάλαια καὶ ἀποτελέσματα ὡρισμένα πρὸς τὴν εἰσαγωγὴν τῆς ἀστρολογίας, εὐλόγως καταγράφονται εἰς τὴν σφαῖραν.

Τῶν δὲ προειρημένων πέντε παραλλήλων κύκλων ὁ μὲν ἀρκτικὸς κύκλος ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεται· ὁ δὲ θερινὸς τροπικὸς κύκλος εἰς δύο μέρη ἄνισα τέμνεται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος. καὶ τὸ μὲν μεῖζον τμῆμα ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεται· τὸ δὲ * ἔλαττον ὑπὸ τὴν γῆν. οὐ κατὰ πάσας δὲ χώρας, καὶ πόλεις ὁμοίως ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος τέμνεται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος. ἀλλὰ παρὰ τὰς τῶν κλιμάτων παραλλαγὰς διαφέρουσι τὴν τῶν τμημά-

* γρ. ἐλάσ-σον.

Tropicus æſtivus, ſeu tropicus cancri.

Æſtivus tropicus circulus eſt, qui inter eos circulos, qui à ſole ſecundùm mundi converſionem deſcribuntur, eſt maximè borealis, ſuper quo ſol conſtitutus efficit æſtivam converſionem, in qua longiſſima fit dies omnium, quæ ſunt in anno, nox verò breviſſima; ſed poſt æſtivam converſionem non ampliùs ad urſas ſol accedere ſpectatur, ſed ad alteras mundi partes vertitur. quam ob rem circulus vocatur tropicus, id eſt, converſivus.

Æquinoctialis.

Æquinoctialis eſt circulus maximus inter quinque parallelos, qui ab horizonte æqualiter ſecatur. ut de eo ſemicirculus ſupra terram ſumatur, alter verò ſemicirculus ſub horizonte, ſuper quo ſol conſtitutus æquinoctia efficit, cùm vernum, tum autumnale.

Tropicus hybernus, ſeu tropicus capricorni.

Hybernus tropicus circulus eſt is, qui eſt maximè auſtralis eorum circulorum, qui à ſole ſecundùm quotidianam mundi converſionem deſcribuntur: ad quem cùm ſol pervenit, hybernam efficit converſionem, in qua longiſſima fit nox omnium, quæ ſunt in anno: dies verò breviſſima. verumtamen poſt hybernam converſionem non ampliùs cernitur ſol verſus meridiem accedere, ſed rurſus ad oppoſitas mundi partes convertitur, ideòque dictus eſt hic circulus tropicus.

Antarcticus circulus alius apud Græcos, quàm Latinos.

Antarcticus circulus eſt æqualis, & parallelus circulo arctico, & attingens horizontem in puncto, totúſque infra terram deſumptus, in quo poſita aſtra ſemper nobis ſunt inviſibilia.

Circulorum parallelorum comparatio in magnitudine.

Inter circulos prædictos maximus eſt æquinoctialis: proximi quoad magnitudines ſunt tropici, minimi verò, quoad noſtram habitationem, arctici.

Hos autem circulos, cùm ſint latitudinis expertes, & ratione ſpectabiles, mente oportet cogitare, qui ex aſtrorum poſitu, & dioptrorum ſpeculatione, & noſtra cogitatione deſcribuntur. ſolus enim in mundo viſibilis eſt circulus via lactea: reliqui ratione ſunt ſpectabiles.

Numerus parallelorum circulorum in ſphæra.

Circuli verò paralleli tantùm quinque in ſphæra deſcribuntur: quod non propterea fit, quaſi in mundo tantùm hi eſſent paralleli. nam ſol quotidie, quoad ſenſum, deſcribit circulum parallelum æquinoctiali ſecundùm mundi revolutionem. Itaque inter tropicos circulos paralleli circuli bis 180 à ſole deſcribuntur. tot enim dies ſunt inter converſiones.

Feruntur etiam omnes ſtellæ in circulis parallelis quotidie: verumtamen non omnes circuli paralleli in ſphæra deſcribuntur, idque propterea, quòd ad alios quidem tractatus Aſtronomicos multùm conducant, non enim poſſibile eſſet, ſtellas rectè in globum materialem referre ſine omnibus circulis parallelis: neque magnitudines dierum & noctium accuratè inveniri ſine prædictis circulis parallelis. ſed cùm ad primam Aſtronomiæ inſtitutionem nullum emolumentum afferant, non deſcribuntur in ſphæra: at quinque paralleli circuli, eo quòd certa quædam emolumenta ad primam Aſtronomiæ inſtitutionem afferant, in ſphæra ſunt deſcripti. Arcticus enim circulus aſtra ſemper apparentia determinat. Æſtivus tropicus circulus æſtivam converſionem continet, & limes eſt tranſitus ſolis verſus ſeptentrionem. Æquinoctialis circulus puncta æquinoctialia continet. Hybernus tropicus circulus terminus eſt progreſſus ſolis verſus meridiem, & hybernam converſionem continet. Antarcticus circulus aſtra non apparentia determinat. Cùm igitur habeant certa capita, & emolumenta ad inſtitutionem Aſtronomiæ, non ſine ratione deſcripti ſunt in ſphæra.

Quinque circulorum parallelorum certi uſus in ſphæra.

Quinque circulorum parallelorum ad horizontem habitudo.

Inter quinque prædictos parallelos circulos, arcticus circulus totus ſupra horizontem deſumitur. Æſtivus tropicus circulus in duas partes inæquales ſecatur ab horizonte, & ſegmentum majus ſupra terram deſumitur, minus verò infra terram. At non per omnes regiones, & urbes eodem modo æſtivus tropicus circulus ſecatur ab horizonte, ſed juxta climatum diverſitates diverſum ſegmentorum exceſſum contingit evenire: atque iis quidem, qui magis, quam

In aliis atque aliis regionibus aliter ab horizonte ſecatur tropicus cancri.

---

neantur. Ex quo conſequens fit maximam diem horarum eſſe circiter XV, & elevari polum gradibus XLI. Vide omninò cap. V. libri tertii hujus operis, ubi de hac Gemini, & aliorum hallucinatione dximus. Aratus ad poſteriorem cœli poſitum, qui eſt Macedoniæ, & Helleſponti, phænomena ſua comparavit. cujus auctoritate ducti penè omnes, qui de ſphæra poſteà ſcripſerunt, eamdem poli elevationem adhibuerunt: cujuſmodi ſphæræ Arateæ dici meruerunt; cùm Eudoxeæ non minùs appellari potuerint. Si quidem Eudoxum in omnibus Aratus expreſſit. Legendus prætereà Leontius Mechanicus, & Achilles Tatius Iſagoges c. XXV.

16 *Τῶν δὲ προειρημένων.*] Parallelorum in ſphæra maximus eſt æquinoctialis. ceterorum quò quiſque longiùs ab illo recedit, eò eſt minor. Ratio verò, quam habent minores ad maximum, inveſtigatur ea methodo, quam attigimus libro VII. Nam ut eſt radius ad ſinum complementi diſtantiæ paralleli cujuſlibet; ita æquinoctialis ad parallelum. Eſto tropicus æſtivus gradibus 24. diſtans ab æquatore: complementum diſtantiæ eſt grad. 66. cujus ſinus 91355. Igitur ea proportio eſt æquinoctialis ad tropicum, quæ eſt 100000. ad 91355: hoc eſt 10. ad 9. circiter. Ita circulus arcticus Arati diſtat ab æquatore gradibus 49. à polo, 41. Sinus graduum 41. eſt 75471. Proinde ita ſe habet æquinoctialis ad circulum hunc arcticum, uti 100000. ad 75471. quæ proportio ferè eſt ſeſquitertia, ut 4. ad 3.

quàm nos, verſus ſeptentrionem habitant, in ſegmenta magis inæqualia ab horizonte ſecari tropicum æſtivum contigit. & tandem eſt regin quædam, in qua totus æſtivus tropicus circulus fit ſupra terram. iis verò, qui magis, quàm nos, verſus meridiem habitant, in ſegmenta minus inæqualia æſtivus tropicus circulus ab horizonte ſectus eſt. & tandem eſt regio quædam verſus meridiem nobis ſita, in qua æqualiter dividitur æſtivus tropicus circulus ab horizonte. In hoc autem climate ſecatur ita, ut cùm totus circulus in octo partes æquales diviſus eſt, de his quinque partes ſupra horizontem deſumantur, tres verò infra horizontem. Ad hoc clima videtur etiam Aratus apparentiarum tractatum compoſuiſſe. nam de æſtivo tropicn circulo diſſerens, ſic inquit,

Hoc maximè in octo æquales partes diviſo,
Earum quinque meridianæ volvuntur per ſupremas partes terræ,
Tres verò in hemiſphærio ſub terra: æſtatis huic ſunt converſiones.

Ex hac diviſione ſequitur, longiſſimum diem horarum æquinoctialium fieri 15. noctem verò horarum æquinoctialium 9. in horizonte Rhodi æſtivus tropicus circulus ab horizonte ſic eſt diviſus, ut cùm totus circulus in 48 partes dividatur, earum 29 ſupra horizontem deſumantur, reliquæ verò 19 infra terram. ex hac diviſione ſequitur, longiſſimum diem in Rhodo fieri horarum æquinoctialium $14\frac{1}{2}$, noctem verò horarum æquinoctialium $9\frac{1}{2}$.

Æquinoctialis quomodo ab horizonte ſecetur. Æquinoctialis circulus per totam terram habitabilem æqualiter ſecatur ab horizonte, ut ſemicirculus ſupra terram deſumatur, ſemicirculus verò infra terram. ob quam cauſſam ab hoc circulo æquinoctia fiunt.

Tropicus capricorni quomodo ab horizonte ſecetur. Hybernus tropicus circulus ab horizonte ſic ſecatur, ut minus ſegmentum ſit ſupra terram: majus verò infra terram. inæqualitas ſegmentorum eamdem habet diverſitatem in omnibus climatibus, quæ fiebat etiam io æſtivo tropico circulo. ſemper enim alterna ſegmenta tropicorum circulorum inter ſe ſunt æqualia. ob quam cauſſam longiſſimus dies æqualis eſt longiſſimæ nocti. Antarcticus circulas totus infra horizontem occultatur.

Ex quinque prædictis parallelis circulis, alii ſuas magnitudines per totam terram retinent eaſdem, alii eaſdem magnitudines mutant juxta climata, & aliis locis majores, aliis minores hi circuli fiunt. tropici enim, & æquinoctialis per totam terram magnitudinibus manent iidem. at arctici circuli mutantur magnitudinibus: & aliis locis majores, aliis minores fiunt. iis enim, qui verſus Septentrionem habitant, majores fiunt arctici circuli. cùm enim polus altiùs elevatus apparet, neceſſe eſt etiam arcticum circulum, qui horizontem attingit, ſemper majorem fieri. alicubi verò iis, qui verſus Septentrionem habitant, is circulus, qui eſt æſtivus tropicus, fit etiam arcticus, ita ut dnn circuli ſibi iovicem cnngruant, nempe æſtivus tropicus circulus, & arcticus, unùmque accipiant ſitum. at verſus loca magis Septentrionalia æſtivn tropico circuln, etiam majores fiunt circuli arctici.

Tandem eſt locus quidam verſus Septentrionem ſitus, in quo polus fit verticalis: arcticus verò circulus horizontis locum occupat, eíque congruit ſecundùm mundi converſionem, & eamdem accipit magnitudinem cum æquinoctiali: ita ut tres circuli, arcticus, æquinoctialis, & horizon eumdem ſitum, & poſitum accipiant.

Rurſus iis, qui à nobis verſus meridiem habitant, poli fiunt humiliores, arctici verò circuli minores: & tandem regio eſt quædam à oobis verſus meridiem ſita: ea eſt, quæ dicitur eſſe ſub æquinoctiali, in qua poli in horizonte conſtituuntur, arctici verò circuli prorſus ſunt ſublati: ita ut pro quinque circulis parallelis tantùm tres fiant paralleli, nempe duo tropici, & æquinoctialis. non enim exiſtimandum eſt, propter ea, quæ prædicta ſunt, univerſaliter quinque eſſe parallelos circulos, ſed reſpectu noſtræ habitationis multitudinem eorum eſſe expoſitam. ſunt enim quidam horizontes, in quibus tantùm tres ſunt circuli paralleli.

Tres habitationes in terra, in quibus numerus parallelorum circulorum mutatur. Sunt autem in terra habitationes, quarum prima eſt, in

τὴν ὑπεροχὴν συμβαίνει γίνεσθαι. καὶ τοῖς μὲν πρὸς ἄρκτον μᾶλλον ἡμῶν οἰκοῦσιν εἰς ἀνισαίτερα μέρη συμβαίνει τέμνεσθαι τὸν θερινὸν ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος. καὶ πέρας ἐστὶ χώρα τις, ἐν ᾗ ὅλος ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὲρ γῆν γίνεται. τοῖς δὲ πρὸς μεσημβρίαν μᾶλλον οἰκοῦσιν ἡμῶν, εἰς * ἀνισαίτερα μέρη ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέτμηται. καὶ πέρας ἐστὶ χώρα τις πρὸς μεσημβρίαν ἡμῶν κειμένη, ἐν ᾗ διχοτομεῖται ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, ἐνταῦθα δὲ τέμνεται οὕτως, ὥστε τοῦ ὅλου κύκλου διαιρεθέντος εἰς η΄ μέρη, πέντε μὲν τμήματα ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, τρία δὲ ὑπὸ γῆν. πρὸς δὲ τοῦτο τὸ κλίμα δοκεῖ καὶ ὁ Ἄρατος συντεταχέναι τὴν τῶν Φαινομένων πραγματείαν. περὶ γὰρ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ κύκλου διαλεγόμενός φησιν οὕτως, * f. ἰσαίτ.

Τοῦ μὲν ὅσον τε μάλιστα δι' ὀκτὼ μετρηθέντος,
Πέντε μὲν ἔνδια στρέφεται καθ' ὑπέρτερα γαίης.
Τὰ τρία δ' ἐν περάτῃ. θέρεος δέ οἱ ἐντροπαί
εἰσιν.

Ἐκ δὲ ταύτης τῆς διαιρέσεως ἀκολουθεῖ, τὴν μεγίστην ἡμέραν ὡρῶν ἰσημερινῶν γίνεσθαι ιε΄. τὴν δὲ νύκτα ὡρῶν ἰσημερινῶν θ΄. [17] ἐν δὲ τῷ κατὰ Ῥόδον ὁρίζοντι ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέτμηται οὕτως, ὥστε τοῦ ὅλου κύκλου διῃρημένου εἰς μέρη μη΄, τὰ μὲν κθ΄ τμήματα ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβάνεσθαι· τὰ δὲ ιθ΄ ὑπὸ γῆν. ἐκ δὲ τῆς διαιρέσεως ταύτης ἀκολουθεῖ, τὴν μεγίστην ἡμέραν ἐν Ῥόδῳ γίνεσθαι ὡρῶν ἰσημερινῶν ιδS″, τὴν δὲ νύκτα ὡρῶν ἰσημερινῶν θS″.

Ὁ δὲ ἰσημερινὸς κύκλος καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην διχοτομεῖται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, ὥστε ἡμικύκλιον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμικύκλιον δὲ ὑπὸ γῆν· δι' ἣν αἰτίαν ὑπὸ τοῦ κύκλου τούτου αἱ * ἰσημερίαι γίνονται. * γρ. ἰσημεριναί.

Ὁ δὲ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέμνεται οὕτως, ὥστε τὸ μὲν ἔλασσον τμῆμα ὑπὲρ γῆν γίνεσθαι, τὸ δὲ μεῖζον ὑπὸ γῆν. ἡ δὲ ἀνισότης τῶν τμημάτων τὴν αὐτὴν παραλλαγὴν ἔχει ἐπὶ πάντων τῶν κλιμάτων, ἥ περ ἐγίνετο καὶ ἐπὶ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ κύκλου. διὰ παντὸς γὰρ τὰ ἐναλλὰξ τμήματα τῶν τροπικῶν κύκλων ἴσα ἀλλήλοις ἐστί. δι' ἣν αἰτίαν ἡ μεγίστη ἡμέρα ἴση ἐστὶ τῇ μεγίστῃ νυκτί. ὁ δὲ ἀνταρκτικὸς κύκλος ὅλος ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα κρύπτεται.

Τῶν δὲ προειρημένων πέντε παραλλήλων κύκλων, τινῶν μὲν τὰ μεγέθη καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην διαμένει τὰ αὐτά, τινῶν δὲ τὰ αὐτὰ μεγέθη μεταπίπτει παρὰ τὰ κλίματα. καὶ οἷς μὲν μείζονες, οἷς δὲ ἐλάσσονες οἱ κύκλοι γίνονται. οἱ μὲν γὰρ τροπικοί, καὶ ὁ ἰσημερινὸς καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην ἴσοι εἰσὶ τοῖς μεγέθεσιν· οἱ δὲ ἀρκτικοὶ κύκλοι μεταπίπτουσι κατὰ τὰ μεγέθη, καὶ οἷς μὲν μείζονες, οἷς δὲ ἐλάττονες γίνονται. τοῖς μὲν γὰρ πρὸς ἄρκτον οἰκοῦσι μείζονες οἱ ἀρκτικοὶ κύκλοι γίνονται. τοῦ γὰρ πόλου μετεωροτέρου φαινομένου, ἀνάγκη καὶ τὸν ἀρκτικὸν κύκλον ἐφαπτόμενον τοῦ ὁρίζοντος, μείζονα ἀεὶ μᾶλλον γίνεσθαι. τοῖς δέ τε πρὸς * ἄρκτον οἰκοῦσι γίνεται ποτὲ ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ἀρκτικός· ὥστε τοὺς δύο κύκλους ἐφαρμόσαι ἀλλήλοις, τὸν θερινὸν τροπικὸν κύκλον, καὶ τὸν ἀρκτικόν, καὶ μίαν λαβεῖν τάξιν· πρὸς δὲ τοὺς ἀρκτικωτέρους τόπους, καὶ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ κύκλου μείζονες οἱ ἀρκτικοὶ γίνονται. * γρ. μᾶλλον.

Πέρας δὲ ἐστί τις χώρα πρὸς ἄρκτον κειμένη, ἐν ᾗ ὁ μὲν πόλος κατὰ κορυφὴν γίνεται. ὁ δὲ ἀρκτικὸς κύκλος τὴν τοῦ ὁρίζοντος ἐπέχει τάξιν, καὶ ἐφαρμόζει αὐτῷ κατὰ τὴν ἐπιστροφὴν τοῦ κόσμου, καὶ τὸ αὐτὸ μέγεθος λαμβάνει τῷ ἰσημερινῷ, ὥστε τοὺς τρεῖς κύκλους, τὸν ἀρκτικόν, καὶ τὸν ἰσημερινόν, καὶ τὸν ὁρίζοντα τὴν αὐτὴν τάξιν, καὶ θέσιν λαμβάνειν.

Πάλιν δὲ τοῖς πρὸς μεσημβρίαν ἡμῶν οἰκοῦσιν οἱ μὲν πόλοι ταπεινότεροι γίνονται. οἱ δὲ ἀρκτικοὶ κύκλοι ἐλάσσονες. καὶ πέρας ἐστὶ χώρα τις πρὸς μεσημβρίαν ἡμῶν κειμένη· αὕτη δέ ἐστιν ἡ λεγομένη ὑπὸ τὸν ἰσημερινόν· ἐν ᾗ οἱ μὲν πόλοι ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος γίνονται· οἱ δὲ ἀρκτικοὶ κύκλοι καθόλου ἀναιροῦνται· ὥστε ἀντὶ τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων τρεῖς παραλλήλους γίνεσθαι, τούς τε τροπικούς, καὶ τὸν ἰσημερινόν. διὰ γὰρ τὰ προειρημένα οὐχ ὑποληπτέον καθολικῶς γίνεσθαι τοὺς πέντε παραλλήλους κύκλους· ἀλλ' ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν οἰκουμένην τὸ πλῆθος αὐτῶν ἐκτεθεῖσθαι. εἰσὶ γάρ τινες ὁρίζοντες, ἐν οἷς τρεῖς μόνοι παράλληλοι γίνονται.

[18] Εἰσὶ δὲ οἰκήσεις ἐπὶ τῆς γῆς, ὧν πρώτη μὲν οἴκησις,

ἐφ᾽

17 Ἐν δὲ τῷ κατὰ Ῥόδον.] Cùm ſit maxima dies ſub parallelo Rhodio horarum $14\frac{1}{2}$, & nox minima horarum $9\frac{1}{2}$. maxima dies ſemihoras totidem habet 29, quot minima nox conſtat 19.

18 Εἰσὶ δὲ οἰκήσεις] Triplex habitatio eſt, in qua parallelorum numerus minuitur. Prima eſt, in qua polus attollitur gradibus totidem, quot à polo tropicus diſtat. unde arctici inſtar eſt tropicus. &

vertex

ἐφ' ἧς ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ἐφάπτεται τοῦ ὁρίζοντος, καὶ τὴν τοῦ ἀρκτικοῦ κύκλου τάξιν λαμβάνει. δευτέρα δὲ ἡ οἴκησις, ἡ λεγομένη ὑπὸ τὸν πόλον. τρίτη δέ ἐστιν οἴκησις, ὑπὲρ ἧς μικρὸν ἔμπροσθεν εἰρήκαμεν, ἡ προσαγορευομένη ὑπὸ τὸν ἰσημερινόν.

Ὅθεν οὐδ' ἡ τάξις τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων ἡ αὐτὴ παρὰ πᾶσίν ἐστιν. ἀλλ' ἐν μὲν τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ, πρῶτος μὲν ὀνομάζεται ὁ ἀρκτικός· δεύτερος δὲ ὁ θερινὸς τροπικός· τρίτος δὲ ὁ ἰσημερινός· τέταρτος δὲ ὁ χειμερινὸς τροπικός· πέμπτος δὲ ὁ ἀνταρκτικός.

Τοῖς δὲ πρὸς ἄρκτον μᾶλλον ἡμῶν οἰκοῦσι, γίνεταί ποτε πρῶτος μὲν ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος· δεύτερος δὲ ὁ ἀρκτικός. τρίτος δὲ ὁ ἰσημερινός· τέταρτος δὲ ὁ ἀνταρκτικός· πέμπτος δὲ ὁ χειμερινὸς τροπικός. παρ' οἷς γὰρ ὁ ἀρκτικὸς κύκλος μείζων γίνεται τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ, ἀνάγκη τὴν προειρημένην τάξιν ὑπάρχειν.

Ὁμοίως δὲ οὐδὲ δυνάμεις τῶν πέντε παραλλήλων κύκλων παρὰ πᾶσι τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς οἰκοῦσιν αἱ αὐταί εἰσιν. ὁ γὰρ παρ' ἡμῖν θερινὸς τροπικὸς κύκλος τοῖς ἀντίποσι χειμερινὸς τροπικὸς γίνεται κύκλος. ὁ δὲ παρ' ἐκείνοις θερινὸς τροπικός, παρ' ἡμῖν γίνεται χειμερινὸς τροπικός.

Τοῖς δὲ ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκοῦσι τῇ μὲν δυνάμει οἱ τρεῖς κύκλοι θερινοί εἰσι τροπικοί. ὑπ' αὐτὴν γὰρ τὴν πάροδον τοῦ ἡλίου κεῖνται. τῇ δὲ πρὸς ἀλλήλους παραλλαγῇ γίνοιτ' ἂν θερινὸς μὲν τροπικὸς κύκλος ὁ παρ' ἡμῖν ἰσημερινός· χειμερινοὶ δὲ οἱ δύο τροπικοί. φυσικῶς γὰρ λέγοιτ' ἄν, καὶ καθολικῶς πρὸς ἅπασαν τὴν οἰκουμένην θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὑπάρχειν ὁ ἔγγιστα τῆς οἰκήσεως ὑπάρχων. δι' ἣν αἰτίαν τοῖς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκοῦσιν ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος γίνεται ὁ ἰσημερινός. τότε γὰρ αὐτοῖς κατὰ κορυφὴν γίνεται ὁ ἥλιος. ἰσημερινοὶ δὲ κύκλοι γίνονται παρ' αὐτοῖς πάντες οἱ παράλληλοι. ἰσημερία γὰρ διὰ παντός ἐστι παρ' αὐτοῖς. πάντες γὰρ οἱ παράλληλοι κύκλοι διχοτομοῦνται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος.

19 Οὐδὲ αἱ διαστάσεις δὲ αἱ ἀπ' ἀλλήλων τοῖς κύκλοις αἱ αὐταὶ διαμένουσι καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην. ἀλλὰ πρὸς τὴν κατασκευὴν τῶν * σφαιρῶν ὁ μεσημβρινὸς διαιρεῖται οὕτως. τοῦ γὰρ κατὰ πλάτος παντὸς μεσημβρινοῦ κύκλου διῃρημένου εἰς μέρη ξ'. ὁ ἀρκτικὸς ἀπὸ τοῦ πόλου καταγράφεται ἀπέχων ἑξηκοστὰ ϛ'. ὁ δὲ θερινὸς τροπικὸς ἀπὸ τοῦ ἀρκτικοῦ γράφεται ἀπέχων ἑξηκοστὰ ε'. ὁ δὲ ἰσημερινὸς ἀφ' ἑκατέρου τῶν τροπικῶν ἑξηκοστὰ δ'. ὁ δὲ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος ἀπὸ τοῦ ἀνταρκτικοῦ ἀπέχων ἑξηκοστὰ ε'. ὁ δὲ ἀνταρκτικὸς ἀπὸ τοῦ πόλου ἀπέχων ἑξηκοστὰ ϛ'.

* γρ. σφαιρῶν.

Οὐ κατὰ πᾶσαν δὲ χώραν καὶ πόλιν τὰς αὐτὰς διαστάσεις ἔχουσιν ἀπ' ἀλλήλων οἱ κύκλοι. ἀλλ' οἱ μὲν τροπικοὶ κύκλοι ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ κατὰ πᾶν ἔγκλιμα τὴν αὐτὴν ἀπόστασιν ἔχουσιν· οἱ δὲ τροπικοὶ κύκλοι ἀπὸ τῶν ἀρκτικῶν οὐ τὴν αὐτὴν ἔχουσι διάστασιν κατὰ πάντας τοὺς ὁρίζοντας. ἀλλ' οἱ μὲν ἔλασσον, οἱ δὲ πλεῖον διεστήκασιν.

Ὁμοίως δὲ οὐδὲ οἱ ἀρκτικοὶ ἀπὸ τῶν πόλων τὴν ἴσην ἀπόστασιν ἔχουσι κατὰ πᾶν ἔγκλιμα. ἀλλ' οἱ μὲν ἐλάσσονα, οἱ δὲ πλείονα. καταγράφονται μέντοι γε πᾶσαι αἱ περιφέρειαι πρὸς τὸν ἐν τῇ Ἑλλάδι ὁρίζοντα.

Διὰ τῶν πόλων δέ εἰσι κύκλοι, οἱ ὑπό τινων κόλουροι προσαγορευόμενοι. οἷς συμβέβηκεν ἐν τῇ ἰδίᾳ * περιφερείᾳ τοὺς τοῦ κόσμου πόλους ἔχειν. κόλουροι δὲ καλοῦνται, διὰ τὸ μέρη τινὰ αὐτῶν ἀθεώρητα γίνεσθαι. οἱ μὲν γὰρ λοιποὶ κύκλοι κατὰ τὴν περιστροφὴν τοῦ κόσμου ὅλοι θεωροῦνται. τῶν δὲ κολούρων κύκλων μέρη τινά ἐστιν ἀθεώρητα, τὰ ὑπὸ τοῦ ἀνταρκτικοῦ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβανόμενα. γράφονται δὲ οὗτοι οἱ διὰ τῶν πόλων διὰ τῶν τροπικῶν, καὶ ἰσημερινῶν σημείων· καὶ εἰς δ' μέρη ἴσα διαιροῦσι τὸν διὰ μέσων τῶν ζῳδίων κύκλον.

* γρ. ἰδίῳ κυκλίῳ.

qua æſtivus tropicus circulus attingit horizontem, & ſitum arctici circuli accipit. ſecunda eſt habitatio, quæ dicitur eſſe ſub polo. tertia eſt habitatio, de qua paullò ante diximus, quæ dicitur eſſe ſub æquinoctiali.

Unde ne ordo quidem quinque parallelorum idem eſt apud omnes, ſed in noſtra habitatione primus nominatur circulus arcticus, ſecundus æſtivus tropicus, tertius æquinoctialis, quartus hybernus tropicus, quintus antarcticus.

Iis verò, qui magis habitant verſùs Septentrionem, quàm nos, fit aliquando primus æſtivus tropicus circulus, ſecundus arcticus, tertius æquinoctialis, quartus antarcticus, quintus hybernus tropicus. apud quos enim arcticus circulus fit major æſtivo tropico, neceſſe eſt apud eos prædictum eſſe ordinem circulorum.

Similiter neque vires quinque parallelorum circulorum apud omnes eos, qui in terra habitant, ſunt eædem. nam qui apud nos eſt æſtivus tropicus circulus, is antipodibus fit hybernus tropicus circulus. qui verò apud illos eſt æſtivus tropicus, is apud nos fit hybernus tropicus.

Vires parallelorum circulorum diverſæ in diverſis locis terræ.

Iis verò, qui ſub æquinoctiali habitant, quoad potentiam, tres circuli ſunt æſtivi tropici. ſunt enim collocati ſub ipſo tranſitu ſolis: ſed quoad circulorum inter ſe diverſitatem, fit illis æſtivus tropicus circulus is, qui nobis eſt æquinoctialis: hyberni verò ii, qui nobis ſunt duo tropici. ſecundùm naturam enim, & univerſaliter in omni habitatione æſtivus tropicus dicendus erat is, qui proximus eſt habitationi. quam ob cauſſam iis, qui ſub æquinoctiali habitant, æſtivus tropicus circulus fit is, qui nobis eſt æquinoctialis. tunc enim illis ſol fit verticalis: æquinoctiales verò circuli apud eos fiunt omnes paralleli. æquinoctium enim ſemper eſt apud illos. omnes enim paralleli circuli æqualiter ab horizonte ſecantur.

Neque his circulis à ſe invicem eædem permanent diſtantiæ per totam terram habitabilem ſed ad deſcriptionem ſphærarum meridianus ſic dividitur. toto enim meridiano ſecundùm latitudinem diviſo in partes 60, arcticus à polo deſcribitur diſtans hujuſmodi partibus 6, æſtivus tropicus ab arctico deſcribitur diſtans 5, æquinoctialis ab utroque tropico, 4, hybernus tropicus circulus ab antarctico deſcribitur diſtans 5, antarcticus verò à polo diſtans hujuſmodi partibus 6.

Parallelorum diſtantiæ diverſæ.

At non per omnes regiones, & urbes hi circuli has habent à ſe invicem diſtantias: tropici verò circuli ab æquinoctiali in omni climate eamdem habent diſtantiam: ſed tropici circuli ab arcticis non eamdem habent diſtantiam in omnibus horizontibus, ſed alii minùs, alii plus diſtant.

Similiter neque arctici à polis æqualem habent diſtantiam in omni climate, ſed alii minorem, alii majorem. deſcribuntur tamen omnes circumferentiæ ad horizontem Græciæ.

Per polos ducti circuli ſunt ii, qui à quibuſdam vocantur coluri, quibus contingit in propriis circumferentiis mundi polos habere. vocantur autem coluri, eo quòd eorum partes aliquæ ſint inviſibiles. reliqui enim circuli toti ſpectantur ſecundùm mundi converſionem: at colurorum circulorum partes aliquæ ſunt inviſibiles, eæ videlicet, quæ ab antarctico ſub horizonte deſumuntur. ſcribuntur autem hi, qui per polos ſunt ducti, per puncta ſolſtitialia, & æquinoctialia, & in quatuor partes æquales dividunt eclipticam.

Obliquus

vertex loci polo zodiaci ſubeſt. ac zodiacus ſemel in die horizontis inſtar habet. Secunda habitatio eſt ubi vertex eſt mundi polus. Nam ibi nullus eſt circulus arcticus. uti nec in tertia, quæ ſubjacet æquatori.

19 Οὐδ' αἱ διαστάσεις δὲ] Mira & Scriptoris hujus, & aliorum multorum inconſtantia in cœli poſitu, & εἰκόνι certa finienda. Sæpiùs enim Macedonicum, ſive Arateum clima cum Rhodio permiſceat & cum utroque Græcum, ſive Atticum. Noſter paullò antè ſignificaverat pag. 10, ibi, ubi tùm degebat, attolli polum gradibus 41. hoc eſt diem eſſe maximam horarum 15. Idem tamen pag. 8. circulum arcticum talem ei regioni tribuit, qui Atticæ, Græciæque congruat, ut ſuprà demonſtravimus. Hoc verò loco rem imprudens ad Rhodiacum parallelum tranſtulit. Circulum antiqui in ſexaginta partes tribuere ſolebant, qua ratione ſemicirculo triginta competebant. Ad hunc modum Eratoſthenes, aliique intervalla parallelorum dimenſi ſunt, ſive ea per partes ſexagenas; ſive per ſtadiaſmos conciperent. Hoc è Strabone lib. II, Achille Tatio Iſag. capite XXXIX, aliiſque conſtat. Ea intervalla, quod hic Geminus aſſignat, colligitur ἔξαρμα poli graduum 36. Eſt enim numerus 6 decima pars ſexagenarii; ſicut 36. decima pars 360. Quare cùm circulus arcticus, cujus ſemidiameter eſt altitudo poli, partibus 6. à polo diſtet, cujuſmodi totus circulus 60. continet; eadem altitudo partium 36 erit, qualium circulus eſt 360. Sic duodecima pars 60. ſunt 5. uti pars duodecima numeri 360. ſunt 30. quare ab arctico paralleli Rhodii ad ſolſtitialem tropicum gradus 30, partes ſexagenariæ 5. & ſic in ceteris. Eadem diſtributio apud Achillem Tatium exſtat citato loco, ubi numeri mendoſi ſunt: & ex hac ratione corrigi debent. Hyginus quoque lib. I. Aſtronom. Poet. eamdem adhibet. Apparet aſtronomos ἔξαρμα Rhodiacum libenter ad exemplum, ac ſpecimen aſſumpſiſſe, propter commoditatem partitionum, & ἀναλογιῶν, quæ in duodenario numero inſtituuntur. Eſt enim numerus 36. duodenarius. Sanè Ptolemæus libro II eo parallelo potiſſimùm utitur. Ea res fecit, ut alii per imprudentiam quæ illius propria ſunt ceteris omnibus accommodarent. Ac Geminus paullò infrà monet circulos omnes in vulgaris ſphæris exigi ad horizontem Græciæ. quod ne ipſe quidem accuratè tenuit. Nam ἔξαρμα Græciæ, hoc eſt Atticæ graduum eſt circiter 37. ut Hipparchus docet lib. I. Verùm quia Rhodus Græca civitas eſt, & pars aliqua Græciæ, ut Peloponneſi pleraque, ſub eodem ſita eſt parallelo; ideo hunc ipſum toti imputavit Græciæ. Fruſtrà Procli, imò verò Gemini inconſtantiam iſtam ex refractionibus conciliare ſtudent eruditi Mathematici. Vera eſt illius origo, quam attigi.

Obliquus autem eſt circulus is, qui duodecim eſt ſignorum. hic verò ex tribus circulis parallelis compoſitus eſt, quorum hi quidem latitudinem zodiaci circuli determinare dicuntur; iſte verò dicitur circulus per media ſigna. hic attingit duos circulos cùm æquales, tum parallelos: nempè æſtivum tropicum per cancri primam partem: hybernum verò tropicum per capricorni primam partem: æquinoctialem autem æqualiter dividit per arietis primam partem, & per libræ primam partem. latitudo zodiaci eſt partium 12. dicitur zodiacus circulus obliquus, eo quòd obliquè ſecat circulos parallelos.

Zodiacus. Ecliptica.

Horizon eſt circulus, qui nobis diſtinguit & apparentem & non apparentem partem mundi, & æqualiter dividit totam ſphæram mundi, itaut hemiſphærium ſupra terram deſumatur, hemiſphærium verò infra terram. Sunt autem horizontes duo, unus qui eſt ſenſibilis, alter qui ratione percipitur. ſenſibilis horizon eſt qui à noſtro viſu deſcribitus ſecundùm determinationem viſus, qui non habet majorem diametrum ſtadiis 2000. at horizon, qui ratione percipitur, pervenit ad ſphæram ſtellarum fixarum, & totum mundum æqualiter dividit.

Horizon.

Senſibilis diametri magnitudo 2000 ſtadiorum.

Non eſt autem idem horizon per omnes urbes & regiones, ſed quoad ſenſum ferè in ſtadiis 400 idem horizon permanet, itaut & magnitudines dierum, & clima, & omnes apparentiæ eædem permaneant.

Cùm verò plura fuerint ſtadia juxta diverſitatem habitationis, alius fit horizon, climate differens, & omnes apparentiæ mutantur. verumtamen oportet diverſitatem habitationis, quæ 100 ſtadia ſuperat, accipi ſecundùm acceſſum ad ſeptentrionem, & meridiem. nam iis, qui habitant ſub eodem parallelo, & decem millibus ſtadiorum à ſe invicem diſtant, diverſus quidem eſt horizon, ſed clima eſt idem, omnéſque apparentiæ ſunt ſimiles. at principia, & fines dierum non ſimul omnibus erunt, qui in eodem parallelo habitant. ſecundùm rationis autem exactum judicium, ſtatim cùm fit vel minimus acceſſus verſus quamcumque mundi partem, mutatur & horizon, & clima, omnéſque apparentiæ ſunt diverſæ.

Non deſcribitur autem horizon in ſphæris propter talem cauſſam, quòd reliqui circuli omnes, cùm mundus ab ortu in occaſum fertur, unà convertantur & ipſi cum motu mundi. at horizon natura eſt immobilis, ſempèrque eumdem ſervat ſitum. ſi igitur horizontes deſcriberentur in ſphæris, ſphæris motis, contingeret & horizontem moveri, & fieri verticalem: quod non eſt cogitandum, éſtque alienum à doctrina ſphærica: ſitus tamen horizontis ex receptaculo ſphæræ intelligitur.

Meridianus.

Meridianus eſt circulus, qui per mundi polos & per punctum verticale deſcribitur, ad quem ubi ſol pervenit, medietates dierum, & medietates noctium efficit. eſt & hic circulus immobilis in mundo, & eumdem locum retinet in tota mundi converſione. neque hic circulus deſcribitur in ſphæris ſtelliferis, eo quód & immobilis ſit, nec ullam admittat mutationem.

Non eſt autem per omnes regiones & urbes idem meridianus: ſed quoad ſenſum, ferè ad ſtadia 300. idem permanet meridianus: quoad rationis judicium, ſtatim cùm fit quantuluſcumque progreſſus vel verſus orientem, vel verſus occaſum, alius fit meridianus. nam ſecundùm progreſſum verſus ſeptentrionem, & verſus meridiem, etiamſi intercedant ſtadiorum decem millia, tamen idem manet meridianus: ſecundùm progreſſum veró ab ortu verſus occaſum differentiæ exiſtunt meridianorum.

Viæ lacteæ circulus.

Obliquus etiam eſt circulus viæ lacteæ. hic enim circulus majori latitudine obliquatus eſt, quàm ut inter tropicos contineatur, & compoſitus eſt ex tenuitate nebuloſa. ſolus etiam hic in mundo eſt conſpicuus. ejus latitudo non eſt diſtincta, ſed ſecundùm alias partes hic circulus eſt latior, ſecundùm alias anguſtior. ob quam cauſam in plurimis ſphæris ne deſcribitur quidem viæ lacteæ circulus. eſt & hic unus maximorum circulorum. maximi enim in ſphæris dicuntur circuli illi, qui idem cum ſphæra habent centrum. ſunt autem maximi circuli ſeptem, æquinoctialis; zodiacus; & circulus per medietates ſignorum; circuli per polos; circulus qui in omni habi-

Λοξὸς δέ ἐστι κύκλος ὁ τῶν ιβʹ ζῳδίων, αὐτὸς δὲ ἐκ γʹ κύκλων παραλλήλων συνέστηκεν· ὧν οἱ μὲν τὸ πλάτος ἀφορίζειν λέγονται τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου. ὁ δὲ διὰ μέσων τῶν ζῳδίων καλεῖται. οὗτος δὲ ἐφάπτεται δύο κύκλων ἴσων τε καὶ παραλλήλων· τοῦ μὲν θερινοῦ τροπικοῦ κατὰ τὴν τοῦ καρκίνου πρώτην μοῖραν· τοῦ δὲ χειμερινοῦ τροπικοῦ κατὰ τὴν τοῦ αἰγόκερω πρώτην μοῖραν· τὸν δὲ ἰσημερινὸν δίχα τέμνει κατὰ τὴν τοῦ κριοῦ πρώτην μοῖραν, καὶ κατὰ τὴν τοῦ ζυγοῦ πρώτην μοῖραν· τὸ δὲ πλάτος ἐστὶ τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου μοιρῶν ιβʹ. λοξὸς δὲ καλεῖται ὁ ζῳδιακὸς κύκλος, διὰ τὸ λοξῶς τέμνειν τοὺς παραλλήλους κύκλους.

[20] Ὁρίζων δέ ἐστι κύκλος ὁ διορίζων ἡμῖν τό τε φανερὸν, καὶ τὸ ἀφανὲς μέρος τοῦ κόσμου, καὶ διχοτομῶν τὴν ὅλην σφαῖραν τοῦ κόσμου· ὥστε ἡμισφαίριον μὲν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, ἡμισφαίριον δὲ ὑπὸ γῆν. εἰσὶ δὲ οἱ ὁρίζοντες δύο, ὁ μὲν ὁ αἰσθητός· ἕτερος δὲ ὁ λόγῳ θεωρητός. αἰσθητὸς μὲν οὖν ἐστιν ὁρίζων ὁ ὑπὸ τῆς ἡμετέρας ὄψεως περιγραφόμενος κατὰ τὸν ἀποτερματισμὸν τῆς ὁράσεως, ὃς οὐ μείζονα τὴν διάμετρον ἔχει σταδίων, βʹ. ὁ δὲ λόγῳ θεωρητὸς ὁρίζων ἐστὶν, ὁ μέχρι τῆς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων σφαίρας διήκων, καὶ διχοτομῶν τὸν ὅλον κόσμον.

Οὐ κατὰ πᾶσαν δὲ πόλιν, καὶ χώραν ὁ αὐτός ἐστιν ὁρίζων. ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν αἴσθησιν σχεδὸν ἐπὶ σταδίους υʹ ὁ αὐτὸς ὁρίζων διαμένει, ὥστε καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν, καὶ τὸ κλίμα, καὶ τὰ πάντα φαινόμενα τὰ αὐτὰ διαμένειν.

Πλειόνων δὲ σταδίων γενομένων κατὰ τὴν παραλλαγὴν τῆς οἰκήσεως, [21] ἕτερος ὁρίζων γίνεται, κατὰ τὸ κλίμα διαφέρων, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα μεταπίπτει. δεῖ μέντοι γε τὴν παραλλαγὴν τῆς οἰκήσεως τὴν ὑπὲρ υʹ στάδια λαμβάνεσθαι κατὰ τὴν πρὸς ἄρκτον, καὶ πρὸς μεσημβρίαν πάροδον. τοῖς μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου οἰκοῦσι, καὶ ἀπὸ μυρίων σταδίων ὑπάρχουσι, ὁ μὲν ὁρίζων ἐστὶ διάφορος, τὸ δὲ κλίμα τὸ αὐτὸ, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα παραπλήσια. αἱ μέντοι γε ἀρχαὶ, καὶ τελευταὶ τῶν ἡμερῶν οὐχ ἅμα πᾶσιν ἔσονται τοῖς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου οἰκοῦσι· κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν λόγον ἀκρίβειαν ἅμα τῷ συμμικρὰν πάροδον γίνεσθαι καθ' ὁποιονοῦν μέρος τοῦ κόσμου, μεταπίπτει καὶ ὁ ὁρίζων, καὶ τὸ ἔγκλιμα, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα διάφορα.

Οὐ καταγράφεται δὲ ὁ ὁρίζων ἐν ταῖς σφαίραις δι' αἰτίαν τοιαύτην, ὅτι οἱ μὲν λοιποὶ κύκλοι πάντες φερομένου τοῦ κόσμου ἀπ' ἀνατολῶν ἐπὶ τὴν δύσιν, συμπεριφέρονται καὶ αὐτοὶ ἅμα τῇ τοῦ κόσμου κινήσει· ὁ δὲ ὁρίζων ἐστὶ φύσει ἀκίνητος, καὶ τὴν αὐτὴν τάξιν διαφυλάττων διὰ παντός. εἰ οὖν κατεγράφοντο οἱ ὁρίζοντες ἐν ταῖς σφαίραις στρεφομένων αὐτῶν, συνέβαινεν ἂν τὸν ὁρίζοντα κινεῖσθαι, καὶ κατὰ κορυφὴν γίνεσθαι· ὅπερ ἐστὶν ἀδιανόητον, καὶ ἀλλότριον τοῦ σφαιρικοῦ λόγου. [22] ὑπὸ μέν γε τῆς σφαιροθήκης ἡ τοῦ ὁρίζοντος θέσις κατανοεῖται.

Μεσημβρινὸς δέ ἐστι κύκλος ὁ διὰ τῶν τοῦ κόσμου πόλων, καὶ τοῦ κατὰ κορυφὴν σημείου γραφόμενος [κύκλος] ἐφ' οὗ γινόμενος ὁ ἥλιος τὰ μέσα τῶν ἡμερῶν, καὶ τὰ μέσα τῶν νυκτῶν ποιεῖται. καὶ οὗτος δέ ἐστιν ὁ κύκλος ἀκίνητος ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ τὴν αὐτὴν τάξιν διαφυλάσσων ἐν ὅλῃ τῇ τοῦ κόσμου περιστροφῇ· οὐ καταγράφεται δὲ οὐδὲ οὗτος ὁ κύκλος ἐν ταῖς κατηστερισμέναις σφαίραις, διὰ τὸ καὶ ἀκίνητος εἶναι, καὶ μηδεμίαν ἐπιδέχεσθαι μετάπτωσιν.

Οὐ κατὰ πᾶσαν δὲ χώραν, καὶ πόλιν ὁ αὐτός ἐστι μεσημβρινός· ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν αἴσθησιν σχεδὸν ἐπὶ σταδίους τʹ ὁ αὐτὸς μεσημβρινὸς διαμένει· πρὸς δὲ τὴν ἐν τῷ λόγῳ ἀκρίβειαν, ἅμα τῷ τὴν τυχοῦσαν γίνεσθαι πάροδον ἢ πρὸς ἀνατολὴν ἢ πρὸς δύσιν, ἕτερος γίνεται μεσημβρινός. κατὰ μὲν γὰρ τὴν πρὸς ἄρκτον, καὶ πρὸς μεσημβρίαν πάροδον, καὶ ἐὰν μεταξὺ μύριοι στάδιοι ὑπάρχωσι, ὁ αὐτὸς μένει μεσημβρινός· κατὰ δὲ τὴν ἀπ' ἀνατολῆς πρὸς δύσιν πάροδον διαφοραὶ μεσημβρινῶν.

Λοξὸς δέ ἐστι κύκλος καὶ ὁ τοῦ γάλακτος. οὗτος μὲν μείζονι πλάτει λελόξωται τῶν τροπικῶν κύκλων· συνέστηκε δὲ ἐκ βραχυμερείας νεφελοειδοῦς· καὶ ἔστιν ἐν τῷ κόσμῳ μόνος θεωρητός. * οὐχ ὥρισται δὲ αὐτοῦ τὸ πλάτος, ἀλλὰ κατὰ μέν τινα μέρη πλατύτερός ἐστι· κατὰ δὲ τινα στενότερος. δι' ἣν τινα αἰτίαν ἐν ταῖς πλείσταις σφαίραις οὐδὲ καταγράφεται ὁ τοῦ γάλακτος κύκλος. ἔστι δὲ καὶ οὗτος τῶν μεγίστων κύκλων. μέγιστοι γὰρ ἐν σφαίραις λέγονται κύκλοι οἱ τὸ αὐτὸ κέντρον ἔχοντες τῇ σφαίρᾳ. εἰσὶ δὲ μέγιστοι κύκλοι ἑπτά· ἰσημερινός· ζῳδιακός· καὶ ὁ διὰ μέσων τῶν ζῳδίων· οἱ διὰ τῶν πόλων· ὁ καθ'

* [illegible]

20 Ὁρίζων δέ ἐστι κύκλος.] Totus hic locus pleniſſimè à nobis expoſitus eſt lib. VII.

21 Ἕτερος ὁρίζων γίνεται] Ita in editis, & Anglicano codice, ac noſtro. Perperam itaque Salmaſius emendat, καὶ τὸ κλίμα διάφορον. quod etſi eodem recurrit, tamen & vulgatæ lectioni ſententia conſtat; & temerè ſollicitari non debet.

Salmaſ. Plin. Exerc. pag. 661. D.

22 Ὑπὸ μέν γε τῆς σφαιροθήκης.] Leg. ἀπὸ.

καθ' ἑκάστην οἴκησιν διορίζων· ὁ μεσημβρινός· ὁ τοῦ γάλακτος.

tatione viſam mundi partem à non viſa ſeparat; meridianus; & circulus viæ lacteæ.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ϛ'.

Περὶ ἡμέρας καὶ νυκτός.

Ἡμέρα λέγεται διχῶς· καθ' ἕνα μὲν τρόπον χρόνος ὁ ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου μέχρι δύσεως. καθ' ἕτερον δὲ τρόπον ἡμέρα λέγεται χρόνος ὁ ἀφ' ἡλίου ἀνατολῆς μέχρις ἡλίου αὖθις ἀνατολῆς. ἔστι δὲ ἡμέρα κατὰ τὸν δεύτερον τρόπον τοῦ κόσμου περιστροφή, καὶ τῆς περιφερείας [ἀνατολῆς] ἣν ὁ ἥλιος μεταβαίνει ὑπεναντίως κινούμενος τῷ κόσμῳ ἐν τῇ περιστροφῇ τοῦ κόσμου. δι' ἣν αἰτίαν οὐδ' ἐστὶ τὸ συναμφότερον, νὺξ καὶ ἡμέρα ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἴση πάσῃ νυκτὶ καὶ ἡμέρᾳ· ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν αἴσθησιν ἴσα τὰ μεγέθη ἐστί. πρὸς δὲ τὴν ἐν τῷ λόγῳ ἀκρίβειαν μικρά τις, καὶ ἀνεπαίσθητος ἡ παραλλαγή. αἱ μὲν γὰρ τοῦ κόσμου περιστροφαὶ ἰσόχρονοί εἰσιν. αἱ δὲ τῶν περιφερειῶν ἀνατολαί, ἃς ὁ ἥλιος μεταβαίνει ἐν τῇ τοῦ κόσμου περιστροφῇ, οὐκ εἰσὶν ἰσόχρονοι. δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἔστι συναμφότερον πᾶσα νὺξ καὶ ἡμέρα συναμφοτέρᾳ, πάσῃ νυκτὶ καὶ ἡμέρᾳ ἴση.

Κατὰ δὲ τὸν δεύτερον τρόπον τῆς διαιρέσεως τῶν ἡμερῶν, τὸν μὲν μῆνα λέγομεν εἶναι ἡμερῶν λ', τὸν δὲ ἐνιαυτὸν ἡμερῶν τξέ. $\frac{\alpha}{\delta}$ ἔστι δὲ τὸ συναμφότερον νύξ, καὶ ἡμέρα χρόνος ὡρῶν ἰσημερινῶν κδ', ἰσημερινὴ δὲ ὥρα τὸ $\frac{\alpha}{\kappa\delta}$ μέρος τοῦ χρόνου τοῦ συγκειμένου ἐκ νυκτὸς καὶ ἡμέρας.

Οὐ κατὰ πᾶσαν δὲ χώραν, καὶ πόλιν τὰ αὐτὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν ἐστίν· ἀλλὰ τοῖς μὲν πρὸς ἄρκτον οἰκοῦσι μείζονες καὶ ἡμέραι γίνονται· τοῖς δὲ πρὸς μεσημβρίαν ἐλάσσονες.

Ἔστι δὲ ἐν Ῥόδῳ μὲν ἡ μεγίστη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ιδ' $\frac{\alpha}{\beta}$ περὶ δὲ Ῥώμην ἡ μεγίστη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ιε'. τοῖς δ' ἔτι βορειοτέροις οἰκοῦσι τῆς Προποντίδος μεγίστη ἡμέρα γίνεται ὡρῶν ἰσημερινῶν ιϛ'· καὶ ἔτι τοῖς βορειοτέροις ιζ', καὶ ιη' ὡρῶν ἡ μεγίστη ἡμέρα γίνεται.

[23] Ἐπὶ δὲ τοὺς τόπους τούτους δοκεῖ καὶ Πυθέας ὁ Μασσαλιώτης παρεῖναι. Φησὶ γοῦν ἐν τοῖς περὶ τοῦ ὠκεανοῦ πεπραγματευμένοις αὐτῷ, ὅτι ἐδείκνυον ἡμῖν οἱ βάρβαροι, ὅπου ὁ ἥλιος κοιμᾶται. συνέβαινε γὰρ περὶ τούτους τοὺς τόπους τὴν μὲν νύκτα παντελῶς μικρὰν γίνεσθαι ὡρῶν οἷς μὲν β', οἷς δὲ γ'· ὥστε μετὰ τὴν δύσιν μικροῦ διαλείμματος γενομένου, ἐπανατέλλειν εὐθέως τὸν ἥλιον. [24] Κράτης δὲ ὁ Γραμματικός φησι τῶν τόπων τούτων, καὶ Ὅμηρον μεμνῆσθαι ἐν οἷς φησιν Ὀδυσσεύς.

Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην, ὅθι ποιμένα ποιμὴν
Ἠπύει εἰσελάων· ὁ δέ τ' ἐξελάων ὑπακούει.
Ἔνθα κ' ἄϋπνος ἀνὴρ δοιοὺς ἐξήρατο μισθούς.
Τὸν μὲν βουκολέων· τὸν δ' ἄργυφα μῆλα νομεύων.
Ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε, καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι.

Περὶ γὰρ τοὺς τόπους τούτους γενομένης μεγίστης ἡμέρας ὡρῶν * κα' ἰσημερινῶν, ἡ νὺξ μικρὰ παντάπασιν εἶναι ἀπολείπεται * ὡρῶν γ'· ὥστε πλησιάζειν τὴν δύσιν τῇ ἀνατολῇ. μικρᾶς παντάπασι τῆς περιφερείας ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβανομένης ὑπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ. εἰ τις οὖν, φησί, δύναιτο διαγρυπνεῖν τὰς τηλικαύτας ἡμέρας, διπλοῦς ἐξοίσεται μισθούς· τὸν μὲν βουκολέων· τὸν δ' ἄργυφα μῆλα νομεύων. εἶτα ἐπιφέρει τὴν αἰτίαν μαθηματικὴν οὖσαν, καὶ σύμφωνον τῷ σφαιρικῷ λόγῳ.

* κγ'.
* χ. ἀφαιρεῖ.

Ἐγγὺς γὰρ νυκτός τε, καὶ ἤματός εἰσι κέλευθοι.

τοῦτο δ' ἐστὶν ὅτι ἡ δύσις παράκειται τῇ ἀνατολῇ.

Ἔτι δὲ μᾶλλον πρὸς ἄρκτον ἡμῶν προελθόντων, γίνεται ὁ θερινὸς τροπικὸς κύκλος ὅλος ὑπὲρ γῆν· ὥστε ἐν ταῖς θεριναῖς τροπαῖς τὴν παρ' ἐκείνοις ἡμέραν γίνεσθαι ὡρῶν ἰσημερινῶν κδ', τοῖς δὲ ἔτι πρὸς ἄρκτον οἰκοῦσι, γίνεται μέρος τι

CAPUT V.

De die & nocte.

Dies dicitur dupliciter, uno modo tempus illud, quod eſt ab ortu ſolis uſque ad occaſum: altero modo, dies dicitur tempus, quod eſt ab ortu ſolis uſque ad proximum ortum ſolis. eſt autem dies juxta ſecundum modum converſio mundi, & ortus ejus arcus, quem ſol peragrat, dum in converſione mundi movetur contra mundum. quam ob cauſſam neque compoſitum illud tempus ex nocte, & die ſimul ſumptis, æquale eſt omni nocti, & diei: ſed quoad ſenſum magnitudines ſunt æquales, quoad rationis judicium parva quædam eſt, atque inſenſibilis diverſitas. mundi enim converſiones inter ſe temporibus ſunt æquales: ſed arcuum aſcenſiones, quos ſol conficit in mundi converſione, non ſunt temporibus æquales. quam ob cauſſam non eſt compoſitum illud tempus, nempe omnis nox, & dies, compoſito illi tempori, ſcilicet omni nocti, & diei æquale. Dies artificialis. Dies naturalis.

Secundùm alterum modum diviſionis dierum, menſem dicimus eſſe dierum 30. annum verò dierum 365¼. eſt autem tempus ex nocte, & die compoſitum horarum æquinoctialium 24. æquinoctialis autem hora eſt $\frac{1}{24}$. pars temporis compoſiti ex nocte, & die.

Non ſunt autem per omnes regiones, & urbes eædem magnitudines dierum, ſed iis, qui verſus ſeptentrionem habitant, majores fiunt & dies, minores verò iis, qui verſus meridiem habitant.

Eſt autem in Rhodo longiſſima dies horarum æquinoctialium 14½. circa Romam longiſſima dies horarum æquinoctialium 15. iis verò qui habitant aliquantulùm ultra Propontida verſus boream, longiſſima dies fit horarum æquinoctialium 16. & adhuc magis borealibus 17. & 18. horarum longiſſima fit dies.

Ad loca hæc videtur etiam Pytheas Maſſilienſis acceſſiſſe. Inquit igitur in libris ſuis de Oceano ſcriptis: ſic, *Monſtrabant nobis barbari, ubi ſol cubaret. Eveniebat enim circa hæc loca noctem quidem valdè parvam fieri, his quidem horarum 2. illis verò 3. ut poſt occaſum, parvo intervallo interpoſito, ſtatim ſol poſtea oriretur.* Crates Grammaticus inquit horum locorum etiam Homerum meminiſſe in his, quæ Ulyſſes dicit:

Altiportam Læſtrygoniam, ubi paſtorem paſtor
Vocat adducens: ille verò educens exaudit.
Ubi etiam inſomnis vir duplices excipit mercedes,
Unam boves paſcens, alteram argenteas oves paſcens.
Propè enim & noctis, & diei ſunt viæ.

Cùm enim circa hæc loca maxima dies ſit horarum æquinoctialium 21. nox omnino parva relinquitur eſſe horarum 3. ita ut occaſus propinquus ſit ortui, cùm prorſus parvus arcus de æſtivo tropico infra horizontem deſumatur. ſi quis igitur, inquit, poſſet pervigilare per tantos dies, duplicem mercedem ferret; unam quòd boves; alteram, quòd argenteas oves paſceret. deinde adjicit rationem, quæ eſt mathematica, & congruens cum ſphærica doctrina.

Propè enim & noctis, & diei ſunt viæ.

id autem eſt quod occaſus apponitur ortui.

Cùm verò adhuc magis verſus ſeptentrionem progredimur, fit æſtivus tropicus circulus totus ſupra terram; ut in æſtivis converſionibus dies apud illos fiat horarum æquinoctialium 24. iis verò, qui adhuc magis verſus ſeptentrionem

---

23 Ἐπὶ δὲ τοὺς τόπους.] Non ea præciſè loca, ubi maxima dies fit horarum 17, vel 18. Sed ulteriora ea quoque, ubi eſt horarum 21, & 22, ut ex ſequentibus apparet. quod in elevatione graduum 65, 66, ac deinceps evenit.

24 Κράτης δὲ ὁ Γραμματικός.] Euſtathius ad Odyſſ. K. verſus illos exponens, qui à Gemino citantur, ait Cratetem illius interpretationis auctorem exſtitiſſe, quæ Homericos verſus ad exquiſitiorem, & Mathematicam rationem exigit. Nam ſimplicior iſtorum ſententia traditur, noctu, & interdiu pariter operam dediſſe paſtioni Læſtrygonas; ac noctu quidem boves, ob æſtrorum, & ejuſmodi peſtium metum; de die verò, villis munita pecora paviſſe. Porrò ἀελίβοτον ἡμερινόν, καὶ νυκτός, *diurna*, & *nocturna paſcua* vocari. Ita Euſtathius. quæ quidem expoſitio detorta, & violenta mihi videtur. Altera itaque melior, quam ex eodem Cratete etiam Euſtathius attulit. Qui hoc inſuper addit. Cratetem ſub Draconis capite tractum illum collocaſſe. Verùm cùm Draconis caput ex Eudoxi, & Hipparchi ratiociniis, à paullò diſtaret gradibus 37, ἔξαρμα poli non niſi graduum eſſet 53. ac dies longiſſimo horarum ferè 17. quod non convenit. Nox enim horarum erit circiter 7. Sed neque ſatis rectè ad idem inſtitutum Arateum illum verſum accommodat Euſtathius:

———— ἧχί περ ἄκραι
Μίσγονται δύσιές τε, καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσι.

De quo poſteà.

nem habitant, ſit arcus aliquis zodiaci circuli ſemper ſupra terram: & apud quos ſigni magnitudo ſupra horizontem deſumitur, apud eos menſtrua ſit dies. apud quos duo ſigna ſupra terram deſumuntur, bimeſtrem contingit longiſſimam dierum diem fieri. tandem eſt locus aliquis extremus ad ſeptentrionem ſitus, in quo polus mundi ſit verticalis. zodiaci ſex ſigna ſupra horizontem deſumuntur: dies verò longiſſima apud eos ſit ſemeſtris: ſimiliter & nox. & horum locorum videtur etiam Homerus meminiſſe, ut inquit Crates Grammaticus, cùm de Cimmeriorum habitatione dicit:

Hìc verò Cimmeriorum virorum populique urbeſque
Aëre, & nebula tecti. neque umquam eos
Sol ſplendens aſpicit radiis;
Neque cùm aſcendit ad cælum ſtelliferum;
Neque cùm rurſus cælitus ad terram convertitur.
Sed nox triſtis extenſa eſt ſuper miſeros homines.

Cùm enim polus mundi eſt verticalis, contingit diem fieri ſemeſtrem, ſimiliter & noctem. trimeſtris enim ſit, in quanto tempore ſol ab æquinoctiali circulo, qui horizontis locum obtinet, ad æſtivum tropicum circulum accedit. altera verò trimeſtris dies, in qua ab æſtivo tropico ad horizontem deſcendit. atque omni hoc tempore per circulos parallelos, qui ſunt ſupra terram, feretur. cùm verò contingat hanc habitationem in media frigida, atque inhabitabili zona eſſe, neceſſe eſt ſemper nebulis occupari locum, & in magna aëris profunditate nebulas conſtitutas eſſe, nec poſſe ſolis radios nebulas illas diſſipare. itaque conſentaneum eſt ſemper apud ipſos eſſe noctis tenebras. cùm enim ſupra terram fuerit ſol, tenebræ ſunt apud ipſos propter craſſitiem nebularum. cùm verò infra horizontem ſol fuerit, propter naturalem neceſſitatem nox eſt apud eos: ita ut ſemper eorum habitatio lumine careat. hoc igitur, inquit, eſt illud, quod à poëta dicitur,

——— neque umquam eos
Sol ſplendens aſpicit radiis.

An igitur hæc cogitet Homerus, alia eſto oratio. quòd autem ſint loca quædam, cùm terra ſit globoſa, quæ prædictas magnitudines dierum inter ſe habeant, manifeſtum eſt ea ipſa ſphæræ figura. loca certè hæc inhabitabilia eſſe contingit propter frigoris exceſſum. ſunt enim ſita in media zona frigida.

Contrà verò iis, qui verſus meridiem habitant, minores ſemper, & adhuc minores ſiunt dies: apud alios quidem longiſſima dies eſt horarum æquinoctialium 14. apud alios 13.

Tandem eſt regio quædam magis nobis verſus meridiem ſita, quæ dicitur eſſe ſub æquinoctiali, in qua poli mundi in horizonte ponuntur, ſphæra autem mundi recta conſtituitur. æqualiter autem ſecantur omnes paralleli circuli, qui deſcribuntur à ſole ſecundùm quotidianam mundi converſionem. quam ob cauſſam apud eos ſemper eſt æquinoctium. non enim propter aliam quamdam cauſam exiſtit dierum inæqualitas, niſi propter poli exaltationem, quæ mundi vocatur inclinatio. evenit enim propter poli exaltationem, eorum circulorum, qui ab æquinoctiali uſque ad æſtivum tropicum deſcribuntur, majora quidem ſupra terram eſſe ſegmenta, minora autem infra terram. eorum verò, qui ab æquinoctiali ad hibernum tropicum deſcribuntur, minora ſegmenta infra terram fieri, majora verò ſupra terram. ubi verò poli mundi in horizonte jacent, cauſſa inæqualitatis dierum ſublata, quæ eſt inclinatio mundi, evenit ut æquinoctium apud eos ſit ſemper. omnes enim circulos parallelos ſol æqualibus temporibus peragrat, cùm majores, tum minores, propterea quòd circa fixa puncta, nempe polos mundi, ſiat converſio mundi. Itaque non propter magnitudines circulorum, ſed propter inæqualitatem ſegmentorum, in quibus ſol fertur infra terram, & ſupra terram, ſie inæqualitas dierum. Incrementa verò dierum, & noctium non ſunt in omnibus ſignis æqualia, ſed circa tropica puncta omnino ſunt parva, atque inſenſibilia:

Mundi inclinatio.

τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου ὑπὲρ γῆν διὰ παντός· [25] καὶ παρ' οἷς μὲν ζῳδίου μέγεθος ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβάνεται, μηνιαία ἡμέρα παρ' αὐτοῖς γίνεται. παρ' οἷς δὲ δύο ζῴδια ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεται, διμηνιαίαν [τῶν ἡμερῶν] τὴν μεγίστην ἡμέραν συμβαίνει γίνεσθαι. πέρας δὲ ἐστί τις χώρα ἐσχάτη πρὸς ἄρκτον κειμένη, ἐν ᾗ ὁ μὲν πόλος κατὰ κορυφὴν γίνεται, τὰ δὲ τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου τὰ ϛ´ ζῴδια ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα ἀπολαμβάνεται, ἓξ δὲ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα ὑποτέμνεται. ἡ μεγίστη δὲ ἡμέρα παρ' αὐτοῖς ἑξαμηνιαία γίνεται. ὁμοίως δὲ καὶ ἡ νύξ. καὶ τούτων μὲν τῶν τόπων δοκεῖ μνημονεύειν καὶ ὁ Ὅμηρος, ὡς φησὶ Κράτης ὁ Γραμματικός, ὅταν περὶ τῆς Κιμμερίων οἰκήσεως λέγῃ.

Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμοί τε, πόλεις τε
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι. οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν·
Οὐδ' ὁπόταν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα·
Οὐδ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται·
Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Τοῦ γὰρ πόλου κατὰ κορυφὴν ὑπάρχοντος, ἑξαμηνιαίαν τὴν ἡμέραν, καὶ τὴν νύκτα γίνεσθαι συμβαίνει. τρίμηνος μὲν γὰρ γίνεται, ἐν ὅσῳ ὁ ἥλιος χρόνῳ ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου, ὃς δὴ τὴν τοῦ ὁρίζοντος ἐπέχει τάξιν, ἐπὶ τὸν θερινὸν τροπικὸν κύκλον παραγίνεται· ἑτέρα δὲ τρίμηνος, ἐν ᾗ ἀπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ ἐπὶ τὸν ὁρίζοντα καταντᾷ· καὶ πάντα τοῦτον τὸν χρόνον κατὰ τοὺς ὑπὲρ γῆν κύκλους παραλλήλους ἐνεχθήσεται. ἐπεὶ δὲ συμβαίνει τὴν οἴκησιν ταύτην ἐν μέσῃ τῇ κατεψυγμένῃ, καὶ ἀοικήτῳ ζώνῃ ὑπάρχειν, ἀνάγκη διὰ παντὸς νέφεσι κατέχεσθαι τὸν τόπον, καὶ ἐπὶ πολὺ βάθος ἀέρος συνεστηκέναι τὰ νέφη, καὶ μὴ δύνασθαι τὰς τοῦ ἡλίου αὐγὰς διασκεδάσαι τὰ νέφη. ὥστε εὐλόγως *νύκτα διὰ παντὸς εἶναι παρ' αὐτοῖς σκότος. ὅταν μὲν γὰρ ὑπὲρ γῆν ὑπάρχῃ ὁ ἥλιος, σκότος ἐστὶ παρ' αὐτοῖς διὰ τὴν παχυμερείαν τῶν νεφῶν. ὅταν δὲ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα ὁ ἥλιος ᾖ, διὰ τὴν φυσικὴν ἀνάγκην νὺξ ἐστι παρ' αὐτοῖς· ὥστε διὰ παντὸς ἀφώτιστον αὐτῶν εἶναι τὴν οἴκησιν. τοῦτο δὲ, φησὶ, τὸ λεγόμενόν ἐστι ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ,

* χ. [illegible]

——— οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.

Εἰ μὲν οὖν ταῦτα ἐνθυμεῖται ὁ Ὅμηρος, ἕτερος ἔστω λόγος. ὅτι δέ εἰσι τόποι τινὲς, τῆς γῆς σφαιροειδοῦς ὑπαρχούσης, ἔχοντες τὰ προειρημένα μεγέθη τῶν ἡμερῶν πρὸς ἄλληλα, δηλοῖ ἐπ' αὐτῆς τῆς σφαίρας. τούς μέντοι γε τόπους τούτους ἀοικήτους εἶναι συμβαίνει, διὰ τὴν τοῦ ψύχους ὑπερβολήν. ἐν μέσῃ γὰρ κεῖνται τῇ κατεψυγμένῃ ζώνῃ.

Ἀνάπαλιν δὲ τοῖς πρὸς μεσημβρίαν οἰκοῦσιν ἐλάσσονες ἀεὶ μᾶλλον, καὶ ἐλάσσονες αἱ ἡμέραι γίνονται· παρ' οἷς μὲν ιδ´ ὡρῶν ἰσημερινῶν ἡ μεγίστη ἡμέρα γίνεται. παρ' οἷς δὲ * ιγ´.

* χ. [illegible]

Πέρας δέ ἐστι χώρα τις πρὸς μεσημβρίαν μᾶλλον ἡμῶν κειμένη, λεγομένη ὑπὸ τὸν ἰσημερινόν· ἐν ᾗ οἱ μὲν πόλοι ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος πίπτουσιν· ὀρθὴ δὲ καθίσταται ἡ τοῦ κόσμου σφαῖρα. διχοτομοῦνται δὲ πάντες οἱ παράλληλοι κύκλοι οἱ γραφόμενοι ὑπὸ τοῦ ἡλίου * κατὰ τὴν τοῦ κόσμου γινομένην περιστροφήν. δι' ἣν αἰτίαν ἰσημερία διὰ παντός ἐστι παρ' αὐτοῖς. οὐ γὰρ παρ' ἄλλην τινὰ αἰτίαν ἡ ἀνισότης γίνεται τῶν ἡμερῶν, ἀλλὰ περὶ τὸ ἔξαρμα τοῦ πόλου· ὃ δὴ καλεῖται ἔγκλιμα τοῦ κόσμου. συμβαίνει γὰρ διὰ τὸν μετεωρισμὸν τοῦ πόλου τῶν μὲν ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ μέχρι τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ γραφομένων κύκλων μείζονα μὲν τμήματα ὑπὲρ γῆν γίνεσθαι, ἐλάττονα δὲ ὑπὸ γῆν· τῶν δὲ ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ μέχρι τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ γραφομένων κύκλων ἐλάττονα μὲν τμήματα ὑπὲρ γῆν γίνεσθαι, μείζονα δὲ ὑπὸ γῆν. ὅπου δὲ οἱ πόλοι ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος πίπτουσιν, ἀναιρουμένου τοῦ αἰτίου τῆς ἀνισότητος τῶν ἡμερῶν· τοῦτο δ' ἦν τὸ ἔγκλιμα· εὐλόγως συμβαίνει ἰσημερίαν εἶναι διὰ παντὸς παρ' αὐτοῖς. πάντας μὲν γὰρ τοὺς κύκλους ὁ ἥλιος ἰσοχρόνως περιστρέφεται, καὶ τοὺς μείζονας, καὶ τοὺς ἐλάσσονας, διὰ τὸ περί τινα μένοντα σημεῖα, τοὺς πόλους, γίνεσθαι τὴν περιστροφὴν τοῦ κόσμου. ὥστε μὴ παρὰ τὰ μεγέθη τῶν κύκλων, ἀλλὰ παρὰ τὴν ἀνισότητα τῶν τμημάτων, ἃ φέρεται ὁ ἥλιος ὑπὸ γῆν, καὶ ὑπὲρ γῆν, τὴν ἀνισότητα τῶν ἡμερῶν γίνεσθαι· αἱ μέντοι γε παραυξήσεις τῶν ἡμερῶν, καὶ τῶν νυκτῶν, οὐκ εἰσὶν ἐν πᾶσι τοῖς ζῳδίοις ἴσαι· ἀλλὰ περὶ μὲν τὰ τροπικὰ σημεῖα μικραὶ παντελῶς,

* χ. [illegible]

καὶ

25 Καὶ παρ' οἷς μὲν ζῳδίου μέγεθος.] Manilius lib. III.
——— Si longius inde
Procedas, totis condentur ſingula membris,
Tricenaſque trahent connexo tempore noctes,
Et totidem noctes adiment.

De his enim Poeta loquitur, quibus integrum dodecatemorion non oritur, aut occidit. non de iis, quibus ſingulis dies in Cancro ſaltem exigua nocte interrumpuntur; ut voluit Scaliger. quod ad altitudinem poli graduum 66, 30´. accidit.

26 Ὅπ

καὶ ἀνεπαίσθητοι γίνονται. [26] ὥστε σχεδὸν ἐφ' ἡμέρας μ' τὸ αὐτὸ μέγεθος τῶν ἡμερῶν, καὶ τῶν νυκτῶν διαμένειν. προσχωρῶν μὲν γὰρ, καὶ πάλιν ἀποχωρῶν ἀπὸ τροπικῶν σημείων, ἀδήλους ποιεῖται τὰς κατὰ πλάτος παρόδους· ὥστε εὐλόγως ἐπὶ τὸ προειρημένον πλῆθος τῶν ἡμερῶν ἐπιμονὴν ὡς πρὸς αἴσθησιν περὶ τὸν τόπον γίνεσθαι τοῦ ἡλίου· δι' ἣν αἰτίαν καὶ τὰ μέγιστα καύματα, καὶ τὰ μέγιστα ψύχη [*] [27] κατὰ τὰς τροπὰς γίνεται. δὶς γὰρ αὐτοὺς τὸν αὐτὸν κατὰ τὸ συνεχὲς ἐπιπορευόμενος τόπον, καὶ τὰς προσόδους, καὶ τὰς ἀποχωρήσεις ἀδήλους ποιούμενος, εὐλόγως ἐκ τῆς πρὸς ἕνα τόπον ἐπιμονῆς ὁ τὸ μὲν τῶν καυμάτων ὁ τὸ δὲ τοῦ ψύχους ἐπίτασιν ποιεῖται. πρόδηλον δὲ τοῦτο καὶ ἐκ τῶν ὡρολογίων. τὸ γὰρ ἄκρον τῆς τοῦ γνώμονος σκιᾶς σχεδὸν ἐφ' ἡμέρας μ' ἐπιμένει ταῖς τροπικαῖς γραμμαῖς. περὶ δὲ τὰς ἰσημερίας ἑκατέρας μεγάλαι αἱ παραυξήσεις τῶν ἡμερῶν γίνονται· ὥστε τὴν ἐχομένην ἡμέραν τῆς προηγουμένης αἰσθητῶς παραλλάσσειν. δι' ἣν αἰτίαν ἐν τοῖς ὡρολογίοις τὸ ἄκρον τῆς τοῦ γνώμονος σκιᾶς ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου, αἰσθητὰς καθ' ἡμέραν τὰς ἀποστάσεις ποιεῖται. αἰτία δέ ἐστι τῆς ἀνισότητος, καὶ τῆς τῶν ἡμερῶν παραυξήσεως ἡ λοξότης τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου. τῶν μὲν γὰρ τροπικῶν κύκλων ἐφάπτεται, [28] καὶ ἐπὶ πολὺ μῆκος ἡ ἐπαφὴ διατείνει· ὥστε ἐν πολλῷ τόπῳ μικρὰν ἀπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ τὴν ἀπόστασιν γίνεσθαι. ἀκολουθεῖ δὲ τούτῳ καὶ τὴν παραλλαγὴν τῶν τμημάτων, ὧν ὑπὲρ γῆν φέρεται ὁ ἥλιος, μικρὰν καὶ ἀνεπαίσθητον γίνεσθαι. ἐπὶ δὲ τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου τομὴ γίνεται τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου πρὸς τὸν ἰσημερινόν· ἀπὸ δὲ τῆς τομῆς ἔγκλισις ἐφ' ἑκάτερα μεγάλην [*] λαμβάνει διάστασιν ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ. ἀκολουθεῖ δὲ τούτῳ, καὶ παραλλαγὴν τῶν ἡμερῶν μεγάλην γίνεσθαι διὰ τὴν τῶν τμημάτων ὑπεροχὴν, ὧν φέρεται ὁ ἥλιος ὑπὲρ γῆν. διὰ δὲ τὴν αἰτίαν ταύτην περὶ μὲν τροπικοὺς κύκλους μικραὶ καὶ ἀνεπαίσθητοι αἱ παραυξήσεις τῶν ἡμερῶν, καὶ τῶν νυκτῶν ἐπιτελοῦνται, καὶ σχεδὸν τὴν αὐτὴν παραλλαγὴν ἔχουσιν αἱ παραυξήσεις. ὥστε τὴν ἡμερησίαν περὶ τὴν ἰσημερίαν παραύξησιν σχεδὸν ἐνενηκονταπλασίονα εἶναι τῆς ἡμερησίας περὶ τροπὰς παραυξήσεως. ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἡμερησίων, καὶ ἐπὶ τῶν [*] μηνιαίων. ἀεὶ γὰρ ὅσον ἡ ἡμέρα παραύξει, τοσοῦτο καὶ ἡ νὺξ μειοῦται. γίνονται γὰρ μείζονες αἱ ἡμέραι τῶν νυκτῶν ἐν ἓξ ζωδίοις, κριῷ, ταύρῳ, διδύμοις, καρκίνῳ, λέοντι, παρθένῳ· ὅπερ ἡμικύκλιον τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου ἀπὸ πρώτης μοίρας κριοῦ μέχρι παρθένου μοίρας λ' βόρειόν ἐστι. πάλιν αἱ νύκτες τῶν ἡμερῶν μείζονες ἐπὶ τοῖς ἀπολειπομένοις ζωδίοις, ζυγῷ, σκορπίῳ, τοξότῃ, αἰγόκερῳ, ὑδροχόῳ, ἰχθύσιν. ὅπερ πάλιν ἡμικύκλιον τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου ἀπὸ ζυγοῦ πρώτης μοίρας μέχρις ἰχθύων μοίρας λ' νότιόν ἐστιν. παραύξησις δὲ ἡμερῶν γίνεται ἀπὸ πρώτης μοίρας αἰγόκερω, μέχρι διδύμων μοίρας τριακοστῆς· ὅπερ ἐστὶν ἡμικύκλιον τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου.

Ἀπὸ δὲ τῆς τροπῆς χειμερινῆς μέχρι τροπῆς θερινῆς παραύξησις ἡμερῶν γίνεται. παραύξησις δὲ νυκτῶν γίνεται ἀπὸ καρκίνου πρώτης μοίρας μέχρι τοξότου μοίρας λ', ὅπερ ἐστὶν ἡμικύκλιον πάλιν τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου ἀπὸ τροπῆς θερινῆς μέχρι τροπῆς χειμερινῆς.

Τινὲς μὲν οὖν διελάμβανον μεγίστας ἡμέρας γίνεσθαι ἐν καρκίνῳ· ἐπείπερ αἱ θεριναὶ τροπικαὶ ἐν τῷ προειρημένῳ ζωδίῳ γίνονται· μεγίστας δὲ νύκτας εἶναι ἐν αἰγόκερῳ. ἐπεὶ αἱ χειμεριναὶ τροπαὶ ἐν αἰγόκερῳ γίνονται· παραπλήσιόν τι ποιοῦντες ἁμάρτημα τῷ ἐπὶ τῶν συζυγιῶν. εἰ μὲν γὰρ ἐν ὅλοις τοῖς ζωδίοις ἐγίνοντο τροπαὶ, ἦν ἂν ἀληθὲς τὸ προειρημένον· νυνὶ δὲ τὰ μὲν τροπικὰ σημεῖα λόγῳ θεωρητά ἐστι· τὸ δὲ ὅλον ζώδιον τὸ τοῦ καρκίνου τὴν αὐτὴν ἀπόστασιν ἔχει ἀπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ σημείου τοῖς διδύμοις, καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν παραλλήλων ἐμπεριλαμβάνεται κύκλων, καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου τὴν ἀνατολὴν ποιεῖται, καὶ εἰς τὸν αὐτὸν τόπον τὴν δύσιν. εἰσὶ γὰρ ἀλλήλοις κατὰ συζυγίαν. διὸ δὴ καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν, καὶ τῶν νυκτῶν ἴσα ἐστὶν ἐν διδύμοις, καὶ καρκίνῳ. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ὡρολογίοις τὸ ἄκρον τῆς τοῦ γνώμονος σκιᾶς τὰς αὐτὰς γράφει γραμμὰς ἐν τοῖς προειρημένοις ζωδίοις. ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν χειμερινῶν τροπῶν. οὐδὲ γὰρ ἐπ' ἐκείνων ὑποληπτέον ἐν ὅλῳ τῷ αἰγόκερῳ μεγίστας νύκτας γίνεσθαι· ἀλλ' ἕν τι σημεῖον λόγῳ θεωρητὸν, ὃ κοινόν ἐστιν αἰγόκερω καὶ τοῦ τοξότου, τὴν αὐτὴν ἀπόστασιν ἔχει ἀπὸ τοῦ τροπικοῦ χειμερινοῦ σημείου, καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν παραλλήλων ἐμπεριλαμβάνεται κύκλων, καὶ ἔστιν ἀλλήλοις

* γρ. μάλιστα.

* γρ. λαμβάνουσι.

* f. το-χραίων.

ita ut ferè uſque ad dies 40. eadem magnitudo dierum, & noctium permaneat. nam & accedens, & rurſus diſcedeus ſol à tropicis punctis, efficit inſenſibiles ſecundùm latitudinem acceſſus, ut convenienter uſque ad prædictam dierum multitudinem, quoad ſenſum, ſolis mora fiat. quam ob cauſſam & maximi æſtus, & maxima frigora poſt converſiones fiunt. cùm enim bis ad eumdem locum accedat continuè, & inſenſibiles faciat acceſſus, & receſſus, convenienter propter moram in uno loco nunc æſtuum, nunc frigoris efficit intenſionem. hoc autem etiam ex gnomonibus eſt manifeſtum. nam extremitas umbræ in gnomone ferè ad dies 40. permanet in tropicis lineis. ſed circa utrumque æquinoctium magna incrementa dierum fiunt, ut ſequens dies à præcedente ſenſibiliter variet. quam ob cauſſam in horologiis extremitas umbræ in gnomone ab æquinoctiali circulo quotidie ſenſibiles efficit diſtantias. Eſt autem cauſa inæqualitatis, & incrementi dierum obliquitas zodiaci circuli. attingit enim tropicos circulos, & ad multam longitudinem contactus ſeſe extendit: ut in multis locis parva ſit diſtantia à circulo tropico. Ex hoc etiam ſequitur, ut mutatio ſegmentorum ſupra terram, in quibus ſol fertur, parva, atque inſenſibilis fiat. in circulo autem æquinoctiali fit ſectio zodiaci circuli, & æquinoctialis: à ſectione inclinatio verſus utramque partem magnam accipit ab æquinoctiali diſtantiam: ex hoc ſequitur, ut etiam magna dierum fiat mutatio, propter ſegmentorum exceſſum, in quibus ſol fertur ſupra horizontem propter hanc autem cauſſam circa tropicos circulos parva, atque inſenſibilia incrementa dierum, & noctium perficiuntur, & ferè eamdem mutationem habent incrementa: ut diurnum circa æquinoctium incrementum ferè nonagies ſit majus diurno circa converſiones incremento. eadem eſt ratio & in diurnis, & in menſtruis. Semper enim quantum dies augetur, tantum etiam nox minuitur. fiunt enim dies noctibus majores in ſex ſignis, ariete, tauro, geminis, cancro, leone, & virgine, qui ſemicirculus zodiaci à prima parte arietis uſque ad triceſimam partem virginis eſt borealis. rurſus noctes diebus ſunt majores in reliquis ſignis, libra, ſcorpio, ſagittario, capricorno, aquario & piſcibus, qui rurſus ſemicirculus zodiaci à prima parte libræ uſque ad piſcium triceſimam partem auſtralis eſt. incrementum verò dierum fit à prima parte capricorni ad geminorum triceſimam partem. quod dimidium eſt zodiaci circuli.

Ab hyberna converſione uſque ad æſtivam fit dierum incrementum: ſed noctium incrementum fit à cancri prima parte uſque ad ſagittarii triceſimam partem, qui rurſus ſemicirculus eſt zodiaci ab æſtiva converſione uſque ad hybernam.

Nonnulli igitur putaverunt, longiſſimas dies fieri in cancro: ſiquidem æſtivæ converſiones in dicto ſigno fiant: noctes verò maximas fieri in capricorno, cùm hybernæ converſiones fiant in capricorno. qua in re ſimile committunt erratum ei, quod committunt in ſyzygiis. ſi enim in totis ſignis fierent converſiones, eſſet verum quod modò dictum eſt: at nunc puncta tropica ratione ſunt contemplabilia: totum verò ſignum cancri eamdem diſtantiam habet ab æſtivo tropico puncto, quam gemini, & ab iiſdem parallelis circulis comprehenditur, & ex eodem loco ortum facit, & in eumdem locum facit occaſum. ſunt enim hæc ſigna ſibi invicem ſecundùm ſyzygiam, ſeu combinationem. quam ob rem etiam magnitudines dierum, & noctium æquales ſunt in geminis & cancro. etenim in horologiis extremitas umbræ in gnomone eaſdem lineas deſcribit in dictis ſignis. eadem eſt ratio etiam in hybernis converſionibus. neque enim in illis putandum eſt in toto capricorno longiſſimas fieri noctes: ſed unum aliquod punctum ratione intelligendum commune eſt capricorno, & ſagittario. totum verò ſignum capricorni, & ſignum ſagittarii eamdem habent diſtantiam ab hyberno tropico puncto, & ab iiſdem parallelis circulis comprehenduntur, ſibique invicem ſunt ſecundùm

26 Ὥστε σχεδὸν ἐφ' ἡμέρας μ'.] Scaliger in Notis ad librum III. Manilii, verba illa Poetæ,

Statque uno natura loco, paullúmque quieſcit;

40 Ἐπεὶ τοίνυν ὁ κατὰ σελήνην.] Prima octaëteris dierum extitit 2922, menſes habens 99, è quibus ordinarii erant 96, reliqui tres embolimi. Illi ἐναλλὰξ pleni, & cavi. hi pleni omnes, ac tricenarii. Poſterior octaëteris ex diebus componitur 2923½. Ita menſes ſinguli diebus conſtant 29½ $\frac{3}{33}$. hoc eſt ſupra dies 29 horas habent 12, & $\frac{24}{33}$ unius horæ, vel $\frac{8}{11}$. Nam in priore octaëteridis modo, ſingulæ ſyzygiæ colligunt dies 29, horas 12 & $\frac{11}{33}$, ſive $\frac{1}{3}$ unius horæ. Ducantur enim 99 in 29, ½ $\frac{1}{33}$ unius diei, conſiet numerus dierum 2923½. Perperam itaque Scaliger lib. II. de Emend. cap. quod inſcribitur Elenchus octaeteridis; errorem eſſe putat in Gemino $\frac{\circ}{\lambda\gamma}$ pro $\frac{\varsigma}{\lambda\gamma}$, quaſi menſis ſupra dies 29½ exigat $\frac{6}{33}$. Id ſi eſſet verum, ſyzygia diurna eſſet 29, horarum 13 $\frac{1}{11}$ ſive 13, 27′, 16″ $\frac{4}{11}$. Octaëteris verò dierum 2926 $\frac{1}{2}$.

41 Ἔστι γὰρ ὁ μηνιαῖος χρόνος.] Mendoſus hic locus eſt in codice. Scribendum, ut eſt in altero, καὶ πρώτων ἑξηκοστῶν λα′, καὶ δευτέρων ν′, καὶ τρίτων ν′, καὶ τετάρτων κ′. qui eſt menſis Hipparcheus apud Ptolemæum lib. IV. cap. II. dierum ſcilicet 29, 12, 44′, 3″, 20‴. Quoniam autem aſtronomi veteres in ſubducendis rationibus ſuis ſexageſimis dierum ſæpius utuntur, quam horis, horarumque ſcrupulis, contrà quàm hodie fieri vulgò ſolet, juvat in tyronum gratiam tabellas hic duas adſcribere, quibus tam horæ, quàm horaria ſcrupula in dierum ſcrupula redigantur; ac viciſſim diurna ſcrupula in horaria vertantur.

Tabula I. converſionis ſcrupulorum diurnorum in horaria.

Sexageſimæ diurnæ.	Horæ.	Scrupula horaria.	Sexageſimæ diurnæ.	Horæ.	Scrupula horaria.	Sexageſimæ diurnæ.	Horæ.	Scrupula horaria.
1		24	21	8	24	41	16	24
2	0	48	22	8	48	42	16	48
3	1	12	23	9	12	43	17	12
4	1	36	24	9	36	44	17	36
5	2	0	25	10	0	45	18	0
6	2	24	26	10	24	46	18	24
7	2	48	27	10	48	47	18	48
8	3	12	28	11	12	48	19	12
9	3	36	29	11	36	49	19	36
10	4	0	30	12	0	50	20	0
11	4	24	31	12	24	51	20	24
12	4	48	32	12	48	52	20	48
13	5	12	33	13	12	53	21	12
14	5	36	34	13	36	54	21	36
15	6	0	35	14	0	55	22	0
16	6	24	36	14	24	56	22	24
17	6	48	37	14	48	57	22	48
18	7	12	38	15	12	58	23	12
19	7	36	39	15	36	59	23	36
20	8	0	40	16	0	60	24	0

eſt particula ſenſibilis in menſtruo tempore, quæ complet diurnam magnitudinem. quam ob cauſſam oportet plenos menſes plures eſſe cavis menſibus. Neque verò in octo annis tres jam inſunt menſes intercalares. ſi enim annis lunaris eſſet dierum 354, ſolaris annus haberet exceſſum dierum 11$\frac{1}{4}$. hi octies multiplicati complerent tres menſes intercalares. Nunc verò lunaris annus præcisè eſt
Differentia inter 365$\frac{1}{4}$, & 354$\frac{1}{3}$ eſt 10$\frac{6}{19}$, quæ multiplicata per 8 dat productum 87$\frac{1}{3}$ ut textus habet. dierum 354$\frac{1}{3}$ ferè. Si igitur 354$\frac{1}{3}$ auferamus à 365$\frac{1}{4}$ relinquentur dies 10$\frac{11}{12}$: qui per 8 multiplicati efficiunt dies 87$\frac{1}{3}$ ferè. hi autem dies non complent tres menſes. Quam ob cauſſam non eſt ignorandum in octo annis tres menſes intercalares non poſſe eſſe. hoc autem etiam per enneakædecaëterida, id eſt periodum 19 annorum, fit manifeſtum. In annis enim 19 aguntur 7 menſes intercalares, & ex majoribus temporibus congruet enneakædecaëteris in menſium uſu. Igitur in octo periodis 19 annorum intercalares menſes agentur 56. in octaëteride menſes intercalares aguntur tres. igitur in 19 octaëteridibus, quæ faciunt annos 152, intercalares aguntur 57. in eodem tempore in periodo decemnovennali, quæ apparentiis congruit, intercalares menſes aguntur 56. Itaque octaëteris uno menſe intercalari ſuperat periodum decemnovennalem. Non igitur octaëteris poteſt tres menſes intercalares habere. ſed & hæc periodus in hoc fefellit.

αἰσθητὸν ἐν τῷ μηνιαίῳ χρόνῳ, ὃ συμπληροῖ ἡμερήσιον μέγεθος. δι᾽ ἣν αἰτίαν δεήσει πλεονάζειν τοὺς πλήρεις τῶν κοίλων μηνῶν. οὐδὲ μὴν ἐν τοῖς η´ ἔτεσι τρεῖς οὐκ ἔνεισι μῆνες ἐμβόλιμοι. εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ ἐνιαυτὸς ὁ κατὰ σελήνην ἡμερῶν τνδ´, ἦν ἂν ἡ ὑπεροχὴ τοῦ ἡλιακοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμερῶν ια $\frac{α}{δ}$. αὗται δὲ ὀκτάκις πολυπλασιασθεῖσαι συνεπλήρουν ἂν τοὺς γ´ μῆνας τοὺς ἐμβολίμους. νυνὶ δὲ ὁ κατὰ σελήνην ἐνιαυτὸς ἀκριβῶς ἐστι τνδ´ ὡς ἔγγιστα τρίτου. ἐὰν δὲ ἀφέλωμεν τὰ τνδ $\frac{α}{γ}$ ἀπὸ τῶν τξε $\frac{α}{δ}$, καταλειφθήσονται ἡμέραι ι´, καὶ δωδεκάδες. αὗται δὲ ὀκταπλασιασθεῖσαι ἀποτελοῦσιν ἡμέρας πζ $\frac{α}{γ}$ ὡς ἔγγιστα. αὗται δὲ ἡμέραι οὐ συμπληροῦσι γ´ μῆνας. δι᾽ ἣν αἰτίαν οὐ δεῖ ἀγνοεῖν ἐν τοῖς η´ ἔτεσι γ´ μῆνας ἐμβολίμους μὴ δύνασθαι εἶναι. τοῦτο δὲ καὶ διὰ τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος φανερὸν γίνεται. ἐν γὰρ τοῖς ιθ´ ἔτεσι ζ´ μῆνες ἐμβόλιμοι ἄγονται, καὶ ἐν πλείοσιν χρόνοις συμφωνεῖ ἡ ἐννεακαιδεκαετηρὶς κατὰ τὴν τῶν μηνῶν ἀγωγήν. ἐν ἄρα ταῖς ὀκτὼ ἐννεακαιδεκαετηρίσιν ἐμβόλιμοι μῆνες ἀχθήσονται νς´. ἐν δὲ τῇ ὀκταετηρίδι μῆνες ἐμβόλιμοι ἄγονται γ´. ἐν ἄρα ταῖς ιθ´ ὀκταετηρίσιν, ἅπερ ἐστὶν ἔτη ρνβ´, ἐμβόλιμοι ἄγονται νζ´. ἐν δὲ τῷ αὐτῷ χρόνῳ κατὰ τὴν ἐννεακαιδεκαετηρίδα τὴν συμφωνοῦσαν τοῖς φαινομένοις ἐμβόλιμοι μῆνες ἄγονται νς´. ὥστε πλεονάζειν τὴν ὀκταετηρίδα ἑνὶ μηνὶ ἐμβολίμῳ. οὐκ ἄρα ἡ ὀκταετηρὶς τρεῖς μῆνας ἔχει ἐμβολίμους· ἀλλὰ καὶ κατὰ τοῦτο διημάρτηται ἡ περίοδος.

Διόπερ

Tabula II. converſionis horarum, & ſcrupulorum horarium in diurna ſcrupula.

Horæ vel ſcrupola horaria.	Sexagenæ diurnæ. ′ ″	Horaria ſcrup.	Sexagenæ dierum. ′ ″ ‴	Horaria ſcrup.	Sexagenæ dierum. ′ ″ ‴
1	2 30	25	1 2 30	49	2 2 30
2	5 0	26	1 5 0	50	2 5 0
3	7 30	27	1 7 30	51	2 7 30
4	10 0	28	1 10 0	52	2 10 0
5	12 30	29	1 12 30	53	2 12 30
6	15 0	30	1 15 0	54	2 15 0
7	17 30	31	1 17 30	55	2 17 30
8	20 0	32	1 20 0	56	2 20 0
9	22 30	33	1 22 30	57	2 22 30
10	25 0	34	1 25 0	58	2 25 0
11	27 30	35	1 27 30	59	2 27 30
12	30 0	36	1 30 0	60	2 30 0
13	32 30	37	1 32 30		
14	35 0	38	1 35 0		
15	37 30	39	1 37 30		
16	40 0	40	1 40 0		
17	42 30	41	1 42 30		
18	45 0	42	1 45 0		
19	47 30	43	1 47 30		
20	50 0	44	1 50 0		
21	52 30	45	1 52 30		
22	55 0	46	1 55 0		
23	57 30	47	1 57 30		
24	60 0	48	2 0 0		

Methodus utriuſque tabulæ eſt ejuſmodi. Propoſitæ diurnæ ſexageſimæ, & in horas earúmque ſcrupula redigendæ quærantur in primo verſu prioris tabulæ, eique reſpondentes horæ, horarúmque ſexagenæ ostentur. Ut ſi libet inquirere quot ſint ſcrupula dierum 31′, 50″, 8‴, 20⁗ in horas reſoluta, quærantur ea ſingillatim in primo verſo, & quæ reſpondent è directo horarum ratiocinia capiantur: ita ut ſi ſcrupula diurna prima ſint, quæ his reſpondent, pro horis, & horarum ſcrupulis primis habeantur. Si ſcrupula diurna ſecunda propoſita ſint, horæ ſint primorum ſcrupulorum inſtar; & ſcrupula prima ſecundorum; atque ita deinceps uno gradu ſcrupula deſcendant. Ad hunc ergo modum iſta computabimus.

		Horæ	′	″	‴
31′	Scrupula diurna	12	24	0	0
50″	Secunda	0	20	0	0
8‴	Tertia	0	0	3	12
20⁗	Quarta	0	0	0	8
	Summa horarum	12	44′	43″	20‴

Rurſus ex ſecunda tabula inveſtigemus quot in ſexagenas diurnas commutentur horæ 12, 44′, 3″, 20‴. eâdem cautione ſervata, ut ſi horæ propoſitæ ſint, quæ iis reſpondent ſexageſimæ primæ ſecundæ, &c. ut in tabula notatæ ſunt, habeantur. Sic pro horis ſcrupula proponantur; tùm horæ in ſexageſima prima horaria convertendæ; ſexageſima prima in ſecunda. Hoc modo itaque ratio conſtabit.

		′	″	‴	⁗
Horæ	12	30	0	0	0
Scrupula	44′	1	50	0	0
Scrupula	3″	0	0	7	30
Scrupula	20‴	0	0	0	50
Summa		31′	50″	8‴	20⁗

Digitized by Google

Διόπερ ἐπειδὴ διημαρτημένην εἶναι συνέβαινε τὴν ὀκταετηρίδα κατὰ πάντα, ἑτέραν περίοδον συνεστήσαντο τὴν τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος [42] οἱ περὶ Εὐκτήμονα, καὶ Φίλιππον, καὶ Κάλιππον ἀστρολόγοι. παρετήρησαν γὰρ ἐν τοῖς ιθʹ ἔτεσι περιεχομένας ἡμέρας ϛϡμʹ, μῆνας δὲ σλεʹ σὺν τοῖς ἐμβολίμοις. ἄγονται δὲ ἐν τοῖς ιθʹ ἔτεσι μῆνες ἐμβόλιμοι ἑπτά. γίνεται δὲ ὁ ἐνιαυτὸς κατ' αὐτοὺς ἡμερῶν τξεʹ, καὶ δʹ ἐννεακαιδεκάτων. ἐν δὲ τοῖς σλεʹ μησὶ κοίλους ἔταξαν ριʹ, πλήρεις δὲ ρκεʹ. ὥστε μὴ ἄγεσθαι ἕνα καὶ ἕνα κοῖλον καὶ πλήρη· ἀλλὰ καὶ βʹ ποτὲ κατὰ τὸ ἑξῆς πλήρεις. τοῦτο γὰρ ἡ φύσις ἐπὶ τῶν φαινομένων ἐπιδέχεται περὶ τὸν τῆς σελήνης λόγον· ὅπερ ἐν τῇ ὀκταετηρίδι οὐκ ἐνῆν. ἐν δὲ τοῖς σλεʹ μησὶ κοίλους ἔταξαν ριʹ δι' αἰτίαν τοιαύτην. ἐπεὶ μῆνες ἄγονται σλεʹ ἐν τοῖς ιθʹ ἔτεσιν, ὑπεστήσαντο τούτους ἅπαντας τριακονθημέρους· καὶ συνάγονται ἡμέραι ζνʹ. ἔδει δὲ λέγεσθαι ριʹ κοίλους. δι' ἣν αἰτίαν τῇ ἐννεακαιδεκαετηρίδι ἡμέραι γίνονται κατὰ σελήνην ϛϡμʹ. πλεονάζουσιν οὖν τριακονθημέρων ἀγομένων πάντων τῶν μηνῶν, αἱ ζνʹ ἡμέραι τῶν ϛϡμʹ ἡμερῶν ἡμέραις ριʹ. διὸ ριʹ μῆνας συνάγουσι κοίλους, ἵνα ἐν τοῖς σλεʹ μησὶ συμπληρωθῶσιν αἱ τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος ἡμέραι ϛϡμʹ. ἵνα * ὡς ἐνδέχεται, μάλιστα δι' ἴσου ἡ τῶν ἐξαιρεσίμων ἡμερῶν γίνηται πραγματεία, ἐμέρισαν τὰς ϛϡμʹ ἡμέρας εἰς ριʹ. γίνονται οὖν ἡμέραι ξγʹ. [43] δι' ἡμερῶν ἄρα ξγʹ ἐξαιρέσιμον τὴν ἡμέραν ἄγειν δεῖ ἐν αὐτῇ τῇ περιόδῳ. οὐδὲ γίνεται ἐξαιρέσιμος ἡ τριακὰς διὰ παντός, ἀλλ' ἡ διὰ τῶν ξγʹ ἡμερῶν πίπτουσα ἐξαιρέσιμος λέγεται. ἐν δὲ τῇ περιόδῳ ταύτῃ δοκοῦσιν οἱ μὲν μῆνες καλῶς εἰλῆφθαι, καὶ οἱ ἐμβόλιμοι συμφώνως τοῖς φαινομένοις διατετάχθαι. ὁ δὲ ἐνιαύσιος χρόνος * σύμφωνος εἴληπται τοῖς φαινομένοις. ὁ γὰρ ἐνιαύσιος χρόνος ἐκ πλειόνων ἐτῶν παρατετηρημένος συμφωνεῖ, ὅτι ἐστὶν ἡμερῶν τξε $\frac{α}{δ}$. ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος συναγόμενος ἐνιαυτός ἐστιν ἡμερῶν τξεʹ, ἐννεακαιδεκάτων δʹ. πλεονάζουσι δὲ αὗται τῶν τξε $\frac{α}{δ}$ ἡμέρας ἑβδομηκοστεννεάτῳ. δι' ἣν αἰτίαν οἱ περὶ Κάλιππον γενόμενοι ἀστρολόγοι διωρθώσαντο τὸ πλεονάζον τῆς ἡμέρας, καὶ συνεστήσαντο τὴν ἑξκαιεβδομηκονταετηρίδα συνεστηκυῖαν ἐκ τεσσάρων ἐννεακαιδεκαετηρίδων, αἵτινες περιέχουσι μῆνας μὲν ϡμʹ. ὧν ἐμβόλιμοι κηʹ· ἡμερῶν δὲ δισμυρίων ζψνθʹ. τῇ δὲ τάξει τῶν ἐμβολίμων ὁμοίως ἐχρήσαντο. καὶ δοκεῖ μάλιστα πάντων ἡ αὐτὴ περίοδος τοῖς φαινομένοις συμφωνεῖν.

* f. ἵνα δὲ.

* Leg. οὐ σύμ.

Quamobrem cùm contingeret octaëterida per omnia aberrare, aliam conſtituerunt periodum, nempe decemnovennalem, Euctemon, Philippus, Calippus Aſtrologi. Obſervarunt enim in 19 annis contineri dies 6940, menſes verò 235 cum intercalaribus menſibus. aguntur autem in 19 annis menſes intercalares ſeptem. Annus igitur ſecundùm eos fit dierum $365\frac{4}{19}$. in menſibus autem 235 cavos poſuerunt 110, plenos verò 125. Itaque non agitur unus poſt alterum cavus & plenus, ſed interdum quoque duo pleni continuantur. hoc enim natura in apparentiis admittit ad lunæ rationem, quod in octaëteride non inerat. In 235 autem menſibus cavos poſuerunt 110 propter hanc cauſſam. Cùm menſes agantur 235 in annis, finxerunt hos omnes 30 dierum: & colliguntur dies 7050. Oportebat autem dici 110 cavos, quam ob cauſſam in periodo decemnovennali dies fiunt ſecundùm lunam 6940. Cùm igitur omnes menſes 30 dierum aguntur, dies 7050 ſuperant dies 6940, diebus 110. quare 110 menſes colligunt cavos, ut in 235 menſibus compleantur dies periodi decemnovennalis 6940; ut, quantum licebat, maximè ex æquo dierum exemptilium adminiſtratio fieret, diviſerunt 6940 dies in 110. fiunt igitur dies 63. Per dies igitur 63 oportet unum exemptilem facere diem in eâdem periodo. neque ſemper fit exemptilis dies tricesſimus, ſed is, qui poſt 63 dies eadit, exemptilis dicitur. in hac periodo videntur menſes pulchrè ſumpti, & intercalares ſic ordinati, ut ad apparentias congruant. tempus verò annuum apparentiis congruum ſumptum eſt. Nam tempus annuum ex pluribus annis obſervatum congruit, quòd ſit dierum $365\frac{1}{4}$. at annus ex enneadecaeteride collectus conſtat diebus $365\frac{4}{19}$ qui numerus numerum $365\frac{1}{4}$. ſuperat $\frac{1}{76}$. quam ob cauſſam Calippus cum ſuis correxerunt exceſſum diei, & conſtituerunt periodum 76 annorum, conſtantem ex quatuor decemnovennalibus, quæ continent menſes quidem 940, è quibus intercalares 28, dies verò 22759. Ordine autem menſium intercalarium ſimili ſunt uſi. Ac videtur omnium maximè eadem periodus ad apparentias congruere.

Periodus decemnovennalis.

Periodus Calippica.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ζ.

Περὶ σελήνης φωτισμῶν.

Ἡ Σελήνη ὑπὸ τοῦ ἡλίου φωτίζεται. ἀεὶ γὰρ τὸ λαμπρὸν πρὸς ἥλιον * ἐπεστραμμένον ἔχει· καὶ ὅταν προανατέλλῃ τοῦ ἡλίου, τὸ λαμπρὸν αὐτῆς πρὸς ἀνατολὴν βλέπει· καὶ ὅταν προδύνῃ τοῦ ἡλίου, καὶ ὅταν ἐπικαταδύνῃ τῷ ἡλίῳ, ἐπιστρέφεται τὸ λαμπρὸν πρὸς τὸν ἥλιον. ἐν δέ τισι τῶν ἡμερῶν παρατετήρηται ἡ σελήνη κατὰ τὸ σπάνιον ἐπικαταδύουσα τῷ ἡλίῳ, καὶ τὸ λαμπρὸν ἔχουσα βλέπον πρὸς τὴν δύσιν. παραλλάξασα δὲ τῇ νυκτὶ πρὸς τὸν ἥλιον, καὶ προανατείλασα τοῦ ἡλίου, τὸ λαμπρὸν ἔχουσα θεωρεῖται πρὸς ἀνατολήν. ἐξ ὧν φανερὸν ὅτι ἡ σελήνη ὑπὸ τοῦ ἡλίου φωτίζεται. παρατετήρηται δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα. ὅτε μὲν γὰρ κατὰ χειμερινὰς τροπὰς ὑπάρχων ὁ ἥλιος ἀνατέλλῃ, τότε τὸ μεσαίτατον τοῦ πεφωτισμένου βλέπει πρὸς τὸν ἥλιον· ὥστε τὴν τὰς κεραίας ἐπιζευγνύουσαν τῆς σελήνης εὐθεῖαν δίχα, καὶ πρὸς ὀρθὰς τέμνεσθαι ὑπὸ τῆς εὐθείας τῆς ἀγομένης ἀπὸ τοῦ κέντρου τοῦ ἡλίου ἐπὶ τὴν διχοτομίαν τῆς σελήνης. ὅταν δὲ κατὰ θερινὰς τροπὰς ὑπάρχων ἀνατέλλῃ ὁ ἥλιος, πάλιν ἐστράφθαι τὸ μέσον τοῦ πεφωτισμένου πρὸς τὸ μέσον τοῦ ἡλίου. ὥστε ὁμοίως διχοτομεῖσθαι, καὶ πρὸς ὀρθὰς τέμνεσθαι τὴν προειρημένην εὐθεῖαν. τὸ δὲ αὐτὸ γίνεται καὶ ἐπὶ τῶν δύσεων· ὥστε καὶ διὰ τούτου τοῦ σημείου συνάγεσθαι, ὅτι ὑπὸ τοῦ ἡλίου φωτίζεται ἡ σελήνη. πεφωτισμένον μέντοι γε διὰ παντὸς αὐτῆς τὸ ἴσον ἐστὶν ὡς ἡμισφαίριον· οὐ φαίνεται δὲ διὰ παντὸς αὐτῆς τὸ ἴσον πεφωτισμένον ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν ὅρασιν, διὰ τὰς πρὸς τὸν ἥλιον ἀποστάσεις. ὅταν μὲν γὰρ ἐν τῇ τριακάδι ἐν τῇ αὐτῇ μοίρᾳ γένηται ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη, τότε τὸ ἡμισφαίριον ἐπεστραμμένον πρὸς τὸν ἥλιον, ἀπεστραμμένον δὲ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ὄψεως φωτίζεται. ὑποκάτω γὰρ ἡ σελήνη φέρεται τοῦ ἡλίου. ὅταν δὲ παραλλάξῃ ἡ σελήνη πρὸς τὸν ἥλιον περὶ τὴν νουμηνίαν, τότε μηνοειδὴς ἡ σελήνη θεωρεῖται. τοῦ γὰρ ἡμισφαι-

* γρ. ἀποστραμμένον.

CAPUT VII.

De Lunæ illuminationibus.

Luna à ſole illuminatur, ſemper enim ſplendentem partem habet converſam ad ſolem: & cùm oritur ante ſolem, pars ejus ſplendens ad ortum reſpicit: & cùm occidit ante ſolem; & cùm occidit poſt ſolem, pars ſplendens ad ſolem converſa eſt. In quibuſdam autem diebus obſervata eſt luna raró occidere poſt ſolem, & habere partem ſplendidam reſpicientem occaſum. cùm verò nocturno tempore alternis variat ad ſolem, & ante ſolem oritur; videtur ſplendentem partem habere ad ortum. Unde manifeſtum eſt lunam à ſole illuminari. Obſervata ſunt & talia. Cùm enim ſol in hybernis converſionibus exiſtens oritur, tunc medium illuminatæ partis lunæ reſpicit ad ſolem: ita ut recta linea, quæ cornua lunæ conjungit, æqualiter, & ad angulos rectos ſecetur à recta earum linearum, quæ ducuntur à centro ſolis ad æqualem ſectionem lunæ. cùm verò ſol in æſtivis exiſtens converſionibus oritur, rurſus medietas illuminatæ partis lunæ converſa eſt ad medium ſolis; ita ut ſimiliter æqualiter, & ad angulos rectos ſecetur prædicta recta. Idem fit & in occaſibus; ut per hoc etiam ſignum colligatur, à ſole lunam illuminari. Verumtamen pars lunæ media tamquam hemiſphærium ſemper illuminatur. non tamen ſemper apparet ejus pars media illuminata, quoad noſtrum aſpectum, propter ejus à ſole diſtantiam. Cùm enim die tricesſimo in eodem gradu fuerint ſol & luna, tùm hemiſphærium converſum quidem ad ſolem, averſum verò à viſione noſtra illuminatur. fertur enim luna infra ſolem. cùm verò alternis vicibus luna variat ad ſolem circa novilunium, tunc luna falcata apparet. nam hemiſphærii

Lunæ pars illuminata quò reſpiciat.

Quantum de luna à ſole illuminetur.

42 *Οἱ περὶ Εὐκτήμονα.*] Mirum de Metone tacuiſſe Geminum, cui tamen præcipue inventum illud decemnovennalis Cycli tribuitur. De Philippo autem conſule quæ dicta ſunt lib. VI. hujus operis cap. IX.

43 *Δι' ἡμερῶν ἄρα.*] Hunc locum expendimus lib. II. de Doctrina Temporum cap. IX. Tùm de Metonica, & Calippica periodo plenè ibidem egimus.

rii illuminati parva pars declinat ad noſtram viſionem. cum verò abeſt luna à ſole in diebus ſequentibus, plus ſemper de illuminata parte à nobis conſpicitur. cum autem per quadrantem zodiaci circuli abfuerit luna, dimidiata apparet. tunc enim hemiſphærii illuminati à ſole medietas ad nos converſa eſt. cùm major ſit lunæ à ſole diſtantia, etiam major eſt pars illuminata. cùm autem oppoſita fuerit ſoli, illuminatum hemiſphærium noſtro conſpectui offertur. Et ut universè dicam, ſecundùm rationem diſtantiarum magnitudines illuminationum ſpectantur. Poſtremò, cùm luna ſubierit ſolem, expers luminis apparet. hemiſphærium enim ejus illuminatum ſurſum ad ſolem converſum eſt. unde jure pars lunæ illuminata non ſpectatur. ex quibus manifeſtum eſt, lunam à ſole illuminari. Accipit autem omnes configurationes luna quatuor in menſtruo tempore, bis eas efficiens. Sunt autem configurationes hæ, falcata, dimidiata, gibboſa, & plena. falcata efficitur circa principia menſium: dimidiata circa diem octavam menſis: gibboſa circa duodecimam: & plena circa medietatem menſis: ac rurſus gibboſa poſt medietatem menſis: dimidiata circa viceſimam tertiam: & falcata circa extremos menſes.

Lunæ configurationes.

Non ſemper autem in diebus ejuſdem nominis eaſdem configurationes luna efficit, ſed in diverſis diebus ſecundùm inæqualitatem motus. cùm enim celerrima eſt, apparet luna falcata ipſo die novilunii; cùm tardiſſima, die tertio, & manet falcata interdum uſque ad diem quintum: interdum cùm tardiſſima eſt, uſque ad ſeptimum diem. dimidiata efficitur, cùm eſt velociſſima, circa ſextum; cùm tardiſſima, circa octavum. gibboſa efficitur, cùm eſt celerrima, circa decimum: cùm eſt tardiſſima, circa 13. plena redditur cùm eſt celerrima, circa 13. cùm tardiſſima, circa 17. gibboſa ſecundò, cùm eſt celerrima, fit circa 18, cùm tardiſſima, circa 22. dimidiata ſecundò, cùm eſt celerrima, circa 21, cùm tardiſſima, circa 23. falcata ſecundò fit, cùm eſt celerrima, circa 25. cùm eſt tardiſſima, circa 26. Totum autem tempus menſtruum eſt dierum 29½. ⅓. Eſt enim menſis tempus à conjunctione ad conjunctionem; à plenilunio ad plenilunium. conjunctio autem eſt tempus, in quo ſol & luna in eodem gradu conſtituuntur; quod contingit die 30 menſis.

ρίου τοῦ πεφωτισμένου μικρὸν μέρος παρεγκλίνεται πρὸς τὴν ἡμετέραν ὅρασιν. ὅταν δὲ ἀπέχῃ ἡ σελήνη ἀπὸ τοῦ ἡλίου ἐν ταῖς ἐφεξῆς ἡμέραις, πλεῖον, ἀεὶ καὶ πλεῖον τὸ πεφωτισμένον ὑφ' ἡμῶν θεωρεῖται. ὅταν δὲ τὸ $\frac{α}{δ}$ μέρος τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου ἀπέχῃ σελήνη, διχότομος θεωρεῖται. τότε γὰρ ἡμισφαιρίου τοῦ πεφωτισμένου ὑπὸ τοῦ ἡλίου τὸ ἥμισυ ἐφ' ἡμᾶς ἐπέστραπται. μείζονος δὲ γινομένου τοῦ διαστήματος τῆς σελήνης ἀπὸ τοῦ ἡλίου, μεῖζον καὶ τὸ πεφωτισμένον. ὅταν δὲ κατὰ διάμετρον γένηται τῷ ἡλίῳ, τὸ πεφωτισμένον ἡμισφαίριον ἐναντίον γίνεται πρὸς τὴν ἡμετέραν ὅρασιν. καὶ καθόλου δὲ πρὸς λόγον τῶν διαστάσεων τὰ μεγέθη τῶν φωτισμῶν θεωρεῖται. τὸ δὲ τελευταῖον, ὅταν ὑποτρεχάσῃ τῷ ἡλίῳ ἡ σελήνη, ἀφανὴς βλέπεται. τὸ γὰρ ἡμισφαίριον αὐτῆς τὸ πεφωτισμένον ἄνω πρὸς τὸν ἥλιον ἐπέστραπται· ὅθεν εὐλόγως ἡμῖν ἀθεώρητον γίνεται τὸ πεφωτισμένον μέρος τῆς σελήνης. ἐξ ὧν φανερὸν ὅτι ἡ σελήνη ὑπὸ τοῦ ἡλίου φωτίζεται. λαμβάνει δὲ τοὺς πάντας σχηματισμοὺς ἡ σελήνη ἐν τῷ μηνιαίῳ χρόνῳ τέσσαρας, δὶς αὐτοὺς ἀποτελοῦσα. εἰσὶ δὲ οἱ σχηματισμοὶ οἵδε, μηνοειδής, διχότομος, ἀμφίκυρτος, πανσέληνος. μηνοειδὴς μὲν οὖν γίνεται περὶ τὰς ἀρχὰς τῶν μηνῶν· διχότομος δὲ περὶ τὴν ὀγδόην τοῦ μηνός· ἀμφίκυρτος δὲ περὶ τὴν δωδεκάτην· πανσέληνος δὲ περὶ τὴν διχομηνίαν, καὶ πάλιν ἀμφίκυρτος μετὰ τὴν διχομηνίαν· διχότομος δὲ περὶ τὴν εἰκοστὴν τρίτην· μηνοειδὴς δὲ περὶ τὰ ἔσχατα τῶν μηνῶν.

Οὐ διὰ παντὸς δὲ ἐν ταῖς ὁμωνύμοις ἡμέραις τοὺς αὐτοὺς σχηματισμοὺς ἡ σελήνη ἀποτελεῖ, ἀλλ' ἐν διαφόροις ἡμέραις κατὰ τὴν ἀνωμαλίαν τῆς κινήσεως. ταχίστη μὲν γὰρ φαίνεται ἡ σελήνη μηνοειδὴς τῇ νουμηνίᾳ· βραδυτάτη δὲ τῇ τρίτῃ. καὶ μένει μηνοειδής, ὁτὲ μὲν * ἕως τῆς πέμπτης, ὁτὲ δὲ βραδυτάτη, ἕως τῆς ἑβδόμης. διχότομος δὲ γίνεται ταχίστη μὲν περὶ τὴν ἕκτην, βραδυτάτη δὲ περὶ τὴν ὀγδόην. ἀμφίκυρτος δὲ γίνεται περὶ τὴν δεκάτην ταχίστη, βραδυτάτη δὲ περὶ τὴν ιγ΄. πανσέληνος δὲ γίνεται ταχίστη μὲν περὶ τὴν ιγ΄, βραδυτάτη δὲ περὶ τὴν ιζ΄. ἀμφίκυρτος δὲ τὸ δεύτερον, ταχίστη μὲν ἀνατέλλει περὶ τὴν ιη΄, βραδυτάτη δὲ περὶ τὴν κβ΄. διχότομος δὲ γίνεται τὸ δεύτερον ταχίστη μὲν περὶ τὴν εἰκάδα καὶ μίαν, βραδυτάτη δὲ περὶ τὴν εἰκάδα καὶ τρίτην· μηνοειδὴς δὲ γίνεται τὸ δεύτερον ταχίστη μὲν περὶ τὴν εἰκάδα καὶ πέμπτην, βραδυτάτη δὲ περὶ τὴν εἰκάδα καὶ ἕκτην. ὁ δὲ πᾶς μηνιαῖος χρόνος ἡμερῶν ἐστὶ κθ $\frac{α}{β}$ $\frac{λ}{γ}$. ἔστι γὰρ μηνιαῖος χρόνος ἀπὸ συνόδου εἰς σύνοδον, ἀπὸ τῆς πανσελήνου ἐπὶ τὴν πανσέληνον. σύνοδος δέ ἐστι χρόνος, ἐν ᾧ ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη ἐν τῇ αὐτῇ μοίρᾳ γίνονται, ὅπερ συμβαίνει τῇ τριακάδι.

* f. ὅτε μὲν ταχίστη, & mox βραδυτάτη.

CAPUT VIII.

De Eclipſi ſolis.

SOlis eclipſes fiunt ex interpoſitu lunæ. Cùm enim ſol ſuperiùs feratur, luna inferiùs, cùm in eodem gradu fuerint ſol & luna ſub ſolem ſubiens iſta officit radiis ſolis, qui ad nos feruntur. Quamobrem ne dicendum quidem eſt, eas propriè eſſe eclipſes, ſed interpoſitiones. nam ſolis quidem nulla pars umquam deficiet: nobis verò ipſe redditur inviſibilis propter incurſionem lunæ. Quam ob cauſſam ne æquales quidem rurſus eclipſes fiunt; ſed ſecundùm climatum differentias magnæ diverſitates fiunt circa magnitudines eclipſium. Eodem enim tempore aliis totus deficit ſol; aliis medietas ſolis; aliis minor pars medietate; aliis nulla pars omnino ſolis deficere videtur. Nam qui habitant in perpendiculo interpoſitionis lunæ, his totus ſol abſconditur. qui verò extra perpendiculum partem aliquam interpoſitionis habent, iis pars aliqua ſolis deficere videtur. qui verò omnino extra interpoſitionem habitant, his nulla pars ſolis deficit. quòd autem ſecundùm interjectum lunæ ſol deficiat, maximum eſt argumentum, non fieri in alio die eclipſes, niſi tantùm in triceſimo, cùm luna conjungitur cum ſole; & hinc idem cognoſcitur, quod pro ratione locorum magnitudines eclipſium fiant.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ η΄.

Περὶ ἐκλείψεως ἡλίου.

Αἱ δὲ τοῦ ἡλίου ἐκλείψεις γίνονται κατὰ τὰς ἐπιπροσθήσεις σελήνης. μετεωροτέρου γὰρ φερομένου τοῦ ἡλίου, ταπεινοτέρας δὲ τῆς σελήνης, ὅταν κατὰ τὴν αὐτὴν μοῖραν γένηται ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη, ὑποτρεχάσασα ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ ἀντιφράττει τὰς ἀπὸ τοῦ ἡλίου φερομένας αὐγὰς πρὸς ἡμᾶς. διόπερ οὐδὲ ῥητέον αὐτὰς κυρίως ἐκλείψεις, ἀλλ' ἐπιπροσθήσεις. τοῦ μὲν γὰρ ἡλίου οὐδὲ ἓν μέρος οὐδέποτε ἐκλείπει, ἡμῖν δὲ ἀθεώρητος γίνεται διὰ τὴν ἐπιπρόσθησιν τῆς σελήνης. δι' ἣν αἰτίαν οὐδὲ ἴσαι πάλιν αἱ ἐκλείψεις γίνονται. ἀλλὰ κατὰ τὰς τῶν κλιμάτων διαφορὰς μεγάλαι παραλλαγαὶ γίνονται περὶ τὰ μεγέθη τῶν ἐκλείψεων. 44 κατὰ γὰρ τὸν αὐτὸν χρόνον οἷς μὲν ὅλος ὁ ἥλιος ἐκλείπει· οἷς δὲ τὸ ἥμισυ· οἷς δὲ τὸ ἔλαττον τοῦ ἡμίσεως. οἷς δὲ τὴν ἀρχὴν οὐδὲν μέρος τοῦ ἡλίου ἐκλελοιπὸς θεωρεῖται. ὅσοι μὲν γὰρ κατὰ κάθετον οἰκοῦσι τῆς ἐπιπροσθήσεως, τούτοις ὅλος ἀθεώρητος γίνεται ὁ ἥλιος· τοῖς δὲ ἔξω μέρος τι τῆς ἐπιπροσθήσεως ἔχουσι, μέρος τι τοῦ ἡλίου ἐκλελοιπὸς βλέπεται· τοῖς δὲ ἔξω ὁλοσχερῶς τῆς ἐπιπροσθήσεως οἰκοῦσιν, οὐδὲν μέρος τοῦ ἡλίου ἐκλελοιπὸς θεωρεῖται· ὅτι δὲ κατὰ τὴν ἐπιπρόσθησιν τῆς σελήνης ὁ ἥλιος ἐκλείπει, μέγιστον τεκμήριον, τὸ μὴ γίνεσθαι ἐν ἄλλῃ ἡμέρᾳ τὰς ἐκλείψεις, ἀλλ' ἐν τῇ τριακοστῇ μόνον, ὅτε συνοδεύει ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ, καὶ ἐκ τοῦ πρὸς λόγον τῶν οἰκήσεων τὰ μεγέθη τῶν ἐκλείψεων γίνεσθαι.

ΚΕΦΑ-

44 Κατὰ γὰρ τὸν αὐτὸν χρόνον.] Totúſne Sol aliquando deficiat; an pars ejus aliqua ſemper emergat, obſcurique nequeat, non inter principes artis illius convenit. Nam ætate noſtra Tycho Braheus negavit ab Luna, quamlibet dejecta, totum obſcurari poſſe Solis orbem; ac diametros aſpectabiles Lunæ minores in ſyzygiis, quam Solares, conſtituit. Pugnat autem ex adverſo veterum auctoritas; tum experimenta ipſa magnorum artificum. Vide Keplerum capite VIII. Opticæ aſtronomicæ. ubi pluribus exemplis approbat Solem aliquando totum poſſe deficere. quod hic Geminus noſter affirmat.

45 Περὶ

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ θ'.

Περὶ ἐκλείψεως τῆς σελήνης.

Αἱ τῆς σελήνης ἐκλείψεις γίνονται κατὰ τὴν εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς ἔμπτωσιν τῆς σελήνης. καθάπερ γὰρ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν σωμάτων φωτιζόμενα ἀπὸ τοῦ ἡλίου σκιὰς ἀποβάλλει· οὕτω καὶ ἡ γῆ φωτιζομένη ὑπὸ τοῦ ἡλίου σκιὰν ἀποβάλλει. καὶ ἤδη μέντοι γε διὰ τὸ μέγεθος τῆς γῆς ἀξιολογωτέραν συμβαίνει τὴν σκιὰν εἶναι, καὶ βαθεῖαν. ὅταν οὖν κατὰ διάμετρον γένηται ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ, τότε καὶ τὸ σκίασμα τῆς γῆς κατὰ διάμετρον γίνεται τῷ ἡλίῳ. ὅθεν ἡ σελήνη ταπεινοτέρα φερομένη τοῦ σκιάσματος, εὐλόγως ἐμπίπτει εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς. ἀεὶ δὲ τὸ ἐμπῖπτον αὐτῆς μέρος εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς, ἀφώτιστον γίνεται τοῦ ἡλίου, διὰ τὴν ἐπιπρόσθησιν τῆς γῆς. τότε γὰρ ἐπὶ τῆς αὐτῆς εὐθείας γίνεται ὁ ἥλιος καὶ ἡ γῆ, καὶ τὸ σκίασμα τῆς γῆς, καὶ ἡ σελήνη. δι' ἣν αἰτίαν οὐδὲ γίνονται ἐκλείψεις τῆς σελήνης ἐν ἄλλῃ ἡμέρᾳ, ἀλλ' ἐν τῇ διχομηνίᾳ. τότε γὰρ κατὰ διάμετρον γίνεται ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ. γίνονται μέντοι γε πᾶσαι αἱ τῆς σελήνης ἐκλείψεις ἴσαι· αἱ μὲν γὰρ ἐπιπροσθήσεις αἱ γινόμεναι ἐν ταῖς τοῦ ἡλίου ἐκλείψεσι παρὰ τὰς οἰκήσεις διάφοροι γίνονται. δι' ἣν αἰτίαν καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἐκλείψεων διάφορα γίνεται. αἱ δὲ ἐμπτώσεις τῆς σελήνης εἰς τὸ σκίασμα ἴσαι πᾶσαι γίνονται κατὰ τὴν αὐτὴν ἔκλειψιν. ἤδη μέντοι γε οὐ διὰ παντὸς τὸ ἴσον ἐκλείπει τῆς σελήνης. ὅταν γὰρ διὰ μέσου τοῦ ἐκλειπτικοῦ ἡ σελήνη τὴν πάροδον ποιῆται, ὅλη ἐμπίπτει εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς· ὥστε ἀναγκαῖον καὶ ὅλην αὐτὴν ἐκλείπειν. ὅταν δὲ παραψαύηται τοῦ σκιάσματος, μέρος τι τῆς σελήνης ἐκλείπει. ἔστι δὲ τὸ ἐκλειπτικὸν αὐτῆς μοιρῶν δύο. ἐν γὰρ τούτῳ τῷ τόπῳ πάσας τὰς ἐκλείψεις συμβαίνει τῆς σελήνης γίνεσθαι. ἐκ δὲ τούτων φανερὸν, ὅτι αἱ τῆς σελήνης ἐκλείψεις γίνονται κατὰ τὴν εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς ἔμπτωσιν. πρὸς λόγον γὰρ τῆς κατὰ πλάτος κινήσεως τῆς ἡμερησίου τῆς σελήνης, τὰ μεγέθη τῶν ἐκλείψεων σύμφωνα γίνεται. καὶ ἐν ἄλλαις ἡμέραις οὐ γίνονται αἱ τῆς σελήνης ἐκλείψεις, πλὴν ἐν τῇ διχομηνίᾳ.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ι'.

Ὅτι τὴν ἐναντίαν τῷ κόσμῳ κίνησιν οἱ πλάνητες ποιοῦνται.

Ὁ κόσμος κινεῖται φορὰν ἐγκύκλιον ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν. ὅσοι γὰρ ἂν τῶν ἀστέρων μετὰ τὴν τοῦ ἡλίου δύσιν πρὸς τῇ ἀνατολῇ θεωρηθῶσι, προβαινούσης τῆς νυκτὸς, μετεωριζόμενοι μᾶλλον ἀεὶ καὶ μᾶλλον θεωροῦνται. εἶτα βλέπονται πρὸς τῷ μεσουρανεῖν. προβαινούσης δὲ τῆς νυκτὸς, ἀποκλινόμενοι πρὸς τὴν δύσιν οἱ αὐτοὶ ἀστέρες θεωροῦνται· καὶ πέρας δύνοντες ὁρῶνται· καὶ τοῦτο καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπὶ πάντων ἀστέρων γίνεται. ὥστε φανερὸν, ὅτι ὅλος ὁ κόσμος σὺν πᾶσι τοῖς ἐφ' ἑαυτοῦ μέρεσι κινεῖται καὶ ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν. ὅτι δὲ ἐγκύκλιον ποιεῖται τὴν περιφορὰν, πρόδηλον ἐκ τοῦ πάντας τοὺς ἀστέρας ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ἀνατέλλειν, καὶ εἰς τὸν αὐτὸν τόπον δύνειν. ἔτι καὶ διὰ τῶν διόπτρων θεωρούμενοι πάντες οἱ ἀστέρες φαίνονται ἐγκύκλιον ποιούμενοι τὴν κίνησιν ὅλῃ τῇ περιαγωγῇ τῶν διόπτρων.

Ὁ μέντοι γε ἥλιος ἀπὸ δύσεως ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν φέρεται ὑπεναντίως τῷ κόσμῳ, τοῦτο δὲ ἐστι φανερὸν ἐκ τῶν προανατελλόντων ἀστέρων τοῦ ἡλίου. ὅσοι γὰρ ἂν πρὸ τῆς τοῦ ἡλίου, ἀνατολῆς θεωρηθῶσιν ἀστέρες προανατεταλκότες τοῦ ἡλίου, ἐν ταῖς ἐχομέναις νυξὶν ἑωρότεροι προανατεταλκότες θεωροῦνται. καὶ τοῦτο γίνεται κατὰ τὸ ἑξῆς ἐπὶ πασῶν τῶν νυκτῶν. ἐξ οὗ φανερὸν, ὅτι εἰς τὰ ἑπόμενα τῶν ζωδίων ὁ ἥλιος μεταβαίνει, ἀπὸ δύσεως ἐπ' ἀνατολὴν κινούμενος ὑπεναντίως τῷ κόσμῳ. εἰ δέ γε ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἐπὶ τὴν δύσιν ἐφέρετο ὁ ἥλιος, ἀεὶ τοὺς προανατέλλοντας ἀστέρας ἀθεωρήτους ἂν εἶναι συνέβαινεν. εἰς γὰρ τὰ προηγούμενα μεταβαίνων μέρη ὤφειλεν ἀποκρύπτειν αὐτὰ ταῖς ἰδίαις αὐγαῖς. ἀεὶ γὰρ οἱ κατὰ τὸν ἥλιον γινόμενοι ἀστέρες ἀθεώρητοι ὑπάρχουσι, καταυγαζόμενοι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. νυνὶ δὲ οὐ γίνεται τοῦτο· ἀλλ' οἱ προανατέλλοντες ἀστέρες, ἐν ταῖς ἐχομέναις νυξὶ πλεῖον ἀεὶ, καὶ πλεῖον ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀπέχοντες διάστημα θεωροῦνται· ὥστε μηνιαίῳ χρόνῳ ζώδιον ὅλον προανατέλλειν τοῦ ἡλίου τὸ πρότερον ὑπάρχον ἐν ταῖς αὐγαῖς τοῦ ἡλίου. ἀεὶ γὰρ τὸ μὲν ἑπόμενον ζώδιον ὑπὸ τοῦ ἡλίου ἀθεώρητόν ἐστι διὰ τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου, τὸ δὲ προηγούμενον αὐτοῦ θεωρεῖται. ἐν δὲ τῷ μηνιαίῳ χρόνῳ ἀεὶ τὸ μὲν ἑπόμενον ζώδιον ἀθεώρητον γίνεται, μεταβαίνοντος εἰς αὐτὸ τοῦ ἡλίου· τὸ δὲ προηγούμενον ζώδιον δύο ζωδίων διάστημα ἀφεστηκὸς βλέπεται· καὶ τοῦτο ἐπὶ τῶν ιβ'. ζωδίων διὰ παντὸς γίνεται. ἐξ ὧν φανερὸν, ὅτι ὁ

CAPUT IX.

De Eclipſibus lunæ.

LUnæ eclipſes fiunt ſecundùm incidentiam lunæ in umbram terræ. Quemadmodum enim & reliqua corpora, cùm à ſole illuminantur, umbras projiciunt, ſic etiam terra, cùm à ſole illuminatur, projicit umbram. & certè jam propter magnitudinem terræ contingit, umbram ejus manifeſtam, & profundam eſſe. Cùm igitur luna ſoli diametraliter opponitur, tunc quoque terræ umbra diametraliter opponitur ſoli. unde luna, cùm inferiùs feratur, quàm umbra, neceſſariò incidit io umbram terræ. ſemper autem pars ejus, quæ in umbram terræ incidit, non illuminatur à ſole propter intercurſionem terræ. Tunc enim in eâdem linea recta conſtituuntur ſol, terra, umbra terræ & luna. quam ob cauſſam oe fiunt quidem eclipſes lunæ in alio die, niſi in plenilunio. tunc enim è diametro luna opponitur ſoli. Verumtamen omnes lunæ eclipſes fiunt æquales. Nam incurſiones, quæ in ſolis eclipſibus fiunt, propter loca habitationum diverſæ efficiuntur. ob id etiam magnitudines eclipſium ſolarium diverſæ redduntur. at lunæ incidentiæ in umbram fiunt omnes æquales in eâdem eclipſi. Jam verò non ſemper æqualis pars lunæ deficit. Cùm enim per medium circulum eclipticum luna tranſitum facit, tota incidit in umbram terræ. Itaque oeceſſarium eſt, ut ipſa tota deficiat. cùm verò attingit umbram, pars aliqua lunæ deficit: pars autem circuli, quæ lunam deficere facit, eſt duorum graduum. In hoc enim loco omnes eclipſes lunæ contingit fieri. Ex his manifeſtum eſt, quòd lunæ eclipſes fiant ſecundùm incideotiam in umbram terræ. Nam ratione diurni motus lunæ ſecundùm latitudinem fiunt congruæ eclipſium magnitudines, & in aliis diebus non fiunt lunares eclipſes, niſi in plenilunio.

CAPUT X.

Quod contrarium mundo motum Planetæ faciant.

MUndus movetur motu circulari ab ortu ad occaſum. Nam quæcumque ſtellæ poſt ſolis occaſum ad ortum conſpiciuntur, hæ procedente nocte, magis magiſque ſemper elevari ſpectantur. deinde videntur in medio cœli. progrediente autem nocte, declinare ad occaſum eædem ſtellæ videntur, & tandem occidere ſpectantur. atque hoc quotidie in omnibus fit ſtellis. Itaque manifeſtum eſt, quòd totus mundus cum omnibus ſuis partibus moveatur, & quidem ab ortu verſus occaſum. Quòd verò circularem faciat motum, ex eo manifeſtum eſt, quòd omnes ſtellæ ex eodem loco oriantur, & in eumdem locum occidant. præterea etiam per dioptra omnes ſtellæ ſpectatæ videntur circularem motum facere in tota circumductione dioptrorum.

At ſol ab occaſu verſus ortum fertur motu contrario mundo. Hoc manifeſtum eſt ex ſtellis, quæ ante ſolem oriuntur. Nam quæcumque ſtellæ ante ortum ſolis ſpectatæ fuerint oriri ante ſolem, hæ ſequentibus noctibus tempeſtiviùs conſpiciuntur oriri ante ſolem, atque hoc fit continuò io omnibus noctibus. unde manifeſtum eſt, quòd io conſequentia ſigna ſol procedat, cùm ab occaſo verſus ortum moveatur contra mundi motum. ſi verò ab ortu verſus occaſum ferretur ſol, ſemper contingeret eas ſtellas, quæ priùs orirentur, minimè apparere. Nam in antecedentia tranſiens ſigna, debebat eas ſuis radiis obſcurare. ſtellæ enim, cùm prope ſolem fuerint, non videntur, utpote à ſole obſcuratæ. At hoc non fit: ſed ſtellæ, quæ priùs oriuntur, ſequentibus noctibus ſemper magis, magiſque ab ortu diſtantiam habere ſpectantur: ita ut menſtruo tempore totum ſignum conſtellationis ante ſolem oriatur, quod priùs radiis ſolis occultabatur. ſemper enim illud ſignum, quod ſolem ſequitur, à ſole fit inviſibile, propter radios ſolis: illud verò, quod præcedit ſolem, conſpicitur. in menſtruo autem tempore ſignum ſequens ſemper eſt ioviſibile, cum ſol ad id tranſeat: præcedens verò ſignum, cùm diſtat duorum ſignorum ſpatio, conſpicitur. atque hoc in duodecim ſignis ſemper fit. c quibus manifeſtum eſt,

quòd ſol, cùm contra mundi motum feratur, in conſequentia, & non in antecedentia ſigna tranſitum faciat.

Manifeſtiùs autem in luna conſpicitur motus. Nam & ipſa contra motum mundi ab occaſu verſus ortum videtur moveri. hoc autem in una nocte poteſt deprehendi per viſionem, cùm apparentia teſtimonium præbeat. Cum enim apud aliquam ſtellarum fixarum conſpecta fuerit luna, nocte procedente diſtat ab illa obſervata ſtella ad ortum, & ſtella illa à luna ad occaſum. ac ſæpè in tota nocte luna gradu ab illa obſervata ſtella diſtat ad ortum: ita ut in una nocte ſpectetur motus contrarius mundo. non enim ad antecedentes ſtellas procedit, ſed ad conſequentes.

Opinio quorumdam de motu ſolis, & lunæ.

Dicunt autem quidam, ſolem ad conſequentia ſigna tranſitum facere, & lunam ſimiliter; verumtamen eos non moveri contra mundum; ſed propter magnitudines ſuperari eos à ſphæra ſtellarum inerrantium; videri autem nobis in conſequentia ſigna tranſitum illum fieri juxta motum contrarium: ſed hoc non eſſe verum; & ferri ſolem, & lunam ab ortu, verſus occaſum; ſed cùm ſuperentur à mundo, antequam circulum peragrent, in conſequentibus ſignis ſpectari. Utuntur autem quidam & hac ſimilitudine. ſi enim aliquis (inquiunt) conſtitueret curſores duodecim eâdem celeritate utentes, & facientes in circulo motum, deinde verò alium quemdam inter ipſos tardiùs ſe moventem, & tamen iis ſimilem motum in circulo facientem: videbitur quidem is, cùm anteveniatur, in conſequentia tranſire, verùm ex rei veritate hoc non erit; ſed cùm ſimiliter atque ipſi moveatur, tamen propter tarditatem videbitur in contraria moveri. Atque hoc idem & in ſole, & in luna contingere. Cùm enim verſus eaſdem partes cum mundo moveantur, propter tarditatem in conſequentia inferiùs feruntur. quemadmodum navigia, quæ in fluviis deferuntur, cùm à fluxu ſuperantur, videntur retrò ferri. hoc autem inquiunt & in ſole, & in luna contingere.

Refutatur opinio.

At hæc opinio, etſi à multis philoſophis eſt dicta, tamen non congruit cum apparentiis. ſi enim juxta hujuſmodi relictionem moverentur, cùm corpora illa inferiùs moveantur, propter magnitudines oportebat in parallelis circulis hanc relictionem fieri; quemadmodum & ſtellæ inerrantes omnes in parallelis circulis feruntur, eò quòd & mundi motus eſt circularis ab ortu verſus occaſum. At non relinquuntur in parallelis circulis; ſed ſol cùm in circulo per media ſigna tranſeunte moveatur, ſimul etiam ſecundùm latitudinem facit motum à ſolſtitio ad ſolſtitium: quod ut opinor proprius ei ſit motus hic ab ortu verſus occaſum; ille ab occaſu verſus ortum. luna verò in tota latitudine zodiaci circuli motum facit. Nihil verò eorum, quæ ſecundùm relictionem feruntur, ſimul poteſt ſecundum latitudinem moveri; ſed debet ſecundùm mundi motum relictionem illam facere.

Aliter quoque refellitur.

Convincit autem hanc opinionem, quòd falſa ſit maximè omnium motus quinque planetarum. Illi enim interdum relinquuntur ab inerrantibus ſtellis, interdum præcedunt eas; interdum apud eaſdem ſtellas manent: quæ etiam ſtationes vocantur. Talis cùm motus ſit planetarum, manifeſtum eſt, quòd tranſitus in conſequentia non fiat ſecundùm relictionem. ſemper enim quaſi à tergo relinqueretur. at nunc cujuſque eſt propria quædam ſphæra, ſecundùm quam nunc in conſequentia tendunt, nunc in antecedentia, nunc verò ſunt ſtationales. ſic igitur & ſolis, & lunæ proprius eſt aliquis, & electivus, & naturalis ſecundùm latitudinem motus; ſecundùm quem cùm ab occaſu verſus ortum moventur, ſimul illum latitudinis motum faciunt. Quòd verò non poſſint ſecundùm relictionem in conſequentia ſigna progreſſum facere, etiam hinc eſt manifeſtum, quòd non congruenter cum magnitudinibus, neque cum diſtantiis hi progreſſus fiant. ſi enim propter magnitudines corporum inferiùs moverentur, cùm habeant tardiorem motum, quàm ſtellæ inerrantes, oportebat congruenter cum magnitudinibus, & cum diſtantiis relictiones fieri. hoc cùm non fiat, neceſſe eſt dicere, ſecundùm naturam eſſe errantibus ſtellis contrarium illum motum. Jam certè propter propriam cujuſque ſphæram contingit diverſos fieri progreſſus.

ἥλιος ὑπεναντίως τῷ κόσμῳ κινούμενος εἰς τὰ ἑπόμενα τῶν ζῳδίων, καὶ οὐκ εἰς τὰ προηγούμενα ποιεῖται τὴν μετάβασιν.

Ἐκδηλότερον δὲ ἐπὶ τῆς σελήνης θεωρεῖται ἡ κίνησις· καὶ γὰρ αὐτὴ ὑπεναντίως τῷ κόσμῳ θεωρεῖται ἀπὸ δύσεως ἐπ' ἀνατολὴν κινουμένη· τοῦτο δὲ ἐν μιᾷ νυκτὶ δυνατὸν καταλαμβάνεσθαι διὰ τῆς ὁράσεως, ἐπιμαρτυροῦντος τοῦ φαινομένου· ὅταν γὰρ παρά τινα τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων θεωρηθῇ ἡ σελήνη, προβαινούσης τῆς νυκτὸς ἀφίσταται ἀπὸ τοῦ παρατετηρημένου ἀστέρος πρὸς ἀνατολήν, καὶ ὁ ἀστὴρ ἀπὸ τῆς σελήνης πρὸς δύσιν· καὶ πολλάκις ἐν ὅλῃ τῇ νυκτὶ * ἡ σελήνη μοίρᾳ ἀπὸ τοῦ παρατετηρημένου ἀστέρος διίσταται πρὸς ἀνατολήν· ὥστε ἐν μιᾷ νυκτὶ θεωρεῖσθαι τὴν ὑπεναντίαν κίνησιν τῷ κόσμῳ. οὐ γὰρ εἰς τοὺς προηγουμένους ἀστέρας προβαίνει, ἀλλ' εἰς τοὺς ἑπομένους.

* V. C. τῇ νυκτὶ μοῖρ.

Λέγουσι δέ τινες ὡς μὲν τὰ ἑπόμενα ζῴδια τὴν μετάβασιν γίνεσθαι τῷ ἡλίῳ, καὶ τῇ σελήνῃ· μὴ μέντοι γε ὑπεναντίως αὐτοὺς κινεῖσθαι τῷ κόσμῳ, ἀλλὰ διὰ τὰ μεγέθη ὑπολείπεσθαι αὐτοὺς ὑπὸ τῆς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων σφαίρας· δοκεῖν δὲ ἡμῖν εἰς τὰ ἑπόμενα τῶν ζῳδίων τὴν μετάβασιν γίνεσθαι κατὰ τὴν ἐναντίαν κίνησιν· τοῦτο δὲ μὴ εἶναι ἀληθές, ἀλλὰ φέρεσθαι μὲν ἥλιον καὶ σελήνην ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν καταπεπτωχημένους δὲ ὑπὸ τοῦ κόσμου, πρὸ τοῦ κύκλον ἀναδραμεῖν, ἐν τοῖς ἑπομένοις ζῳδίοις θεωρεῖσθαι. χρῶνται δέ τινες καὶ τῷ ὁμοιώματι τούτῳ· εἰ γάρ τις, φασίν, ὑποστήσαιτο δρομεῖς ιβ' ἴσῳ τάχει χρωμένους, καὶ ποιουμένους ἐπὶ κύκλου τὴν κίνησιν, εἶτα μέντοι γε ἄλλον τινὰ ἕνα βραδύτερον ἐν αὐτοῖς κινούμενον, ὁμοίως δὲ τὴν κίνησιν αὐτοῖς ποιούμενον ἐπὶ κύκλου· δόξει μὲν * προκαταλαμβανόμενος, εἰς τὰ ἑπόμενα μεταβαίνειν, οὐκ ἔσται δὲ τοῦτο ἐπὶ τῆς ἀληθείας· ἀλλ' ὁμοίως αὐτοῖς κινούμενος διὰ τὴν βραδυτῆτα δόξει εἰς τἀναντία κινεῖσθαι, τοῦτο δὴ καὶ ἐπὶ τοῦ ἡλίου, καὶ ἐπὶ τῆς σελήνης συμβεβηκέναι. ἐπὶ γὰρ τὰ αὐτὰ μέρη κινούμενοι τῷ κόσμῳ, διὰ τὴν βραδυτῆτα εἰς τὰ ἑπόμενα ὑποφέρονται. καθάπερ τὰ ἐπὶ τῶν ποταμῶν καταφερόμενα πλοῖα προκαταπεπτωχημένα ὑπὸ τοῦ ῥεύματος δοκεῖ εἰς τὰ ὀπίσω κινεῖσθαι· τοῦτο δέ φασι καὶ ἐπὶ τοῦ ἡλίου, καὶ ἐπὶ τῆς σελήνης συμβαίνειν.

* f. προκαταλαμ.

Αὕτη δὲ ἡ δόξα ὑπὸ πολλῶν φιλοσόφων εἰρημένη ἀσύμφωνός ἐστι τοῖς φαινομένοις· εἰ γὰρ καθ' ὑπόλειψιν ἐκινοῦντο, ὑποφερομένων τῶν σωμάτων διὰ τὰ μεγέθη, ἔδει κατὰ παραλλήλους κύκλους τὴν ὑπόλειψιν γίνεσθαι. καθάπερ καὶ οἱ ἀπλανεῖς ἀστέρες πάντες ἐπὶ παραλλήλων κύκλων φέρονται, διὰ τὸ καὶ τὴν τοῦ κόσμου φορὰν ἐγκύκλιον εἶναι ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν. νυνὶ δὲ οὐχ ὑπολείπονται κατὰ παραλλήλους κύκλους. ἀλλ' ὁ μὲν ἥλιος ἐπὶ τοῦ διὰ μέσων τῶν ζῳδίων κύκλου κινούμενος, ἅμα καὶ τὴν κατὰ πλάτος πάροδον ποιεῖται ἀπὸ τροπῶν ἐπὶ τροπάς· ὡς ἄν, οἶμαι, ἰδίας ὑπαρχούσης αὐτῷ τῆς κινήσεως, τῆς μὲν ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν, τῆς δὲ ἀπὸ δύσεως ἐπ' ἀνατολήν· ἡ δὲ σελήνη ἐν ὅλῳ τῷ πλάτει τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου τὴν πάροδον ποιεῖται. οὐδὲν δὲ τῶν καθ' ὑπόλειψιν ὑποφερομένων ἅμα δύναται κατὰ πλάτος κινεῖσθαι· ἀλλ' ὀφείλει κατὰ τὴν τοῦ κόσμου φορὰν τὴν ὑπόλειψιν ποιεῖσθαι. ἐλέγχει δὲ τὴν δόξαν ψευδῆ ὑπάρχουσαν μάλιστα πάντων ἡ περὶ τοὺς πέντε πλάνητας ἀστέρας κίνησις· ἐκεῖνοι γὰρ ὁτὲ μὲν ὑπολείπονται τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων, ὁτὲ δὲ προηγοῦνται· ὁτὲ δὲ κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἀστέρας μένουσιν, οἳ δὴ καὶ καλοῦνται στηριγμοί. τοιαύτης δὲ ὑπαρχούσης περὶ αὐτοὺς τῆς κινήσεως, φανερὸν ὅτι ἡ ἐπὶ τὰ ἑπόμενα μετάβασις οὐ γίνεται καθ' ὑπόλειψιν. διὰ παντὸς γὰρ ἂν ὑπολείποντο· νυνὶ δὲ ἰδία τίς ἐστιν ἡ περὶ ἕκαστον σφαιροποιΐα, καθ' ἣν ποτὲ μὲν εἰς τὰ ἑπόμενα μεταβαίνουσι, ποτὲ δὲ εἰς τὰ προηγούμενα, ποτὲ δὲ στηρίζουσιν. οὕτω δὴ καὶ περὶ τὸν ἥλιον, καὶ περὶ τὴν σελήνην ἰδία τίς ἐστι καὶ προαιρετική, καὶ κατὰ φύσιν ἡ περὶ πλάτος κίνησις, καθ' ἣν ἀπὸ δύσεως ἐπ' ἀνατολὴν κινούμενοι τὴν κατὰ πλάτος πάροδον ποιοῦνται. ὅτι δὲ οὐ δύνανται καθ' ὑπόλειψιν εἰς τὰ ἑπόμενα τῶν ζῳδίων τὴν μετάβασιν ποιεῖσθαι, φανερὸν καὶ ἐκ τοῦ μὴ ἀνάλογον τοῖς μεγέθεσι, μηδὲ τοῖς ἀποστήμασι τὰς μεταβάσεις γίνεσθαι. εἰ γὰρ διὰ τὰ μεγέθη τῶν σωμάτων ὑποφέροντο, βραδυτέραν ἔχοντες τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων κίνησιν, ἔδει ἀνάλογον τοῖς μεγέθεσι, καὶ τοῖς ἀποστήμασι τὰς ὑπολείψεις γίνεσθαι· μὴ γινομένου δὲ τούτου, ἀνάγκη λέγειν κατὰ φύσιν εἶναι τοῖς πλανωμένοις ἀστράσι τὴν ὑπεναντίαν κίνησιν. ἤδη μέντοι διὰ τὴν ἰδίαν ἑκάστου σφαιροποιΐαν διαφόρους συμβέβηκε τὰς μεταβάσεις γίνεσθαι.

ΚΕΦΑ-

Digitized by Google

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ιά.

[45] Περὶ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν.

Ὁ κόσμος κινούμενος ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν, ἡμέρᾳ καὶ νυκτὶ ἀποκαθίσταται ἀπ' ἀνατολῆς ἐπ' ἀνατολήν. ἐν δὲ τῇ τοῦ κόσμου περιστροφῇ πάντες οἱ ἀστέρες καθ' ἑκάστην ἡμέραν καὶ ἀνατέλλουσι καὶ δύνουσι. καί ἐστιν ἀνατολὴ μὲν ἡ καθ' ἑκάστην ἡμέραν γινομένη * πρὸς τὸν ὁρίζοντα φάσις. δύσις δὲ ἡ καθ' ἑκάστην ἡμέραν γινομένη ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα κρύψις. ἄλλως δὲ λέγονται ἐπιτολαὶ καὶ κρύψεις, ἅς τινες ἀγνοοῦντες κατὰ τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὑπολαμβάνουσι λέγεσθαι. μεγάλη δέ ἐστι διαφορὰ ἀνατολῆς, καὶ ἐπιτολῆς. ἀνατολὴ μὲν γάρ ἐστιν ἡ προειρημένη· ἐπιτολὴ δὲ ἡ γινομένη πρὸς τὸν ὁρίζοντα φάσις μετὰ τῆς πρὸς τὸν ἥλιον ἀποστάσεως ἀπολαμβανομένη. ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῆς δύσεως, καὶ ἐπὶ τῆς κρύψεως. ἄλλως μὲν γὰρ λέγεται δύσις ἡ καθ' ἑκάστην ἡμέραν γινομένη ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα κρύψις· ἄλλως δὲ ἡ γινομένη κρύψις πρὸς τὸν ὁρίζοντα ἅμα καὶ τὸν ἥλιον.

* γρ. ἡ ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα φανέρωσις.

Εἰσὶ δὲ περὶ ἕκαστον τῶν ἀστέρων ἐπιτολαὶ δύο, αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν λέγονται ἑῷαι· αἱ δὲ ἑσπέριαι. καί ἐστιν ἑῴα μὲν ἐπιτολή, ὅταν ἅμα τῷ ἡλίῳ ἀνατέλλοντι συνανατέλλῃ τις ἀστήρ, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον γενόμενος ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος. ἑσπερία δ' ἐστὶν ἐπιτολή, ὅταν τοῦ ἡλίου δύνοντος ἐπιτέλλῃ τις ἀστὴρ ἅμα κατὰ τὸν ὁρίζοντα γινόμενος.

Τῶν δὲ ἑῴων καὶ τῶν ἑσπερίων ἐπιτολῶν διαφοραί εἰσι δύο. αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἀληθιναὶ λέγονται· αἱ δὲ φαινόμεναι. ἀληθιναὶ μέν, ὅταν ἅμα κατ' ἀλήθειαν ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος γινομένου ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου συνανατέλλῃ τις ἀστήρ· αὕτη δὲ ἡ ἐπιτολὴ ἀθεώρητος γίνεται διὰ τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου. ἐν δὲ ταῖς ἐχομέναις ἡμέραις ὁ μὲν ἥλιος ὑπεναντίως κινούμενος εἰς τὰ ἑπόμενα μεταβαίνει· ὁ δὲ ἀστὴρ τοσοῦτο προανατέλλει τοῦ ἡλίου, ὅσον ὁ ἥλιος εἰς τὰ ἑπόμενα μεταβῇ ἐν τῷ ἡμερησίῳ χρόνῳ. οὔπω μέντοι δύναται θεωρηθῆναι ἡ τοῦ ἄστρου ἐπιτολή· ἔτι δὲ καταυγάζεται ὑπὸ τοῦ ἡλίου· πάλιν δὲ ἐν μὲν τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ ὁ μὲν ἥλιος εἰς τὰ ἑπόμενα μετέβη, ὁ δὲ ἀστὴρ τοσοῦτον προανατέλλει τοῦ ἡλίου, ὅσον ὁ ἥλιος ἐν ταῖς δυσὶν ἡμέραις μετεκινήθη. ἐν δὲ ταῖς ἐχομέναις ἡμέραις ἀεὶ τοῦ ἀστέρος ἐναργέστερον μᾶλλον καὶ ἐναργέστερον προανατέλλοντος, ὅταν τοσοῦτον προανατέλλῃ, ὥστε θεωρηθῆναι τὴν τοῦ ἄστρου ἐπιτολήν, ἐκπεφευγότος αὐτοῦ τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου, τότε λέγεται ὁ ἀστὴρ οὗτος ἑῴαν φαινομένην ἐπιτολὴν πεποιῆσθαι. δι' ἣν αἰτίαν καὶ ἐν τοῖς ψηφίσμασιν αἱ φαινόμεναι τῶν ἄστρων ἐπιτολαὶ προλέγονται, καὶ προστηροῦνται. ὁ δὲ αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἑσπερίων ἐπιτολῶν πάλιν. καὶ γὰρ τούτων διαφοραί εἰσι δύο· αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἀληθιναὶ λέγονται, αἱ δὲ φαινόμεναι· ἀληθιναὶ μέν, ὅταν ἅμα κατ' ἀλήθειαν τοῦ ἡλίου δύνοντος, ἐπιτέλλῃ τις ἀστήρ, ἅμα γενόμενος ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος πρὸς τὴν κατὰ τὸν λόγον ἀκρίβειαν. καὶ αὗται δὲ αἱ ἐπιτολαὶ ἀθεώρητοι γίνονται διὰ τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου. ἐν δὲ ταῖς ἑξῆς ἡμέραις διὰ τὴν τοῦ ἡλίου μετάβασιν, συναιρουμένου τοῦ πρὸς τὸν ἀστέρα διαστήματος, προανατέλλει μὲν πρὸ τῆς τοῦ ἡλίου δύσεως, ἔτι δὲ ὑπὸ τοῦ ἡλίου καταυγαζόμενος ἀθεώρητός ἐστιν. ὅταν δὲ μετὰ τὴν τοῦ ἡλίου δύσιν πρῶτος ἐκπεφευγὼς τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου θεωρηθῇ, τότε λέγεται φαινομένην ἑσπερίαν ἐπιτολὴν πεποιῆσθαι. ἐν δὲ ταῖς ἐχομέναις νυξὶ μετεωρότερος ἀεὶ μᾶλλον, καὶ μᾶλλον φαίνεται.

Ὁμοίως δὲ καὶ τῶν δύσεων διαφοραὶ λέγονται δύο· αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἑῷαί εἰσιν, αἱ δὲ ἑσπέριαι. ἑῷαι μὲν οὖν λέγονται δύσεις, ὅταν τοῦ ἡλίου ἀνατέλλοντος δύνῃ τις ἀστήρ. ἑσπερία δὲ δύσις λέγεται, ὅταν τοῦ ἡλίου δύνοντος συγκαταφέρηταί τις ἀστὴρ ἅμα γενόμενος ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα. εἰσὶ δὲ τῶν ἑῴων δύσεων διαφοραὶ δύο. αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἀληθιναί, αἱ δὲ φαινόμεναι· ἀληθιναὶ μέν, ὅταν ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος γένωνται ὅ τε ἥλιος, καὶ ὁ ἀστὴρ δύνων. αὗται δὲ αἱ δύσεις ἀθεώρητοι γίνονται διὰ τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου. φαινομένη δέ ἐστιν ἑῴα δύσις, ὅταν πρὸ τῆς τοῦ ἡλίου ἀνατολῆς, τὸ ἔσχατον δύνων ὁ ἀστὴρ θεωρηθῇ. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἑσπερίων δύσεων αἱ διαφοραὶ εἰσι δύο. αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν εἰσὶν ἀληθιναί, αἱ δὲ φαινόμεναι· ἀληθιναὶ μέν, ὅταν ἀπηκριβωμένως ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος γίνηται ὁ ἥλιος καὶ ὁ ἀστὴρ ἀμφότεροι δύνοντες· ἀθεώρητοι δὲ καὶ αὗται αἱ δύσεις γίνονται διὰ τὰς αὐγὰς τοῦ ἡλίου· φαινόμεναι δέ εἰσιν ἑσπέριαι δύσεις, ὅταν μετὰ τὴν τοῦ ἡλίου δύσιν ἐπικαταδύνῃ τις ἀστὴρ

CAPUT XI.

De ortibus & occaſibus

Mundus cùm movetur ab ortu verſus occaſum, die & nocte reſtituitur ab ortu verſus ortum: in converſione autem mundi omnes ſtellæ quotidie & oriuntur, & occidunt. Et ortus quidem eſt apparitio ſupra horizontem. occaſus verò eſt occultatio, quæ quotidie fit infra horizontem. Aliter autem dicuntur ἐπιτολαὶ, καὶ κρύψεις, id eſt apparitio, & occultatio; quæ nonnulli ex ignorantia ſecundum eumdem ſenſum putant dici. Eſt autem magna differentia inter ἀνατολὴν & ἐπιτολήν. ἀνατολή eſt ortus ille, de quo jam dictum eſt. at ἐπιτολή, eſt illa ad horizontem apparitio, quæ deſumitur eum diſtantia á ſole. Eadem differentia eſt inter δύσιν, id eſt occaſum, & κρύψιν, id eſt occultationem. Aliter enim dicitur δύσις, occaſus, qui eſt quotidiana infra horizontem occultatio: aliter verò κρύψις, id eſt, occultatio, quæ fit ſimul & ad horizontem, & ad ſolem.

Differunt ἀνατολὴ & ἐπιτολή, item δύσις & κρύψις. Ortus & occaſus ſtellarum.

Sunt autem cujuſque ſtellæ ortus duo. alii enim dicuntur matutini, alii veſpertini. Matutinus ortus eſt, cum ſimul cum ſole oriente ſtella aliqua oritur, éſtque eodem tempore in horizonte. Veſpertinus ortus eſt, cúm ſole occidente oritur ſtella aliqua ſimul in horizonte conſtituta.

Matutinorum & veſpertinorum ortuum duæ ſunt differentiæ. alii enim eorum veri dicuntur; alii apparentes. Veri cùm ſimul revera ſtella aliqua in horizonte conſtituta oritur, ſole oriente. atque hic ortus, non videtur propter radios ſolis. io diebus autem proximé ſequentibus ſol, cùm contra mundi motum moveatur, tranſit in conſequentia; ſtella verò tantum oritur ante ſolem, quantum ſol in conſequentia tranſierit in diurno tempore. nondum tamen poteſt ſpectari ortus aſtri. adhuc enim à ſole obſcuratur. turſus verò in die proximè ſequenti ſol in conſequentia tranſiit; ſtella vero tantum oritur ante ſolem, quantum ſol in duobus diebus progreſſus fuit. in diebus deinde continuò ſequentibus ſtella ſemper magis magiſque tempeſtivè ante ſolem oriens, cùm tantum præorta fuerit, ut aſtri ortus ſpectetur, cùm ipſum radios ſolis effugerit, tunc dicitur ſtella hæc matutinum apparentem ortum facere. quam ob cauſſam etiam in tabulis apparentes aſtrorum ortus prædicuntur. oam veri ortus ſunt inviſibiles, atque inobſervabiles. at apparentes ortus, & prædicuntur, & obſervantur. Eadem rurſus etiam eſt ratio in veſpertinis ortibus. Etenim horum duæ ſunt differentiæ. horum enim alii dicuntur veri, alii apparentes. Veri quidem, cúm ſimul verè, ſecundùm præciſionem rationis, ſtella aliqua in horizonte conſtituta oritur, ſole occidente. atque hi ortus ſunt inviſibiles propter radios ſolis. in diebus verò ſequentibus, cùm propter ſolis progreſſum diſtantia ejus à ſtella minuatur, ſtella quidem oritur ante ſolis occaſum, adhuc tamen à ſole obſcurata inviſibilis eſt; cúm verò poſt ſolis occaſum primùm conſpecta fuerit effugiſſe radios ſolis, tunc dicitur apparentem veſpertinum ortum facere. in ſequentibus verò noctibus ſemper magis magiſque ſublimis apparet.

Ortus matutini ratio. Veſpertinus ortus explicatur.

Similiter etiam occaſuum duæ dicuntur differentiæ. horum enim alii ſunt matutini, alii veſpertini, matutini occaſus dicuntur, cùm ſole oriente occidit ſtella aliqua. dicitur veſpertinus occaſus, cùm ſole occidente ſimul aliqua ſtella defertur infra horizontem. ſunt autem matutinorum occaſuum differentiæ duæ. alii enim ſunt veri, alii apparentes. veri quidem, cùm ſimul in horizonte conſtituti fuerint & ſol & ſtella; ſol quidem oriens, ſtella verò occidens. hi autem occaſus inviſibiles ſunt propter radios ſolis. apparens verò matutinus occaſus eſt, cùm ante ſolis ortum poſtremò ſtella ſpectatur occidere. Similiter etiam in veſpertinis occaſibus duæ ſunt differentiæ. alii enim eorum ſunt veri, alii apparentes. veri quidem, cùm ambo penitus in horizonte conſtituti fuerint, & ſol, & ſtella ambo occidentes. Inviſibiles ſunt & hi occaſus propter radios ſolis. Apparentes autem occaſus veſpertini ſunt, cúm poſt ſolis

Occaſus matutini. Ortus veſpertinus.

45 Περὶ ἀνατολῶν, καὶ δυσμῶν.] De hoc toto capite accuratè diſputatum eſt libro I. hujus operis.

ſolis occaſum inſuper occidit aliqua ſtella conſpecta à nobis. Ex matutinis igitur ortibus, & occaſibus, ii qui ſunt veri, priùs fiunt; qui apparentes, poſteriùs. Ex veſpertinis verò ortibus, & occaſibus ii, qui ſunt apparentes, priùs fiunt; qui veri, poſteriùs. Matutinus quidem ortus poſt matutinum, & veſpertinus ortus poſt veſpertinum ortum: & in ſumma omnis ſimilis ſpecies à ſimili ſpecie omnibus aſtris per annum contingit. ſol enim annuo tempore zodiacum circulum peragrans, rurſus ad eaſdem ſtellas accedit.

Ratio ortuum & occaſuum pro ſitu ſtellarum.

Matutinus ortus à veſpertino ortu iis aſtris, quæ in zodiaco ſunt ſita, per ſemeſtre tempus contingit; item matutinus occaſus à veſpertino occaſu. at iis aſtris, quæ extra zodiacum verſus boream ſunt ſita, matutinus ortus à veſpertino ortu per majus tempus quàm ſemeſtre contingit. Aſtris verò his, quæ extra zodiacum verſus meridiem poſita ſunt, matutinus ortus à veſpertino ortu per brevius tempus, quàm ſemeſtre, contingit. Tempus verò majus ſemeſtri non eſt omnibus aſtris definitum, ſed aliis longius, aliis brevius. Nam iis aſtris, quæ ſemper magis magiſque verſus ſeptentrionem ſunt ſita, ſemper quoque majus majúſque tempus contingir: eo quòd ſemper majora ſegmenta ſupra terram ferantur iis, quæ ſemper magis verſus ſeptentrionem ſunt poſita. At iis, aſtris, quæ verſus meridiem magis declinant, ſemper magis magiſque brevius evenit tempus. ſtellæ enim verſus meridiem poſitæ feruntur in minoribus ſegmentis ſupra terram.

Contrà iis ſtellis, quæ extra zodiacum verſus boream ſunt ſitæ, tempus illud minus eſt ſemeſtri, quod eſt à matutino occaſu uſque ad veſpertinum ortum. Iis verò ſtellis, quæ verſus meridiem ſunt poſitæ, majus ſemeſtri eſt tempus illud, quod eſt à matutino occaſu uſque ad veſpertinum ortum. Varietas autem temporum reſpondet diſtantiis ſtellarum à zodiaco circulo, ſecundùm ſegmentorum varietatem, quæ ſupra terram ab horizonte intercipiuntur.

Stellis iis, quæ in zodiaco circulo ſunt ſitæ, ſimul contingit matutinus ortus, & veſpertinus occaſus, & rurſus ſimul matutinus occaſus, & veſpertinus ortus. reliquis aſtris non ſimul prædictæ ſpecies perficiuntur. ſed hæ varianr ſecundùm tempora, cùm ſtellæ habeant circularem motum ab ortu verſus occaſum. quæ enim eorum aſtrorum ſita ſunt in circulo æquinoctiali, æqualem habent curſum ſupra terram, & infra terram. æqualiter enim ſecatur æquinoctialis circulus ab horizonte. quæ verò aſtra extra æquinoctialem verſus boream ſunt ſita, hæc majori tempore feruntur ſupra horizontem, minore tempore infra horizontem. Omnium enim circulorum, in quibus moventur inerrantes ſtellæ, majora ſegmenta ſupra terram intercipiuntur ab horizonte, minora verò infra terram, propter elevationem poli. quæ verò aſtra extra æquinoctialem verſus meridiem ſunt poſita, ea minorem habent motum ſupra terram, majorem infra terram. Rurſus enim auſtrales circuli, in quibus inerrantes ſtellæ feruntur, minota ſegmenta habent ſupra terram, majora infra terram. Talis cùm ſit motus, inerrantibus aſtris, evenit, ut non omnia, quæ ſimul oriuntur, ſimul etiam occidant, ſed ex iis, quæ ſimul uriuntur, ea, quæ magis ſunt auſtralia, ſemper priùs occidant, eo quòd minora ſegmenta habeant ſupra terram. ſimiliter neque ea, quæ ſimul occidunt, ſimul etiam oriuntur, ſed ex iis ea, quæ ſunt magis borealia, priùs oriuntur; eo quòd infra horizontem minora habeant ſegmenta. Rurſus neque ea, quæ priùs oriuntur, etiam priùs occidunt; ſed quædam eorum, quæ priús oriuntur, ſimul etiam occidunt; quædam verò poſteriùs. ſimiliter eorum, quæ priùs occidunt, quædam non oriuntur priús, ſed ſimul oriuntur, & occidunt. alia priùs; alia poſteriùs. Mentionem facit & horum ex parte Aratus, cùm ſic inquit,

Sed ſemper taurus velocior auriga
In alteram partem deſcendere, licèt ſimul aſcendat.

In his enim inquit, taurum ſimul cum auriga ortum, priùs tamen occidere. Fit autem hoc propter ſegmentorum exceſſum, in quibus ſupra terram, & infra terram inerrantes ſtellæ feruntur. propter hanc autem ſphæram nun omnia aſtra oriuntur omni nocte: ſed quædam oriuntur & occidunt: quædam verò oriuntur quidem, non tamen occidunt: quædam verò neque oriuntur, neque occidunt. ſed ea, quæ magis ſunt borealia, cùm ſint ſublimia poſt ſolis occaſum, ante ſolis ortum adhuc ſublimiora apparent. quæ verò ſunt magis

τοῦ ἡλίου, θεωρούμενος ὑφ' ἡμῶν. τῶν μὲν οὖν ἑῴων ἐπιτολῶν καὶ δύσεων πρότερον γίνονται αἱ ἀληθιναί, ὕστερον δὲ αἱ φαινόμεναι· τῶν δὲ ἑσπερίων ἐπιτολῶν τε καὶ δύσεων πρότερον γίνονται αἱ φαινόμεναι, ὕστερον δὲ αἱ ἀληθιναί. ἑῴα μὲν ἐπιτολὴ ἀπὸ ἑῴας, καὶ ἑσπερία ἐπιτολὴ ἀπὸ ἑσπερίας ἐπιτολῆς, καὶ καθόλου πᾶν τὸ ὅμοιον εἶδος ἀπὸ τοῦ ὁμοίου εἴδους, πᾶσι τοῖς ἄστροις δι' ἐνιαυτοῦ γίνεται. ὁ γὰρ ἥλιος ἐνιαυτοῦ διελθὼν τὸν ζῳδιακὸν κύκλον, πάλιν κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἀστέρας γίνεται.

Ἑῴα δὲ ἐπιτολὴ ἀπὸ ἑσπερίας ἐπιτολῆς τοῖς μὲν ἐπὶ τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου κειμένοις ἄστροις δι' ἑξαμήνου γίνεται, καὶ ἑῴα δύσις ἀπὸ ἑσπερίας δύσεως. τοῖς δὲ βορειοτέροις τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου κειμένοις ἄστροις ἑῴα μὲν ἐπιτολὴ ἀπὸ ἑσπερίας ἐπιτολῆς διὰ πλείονος χρόνου, ἢ ἑξαμηνιαίου γίνεται· τοῖς δὲ πρὸς μεσημβρίαν κειμένοις τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου ἑῴα ἐπιτολὴ ἀπὸ ἑσπερίας ἐπιτολῆς δι' ἐλάττονος ἢ ἑξαμηνιαίου χρόνου γίνεται. ὁ δὲ πλεονάζων χρόνος τοῦ ἑξαμήνου οὐκ ἔστι πᾶσι τοῖς ἄστροις ἀφωρισμένος, ἀλλ' οἷς μὲν πλείων, οἷς δὲ ἐλάττων. τοῖς δὲ γὰρ πρὸς ἄρκτον ἀεὶ μᾶλλον κειμένοις πλείων ἀεὶ καὶ πλείων ὁ χρόνος γίνεται, διὰ τὸ μείζονα τμήματα ὑπὲρ γῆν φέρεσθαι * τοῖς ἀεὶ μᾶλλον πρὸς ἄρκτον κειμένους. τοῖς δὲ πρὸς μεσημβρίαν μᾶλλον κειμένοις ἀεὶ μᾶλλον καὶ μᾶλλον ἐλάττων ὁ χρόνος γίνεται. ἐλάττονα γὰρ τὰ τμήματα ὑπὲρ γῆν φέρονται οἱ πρὸς μεσημβρίαν ἀστέρες κείμενοι.

* f. κειμένοις.

Ἀνάπαλιν δὲ τοῖς πρὸς ἄρκτον κειμένοις τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου ἐλάττων ἐστὶ χρόνος ἑξαμήνου ὁ ἀπὸ ἑῴας δύσεως μέχρι ἑσπερίας ἐπιτολῆς· τοῖς δὲ πρὸς μεσημβρίαν πλείων ὁ χρόνος ἑξαμήνου ἀπὸ ἑῴας δύσεως μέχρι ἑσπερίας ἐπιτολῆς. ἡ δὲ παραλλαγὴ τῶν χρόνων ἀκολούθως γίνεται τῇ περιστάσει τῇ ἀπὸ τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου μετὰ τῆς τῶν τμημάτων παραλλαγῆς τῶν ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβανομένων ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος.

Hæc deſunt in veteribus.

Τοῖς δὲ ἐπὶ τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου κειμένοις ἅμα γίνεται ἑῴα ἐπιτολή, καὶ ἑσπερία δύσις, καὶ πάλιν ἅμα ἑῴα δύσις, καὶ ἑσπερία ἐπιτολή. τοῖς δὲ λοιποῖς ἄστροις οὐχ ἅμα τὰ προειρημένα εἴδη ἐπιτελεῖται· ἀλλὰ διαλλάσσει κατὰ τοὺς χρόνους, τῶν ἀστέρων κεκτημένων ἐγκύκλιον φορὰν ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δύσιν. ὅσα μὲν οὖν αὐτῶν ἐπὶ τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου κεῖται, τὸν ἴσον δρόμον ὑπὲρ γῆν φέρεται, καὶ ὑπὸ γῆν. διχοτομεῖται γὰρ ὁ ἰσημερινὸς κύκλος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος· ὅσα δὲ τῶν ἄστρων πρὸς ἄρκτον κεῖται τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου, ταῦτα πλείονα μὲν χρόνον ὑπὲρ γῆν φέρεται, ἐλάττονα δὲ ὑπὸ γῆν. πάντων γὰρ κύκλων, καθ' ὧν φέρονται οἱ ἀπλανεῖς ἀστέρες, μείζονα μὲν τμήματα ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεται ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος, ἐλάττονα δὲ ὑπὸ γῆν, διὰ τὸ ἔξαρμα τοῦ πόλου. ὅσα δὲ τῶν ἄστρων πρὸς μεσημβρίαν κεῖται τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου, ἐλάττονα μὲν φορὰν ὑπὲρ γῆν φέρεται, πλείονα δὲ ὑπὸ γῆν. πάλιν γὰρ τῶν κύκλων, καθ' ὧν φέρονται οἱ ἀπλανεῖς ἀστέρες οἱ ἐπὶ μεσημβρίαν κείμενοι, ἐλάττονα μὲν τμήματα ὑπὲρ γῆν ἔχουσι, μείζονα δὲ ὑπὸ γῆν. τοιαύτης δὲ φορᾶς τοῖς ἀπλανέσιν ἄστροις ὑπαρχούσης, συμβαίνει μὴ πάντα τὰ ἅμα ἀνατέλλοντα καὶ ἅμα δύνειν, ἀλλὰ τῶν ἅμα ἀνατελλόντων ἀεὶ τὰ πρὸς μεσημβρίαν μᾶλλον αὐτῶν κείμενα πρότερον δύνειν, διὰ τὸ ἐλάττονα τμήματα ὑπὲρ γῆν φέρεσθαι. ὁμοίως δὲ οὐδὲ τὰ ἅμα δύνοντα ἅμα καὶ ἀνατέλλει, ἀλλὰ τὰ πρὸς ἄρκτον αὐτῶν μᾶλλον κείμενα πρότερον ἀνατέλλει, διὰ τὸ ἐλάττονα τμήματα ὑπὸ γῆν φέρεσθαι. πάλιν δὲ οὐδὲ τὰ πρότερον ἀνατέλλοντα καὶ πρότερον δύνει. ἀλλά τινα μὲν τῶν πρότερον ἀνατελλόντων ἅμα καὶ δύνει, τινὰ δὲ ὕστερον. ὁμοίως δὲ καὶ τῶν πρότερον δυνόντων τινὰ μὲν οὐ προανατέλλει, ἀλλ' ἅμα μὲν ἀνατέλλει, καὶ δύνει, τὰ μὲν πρότερον, τὰ δὲ ὕστερον. μνημονεύει δὲ καὶ τούτων ἐπὶ ποσὸν Ἄρατος λέγων οὕτως,

Ἀλλ' αἰεὶ ταῦρος προφερέστερος ἡνιόχοιο
Εἰς ἑτέρην καταβῆναι, ὁμηλυσίῃ περ ἀνελθών.

Ἐν γὰρ τούτοις φησὶν ἅμα τὸν ταῦρον τῷ ἡνιόχῳ ἀνατέλλοντα πρότερον δύνειν. γίνεται δὲ τοῦτο παρὰ τὴν τῶν τμημάτων ὑπεροχήν, ὧν ὑπὲρ γῆν φέρονται, καὶ ὑπὸ γῆν οἱ ἀπλανεῖς ἀστέρες. διὰ δὲ τὴν τοιαύτην σφαιροποιίαν οὐ πάντα τὰ ἄστρα ἀνατέλλει καθ' ἑκάστην νύκτα· ἀλλὰ τινὰ μὲν ἀνατέλλει, καὶ δύνει, τινὰ δὲ ἀνατέλλει μέν, οὐ δύνει δέ. ἃ δὲ οὔτ' ἀνατέλλει, οὔτε δύνει· ἀλλὰ τὰ μὲν βορειότερα κείμενα, μετέωρα ὑπάρχοντα μετὰ τὴν τοῦ ἡλίου δύσιν, πρὸ τῆς τοῦ ἡλίου ἀνατολῆς ἔτι μετεωρότερα φαίνεται· τὰ δὲ μεσημβρινώτερα κείμενα οὔτ' ἀνατέλλοντα, οὔτε δύνοντα θεωρεῖται

θεωρεῖται, ἀλλὰ πάντα τὸν τῆς νυκτὸς χρόνον ὑπὸ γῆν φέρονται. ὅθεν καί τινα τῶν ἄστρων ἀμφιφανῆ καλεῖται, καθάπερ καὶ ὁ Ἀρκτοῦρος. μετὰ γὰρ τὴν τοῦ ἡλίου δύσιν πλεονάκις θεωρεῖται, δύνων τε ἐν τῇ αὐτῇ νυκτὶ, καὶ προανατέλλων τοῦ ἡλίου * φαίνεται. δι' ἣν αἰτίαν καλεῖται ἀμφιφανὴς, ὅτι καὶ ἀφ' ἑσπέρας δύνων, καὶ ἀνατέλλων ἐν τῇ αὐτῇ νυκτὶ θεωρεῖται. τὰ δὲ ἐναντίαν ἔχει τάξιν, ὅσα προδύνει μὲν τοῦ ἡλίου δύσεως, ἐπανατέλλει δὲ μετὰ τὴν τοῦ ἡλίου ἀνατολήν· ὥστε καθ' ὅλην τὴν νύκτα μὴ θεωρεῖσθαι μήτ' ἀνατέλλοντα, μήτε δύνοντα, ἃ δὴ καλοῦσί τινες νυκτιδίεξοδα. οὐ κατὰ πάντα δὲ καιρὸν ταῦτα πάντα τὰ ἰδιώματα περὶ τοὺς αὐτοὺς ἀστέρας ὑπάρχει. ἀλλὰ περὶ τὰς τοῦ ἡλίου μεταβάσεις ἀλλοιοῦται καὶ τὰ περὶ τὰς ἀνατολὰς, καὶ τὰ περὶ τὰς δύσεις.

* γρ. [illegible]

auſtralia, ea neque oriri, neque occidere videntur: ſed per omne noctis tempus ſub horizonte feruntur. nnde quædam aſtrorum vocantur bis apparentia: ſicut & Arcturus. poſt ſolis enim occaſum ſæpè videtur & oceidere eadem nocte, & ante ſolem oriri. quam ob cauſam vocatur bis apparens, quod & à veſpera occidere, & oriri in eadem nocte ſpectetur. Alia verò ordinem habent contrarium, quæ occidunt ante ſolis occaſum, oriuntur verò poſt ſolis ortum: ita ut per totam noctem non videantur neque oriri, neque occidere; quæ nonnulli vocant νυκτιδίεξοδα, id eſt noctu latè expatiantia. Non omni autem tempore omnes hæ proprietates circa eaſdem ſtellas eveniunt, ſed circa ſolis tranſitus variantur ea quæ ad ortus, & quæ ad occaſus ſpectant.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ιβ.

Περὶ τῶν ἐν γῇ ζωνῶν.

Ἡ τῆς συμπάσης γῆς ἐπιφάνεια σφαιροειδὴς ὑπάρχουσα διαιρεῖται εἰς ζώνας πέντε· ὧν δύο μὲν αἱ περὶ τοὺς πόλους, ἀπωτάτω δὲ κείμεναι τῆς τοῦ ἡλίου περιόδου κατεψυγμέναι λέγονται, καὶ ἀοίκητοι διὰ τὸ ψῦχος. ἀφορίζονται δὲ ὑπὸ τῶν ἀρκτικῶν πρὸς τοὺς πόλους· αἱ δὲ τούτων ἑξῆς, συμμέτρως δὲ κείμεναι πρὸς τὴν τοῦ ἡλίου πάροδον, εὔκρατοι καλοῦνται. ἀφορίζονται δὲ αὐταὶ ὑπὸ τῶν ἐν τῷ κόσμῳ ἀρκτικῶν, καὶ τροπικῶν κύκλων, μεταξὺ κείμεναι αὐτῶν. ἡ δὲ λοιπὴ μέση τῶν προειρημένων, κειμένη δὲ ὑπ' αὐτὴν τὴν τοῦ ἡλίου πάροδον, διακεκαυμένη καλεῖται. διχοτομεῖται δὲ αὕτη ὑπὸ τοῦ ἐν τῇ γῇ ἰσημερινοῦ κύκλου, ὃς κεῖται ὑπὸ τὸν ἐν τῷ κόσμῳ ἰσημερινὸν κύκλον, τῶν δὲ εὐκράτων δύο ζωνῶν τὴν βόρειον ὑπὸ τῶν ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ οἰκεῖσθαι συμβέβηκεν, ἐπὶ μὲν τὸ μῆκος οὖσαν ὡς ἔγγιστα περὶ δέκα μυριάδας σταδίων, ἐπὶ δὲ τὸ πλάτος ὡς ἔγγιστα τὸ ἥμισυ.

CAPUT XII.

De zonis in terra.

Totius terræ ſuperficies, cùm ſit globoſa, dividitur in quinque zonas: quarum duæ, quæ ſunt circa polos, & longiſſimè ſitæ à ſolis itinere, frigidæ dicuntur, Duæ frigidæ zonæ. atque inhabitabiles propter frigus. Determinantur autem à circulis arcticis verſus polos. zonæ verò, quæ his ſunt proximæ, & mediocriter poſitæ ad ſolis acceſſum, Duæ temperatæ zonæ. temperatæ vocantur. determinantur autem hæ à circulis in mundo arcticis, & tropicis, cùm inter eos ſint ſitæ. reliqua, quæ eſt media prædictarum, & ſita ſub ipſo ſolis acceſſu, torrida vocatur. atque hæc à terreſtri æquinoctiali æqualiter ſecatur, qui ſitus eſt ſub mundano æquinoctiali circulo. Torrida zona. Ex temperatis zonis duabus eam, quæ eſt borea, quæque à nobis habitatur, contingit habitari, cùm in longitudinem ſit ferè 100000. ſtadiorum, in latitudinem ferè dimidio conſtet.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ιγ.

Περὶ οἰκήσεων.

Τῶν δὲ ἐπὶ τῆς γῆς κατοικούντων οἱ μὲν λέγονται σύνοικοι, οἱ δὲ περίοικοι, οἱ δὲ ἄντοικοι, οἱ δὲ ἀντίποδες. σύνοικοι μὲν οὖν εἰσιν οἱ περὶ τὸν αὐτὸν τόπον τῆς αὐτῆς ζώνης κατοικοῦντες. περίοικοι δὲ οἱ ἐν τῇ αὐτῇ ζώνῃ κύκλῳ περιοικοῦντες. ἄντοικοι δὲ οἱ ἐν τῇ αὐτῇ νοτίῳ ζώνῃ ὑπὸ τὸ αὐτὸ ἡμισφαίριον κατοικοῦντες. ἀντίποδες δὲ οἱ ἐν τῇ νοτίῳ ζώνῃ ἐν τῷ ἑτέρῳ ἡμισφαιρίῳ κατοικοῦντες κατὰ τὴν αὐτὴν διάμετρον κείμενοι τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ· διὸ κέκληνται ἀντίποδες. πάντων γὰρ τῶν βαρέων ἐπὶ τὸ κέντρον συννευόντων, διὰ τὸ ἐπὶ μέσον εἶναι τὴν φορὰν τῶν σωμάτων, ἐὰν ἀπό τινος οἰκήσεως τῶν ἐπὶ τῇ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένῃ ἐπὶ τὸ κέντρον τῆς γῆς ἐπιζευχθῇ τις εὐθεῖα, καὶ ἐκβληθῇ, οἱ κατὰ τὸ πέρας κείμενοι τῆς διαμέτρου ἐν τῇ νοτίῳ ζώνῃ ἀντίποδες γίνονται τῶν ἐν τῇ βορείῳ ζώνῃ κατοικούντων.

Διαιρεῖται δὲ ἡ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένη εἰς μέρη τρία, Ἀσίαν, Εὐρώπην, Λιβύην. διπλάσιον δὲ ἐστιν ὡς ἔγγιστα τὸ μῆκος τῆς οἰκουμένης τοῦ πλάτους. δι' ἣν αἰτίαν οἱ κατὰ λόγον γράφοντες τὰς γεωγραφίας, ἐν πίναξι γράφουσι παραμήκεσιν, ὡς διπλάσιον εἶναι τὸ μῆκος τοῦ πλάτους. οἱ δὲ στρογγύλας γράφοντες τὰς γεωγραφίας, πολὺ τῆς ἀληθείας εἰσὶ πεπλανημένοι. ἴσον γὰρ γίνεται τὸ μῆκος τῷ πλάτει· ὅπερ οὐκ ἔστιν ἐν τῇ φύσει. ἀνάγκη οὖν μὴ τηρεῖσθαι τὰς ἐπὶ διαστημάτων συμμετρίας τὰς ἐν ταῖς στρογγύλαις γεωγραφίαις. ἔντμημα γάρ τι ἐστὶ σφαίρας τὸ οἰκούμενον μέρος τῆς γῆς, διπλάσιον ἔχον τὸ μῆκος τοῦ πλάτους, ὅπερ οὐ δύναται ἀποτμηματίζεσθαι κύκλῳ. [46] ἀναμεμετρημένου δὲ τοῦ μεγίστου κύκλου τῶν ἐν τῇ γῇ ὑπὸ

CAPUT XIII.

De habitationibus.

Eorum, qui in terra habitant, alii dicuntur ſynœci, alii periœci, alii antœci, alii antipodes. Synœci igitur ſunt, qui circa eumdem locum ejuſdem zonæ habitant. Synœci. periœci verò, qui in eadem zona in circuitu circumhabitant. Periœci. antœci verò, qui io eadem auſtrali zona ſub eodem hemiſphærio habitant. Antœci. antipodes verò, qui in auſtrali zona in altero hemiſphærio habitant, Antipodes. ſecundum eamdem diametrum poſiti cum habitabili noſtra terra. quamobrem vocati ſunt antipodes. Cùm enim omnia gravia verſus centrum vergant, eo quòd verſus medium ſit motus corporum. ſi ab aliqua habitatione earum, quæ ſunt in noſtro orbe habitabili, ad centrum terræ adjungatur aliqua recta, & producatur, tùm hi, qui ſunt poſiti ſecundùm extremitatem diametri in auſtrali zona, fiunt antipodes eorum, qui in boreali zona habitant.

Dividitur autem noſtra terra habitabilis in tres partes, Terræ habitabilis diviſio. Aſiam, Europam, Libyam. duplo autem major eſt ferè longitudo habitabilis terræ latitudine. quam ob cauſſam qui conſentaneas rationi terræ deſcriptiones inſtituunt, oblongas tabulas adhibent; quòd longitudo duplo ſit major latitudine. qui verò terræ deſcriptiones rotunda figura faciunt, multum aberrant à vero. æqualis enim ſit longitudo latitudini; quod natura non patitur. Neceſſe igitur eſt, ut non ſerventur diſtantiarum menſurationes in rotundis deſcriptionibus. ſegmentum enim quoddam eſt ſphæræ pars terræ habitata, quæ longitudinem duplo habet majorem latitudine, quod ſegmentum non poteſt abſcindi circulariter. Dimenſo autem maximo circulo eorum,

46 *Ἀναμεμετρημένου δὲ τοῦ μεγίστου.*] Eratoſthenea eſt hæc dimenſio maximi circuli. ut auctor eſt Strabo lib. II, & Plinius lib II, cap. CVIII. quam ſtadiorum 252000 menſuram Romana computatione dicit efficere trecenties, & quindecies centena millia paſſuum. quod & verum eſt. Nam ſtadium CXXV paſſibus conſtat. Proinde ſi 252000 per 125 multiplices, fient 31500000 paſſuum. quæ ſunt milliariorum 31500. At Cleomedes lib. I. cap. X refert ab Eratoſthene definitum eſſe terræ ambitum 250000 ſtadiorum: & qua methodo deprehenſus ſit modus ille, deſcribit. nimirùm ex eo quòd angulus, qui gnomone, & radio Solis includitur Alexandriæ, Sole in Cancri tropico meridiano tempore ſito, pars eſt quinquageſima quatuor rectorum, ut & peripheria circuli in horologio deſcripti, cui ille angulus inſiſtit, pars eſt quinquageſima circuli totius. Quare cum Syenen inter, & Alexandriam, quæ ſub eodem meridiano ſunt, intervallum ſit quinque millium ſtadiorum: quæ eſt quinquageſima pars ambitus terræ: totus ambitus 250000 ſtadiorum colliget. Verùm cùm tot antiquis teſtibus conſtet ab Eratoſthene menſuram illam, quam diximus, terreni ambitus eſſe perſcriptam; videtur paullò plus quinquageſima parte tam angulo, quem gnomon cum radio continet; quam circumferentiæ circuli maximi in ſciotherico tributum auctore illo fuiſſe.

Strabo loco citato Hipparchum ait eamdem cum Eratoſthene ter-

eorum, qui ſunt in terra ſecundùm meridianum mundi, & invento myriadum 25, & ſtadiorum 2000: diametro verò myriadum 8, & ſtadiorum 415: diviſo autem meridiano circulo in partes 60, vocatur unum ſegmentum ſexageſimum, quod eſt 4200. ſi enim dividuntur 25 myriades, & 2000 ſtadia in partes 60, fit ſexageſimum 4200. Diſtantiæ igitur inter zonas hoc modo ſunt definitæ. frigidarum quidem zonarum duarum latitudo utriuſque earum eſt ſexageſimorum 6, quæ ſunt ſtadia 25200. temperatarum verò zonarum latitudo utriuſque earum eſt ſexageſimorum 5, quæ faciunt ſtadia 21000. torridæ zonæ latitudo eſt ſexageſimorum 8. Itaque ab æquinoctiali verſus utramque partem uſque ad tropicos ſunt ſexageſima 4, quæ faciunt ſtadia 16800. ſunt igitur à polo, qui eſt in terra, qui ſitus eſt ſub polo mundi, uſque ad circulum arcticum, qui eſt in terra, ſtadia 25200. Rurſus ab arctico, qui eſt in terra, & ſub cœli arctico, uſque ad tropicum terrenum, qui ponitur ſub cœleſti tropico æſtivo, ſtadia 21000. Rurſus ab æſtivo tropico uſque ad terreſtrem æquinoctialem, qui ſitus eſt ſub æquinoctiali mundano, ſunt ſtadia 16800. Rurſus ab æquinoctiali uſque ad alterum tropicum ſtadia ſunt 16800. Deinde à tropico uſque ad arcticum ſunt ſtadia 21000. poſtremò ab arctico uſque ad alterum polum 25200. ut diſtantia inter polos colligatur eſſe 12 myriadum, & præterea 6000 ſtadiorum, quod eſt dimidium circumferentiæ terræ. Nam diſtantia, quæ eſt à polo uſque ad polum, eſt ſemicirculus. Diviſio autem horum ſexageſimorum etiam in armillaribus ſphæria eadem eſt. Parantur enim armillares ſphæræ ſic. A polo arcticus diſtat partibus 36, quæ ſunt ſexageſima 6. ſexies enim ſex ſunt 36. arcticus ab æſtivo tropico diſtat gradibus 30, qui faciunt ſexageſima 5. æſtivus tropicus diſtat ab æquinoctiali gradibus 24, qui ſunt ſexageſima 4. æquinoctialis diſtat ab hyberno tropico totidem gradibus 24. Rurſus hybernus tropicus ab antarctico diſtat gradibus 30. antarcticus ab auſtrali polo diſtat gradibus 36. ut rurſus à polo uſque ad polum colligantur gradus 180, ſexageſima verò 30. ad hoc enim unum clima, & ſphæræ armillares, & ſolidæ parantur, cùm ſoli arctici in quibuſdam habitationibus ſecundùm diſtantias mutentur. At zonæ terreſtres ad dictum unum clima accipiunt diviſionem eorum, qui in terra habitant. Igitur qui eodem in parallelo habitant, his eædem ſunt apparentiæ ſecundùm habitationes; & magnitudines dierum æquales; & magnitudines eclipſium ſimiles; & deſcriptiones horologicorum inſtrumentorum eædem. & ſummatim omnia, quæ contingunt circa habitationes in eodem parallelo poſitas, ſunt eadem. Nam inclinatio mundi manet eadem. Propter inclinationem enim mundi diverſæ ſunt apparentiæ. Atqui initia dierum, & fines non ſimul fiunt omnibus, ſed aliis prius, aliis poſteriùs: éſtque apud omnes prima hora, cùm ea apud alios ſit medium diei; apud alios occaſus. Jam verò quoad ſenſum, ferè ad ſtadia 400 ab ortu verſus occaſum idem manet horizon. Itaque quoad ſenſum ſimul ipſis evenit ortus, & occaſus. At ubi diſtantia fuerit major 400 ſtadiis, ibi antegreſſiones ortuum, & occaſuum fiunt. Iis verò, qui in eodem meridiano habitant, uſque ad ſtadia 400 inſenſibilis fit climatum varietas ſimul. Verumtamen ob eam diſtantiam, quæ magis tranſcendit verſus ſeptentrionem, aut meridiem, alia fit inclinatio. Itaque omnes apparentiæ ſunt diverſæ. Etenim magnitudines dierum, & magnitudines eclipſium, & horologiorum deſcriptiones diverſæ propter habitationes fiunt iis, qui in eodem meridiano habitant. Nam inclinatio mutatur, cùm vel ad boream, vel ad meridiem fit tranſitus. Atqui medietates dierum, & medietates noctium ſimul eveniunt omnibus iis, qui in eodem habitant meridiano.

τὸν ἐν τῷ κόσμῳ μεσημβρινόν, καὶ εὑρημένης μυριάδων κέ, καὶ σταδίων β΄, τῆς διαμέτρου μυριάδων η΄, καὶ σταδίων * υιέ. [47] Διῃρημένου τε τοῦ μεσημβρινοῦ κύκλου εἰς μέρη ξ΄, καλεῖται τὸ ἓν τμῆμα ἑξηκοστόν· ὃ γίνεται ,δσ΄ σταδίων. ἐὰν γὰρ μερισθῶσιν αἱ κέ μυριάδες, καὶ τὰ ,β΄ στάδια εἰς μέρη ξ΄, γίνεται τὸ ἑξηκοστὸν σταδίων ,δσ΄. ἔστιν οὖν τὰ μεταξὺ τῶν ζωνῶν διαστήματα τοῦτον ἀφωρισμένα τὸν τρόπον. τῶν μὲν κατεψυγμένων ζωνῶν δύο τὸ πλάτος ἑκατέρας αὐτῶν, ἑξηκοστῶν ϛ΄ ἅπερ εἰσὶ στάδιοι μὲν ,βσ΄. τῶν δὲ εὐκράτων δύο ζωνῶν τὸ πλάτος ἑκατέρας αὐτῶν, ἑξηκοστῶν έ, ἃ γίνεται στάδιον μὲν ,α΄. τῆς δὲ διακεκαυμένης ζώνης τὸ πλάτος ἑξηκοστῶν η΄, ὥστε ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ ἐφ᾽ ἑκάτερα πρὸς τοὺς τροπικοὺς ἑξηκοστὰ εἶναι δ΄, ἃ γίνεται στάδια μὲν ,ϛω΄. γίνονται οὖν ἀπὸ μὲν τοῦ πόλου τοῦ ἐν τῇ γῇ, ὃς κεῖται ὑπὸ τὸν ἐν τῷ κόσμῳ πόλον, μέχρι τοῦ ἐν τῇ γῇ ἀρκτικοῦ στάδιοι μὲν ,βσ΄· ἀπὸ δὲ τοῦ ἐν τῇ γῇ ἀρκτικοῦ, ὃς κεῖται κατὰ τὸν ἐν τῷ κόσμῳ ἀρκτικόν, πρὸς τὸν ἐν τῇ γῇ τροπικόν, ὃς κεῖται κατὰ τὸν ἐν τῷ κόσμῳ θερινὸν τροπικόν, στάδιοι μὲν ,α΄. ἀπὸ δὲ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ μέχρι τοῦ ἐν τῇ γῇ ἰσημερινοῦ, ὃς κεῖται κατὰ τὸν ἐν τῷ κόσμῳ ἰσημερινόν, στάδιοι ,ϛω΄. πάλιν ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ πρὸς τὸν ἕτερον τροπικὸν ,ϛω΄. ἀπὸ δὲ τοῦ τροπικοῦ πρὸς τὸν ἀρκτικὸν στάδια ,α΄, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀρκτικοῦ πρὸς τὸν ἕτερον πόλον ,βσ΄· ὥστε συνάγεσθαι τὸ μεταξὺ τῶν πόλων διάστημα μυριάδων ιβ΄, καὶ σταδίων ,ϛ΄. ὅπερ ἐστὶν ἥμισυ τῆς περιμέτρου τῆς γῆς. τὸ γὰρ ἀπὸ τοῦ πόλου ἐπὶ τὸν πόλον ἐστὶν ἡμικύκλιον. ἡ δὲ διαίρεσις τῶν ἑξηκοστῶν τούτων καὶ ἐν ταῖς κρικωταῖς σφαίραις ἡ αὐτὴ ὑπάρχει. κατασκευάζονται γὰρ αἱ κρικωταὶ σφαῖραι οὕτως. ἀπὸ τοῦ πόλου ὁ ἀρκτικὸς διέστηκε μοίρας λϛ΄, ἅπερ ἐστὶν ἑξηκοστὰ ϛ΄. ἑξάκις γὰρ ἓξ γίνεται λϛ΄. ὁ δὲ ἀρκτικὸς ἀπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ διέστηκε μοίρας λ΄, ἅπερ ἐστὶν ἑξηκοστὰ έ. ὁ δὲ θερινὸς τροπικὸς ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ διέστηκε μοίρας κδ΄, ἅπερ ἐστὶν ἑξηκοστὰ δ΄. ὁ δὲ ἰσημερινὸς ἀπὸ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ διέστηκε τὰς ἴσας μοίρας κδ΄. ὁ δὲ χειμερινὸς τροπικὸς ἀπὸ τοῦ ἀνταρκτικοῦ διέστηκε μοίρας λ΄. ὁ δὲ ἀνταρκτικὸς ἀπὸ τοῦ νοτίου πόλου διέστηκε μοίρας λϛ΄· ὥστε πάλιν ἀπὸ τοῦ πόλου ἐπὶ τὸν πόλον συνάγεσθαι μὲν μοίρας ρπ΄, ἑξηκοστὰ δὲ λ΄. πρὸς γὰρ τοῦτο τὸ ἓν κλίμα καὶ αἱ κρικωταὶ σφαῖραι κατασκευάζονται, καὶ αἱ στερεαί, τῶν ἀρκτικῶν μόνων μεταπιπτόντων ἔν τισιν οἰκήσεσι κατὰ τὰς διαστάσεις· αἱ μέντοι γε ἐν τῇ γῇ ζῶναι πρὸς τὸ εἰρημένον ἓν κλίμα λαμβάνουσι τὴν διαίρεσιν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς κατοικούντων. ὅσοι μὲν οὖν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου κατοικοῦσι, τούτοις τὰ αὐτὰ φαινόμενα κατὰ τὰς οἰκήσεις γίνονται, καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν ἴσα, [48] καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἐκλείψεων τοιαῦτα, καὶ τῶν ὡροσκοπείων καταγραφαὶ αἱ αὐταί. καὶ καθόλου πάντα τὰ περὶ τὰς οἰκήσεις τὰς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου κειμένας, τὰ αὐτὰ ὑπάρχει. τὸ γὰρ ἔγκλιμα τοῦ κόσμου μένει τὸ αὐτό. παρὰ γὰρ τὸ ἔγκλιμα τοῦ κόσμου διάφορα γίνεται τὰ φαινόμενα. αἱ μέντοι γε ἀρχαὶ τῶν ἡμερῶν, καὶ αἱ τελευταὶ οὐχ ἅμα πᾶσι γίνονται· ἀλλ᾽ οἷς μὲν πρότερον· οἷς δὲ ὕστερον. καί ἐστιν ἡ παρ᾽ * πᾶσιν αἱ ἀρχή, παρ᾽ ἄλλοις μέσον ἡμέρας ὥρα, παρ᾽ οἷς δὲ δύσις ὥρα. [49] ἤδη μέντοι γε πρὸς τὴν αἴσθησιν σχεδὸν ἐπὶ σταδίους υ΄ ἀπ᾽ ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν ὁ αὐτὸς ὁρίζων διαμένει. ὥστε πρὸς αἴσθησιν ἅμα τὴν ἀνατολὴν αὐτοῖς γίνεσθαι, καὶ τὴν δύσιν. ὅταν δὲ πλεῖον γένηται τὸ διάστημα τῶν υ΄ σταδίων, προανατολαὶ καὶ προδύσεις γίνονται. τοῖς δὲ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ μεσημβρινοῦ κατοικοῦσι μέχρι μὲν σταδίων υ΄ ἀνεπαίσθητος γίνεται ἡ τῶν κλιμάτων παραλλαγὴ ἅμα. * τὸ μέντοι γε πλεῖον διάστημα * ὑπερβαῖνον πρὸς ἄρκτον, ἢ πρὸς μεσημβρίαν, ἄλλο γίνεται ἔγκλιμα· ὥστε πάντα τὰ φαινόμενα διάφορα γίνεσθαι. καὶ γὰρ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν, καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἐκλείψεων, καὶ αἱ τῶν ὡρολογίων καταγραφαὶ διάφοροι παρὰ τὰς οἰκήσεις γίνονται τοῖς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ μεσημβρινοῦ κατοικοῦσι. τὸ γὰρ ἔγκλιμα μεταπίπτει τῆς πρὸς ἄρκτον, ἢ πρὸς μεσημβρίαν τῆς μεταβάσεως γινομένης. τὰ μέντοι γε μέσα τῶν ἡμερῶν, καὶ τὰ μέσα τῶν νυκτῶν ἅμα πᾶσι γίνεται τοῖς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ μεσημβρινοῦ κατοικοῦσι.

Ὅτι

* Pro υιέ vet. habent ,δ.

* f. ποιεῖ.

* f. τοῦ

* ℞. ὑπερβαῖνον.

---

ræ circuitum ſumpſiſſe, ſtad. 252000 Plinius verò adjeciſſe illum aſſerit ad Eratoſthenis recenſuram paullò minùs ſtadiorum 25000. Qua ratione maximus circulus erit ſtadiorum 277000.

Ut ad Geminum noſtrum redeam, cùm is terræ ambitum ex Eratoſthenis ſententia circumſcribat ſtadiorum 252000; talium eſt quod ex eo conſequens facit, diametrum conſtare ſtad. 80415. Nam cùm ea ratio ſit diametri ad ambitum, quæ eſt 7 ad 22: oportet diametrum terræ colligere ſtad. 80182. ferè.

47 Διῃρημένου δὲ τοῦ μεσημβρινοῦ.] Circulum veteres aſtronomi in partes ſexaginta diſtribuerunt, ut ſuprà diximus. Ita ſexageſimæ cuique parti competunt ſtadia 4200. Quòd ſi in 360 partes dividatur circulus, pars quælibet ſtadia poſtulat 700. Vide Achillem Tatium Iſag. cap. XXIX. Jam hoc admonuimus, dimenſionem iſtam ad Rhodiacum ἔγκλιμα referri, in quo ſemidiameter arctici circuli graduum eſt 36. Hinc etiam frigidam zonam definit arctico circulo illius loci proprio. ut quibus polus gradibus 54. ac deinceps pluribus attollitur, frigida in zona eſſe cenſeantur. quod eſt abſurdum.

48 Καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἐκλείψεων.] Falſum. Nam neque de lunaribus, neque de ſolaribus id rectè dicitur. Lunares quippe non in iiſdem ſolummodò parallelis æquales apparent; ſed ubicumque Luna proſpicitur. Solares autem etiam ſub eodem parallelo inæquales videntur; aut etiam alibi minimè videntur. Quare aliud agenti hoc Gemino excidit.

49 Ἤδη μέντοι γε πρὸς τὴν αἴσθησιν.] Hunc locum expoſuimus lib. VII, cap. XI.

ſu Oſ

Ὅταν δὲ περὶ τῆς νοτίου ζώνης λέγωμεν, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ κατοικούντων· πρὸς δὲ τούτοις περὶ τῶν ἐν αὐτῇ ἀντιπόδων τῶν λεγομένων, οὕτως ἀκούειν προσήκει, ὡς μηδεμίαν ἡμῶν ἱστορίαν παρειληφότων περὶ τῆς νοτίου ζώνης, μηδὲ εἴ τινες ἐν αὐτῇ κατοικοῦσιν· ἀλλ' ὅτι ἕνεκεν τῆς ὅλης σφαιροποιΐας, καὶ τοῦ σχήματος τῆς γῆς, καὶ τῆς παρόδου τοῦ ἡλίου τῆς μεταξὺ τῶν τροπικῶν γινομένης, ἐστί τις καὶ ἑτέρα ζώνη πρὸς νότον κειμένη, τὴν αὐτὴν εὐκρασίαν ἔχουσα τῇ βορείῳ ζώνῃ, ἐν ᾗ κατοικοῦμεν ἡμεῖς· ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἀντιπόδων λέγομεν, οὐχ ὡς κατὰ πάντ' οἰκούντων τινῶν κατὰ τὴν αὐτὴν διάμετρον ἡμῖν. ἀλλ' ὄντος τινὸς τόπου οἰκησίμου ἐπὶ τῆς γῆς κατὰ διάμετρον ἡμῖν.

Ὑπὸ δὲ τὴν διακεκαυμένην ζώνην τινὲς τῶν ἀρχαίων ἀπεφήναντο· ὧν ἐστι καὶ Κλεάνθης ὁ Στωϊκὸς φιλόσοφος, ὑποκεχύσθαι μεταξὺ τῶν τροπικῶν τὸν Ὠκεανόν. οἷς ἀκολούθως καὶ Κράτης ὁ Γραμματικὸς τὴν πλάνην τῆς Ὀδυσσείας διατάσσων, καὶ τὴν ὅλην σφαῖραν τῆς γῆς καταγράφων τοῖς ὁριζομένοις κύκλοις, καθὼς προειρήκαμεν· ποιεῖ μεταξὺ τῶν τροπικῶν τὸν Ὠκεανὸν κείμενον, λέγων ἀκολούθως τοῖς μαθηματικοῖς τὴν ὅλης γῆς διάταξιν ποιεῖσθαι.

Ἡ δὲ τοιαύτη διάταξις ἀλλοτρία ἐστὶ καὶ τοῦ μαθηματικοῦ, καὶ τοῦ φυσικοῦ λόγου, καὶ παρ' οὐδενὶ τῶν ἀρχαίων μαθηματικῶν κατακεχωρισμένη, ὡς ἀποφαίνεται Κράτης, μεταξὺ τῶν τροπικῶν. ἐν γὰρ τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις ἤδη καὶ κατώπτευται, καὶ εὕρηται τὰ πλεῖστα οἰκήσιμα, καὶ οὐ πελάγει πάντοθεν περιεχόμενα. καὶ τοῦ μεταξὺ διαστήματος ὑπάρχοντος ἀπὸ θερινοῦ τροπικοῦ μέχρι τοῦ ἰσημερινοῦ
* γρ. μυρίων. * ϛω΄, καὶ ὡς σχεδὸν ἐπὶ σταδίους * ηω΄, ὡς ἐπιδέχεται,
* γρ. β. αι. μω. καὶ ἡ περὶ τούτων ἱστορία ἀναγέγραπται διὰ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βασιλέων ἐξητασμένη. ὅθεν ψευδοδοξοῦσιν οἱ νομίζοντες τὸν Ὠκεανὸν ὑποκεχύσθαι μεταξὺ τῶν τροπικῶν. ἐκ δὲ τούτων φανερὸν ὅτι καὶ τὸ δοξαζόμενον, ὅτι ἀοίκητός ἐστιν ἡ μεταξὺ τῶν τροπικῶν κειμένη χώρα διὰ τὴν τοῦ καύματος ὑπερβολήν, καὶ μάλιστα ἡ περὶ μέσην τὴν διακεκαυμένην ζώνην, ψεῦδός ἐστι. οἱ μὲν γὰρ τὰ πέρατα τῆς διακεκαυμένης ζώνης οἰκοῦντες Αἰθίοπές εἰσι κατὰ κορυφὴν ἔχοντες ἐν ταῖς τροπαῖς τὸν ἥλιον. δύο γὰρ Αἰθιοπίας τῇ φύσει ὑποληπτέον ὑπάρχειν, περί τε τὸν θερινὸν τροπικὸν
* γρ. ὑπεροικούντων. τὸν παρ' ἡμῖν κύκλον * περιοικούντων Αἰθιόπων, καὶ περὶ τὸν ἡμῖν μὲν χειμερινὸν τροπικόν, τοῖς δὲ ἀντίποσι θερινόν. τοῦτο δέ φησι Κράτης καὶ τὸν Ὅμηρον λέγειν, ἐν οἷς φησιν·

Αἰθίοπες, τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν·
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος.

Κράτης μὲν οὖν παραδοξολογῶν τὰ ὑφ' Ὁμήρου ἀρχαϊκῶς, καὶ ἰδιωτικῶς εἰρημένα μετάγει πρὸς τὴν κατ' ἀλήθειαν σφαιροποιΐαν. Ὅμηρος μὲν γάρ, καὶ οἱ ἀρχαῖοι ποιηταὶ σχεδόν, ὡς εἰπεῖν, πάντες ἐπίπεδον ὑφίστανται τὴν γῆν, καὶ συνάπτουσι τῷ κόσμῳ· καὶ κύκλῳ τὸν Ὠκεανὸν περικείμενον, καὶ τὴν τοῦ ὁρίζοντος ἐπέχοντα τάξιν, καὶ τὰς ἀνατολὰς ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ, καὶ τὰς δύσεις εἰς τὸν Ὠκεανόν· ὥστε τοὺς πλησιάζοντας τῇ ἀνατολῇ, καὶ τῇ δύσει Αἰθίοπας ὑπολαμβάνουσι γίνεσθαι κατακαιομένους ὑπὸ τοῦ ἡλίου. αὕτη δὲ ἡ ὑπόληψις τῇ μὲν προκειμένῃ διατάξει ἀκόλουθός ἐστι· τῇ δὲ κατὰ φύσιν σφαιροποιΐας ἀλλοτρία. ἡ γὰρ γῆ μέση κεῖται τοῦ σύμπαντος κόσμου, σημείου τάξιν ἐπέχουσα· αἱ δὲ ἀνατολαὶ τοῦ ἡλίου γίνονται, καὶ αἱ δύσεις ἐκ τοῦ αἰθέρος, καὶ εἰς τὸν αἰθέρα, διὰ παντὸς τοῦ ἡλίου ἴσον ἀπέχοντος τῆς γῆς. ὅθεν αἱ μὲν προειρημέναι Αἰθιοπίαι ἀδιανόητοί εἰσιν· αἱ δὲ ὑπὸ τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ τροπικοὺς κείμεναι, αἵ τινες ὑπάρχουσιν ἐπὶ τὰ πέρατα τῶν διακεκαυμένων ζωνῶν, κατὰ φύσιν ἔχουσιν. οὐ μέντοι γε ὑποληπτέον ἀοίκητον εἶναι τὴν διακεκαυμένην ζώνην. ἤδη γὰρ ἐπὶ πολλοὺς τόπους τῆς ζώνης τῆς διακεκαυμένης ἐληλύθασί τινες, καὶ τὰ πλεῖστα οἰκήσιμα εὕρηται.

Ὅθεν καὶ ζητεῖται παρὰ πολλοῖς, εἰ τὰ περὶ μέσην τὴν διακεκαυμένην οἰκησιμώτερα μᾶλλόν ἐστι τῶν περὶ τὰ πέρατα τῆς διακεκαυμένης ζώνης ὑπαρχουσῶν οἰκήσεων. Πολύβιος δὲ ὁ ἱστοριογράφος πεπραγμάτευται βιβλίον, ὃ ἐπιγραφὴν ἔχει, περὶ τῆς περὶ τὸν ἰσημερινὸν οἰκήσεως. αὕτη δέ ἐστιν ἐν μέσῃ τῇ διακεκαυμένῃ ζώνῃ, καί φησιν, οἰκεῖσθαι τοὺς τόπους, καὶ εὐκρατοτέραν ἔχειν τὴν οἴκησιν τῶν περὶ τὰ πέρατα τῆς διακεκαυμένης ζώνης οἰκούντων· καὶ ἃ μὲν ἱστορίας φέρει τῶν κατωπτευκότων τὰς οἰκήσεις, καὶ ἐπιμαρτυρούντων τοῖς φαινομένοις· ἃ δὲ ἐπιλογίζεται ἐπὶ τῆς φυσικῆς περὶ τὸν ἥλιον ὑπαρχούσης κινήσεως. ὁ γὰρ ἥλιος περὶ μὲν τοὺς τροπικοὺς κύκλους πολὺν ἐπιμένει
* γρ. ἄνοδον. χρόνον κατὰ τὴν * πάροδον τὴν πρὸς αὐτούς, καὶ τὴν ἀποχώ-

Cum autem de auſtrali zona dicimus, & de iis, qui in ea habitant, ad hæc de antipodibus qui in eâdem ſunt; convenit ea, quæ dicuntur ſic intelligere, ut nos de auſtrali quidem zona nullam hiſtoriam acceperimus, neque an ulli in ea habitent; ſed quòd ratione totius ſphæræ, & figuræ terræ, & progreſſus ſolis, qui fit inter tropicos, ſit aliqua etiam altera zona, ſeu plaga verſus auſtrum ſita, quæ habeat idem temperamentum cum borea zona, in qua nos habitamus. ſimiliter etiam dicimus de antipodibus, non quaſi omninò habitent aliqui in eâdem diametro nobiſcum: ſed quòd ſit aliquis locus habitabilis in terra ſecundùm eamdem diametrum nobiſcum.

Sub torridam autem zonam nonnulli veterum, inter quos eſt & Cleanthes Stoicus philoſophus, prodiderunt fuſum eſſe inter tropicos Oceanum. quibus congruenter & Crates Grammaticus errorem Ulyſſis diſponens, & totam ſphæram terræ deſcribens certis circulis, quemadmodum prædiximus, fingit inter tropicos Oceanum eſſe poſitum; dicens congruenter Mathematicis totius ſe terræ diſpoſitionem inſtituere.

At talis diſpoſitio aliena eſt & à Mathematica, & à phyſica doctrina, & apud nullum veterum Mathematicorum inter tropicos, ut Crates docet, collocata. Nam noſtris temporibus jam & perſpecta, & inventa ſunt plurima loca habitabilia, & non mari ubique comprehenſa: & cùm illius intermedii intervalli, quod eſt ab æſtivo tropico uſque ad æquinoctialem, ſpatium ſit ſtadiorum 16800, ferè ad 8800 ſtadia, quatenus inveſtigandi copia fuit, harum rerum hiſtoria conſcripta eſt, cùm ea per reges Alexandrinos ſit explorata. Unde falſi ſunt qui opinantur Oceanum fuſum eſſe inter tropicos. Eſt autem & ex his manifeſtum, quòd & illa opinio, quod inhabitabilis ſit regio inter tropicos poſita propter æſtus exceſſum, & maximè ea regio, quæ eſt in medio torridæ zonæ, ſit falſa. Nam Æthiopes, qui in extremitatibus torridæ zonæ habitant, in converſionibus, ſeu ſolſtitiis habent in vertice ſolem. Exiſtimandum eſt enim duas eſſe natura Æthiopias, cùm & circa æſtivum tropicum circulum, qui apud nos eſt, habitent Æthiopes; & circa eum tropicum, qui nobis quidem eſt hybernus, antipodibus verò æſtivus. Hoc autem Crates inquit etiam Homerum dicere in his, ubi ait:

Numerum 16800 vide ſuprà.

Æthiopes, qui biſariam diviſi ſunt, extremi virorum,
Alii quidem ad occidentem ſolem, alii verò ad orientem.

Crates igitur, cùm abſurda loquatur, ea quæ ab Homero veteri, & proprio more ſunt dicta, transfert ad veram ſphæræ formationem. Homerus enim, & veteres poëtæ ferè, ut ſummatim dicam, omnes, planam conſtituunt terram, & eam convertunt mundo. Quinetiam fingunt in circuitu Oceanum circumfuſum, & habentem rationem horizontis: ad hæc ortus ex Oceanò, & occaſus in Oceanum fieri. Itaque Æthiopas, qui erant propinqui ortui, & occaſui, putabant comburi à ſole. Hæc autem opinio propoſitæ quidem diſpoſitioni congrua eſt; ſed à vera naturalique ſphæræ formatione eſt aliena. Terra enim in medio ponitur univerſi mundi, habètque puncti rationem. Ortus verò ſolis, & occaſus fiunt ex æthere, & in æthere, cùm ſol ſemper æqualiter diſtet à terra. Unde prædictæ Æthiopiæ non ſunt cogitandæ: quæ verò poſitæ ſunt ſub tropicis mundi, quæque ſunt in extremitatibus torridarum zonarum, ſunt ſecundùm naturam. Verumtamen non eſt cogitandum inhabitabilem eſſe zonam torridam. Jam enim ad multa loca zonæ torridæ venerunt aliqui, & plurima loca inventa ſunt habitabilia.

Unde etiam quæritur à multis, an loca circa mediam torridam zonam ſint magis habitabilia, quàm habitationes, quæ exiſtunt circa extremitates torridæ zonæ. Polybius igitur hiſtoricus conſcripſit librum, qui inſcribitur, *De habitatione circa æquinoctialem.* hæc autem eſt in media torrida zona. atque inquit habitari hæc loca, & habere magis temperatam habitationem, quàm habent ii, qui circa extremitates torridæ zonæ habitant. ac partim hiſtorias affert eorum, qui viderant has habitationes, & inſuper teſtimonium præbebant apparentiis; partim ratiocinatur ex naturali ſolis motu. Sol enim circa tropicos circulos longo commoratur tempore, ſecundùm acceſſum ad eos, & diſceſſum: ut ferè ad dies quadragin- Erudita diſputatio.

ta

ta maneat, quoad ſenſum, in tropicis circulis. quam ob cauſſam magnitudines dierum ferè ad dies 40 manent eædem. Unde cùm mora fiat ad illas habitationes, quæ ſitæ ſunt ſub tropicis, neceſſe eſt, ut ardore torreatur hæc habitatio, atque inhabitabilis fiat propter æſtus exceſſum. at ab æquinoctiali circulo contingit veloces fieri diſceſſus. unde etiam magnitudines dierum circa æquinoctia magna capiunt incrementa. Conſentaneum eſt igitur eas etiam habitationes, quæ ſunt ſitæ ſub æquinoctiali, magis eſſe temperatas; cùm aſcenſio quidem fiat ſuper puncto verticali, velociter tamen ſol recedat. Omnes enim, qui inter tropicos circulos habitant, ad acceſſum ſolis ſimiliter ſunt collocati: is tamen longioribus temporibus apud eos commoratur, qui circa tropicos habitant. quam ob cauſſam temperatiores eſſe contingit eas habitationes, quæ ſunt circa æquinoctialem, quæque ſitæ ſunt in media zona torrida, quàm ſunt iis, qui circa extremitates zonæ torridæ habitant, quique ſunt poſiti ſub tropicis.

ρησιν ὥστε σχεδὸν ἐφ' ἡμέρας μ' μένειν πρὸς αἴσθησιν ἐπὶ τροπικῶν κύκλων. δι' ἣν αἰτίαν τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν σχεδὸν ἐφ' ἡμέρας μ' ταὐτὰ διαμένει· ὅθεν ἐπιμονῆς γινομένης πρὸς τὰς οἰκήσεις τὰς κειμένας ὑπὸ τοὺς τροπικοὺς, ἀνάγκη ἐκπυροῦσθαι τὴν οἴκησιν, καὶ ἀοίκητον γίνεσθαι διὰ τὴν τοῦ καύματος ὑπερβολήν. ἀπὸ δὲ τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου ταχείας συμβαίνει τὰς ἀποχωρήσεις γίνεσθαι· ὅθεν καὶ τὰ μεγέθη τῶν ἡμερῶν περὶ τὰς ἰσημερίας μεγάλας λαμβάνει τὰς παραυξήσεις. εὔλογον οὖν καὶ τὰς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν κειμένας οἰκήσεις εὐκρατοτέρας ὑπάρχειν, ἐπιπολῆς μὲν γινομένης ἐπὶ τοῦ κατὰ κορυφὴν σημείου, ταχείας δὲ ἀποχωροῦντος τοῦ ἡλίου. πάντες γὰρ μεταξὺ τῶν τροπικῶν κύκλων οἰκοῦντες πρὸς τὴν πάροδον ὁμοίως κεῖνται τοῦ ἡλίου· πλείονας δὲ χρόνους ἐπιμένει τοῖς περὶ τοὺς τροπικοὺς οἰκοῦσι. δι' ἣν αἰτίαν εὐκρατοτέρας εἶναι συμβέβηκε τὰς περὶ τὸν ἰσημερινὸν οἰκήσεις, αἳ πρὸς κεῖνται ἐν μέσῃ τῇ διακεκαυμένῃ ζώνῃ τῶν περὶ τὰ πέρατα τῆς διακεκαυμένης οἰκούντων, οἳ πρὸς ὑπὸ τοὺς τροπικοὺς κύκλους κεῖνται.

CAPUT XIV.

De ſignificationibus aſtrorum.

SErmo de ſignificationibus apud idiotas diverſam parit opinionem, quaſi propter aſtrorum ortus, & occaſus fiant aëris mutationes. Mathematicus verò & Phyſicus aliam habet opinionem. Ac primò quidem ſtatuendum eſt, quòd hæ ſignificationes imbrium, & ventorum, quæ fiunt, circa terram fiant, & ad majorem altitudinem non tendant. Exhalationes enim ſunt è terra variæ, & expertes ordinis: ut ſit impoſſibile eas uſque ad inerrantium ſtellarum ſphæram tendere: ſed neque ſingulæ nubes propter altitudinem eò tendunt. Qui igitur aſcendunt Cyllenen, altiſſimum in Peloponneſo montem, & Mercurio in vertice montis dicato ſacrificant, hi, cùm rurſus poſt annum aſcendentes ſacrificia perficiunt, inveniunt & femora, & cinerem ab igne relictum in eodem loco manentia, in quo reliquerant; & neque à ventis, neque ab imbribus immutata, eo quòd omnes nubes, & ventorum conſtitutiones infra verticem montis conſtituantur. Sæpè etiam illi, qui in Satabyrium aſcendunt, per nubes faciunt aſcenſum, & infra verticem montis ſpectant nubium collectiones. & Cyllenes quidem altitudo eſt minor ſtadiis 15, ut Dicæarchus geometricè demonſtrat. Satabyrii verò perpendiculum minus eſt ſtadiis 14. Omnes enim nubes, ut diximus, cùm ex terra habeant exhalationem, circa terram fiunt. Prædictiones autem ſignificationum, quæ in parapegmatibus fiunt, non conſtant quibuſdam certis præceptis, neque arte quadam traduntur, ut habeant neceſſarium effectum. ſed qui ex eo, quod plerumque fit, per quotidianam obſervationem congruentiam capiunt, hi in tabulas conferunt. Facta eſt autem iſta collectio, & obſervatio hoc modo. Capientes enim principium anni, & obſervantes in quo ſigno ſit ſol in principio anni, & gradum aſcribentes, per ſingulos dies, & per ſingulos menſes factas integras mutationes aëris, ventorum, imbrium, & grandinis, adſcripſerunt ad ſolis loca per ſignum quodlibet, & gradum. Quod per plures annos obſervantes, eas mutationes, quæ maximè circa eadem zodiaci loca contingunt, in tabulis conſcripſerunt, non ex arte aliqua, neque ex certa methodo ſumentes deſcriptionem, ſed ab experientia id, quod ferè congruit, ſumentes. Cùm verò non poſſent ſingulos dies, neque menſes, neque annos certos inſcribere, in quibus horum aliquid perficiebatur; eo quòd initia annorum apud omnes non ſint eadem, neque menſes ſint apud omnes iiſdem appellationibus, neque dies ſimiliter agantur: immotis quibuſdam ſignis voluerunt determinare mutationes aëris. Unde aſtrorum ortibus, cùm hi in temporibus ſint determinati, mutationes aëris fiunt; non quod aſtra vim habeant ad mutationem ventorum, & imbrium, ſed quòd ſigni gratia aſſumpta ſint ad hoc, ut præcognoſcamus aëris affectiones. Et ut lampas, ſeu fax, non ipſa eſt cauſa bellici motus, ſed ſignum eſt bellici tem-

Cyllene mons.

Satabyrium mons.

Modus obſervandi mutationes aëris.

Obſervatione digna narratio.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ιζ'.

Περὶ ἐπισημασιῶν * τῶν ἄστρων.

* γρ. τῶν ἀστέρων.

Ὁ Περὶ ἐπισημασιῶν λόγος παρὰ μὲν τοῖς ἰδιώταις ἀλλοίαν ἔχει διάληψιν, ὡς ἐπὶ τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς καὶ δύσεσι τῶν περὶ τὸν ἀέρα μεταβολῶν γινομένων. ὁ δὲ μαθηματικὸς, καὶ φυσικὸς ἑτέραν ἔχει δόξαν. καὶ πρῶτον μὲν διαληπτέον, ὅτι αἱ γινόμεναι ἐπισημασίαι ὄμβρων, καὶ πνευμάτων, περὶ τὴν γῆν γίνονται, εἰς δὲ πλεῖον ὕψος οὐ διατείνουσιν. ἀναθυμιάσεις γάρ εἰσιν ἐκ γῆς παντοδαπαὶ, καὶ ἄτακτοι. ὥστε μὴ οἷόν τε εἶναι μέχρι τῆς τῶν ἀπλανῶν ἄστρων σφαίρας διατείνειν· ἀλλὰ μηδὲ ὅπως διὰ τὸ ὕψος ἀνατείνουσι τὰ νέφη. [50] οἱ γοῦν ἐπὶ τὴν Κυλλήνην ἀναβαίνοντες, ὄρος ἐν τῇ Πελοποννήσῳ ὑψηλότατον, καὶ θύοντες τῷ καθωσιωμένῳ ἐπὶ τῆς κορυφῆς τοῦ ὄρους Ἑρμῇ, ὅταν πάλιν δι' ἐνιαυτοῦ ἀναβαίνοντες τὰς θυσίας ἐπιτελῶσιν, εὑρίσκουσι καὶ τὰ μηρία, καὶ τὴν τέφραν τὴν ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἐν τῇ αὐτῇ τάξει μένοντα, ἐν ᾗ καὶ κατέλιπον, καὶ μήθ' ὑπὸ πνευμάτων, μήθ' ὑπὸ ὄμβρων ἠλλοιωμένα· διὰ τὸ πάντα τὰ νέφη καὶ τὰς τῶν ἀνέμων συστάσεις ὑποκάτω τῆς τοῦ ὄρους κορυφῆς συνίστασθαι. πολλάκις δὲ καὶ οἱ [51] εἰς τὸ Σαταβύριον ἀναβαίνοντες, διὰ τῶν νεφῶν ποιοῦνται τὴν ἀνάβασιν, καὶ ὑποκάτω τῆς τοῦ ὄρους κορυφῆς θεωροῦσι τὴν τῶν νεφῶν σύστασιν. καὶ ἔστι μὲν τῆς Κυλλήνης τὸ ὕψος ἔλασσον σταδίων ιε', ὡς Δικαίαρχος * ἀναμετρηκὼς ἀποφαίνεται. τοῦ δὲ Σαταβυρίου ἐλάσσων ἐστὶ ἡ κάθετος * σταδίων ιδ', πάντα γὰρ τὰ νέφη, καθάπερ εἴπομεν, ἐκ γῆς ἔχοντα τὴν ἀναθυμίασιν, περὶ τὴν γῆν γίνεται. αἱ δὲ γινόμεναι προρρήσεις τῶν ἐπισημασιῶν ἐν τοῖς παραπήγμασιν, οὐκ ἀπό τινων παραγγελμάτων ὡρισμένων γίνονται, οὐδὲ τέχνῃ τινὶ μεθοδεύονται κατηναγκασμένον ἔχουσαι τὸ ἀποτέλεσμα. ἀλλ' οἱ ἐκ τοῦ ὡς ἐπίπαν γινομένου διὰ τῆς καθ' ἡμέραν παρατηρήσεως τὸ σύμφωνον λαμβάνοντες, εἰς τὰ παραπήγματα κατεχώρισαν. [52] ἐγένετο δὲ ἡ σύστασις καὶ ἡ παρατήρησις τοῦ τρόπου τούτου. λαμβάνοντες γὰρ ἀρχὴν ἐνιαυτοῦ, καὶ παρατηρήσαντες, ἐν τίνι ζῳδίῳ ὁ ἥλιος ὑπῆρχε κατὰ τὴν ἀρχὴν ἐνιαυτοῦ, καὶ πρὸς τὴν μοῖραν ἀναγράφοντες καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καὶ μῆνα, τὰς γινομένας ὁλοσχερεῖς μεταβολὰς τοῦ ἀέρος, πνευμάτων, ὄμβρων, χαλάζης, παρετίθεσαν τῷ τοῦ ἡλίου ἐπεχεῖ κατὰ ζῴδιον, καὶ κατὰ μοῖραν. τοῦτο ἐπὶ πλείονα ἔτη παρατηρήσαντες, τὰς μάλιστα περὶ τοὺς αὐτοὺς τόπους τοῦ ζῳδιακοῦ γινομένας μεταβολὰς ἐν τοῖς παραπήγμασιν ἀνεγράψαντο. οὐκ ἀπό τινος τέχνης, οὐδὲ μεθόδου ὡρισμένης λαβόντες τὴν ἀναγραφήν. ἀλλ' ἐκ τῆς πείρας τὸ σύμφωνον, ὡς ἔγγιστα, λαβόντες. * ἐπειδὴ οὐκ ἐδύναντο οὔθ' ἡμέραν, οὔτε μῆνα, οὔτε ἐνιαυτὸν ὡρισμένον ἀναγράψαι, ἐν ᾧ τι τούτων ἐπιτελεῖται, διὰ τὸ τὰς ἀρχὰς τῶν ἐνιαυτῶν μὴ παρὰ πᾶσιν εἶναι τὰς αὐτὰς, μηδὲ τοὺς μῆνας τοὺς αὐτοὺς εἶναι παρὰ πᾶσι τῇ ὀνομασίᾳ, μηδὲ τὰς ἡμέρας ὁμοίως ἄγεσθαι· ἀκινήτοις τισὶ σημείοις ἠθέλησαν ἀφορίσαι τὰς μεταβολὰς τοῦ ἀέρος. ὅθεν ταῖς τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς κατὰ τοὺς καιροὺς ἀφωρισμένους αἱ μεταβολαὶ τοῦ ἀέρος γίνονται. οὐχ ὡς τῶν ἄστρων δύναμιν ἐχόντων πρὸς τὴν μεταβολὴν τῶν πνευμάτων καὶ τῶν ὄμβρων, ἀλλ' ὡς σημείου χάριν παρειλημμένων πρὸς τὸ προγινώσκειν ἡμᾶς τὰς περὶ τὸν ἀέρα περιστάσεις. καὶ ὥσπερ ὁ πυρσὸς οὐκ αἴτιός ἐστι [illegible] τῆς πολεμικῆς περιστάσεως, ἀλλὰ σημεῖόν ἐστι πολεμικοῦ καιροῦ· τὸ αὐτὸ

* f. ἀναμεμετρηκὼς.

* γρ. σταδίων δ'.

* f. ἐπεὶ δὲ.

50 Οἱ γοῦν ἐπὶ τὴν Κυλλήνην] Cujus ὕψος alii XX, alii XV ſtadiis definiunt. Strabo libro VIII.

51 Εἰς τὸ Σαταβύριον.] Leg. Ἀταβύριον, de quo Strabo lib. XIV, & Stephanus. Mons eſt in Rhodo inſula. Totus hic locus de montium altitudine, uberè mè declaratus eſt lib. VII, Diſſert. cap. X.

52 Ἐγένετο δὲ ἡ σύστασις.] Vide lib. II. Diſſertat. cap. X.

αὐτὸν τρόπον καὶ αἱ τῶν ἄστρων ἐπιτολαὶ οὐκ αἴτιαι παρεκτικαί εἰσι τῶν περὶ τὸν ἀέρα μεταβολῶν, ἀλλὰ σημεῖα ἔκκειται τῶν τοιούτων περιστάσεων. οἱ γὰρ ἀπ᾽ ἀρχῆς παρατηρήσαντες, καὶ συνταξάμενοι τὰ παραπήγματα, ἐξετάσαντες τοὺς τόπους τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου, ἐν οἷς ὡς ἐπίπαν αἱ μεταβολαὶ τοῦ ἀέρος γίνονται, ἐπεσκέψαντο κατὰ τοὺς χρόνους τούτους τίνα τῶν ἄστρων ἀνατέλλει, ἢ συγκαταδύνει, καὶ τὰς τούτων ἐπιτολὰς, καὶ δύσεις σημείοις ἐχρήσαντο εἰς τὴν πρόγνωσιν τῶν προειρημένων. τὰς μὲν γὰρ ἀπλῶς τὰς ἀληθινὰς καὶ δύσεις ἀθεωρήτους εἶναι συμβέβηκε· τὰς δὲ φαινομένας ἠδύναντο ὁρᾷν, καὶ περὶ τοὺς ῥηθέντας καιροὺς διαλαμβάνειν, ὅτι αἱ Πλειάδες δύνουσαι ἔχουσί τινα τοιαύτην δύναμιν ὥστε ὑγρασίαν τινὰ περὶ τὸν ἀέρα ἀπογεννᾶσθαι, ἢ πάλιν ἐπιτέλλουσαι θέρους ἀρχὴν διασημαίνουσι. ὅθεν καὶ Ἡσίοδός φησι·

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων,
Ἄρχεσθ᾽ ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

Οὐ διὰ τὴν τοῦ ἄστρου δύναμιν· παντελῶς γάρ ἐστιν ἀπόπληκτον· εἴτε γὰρ πυρινά ἐστι τὰ ἄστρα· εἴτε αἰθέρια, ὡς ἀρέσκει τισί· πάντα τῆς αὐτῆς οὐσίας, καὶ δυνάμεως κεκοινώνηκε, καὶ οὐδεμίαν συμπάθειαν ἔχει πρὸς τὰ ἐπὶ τῆς γῆς γινόμενα. ἡ γὰρ σύμπασα γῆ κέντρου λόγον ἔχει πρὸς τὴν τῶν ἀπλανῶν σφαῖραν, καὶ οὐδεμία ἀποφορὰ, οὐδὲ ἀπόῤῥοια διικνεῖται ἀπὸ τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων ἐπὶ τὴν γῆν. πῶς ὑποληπτέον, τούτους ὄμβρων καὶ πνευμάτων καὶ χαλάζης παραιτίους γίνεσθαι, ἀφ᾽ ὧν οὐδεμία δύναμις πίπτει πρὸς ἡμᾶς; ἀπὸ μὲν γὰρ ἡλίου καὶ σελήνης διικνεῖται ἡ δύναμις ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ τὰς μεταβάσεις αὐτῶν καὶ μειζόνων καὶ ἐλαττόνων. ὅθεν εὔλογον πρὸς τούτους συμπάθειαν εἶναι κατὰ τὴν ἑκάστου δύναμιν αὐτῶν· αἱ δὲ τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων ἐπιτολαὶ καὶ δύσεις σημείου τάξιν ἐπέχουσι, καθάπερ προείρηται. ὅθεν οὐδὲ προληπτέον, τὰς αὐτὰς ἐπισημασίας ἐπιτελεῖσθαι ἐκ τῶν αὐτῶν ἄστρων· ἀλλὰ κατὰ τὰς τῶν αὐτῶν κλιμάτων παραλλαγὰς διαφόρους καὶ τὰς ἐπιτολὰς, καὶ τὰς δύσεις τῶν ἄστρων γίνεσθαι. καὶ δὲ καθ᾽ ἕκαστον ὁρίζοντα ἴδια σημεῖα ἔχειν τῆς περὶ τὸν ἀέρα μεταβολῆς. τὸ γὰρ αὐτὸ παράπηγμα οὐ δύναται συμφωνεῖν ἐν τῇ Ῥώμῃ, καὶ ἐν τῷ Πόντῳ, καὶ ἐν Ῥόδῳ. καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ· ἀλλ᾽ ἀνάγκη διαφόρους τὰς παρατηρήσεις εἶναι ἐν διαφόροις ὁρίζουσι, καὶ καθ᾽ ἑκάστην πόλιν ἕτερα λαμβάνεσθαι ἄστρα τὰς ἐπισημασίας ἐπιτελοῦντα.

Ἐξ οὗ φανερὸν, ὅτι οὐ φυσικῶς αἱ τῶν ἄστρων ἐπιτολαὶ καὶ δύσεις τὰ περὶ τὸν ἀέρα πάθη ἀποτελοῦσιν· ἀλλὰ καθ᾽ ἕκαστον ὁρίζοντα διάφοροι παρατηρήσεις γίνονται, καὶ τῶν ἀέρων μεταβολαί. διόπερ οὐδὲ πᾶσαι ἐπισημασίαι ἐν τοῖς παραπήγμασιν ἀγόμεναι ἀεὶ συμφωνοῦσιν. ἀλλ᾽ ἔστι μὲν ὅτε καθόλου οὐ γίνονται. ἀλλὰ τὰς μεγίστας περιέχουσι χειμῶνας ἐπιτολαὶ καὶ δύσεις, εὐδίας ἀποτελοῦσιν. ἔστι δ᾽ ὅτε κατὰ μὲν τὴν πόλιν εὐδία ἐγένετο, ἐπὶ χώρας δὲ ὄμβρος. πολλάκις δέ τις μεθ᾽ ἡμέρας τρεῖς, ἢ τέσσαρας ἐπεσήμηνε τῇ ἐπιτολῇ, ἢ τῇ δύσει τοῦ ἄστρου· ἔστι δὲ ὅτε προέλαβε τὴν ἐπισημασίαν πρὸ ἡμερῶν τεσσάρων. ὅθεν καὶ οἱ ἀποτυγχάνοντες ἐν τῇ προῤῥήσει τῶν ἐπισημασιῶν, ἔχουσιν ἀπολογίαν ὅτι προέλαβεν τὴν ἐπισημασίαν, ὅτι ὑστέρα ἐγένετο.

Ἐξ ὧν πάντων φανερὸν ὅτι τὰ κατὰ τὰς ἐπισημασίας ἐν τοῖς παραπήγμασιν ὁλοσχερέστερον ἀναγέγραπται, οὐ τέχνῃ τινὶ, οὐδὲ ἀνάγκῃ μεθοδευόμενα, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς συνεχοῦς παρατηρήσεως ἀναγεγραμμένα. διὸ πολλάκις διαψεύδεται. ὅθεν οὐδὲ κατηγορητέον ἐστὶ τῶν ἀστρολόγων, ἐὰν ἀποτυγχάνωσιν ἐν ταῖς ἐπισημασίαις. ἐὰν δ᾽ ἔκλειψιν προειπών τις ἢ ἐπιτολὴν ἄστρου διαμάρτῃ, εὐλόγως καὶ τὸ ἐπιτήδευμα, καὶ ὁ μεταχειριζόμενος κατηγορίας ἀξιωθήσεται. πάντα γὰρ τέχνῃ μεθοδευόμενα ἀδιαμάρτητον ἔχειν ὀφείλει τὴν ἀπόφασιν. τὰ δὲ περὶ τὰς ἐπισημασίας, οὔτ᾽ ἐπιτυγχανόμενα ὁλοσχερῆ τὸν ἔπαινον ἔχει, οὔτ᾽ ἀποτυγχανόμενα κατηγορίαν. ἄτεχνον γάρ τι μέρος ἐστὶ τοῦτο τῆς ἀστρολογίας, καὶ οὐκ ἄξιον προφορᾶς. τὸ δὲ αὐτὸ ὑποληπτέον καὶ περὶ τὴν κυνὸς ἐπιτολὴν γίνεσθαι. πάντες γὰρ ὑπολαμβάνουσιν ἰδίαν δύναμιν ἔχειν τὸν ἀστέρα, καὶ παραίτιον γίνεσθαι τῆς τῶν καυμάτων ἐπιτάσεως ἅμα συνεπιτέλλοντα τῷ ἡλίῳ. τοῦτο δ᾽ οὐκ ἔστιν οὕτως ἔχον. ἀλλ᾽ ἐπεὶ κατὰ τὸν πυρωδέστατον καιρὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ οὗτος ὁ ἀστὴρ ἐπέτελλε, τῇ τούτου φάσει ἐσημειώσαντο τὴν πρὸς τὸ καῦμα μεταβολὴν τοῦ ἀέρος. ἔστι δὲ ὁ ἥλιος παραίτιος τῆς ἐπιτάσεως τῶν καυμάτων. πρῶτον μὲν γὰρ ἐκ τοῦ χειμῶνος κατεψυγμένων ἡμῶν κατὰ τὸν συνεγγισμὸν τὸν πρὸς ἡμᾶς ἄρχεται ἡμᾶς θερμαίνειν· οὔπω δὲ ἔκδηλον ποιεῖ τὴν θερμασίαν, ἔτι τῆς καταψύξεως ἀπὸ τοῦ χειμῶνος διαμενούσης· ἐπιμονῆς δὲ γινομένης, καὶ μᾶλλον ἀεὶ καὶ μᾶλλον

poris: ita & aſtrorum ortus non ipſi ſunt cauſſa mutationum aëris, ſed propoſita ſunt ſigna talium affectionum. Nam qui à principio obſervaverunt, & compoſuerunt tabulas illas, exploratis locis zodiaci circuli, in quibus ut plurimùm mutationes aëris fiunt, conſideraverunt quæ aſtra temporibus illis oriantur, aut ſimul occidant; atque horum ortibus, & occaſibus pro ſignis ſunt uſi ad præcognitionem prædictorum. Ortus enim veros, & occaſus contingit eſſe inviſibiles. eos verò, qui apparebant, ortus & occaſus, poterant videre, & circa tempora dicta diſcernere, eo quòd Pleiades occidentes habeant talem vim, ut humiditatem quamdam circa aërem generent; aut rurſus orientes æſtatis initium ſignificent. unde & Heſiodus inquit:

Pleiadibus Atlantis filiabus orientibus
Incipe meſſem; arationem verò occidentibus.

Non propter aſtri vim. Omninò enim id eſt ſtupidum. Sive enim ignea ſunt aſtra; ſive ætherea; ut placet aliquibus; omnia eamdem eſſentiam, & vim ſortita ſunt, & nullam habent mutuam compaſſionem erga ea, quæ in terra fiunt. Univerſa enim terra centri rationem habet ad inerrantium ſphæram. nec ulla vis emanans, aut profluvium pervenit ab inerrantibus ſtellis ad terram. Quomodo putandum eſt, has imbrium, & ventorum, & gradinum cauſſas eſſe, à quibus nulla vis cadit ad nos? Nam à ſole quidem, & luna pervenit vis ad terram ſecundum tranſitus eorum & majorum, & minorum. Unde conſentaneum eſt, terræ cum his eſſe mutuam conſenſionem ſecundùm vim cujuſque eorum. inerrantium verò ſtellarum ortus, & occaſus ſigni rationem obtinent, ſicut prædiximus. Unde ne ſtatuendum quidem eſt, eaſdem ſignificationes perfici ex iiſdem aſtris; ſed ſecundùm eorumdem climatum varietates, diverſos & ortus, & occaſus aſtrorum fieri: & quidem in quolibet horizonte propria ſigna habere mutationis aëris. Idem enim parapegma non poteſt congruere in urbe Roma, & in Ponto, & in Rhodo, & in urbe Alexandriæ: ſed neceſſe eſt, ut diverſæ ſint obſervationes in diverſis horizontibus, & in qualibet urbe alia ſumantur aſtra ſignificationes efficientia.

Sol eſt major terra, luna eſt minor quàm terra.

Unde manifeſtum eſt, quòd non naturaliter aſtrorum ortus & occaſus affectiones aëris generent; ſed quòd in quolibet horizonte diverſæ fiant obſervationes, & aërum mutationes. Quamobrem neque omnes ſignificationes in tabulas relatæ ſemper congruunt, ſed interdum univerſaliter non fiunt. ſed qui maximas tempeſtates comprehendunt ortus, & occaſus, hi efficiunt ſerenitates: interdum in urbe ſerenitas contingit, in agris imber. ſæpè poſt dies tres, aut quatuor aliquis ſignificavit per ortum, aut occaſum aſtri mutationem aëris. interdum antevertit ſignificationem diebus quatuor. Unde qui aberrant in prædictionibus ſignificationum, habent excuſationem, quòd anticiparunt ſignificationem, eò quòd poſterius eſt facta.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quòd quæ ad ſignificationes ſpectant, ea in tabulis rudi Minerva ſint inſcripta, cùm non arte quadam, neque neceſſitate ſint tradita; ſed ex continua obſervatione inſcripta. eam ob cauſſam ſæpè hæc fallunt. unde Aſtrologi non ſunt accuſandi, ſi aberraverint in ſignificationibus. ſi verò eclipſin prædicens aliquis, aut ortum aſtri, aberraverit, meritò & ſtudium, & qui illud tractat, accuſantur. Omnia enim, quæ arte traduntur, debent infallibilem habere prædictionem, ſeu enuntiationem. At ea, quæ ad ſignificationes ſpectant, neque cùm ea aſſequimur, perfectam laudem; neque cùm ab iis aberramus, accuſationem merentur. Aſtrologiæ enim hæc eſt quædam pars expers artis, & indigna quæ proferatur in medium. Idem opinandum eſt fieri etiam circa Canis ortum. Omnes enim putant, hanc ſtellam propriam vim habere, & cauſſam eſſe intenſionis æſtuum, cùm ſimul oritur cum ſole. At hoc non ita ſe habet. ſed quoniam juxta calidiſſimum tempus anni hæc ſtella ortum faciebat, hujus apparitione aëris in æſtum mutationem notarunt. Eſt autem ſol cauſſa intenſionis æſtuum. Primum enim cùm ex hyeme ſimus ſrigefacti, ſecundùm appropinquationem, quæ ſit ad nos, incipit nos ſol calefacere: nondum tamen manifeſtam efficit calefactionem, cùm adhuc frigefactio, quæ eſt ab hyeme, permaneat. cùm verò ſit commoratio, & ſemper magis

Canicula non eſt propriè cauſa caloris.

magiſque appropinquat ſol, contingit fieri ſenſum calefactionis. deinde contingit bis ad eamdem habitationem continuò ſolem accedere. Etenim in progreſſu ad æſtivum tropicum circulum, & in receſſu, per eaſdem habitationes tranſit ſol. Unde evenit propter cauſſam hanc intenſiones æſtuum fieri. Præterea acceſſus ad æſtivum tropicum, & receſſus omnino & parvos, & inſenſibiles eſſe contingit. ferè enim ad dies 40 in æſtivo tropico circulo moram facit. Unde & magnitudines dierum circa ſolſtitia inſenſibile habent incrementum. Cùm verò circa hoc tempus ortum faceret canis, hujus apparitione ſignificaverunt tempus intenſionis æſtuum; non quòd ipſum aſtrum ſit cauſſa; ſed quòd ſol hanc cauſſam habeat.

Si igitur aliquis pro ſigno temporis accipiat canis ortum, rectè accipit; ſicut Homerus inquit de cane ſic;

Malum autem ſignum factum eſt.

Non enim cogitandum eſt, quaſi propriam vim habeat canis ad intenſionem æſtuum, ſed quòd ſigni gratia aſſumtus ſit canis.

* Leg. ὡς δεξ. παραμετρούμενοι, ὅτι ἡμεῖς ταύτην ἔχοντες τὴν οἰκουμένην * δεξιᾷ μὲν ἔχομεν τὴν διὰ ψυχρότητα ἀοίκητον κατὰ βοῤῥᾶν ζώνην· ἐν ἀριστερᾷ δὲ τὴν διακεκαυμένην. οἱ γὰρ τὴν ὑπὸ χειμερινὸς τροπικὸν * οἰκοῦμεν, δεξιᾷ μὲν ἐστὶν ὡς ἡμῖν ἡ διακεκαυμένη· ἀριστερᾷ
* f. οἷς μὲν. ὡ. δὲ ἡ πρὸς τὸν νότον κατεψυγμένη. τινὲς δὲ, ὧν ἐστι Παναίτιος ὁ Στωϊκὸς, καὶ Εὔδωρος ὁ Ἀκαδημαϊκός. οἰκεῖσθαί φασι τὴν διακεκαυμένην, τῆς κράσεως τοῦ ἀέρος γινομένης ἔκ τε τοῦ σφοδροτέρους εἶναι ἐκεῖσε τοὺς ἐτησίας, καὶ ἐκ τοῦ τὴν ἀναπνοὴν τῆς ἐκεῖ μεγάλης θαλάσσης μιγνῦσαν τὴν ἀναθυμίασιν τῆς ψυχρότητος πρὸς τὸ τῆς θερμότητος κρᾶσιν. καλοῦνται δὲ οἱ τὰς ζώνας οἰκοῦντες τὰς ζώνας περίοικοι· ἄντοικοι· ἀντίχθονες· ἀντίποδες. περίοικοι μὲν, οἱ τὴν αὐτὴν οἰκοῦντες ζώνην, διὰ τὸ περὶ τὸν αὐτὸν οἰκεῖν τόπον. ἄντοικοι δὲ ἀλλήλοις οἱ τὴν ὑπ' αἰγόκερω ζώνην τοῖς τὴν ὑπὸ τὸν καρκίνον οἰκοῦσιν. ἀντίχθονες δὲ, οἱ ἐν τῷ θερινῷ, ἢ χειμερινῷ τροπικῷ οἰκοῦσιν. ἄνω δὲ οἱ αὐτοὶ καὶ ἀντίχθονες λέγονται. ἀντίχθονες μὲν, διὰ τὸ ἄνω εἶναι, καὶ κάτω. ἀντίποδες δὲ, διὰ τὸ κατὰ κάθετον ἀλλήλων εἶναι. συντόμως δὲ εἰπεῖν, οἱ περίοικοι τὰ αὐτὰ δι' ἑκατέρων ἀλλήλοις ἔχουσι, τάς τε τοῦ ἐνιαυτοῦ ὥρας, καὶ τὰς νύκτας, καὶ τὰς ἡμέρας τὰς αὐτάς. οἱ ἄντοικοι τὸ μὲν τῶν ἡμερῶν ἔχουσιν ὡσαύτως· τὸ δὲ τῶν καιρῶν οὐκ ἔχουσιν. οἱ ἀντίχθονες
* f. τὸ τ. τὸ μὲν τῶν καιρῶν ἔχουσι· τὸ δὲ τῶν ἡμερῶν οὔ. οἱ ἀντίποδες οὔτε * τῶν ἡμερῶν, οὔτε τὸ τῶν ὡρῶν. πλὴν καὶ ταύτῃ οἱ ἀντίχθονες ἀλλήλων διαφέρουσιν, ὅσῳ τῶν ἄνω ἀγόντων μακρὰς ἡμέρας, οἱ κάτω κολοβωτέρας ἔχουσι τὰς ἑαυτῶν ἡμέρας. τὸ δὲ αἴτιον ἡ τῶν κύκλων ἀνισότης. στρέφεται δὲ τὸ πᾶν αὐτὸ περὶ αὐτὸ ἐσημέραν, καὶ ὥραν καθὸ καὶ ὁ Ἀσκραῖος φησι.

* f. μυρίῳ. Σφαίρης κυκλοτερὴ * μανίῳ περιηγέϊ χαίρων.

σφαῖραν μὲν καλέσας τὴν σφαῖραν, ὡς καὶ Ὅμηρος ἑσπέριον τὴν ἑσπέραν. καὶ κυκλοτερῆ δὲ, διὰ τὸ σφαιροειδές. μανίαν δὲ περιηγέα, τῆς στροφῆς τὴν μονήν. φέρεται δὲ ὁ οὐρανὸς ἀπὸ τῶν ἀνατολικῶν ἐπὶ τὰς δυσμάς. ὁ δὲ ἥλιος, καὶ οἱ λοιποὶ πλάνητες, τὴν
* f. αὐτοῦ γε. ἐναντίαν, τουτέστιν ἀπὸ τῶν δυσμῶν ἐπὶ τὰς ἀνατολάς· ὡς εἶναι διπλῆν κίνησιν * αὐτῷ γε, τὴν μὲν ἐρχομένων· τὴν δὲ φερομένων. καθὰ ἐπὶ τοῦ τροχοῦ, καὶ μύρμηκος, καὶ τῆς νηὸς, καὶ τοῦ ἐν αὐτῇ πρὸς τὴν ἐναντίαν αὐτῆς φορὰν ἔχοντος παράδειγμα. πεποίηκε
* f. Cor. [illegible] δὲ τοῦτο ὁ δημιουργὸς, ἵνα μὴ * μετεωρισθῇ φερόμενον τὸ πᾶν ἰσοροκλινησίαν τὴν κίνησιν ἔχον σφοδράν· ἀνθελκόμενον δὲ, καὶ τῆς ἐναντίας φορᾶς μανθανόμενον, τῇ τῶν πλανητῶν πρὸς τοὐναντίον ὁλκῇ, ὑποτεθεῖσαν τῆς κινήσεως τὴν ὁρμὴν λαμβάνει. ὡς δὲ οἱ μῦθοι παίζουσιν, ἀπεστράφη ταῦτα τὰ ἄστρα τὸ Θυέστου δεῖπνον, καὶ ἔμεινε τῇ φορᾷ πλανώμενα. δεῖ δὲ τὸν τὴν σφαῖραν ἐξηγούμενον ἀπ' ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμὰς αὐτὴν κινεῖν· ἀνατολὰς λαμβάνοντα τὴν κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ τοῦ κινοῦντος φοράν.

ἹΠΠΑΡΧΟΥ
ΒΙΘΥΝΟΥ ΤΩΝ ΑΡΑΤΟΥ,
ΚΑΙ ΕΥΔΟΞΟΥ ΦΑΙΝΟΜΕΝΩΝ ΕΞΗΓΗΣΕΩΝ,
ΒΙΒΛΙΑ ΤΡΙΑ.

HIPPARCHI
BITHYNI AD ARATI,
ET EUDOXI PHÆNOMENA
ENARRATIONUM,
LIBRI TRES.

DIONYSIO PETAVIO INTERPRETE.

Βιβλίον πρῶτον.

Abeſt hæc ſalutatio à Regio cod.

Ἵ[1]ΠΠΑΡΧΟΣ Αἰσχρίωνι χαίρειν. ἡδέως ἐπέγνων διὰ τῆς ἐπιστολῆς τὴν ἐπίμονόν σου τὴν πρὸς φιλομαθίαν οἰκειώσεως. τά τε γὰρ φυσικὰ τῶν ἐπιζητηθέντων ὑπὸ σοῦ, καὶ τὰ περὶ τῶν παρὰ Ἀράτῳ λεγομένων ἐν ταῖς συνανατολαῖς, ἱκανώτερον ἐμφανῆ μοι φιλοτεχνίαν· καὶ πολλῷ γε μᾶλλον, ὅσῳ πεπλεόνακας ἐν ταῖς βιωτικαῖς ἀσχολίαις, διὰ τὴν τῶν ἀξιολογωτάτων ἀδελφῶν ἡμῶν τελευτήν. περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων μετὰ ταῦτά σοι τὴν ἰδίαν κρίσιν διασαφήσω. περὶ δὲ τῶν ὑπὸ Ἀράτου λεγομένων ἐν τοῖς φαινομένοις νῦν προτέθειμαί σοι γράψαι, πῶς καθόλου τὰ καλῶς ἢ κακῶς λεγόμενα αὐτοῖς ὑποδεικνύων. ἐξ ὧν ἔσται σοι φανερὰ πάντα, καὶ τὰ παρὰ σοῦ διαπορηθέντα.

* f. ἐξήγησιν. * f. Ἄτταλος.

* Ζήτησιν μὲν οὖν τῶν Ἀράτου Φαινομένων, καὶ ἄλλοι πλείονες συντετεύχασιν· ἐπιμελέστατα δὲ δοκεῖ πάντων * αὐτὸς ὁ καθ' ἡμᾶς μαθηματικὸς τὸν περὶ αὐτῶν συμπεποιῆσθαι λόγον. ἀλλὰ τὸ μὲν ἐξηγήσασθαι τὴν ἐν τοῖς ποιήμασι διάνοιαν, οὐ μεγάλης ἐπιστροφῆς προσδεῖσθαι νομίζω. ἁπλοῦς τε γὰρ, καὶ σύντομός ἐστι ποιητής. ἔτι δὲ σαφὴς τοῖς καὶ μετρίως παρηκολουθηκόσι. τὸ δὲ συνεῖναι τὰ λεγόμενα περὶ τῶν οὐρανίων ὑπ' αὐτοῦ, τίνα τε συμφώνως τοῖς φαινομένοις ἀναγέγραπται, καὶ τίνα διημαρτημένως, τοῦτ' ὠφελιμώτατον ἡγήσαιτ' ἄν τις, καὶ μαθηματικῆς ἴδιον ἐμπειρίας. θεωρῶν δ' οὖν τοῖς πλείστοις, καὶ χρησιμωτάτοις διαφωνοῦντα τὸν Ἄρατον πρὸς τὰ φαινόμενα, καὶ γενόμενα κατὰ ἀλήθειαν, τούτοις δὲ ἅπασι σχεδὸν, οὐ μόνον τοὺς ἄλλους, ἀλλὰ καὶ τὸν Ἄτταλον συνεπιγεγραφόμενον· ἕνεκεν τῆς σῆς ἕνεκα φιλομαθίας, καὶ τῆς κοινῆς ὠφελείας, ἀναγράψαι τὰ δοκοῦντά μοι διημαρτῆσθαι. τοῦτο δὲ ποιήσειν προειλόμην οὐκ ἐκ τοῦ τοὺς ἄλλους ἐλέγχειν φαντασίαν ἀπο-

Liber primus.

HIPPARCHUS Æſchrioni ſalutem. Magnam 1
cepi voluptatem ex litteris tuis, cùm ex iis intellexi, ſtudio te erga diſciplinas, ac voluntate eſſe conſtanti. Etenim quæ de naturalibus rebus; déque iis, quæ ab Arato ſcripta ſunt in coortibus, à me ſciſcitaris; propenſum in bonas artes animum tuum ſignificant. Atque hoc tanto majoris à me fit, quanto ex clariſſimorum fratrum noſtrorum obitu, frequentioribus vitæ hujus negotiis implicatus teneris. Ac de ceteris quidem quid ſentiam poſtea declarabo. nunc de iis, quæ in Phænomenis prodita ſunt ab Arato, inſtitui ad te ſcribere. ut universè quid rectè aut ſecus in illis ſcriptum ſit aperiam. ex quibus cùm perſpicua tibi erunt omnia; tum ea maximè, quæ in tua percontatione poſuiſti.

Atque Arati quidem Phænomena cùm alii complures interpretati ſunt: tùm ille ipſe, qui ætate noſtra vixit, Mathematicus omnium videtur accuratiſſimè, diligentiſſimeque ſcripſiſſe. Verum carminum iſtius poetæ ſententias explicare, res eſt non magna, meo quidem judicio, cura, & attentione digna. Eſt enim ſimplex, & conciſus hic Poëta: tùm vel mediocri rerum intelligentia præditis cognitu facilis. quæ autem cœleſtibus de rebus ab illo ſcripta ſunt, animo capere, ac quid apparentium rerum experimentis conſentaneè; quid contrariè dictum ſit, agnoſcere; hoc & longè omnium utiliſſimum, & imprimis Mathematica ſcientia dignum videtur. Quamobrem cùm in pleriſque, & præcipuis Aratum cernerem ab apparentibus, cujuſmodi reipſa contingunt, aberrare: & in iiſdem penè omnibus erroribus non ſolùm reliquos, ſed etiam Attalum ipſum eſſe verſatum: viſum mihi eſt, ut & ſtudio erga litteras tuo, & communi utilitati conſulerem; ea mandare huic libro, in quibus erratum ab illis eſſe perſpexi. Quod non

Attalum intelligere videtur.

Aratus in pleriſque lapſus.

[1] PRopoſitum hoc in Opere eſt Hipparcho τῶν ἀπλανῶν doctrinam ab erroribus repurgare, qui ex Eudoxi & Arati libris, & auctoritate in illam irrepſerant. quorum ille princeps ad hanc diem aſtronomiæ totam eam partem duobus libris comprehenderat. Aratus verò poetico lepore conditam eam iiſdem artis periculoſiùs etiam ad poſteros tranſmiſerat. Acceſſit & tertius Aratei poëmatis interpres, qui Hipparchi, ut opinor, ſæculo, paullò ante ipſum, commentarios ad illum auctorem ſcripſerat, Attalus Grammaticus. Contra hos tres opus iſtud elucubravit Hipparchus; ac totum diſtribuit in libros tres. Primus initio teſtimoniis aliquot oſtendit, Aratum ab Eudoxo mutuò omnia ſumpſiſſe; ſic ut in multis tantummodò paraphraſten egerit. Pòſt amborum errata notat in ſtellis per ſeſe, & earum ſitu, vel deſcriptione. nec non Attali, qui utriuſque veſtigia perſecutus eſt. maximè autem in delineandis parallelis, aliiſque circulis aberraſſe convincit omnes.

Secundus liber bifariam ſectus eſt. Prima pars tribus illorum peccata caſtigat in aſtrorum συνανατολαῖς, καὶ συγκαταδύσεσι. quos coortus, & concaſus appellare licet. poſterior de iiſdem agit ex rei veritate, & opinione ſua conſtitutis in borealibus aſteriſmis.

Tertius auſtralium aſteriſmorum ortus, & occaſus explicat. deinde de duodecim imaginum ortus itidem & occaſus. poſtremò de intervallis aſteriſmorum differit, quib. horarum quatuor & viginti ſpatia complicatur.

non eò ſuſcipio, ut ex aliorum reprehenſione inanis cujuſdam opinionis fructum colligam. Id enim vanum, & illiberale eſſe judico. Imo verò iis omnibus è contrario gratias habendas cenſeo, qui communis utilitatis gratiâ privatim elaborare voluerunt. ſed ut neque tu, neque ſtudioſi ceteri in cæleſtium contemplatione rerum à veritate longius abhorreatis. quod meritò pleriſque accidit. Nam poëticus lepor iis, quæ dicuntur, neſcio quam fidem, & auctoritatem conciliat. ac propemodum omnes, qui poëtam hunc commentariis ſuis illuſtrarunt, iis quæ ab eo ſunt dicta conſentiunt. Eudoxus autem ad eamdem, in quam Aratus incubuit, apparentium tractationem multò majorem uſum, ac peritiam contulit. Habet igitur ex tot, tantorúmque Mathematicorum ſuffragio veritatis opinionem opus illud poëticum. Sed non eſt fortaſſe, quod Aratum accuſemus, ſi quid ei erroris oblatum ſit. quippe qui Eudoxi commentarium ſecutus, non obſervatione propria

Vera eſt Lectio vulgata, ſi ὁ pro ἡ ſcribas. fretus, phænomena conſcripſit. Sed illi potiùs caſtigatione digni ſunt, qui Mathematico dignam de iis judicandi peritiam profeſſi, in iiſdem tamen aberrant.

Librorum argumentum. Ego verò præter Eudoxi, & Arati, & ejus, qui amborum apparentiis adſtipulator venit, in phænomenis errata, fixarum quoque ſtellarum omnium veros cum duodecim ſtellatis ſignis ortus occaſúſque perſcripſi tibi; ut accuratè perceptis ſingulis, ceterorum in iſtis decreta cujuſmodi ſint probare poſſis. Neque verò tantùm illos ſtellarum cum ſignis ortus, occaſúſque perſequar: ſed etiam quæ ſingulorum aſteriſmorum ſtellæ primæ, quæ noviſſimæ oriantur, aut occidant quæve aliarum culmen teneant. tum unaquæque ſtellarum inerrantium quot æquinoctialibus horis cum duodecim ipſis ſignis ortum, occaſúmque faciat. Poſtremò & illud exponam, quibuſnam ſtellis ſingula viginti quatuor horaria ſpatia terminentur. Nam horum quodlibet ad multas & præcipuas partes Mathematicarum artium opportunitatem afferre ſummam, facilè tibi perſpectum eſſe confido.

II. Aratus in omnibus ſecutus eſt Eudoxum. Aratum igitur Eudoxi de phænomenis commentarium eſſe ſecutum, cùm ex pluribus conſtare poteſt, ſi quis cum illius opere poëtico per capita ſingula, verba Eudoxi conferre voluerit: tùm hoc loco commemorare breviter, haud inutile videtur; quòd ea res à nonnullis

Eudoxi libri duo de ſtellis. vocetur in dubium. Duo ſunt de phænomenis libri, qui Eudoxo tribuuntur; penè in omnibus conſentientes invicem, præter pauciſſima quædam. Horum alter inſcriptus eſt *Speculum*. alter, *Phænomena*. Ad hunc poſteriorem opus ſuum Aratus exegit. In hoc verò de

De urſa Eudoxi & Arati verba. dracone ita ſcribit Eudoxus: *Inter urſas verò ſerpentis eſt cauda: quæ illam exiguam ſtellam ſupra caput attollit majoris urſæ. flexum autem ad minoris urſæ caput habet; & ſub pedes porrigitur. ibi alterum faciens flexum; ac rurſus erigens ſeſe, in anteriora caput extendit.* Aratus porrò velut iſta deſcribens, ſic loquitur;

> *Sed hic alteram quidem extrema emetitur cauda:*
> *Alteram verò ſpira circumſcribit. et quidem ſumma*
> *Cauda ad caput Helices quieſcit urſæ.*
> *In ſpira verò Cynoſura caput habet. hæc autem circa ipſum*
> *Gyratur caput, eíque ad pedem pervenit uſque.*
> *Rurſus verò retrocedens recurrit.*

De Boote. de Boote ſcribit Eudoxus: *poſt majorem urſam eſt Arctophylax.* Aratus,

> *At poſt Helicen circumfertur auriganti ſimilis*
> *Arctophylax.*

rurſus Eudoxus idem: *ſub pedibus*, inquit, *eſt virgo.* Aratus;

> *Verum ambobus ſub pedibus obſervato Bootæ*
> *Virginem.*

De Ingeniculo. De eo, qui *Ingeniculus* dicitur Eudoxus: *Ad caput ſerpentis*, inquit, *eſt Ingeniculus, ſupra caput habens dextrum pedem.* At Aratus;

> —— *Medium verò ſupra caput*
> *Dextri pedis extremum habet tortuoſi draconis.*

νίγνεσθαι προαιρούμενος. κενὸν γὰρ καὶ μικρόψυχον παντελῶς. τοὐναντίον δὲ οἴομαι πᾶσιν ἡμᾶς εὐχαριστεῖν, ὅσοι τῆς κοινῆς ἕνεκεν ὠφελείας * ἴδια πόνον ἀναδεχόμενοι τυγχάνουσιν. ἀλλ' ἕνεκα τοῦ μήτε σε, μήτε τοὺς λοιποὺς τῶν φιλομαθούντων ἀποπλανᾶσθαι τῆς περὶ τὰ φαινόμενα κατὰ τὸν κόσμον θεωρίας. ὅπερ εὐλόγως πολλοὶ πεπόνθασιν. ἡ γὰρ τῶν ποιημάτων χάρις ἀξιοπιστίαν τινὰ τοῖς λεγομένοις περιτίθησιν· καὶ πάντες σχεδὸν οἱ τὸν ποιητὴν τοῦτον ἐξηγούμενοι προστίθενται τοῖς ὑπ' αὐτοῦ λεγομένοις. ἐμπειρότερον δὲ Εὔδοξος τὴν αὐτὴν τῷ Ἀράτῳ περὶ τῶν φαινομένων σύνταξιν ἀναγέγραφεν. εὐλόγως οὖν καὶ ἐκ τῆς τῶν τοσούτων, καὶ τηλικούτων μαθηματικῶν συμφωνίας ἀξιόπιστος ἡ πίστις αὐτοῦ διαλαμβάνεται. καίτοι γε τὸν Ἄρατον μὲν ἴσως οὐκ ἄξιον ἐφάπτεσθαι, κἂν ἔν τισι διαπίπτων τυγχάνῃ. τῇ γὰρ Εὐδόξου συντάξει κατηκολουθηκὼς τὰ φαινόμενα γέγραφεν· ἀλλ' οὐ κατ' ἰδίαν παρατηρήσας, * ἢ μαθηματικὴν κρίσιν ἐπαγγελλομένων ἐν τοῖς οὐρανίοις προσφέρεσθαι, καὶ διαμαρτανόντων τῶν ἐν αὐτοῖς.

* f. ἰδίᾳ.

* Reg. ἐπαγγελλόμενος ἐν τοῖς οὐρ. [illegible] καὶ διαμαρτανόντων τῶν ἐν αὐ.

Καθόλου δὲ τῶν ἠγνοημένων ἐν τοῖς φαινομένοις ὑπό τε Εὐδόξου, καὶ τοῦ Ἀράτου, καὶ τοῦ συνεπιγραφομένου τῇ φάσει αὐτῶν, ἀναγέγραφά σοι καὶ τὰς κατ' ἀλήθειαν γινομένας ἑκάστου τῶν ἀπλανῶν ἄστρων σὺν αὐτοῖς τοῖς κατηστερισμένοις ιβ' ζῳδίοις συνανατολὰς, καὶ συγκαταδύσεις· ἵνα περιεργασθεὶς ἑκάστας ἀκριβῶς, καὶ τὰς τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀποφάσεις ἐν τούτοις δοκιμάζῃς. καὶ διασαφῶ μὲν οὐ μόνον τὴν συνανατολὴν, ἢ συγκατάδυσιν· ὅτι δὲ καὶ τίνες ἀστέρες ἑκάστου τῶν ἄστρων πρῶτοί τε, καὶ ἔσχατοι ἀνατέλλουσιν, ἢ δύνουσιν· καὶ τίνες τῶν ἄλλων ἀστέρων μεσουρανοῦσιν· ἕκαστόν τε τῶν ἀπλανῶν ἄστρων σὺν αὐτοῖς τοῖς ιβ' ζῳδίοις ἐν πόσαις ἰσημεριναῖς ὥραις ἀνατέλλει ἢ δύνει. ἐπὶ πᾶσι δὲ διασαφῶ καὶ τίνες ἀστέρες ἀφορίζουσι πάντα τὰ εἰκοσιτέσσαρα ὡριαῖα διαστήματα. διότι γὰρ ἕκαστον τούτων συντείνει πρὸς πολλὰ, καὶ χρήσιμα τῶν ἐν τοῖς μαθήμασι θεωρημάτων, εὐκατανόητον εἶναι καὶ σοὶ νομίζω.

Ὅτι μὲν οὖν τῇ Εὐδόξου περὶ τῶν φαινομένων ἀναγραφῇ κατηκολούθηκεν ὁ Ἄρατος, μάθοι μὲν ἄν τις διὰ πλειόνων, παρατηρήσας τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ περὶ ἑκάστου τῶν λεγομένων τὰς τοῦ Εὐδόξου λέξεις. οὐκ ἄχρηστον δὲ καὶ νῦν δι' ὀλίγων ὑπομνῆσαι, διὰ τὸ διστάζεσθαι τοῦτο παρὰ τοῖς πολλοῖς. ἀναφέρεται δὲ εἰς τὸν Εὔδοξον β' βιβλία περὶ τῶν φαινομένων, σύμφωνα κατὰ πάντα σχεδὸν ἀλλήλοις, πλὴν ὀλίγων σφόδρα. τὸ μὲν οὖν ἓν αὐτῶν ἐπιγράφεται Ἔνοπτρον· τὸ δὲ ἕτερον, Φαινόμενα. πρὸς τὰ Φαινόμενα δὲ τὴν ποίησιν συντέτακεν. ἐν δὴ τούτῳ τῷ συντάγματι Εὔδοξος περὶ μὲν τοῦ δράκοντος οὕτως γράφει· μεταξὺ δὲ τῶν ἄρκτων ἐστὶν ἡ τοῦ ὄφεως οὐρὰ, τὸ μικρὸν ἀστέριον ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχουσα τῆς μεγάλης ἄρκτου. καμπὴν δὲ ἔχει παρὰ τὴν κεφαλὴν τῆς μικρᾶς ἄρκτου, καὶ παρατέταται ὑπὸ τοὺς πόδας· ἑτέραν δὲ καμπὴν ἐνταῦθα ποιησάμενος, πάλιν ἀνανεύων ἔμπροσθεν ἔχει τὴν κεφαλήν. ὁ δὲ Ἄρατος, ὡς ἂν παραγράφων ταῦτα, φησίν.

> Αὐτὰρ ὁ γ' ἄλλην μὲν νεάτῃ ἐπιτείνεται οὐρῇ.
> Ἄλλην δὲ σπείρῃ περιτέμνεται. ἡ μέν οἱ ἄκρη
> Οὐρὴ πὰρ κεφαλὴν Ἑλίκης ἀποπαύεται ἄρκτου.
> Σπείρῃ δ' ἐν Κυνόσουρα κάρη ἔχει. ἡ δὲ κατ' αὐτὴν
> Εἰλεῖται κεφαλὴν, καί οἱ ποδὸς ἔρχεται ἄχρις.
> Ἐκ δ' αὖτις παλίνορσος ἀνατρέχει.

περὶ δὲ τοῦ Βοώτου ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν· Ὄπισθεν δὲ τῆς μεγάλης ἐστὶν ἄρκτου ὁ ἀρκτοφύλαξ· ὁ δὲ Ἄρατος·

> Ἐξόπιθεν δ' Ἑλίκης φέρεται, ἐλάοντι ἐοικὼς,
> Ἀρκτοφύλαξ. ——

καὶ πάλιν ὁ μὲν Εὔδοξος· ὑπὸ δὲ τοὺς πόδας ἡ παρθένος ἐστίν. ὁ δὲ Ἄρατος.

> Ἀμφοτέροισι δὲ ποσσὶν ὑποσκέπτοιο Βοώτεω
> Παρθένον. ——

περὶ δὲ τοῦ ἐν γόνασιν ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν· παρὰ δὲ τὴν κεφαλὴν τοῦ ὄφεως ὁ ἐν γόνασίν ἐστιν, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τὸν δεξιὸν πόδα ἔχων. ὁ δὲ Ἄρατος·

> —— a μέσσῳ δ' ἐφύπερθε καρήνῳ
> Δεξιτεροῦ ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο δράκοντος.

ἐξ

a *Μέσσῳ δ' ἐφύπερθε.*] Ingeniculi dextrum pedem inſidere Draconi, non ſiniſtrum fuit Arati mens; ut eum, præter Hipparchum, interpretati ſunt Germanici Scholiaſtes, & Feſtus Avienus, quorum hic eleganter;

> —— *dextraque dehinc impreſſa planta*
> *Tempora deculcat maculoſi prona draconis.*

Germanici verò Scholiaſtes, *dextro pede contra draconem porrecto pingitur.* quod in verſibus obſcurè ſic expreſſum fuerat:

Dextro

ἐξ οὗ καὶ μάλιστα φανερὸν γίνεται τὸ προκείμενον. παρ' ἑκατέρῳ γὰρ αὐτῶν ἠγνόηται. τὸν γὰρ ἀριστερὸν ἔχει πόδα ὁ ἐν γόνασιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ δράκοντος, καὶ οὐ τὸν δεξιόν. τὸν δὲ στέφανον ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν ὑπὸ τὸν νῶτον τοῦ ἐν γόνασι κεῖσθαι· ὁ δὲ Ἄρατος·

Νώτῳ μὲν στέφανος πελάει· κεφαλῇ γε μὲν ἄκρῃ
Σκέπτεο πὰρ κεφαλὴν Ὀφιούχου.

περὶ ὧν καὶ ὁ Εὔδοξός φησι. πλησίον δ' ἐστὶ τῆς τούτου κεφαλῆς ἡ τοῦ Ὀφιούχου κεφαλή.

Περὶ δὲ τῆς θέσεως τῆς μεγάλης ἄρκτου ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν· ὑπὸ δὲ τὴν κεφαλὴν τῆς μεγάλης ἄρκτου οἱ δίδυμοι κεῖνται, ὑπὸ δὲ τοὺς ὀπισθίους πόδας ὁ λέων. πρὸ δὲ τῶν ἐμπροσθίων ποδῶν τῆς ἄρκτου ἀστήρ ἐστιν· λαμπρότερος δὲ ὑπὸ τὰ ὀπίσθια γόνατα, καὶ ἄλλος ὑπὸ τοὺς ὀπισθίους πόδας· ὁ δὲ Ἄρατος·

Κρατὶ δὲ οἱ δίδυμοι, μέσσῃ δ' ὑπὸ καρκίνος ἐστί.
Ποσσὶ δ' ὀπισθοτέροισι λέων ὑπὸ καλὰ φαείνει.

ἐπὶ δὲ τῶν εἰρημένων ἀστέρων.

* Τοῖος οἱ πρὸ ποδῶν φέρεται καλός τε μέγας τε
Εἷς μὲν ὑπ' ὠμαίων· εἷς δ' ἰξύθεν κατιόντων·
Ἄλλος δ' οὐραίοις ὑπὸ γούνασιν.

* Vulg. ὑπὸ

ἐπὶ δὲ τοῦ Ἡνιόχου ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν· κατέναντι δὲ τῆς κεφαλῆς τῆς μεγάλης ἄρκτου ὁ Ἡνίοχος ἔχει τοὺς ὤμους, λοξὸς ὢν ὑπὲρ τοὺς πόδας τῶν διδύμων ἔχων τὸν δεξιὸν πόδα, κοινὸν τῷ ἐν ἄκρῳ τῷ ἀριστερῷ κέρατι τοῦ ταύρου· ὁ δὲ Ἄρατος ἐπ' αὐτοῦ φησιν οὕτως.

—— Ἑλίκης δέ οἱ ἄκρα κάρηνα
Ἀντία δινεῖται.

Καὶ πάλιν.

—— λαιοῦ δὲ κεράατος ἄκρον,
Καὶ πόδα δεξιτερὸν παρακείμενον Ἡνιόχοιο
Εἷς ἀστὴρ ἐπέχει. ——

ἐπὶ δὲ τοῦ Κηφέως ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν· ὑπὸ δὲ τὴν οὐρὰν τῆς μικρᾶς ἄρκτου τοὺς πόδας ὁ Κηφεὺς ἔχει πρὸς ἄκραν τὴν οὐράν, τρίγωνον ἰσόπλευρον ποιοῦντας. τὸ δὲ μέσον αὐτοῦ πρὸς τῇ καμπῇ τοῦ διὰ τῶν ἄρκτων ὄφεως. ὁ δὲ Ἄρατός φησιν.

Ἴση οἱ στάθμη οὐραίης ἀποτείνεται ἄκρης
Εἰς πόδας ἀμφοτέρους, ὅσση ποδὸς εἰς πόδα τείνει.
Αὐτὰρ ἀπὸ ζώνης ὀλίγον κε μεταβλέψειας,
Πρώτης δ' ἱέμενος καμπῆς μεγάλοιο δράκοντος.

παρ' ἑκατέρῳ δ' αὐτῶν τὸ πλεῖστόν ἐστι ψεῦδος. τὸ γὰρ μεταξὺ ποδῶν τῶν τοῦ Κηφέως διάστημα ἔλασσόν ἐστιν ἑκατέρου τοῦ πρὸς τὴν οὐρὰν διαστήματος.

Πάλιν ἐπὶ τῆς Κασσιεπείας ὁ μὲν Εὔδοξος· τοῦ μὲν Κηφέως ἔμπροσθέν ἐστιν ἡ Κασσιέπεια· ταύτης δὲ ἔμπροσθεν ἡ Ἀνδρομέδα, τὸν μὲν ἀριστερὸν ὦμον ἔχουσα τῶν ἰχθύων ὑπὲρ τοῦ πρὸς βορρᾶν· τὴν δὲ ζώνην ὑπὲρ τοῦ κριοῦ· πλὴν καὶ τρίγωνον ὅ ἐστι μεταξύ· τὸν δ' ἐν τῇ κεφαλῇ ἀστέρα κοινὸν ἔχει τῷ τῆς κοιλίας τοῦ ἵππου· ὁ δὲ Ἄρατος

Τῇ δ' ἄρα δαιμονίη προκυλίνδεται, οὐ μάλα πολλὴ
Νυκτὶ φαινομένη παμμηνίδι Κασσιέπεια.

Καὶ μετ' ὀλίγον·

Αὐτοῦ γὰρ κἀκεῖνο κυλίνδεται αἰνὸν ἄγαλμα
Ἀνδρομέδης, ὑπὸ μητρὶ κεκασμένον. ——

Καὶ πάλιν,

—— ξυνὸς δ' ἐπιλάμπεται ἀστὴρ
Τῆς μὲν ἐπ' ὀμφαλίῳ, τῆς δ' ἐσχατόωντι καρήνῳ.

Καὶ πάλιν ἐπὶ τοῦ κριοῦ·

—— ζώνη δ' ἂν ὅμως ἐπιτεκμήραιο
Ἀνδρομέδης· ὀλίγον γὰρ ὑπ' αὐτὴν ἐστήρικται.

Ex quo maximè quod volumus efficitur. Nam uterque in eo lapſus eſt. ſiquidem *Ingeniculus* ſiniſtrum pedem, non dextrum habet ſupra draconis caput. Coronam ait Eudoxus ſub dorſo *Ingeniculi* ſitam eſſe. ſic Aratus;

Dorſo quidem Corona vicina eſt. caput verò ſummum
Obſerva juxta caput Serpentarii.

de quibus & Eudoxus ait: *Prope hujus caput eſt Ophiuchi caput.* De Helice.

De ſitu majoris urſæ Eudoxus ità ſcribit: *Porrò ſub urſæ majoris capite poſiti ſunt Gemini. ſub pedibus verò poſterioribus, Leo. ante pedes anteriores urſæ, ſtella eſt. ſplendidior tamen alia ſub poſterioribus genibus. item alia ſub poſterioribus pedibus.* Aratus quoque;

Capiti verò ipſius Gemini. mediæ verò Cancer ſubeſt.
At pedibus ſub ambobus leo clarè fulget.

de ſtellis autem, quas diximus;

Talis ei ante pedes fertur claráque magnáque;
Una ſub humeris: una item à lumbo deſcendentibus:
Alia poſterioribus ſub genibus.

De Auriga ſcribit Eudoxus: *Ex adverſo capitis majoris urſæ Heniochi ſunt humeri: qui quidem obliquè ſitus eſt, dextrum pedem porrigens ſupra pedes Geminorum, communem ei, quæ eſt in extremo ſiniſtro cornu Tauri.* Aratus quoque, Heniocho.

—— *Helices verò ei ſummum caput*
Ex adverſo volvitur.

Item:

—— *Siniſtri autem cornu ſummitatem,*
Et pedem dextrum adjacentem Aurigæ
Unica ſtella occupat.

De Cepheo ait Eudoxus: *Sub cauda minoris urſæ pedes ſunt Cephei, ad extremam caudam triangulum æquilaterum facientes. medium ipſius ad flexum eſt ſerpentis, qui per urſas tranſit.* Aratus verò, Cepheo.

Tanta ei menſura ab extrema tenditur caudâ
In pedes ambos, quanta à pede in pedem tendit.
Ceterùm à cingulo reſpicere poteris,
Primum petens flexum magni draconis.

Uterque majori ex parte fallitur. Nam intervallum inter pedes Cephei minus eſt alterutro ad caudam intervallo.

Rurſus de Caſſiepea ſic Eudoxus; *Ante Cepheum ſita eſt Caſſiepea. ante hanc Andromeda: cujus ſiniſter humerus ſupra borealem piſcem poſitus eſt: cingulum ſupra Arietem: niſi quòd triangulum interjacet. ſtella autem, quam habet in capite, communis ei eſt cum ea, quæ eſt in ventre equi:* At Aratus; Caſſiopea.

Huic autem infelix advolvitur, non admodum multùm
Nocte lucens plenilunari Caſſiepea.

Et paullò pòſt;

Ibi namque & illud volvitur triſte ſimulacrum
Andromedæ, ſub matre conſtellatum.

Item:

—— *communis autem fulget ſtella;*
Hujus quidem in umbilico: illius verò in extremo capite.

Ac rurſus de Ariete:

—— *Verumtamen per cingulum deprehendere poteris*
Andromedam. haud longè enim ſub ipſum ſitus eſt.

Item;

Dextro namque genu nixus, diverſaque tendens
Brachia.

Imò etiam ad θέσιν accommodari poterat, ut dextro nixus genu, ſiniſtrum ejus ad caput Draconis porrigeret. Arati Scholiaſtes Græcus hoc errore animadverſo perperam excuſare conatus eſt Poëtam. Nam δεξιτερῷ retulit non ad ποδὸς, ſed ad Draconem; qui dexterior, id eſt Borealior appelletur; quoniam ſi ad occidentem vertamus aſpectum; polus arcticus ad dextram nobis erit. Sed nugæ ſunt. Vera quippe ſententia claret ex Eudoxo: quam Hyginus ab Hipparcho monitus emendavit lib. II cap. de Engonaſin. Tametſi non tam error, quàm ἀμάρτημα fuit hoc Eudoxi: uti Num. VII docet Hipparchus.

Pars III.

Item:

Porrò Andromedæ humerus ſiniſter Piſcis eſto
Index borealioris. admodum namque ei vicinus eſt.

Perſeo. De Perſeo verò ita quidem Eudoxus: *Secundùm pedes Andromedæ Perſei ſunt humeri, qui dextram ad Caſſiepeam porrigit; ſiniſtrum verò genu ad Vergilias.* Aratus autem de Andromeda:

*Ambo verò pedes in ſponſo * voluuntur*
Perſeo: qui quidem ei ſemper in humeris feruntur.

*al. *indicare poterunt.*

Rurſus:

Atque ei dextera quidem ad lectictum protenſa eſt.
Soceri ſella.

Ac paucis interjectis,

At ei prope ſiniſtrum genu acervatim omnes
Pleiades feruntur; nec valdè magnus omnes
Locus continet.

Cygno. De Avi ſic Eudoxus: *Ad dextram Cephei ſita eſt Avis ala dextra: ad ſiniſtram alam pedes Equi ſunt.* Aratus quoque de Avi ſic cecinit:

——— Ad dextram manum
Cephei, penna dextras extremitates porrigens:
Siniſtra verò ala ungula acclinata eſt Equi.

Sed cùm & alia non pauca ſint, quæ ab Arato velut exſcripta videntur, nobis, ne ſimus longiores, hæc pauca ſufficient.

III. Eudoxus ſtellarum diſputationem orſus eſt à borealibus. Præterea vel aſtrorum ipſa diſtributio ſatis id quod volumus oſtendit. Nam Eudoxus, quemadmodum & Aratus, primùm illa, quæ zodiaco ſunt ad ſeptentriones poſita, memoravit. quibus ad auſtrum ſita ſubjecit. Sic ortus, occaſuſque ceterorum aſteriſmorum cum duodecim imaginibus zodiaci, eodem, quo Eudoxus, modo percenſuit Aratus. De ſtellis autem, quæ in æſtivo, & hiberno tropico, nec non quæ in æquinoctiali feruntur; Eudoxus quidem ita ſcribit: *In eo verò Cancri media ſunt: &, quæ medium leonem ſecundùm longitudinem permeant. Paullò verò ſupra Virginem & cervix adhærentis ſerpentis: ac dextra manus Ingeniculi; & caput Ophiuchi; cervix Cygni; & ala ſiniſtra; Equi pedes: tum dextra manus Andromedæ, & quod inter pedes eſt Perſei: humerus ejus ſiniſter; crus ſiniſtrum. item Aurigæ genua; & capita Geminorum. deinde concurrit cum medio Cancri.* Aratus autem ab extremis initio ducto, ita loquitur;

In eo autem ambo capita Geminorum feruntur.
In eo etiam genua ſita ſunt aptati Aurigæ.
Læva item tibia, & ſiniſter humerus in eo
Perſei: Andromedæ autem mediam, ſupra cubitum,
Dexteram continet. et quidem vola supernè poſita eſt
Propius aquilonem; ad auſtrum verò inclinatus eſt cubitus.
Ungula verò equinæ, & collum Cygnæum,
Summo cum capite clarique Anguiferi humeri.

& cetera. De hiberno quoque tropico ſic Eudoxus. *Eſt autem in ipſo medium Capricorni, & Aquarii pedes, ac Ceti cauda; flexus Amnis; Lepus, Canis pedes, & cauda; puppis Argus, & malus; Centauri tergum, atque pectus; fera; ſcorpii aculeus. Deinde per ſagittarium cum Capricorni medio committitur.* At Aratus:

Alius autem in oppoſito auſtro medium Capricornum
Secat, & pedes Aquarii, & Ceti caudam.
Ineſt quoque ei Lepus. ceterùm Canis non valdè magnam partem
Aufert; ſed quantum occupat pedibus. Ineſt item ei Argo,
Et magnum Centauri interſcapilium. ineſt etiam aculeus
Scorpii, & arcus lucidi Sagittarii.

Eodem modo & illa imitando tranſtulit Aratus, quæ ſunt in æquinoctiali ſita circulo.

Præter hæc verò, mundi ſitum eumdem cum Eudoxo conſtituit Aratus. Nam Eudoxus in eo libro, quem ἔνοπτρον inſcripſit, tropicum ita ſecari docet, ut ea ſit ratio ſegmentorum inter ſe, quæ eſt 5 ad 3.

Καὶ ἔτι·

Ἀνδρομέδης δέ τοι ὦμος ἀριστερὸς ἰχθύος ἔστω
Σῆμα βορειοτέρου· μάλα γάρ νύ οἱ ἐγγύθεν ἐστίν.

Ἐπὶ δὲ τοῦ Περσέως ὁ μὲν Εὔδοξος οὕτως λέγει· παρὰ δὲ τοὺς πόδας τῆς Ἀνδρομέδας ὁ Περσεὺς ἔχει τοὺς ὤμους, τὴν δεξιὰν χεῖρα πρὸς τὴν Κασσιέπειαν ἀποτείνων· τὸ δὲ ἀριστερὸν γόνυ πρὸς τὰς πλειάδας. ὁ δὲ Ἄρατος περὶ τῆς Ἀνδρομέδας φησίν·

Ἀμφότεροι δὲ πόδες γαμβροῦ * ἐπιδινεύονται
Περσέος· οἵ ῥά οἱ αἰὲν ἐπωμάδιοι φορέονται.

* Vulgò ἐπισημαίνονται, ut & in Regio.

Καὶ πάλιν·

Καὶ οἱ δεξιτερὴ μὲν ἐπὶ κλισμὸν τετάνυσται
Πενθερίου δίφροιο.

Καὶ μετ' ὀλίγον.

Ἄγχι δέ οἱ σκαιῆς ἐπιγουνίδος ἤλιθα πᾶσαι
Πληϊάδες φορέονται· ὁ δ' οὐ μάλα πολλὸς ἁπάσας. *

* Addendum videtur, χῶρος ἔχει.

Ἐπὶ δὲ τοῦ ὄρνιθος ὁ μὲν Εὔδοξος· παρὰ δὲ τὴν δεξιὰν χεῖρα τοῦ Κηφέως ἡ δεξιὰ πτέρυξ ἐστὶ τοῦ ὄρνιθος· παρὰ δὲ τὴν ἀριστερὰν πτέρυγα οἱ πόδες τοῦ ἵππου. ὁ δὲ Ἄρατος φησὶν ἐπὶ τοῦ ὄρνιθος·

——— ἐπὶ δεξιὰ χειρὸς
Κηφείης ταρσοῖο τὰ δεξιὰ πείρατα φαίνων·
Λαιῇ δὲ πτέρυγι σκαρθμοὶ παρακέκλινται ἵππου.

καὶ ἄλλων δὲ πλειόνων ὄντων, ἅπερ ἂν δόξειεν οἱονεὶ μεταγεγράφθαι, ἀρκεῖ καὶ ταῦτα, χάριν τοῦ μὴ μηκύνειν.

Χωρὶς δὲ τούτων, καὶ ἡ διαίρεσις τῶν ἄστρων φανερὸν ποιεῖ τὸ προκείμενον. καὶ γὰρ Εὔδοξος, ὡς καὶ ὁ Ἄρατος, πρῶτον ἀναγράφει τὰ βορειότερα ἄστρα τοῦ ζωδιακοῦ· ἔπειτα οὕτως τὰ νοτιώτερα. καὶ τὰς συνανατολὰς δὲ, καὶ συγκαταδύσεις τοῖς ιβ' ζωδίοις τῶν ἄλλων ἄστρων ὁμοίως πεποίηκεν ὁ Ἄρατος τῷ Εὐδόξῳ. περὶ δὲ τῶν ἀστέρων τῶν ἐπὶ τοῦ θερινοῦ, καὶ χειμερινοῦ τροπικοῦ φερομένων ἔτι δὲ ἐπὶ τοῦ ἰσημερινοῦ· ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν ἐπὶ τοῦ θερινοῦ οὕτως· ἔστι δὲ ἐν τούτῳ τὰ μέσα τοῦ καρκίνου, καὶ τὰ διὰ τοῦ σώματος κατὰ μῆκος τοῦ λέοντος. τὰ δὲ παρθένου μικρὸν ἄνωθεν, καὶ ὁ αὐχὴν τοῦ ἐχομένου ὄφεως, καὶ ἡ δεξιὰ χεὶρ τοῦ ἐν γόνασι, καὶ ἡ κεφαλὴ τοῦ Ὀφιούχου, καὶ ὁ αὐχὴν τοῦ ὄρνιθος, καὶ ἡ ἀριστερὰ πτέρυξ, καὶ οἱ τοῦ ἵππου πόδες· ἔτι δὲ καὶ ἡ δεξιὰ χεὶρ τῆς Ἀνδρομέδας, καὶ τὸ μεταξὺ τῶν ποδῶν τοῦ Περσέως, καὶ ὁ ἀριστερὸς ὦμος, καὶ ἡ ἀριστερὰ κνήμη· ἔτι δὲ τὰ γόνατα τὰ τοῦ Ἡνιόχου, καὶ αἱ κεφαλαὶ τῶν διδύμων· εἶτα συμπίπτει πρὸς τὰ μέσα τοῦ καρκίνου. ὁ δὲ Ἄρατος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἀρξάμενος, φησίν·

Ἐν δέ οἱ ἀμφότεραι κεφαλαὶ διδύμων φορέονται.
Ἐν δὲ τὰ γούνατα κεῖται ἀρηρότος Ἡνιόχοιο.
Λαιὴ δὲ κνήμη, καὶ ἀριστερὸς ὦμος ἐπ' αὐτῷ
Περσέος. Ἀνδρομέδης δὲ μέσην ἀγκῶνος ὕπερθεν
Δεξιτερὴν ἐπέχει· τὸ μὲν οἱ θέναρ ὑψόθι κεῖται
Ἀσσότερον βορέαο· νότῳ δ' ἐπικέκλιται ἀγκών.
Ὁπλαὶ δ' ἵππειοι, καὶ ἐπαυχένιον ὀρνίθειον,
Ἄκρῃ σὺν κεφαλῇ, καλοί τ' Ὀφιούχεοι ὦμοι.

καὶ τὰ ἑξῆς. ἐπὶ δὲ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν οὕτως. ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ τὰ μέσα τοῦ αἰγόκερω, καὶ οἱ πόδες τοῦ ὑδροχόου, καὶ τοῦ κήτους ἡ οὐρά, καὶ τοῦ ποταμοῦ ἡ καμπή, καὶ ὁ λαγωός, καὶ τοῦ κυνὸς οἱ πόδες, καὶ ἡ οὐρά, καὶ τῆς Ἀργοῦς ἡ πρύμνα, καὶ ὁ ἱστός, καὶ τοῦ Κενταύρου ὁ νῶτος, καὶ τὰ στήθη, καὶ τὸ θηρίον, καὶ τοῦ σκορπίου τὸ κέντρον· εἶτα διὰ τοῦ τοξότου πρὸς τὰ μέσα τοῦ αἰγόκερω συνάπτει. ὁ δὲ Ἄρατος φησὶν οὕτως·

Ἄλλος δ' ἀντιόωντι νότῳ μέσον αἰγοκερῆα
Τέμνει, καὶ πόδας ὑδροχόου, καὶ κήτεος οὐρήν.
Ἐν δέ οἱ ἐστὶ λαγωός· ἀτὰρ κυνὸς οὐ μάλα πολλὴν
Αἴνυται, ἀλλ' ὁπόσην ἐπέχει ποσίν. ἐν δέ οἱ Ἀργώ,
Καὶ μέγα Κενταύροιο μετάφρενον. ἐν δέ τε κέντρον
Σκορπίου, ἐν καὶ τόξον ἀγαυοῦ τοξευτῆρος.

ὁμοίως δὲ τούτοις μεταγέγραφεν ὁ Ἄρατος, καὶ τὰ ἐπὶ τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου κείμενα.

Χωρὶς δὲ τούτων, καὶ τὸ κλίμα τοῦ κόσμου * τῷ Εὐδόξῳ ὑποτίθεται ὁ Ἄρατος. καὶ γὰρ ὁ Εὔδοξος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ἐνόπτρῳ τὸν τροπικὸν τέμνεσθαί φησιν οὕτως, ὥστε λόγον ἔχειν τὰ τμήματα πρὸς ἄλληλα τὸν αὐτόν, οἷον ἔχει τὰ ε' πρὸς τὰ γ'.

* In Reg. τοῦτο Εὐδ. an τὸ αὐτὸ τῷ;

Ὅτι μὲν οὖν Εὐδόξῳ ἐπηκολουθήκως ὁ Ἄρατος συντέταχε τὰ Φαινόμενα, ἱκανῶς οἶμαι δεικνῦσθαι διὰ τῶν προειρημένων. ἐν οἷς δὲ διαπίπτουσιν ἀμφότεροι, καὶ οἱ συνεπιγραφόμενοι αὐτοῖς, ὧν ἐστι καὶ ὁ Ἄτταλος, νῦν ὑποδείξομεν. ἐπιθησόμεθα δὲ ἑξῆς καὶ ἐν οἷς ἰδίᾳ ἕκαστος αὐτῶν διαμαρτάνει. προληπτέον δὲ διότι Ἄτταλος πᾶσι σχεδὸν τοῖς ὑπὸ τοῦ Ἀράτου λεγομένοις περὶ τῶν οὐρανίων συνεπιγράφεται, ὡς συμφώνως τοῖς φαινομένοις ὑπ᾽ αὐτοῦ λεγομένοις, πλὴν ἐφ᾽ ἑνὸς καὶ δευτέρου· ἃ δὴ καὶ ὑποδείξομεν ἐν τοῖς ἐφεξῆς. λέγει γοῦν ἐν τῷ προοιμίῳ τὸν τρόπον τοῦτον. διὸ δὴ τό τε τοῦ Ἀράτου βιβλίον ἐξαπεστάλκαμέν σοι διωρθωμένον ὑφ᾽ ἡμῶν, καὶ τὴν ἐξήγησιν αὐτοῦ, τοῖς τε φαινομένοις ἕκαστα σύμφωνα ποιήσαντες, καὶ τοῖς ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ γεγραμμένοις ἀκόλουθα. καὶ πάλιν ἑξῆς φησι. τάχα δέ τινες ἐπιζητήσουσι τίνι λόγῳ πεισθέντες φαμὲν ἀκολούθως τῇ τοῦ ποιητοῦ προαιρέσει τὴν διόρθωσιν τοῦ βιβλίου πεποιῆσθαι. ἡμεῖς δὲ ἀναγκαιοτάτην αἰτίαν ἀποδίδομεν τὴν τοῦ ποιητοῦ συμφωνίαν. τοιαύτην οὖν ἔχοντος τοῦ Ἀττάλου τὴν διάληψιν, ὅσα ἂν ἀποδεικνύωμεν τῶν ὑπὸ τοῦ Ἀράτου καὶ Εὐδόξου κοινῶς λεγομένων διαφωνοῦντα πρὸς τὰ Φαινόμενα, δεῖ διαλαμβάνειν καὶ τὸν Ἄτταλον περὶ τῶν αὐτῶν διημαρτημένως συναποφαινόμενον.

Aratum igitur Eudoxo in omnibus aſſentientem phænomena ſua conſcripſiſſe, ſatis me arbitror hactenus oſtendiſſe. Nunc ea demonſtrabimus, in quibus tam aberrarunt iidem ambo, quàm qui illis ſubſcripſerunt: è quibus eſt Attalus. quibus ea deinceps adjiciemus, quæ privatim ab unoquoque peccata ſunt. ſed illud antea cogitandum eſt; Attalum omnibus ferè, quæ ab Arato cœleſtibus de rebus prodita ſunt, aſſentiri, tamquam rectè, & congruenter iis, quæ apparent, explicata fuerint; ſi unum, vel alterum excipias, de quibus poſtea dicetur. Sic igitur in prœmio loquitur Attalus: *Propterea nos Arati librum ad te miſimus emendatum à nobis, unà cum illius interpretatione, adeo ut & apparentiis conſentanea; & cum Poeta narratione congruentia ſingula faceremus* Idem deinceps ad eum modum ſcribit: *Quæreat aliqui fortaſſe qua ratione freti dixerimus, conſentaneè Poetæ propoſito libri nos illius emendationem inſtituiſſe. Hujus verò cauſſam nos præcipuam adducimus, Poëtæ conſenſionem* Cùm hæc Attali ſententia ſit, quæcumque ab Arato, vel Eudoxo communiter dicta minimè cum apparentiis convenire demonſtrabimus, eadem ab Attalo quoque putandum ſcripta eſſe mendosè.

IV. Attalus Arati interpres notatus.

³ Πρῶτον μὲν οὖν ὁ Ἄρατος ἀγνοεῖν μοι δοκεῖ τὸ ἔγκλιμα τοῦ κόσμου, νομίζων ἐν τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις τοιοῦτον εἶναι, ὥστε τὴν μεγίστην ἡμέραν λόγον ἔχειν πρὸς τὴν ἐλαχίστην τὸν αὐτὸν, ὃν ἔχει τὰ ε΄ πρὸς τὰ γ΄. λέγει γὰρ ἐπὶ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ·

Τοῦ μὲν ὅσον τε μάλιστα δι᾽ ὀκτὼ μετρηθέντος
Πέντε μὲν ἔνδια στρέφεται, καὶ ὑπέρτερα γαίης·
Τὰ τρία δ᾽ ἐν περάτῃ.

Primùm igitur Aratus in mundi ſitu aberraſſe videtur: qui ejuſmodi illum eſſe putat in Græcia, ut maxima dies eam ad minimam rationem habeat, quam quinque habent ad tria. Nam de æſtivo tropico ſic loquitur:

V. Aratus in Græciæ ſitu aberravit, ut & alii.

Hoc ſanè, quantus quantus eſt, in octo partes diviſo,
Quinque quidem volvuntur ſupra terram:
Tres autem infra.

Συμφωνεῖται δὲ διότι ἐν μὲν τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις ὁ γνώμων λόγον ἔχει πρὸς τὴν ἰσημερινὴν σκιὰν, ὃν ἔχει τὰ τέσσαρα πρὸς τὰ τρία. ἐπεὶ δὴ τοίνυν ἡ μεγίστη ἡμέρα ἐστὶν ὡρῶν ἰσημερινῶν ιδ΄, καὶ γ΄ ἔγγιστα πεμπτημορίων. τὸ δὲ ἔξαρμα τοῦ πόλου μοιρῶν λζ΄, ὡς ἔγγιστα. ὅπου δὲ ἡ μεγίστη ἡμέρα λόγον ἔχει πρὸς τὴν ἐλαχίστην, ὃν ἔχει τὰ ε΄ πρὸς τὰ γ΄, ἐκεῖ ἡ μὲν μεγίστη ἡμέρα ἐστὶν ὡρῶν ιε΄· τὸ δὲ ἔξαρμα τοῦ πόλου μοι. μα΄ ὡς ἔγγιστα. δῆλον τοίνυν ὅτι οὐ δυνατὸν ἐν τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τὸν προειρημένον εἶναι λόγον τῆς μεγίστης ἡμέρας πρὸς τὴν ἐλαχίστην, ἀλλὰ μᾶλλον ἐν τοῖς περὶ τὸν Ἑλλήσποντον τόποις. καίτοι γε ὁ μὲν Ἄρατος οὐκ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ κρίσιν περὶ τῶν τοιούτων προφερόμενος, γέγραφεν, ἀλλὰ τῷ Εὐδόξῳ καὶ περὶ τούτου κατηκολουθηκώς. εἰ δὲ καὶ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ γέγραφεν, οὐ διασαφήσας ἐν τίσιν ἐστὶν ἡ προειρημένη ἔγκλισις τοῦ κόσμου, τάχα ἂν κατά γε τοῦτο διακρίνοιτο τὸ ἔγκλημα. ὁ μέντοι γε Ἄτταλος ὁμολογουμένως ἠγνόει, λέγων ἐν τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις τὴν μεγίστην ἡμέραν πρὸς τὴν ἐλαχίστην λόγον ἔχειν, ὃν τὰ ε΄ πρὸς τὰ γ΄. προενθέμενος γὰρ τὰ ἐπὶ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ ποιήματα, ἐπιφέρεται ταυτί· διὰ δὲ τούτου φανερὸν ποιεῖ, διότι τὴν ὅλην πραγματείαν ἐν τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις πεποίηται. παρ᾽ ἐκείνοις γάρ ἐστιν ἡ μακροτάτη ἡμέρα πρὸς τὴν μικροτάτην νύκτα, ὡς τὰ ε΄ πρὸς τὰ γ΄.

Eſt autem apud omnes in confeſſo, in Græciæ tractu, gnomonem hanc ad æquinoctialem umbram proportionem habere, quæ eſt quatuor ad tria. Quare ibidem maxima dies horarum eſt æquinoctialium 14, & 36′ circiter. Poli autem altitudo partium eſt ferè 37. At ubi maximæ diei ratio ad breviſſimam ejuſmodi eſt, qualis eſt 5 ad 3, ibi & dies maxima horarum eſt 15, & polus gradibus 41 circiter attollitur. Apparet ergo fieri non poſſe, ut in Græcia ratio illa ſit maximæ diei ad minimam: ſed potiùs id in Helleſponti tractu contingere. Quamquam non ex ſuopte judicio iis de rebus pronuncians iſta ſcripſit Aratus; ſed in illis etiam imitatus Eudoxum. Quòd ſi judicium ipſe ſuum interpoſuerit; tamen cùm id non expreſſerit, quibuſnam regionibus talem cœli poſitum attribuerit, hac ratione culpam à ſe deprecari videtur. Attalus verò citra controverſiam caſtigatione dignus eſt, qui disertè ſcribit in Græcia ejuſmodi eſſe maximæ diei rationem ad minimam, quam habent 5 ad 3. Poſtquam enim Arati carmina de æſtivo tropico adduxit in medium; ſtatim iſta ſubjecit: *In hoc verò perſpicuè declarat ſe totum id operis in Græciæ regionibus elucubraſſe. Nam apud illos ea ratio eſt longiſſima diei ad breviſſimam noctem, quæ eſt 5 ad 3.*

Attali error in eadem re.

Ἔτι δὲ μᾶλλον θαυμάσειεν ἄν τις πῶς ποτε οὐκ ἐπέστησεν τοῦ Εὐδόξου ἐν τῷ ἑτέρῳ συντάγματι διαφόρως ἐκθεμένου, καὶ γράφοντος, ὅτι τὸ ὑπὲρ γῆν τοῦ τροπικοῦ τμῆμα πρὸς τὸ ὑπὸ γῆν λόγον ἔχει, ὃν τὰ ιβ΄ πρὸς τὰ ζ΄. ὁμοίως δὲ τούτῳ καὶ τῶν περὶ Φίλιππον ἀναγραφόντων, καὶ ἄλλων πλειόνων. πλὴν ἐπισυντετύχασι μὲν τὰς συνανατολάς τε, καὶ συγκαταδύσεις τῶν ἄστρων, ὡς ἐν τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις τετηρημένων· κατὰ δὲ τὸ ἔγκλιμα τῶν τόπων τούτων διημαρτήκασι, * παραπέμψαντες τοῦτο τὸ ἀγνόημα, τὴν ὅλην αὐτῶν σύνταξιν ἐπεσκεψάμεθα πρὸς τὴν ἐν τῇ Ἑλλάδι ἐξετάζοντα. οὐδὲ γὰρ φιλαλήθους, ἀλλὰ κενοσπούδου, τὸ κατὰ πάντα μαχόμενον τῇ διεψευσμένῃ ὑποθέσει ἐπιλαμβάνεσθαι αὐτῶν, κἂν τύχῃ συμφώνως λεγόμενα τοῖς ἐν τῇ Ἑλλάδι φαινομένοις. ὑποκείσθω δὲ ἡμῖν ὁρίζων πρὸς τὴν ἐπίσκεψιν ὁ ἐν Ἀθήναις· οὗ ἐστιν ἡ μεγίστη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ιδ΄ καὶ γ΄ πεμπτημορίων. τὸ δὲ ἔξαρμα τοῦ πόλου περὶ μοι. λζ΄.

* Deeſt aliquot. puta ἡμεῖς [illegible]

Quin illud auget admirationem, quòd Eudoxum alio in libro longè aliter ſcripſiſſe non animadverterit, aſſerentem ſegmentum illud tropici, quod ſupra terram eſt, ad alterum, quod ſub terra conditur, eam rationem habere quæ eſt 12 ad 7. Cui conſentanea Philippus, & complures alii ſcripſerunt, & nihilominus coortus, & coocaſus ſiderum ita perſcripſerunt, tamquam ipſos in Græciæ provinciis obſervaſſent. Ita in loci hujus inclinatione fugit illos ratio. Nos autem hoc illorum errore prætermiſſo, totam eorum lucubrationem ad Græciæ horizontem exegimus. Non enim veritatis amantem, ſed inaniter curioſum decet in falſa illorum hypotheſi convincenda, & iis ipſis reprehendendis totum immorari: ſed ſi ad obſervationes factas in Græcia accommodari queant * * * * Adhibeatur igitur ad eam conſiderationem horizon Athenarum; ubi maxima dies eſt horarum 14, 36′: altitudo verò poli graduum 37.

Eudoxi, Philippi, & aliorum in re ſimili lapſus.

⁴ Περὶ μὲν οὖν τοῦ βορείου πόλου Εὔδοξος ἀγνοεῖ λέγων οὕτως· ἔστι δέ τις ἀστὴρ μένων ἀεὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον. οὗτος δὲ ὁ ἀστὴρ πόλος ἐστὶ τοῦ κόσμου. ἐπὶ γὰρ τοῦ πόλου οὐδὲ εἷς ἀστὴρ κεῖται, ἀλλὰ κενός ἐστι τόπος, ᾧ παράκεινται τρεῖς ἀστέρες, μεθ᾽ ὧν τὸ σημεῖον τὸ κατὰ τὸν πόλον τετράγωνον ἔγγιστα σχῆμα περιέχει· καθάπερ καὶ Πυθέας φησὶν ὁ Μασσαλιώτης.

Ac de boreali polo falſus eſt Eudoxus, dum ſic ſcribit: *Eſt verò ſtella quædam, in eodem ſemper conſiſtens loco quæ quidem polus eſt mundi.* Nam in polo ipſo ſtella nulla ſita eſt: ſed vacuus eſt locus, cui ſtellæ tres adjacent: quibuſcum punctum ipſum poli quadrangulam circiter figuram efficit: ut & Pytheas Maſſilienſis ait.

Secun-

3 Πρῶτον μὲν οὖν] De hoc loco conſule caput V libri tertii, ubi tereret illos aſtronomos, quos Hipparchus redarguit, ab errore vindicamus. Apud Theonem in Scholiis ad illos Arati verſus mendoſa verba ſic corriges, ubi de diei magnitudine, ac poli elevatione loquitur. καὶ ὁ πόλος ἐξῆρται μοι. λζ΄, pro eo quod legitur μέσος.

4 Περὶ μὲν οὖν τοῦ βορείου πόλου.] Adi eundem librum V.

VI. Secundùm hæc par omnium error in Draconis conſtituendo ſitu: cujus flexum exiſtimant circa minoris Urſæ caput fieri. Etenim lucidiſſimæ, antecedentéſque ſtellarum, quæ ſunt in illius laterculo, quarum altera borealior ſecundùm illos ſupra caput ipſius eſt; altera auſtralior in anterioribus pedibus; parallelæ ſunt circiter caudæ Draconis. Falsò igitur hæc ſcripta ſunt,

In ſpira autem Cynoſura caput habet. hæc verò circa ipſum
Volvitur caput.

Arati error in Dracone. quibus ſimilia ſcripſit Eudoxus. Sed peculiaris Arati de Dracone eſt inſcitiæ lapſus. primùm quod ab utraque ſpiræ parte collocavit Urſas. ſunt enim utrimque, non ſpira interjecta, ſed cauda. Nam cùm obverſæ ſint, ac velut parallelæ, Draconis cauda ambas inter in longum porrigitur. at ſpira minorem Urſam amplexatur: à majore ſejungitur. Ob eamdem quoque cauſſam etiam iſtud, *circumque fractus*, perperam dicitur. Tum id enim verum eſſet, ſi ab utraque ſpiræ parte collocarentur Urſæ. Præterea de Dracone falsò & illud ab Arato ſcribitur:

Obliquo verò eſt capite: inclinanti verò ſe prorſus ſimile eſt
Extremam ad Helices caudam. admodum verò in directo eſt
Et os, & temporis dextra pars extremæ caudæ.

Non enim dextrum tempus, ſed ſiniſtrum majoris Urſæ in directo eſt ad linguam ſerpentis extremam. Nam quod Attalus aſſerit, in contraria verſum à Poëta fingi caput Draconis, nec ad mundi interiora converſum, nullo modo probabile eſt. Etenim ſidera omnia ad aſpectum noſtrum conformata, & ad nos converſa ſunt; quæcumque illic figurâ certâ delineantur. quod Aratus ipſe non uno loco ſignificat. Nam ubicumque dextram, aut ſiniſtram partem imaginis exprimit, cum eo ipſo, quod poſuimus, conſentit. præterquàm quód commentitia, & ad rem de induſtria conficta iſta ratio videtur. Quin ad eumdem etiam errorem convincendum pertinet quod de ſiniſtro pede Ingeniculi ſcripſit: de quo in ſequentibus agetur.

Jam quod ad ſitum capitis Draconis ſpectat, Eudoxus, & Aratus in eo conſtituendo bellè cum apparentiis congruunt: ſolus diſſentit Attalus. Aratus enim Eudoxi veſtigia ſecutus in apparente ſemper circulo cerni illud aſſeverat his verbis:

Attali error in ſitu capitis Draconis.

Illud fermè caput hâc natat, ubi extremi
Miſcentur occaſúſque, & ortus invicem.

Attalus verò paullò ait auſtralius id eſſe ſemper apparente circulo: adeo ut modico tempore ſub horizonte deliteſcat. In quo falli Attalum hæc ratio perſuadet. Nam ſtella, quæ in extremo eſt ore Draconis, abeſt à polo partibus 34, 36′. auſtralis autem ejuſdem oculus partibus 35. auſtrale tempus partibus 37. at circulus ſemper apparens Athenis, & gnomon ſeſquitertius eſt æquinoctialis umbræ, & à polo partibus abeſt 37. Conſtat igitur ſemper in apparente cœli regione ferri Draconis caput, ejúſque ſiniſtrum tempus dumtaxat in illa ſitum eſſe: neque, ut Attalo placet, auſtralius eſſe, ac brevi tempore occidere ſimul, & oriri.

VII. De Ingeniculo error Eudoxi, & Arati. Porrò Eudoxus, & Aratus de Ingeniculo non ignoraſſe mihi, ſed inſuper habuiſſe videntur, cùm dicunt dextrum illius pedem in medio capite Draconis eſſe poſitum. Attalus verò, præter mentem Poëtæ mihi videtur hemiſtichium hoc modo tranſpoſuiſſe.

—— medium verò ſupra caput;

& caput Draconis extra mundum verti fingere: ut dextra ipſa pars capitis ad pedem ſita ſit. Quippe conſtellationes omnes in interiora mundi converſæ ponuntur ab omnibus, adeóque ab Arato: cujus in libris omnibus ita legitur:

—— Medio verò ſuper capite
Dextri pedis extremum habet tortuoſi Draconis.

Præterea cùm Ingeniculi figuram, ac ſitum explicare nobis Aratus cuperet, meritò ſignificare debuit, uter pes ejus capiti Draconis incumberet. Non enim alia de cauſſa capitis Draconis mentionem injicit; niſi ut eo modo In-

Ἐχομένως δὲ καὶ διαμαρτάνουσι πάντες ἐν τῇ τοῦ δράκοντος θέσει, ὑπολαμβάνοντες τὴν καμπὴν αὐτοῦ γίνεσθαι περὶ τὴν κεφαλὴν τῆς μικρᾶς ἄρκτου. οἱ γὰρ λαμπρότατοι καὶ ἡγούμενοι τῶν ἐν τῷ πλινθίῳ ταύτης ἀστέρων, ὧν ὁ μὲν βορειότερός ἐστι * κατὰ τὸ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ὁ δὲ νοτιώτερος ἐπὶ τῶν ἐμπροσθίων ποδῶν, παράλληλοι ἔγγιστα κεῖνται τῇ οὐρᾷ τοῦ δράκοντος. ψευδῶς οὖν ἐστι τό * Cor. κατ᾽ αὐτούς.

Σπείρῃ δ᾽ ἐν Κυνόσουρα κάρη ἔχει· ἡ δὲ κατ᾽ αὐτὴν
Εἰλεῖται κεφαλήν.

ὁμοίως δὲ καὶ ὁ Εὔδοξος γράφει. ἰδίᾳ δὲ ὁ Ἄρατος ἐπὶ τοῦ δράκοντος ἀγνοεῖ. πρῶτον μὲν τῷ φάσκειν σπείρης ἑκάτερθε φέρεσθαι τὰς ἄρκτους. τῇ γὰρ οὐρᾷ ἑκατέρωθέν εἰσιν, καὶ οὐ τῇ σπείρῃ. ἀντεστραμμένων γὰρ αὐτῶν, καὶ ὡσανεὶ παραλλήλως κειμένων, ἡ οὐρὰ τοῦ δράκοντος μεταξὺ αὐτῶν διὰ μήκους παρατέταται· ἡ δὲ σπεῖρα τὴν μὲν μικρὰν ἄρκτον περιλαμβάνει, τῆς δὲ μεγάλης πολὺ κεχώρισται. διὰ τὴν αὐτὴν δὲ αἰτίαν καὶ τό· ἀμφὶ τ᾽ ἐαγώς, ἡμαρτημένως λέγεται. συνέβαινε γὰρ ἂν τοῦτο, εἰ ἐξ ἑκατέρου μέρους τῆς σπείρης ἀμφότεραι ἔκειντο αἱ ἄρκτοι. ἔτι δὲ ἀγνοεῖ περὶ τοῦ δράκοντος λέγων οὕτως·

Λοξὸν δ᾽ ἐστὶ κάρη· νεύοντι δὲ πάμπαν ἔοικεν
Ἄκρην εἰς Ἑλίκης οὐρήν. μάλα δ᾽ ἐστὶ κατ᾽ ἰθὺ,
Καὶ στόμα, καὶ κροτάφοιο τὸ δεξιὸν ἐσχάτῳ οὐρῇ.

οὐ γὰρ ὁ δεξιὸς κρόταφος, ἀλλ᾽ ὁ ἀριστερὸς ἐπ᾽ εὐθείας ἐστὶ τῇ γλώσσῃ τοῦ ὄφεως τῇ ἄκρᾳ τῆς μεγάλης ἄρκτου. τὸ μὲν γὰρ λέγειν ὅτι ἀντεστραμμένην τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος ὑποτίθεται, καὶ οὐχὶ εἰς τὰ ἐντὸς τοῦ κόσμου ἐπεστραμμένην, καθάπερ φησὶν ὁ Ἄτταλος, τελέως ἐστὶν ἀπίθανον. ἅπαντα γὰρ τὰ ἄστρα ἠκρίβωται πρὸς τὴν ἡμετέραν θεωρίαν, καὶ ὡς ἂν πρὸς ἡμᾶς ἐστραμμένα, * εἰ μή τι * κατάγραφον αὐτῶν ἐστι. φανερὸν δὲ τοῦτο ποιεῖ καὶ ὁ Ἄρατος διὰ παντός. ἐφ᾽ ὧν γὰρ δεξιόν, ἢ ἀριστερὸν μέρος ἄστρου διασαφεῖ, ἐπὶ πάντων συμφωνεῖ τῇ προειρημένῃ ὑποθέσει. καὶ ἄλλως δὲ πλασματώδης ἐστὶν ἡ ὑπόθεσις, καὶ ἀνηρμοσμένη. πρὸς τούτῳ τε τῷ ἀγνοήματι βοηθήσειεν καὶ τὸ περὶ τὸν ἀριστερὸν πόδα τοῦ ἐν γόνασιν, περὶ οὗ προελθόντες ἐροῦμεν.

* f. εἰ δέ.
* Rec. περιγεγράφον.

Περὶ δὲ τῆς θέσεως τῆς τοῦ δράκοντος κεφαλῆς, οἱ μὲν περὶ Εὔδοξον, καὶ Ἄρατον συμφώνως ἀποφαίνονται τοῖς φαινομένοις· ὁ δὲ Ἄτταλος διαφωνεῖ. ὁ μὲν γὰρ Ἄρατος ἀκολουθῶν τῷ Εὐδόξῳ, ἐπὶ τοῦ φανεροῦ κύκλου φησὶν αὐτὴν φαίνεσθαι, λέγων οὕτως·

* Κείνη πού κεφαλῇ τῇ νίσσεται, ἧχί περ ἄκραι
Μίσγονται δύσιές τε, καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσι.

* Scr. Κείνῃ πῃ κεφαλὴ τῇ νίσσεται.

ὁ δὲ Ἄτταλος μικρῷ νοτιωτέραν αὐτὴν εἶναί φησι τοῦ ἀεὶ φανεροῦ κύκλου· ὥστε αὐτὴν ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα βραχὺν γίνεσθαι χρόνον. ὅτι δὲ διαφωνεῖ πρὸς τὰ φαινόμενα ὁ Ἄτταλος, οὕτως ἂν ἐπιλογισθείη· ὁ μὲν γὰρ ἐν ἄκρῳ τῷ στόματι τοῦ δράκοντος ἀπέχει τοῦ πόλου μοίρας λδʹ, καὶ γʹ πεμπτημόρια· ὁ δὲ νότιος αὐτοῦ ὀφθαλμὸς μοίρας λεʹ. ὁ δὲ νότιος κρόταφος μοίρας λζʹ. ὁ δὲ ἀεὶ φανερὸς κύκλος ἐν τοῖς περὶ Ἀθήνας τόποις, καὶ ὁ γνώμων ἐπίτριτός ἐστι τῆς ἰσημερινῆς σκιᾶς, καὶ ἀπὸ τοῦ πόλου ἀπέχει περὶ μοίρας λζʹ. δῆλον οὖν ὅτι ἀεὶ ἐν τῷ φανερῷ τόπῳ φέρεται ἡ κεφαλὴ τοῦ δράκοντος, τὸν ἀριστερὸν κρόταφον μόνον ἔχουσα ἐπ᾽ αὐτοῦ· καὶ οὐχ, ὡς ὁ Ἄτταλός φησι, νοτιωτέρα οὖσα, δύνει βραχὺν χρόνον καὶ ἀνατέλλει.

Ἐπὶ δὲ τοῦ ἐν γόνασι παρεωρακέναι μοι δοκοῦσιν ὅ τε Εὔδοξος, καὶ ὁ Ἄρατος, ἀλλ᾽ οὐ διημαρτηκέναι. εἰπόντες, τὸν δεξιὸν πόδα ἐπὶ μέσης τῆς κεφαλῆς τοῦ δράκοντος κεῖσθαι· ὁ μέντοι γε Ἄτταλος παρὰ τὸ βούλημα τοῦ ποιητοῦ δοκεῖ μοι τὸ ἡμιστίχιον μετατεθεικέναι, γράφων οὕτως·

—— μέσσον δ᾽ ἐφύπερθε καρήνου·

καὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος ἔξω τοῦ κόσμου στρέφων· ἵνα γίνηται αὐτῷ τὸ δεξιὸν μέρος τῆς κεφαλῆς κατὰ τὸν πόδα. τά τε γὰρ ἄστρα πάντα εἰς τὸ ἐντὸς τοῦ κόσμου μέρος ἐπεστραμμένα, ὡς ἔφην, ἀστροθετεῖται ὑπὸ πάντων, καὶ ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ Ἀράτου, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς βιβλίοις γράφεται.

—— μέσσῳ δ᾽ ἐφύπερθε καρήνῳ
Δεξιτεροῦ ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο. *

* Deeſt δράκοντος.

Πρὸς δὲ * τοῦτο καὶ τὸν σχηματισμὸν ἡμῖν τοῦ ἐν γόνασιν, καὶ τὴν θέσιν διασαφεῖν βουλόμενος ὁ Ἄρατος εὐλόγως ἂν σημαίνοι, καὶ ποῖος αὐτοῦ ποὺς κεῖται ἐπὶ τῆς τοῦ δράκοντος κεφαλῆς. εἰ γὰρ ἄλλως παρετίθητο τὴν τοῦ δράκοντος κεφαλήν,

* f. τούτῳ.

λω, ἀλλ᾽ ἵνα τῇ θέσει τοῦ ἐν γόνασι συγκαταλαβῶμεν· ὅπερ καὶ ἐπὶ ἄλλων πλειόνων ποιεῖ. καθάπερ καὶ ἐπ᾽ αὐτοῦ τοῦ ἐν γόνασι τὰ ἄλλα αὐτοῦ μέρη φησίν·

Νώτῳ μὲν Στέφανος πελάει. κεφαλῇ γε μὲν ἄκρῃ
* Scr. Ὀφιόνα. Σκέπτεο πὰρ κεφαλὴν * Ὀφιούχεον.

καὶ ἐπὶ τῇ λύρᾳ φησί·

Γούνατι οἱ σκαιῷ πελάει.

καὶ ὡς ἐπὶ τοῦ Περσέως·

Ἄγχι δέ οἱ σκαιῆς ἐπιγουνίδος ἤλυθα πᾶσαι
Πληϊάδες φορέονται.

Καὶ πάλιν·

Καὶ οἱ δεξιτερὴ μὲν ἐπὶ κλισμὸν τετάνυσται
Πενθερίου δίφροιο.

καὶ ὡς ἐπὶ τοῦ ὄρνιθός φησιν·

—— τοῦ δεξιὰ χειρὸς
* Scr. Κηφείῳ. * Κηφείης, ταρσοῖο τὰ δεξιὰ πείρατα φαίνων.

καὶ ἐπ᾽ ἄλλων δὲ πλειόνων τὰς παρακειμένας τῶν ἄστρων διασαφῶν, σημαίνει πότερον τὰ δεξιὰ ἢ τὰ ἀριστερὰ παράκειται.

Ὅτι δὲ παρόραμά ἐστι τοῦ Εὐδόξου, καὶ τοῦ Ἀράτου τὸ περὶ τὸν πόδα, καὶ οὐχ ἁμάρτημα, δῆλον γίνεται ἐκ τῶν λοιπῶν τῶν λεγομένων ὑφ᾽ ἑκατέρου περὶ τοῦ ἐν γόνασι. περὶ μὲν γὰρ τῆς λύρας·

Καδδ᾽ ἄρ᾽ ἔθηκε, φησὶν, αὐτὴν προπάροιθεν ἀπευθέος εἰδώλοιο
Οὐρανὸν εἰσαναγών· τὸ δ᾽ ἐπὶ σκελέεσσι πέτηλον
Γούνατι οἱ σκαιῷ πελάει.

τὸ δὲ πρὸς τῇ λύρᾳ σκέλος ἐστὶ κείμενον ἐπὶ τῆς τοῦ δράκοντος κεφαλῆς. Πάλιν δὲ περὶ τῆς ἀνατολῆς τοῦ ἐν γόνασι λέγων, φησί·

—— μούνην δ᾽ ἐπὶ χηλαὶ ἄγουσι
Δεξιτερὴν κνήμην αὐτῆς ἐπιγουνίδος ἄχρις,
Αἰεὶ γνὺξ, αἰεὶ δὲ λύρῃ παρακεκλιμένος.

ἄλλη πρὸς τῇ δύσει κνήμη ἐστὶν ἡ προανατέλλουσα, καὶ οὐκ ἔστιν αὕτη ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ δράκοντος. δῆλον οὖν ὅτι ἐκείνην ἀριστερὰν λέγει. συμφώνως δὲ τούτοις καὶ ἐπὶ τῆς ἀνατολῆς τοῦ λέοντός φησιν·

—— αὐτὰρ ὅ γε γνὺξ
Ἥμενος, ἄλλα μὲν ἤδη, ἀτὰρ γόνυ, καὶ πόδα λαιὸν
Οὔπω κυμαίνοντος ἐπιστρέφει Ὠκεανοῖο.

φανερὸν οὖν ἐκ πάντων γίνεται, διότι τὸ ἀριστερὸν σκέλος φησὶ καθήκειν ἐπὶ τὴν τοῦ δράκοντος κεφαλήν.

Ἑξῆς δὲ περὶ τοῦ Ὀφιούχου λέγων ἰδίως ὁ Ἄρατος, ὀρθόν φησιν κεῖσθαι αὐτὸν τῇ θέσει, βεβηκότα ἔν τε τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦ σκορπίου, καὶ τῷ στήθει. τῇ δὲ ἀριστερᾷ μόνον κνήμῃ βέβηκεν ἀποτετμημένῃ, μεταξὺ κειμένῃ τοῦ τε μετώπου, καὶ τοῦ στήθους τοῦ σκορπίου. τὸ δὲ δεξιὸν σκέλος ἔχει συνεσταλμένον. οὐδὲ ὁ Εὔδοξος δὲ διασαφεῖ, ὅτι ἐστὶν ὀρθός. τὸν γὰρ δεξιὸν πόδα αὐτοῦ ὑπὲρ τὸ σῶμα κεῖσθαί φησι τοῦ σκορπίου· ὡς καὶ ἔχει τῇ ἀληθείᾳ, καὶ οὐκ ἐπὶ τοῦ στήθους.

Δοκεῖ δέ μοι καὶ περὶ τῶν ἐν ταῖς χερσὶ τοῦ Ὀφιούχου ἀστέρων κατὰ τὸ μέγεθος αὐτῶν ἀγνοεῖν. τοὺς γὰρ ἐν τοῖς ὤμοις τοῦ Ὀφιούχου φήσας λαμπροὺς εἶναι, ὥστε καὶ ἐν πανσελήνῳ θεωρεῖσθαι, ἐπιφέρει·

—— ἀτὰρ χέρες οὐ μάλ᾽ ἶσαι·
Λεπτὴ γὰρ τῇ, καὶ τῇ ἐπιδεδρομένη αἴγλη.

ἀλλ᾽ οἱ ἐν ταῖς χερσὶ τοῦ Ὀφιούχου ἀστέρες κοινοί εἰσιν, καὶ τοῦ ὄφεως· καθάπερ καὶ ὁ αὐτὸς Ἄρατος λέγει·

Ἀμφότεροι δ᾽ ὄφιος πεπονείαται.

οἱ δὲ ἐν τῷ ὄφει ἀστέρες, ὧν ἔχεται ὁ Ὀφιοῦχος, οὐ λειπόμενοί εἰσι τῇ λαμπρότητι τῶν ἐν τοῖς ὤμοις. * f πολὺ δὲ λαμπρότεροι οἱ ἐν τοῖς ὤμοις. διὸ καὶ ἐπιστήσειεν ἄν τις πῶς, καὶ ὁ Ἄτταλός φησιν αὐτοὺς ἱκανῶς λαμπροὺς εἶναι.

* Videntur hæc minùs integra.

geniculi ſitum aſſequi poſſimus; quod in aliis pleriſque facere ſolet. velut de Ingeniculo ſcribens, ceteras ejus partes ita commemorat;

Dorſo quidem Corona propinquat: caput verò ſummum
Obſerva juxta caput Anguiferi.

Item de lyra:

Ad genu illi lævum accedit.

Nec non de Perſeo,

Prope verò ipſi lævum genu admodum omnes
Pleiades feruntur.

Item,

Atque huic dextra quidem ſupra lecticam extenditur.
Soceralis ſellæ.

Sic de Cygno:

—— *ad dextram manum*
Cepheam pennæ dextras extremitates porrigens.

Ita in aliis pleriſque propinqua ſidera deſcribens, indicat dextráne adjaceant, an ſiniſtra.

Quòd autem neglectu, non errore ſit illud ab Eudoxo, & Arato de pede commiſſum, ex reliquis apparet, quæ uterque de Ingeniculo prodidit. Nam de Lyra hæc Aratus:

Collocavit autem, (ait, ipſam) *ante ignotum ſimulacrum.*
In cœlum transferens: atque in cruribus volatile
Genu ei ſiniſtro appropinquat.

Porrò crus lyræ vicinum in Draconis capite poſitum eſt. Rurſus de ortu Ingeniculi ſic loquitur:

—— *ſolum verò chelæ agunt*
Dextrum crus ad ipſum uſque genu,
Semper geniculatim; ſemper ad Lyram accidentis.

Aliud eſt crus ad occaſum, quod prius oritur, neque id capiti Draconis incumbit. Perſpicuum eſt igitur illam ab eo ſiniſtram intelligi. His conſentanea de ortu Leonis cecinit:

—— *Ceterùm hic geniculatim*
Sedens cùm jam alias partes; tum genu, & pedem ſiniſtrum
Nondum fluctuante reducit Oceano.

Ex his omnibus apparet, ſiniſtrum crus illum dicere ad Draconis caput pertingere.

VIII. Error Arati de Ophiucho.

Poſt hoc Aratus privatim de Ophiucho ſcribens talem ei ſitum tribuit, ut oculis ſcorpii, ac pectori rectus inſiſtat. Verùm crure ſiniſtro dumtaxat inſiſtit, eodémque mutilo; quod inter frontem ſcorpii ac pectus incumbit. dextrum porrò crus contractum habet. ſed nec Eudoxus id eſſe rectum apertè ſignificat. Nam dextrum pedem ipſius ſupra ſcorpii corpus ſitum eſſe refert, quod & verum eſt. non autem ſupra pectus.

Præterea videtur idem Poëta in Ophiuchi ſtellarum magnitudine definienda errore lapſus. Cùm enim ſtellas, quæ in Anguiferi ſunt humero, lucidas eſſe dixiſſet, adeo ut in plenilunio quoque diſcerni queant, mox ſubjicit:

—— *Sed manus non multùm æquales.*
Tenuis enim hinc, & hinc exiſtit ſplendor.

Sed quæ in Ophiuchi ſunt manibus ſtellæ, communes ſunt & ſerpenti: quemadmodum & Aratus ipſe teſtatur.

Ambæ autem ſerpente fatigantur.

Verùm quæ in ſerpente ſunt ſtellæ, quibus adhæret Ophiuchus, ſplendore non cedunt iis, quæ ſunt in humeris, verùm haud multò ſunt ſplendidiores. Ex quo dubitare poſſit aliquis quinam eas Attalus admodum ſplendidas eſſe dixerit.

Deinceps

f Πολὺ δὲ λαμπρότεροι] Corrige, οὐ πολὺ δὲ; ſtellas, quæ in manibus ſunt Serpentarii, haud adeo ſplendidiores eſſe vult iis, quæ ſunt in humeris, ut putavit ut Attalus. nec tamen diffitetur paullò minùs illuſtres fuiſſe.

ὅπως μηδὲν ὑπολίπωμεν τῶν πρὸς τὴν κατανόησιν. πλὴν νοητέον τοῦθ' ὅτι καὶ παχύτερον ὁ Ἄρατος τὸν περὶ αὐτῶν λόγον πεποίηται διὰ τοῦ ποιήματος, μὴ πάντα ἀκριβῶς καταδεξάμενος. ἀλλά τινα παραλέλοιπεν, ὥσπερ ἐπὶ τῆς σφαίρας θεωρεῖται. ἐγὼ δὲ τὰ παραλελειμμένα ὑπ' αὐτοῦ προσαποδώσω· ὅπως μηδὲν ἐλλείπῃ τῶν πρὸς τὴν θεωρίαν.

* f. συνανατολῶν. Ἐγένοντο δὲ τρισσαὶ πίστεις περὶ * ἀνατολῶν, καὶ συγκαταδύσεων. οἱ μὲν γὰρ ἔφασαν τὴν πραγματείαν εἶναι τῷ Ἀράτῳ, ἀρχομένου ἀνατέλλειν τοῦ ζῳδιακοῦ. οἱ δὲ μεσοῦντος. οἱ δὲ ἀπὸ τῆς ὅλης ἀνατολῆς. τοῦτο δὲ οὐχ ἔοικεν. ἀπὸ γὰρ ἀρχῆς ἕως τελευτῆς τοῦ ζῳδιακοῦ κύκλου ἔρχεται ἐπὶ τὰς ἀνατολάς τε, καὶ συγκαταδύσεις, ὃν τρόπον ἐστὶν * ὑπὸ τῆς σφαίρας θεωρεῖσθαι. ἔστιν οὖν τὰ τεμνόμενα ζῷα λζ'. (* f. ἐπί.)

Ὁ μὲν οὖν ἀρκτικὸς κύκλος τέμνει ζῴδια δύο· Βοώτου μέσον ἀγκῶνα· καὶ Κηφέως στῆθος. οὐκ εἴρηκε δὲ περὶ τούτου Ἄρατος.

Ὁ δὲ θερινὸς τροπικὸς τέμνει ζῴδια ι'. Ἡνιόχου γόνατα· Ὀφιούχου ὤμους· ὄφεως τράχηλον· ὄρνιθος κεφαλήν, καὶ τὸν ὑπαυχένιον· ἵππου ὁπλάς· Περσέως ὦμον ἀριστερόν, καὶ κνήμην ἀριστεράν· Ἀνδρομέδας χεῖρα δεξιάν· διδύμων κεφαλάς· καρκίνου μέσον· λέοντα περὶ μέσον * περιέοντα· Ὀφιούχου ὤμους· τράχηλον ὄφεως. (* Mendoſus locus.)

Ὁ δὲ ἰσημερινὸς κύκλος τέμνει ζῴδια ιε'. ἵππου κεφαλήν, καὶ τράχηλον· Ὀφιούχου γόνατα· ὕδρου τράχηλον· κρατῆρα· κόρακα· Ὠρίωνα μέσον ἀριστερόν· ἰχθύος οὐράν· κριὸν μέσον· ταύρου γόνατα· παρθένου πόδα· χηλὰς μέσας· σκορπίου μέρος. παρεῖται προκύων.

Ὁ δὲ χειμερινὸς κύκλος τέμνει ζῴδια ι'. Ἠριδανὸν ποταμόν· Ἀργοῦς νεὼς πρύμναν· Κενταύρου μετάφρενον· κυνὸς μεγάλου ὀπισθίους πόδας· κήτους οὐράν· λαγωοῦ μέσον· σκορπίου κέντρον· τοξότου τόξον· αἰγόκερω μέσον· ὑδροχόου πόδας. ὥστε εἶναι αὐτοὺς τέμνοντας κύκλους δ'· τὰ δὲ τεμνόμενα ὑπ' αὐτῶν ζῴδια τριάκοντα καὶ δύο.

Ποῖα τῶν ζῳδίων συνανατέλλουσι, καὶ συγκαταδύνουσι τοῖς ἐν τῷ ζῳδιακῷ ιβ' ζῳδίοις.

β'. Συνανατέλλουσι δὲ καὶ συγκαταδύνουσι τοῖς ἐν τῷ ζῳδιακῷ ιβ' ζῳδίοις τὰ φαινόμενα οὕτως.

Καρκίνου ἀνατέλλοντος, ἀνατέλλει ὅλος Ὠρίων. Ὠρίωνα λέγω τὸν Ἀγαμέμνονα παρ' ἰδιώταις ἀλεκτροπόδιον. πρῶτον δὲ ἀνατέλλει κατὰ τὴν κβ' τοῦ Ἰουλίου. ὁ δὲ κύων κατὰ τὴν ζ' τοῦ Αὐγούστου. ἔστι δὲ ὁ λαμπρὸς * τοῦ θένυος μείζων τῶν ἀπλανῶν πάντων ἀστέρων. καὶ ποταμὸς Ἠριδανός. δύνει δὲ στέφανος· ἰχθύος τὸ ἥμισυ, ἕως ἐπὶ ῥάχιν· Ὀφιοῦχος ἕως ὤμων· ὄφεως τράχηλος· Ἀρκτοφύλαξ παρ' ὀλίγον. (* f. τῆς γένυος.)

Λέοντος ἀνατέλλοντος, ἀνατέλλει προκύων ὅλος· λαγωός· ὕδρου κεφαλή· κυνὸς ἐμπρόσθιοι πόδες. δύνει δὲ τὰ λοιπὰ τῶν σὺν καρκίνῳ συγκαταδεδυκότων· Βοώτου τὸ λοιπόν· στέφανος· Ὀφιοῦχος, καὶ ὄφις αὐτοῦ· ἰχθύες· κῆτος· ὁ ἐν γόνασιν ὅλος, πλὴν κνήμης ἀριστερᾶς.

Παρθένου ἀνατελλούσης, ἀνατέλλει ὕδρος ἕως τοῦ κρατῆρος· κυνὸς μεγάλου ὀπίσθιοι πόδες· Ἀργοῦς τρόπεως πρύμνα. δύνει δὲ λύρα· δελφίς· οἰστός· ὄρνις ἕως οὐρᾶς· ποταμοῦ Ἠριδανοῦ πρῶτα μέρη· ἵππου κεφαλή, καὶ αὐχήν.

Χηλῶν ἀνατελλουσῶν, ἀνατέλλει Βοώτης ὅλος· Ἀργὼ ναῦς ὅλη· ὕδρος· κρατήρ· κόραξ· δεξιὰ κνήμη τοῦ ἐν γόνασιν ἕως γόνατος· ἥμισυ στεφάνου· ἄκρον τῆς οὐρᾶς τοῦ Κενταύρου. παρεῖται κρατήρ, κόραξ. δύνει δὲ ἵππου τὸ λοιπόν, ὄρνιθος μεγάλου οὐρά· Ἀνδρομέδας κεφαλή· καὶ κῆτος ἕως λοφιᾶς· Κηφέως κεφαλή, καὶ ὦμοι, καὶ χεῖρες.

Σκορπίου ἀνατέλλοντος ἀνατέλλει στεφάνου τὸ λοιπὸν ἥμισυ· ὕδρου οὐρά· Κενταύρου σῶμα, καὶ κεφαλή· καὶ τὸ θηρίον, ὃ ἔχει ἐν τῇ δεξιᾷ χειρί· Ὀφιούχου κεφαλή τε, καὶ χείρ, καὶ πρώτη καμπή· ὁ ἐν γόνασιν ὅλος, πλὴν κεφαλῆς, καὶ ἀριστερᾶς χειρός. δύνει δὲ ὅλος ποταμός· Ὠρίων παρ' ὀλίγον· κήτους λοφιά· Ἀνδρομέδα· δελτωτόν· Κασσιέπεια· Κηφεὺς ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ὀσφύος. παρεῖται δελτωτόν.

Τοξότου ἀνατέλλοντος ἀνατέλλει Ὀφιούχου σῶμα· ὄφεως τὸ λοιπόν· τοῦ ἐν γόνασι κεφαλή, καὶ ἀριστερὰ χείρ· λύρα· Κηφεύς. δύνει δὲ κύων ὅλος· Ὠρίων· λαγωός· Ἡνίοχος, πλὴν κνήμης ἀριστερᾶς, καὶ τῆς χειρός· ἐφ' ἧς αἴξ, ἔριφοι· Περσεύς, πλὴν τοῦ δεξιοῦ ποδός. Ἀργοῦς πρύμνα· προκύων.

Αἰγόκερω ἀνατέλλοντος ἀνατέλλει ἀετὸς ὅλος· οἰστός· θυτήριον· δελφίς· ὄρνις. δύνει δὲ Ἡνιόχου τὰ λοιπά,

dem ad conſtellationes attinet, in præteritis relinquatur. Sed illud antè non ignorandum eſt, Aratum iſtorum omnium explicationem pingui, ut aiunt, Minerva hoc in poëmate inſtituiſſe; nec in omnibus ſatis accuratè eſſe verſatum: quædam omiſiſſe, quæ in ſphæra conſiderantur. Ego verò quæ ab illo prætermiſſa ſunt reponam; ne quid ad hujus integritatem argumenti deſideretur.

Trifariam porrò diviſæ ſunt ſententiæ de coortibus, & cooccaſibus. Quidam enim eorum tractationem accommodaſſe putant Aratum ad ſigni orientis initium. quidam ad ortum medii ſigni. alii ad abſolutum totius exortum. Hoc verò conſiſtere non poteſt. Nam à principio ad finem zodiaci circuli ortus ſignorum occaſuſque peragrat. quemadmodum in ſphæra licet intueri. ſunt igitur quæ ſecantur imagines 37.

Arcticus itaque circulus ſecat imagines duas: Bootæ medium cubiti flexum: & Cephei pectus. Hunc vero circulum omiſit Aratus. Circulus Arcticus.

Æſtivus tropicus ſecat imagines decem; Heniochi genua: Ophiuchi humeros: ſerpentis collum: caput Avis, & cervicem: ungulas Equi: Perſei ſiniſtrum humerum, cum ſiniſtra tibia: dextram Andromedæ manum: capita Geminorum: Cancrum medium: Leonem per medium ** humeros Ophiuchi: collum ſerpentis. Tropicus æſtivus.

Æquinoctialis circulus tranſit per imagines quindecim. Equi caput, & cervicem: Ophiuchi genua: Hydri collum: Craterem: Corvum: Orionem medium ſiniſtrum: Piſcis caudam: medium Arietem: Tauri genua: Virginis pedem: Chelas medias: Scorpii partem. Omiſſus eſt Procyon. Æquinoctialis.

Tropicus hibernus decem ſigna dividit: Eridanum fluvium: Argus navis puppem: Centauri interſcapilium: Canis majoris poſteriores pedes: Ceti caudam: Leporis medium: Scorpii aculeum: Sagittarii arcum: Capricornum medium: pedes Aquarii. Ita quatuor ſunt ſecantes circuli: ſigna verò, quæ ab illis ſecantur, duo & triginta. Tropicus hibernus.

Quænam cœleſtes imagines unà cum duodecim Zodiaci ſignis ortus occaſuſque faciant

Cum duodecim zodiaci ſignis cœleſtes aſteriſmi in hunc modum oriuntur, & occidunt. II.

Oriente Cancro, Orion totus exoritur. Orionem appello, quem vulgus ἀλεκτροπόδιον nominat. qui primùm oritur menſe Julio. Canis verò circiter Auguſti ſeptimo. Hæc eſt ſplendida ſtella, quæ in maxilla Canis cernitur, ac fixas omnes magnitudine ſuperat. Item fluvius Eridanus. Occidit autem Corona: & Piſcis dorſo tenus: Ophiuchus ad humeros uſque: ſerpentis collum: Arctophylax totus ferè. Cancer.

Leone oriente, totus emergit Procyon: Lepus: Hydri caput: Canis anteriores pedes: Occidunt reliquæ partes eorum, quæ cum Cancro cœperunt occaſum facere: Corona: Ophiuchus; ejúſque ſerpens: Piſces: Cetus: Ingeniculus totus, excepta ſiniſtra tibia. Leo.

Oriente Virgine Hydrus oritur uſque ad Craterem: majoris Canis poſteriores pedes: Argus carinæ puppis. Occidit fidicula: Delphin: Sagitta: Cygnus cauda tenus: Eridani fluvii anteriores partes: Equi caput, & cervix. Virgo.

Orientibus Chelis Bootes totus exoritur: Argo navis integra: Hydrus: Crater: Corvus: Ingeniculi tibia dextra uſque ad genu: dimidia Corona: extremitas caudæ Centauri. Omiſſus eſt Crater, & Corvus. Occidunt, Equi reliquum: Avis majoris cauda: Andromedæ caput: Cetus cervice tenus: Cephei caput, humeri, ac manus. Chelæ.

Cum Scorpio dimidia pars altera Coronæ oritur: Hydri cauda: Centauri corpus, & caput: nec non fera, quam dextra manu prehendit: Ophiuchi caput, manus, primúſque flexus: Ingeniculus totus, præter caput, & ſiniſtram manum. Occidunt verò, fluvius totus: Orion totus ferè: Ceti cervix: Andromeda: Deltoton: Caſſiepea: Cepheus à capite ad lumbos: Omiſſum eſt Deltoton. Scorpius.

Oriente Sagittario oritur Ophiuchi corpus: reliquum ſerpentis: Ingeniculi caput, cum ſiniſtra manu: fidicula: Cepheus. Occidunt Canis totus: Orion: Lepus: Heniochus, excepta ſiniſtra tibia, & manu: in qua ſunt Capella, & Hœdi: Perſeus: excepto pede ſiniſtro: puppis Argus: & Procyon. Sagittarius.

Cum Capricorno oritur Aquila tota: Sagitta: Ara: Delphin: Cygnus. Occidunt Heniochi reliqua; caput ſcilicet, Capricornus.

ſcilicet, & ſiniſtra manus, in qua Capra eſt; & Hœdi: Argo tota: Hydrus Cratere tenus: Centauri poſteriores pedes.

Aquarius. Oriente Aquario oritur Equi caput, cum anterioribus pedibus: & Caſſiepea prætermiſſa. Occidunt poſteriora Centauri: nec non Hydrus, & Crater uſque ad Corvum. Omiſſus eſt Crater.

Piſces. Piſcibus orientibus, auſtralis Piſcis non totus exoritur: & Andromedæ pars dextra: totus Centaurus occidit: Hydrus: Corvus: Crater.

Aries. Cùm Aries oritur, caput Perſei cum humeris oritur: Andromedæ ſiniſtra pars: Deltoton omiſſum eſt. Occidit Ara, & Arctophylax.

Taurus. Cum Taurus oritur, Perſeus totus exortum facit: item Aurigæ ſiniſtri pedis extremitas; & ſiniſtra manus; in qua Capra ſunt, & Hœdi: Ceti cervix, & cauda. Occidit Arctophylax cum Arietis parte prima.

Gemini. Cum Geminis oritur fluvius Eridanus: Cetus: Orion: occidit Ophiuchus genibus tenus.

Hæc ferè ſunt quæ ad rudem informationem de ſphæra dicenda fuerunt. Illud conſequens eſt; terram rotunda conſtare forma. quam medius pertranſit axis. & eam immobilem coercet. cujus extrema per utrumque polum, borealem, auſtralémque trajecta ſunt.

Zonæ quinque. Zonæ ſunt in ea quinque. Septentrionalis, quæ tota ſublimis eſt; inhabitabilis, frigoribus infeſta, Saturnique propria. Æſtiva; cujus pars ſupra terram major eminet; minor ſub terra deprimitur. Ea eſt habitabilis undiquaque. Temperata: Jovi dicata. Æquinoctialis; cujus pars æqualis infra ſupráque terram exſtat: exuſta; Marti peculiaris. Hiberna; cujus major ſub terra pars: ſupra terram minor exiſtit: in orbem habitata. Temperata; ſacra Veneri. Auſtralis, non apparens, alſioſa, inhoſpita; Mercurio dicata.

Arctica zona conſtat ſcrupulis ſexageſimis VI. æquinoctialis VIII. habet ab utraque parte æquinoctialis circuli. Hic enim mediam ipſam dividit per totam ſphæram. Æſtiva ſcrupula V obtinet. Antarctica VI. Itaque ſuperior ambitus terræ ſcrupula colligit tricena. totidem inferior. Totus ergo ambitus ſexaginta ſcrupulis conſtat. Sexageſimo cuique ſcrupulo ſtadiorum 4200 competunt. Colliguntur ſtadiorum in tota terra * 250000.

* Imo 252000.

κεφαλὴ, καὶ χεὶρ ἀριστερὰ, ἐφ᾽ ἧ αἲξ ἔριφοι· Ἀργὼ ὅλη· ὕδρος ἕως κρατῆρος· Κενταύρου ὀπίσθιοι πόδες.

Ὑδροχόου ἀνατέλλοντος ἀνατέλλει ἵππου κεφαλὴ, καὶ πόδες ἐμπρόσθιοι· καὶ Κασσιέπεια παρεῖται. δύνει δὲ Κενταύρου ὀπίσθια· ὕδρος τε, καὶ κρατὴρ ἕως κόρακος. παρεῖται κρατήρ.

Ἰχθύων ἀνατελλόντων ἀνατέλλει νότιος ἰχθὺς, οὐχ ὅλος· Ἀνδρομέδας δεξιὸν μέρος. δύνει δὲ ὅλος Κένταυρος· ὕδρος· κόραξ· κρατήρ.

Κριοῦ ἀνατέλλοντος ἀνατέλλει κεφαλὴ, καὶ ὦμος Περσέως· Ἀνδρομέδας ἀριστερὸν μέρος· δελτωτὸν παρεῖται. δύνει δὲ θυτήριον· Ἀρκτοφύλαξ.

Ταύρου ἀνατέλλοντος ἀνατέλλει Περσεὺς ὅλος· Ἡνιόχου ποδὸς ἀριστεροῦ ἄκρον, καὶ ἀριστερὰ χεὶρ, ἐφ᾽ ἧ εἰσὶν αἲξ, ἔριφοι· κήτους λοφία, καὶ οὐρά. δύνει δὲ Ἀρκτοφύλαξ σὺν τῇ α΄ μοίρᾳ τοῦ κριοῦ.

Διδύμων ἀνατελλόντων ἀνατέλλει ποταμὸς Ἠριδανός· κῆτος· Ὠρίων. δύνει δὲ Ὀφιοῦχος ἕως γονάτων.

Ἃ μὲν οὖν ἐχρῆν περὶ τῆς σφαίρας εἰπεῖν, ὡς πρὸς εἰσαγωγὴν, σχεδὸν ταῦτ᾽ ἐστίν. ἀκόλουθον δὲ καὶ ἡ γῆ ἐστι σφαιροειδὴς, ἔχουσα μέσον ἄξονα διήκοντα, ὃς κρατεῖ αὐτὴν ἀκίνητον, ἔχων τὰ πέρατα ἐστηριγμένα ἔν τε τῷ βορείῳ πόλῳ, καὶ τῷ νοτίῳ.

Ἔχει δὲ ζώνας ε΄. βόρειον τε ὅλην μετέωρον, ἀοίκητον, κατεψυγμένην· Κρόνου. θερινὴν πλεῖον ἔχουσαν τὸ ὑπὲρ γῆν· ἧσσον δὲ τὸ ὑπὸ γῆν· κυκλόθεν οἰκησίμην. ὑπάρχουσαν Διός. ἰσημερινὴν ἴσον ἔχουσαν τὸ ὑπὸ γῆν. ἴσον δὲ τὸ ὑπὲρ γῆν· διακεκαυμένην Ἄρεως. χειμερινὴν, πλεῖον ἔχουσαν τὸ ὑπὸ γῆν· ἧσσον δὲ τὸ ὑπὲρ γῆν· κυκλόθεν ᾠκισμένην. ὑπάρχουσαν Ἀφροδίτης. νοτίαν ἀφανῆ, κατεψυγμένην, ἀοίκητον· Ἑρμοῦ.

Ἡ μὲν οὖν ἀρκτικὴ ζώνη ἔχει ἑξηκοστὰ ς΄. ἡ δὲ ἰσημερινὴ η΄, ἐξ ἑκατέρου μέρους τοῦ ἰσημερινοῦ μέρους τεθειμένη. οὗτος γὰρ μέσην αὐτὴν τέμνει κατὰ τὴν ὅλην σφαῖραν. ἡ δὲ θερινὴ ἑξηκοστὰ ε΄. ἡ ἀνταρκτικὴ ἑξηκοστὰ ς΄. ὥστε εἶναι τῆς γῆς τὴν * περίγειον ἑξηκοστῶν λ΄. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ὑπὸ γῆν ἑξηκοστῶν λ΄. γίνεται οὖν ὅλην τὴν γῆν, ἑξηκοστῶν ξ΄. ἕκαστον δὲ ἔχει τὸ ἑξηκοστὸν σταδίους ,δσ΄ συναίρεται οὖν ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἱ τῆς ὅλης σταδίων * μαι. κ΄ καὶ ε΄.

* f. ὑπέργειον.

* f. μυριάδες.

De iis, quæ in ſublimi cernuntur.

III. EX aquis, quæ in terra ſunt, exhalationes oriri dicuntur: quarum altera eſt humida, & vapida: altera ſicca, & fumida. Prior abundans, & coacta nubes: mutata, pluvias, & imbres efficit, ac ventos, qui natura ſua indidem oriuntur. Eſt autem nebula nubes aquarum ſterilis: ſive vapida exhalatio. Caligo, atra nubes, & plena. Serenitas aër innubis, & liquidus. Obſcuritas, aëris denſitas incompoſita. κηκὶς eſt nubes tenuiſſima, humore vacua. Ros eſt humor puriori allapſus ex æthere, ex tenui materia conſiſtens. Stilla aqua eſt minutatim in terras irrorans. Pluvia eſt ſtilla denſior, & jugis. Imber, exiguæ collectiones aquarum è nube mutatione factæ. Glacies eſt aqua concreta. Pruina ros non penitùs compactus. Nix pluviarum ſtilla in nube concretâ. νιφὰς eſt nix tenuiter cadens. Grando imber eſt concretus.

Sicca autem exhalatio cùm à frigore propellitur, ventos efficit. Incidens eadem, & inflammata fulmina gignit. quando confertim erumpit, nondum accenſa penitus, turbines igneos: at nullo modo ſuccenſa, typhones. Cùm eſt ſolutior, *ecnephias* facit. Ceterùm fulmen, preſter, & typhon incumbens σκηπτὸς dicitur. Hæc paucis, ac compendio perſtrinxiſſe ſufficiat. Nunc ad ſequentia pergemus.

Περὶ μετεώρων.

Γίνονται οὖν, φησὶ, ἀναθυμιάσεις ἐκ τῶν ὑδάτων τῆς γῆς. ἡ μὲν, ὑγρὰ καὶ ἀτμώδης· ἡ δὲ, ξηρὰ καὶ καπνώδης. καὶ ἡ πλεονάζουσα ὑγρὰ, καὶ συνισταμένη νέφη ποιεῖ· καὶ κατὰ μεταβολὴν ὑετοὺς, καὶ ὄμβρους, καὶ πνεύματα, ἃ ἐκ τούτων γίνεται. ἔστι δὲ ὁμίχλη νέφος ἄγονον ὕδατος, ἢ ἀτμώδης ἀναθυμίασις. ζόφος δὲ νέφος μέλαν τε, καὶ πεπληρωμένον. αἰθρία δὲ ἀὴρ ἀνέφελος, καὶ ἀνόμιχλος. ἀχλὺς δὲ πάχος ἀέρος ἀσύστατον. κηκὶς δὲ νεφέλη λεπτοτάτη, κενὴ ὕδατος. δρόσος δὲ ὑγρὸν ἐξ αἰθέρος αἰθρίου, κατὰ σύστασιν λεπτήν. ψακὰς δὲ ὕδωρ λεπτῶς διεσπασμένον τε ἐπὶ τῆς γῆς. ὑετὸς δὲ ψακὰς ἀθρόα, καὶ συνεχής. ὄμβρος δὲ μικρὰ συστήματα ὕδατος ἐκ νέφους κατὰ μεταβολήν. πάγος δέ ἐστιν ὕδωρ πεπηγός. πάχνη δὲ ἡμιπαγὴς δρόσος. χιὼν δὲ ὑετῶν ψακὰς ἐν νέφει πεπηγότι. νιφὰς δέ ἐστι χιὼν πίπτουσα λεπτῶς. χάλαζα δέ ἐστιν ὄμβρος πεπηγώς. γ΄.

Ἡ δὲ ξηρὰ ἀναθυμίασις ἐκ τοῦ ὑπὸ ψύχους * μὲν ὠθεῖσα ἀνέμους ἐργάζεται. ἐμπίπτουσα δὲ, καὶ διάπυρος γενομένη κεραυνούς. ἀθρόα δὲ φερομένη, ἡμίπυρος οὖσα, πρηστῆρας. μὴ πεπυρωμένη δέ πως τυφῶνας. ἀνειμένη δὲ ἡ αὐτὴ ἐκνεφίας ποιεῖ. κεραυνὸς δὲ καὶ πρηστὴρ, καὶ τυφὼς κατασκήψας ὁ σκηπτὸς λέγεται. τοσαῦτα μὲν ἀρκέσει ὡς ἐν ἐπιτομῇ περὶ τούτων εἰρῆσθαι. ἑξῆς δὲ τὰ ἀκόλουθα τούτων ἐροῦμεν.

* f. μὲν ὠθοῦσα.

De Mundo.

IV. MUndus eſt compages ex cœlo, terráque, & iis naturis coagmentata, quæ utroque continentur. Cœlum eſt id quod omnia, quæ ſunt, præter ſeipſum complectitur. Æther eſt tenuiſſima ſubſtantiæ diffuſio, ſuapte natura calida, & ſplendida: ac primigenia lux, neque ab altera participata. Aer eſt ſubſtantia levis, & caliginoſa. quæ communicatum aliunde calorem, ac lumen ****** ex æthere compactum: qui cùm ſplendidus, igneúſque ſit, nullo tempore conquieſcit, ſed in orbem perpetuò movetur. Polos appellant loca quædam in ſphæræ vertice. Axem verò ſpiritum, qui ſphæram mediam pervadit, hoc eſt lineam

Περὶ κόσμου.

Κόσμος ἐστὶ σύστημα οὐρανοῦ, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις φύσεων. οὐρανὸς δὲ τὸ περιέχον πάντα τὰ ὄντα, πλὴν αὐτοῦ. αἰθὴρ δὲ οὐσίας χύμα τὸ λεπτότατον, θερμὸν φύσει, καὶ λαμπρὸν· τὸ πρῶτον φῶς, καὶ μὴ κατὰ μετοχὴν ἑτέρου γενόμενον. ἀὴρ δὲ οὐσία κούφη ζοφερὰ, κατὰ μετοχὴν δὲ * γενόμενον. ἡ δὲ θερμὴ καὶ φωτεινὴ θεῶν ἐξ αἰθέρος συνεστηκός. ὃς ὢν λαμπρὸς, καὶ πυρώδης οὐδὲ ποτε στάσιν ἔχει, ἀλλ᾽ ἀεὶ φερόμενος κύκλῳ. * πόλοι δὲ καλοῦνται αἱ κατὰ κορυφὴν τόποι τῆς σφαίρας. ἄξων δὲ τὸ διὰ μέσου τῆς σφαίρας διῆκον πνεῦμα· ὅπερ ἐστὶν εὐθεῖά τις. κύκλοι δὲ λέγονται ἐν δ΄.

* Hic locus depravatus, & mutilus.

* f. πόλοι.

τα

τῷ οὐρανῷ. ζώνας δὲ ἐπὶ τῆς γῆς. κόλουροι δέ εἰσιν ϛ′.

* f. τὸ. Οὗτοι δὲ οἱ ἀναγκαῖοι. ὁ μεσημβρινὸς, καὶ ὁ * τὸ μέσον τέμνων. νοητοὶ μὲν οὖν εἰσι. αἰσθητὸς δὲ ὁ γαλαξίας. ὁ τέμνων καὶ ὁρίζων ἐστίν· ὁρίζων δὲ λέγεται ὁ διιστὰς τῶν ὁρωμένων τὰ μὴ ὁρώμενα τῆς σφαίρας· καὶ ἔστι τῶν μεγίστων. τέμνει δὲ τὸν ζωδιακὸν, καὶ τέμνεται ὑπ᾽ αὐτοῦ. ὅλοι δ᾽ εἰσὶ κύκλοι ἕξ, οἱ * τέμνοντες καὶ διορίζοντες τὰ δωδεκατημόρια. δωδεκατημόριον δέ ἐστιν ἕκαστον τμῆμα τῶν ἐν τῷ ζωδιακῷ. (* f [illegible])

rectam. Circulos nominamus in cœlo: zonas in terra. Coluri ſunt ſex.

Sed hi ſunt maximè neceſſarii: Meridianus; & qui medium ſecat. Atque hi quidem intelligentia ſola, non reipſa conſiſtunt. at lacteus circulus ſenſu quoque percipitur. Porrò quem circulum ſecare medium diximus, idem & horizon dicitur. Horizontem vocamus, qui ſphæræ partes eas, quæ videntur, ſeparat ab iis, quæ minimè videntur, iſque inter maximos annumeratur: ſecans zodiacum, & viciſſim ab eo ſectus. Sunt autem universè circuli ſex, qui dodecatemoria diſtingunt, ac determinant. Dodecatemorium eſt ſegmentum quodlibet eorum, quæ ſunt in zodiaco. Circuli in ſphæra.

Τί διαφέρει ἄστρον ἀστέρος.

δ′. Διαφέρει δὲ ἄστρον ἀστέρος. τὸ μὲν γάρ ἐστιν εἴδωλον ἐκ πολλῶν ἀστέρων μεμορφωμένον. τὸ δὲ κατὰ μίαν γραφὴν περιοριζόμενον. φέρεται δὲ ὁ ἥλιος τὴν ἐναντίαν φορὰν τοῦ οὐρανοῦ· ὥς τε διπλῆν αὐτοῦ κίνησιν εἶναι· τὴν μὲν, σὺν τῷ κόσμῳ· τὴν δὲ, κατ᾽ ἰδίαν. * ἔχει δὲ ἡ μὲν θέρους ἡ ἡμέρα, ὅτε ἐστὶν ὁ ἥλιος ἐν καρκίνῳ, κατὰ τὴν Ἑλλάδα. ἡ δὲ νὺξ, καὶ δύο * πέμπτα μόνα. ἐπὶ δὲ χειμῶνος, τὸ ἀνάπαλιν. ἄστρα ἀμφιφανῆ δὲ * γὰρ τὴν αὐτὴν ὁρᾶται νύκτα. ἐν τῷ νοτίῳ οὐκ ἐστὶν ἰδεῖν τι τοιοῦτον.

(* Hæc mendoſa. * f. πεμπτημόρια. * f. [illegible])

Quid interſit aſtrum inter, & ſtellam.

Differt aſtrum à ſtella. Eſt enim illud imago ex multis ſtellis effigiata. hæc verò ſimplex, & unica deſcriptione conſtans. Ceterùm Sol contrà atque cœlum agitatur: adeo ut duplicem motum habeat: alterum communem cum mundo: peculiarem alterum. Habet autem æſtivus dies, quando Sol obtinet, in Græcia, * * * Nox veró duas quintas. at hieme contra ſeſe res habet. ſidera ἀμφιφανῆ vocantur, quæ bis eadem nocte cernuntur. In auſtrali nihil apparet ejuſmodi. V.

Πόσοι οἱ πάντες ἀστέρες.

ε′. Τοὺς πάντας ἀστέρας εἶναι Ἵππαρχός φησι ͵απ′. ὅσοι ὦν πληροῦσι τὰ ἐν τοῖς φαινομένοις ὁρώμενα. ἀντίζυγα δέ ἐστι ζώδια τάδε. κριός, χηλαί. ταῦρος, σκορπίος. δίδυμοι. τοξότης. καὶ αἰγόκερως καρκίνῳ. λέοντι ὑδροχόος. παρθένῳ ἰχθύες.

Quot ſint ſtellæ.

Stellas omnes Hipparchus aſſerit eſſe 1080. quæ nimirùm conſtellationes apparentes efficiunt. Oppoſita ſigna ſunt; Aries, Chelæ: Taurus, Scorpius: Gemini, Sagittarius: item Capricornus Cancro: Leoni Aquarius: Virgini Piſces. VI.

Περὶ τῶν τῆς σελήνης σχημάτων.

ϛ′. Τῶν δὲ σχημάτων τῆς σελήνης φωτισμῶν ἐστιν εἴδη [μὲν.] μηνοειδὴς μὲν οὖν ἐστιν ὅταν ὑπὸ γραμμῶν περιφερειῶν περιέχηται. διχότομος δὲ ὅταν ἡμικύκλιος * * * * * * * *

Διαφορὰς τέμνειν τῆς σφαίρας. τὴν δὲ παράλληλον, καὶ τὴν λεγομένην λοξήν. ἔτι δὲ τὴν ὀρθήν. παραλλήλους μὲν ἐν τῷ κόσμῳ συμβέβηκε λέγειν, ὅσοι τὸν αὐτὸν ἔχουσι πόλον τῇ αὐτῇ σφαίρᾳ. ὀρθοὺς δὲ τοὺς διὰ τῶν πόλων. λοξοὺς δὲ ἂν τὰ * ἐπίσταται κέκρυπται πρὸς τοὺς λεγομένους ὀρθοὺς, καὶ τοὺς παραλλήλους. ἀπείρως δὲ ἐπινοεῖσθαι δυναμένων ἐν τρισὶ διαφοραῖς κύκλων, νοητέον ὑπὸ τῶν μαθηματικῶν τοὺς εἰς τὴν χρείαν τῆς θεωρίας ἔχοντας παρειλῆφθαι. παραλλήλους δὲ τόν τε ἀρκτικὸν, καὶ τὸν θερινὸν τροπικὸν, καὶ τὸν ἀνταρκτικόν. * ἄρχει τε δὲ αὐτὸς, καὶ ἀεὶ φανερὸς διὰ τὸ πάντοτε φαίνεσθαι, καὶ μηδέποτε δύνειν. * * * συμπίπτουσι κατὰ τὰς διαφορὰς οἰκήσεις τοῦ κατὰ κορυφὴν σημείου νοτιωτέρου, ἢ βορειοτέρου γινομένου.

(* f. ἐπινοεῖσθαι κύκλους. * f. ἀρκτικὸς δὲ ὁ αὐτὸς καὶ, &c. mox διὰ τὸ πάντοτε.)

Νοείσθω δ᾽ ὁ μὲν θερινὸς τροπικὸς τοῦ ἡλίου ἐπὶ θερινῶν τροπῶν γινομένου, καὶ πρὸς αἴσθησιν τοῦτον παράλληλον γράφοντος. ὁ δὲ ἰσημερινὸς, διὰ τὸ τὰς ἡμέρας ταῖς νυξὶν ἐξισοῦσθαι, τοῦ ἡλίου κατὰ τοῦτον γινομένου τὸν κύκλον πρὸς αἴσθησιν. ὁ δὲ χειμερινὸς διὰ τὸ τὸν ἥλιον κατὰ τοῦτον γινόμενον τὸν κύκλον χειμερινὰς τροπὰς ποιεῖσθαι. ἀνταρκτικὸς δ᾽ οὗτος, καὶ ἀεὶ ἀφανὴς ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἔχει, καὶ οὐδέποτε φαίνεται. τῶν δὲ λοξῶν δύο μὲν * ὄντων πρὸς αἴσθησιν, ὅ τε ζωδιακὸς, καὶ ὁ γαλαξίας. οἱ δὲ ὁρίζοντες, ἐπινοίᾳ μόνον λαμβάνονται. τῶν δὲ ὀρθῶν οἱ μὲν κόλουροι τὴν ὀνομασίαν ἔχοντες ἀπὸ τοῦ κολοβοὶ, καὶ μὴ ὁλοτελεῖς φαίνεσθαι κατὰ τὰς στροφὰς τῆς σφαίρας. ὁ δὲ ἰσημερινὸς, ἀπὸ τοῦ κατ᾽ αὐτὸν γίνεσθαι τὰς * μεσημβρινάς. λέγονται δὲ πάντες οὗτοι πρὸς τοὺς ὀρθοὺς παραλλήλους. οἱ δὲ λοξοὶ ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἔχουσι τὴν ὀνομασίαν.

(* f. ἄπτ. * f. ἰσημερίας.)

* Τοῦ κόσμου σφαιροειδοῦς ὑποκειμένου, καὶ τῆς γῆς πρὸς αὐτὸν κέντρου λόγον ἐπεχούσης, ἡ διὰ μέσου αὐτῶν ἀγομένη εὐθεῖα νοητή· περὶ ἣν μένουσαν ὁ κόσμος στρέφεται ἄξων καλεῖται, καὶ τὰ τούτου πέρατα πόλοι. ἅπερ τινὲς μὲν ἀστέρας εἶναι μικροὺς ἔφασαν. ἄλλοι δὲ σημεῖα νοητὰ, καθὰ καὶ Ἄρατος. τούτων δὲ ὁ μὲν ἐστι μετέωρος, καὶ φανερώτερος ἡμῖν· ὁ δὲ οὐχ ὁρᾶται ὑφ᾽ ἡμῶν. καὶ καλεῖται ὁ μὲν ἀεὶ φανερὸς, καὶ βόρειος. ὁ δὲ, ἀεὶ ἀφανὴς, καὶ νότιος. (* f. τοῦ δὲ.)

Κύκλων δὲ ἐν τῷ κόσμῳ [καὶ μὴ] νοουμένων ἀπείρων, οἱ μὲν παράλληλοι ὀνομάζονται· οἱ δὲ διὰ τῶν πόλων· οἱ δὲ ὁρίζοντες· οἱ δὲ λοξοί· καὶ οἱ τέσσαρες παράλληλοι μέν εἰσιν οἱ τοὺς αὐτοὺς πόλους ἔχοντες τῷ κόσμῳ. λοξοὶ δὲ οἱ μὴ τοὺς αὐτοὺς * * * διὰ τῶν

De figuris lunaribus.

Illuminatæ lunæ effigies iſtæ ſunt. Corniculata dicitur, quando illius ambitus lineis continetur. Dimidiata vero, cùm * * * * * * * * * VII.

Æquidiſtantes appellantur in mundo, qui eumdem habent cum ſphæra ipſa polum. qui quidem cum polis comparati recti nominantur. Obliqui ſunt, quorum plana inclinantur ad rectos, & æquidiſtantes. Cùm autem infinitis modis excogitari poſſint in triplici differentia circuli, intelligendum eſt, eos dumtaxat à Mathematicis adhibitos fuiſſe, qui ad illarum rerum contemplationem utilitatis aliquid afferrent. Paralleli ſunt, arcticus; æſtivus tropicus: & antarcticus. Arcticus aliàs ſemper apparens vocatur. quòd perpetuò videatur, nec umquam occidat * * * * concurrunt pro regionum varietate: verticali puncto ad auſtrum, vel aquilonem longius abſcedente. Circuli ſphæræ.

Tropicus circulus ſic informandus animo eſt, tamquam ſol in æſtivo ſolſtitio poſitus parallelum iſtum à ſe deſcriptum ſenſibus objiciat. Æquinoctialis ideo dicitur, quód noctibus dies exæquentur, cùm ad eum circulum ſecundùm ſenſum ſol acceſſerit. Hibernus tropicus vocatur, quòd eum circulum Sol attingens hibernum ſolſtitium facit. Antarcticus alio nomine *numquam apparens* dicitur ex eo, quòd reipſa contingit, ut nullo modo videatur. Obliquorum duo ſunt, qui in ſenſus incurrunt, zodiacus, & lacteus. at horizontes ſola mentis cogitatione conſtant. E rectis Coluri nomen ex eo ſortiti ſunt, quòd mutili ſint, nec integri cernantur in converſione ſphæræ. Æquinoctialis inde dicitur, quód in eo æquinoctia contingant. Omnes iſti rectá & æquidiſtantes incumbunt. obliqui veró ab re ipſa vocabulum adepti ſunt.

Cùm autem ſphæræ ſimilis figura ſit mundi, & ad eum comparata terra centri rationem habeat; quæ per ipſorum medium trajecta cogitatur recta linea, quam circum manentem, & immobilem mundus vertitur; axis appellatur, cujus extrema poli nominantur, quæ quidem extrema nonnulli parvas eſſe ſtellas dixerunt. alii puncta cogitatione conſtantia. quæ eſt Arati ſententia. Horum polorum alter ſublimis eſt, nobiſque conſpicuus: alter minimè à nobis cernitur. prior cùm *ſemper apparens*; tum *boreus* appellatur. poſterior *ſemper occultus*, & *auſtralis*.

Jam circuli cùm innumerabiles cogitentur in mundo, alii ſunt, quos parallelos vocant. alii per polos tranſeunt. alii finitores. obliqui alii ſunt. Paralleli quatuor ſunt, qui eoſdem cum mundo polos habent. Obliqui, qui non eoſdem

eoſdem habent **** per polos circuli vocantur. Quidam in circumferentia ſua mundi polos continent. iidemque coluri, & meridiani præterea vocantur. finitores ſunt, qui apparentem mundi partem ſeparant: hoc eſt eam, quæ ſupra terram eſt, ab ea quæ infra terram conditur. Hi porrò mutantur, pro eo ac verticale punctum aliud eſt. qui eſt polus horizontis.

Arati circuli. Aratus verò, qui ad inclinationem Græciæ phænomena ſua comparavit, novem tantummodò circulorum meminit è quibus octo ſola cogitatione conſiſtunt: unus majori parte ſenſibus objicitur, qui *lacteus* dicitur. Nam & in ipſo ſuus ineſt cogitationi locus. Ex iis circulis paralleli ſunt quinque; arcticus; æſtivus tropicus; æquinoctialis; hibernus tropicus; antarcticus. obliqui ſunt duo, zodiacus, & lacteus, qui contrario invicem ſitu per tropicos obliquè ſinuantur. per polos trajiciuntur duti: meridianus, & horizon. Horum omnium maximi ſunt, æquinoctialis, & obliqui; nec non per polos producti. Dicuntur autem maximi, quorum diametri cùm invicem, tum mundi diametro ſunt æquales. & quorum idem eſt, mundique centrum. Ruſus ille, qui per media tranſiens ſigna dicitur, in zodiaco medio poſitus, *heliacus*, & *eclipticus* appellatur. *heliacus*, quòd ipſum ſol itinere ſuo peragrat. *eclipticus*, quòd in eo Sol, ac Luna defectus patiuntur. Ad hæc inter parallelos arcticus ita nominatus eſt, quód ad arctoas mundi partes accedat. Æſtivus tropicus, quoniam cùm Sol in eo verſatur, initio Cancri, quandti vertici noſtro potiſſimùm imminet, æſtivas converſitnes efficit. Æquinoctialis ideo vocatur, quia ſol in ipſo facit æquinoctia duti: vernum, circa Arietis initium: autumnale, circa Chelarum initium. Hibernus tropicus eſt, in quo, circa initium Capricorni, Sol ab vertice noſtro longiùs abſcedens hibernas converſiones facit. Antarcticus æqualis Arctico ad auſtralem polum collocatur. Qui autem per polos ducti, vel obliqui dicuntur, ab ſitu nomen acceperint. Zodiacus ideo vocatur, quòd in eo duodecim zodia, hoc eſt *conſtellationes animalium* effigiatæ ſunt. cujus in medio qui collocatus eſt circulus tropicos in uno puncto contingit. Nam in æſtivo tropico Cancri eſt initium: in hiberno, Capricorni. Lacteus circulus à colore ſic dicitur. quippe candidus apparet, ac per tropicos obliquo & ipſe tractu ducitur. quamvis paullulùm citrà flectitur. Meridianus eſt, in quo finitorem ad polos ſecante, & in duos ſemicirculos dividente; quorum unus *ortivus*, alter *occiduus* dicitur; meridiana momenta contingunt. Hujus pars dimidia ſupra terram eſt; ſub terra dimidia pars altera. Idem & per polos bifariam ab horizonte dividitur: quemadmodum à parallelis horizontem ipſum ſecari diximus. Nam Arcticus, minimus cùm ſit, totus ſupra terram eminet *** ob inclinationem mundi ſecundùm Græciæ clima, attingente ipſum inferiore ambitu * * * * * vice verſa totus ſub terra deliteſcit.

Æquinoctialis circulus maximus, ac parallelorum medius, dimidia ſui parte ſupra terram attollitur, bifariam ab horizonte diviſus. altera dimidia parte ſub terra deprimitur. In has verò partes duas duobus in punctis ſecatur. quorum in uno Arietis eſt initium; in altero, Chelarum. Tropici æſtivi ampliùs dimidio ab horizonte interciſum ſupra terram aſſurgit. reliquum ſub terram abſconditur. Contrà ſe habet hibernus tropicus. Ambo iſti ut minores maximis ſunt, ſic minimis majores. Poſt maximos æquales ſunt invicem, tropicus æſtivus hiberno; & arcticus antarctico. Quippe ab æquinoctiali diſtant æqualiter; qui centrum continent. Qui autem circuli ex æquo remoti ſunt à centro, ſunt æquales invicem. Etenim ſi meridianum circulum in 360 partes diſtribuas, erunt à polo mundi ad arcticum circulum, partes 36. Hinc ad æſtivum tropicum, 30. Ab hoc ad æquinoctialem, 24. Inde ad antarcticum, 30. à quo ad polum auſtralem, 36. Hæ ſunt 180 partes ſupra terram emergentis hemiſphærii: reliquæ alterius ſunt ſub terra conditi.

πόλων κύκλοι καλοῦνται. οἱ δὲ ἐπὶ τῆς αὐτῆς περιφερείας τοὺς τοῦ κόσμου πόλους ἔχοντες· οἱ δὲ αὐτοὶ ὑπὸ ὀρθοί τε, καὶ κόλουροι, καὶ μεσημβρινοὶ προσονομάζονται. ὁρίζοντες δὲ οἱ διορίζοντες ἡμῖν τό τε φανερὸν τοῦ κόσμου *** τμῆμα τό τε ὑπὲρ γῆν, καὶ τὸ ὑπὸ γῆν. οὗτοι δὲ μεταβάλλουσιν, ὅταν τὸ κατὰ κορυφὴν σημεῖον ἕτερον γίνηται. τοῦ γάρ ἐστι πόλος ὁρίζοντος.

Ἄρατος μὲν πρὸς τὸ τῆς Ἑλλάδος κλίμα τὰ φαινόμενα πραγματευσάμενος, ἐννέα μόνων ἐπεμνήσθη κύκλων. ὀκτὼ μὲν νοητῶν. αἰσθητοῦ δὲ, καὶ κατὰ τὸ πλεῖον ἑνὸς, τοῦ καλουμένου γαλαξίου. * καὶ ἐν τούτῳ γὰρ νοεῖται διὰ τούτου τοῦ κύκλου. τούτων δ' εἰσὶ παράλληλοι ε'· ἀρκτικός· θερινὸς τροπικός· ἰσημερινός· χειμερινός· ἀνταρκτικός. λοξοὶ δύο· ὅ τε ζωδιακὸς, καὶ ὁ γαλαξίας, ἐναντίως ἀλλήλοις κατὰ τὴν θέσιν διὰ τῶν τροπικῶν λελοξωμένοι. καὶ διὰ τῶν πόλων μεσημβρινός τε ὤν, καὶ ὁ ὁρίζων ἕτερος. τούτων δὲ εἰσὶ μέγιστοι, ὅ τε ἰσημερινὸς, καὶ οἱ λοξοὶ, καὶ οἱ διὰ τῶν πόλων. μέγιστοι δὲ καλοῦνται, ὧν αἵ τε διάμετροι ἴσαι εἰσὶν ἀλλήλαις, καὶ τῇ τοῦ κόσμου διαμέτρῳ. καὶ ὅσοι τὸ αὐτὸ κέντρον ἔχουσι τῷ κόσμῳ. ὅτι δὲ ὁ, ἄλλος ὁ διὰ μέσων τῶν ζωδίων λεγόμενος, μεσαίτατος ὑπάρχων τοῦ ζωδιακοῦ, ἡλιακός τε, καὶ ἐκλειπτικὸς ἐπικαλούμενος· ἡλιακὸς μὲν, ὅτι ὁ ἥλιος τὴν πορείαν δι' αὐτοῦ ποιεῖται. ἐκλειπτικὸς δὲ, ὅτι δι' αὐτοῦ ἐκλείπουσιν ὅ τε ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη. καὶ τῶν παραλλήλων δὲ ὁ μὲν ἀρκτικὸς * οὐκ ὠνομάσθη, ὅτι πρὸς ταῖς ἄρκτοις ὑπάρχει. ὁ δὲ θερινὸς τροπικὸς, ὅτι ἐπὶ τούτου γινόμενος ἥλιος κατὰ τὴν τοῦ καρκίνου ἀρχὴν, καὶ τότε μάλιστα ὑπὲρ κεφαλῆς ἡμῶν, θερινὰς τροπὰς ποιεῖται. ἰσημερινὸς δὲ, ὅτι ἐν τούτῳ ἰσημερίας δύο ποιεῖ· ἐαρινὴν μὲν, κατὰ τὴν τοῦ κριοῦ ἀρχήν· μετοπωρινὴν δὲ, κατὰ τῶν χηλῶν. χειμερινὸς δὲ τροπικὸς, ἐφ' οὗ κατὰ τὴν τοῦ αἰγόκερω ἀρχὴν ὁ ἥλιος τοῦ κατὰ κορυφὴν ἡμῶν τόπου ἀφεστὼς, χειμερινὰς τροπὰς ποιεῖται. ἀνταρκτικὸς δὲ, ὁ τῷ ἀρκτικῷ ἴσος ὑπάρχων πρὸς τῷ νοτίῳ τεθειμένος πόλῳ. οἱ δὲ διὰ τῶν πόλων, καὶ λοξοὶ παρὰ τὴν θέσιν ὠνομάσθησαν. καὶ ὅτι ὁ μὲν ζωδιακὸς ἐπεὶ ἐν αὐτῷ τὰ ιβ' ζώδια κατηστέρισται· τοῦ διὰ μέσου αὐτοῦ κύκλου ἐφαπτομένου τῶν τροπικῶν κατὰ ἓν μόνον σημεῖον. κατὰ μὲν γὰρ τὸν θερινὸν τροπικὸν, ἡ τοῦ καρκίνου ἐστὶν ἀρχή· κατὰ δὲ τὸν χειμερινὸν, τοῦ αἰγόκερω. ὁ δὲ γαλαξίας ἀπὸ τῆς χροιᾶς ὠνόμασται. λευκὸς γὰρ φαίνεται, καὶ αὐτὸς διὰ τῶν τροπικῶν λελοξωμένος μικρὸν μέν τι ὑπερπίπτων. μεσημβρινός τε ἐφ' οὗ τέμνοντος τὸν ὁρίζοντα * πρὸς τῶν πόλων, καὶ εἰς δύο ἡμικύκλια διαιροῦντος· ὧν τὸ μὲν, ἀνατολικόν· τὸ δὲ δυτικὸν, ὀνομάζεται· συμβαίνει τὰς μεσημβρινὰς ἀποτελεῖσθαι. ἔχει δὲ τὸ μὲν ἥμισυ ὑπὲρ γῆν· τὸ δὲ ἕτερον ἥμισυ, ὑπὸ γῆν. καὶ αὐτὸς διὰ τῶν πόλων ἀντιτεμνόμενος δίχα ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος. ὁρίζων δὲ, καθὰ προείρηται, * ἐπὶ τῶν παραλλήλων. ὁ μὲν γὰρ ἀρκτικὸς, ἐλάχιστος ὢν, ὅλος ὑπὲρ γῆν ἐστι ***, διὰ τὴν ὡς πρὸς τὸ τῆς Ἑλλάδος κλίμα τοῦ κόσμου ἔγκλισιν, ἁπτομένης αὐτοῦ τῆς κάτω περιφερείας *** τοῦ ἀνάπαλιν ὑπὸ γῆν ὅλος ὑπάρχει.

Ὁ δὲ ἰσημερινὸς, μέγιστος ὢν, μέσος τῶν παραλλήλων, τὸ μὲν ἥμισυ ἔχει ὑπὲρ γῆν * τεμνόμενος ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος δίχα. τὸ δὲ λοιπὸν ἥμισυ ὑπὸ γῆν. * τέμνεται διαμέσον δίχα κατὰ δύο σημεῖα. ὧν κατὰ μὲν τὸ ἕν, ἡ τοῦ κριοῦ ἐστιν ἀρχή· κατὰ δὲ τὸ ἕτερον, ἡ τῶν χηλῶν. τοῦ μέντοι θερινοῦ τροπικοῦ πλεῖον ἢ τὸ ἥμισυ ὑπὲρ γῆν ὑπὸ τοῦ ὁρίζοντος τέμνεται· τὸ δὲ λοιπὸν ἥμισυ ὑπὸ γῆν ἐστι. καὶ τοῦ χειμερινοῦ δὲ τροπικοῦ ἀνάπαλιν. εἰσί τε ἐλάσσονες μὲν τῶν μεγίστων· μείζονες δὲ τῶν ἐλαχίστων. * οἱ δὲ ἀλλήλοις μετὰ τοὺς μεγίστους ὅ τε θερινὸς τῷ χειμερινῷ· καὶ ὁ ἀρκτικὸς τῷ ἀνταρκτικῷ. ἀπὸ γὰρ τοῦ ἰσημερινοῦ ἴσον ἀπέχουσιν, ὃς διὰ τοῦ κέντρου ἐστὶν * * * * οἱ διαφόρως ἴσον ἀπέχοντες ἀπὸ τοῦ κέντρου ἴσοι εἰσί. τεμνομένου γὰρ τοῦ μεσημβρινοῦ κύκλου εἰς τξ' μοίρας, ἀπὸ * μεσημβρινοῦ κύκλου ἐπὶ τὸν ἀρκτικὸν κύκλον μοιρῶν * τς'· ἀπὸ δὲ τοῦ ἐπὶ τὸν θερινὸν τροπικὸν λ'. ἀφ' οὗ ἐπὶ τὸν ἰσημερινὸν κδ'. ἀφ' οὗ ἐπὶ τὸν * ἀρκτικὸν λ'. ὅθεν ἐπὶ τὸν ἀφανῆ πόλον λς'. καί εἰσιν αὗται τοῦ ὑπὲρ γῆν ἡμισφαιρίου μοιρῶν ρπ'. αἱ δὲ λοιπαὶ τοῦ ὑπὸ γῆν.

* Hæc mendoſa ſunt.

* f. οὕτως.

* f. διὰ.

* f. ὑπὸ.

* f. τεμνόμενος.

* f. τέμνεται δὲ.

* f. ἴσοι.

* Videtur πόλο legendum.

* Leg. λς'. mox ἀπὸ δὲ τούτου.

* Cor ἀνταρκτικόν.

De aſtris.

VIII. ASTrorum alia fixa, alia errantia vocantur. fixa dicuntur, quæ in mundi ſuperficie non moventur: ſed eumdem ordinem inter ſe perpetuò ſervant. Errantia ſunt ſol, & Luna, ac ceteri planetæ quinque. Ex his enim ſol * * in uno zodiaci circuli loco moventur, ſtationem faciunt. * * repedantes ad permeantem media ſigna circulum: & ad Septentriones, aut

Περὶ ἄστρων.

Τῶν δὲ ἄστρων τὰ μὲν, ἀπλανῆ καλεῖται, τὰ δὲ, πλανώμενα. ἀπλανῆ μὲν τὰ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ κόσμου μὴ κινούμενα· ἀλλ' ἀεὶ τὴν αὐτὴν ἔχοντα τάξιν πρὸς ἄλληλα. πλανώμενα δὲ ἐστιν ὅ τε ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη, καὶ οἱ ε' πλανῆται ἀστέρες. τούτων γὰρ ὁ μὲν ἥλιος * * * * ἐφ' ἑνὸς τόπου ζωδιακοῦ κύκλου κινοῦνται στηρίζονται. * * * * ἀναποδίζοντες ἐπὶ τὸν διὰ μέσου τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου τεταμένον

* Imò ἀπλανῶν. περιιόντες πρός τε τὰς ἄρκτους, καὶ πρὸς μεσημβρίαν, τὸ ἴσον ἐφ' ἑκάτερα. τῶν δὲ * πλανήτων τὰ μὲν, πρὸς βορέαν κεῖται τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου· τὰ δὲ πρὸς νότον. καλεῖται δὲ τὰ μὲν βόρεια μέρη δεξιά τε, καὶ ἄνω, ἐν ὕψει μᾶλλον ὑπάρχοντα· τὰ δὲ νότια ἀριστερά τε, καὶ κάτω. τοῦ μὲν τοῦ κόσμου τὴν ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν φορὰν φερομένου, τὴν ἐναντίαν αὐτῷ οἱ πλανῆται κινούμενοι περιάγονται ὅμως, [ἢ] διὰ τὸ τάχος τῆς τοῦ κόσμου περιστροφῆς, συμπεριστρεφόμενοι ὁμοίως δὴ τοῖς ἀπλανέσιν ἄστροις.

meridiem, æqualiter ad utrumque deflectentes. Inerrantium ſtellarum aliæ ad aquilonem à zodiaco circulo recedunt; ad auſtrum aliæ. Dicuntur autem boreales partes, dextræ, ſuperioréſque: ut quæ ſublimiores exiſtant. auſtrales, ſiniſtræ, & inferiores. Jam verò cùm mundus ab ortu moveatur in occaſum, contrario motu planetæ nihilominùs agitantur: ac propter converſionis mundi celeritatem, itidem ut inerrantes in orbem cientur.

Περὶ τῶν ἐν γῇ ζωνῶν.

ϛ. Ζῶναι δέ εἰσι τῆς γῆς ὑπὸ τοὺς παραλλήλους κύκλους ὁμοίως ε΄. βόρειος, ὅλη μετέωρος, ἀοίκητος, κατεψυγμένη· Κρόνου· ἑξηκοστῶν μὲν ϛ΄. σταδίων δὲ δισμυρίων ͵εσ΄. τὸ γὰρ ἑξηκοστὸν σταδίων ἐστὶ * ͵ασ΄. (* Postulat ratio ͵δ.) θερινὴ πλεῖστα ἔχουσα τὰ ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα. εὔκρατος, ἐν ᾗ ἐστιν ἡ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένη· Διός· ἑξηκοστῶν ε΄. σταδίων δὲ δισμυρίων καὶ α΄. ἰσημερινὴ ἴσον ἔχουσα τὸ ὑπὲρ γῆν ὁρίζοντος τῷ ὑπ' αὐτόν· ἀοίκητος, διακεκαυμένη, Ἄρεως· ἑξηκοστῶν μὲν η΄, ἐξ ἑκατέρου μέρους τοῦ ἰσημερινοῦ τεσσάρων. οὗτος γὰρ αὐτήν, καὶ τὴν ὅλην σφαῖραν τέμνει μέσην, σταδίων δὲ τρισμυρίων καὶ γχ΄. χειμερινὴ ἀνάπαλιν τῇ θερινῇ πλεῖον ἔχουσα τὸ * ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα· (* Imò ὑπό.) οἰκουμένη· εὔκρατος· Ἀφροδίτης· ἑξηκοστῶν ε΄, σταδίων δὲ δισμυρίων καὶ α΄. νότιος, ὅλη ἀφανής, ἀοίκητος, κατεψυγμένη, Ἑρμοῦ· ἑξηκοστῶν μὲν ϛ΄. σταδίων δὲ δισμυρίων ͵εσ΄. ὡς εἶναι ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα περίμετρον τῆς γῆς, ἑξηκοστὰ μὲν λ΄. σταδίων μυριάδων δὲ ιβ΄ καὶ ͵ϛ΄.

Καλοῦνται δὲ οἱ μὲν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἡμισφαιρίου βόρειοί τε, καὶ νοτιώτεροι κατοικοῦντες, * αὐτόχθονες. (* Cor. ἀντίχθονες.) οἱ δὲ ἐφ' ἑκατέρου τοῦ ἡμισφαιρίου ὑπὲρ γῆν τε, καὶ ὑπὸ γῆν, ἀντίποδες.

De zonis.

IX. PArallelis circulis zonæ quinque ſubjectæ ſunt: Borealis, quæ tota ſupra terram eminens eſt, inhabitabilis, alſioſa, Saturno dicata; ſexageſima ſcrupula ſex patens; ac ſtadiorum 25200. Nam ſcrupulo cuique ſtadia competunt * 1200. (* Imò 4200.) Æſtiva, cujus major pars ſupra finitorem extollitur. Temperata, in qua regio noſtra ſita eſt; attributa Jovi, ſcrupulorum quinque, ſtadiorum 21000. Æquinoctialis æqualem ſupra, infráque horizontem obtinens partem; inhabitabilis eſt, exuſta, Martis propria amplitudine ſcrupulorum octo, hoc eſt ab utraque æquinoctialis parte quatuor. hic enim tam ipſam, quàm totam ſphæram mediam dividit. Habet ſtadiorum 33600. Hiemalis contrà atque æſtiva majori ſui parte ſub horizonte latet; habitabilis; temperata; dicata Veneri: ſcrupulorum quinque, ſtadiorum 21000. Auſtralis, quæ tota deliteſcit, inhabitabilis, frigida, ad Mercurium pertinens: ſcrupulorum ſex; ſtadiorum 25200. Colliguntur ambitus terræ ſupra finitorem, ſcrupula 30; ſtadiorum verò 126000.

Ceterùm qui in eodem degunt hemiſphærio boreales, auſtraleſque, dicuntur antichthones: qui in duobus hemiſphæriis ſupra, infráque terram, antipodes.

Οἱ περὶ τοῦ ποιητοῦ συνταξάμενοι.

Ἄτταλος Ῥόδιος.
Ἀρίσταρχος Σάμιος.
Ἀπολλώνιος γεωμέτρης.
Ἀντίγονος γραμματικός.
Ἀγησιάναξ.
Ἀρίστυλλοι δύο γεωμέτραι.
Βοηθός.
Γεμῖνος.
Διόδοτος.
Δίδυμος Κνίδιος.
Ἐρατοσθένης.
Ἕρμιππος.
Εὐαίνετος.
Ζήνων.
Ἡλιόδωρος Στωϊκός.
Θάλης.
Ἵππαρχος Βιθυνός.
Κράτης.
Πύῤῥος Μάγνης.
Παρμενίσκος γραμματικός.
Σμίνθης.
Τιμόθεος.
Εὐαίνετος ἕτερος.
Ἕρμιππος περιπατητικός.
Καλλίμαχος Κυρηναῖος.
Καλλίστρατος Τενέδιος.
Νουμήνιος γραμματικός.
Παρμενίδης.
Ἀπολλώνιος γραμματικός.
Ἀρίστυλλος μέγας.
Ἀρίστυλλος μικρός.
Ἀρίσταρχος γραμματικός.
Ἀριστοφάνης.
Ἀλέξανδρος Αἰτωλός.
Ἀλέξανδρος Ἐφέσιος.
Δίδυμος πονηρός.

Catalogus ſcriptorum, qui Aratum commentariis ſuis illuſtrarunt.

Attalus Rhodius.
Ariſtarchus Samius.
Apollonius Geometra.
Antigonus Grammaticus.
Ageſianax.
Ariſtylli duo geometræ.
Boëthus.
Geminus.
Diodotus.
Didymus Gnidius.
Eratoſthenes.
Hermippus.
Euanetus.
Zeno.
Heliodorus Stoicus.
Thales.
Hipparchus Bithynus.
Crates.
Pyrrhus Magneſius.
Parmeniſcus grammaticus.
Sminthes.
Timotheus.
Euanetus alter.
Hermippus Peripateticus.
Callimachus Cyrenæus.
Calliſtratus Tenedius.
Numenius grammaticus.
Parmenides.
Apollonius grammaticus.
Ariſtyllus magnus.
Ariſtyllus parvus.
Ariſtarchus grammaticus.
Ariſtophanes.
Alexander Ætolus.
Alexander Epheſius.
Didymus laborioſus.

ΓΕΝΟΣ ΑΡΑΤΟΥ
ΚΑΙ ΒΙΟΣ.

ARATI GENUS
ET VITA.

ARATUS Poëta patre natus eſt Athenodoro, matre Letophila, fratres habuit tres, Myrin, Caliondam, & Athenodorum patri cognominem. Meminit fratrum ſuorum in epiſtolis, quæ nomine ipſius inſcriptæ feruntur. Aſclepiades Myrleanus libro XI. de Grammaticis, Tarſenſem ait patriâ fuiſſe, non Solenſem: cùm tamen Callimachus vir in hiſtoria apprimè verſatus, & idoneus auctor, Solenſem fuiſſe dicat his verſibus:

—— ſed vereor ne quod præcipuum eſt
Carminum Solenſis expreſſerit.

Patria Arati. Quod idem & alii ferè omnes aſſeverant. Urbs eſt autem Soli Ciliciæ cumprimis nobilis: è qua multi viri præſtantes ortum acceperunt. Ea vocatur hodie Pompeiopolis. Habet & Solorum nomine aliud oppidum Cyprus inſula. Verùm qui in Cypro ſunt, Solii: qui in Cilicia, Solenſes appellari ſolent. ut ex eo, quod attulimus, exemplo Callimachi liquet. Neque verò mirum eſt ab eodem vocabulo diverſas civium appellationes eſſe deflexas. Nam & Sais urbs eſt in Thracia ei, quæ eſt in Ægypto, cognominis. Sed ab Ægyptia, *Saitæ*: ab Threcenſi, *Saii* cives nominantur. ut teſtatur Archilochus:

Clypeo quidem Saiorum aliquis gloriatur: quem ad frutetum
Intus inculpatum reliqui ingratus.

Rurſus Athenæ aliæ ſunt in Atticai: aliæ in Eubœa; quarum meminit in Glauco maritimo Æſchylus:

Exinde Athenas Daidas è Perſis.

Verùm ab Athenis Atticis, Athenienſes: ab Eubœenſibus Athenetæ cognominantur. ut in primo Geographiæ libro auctor eſt Eratoſthenes. Sic igitur ab Solis, qui ſunt in Cilicia, Solenſes: ab iis qui ſunt in Cypro, Solii nominantur. Horum mentio fit à Solone in Elegiis, quas ad Cypranorem Regem ſcripſit. qui de Solonis conſilio cum urbem condidiſſet, eam in hujus gratiam Solos appellavit: ut pro dato conſilio id ei honoris tribueret. Verba Solonis ejuſmodi ſunt:

Nunc verò tu quidem apud Solios diu iſtîc regnans,
Hanc urbem incolas, genúſque tuum.
Me verò cum navi celeri inclyta ab inſula
Incolumem deducat Cypris viola redimita.

Arati ætas. Vixit Aratus ſub Antigono Macedoniæ Rege, qui Gonatas eſt dictus, Demetrii Poliorcetæ filio, qui uxorem habuit Philam Seleuco, & Stratonica genitam. Qui cùm litterarum ſtudioſus eſſet, præſertimque poëticæ deditus: dedit operam, ut cùm alios complures apud ſe eruditos haberet homines; tum imprimis Aratum. Hic igitur ad Regem cùm veniſſet, atque & in alio genere doctrinæ, & in poëtica maxime ſeſe illi probaſſet, ipſiuſmet hortatu Regis ad ſcribenda phænomena animum adjecit: cùm ab eodem Eudoxi librum accepiſſet, quod *enoptrum* inſcribitur; rogante uti quæ in eo libro proſa oratione ſcripta eſſent, verſibus redderentur: ac ſimul dicente: εὐδοξότερον, id eſt

ἌΡΑΤΟΣ ὁ ποιητὴς, πατρὸς μὲν ἦν Ἀθηνοδώρου, μητρὸς δὲ Λητοφίλας. ἀδελφοὺς δὲ ἔσχε τρεῖς· Μύριν, καὶ Καλιόνδαν, καὶ Ἀθηνόδωρον, ὁμώνυμον τῷ πατρί. μέμνηται δὲ αὐτὸς τῶν ἀδελφῶν ἐν ταῖς εἰς αὐτὸν ἀναφερομέναις ἐπιστολαῖς. Ἀσκληπιάδης δὲ ὁ Μυρλεανὸς ἐν τῷ ἑνδεκάτῳ περὶ γραμματικῶν, Ταρσέα φησὶν αὐτὸν γεγονέναι, ἀλλ' οὐ Σολέα. Καλλιμάχου, πολυΐστορος ἀνδρὸς, καὶ ἀξιοπίστου, Σολέα λέγοντος αὐτὸν γεγονέναι διὰ τούτων,

—— ἀλλ' ὀκνέω μὴ * τὸ μὲν κρήτης
Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο.

* Inf. τὸ μελιχρότατον legitur.

καὶ τῶν ἄλλων σχεδὸν πάντων. οἱ δὲ Σόλοι, πόλις ἐπιφανεστάτη τῆς Κιλικίας, ἀφ' ἧς πολλοὶ καλοὶ κἀγαθοὶ γεγόνασιν ἄνδρες. καλεῖται δὲ νῦν Πομπηϊούπολις. εἰσὶ δὲ καὶ ἕτεροι Σόλοι τῆς Κύπρου. ἀλλ' οἱ μὲν Κύπριοι Σόλιοι καλοῦνται. οἱ δὲ Κιλίκιοι, Σολεῖς. ὡς καὶ διὰ τοῦ προκειμένου Καλλιμαχείου παραδείγματος δῆλον. οὐδὲν δὲ θαυμαστὸν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὀνόματος διαφέρειν τῶν πολιτῶν τὰ ὀνόματα. καὶ γὰρ Σαῒς πόλις ἐστὶν ἐν Θρᾴκῃ· καὶ ἑτέρα ταύτῃ ὁμώνυμος ἐν Αἰγύπτῳ. ἀλλ' ἀπὸ μὲν τῆς ἐν Αἰγύπτῳ οἱ πολῖται Σαΐται καλοῦνται· οἱ δὲ τῆς Θρᾴκης, Σάϊοι· ὡς καὶ Ἀρχίλοχος φησίν·

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ
Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον, οὐκ ἐθέλων.

καὶ πάλιν Ἀθῆναι μέν εἰσι τῆς Ἀττικῆς· εἰσὶ δὲ καὶ τῆς * Εὐβοίας Ἀθηναίων Δαΐδας μέμνηται ἐν Γλαύκῳ ποντίῳ Αἰσχύλος.

* Leg. Ἀθῆναι. ὧν μέμνηται.

Κἄπειτ' Ἀθήνας Δαΐδας παρ' ἐκ Περσῶν.

ἀλλ' ἀπὸ μὲν τῆς ἐν τῇ Ἀττικῇ οἱ πολῖται Ἀθηναῖοι· ἀπὸ δὲ τῆς ἐν Εὐβοίᾳ, Ἀθηνῆται λέγονται. ὥσπερ Ἐρατοσθένης φησὶν ἐν τῷ πρώτῳ γεωγραφουμένων. οὕτως οὖν καὶ ἀπὸ τῶν ἐν Κιλικίᾳ Σόλων οἱ πολῖται Σολεῖς· ἀπὸ δὲ τῶν ἐν Κύπρῳ, Σόλιοι. μέμνηται δὲ τούτων Σόλων ἐν ταῖς ἐλεγείαις ταῖς πρὸς Κυπράνορα τὸν βασιλέα· ὃς συμβουλευθεὶς ὑπὸ Σόλωνος κτίσαι τὴν πόλιν, χάριν τοῦ ἀνδρὸς Σόλους ὠνόμασεν· ἀμοιβὴν ταύτην νέμων τῆς συμβουλῆς αὐτῷ. λέγει δὲ ὁ Σόλων οὕτως·

Νῦν δὲ σὺ μὲν Σολίοισι πολὺν χρόνον ἐνθάδ' ἀνάσσων,
Τήνδε πόλιν ναίοις, καὶ γένος ὑμέτερον.
Αὐτὰρ ἐμὲ ξὺν νηῒ θοῇ κλεινῆς ἀπὸ νήσου
Ἀσκηθῆ πέμποι Κύπρις ἰοστέφανος.

γέγονε δὲ ὁ Ἄρατος κατὰ Ἀντίγονον τὸν τῆς Μακεδονίας βασιλέα, ὃς ἐπεκαλεῖτο Γονατᾶς. ἦν δὲ υἱὸς Δημητρίου τοῦ Πολιορκητοῦ. καὶ γυναῖκα ἔσχε Φίλαν τὴν Σελεύκου, καὶ Στρατονίκης θυγατέρα. ἦν δὲ φιλόλογος γενόμενος καὶ περὶ ποιητικὴν ἐσπουδακώς, περὶ πολλοῦ ἐποιήσατο πολλοὺς μὲν καὶ ἄλλους τῶν πεπαιδευμένων ἔχειν παρ' αὐτῷ· καὶ δὴ καὶ τὸν Ἄρατον. ὃς παρὰ τῷ βασιλεῖ γενόμενος, καὶ εὐδοκιμήσας ἔν τε τῇ ἄλλῃ πολυμαθείᾳ, καὶ ποιητικῇ, προετράπη ὑπ' αὐτοῦ τὰ Φαινόμενα γράψαι τοῦ βασιλέως, Εὐδόξου ἐπιγραφόμενον βιβλίον κάτοπτρον δόντος αὐτῷ, καὶ ἀξιώσαντος τὰ ἐν αὐτῷ καταλογάδην λεχθέντα περὶ τῶν φαινομένων * μέτρῳ ἐντεῖναι· καὶ ἅμα εἰπόντος, ὡς εὐδοξότερον ποιεῖς

* F. ἔμμετρα.

ποιῇς τὸν Εὔδοξον, ἐκτείνας τὰ παρ' αὐτῷ κείμενα μέτρῳ. γέγονε δὲ Ἀντίγονος κατὰ τὴν ρκε' Ὀλυμπιάδα καθ' ὃν χρόνον ἤκμασεν ὁ Ἄρατος· καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός. μέμνηται δὲ τοῦ κατόπτρου Εὐδόξου, καὶ Ἀντιγόνου * Ἀλεξάνδρου τοῦ Αἰτωλοῦ· καὶ ὡς ἠξιώθη ὑπὸ τοῦ βασιλέως γράψαι ἐν ταῖς ἰδίαις ἐπιστολαῖς Ἄρατος. λέγεται δὲ ἐσχολακέναι Διονυσίῳ τῷ Ἡρακλεώτῃ. καὶ τὴν Ὀδύσσειαν δὲ διώρθωσε. καὶ καλεῖταί τις διόρθωσις οὕτως Ἀράτειος, ὡς Ἀριστάρχειος, καὶ Ἀριστοφάνειος. τινὲς δὲ αὐτὸν εἰς Συρίαν ἐληλυθέναι φασί, καὶ γεγονέναι παρ' Ἀντιόχῳ, καὶ ἠξιῶσθαι ὑπ' αὐτοῦ, ὥστε τὴν Ἰλιάδα διορθώσασθαι, διὰ τὸ ὑπὸ πολλῶν λελυμάνθαι. οἱ δὲ λέγοντες Νίκανδρον τὸν Κολοφώνιον μετὰ Ἀράτου Ἀντιγόνῳ συγκεχρονικέναι, καὶ Ἄρατον μὴ εἶναι ἐπιστήμονα τῶν οὐρανίων μήτε Νίκανδρον τῶν ἰατρικῶν. λέγουσι γὰρ ὡς ἄρα ὁ Ἀντίγονος Ἀράτῳ μὲν ὄντι ἰατρῷ, ἐπέταξε τὰ φαινόμενα γράψαι· Νικάνδρῳ δὲ ἀστρολόγῳ ὑπάρχοντι, τὰ θηριακά, καὶ τὰ ἀλεξιφάρμακα· ὅθεν καὶ ἑκάτερον αὐτῶν ἐσφάλθαι κατολισθαίνοντα ἐπὶ τὰ ἴδια τῆς τέχνης ψεύδονται. ἀγνοοῦσι γὰρ ὡς οὐ συνήκμασε τῷ Ἀράτῳ Νίκανδρος· ἀλλ' ἔστιν αὐτοῦ πολὺ νεώτερος. Ἀντίγονος γὰρ, ᾧ συνεγένετο Ἄρατος, κατὰ τὸν πρῶτον καὶ δεύτερον γέγονε Πτολεμαῖον. Νίκανδρος δὲ κατὰ τὸν πέμπτον. μέμνηται γοῦν αὐτοῦ καὶ Καλλίμαχος ὡς πρεσβυτέρου, οὐ μόνον ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πραξιφάνην, πάνυ ἐπαινῶν αὐτόν, ὡς πολυμαθῆ, καὶ ἄριστον ποιητήν. γέγονε δὲ ὁ Ἄρατος ζηλωτὴς Ἡσιόδου· ὡς καὶ Καλλίμαχος παρεσημήνατο τοῦτο διὰ τοῦ εἰς αὐτὸν ἐπιγράμματος. οὕτως·

* f. καὶ Ἀλεξ.

gloriosiorem, eo facto reddideris Eudoxum, si ab eo tradita carminibus exprimas. Vixit autem Antigonus Olympiade cxxv: quo tempore floruit Aratus; & Alexander Ætulus. Meminit *speculi* illius Eudoxi; & Antigoni, atque Alexandri Ætoli in epiſtolis Aratus: utque Rex ad ſcribendum eum hortatus ſit. Fertur & Dionyſio Heracleotæ operam dediſſe. Idem Odyſſeam correxit. & emendatio quædam illius nomine Aratea dicitur: velut Ariſtarchea, & Ariſtophanea. Aſſerunt aliqui illum in Syriam profectum apud Antiochum degiſſe; ab eoque rogatum eſſe, ut Iliadem corrigeret, quòd depravata eſſet à multis. Nicandrum verò Colophonium cum Arato apud Antigonum vixiſſe qui dicunt: ac tam Aratum rerum cœleſtium, quàm Nicandrum medicinæ imperitos fuiſſe. (Aiunt enim Antigonum Arato, qui profeſſione medicus erat, mandaſſe ut phænomena conſcriberet: Nicandro verò aſtrologo, Theriaca, & Alexipharmaca: ob idque ambos aberraſſe, ad ea, quæ erant artis ſuæ propria, delapſos.) hæc qui dicunt, falli eos neceſſe eſt. Non enim ſciunt cum Arato non floruiſſe Nicandrum; ſed eo multò juniorem exſtitiſſe. Nam Antigonus, quo cum fuit Aratus, primo ac ſecundo Ptolemæo regnante vixit. Nicandet ſub quinto. Itaque Callimachus Arati tamquam anterioris mentionem facit, non ſolùm in Epigrammatibus; ſed etiam in iis quæ ad Praxiphanem ſcripſit. ubi & illum impensè collaudat, tamquam eruditum, & optimum poëtam. Ceterùm Heſiodum æmulatus eſt Aratus. quod Callimachus epigrammate quodam in eum ſcripto teſtatus eſt his verbis.

Nicandro teſt. ann. quior.

Ἡσιόδου * δ' ἄεισμα, καὶ ὁ τρόπος, οὐ τὸν ἀοιδῶν
Ἔσχατον, ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο. χαίρετε λεπταὶ
Ῥήσιες * δρήτου σύντονος ἀγρυπνίης.

* f. τὸ δ' ἄ. mox, ἀοιδῶν.
* f. ἄῤῥητα, & σύντονοι.

Heſiodi hoc carmen, & modus. non Poëtarum;
*Poſtremum * * * **
Carminum Solenſis expreſſit. Salvete ſubtilia
Dicta inexplicabilis germana vigiliæ.

ἔγραψε δὲ καὶ ἄλλα ποιήματα περί τε Ὁμήρου, καὶ Ἰλιάδος· οὐ μόνον τὰ φαινόμενα· καὶ ὀστολογίαν καὶ ἰατρικὰς δυνάμεις· καὶ εἰς Πᾶνα ὕμνον. καὶ εἰς Μύριν τὸν ἀδελφὸν ἐπικήδειον· καὶ διοσημείαν· καὶ Σκυθικόν· καὶ ἕτερα λεπτὰ ἄλλα. ἐπιτετευγμένως δὲ αὐτῷ ἐγράφη τὰ φαινόμενα· ὡς παρευδοκιμηθῆναι πάντας ὑπὸ Ἀράτου. καὶ γὰρ Εὔδοξος ὁ Κνίδιος ἔγραψε φαινόμενα· καὶ Λάσος ὁ Μάγνης, οὐχ ὁ Ἑρμιονεύς. ἀλλ' ὁμώνυμος ἄλλος Λάσῳ τῷ Ἑρμιονεῖ· καὶ Ἕρμιππος καὶ Ἡγησιάναξ· καὶ Ἀριστοφάνης ὁ Βυζάντιος· καὶ ἄλλοι πολλοί. ὧν καὶ Πτολεμαῖος μέμνηται ὁ βασιλεὺς * ἰδιοφυέσιν οὕτως.

* An ἰδίως, καὶ φυσ.

Præter phænomena ſcripſit & alia poëmata, de Homero, & Iliade: de oſſibus; ac medicis facultatibus: hymnum in Pana: epicedium in Myrin fratrem; de oſtentis: Scythicum: & alia quædam minuta. In phænomenis verò ſcribendis potiſſimùm excelluit: adeo ut ceteros longè ſuperaret. Nam Eudoxus quoque Cnidius de phænomenis ſcripſit: & Laſus Magnes, non Hermionenſis; ſed ei qui Hermionenſis erat, cognominis; nec non Hermippus; Hegeſianax; Ariſtophanes Byzantius: aliique complures: de quibus meminit Ptolemæus, ita ſcribens:

Scripta illius.

Πάνθ' Ἡγησιάναξ τε, καὶ Ἕρμιππος * κατ' αἰθέρα
Τείρεα, καὶ πολλοὶ ταῦτα τὰ φαινόμενα
Βίβλοις ἐγκατέθεντο· * ἀπὸ σκοποῦ δ' ἀφάμαρτον.
Ἀλλὰ * τὸ τοι λεπτολόγου σκῆπτρον Ἄρατος ἔχει.

* Scr. τὰ κατ'.
* Scr. ἀφήμαρτον.
* Scr. τὸ, & σκῆπτρον.

Omnia Hegeſianax, & Hermippus atherea
Aſtra: & plures hac phænomena
Libris commiſerunt. ſed à ſcopo aberrarunt.
Verùm ſubtilis ſcriptoris principatum Aratus obtinet.

καὶ ἄλλοι δὲ πολλοὶ γεγόνασιν Ἄρατοι, ἄνδρες ἐλλόγιμοι, ἱστοριογράφοι. ὥσπερ ὁ Κνίδιος, οὗ φέρονται Αἰγυπτιακὰ ἱστορικὰ συγγράμματα. καὶ τρίτος ἐπισημότατος Σικυώνιος, οὗ ἐστιν ἡ πολύβιβλος ἱστορία, ὑπὲρ τὰ λ' βιβλία ἔχουσα. τὰς δὲ Ἀράτου ἐπιστολάς, ὧν ἀνωτέρω ἐμνήσθημεν, πάντων σχεδὸν συμφωνούντων τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας αὐτοῦ εἶναι, καὶ ὁμολογούντων γνησίας αὐτάς, μόνος Ἀπολλωνίδης ὁ Κηφεὺς ἐν τῷ ὀγδόῳ περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας, οὐκ εἶναι αὐτὰς Ἀράτου φησίν. ἀλλὰ Σαβιρίου Πόλλωνος. οὗ δὲ αὐτοῦ ταύτας φησὶν εἶναι ἐπιγεγραμμένας Εὐριπίδου ἐπιστολάς.

Præter hunc exſtiterunt alii complures Arati, celebres hiſtorici. velut Cnidius: cujus exſtant Ægyptiacarum hiſtoriarum libri. tertius item nominis ejuſdem Sicyonius, longè clariſſimus; à quo multis libris edita eſt hiſtoria. Sunt enim ampliùs triginta. Quod ad epiſtolas Arati ſpectat, quarum ſuprà meminimus; cùm in hoc conſentiant omnes, illius eas eſſe germanas, quæ ipſi tribuuntur; ſolus Apollonius Cepheus in octavo de falſa hiſtoria, negat eas Arati eſſe: ſed Sabirii Pollonis, à quo & illas eſſe ſcriptas epiſtolas aſſerit; quæ Euripidis nomine circumferuntur.

Περὶ ἐξηγήσεως.

ΤΗν δὲ τῶν φαινομένων ἐξήγησιν πρῶτον μὲν ἑστώσης τῆς σφαίρας· μετὰ δὲ ταῦτα κινουμένης ἐποιήσατο Ἄρατος. διὸ συμβέβηκε πάσας τὰς σφαίρας ἐν ἁμαρτίᾳ ὑπὸ τῶν ζωγράφων γράφεσθαι. ἑστῶτα γὰρ, καὶ ἀκίνητα γράφοντες αὐτά, σφάλματα πολλὰ ἐν τῇ κινήσει ἐν τοῖς συνανατέλλουσι, καὶ ἀντιδύνουσιν ἄστροις. * ποιοῦσι δὲ τὴν ἀρχὴν ἑστώσης τῆς σφαίρας περὶ ἄξονος, καὶ πόλων, καὶ τῶν ἐντὸς τοῦ ἀρκτικοῦ κύκλου ἄστρων τὸν λόγον ποιεῖται. λέγω δὲ ἄρκτων, καὶ δράκοντος, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς ζώνης μέχρι ποδῶν τοῦ Κηφέως. εἶτα περὶ τῶν μεταξὺ τοῦ ἀρκτικοῦ, καὶ ζωδιακοῦ εἶναι νομιζομένων. λέγει δὲ περὶ τῶν μεταξὺ τοῦ ἀρκτικοῦ, καὶ ζωδιακοῦ, καὶ ἀνταρκτικοῦ οὕτως·

* Hæc nonnihil mendoſa.

Καὶ τὰ μὲν ἂν Βορέω, καὶ ἀλήσιος ἠελίοιο
Μεσσηγὺς κέχυται. τὰ δὲ νειόθεν ἄρχεται ἄλλα.

κινουμένης δὲ τῆς σφαίρας, * τῶν ἀνατολῶν, καὶ συνανατολ-

* Deeſt nomen ἀρχῶν.

De enarratione apparentium Arati.

APparentium rationem ſic Aratus expoſuit ut immotam primò ſphæram; pòſt camdem ſeſe convertentem aſpiceret. Hinc apparet ſphæras omnes à pictoribus non ſine errore pingi. Cùm enim eodem loco conſiſtentia, & immobilia deſcribant; plures ex eo neceſſe eſt in orientibus ſimul & occidentibus ſideribus errores incidere. Initio itaque ab ſphæra conſiſtente facto, de axe, polo, & iis ſideribus, quæ arctici circuli ambitu clauduntur, ſermonem inſtituit. cujuſmodi ſunt, Urſæ, Draco, & quæ ab cingulo ad pedes Cephei pertinent. tum de iis, quæ arcticum inter, & zodiacum collocata videntur. Ac de iis quidem, quæ inter arcticum, & zodiacum, atque antarcticum ſita ſunt, ita ſcribit:

Atque alia quidem inter aquilonem, & iter ſolis
In medio fuſa ſunt. alia ab inferiori parte incipiunt.

Verùm converſam poſtea contemplatus eamdem ſphæ-

Κῖκος δὲ Πρόκλῳ χλευάζων, γελοίως τὰς Ἡσιόδου ἐξηγεῖται ἡμέρας, ἕτερον εἶναι μῆνα Ἑκατομβαιῶνος τὸν Κρόνιον ὑπολαμβάνων, καὶ τρίτον συντάττων ἀπὸ Ἑκατομβαιῶνος· καὶ Θαργηλιῶνα μὲν, καὶ Μεταγειτνιῶνα μηδαμῶς ὀνομάζων ὑπ' ἀμαθίας· Ληναιῶνα δὲ ὃν καὶ αὐτὸς ᾔδει Γαμήλιον ὄντα· καταλέγων ἐν τοῖς τῶν Ἀθηναίων μησὶ, καὶ δεύτερον τιθεὶς ἀπὸ Ἑκατομβαιῶνος. Ἑκατομβαιῶνα μὲν οὖν εἶναι μετὰ Σκιροφοριῶνα εὐθὺς· καὶ περὶ Ἑκατομβαιῶνα τὰς θερινὰς εἶναι τροπὰς, φανερὸν δὴ ἐντεῦθεν. Μεταγειτνιῶνα δ' ἑξῆς εἶναι· εἶτα Βοηδρομιῶνα, δηλοῖ μὲν καὶ τὰ Δημοσθένους ἄρτι εἰρημένα. ἐπιμαρτυρεῖ δὲ καὶ τὸ Θεοφράστου περὶ σπόρου λεχθὲν πρότερον, Μεταγειτνιῶνα ἐφεξῆς εἶναι Ἑκατομβαιῶνι. τοῦ γὰρ χειμερινοῦ ἀρχὴν μετὰ τροπὰς θερινὰς τοῦ Μεταγειτνιῶνος μηνὸς εἶναί φησιν· αἱ δὲ θεριναὶ τροπαὶ περὶ Ἑκατομβαιῶνα ἦσαν. καὶ ἔτι τὸ Ἀριστοτέλους περὶ κυήσεως τῶν ἀκρίδων. μετὰ γὰρ Ἑκατομβαιῶνα Μεταγειτνιῶνα καταριθμεῖ ἐφεξῆς. Βοηδρομιῶνα δὲ ἐπὶ Μεταγειτνιῶνι εἶναι, συλλογίσασθαι δεῖ, καὶ ἐκ τοῦ ῥηθέντος Ἀριστοτέλει περὶ τόκου τῶν ἀκρίδων ἐστί. ὑπὸ ἀρκτοῦρον γάρ φησι τὰς ἀκρίδας ἐκτίκτειν. κύειν δὲ περὶ μῆνας τρεῖς, Σκιροφοριῶνα, Ἑκατομβαιῶνα, Μεταγειτνιῶνα· ἀρκτοῦρός τε περὶ Βοηδρομιῶνα ἐπιτέλλει. ἐξάλλεσθαι γὰρ τὰς ἐλάφους φησὶ μετ' ἀρκτοῦρον περὶ Βοηδρομιῶνα. καὶ Θεόφραστος ὡραίαν εἶναι τὴν τοῦ καλάμου τομὴν, ὑπ' ἀρκτοῦρον, Βοηδρομιῶνος. καὶ Σουΐδας δὲ δὴ ὁ λεξικὸς, ὑγιὲς εἴρηκε τοῦτό γε δεύτερον εἶναι Ἀθηναίοις μῆνα τὸν Μεταγειτνιῶνα, εἰπών. μετὰ δὲ Βοηδρομιῶνα ἐφεξῆς Μαιμακτηριὼν· δῆλον δέ. Ἀριστοτέλης γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς περὶ ἐλάφου, τοῦτον ἑξῆς τέταχεν αὐτόν· ἡ δ' ὀχεία γίνεται μετ' ἀρκτοῦρον, περὶ τὸν Βοηδρομιῶνα, καὶ Μαιμακτηριῶνα. καὶ τῶν ζώων δὲ τὰ ἀσθενέστερα πρότερον ποιεῖσθαι τὴν μετάστασιν πρὸς τὰς μεταβολὰς τῶν ὡρῶν, ἐπιδεικνὺς, ὄρτυγας μὲν Βοηδρομιῶνος· γεράνους δὲ Μαιμακτηριῶνος μεταβάλλειν φησί· καθάπερ ὁμοίως δὴ καὶ ὁρῶμεν τὰς γεράνους τοῦ ἐπιόντος μηνὸς μετὰ τὰς ὄρτυγας ἀπαίρειν ἐκ τῶν ψυχρῶν τόπων, εἰς τοὺς ἀλεεινούς. ἅμα δὲ δῆλον καὶ ἐκ τοῦ, μῆνα δεῖν τάξαι, περὶ ὃν ἡ φθινοπωρινὴ ἰσημερία. τέταρτον γὰρ ἀπὸ Ἑκατομβαιῶνος, περὶ ὃν ἡ θερινὴ ἦν τροπή. Μαιμακτηριὼν δὲ, περὶ ὃν ἡ ἰσημερία. περὶ ἀρκτοῦρον γὰρ ἡ ἰσημερία. περὶ Μαιμακτηριῶνα δὲ ὁ ἀρκτοῦρος. τῶν δὲ θέσεων, τῇ μὲν αὐθέντης Θεόφραστος, ἀνθεῖν ἱστορῶν τὴν κερωνίαν περὶ ἀρκτοῦρόν τε, καὶ ἰσημερίαν. καὶ προσέτι Γαληνὸς ὁ ἰατρὸς, γράφων ἐν τοῖς περὶ ὑγιεινῶν λόγοις ὧδε· ἔστι μὲν ὡραιότατον τῆς ἐλάτης τὸ σπέρμα περὶ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ ἀρκτούρου. ὅς τις καιρὸς ἐν Ῥώμῃ, ὁ καλούμενος μὲν Σεπτέμβριός ἐστι. τῇ δ' αὐθέντης Ἀριστοτέλης. μετ' ἀρκτοῦρον γὰρ, φησὶ, περὶ Βοηδρομιῶνα, καὶ Μαιμακτηριῶνα, ὡς εἴρηται. ἢ οὐ τὸ σύνεγγυς ἂν σημαίνοι ὁ οὕτω φράζων. τοῦτο δὲ ἄτοπον. ἐπεὶ καὶ ἡ φύσις πρὸς τὰς ὥρας ποιεῖται τὰς ὀχείας, καὶ τοὺς τόκους τῶν ζώων· καὶ ἤτοι ὅλῃ χρῆται τῇ ὥρᾳ ἢ τῷ μέσῳ που μάλιστα τῆς αὐτῆς. ἄλλως τε καὶ εἰ τῇ ἀρχῇ χρησαμένη ἤδη τυγχάνοι. σημεῖον δ' οὐ μικρὸν τοῦ προσεχοῦς καὶ τὸ περὶ βοῶν οὕτω ῥηθέν· ἄρχονται τῆς ὀχείας αἱ βόες περὶ τὸν Θαργηλιῶνα μῆνα, καὶ τὸν Σκιροφοριῶνα ὡς μάλιστα· ἀλλ' ἔνιαι καὶ μέχρι τοῦ μετοπώρου κυΐσκονται. τὸν γὰρ τῶν πλείστων χρόνον ὀχείας περὶ τοὺς δύο μῆνας, Θαργηλιῶνα, καὶ Σκιροφοριῶνα, διεστείλατο πρὸς τὸν τῶν ἐνίων. ὅλως τε ὅπου ποτ' ἂν οὕτως ἑρμηνεύῃ συντάξας, μηδὲν προσδιορίζων, τὸ ἐφεξῆς τοῦ χρόνου λαμβάνει. δῆλον δὲ τῷ καθ' ἕκαστον μετιόντι. ἀλλὰ μὴν καὶ τῶν γαλεῶν ἀστερίαν ἄρχεσθαι μὲν ὀχεύεσθαι μηνὸς Μαιμακτηριῶνός φησι, δὶς δὲ τοῦ μηνὸς ἀποτίκτειν. τοῦτο δὲ συμβαίνειν εὐθὺς ἀπὸ ἰσημερίας φθινοπωρινῆς, οἱ περὶ Τάραντα ἁλιεῖς λέγουσιν. εἰκὸς δὲ καὶ τῷ λόγῳ· τῶν γὰρ ἰχθύων ὀλίγοι τίκτουσι μετοπώρου· ὡς καὶ Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ. οἷον σάλπη, σαργὸς, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα· καὶ νάρκη, καὶ ῥίνη, μικρὸν πρὸ ἰσημερίας τῆς φθινοπωρινῆς. εἰ δὲ ἀστερίας Μαιμακτηριῶνος τίκτει, εἰκὸς τὸν μῆνα τοῦτον μὴ εἶναι δεύτερον ἀπὸ τῆς ἰσημερίας, ἀλλὰ πρῶτον. καὶ περὶ ἰσημερίαν δὴ τίκτειν καὶ ἀστερίαν τῶν σελαχωδῶν ὄντα, καὶ ὁμογενῆ τῇ νάρκῃ, καὶ ῥίνῃ. ἰσημερία μὲν οὖν διὰ ταῦτα περὶ Μαιμακτηριῶνα· καὶ ἑξῆς οὗτος Βοηδρομιῶνί ἐστι. Πυανεψιὼν δὲ, μετὰ Μαιμακτηριῶνα εὐθύς. τὸ δὲ πιστὸν καὶ τὰ Πλουτάρχου [illegible], λέγοντος ἐν τῷ Θησέως βίῳ, ἄγειν Ἀθηναίους τὴν τῶν Ὀσχοφορίων ἑορτὴν Πυανεψιῶνος, Θησέως κατασκευάσαντος· φέρειν τε τὰς ὄσχας, ὅτι συγκομιζο-

tombæoni nomen, Cronio priùs, ut Plutarchus inquit, nuncupato. Athenienſes.

Porrò Cecus Proclum irridens, dies Heſiodi ridiculè interpretatur, alium menſem ab Hecatombæone Cronion eſſe exiſtimans, & tertium ab illo conſtituens: & Thargelionem quidem, ac Metagitnionem, præ imperitia, nullo modo nominans; Lenæonem verò (quem idem Januarium eſſe ſciebat) inter Atticos menſes recenſens, & propinqua ſede Hecatombæoni collocans. Hecatombæonem igitur eſſe ſtatim à Scirophorione, & circa Hecatombæonem æſtivum ſolſtitium confici, hinc conſtat dilucide. Ceterùm Metagitnionem eſſe deinceps, poſtea Boëdromionem, declarant quidem ea, quæ nuper ex Demoſthene protulimus. Metagitnionem autem eſſe proximum Hecatombæoni, etiam illud Theophraſti de ſatu antedictum ſuffragatur. Hyberni enim ſatus initium eſſe dicit, poſt æſtivum ſolſtitium, menſe Metagitnione: ſolſtitium verò æſtivum erat circa Hecatombæonem. & illud quoque Ariſtotelis de locuſtarum graviditate. Nam poſt Hecatombæonem ſtatim Metagitnionem numerat. Boëdromionem autem eſſe poſt Metagitnionem, ex eo, quod dixit Ariſtoteles de locuſtarum partu, colligere eſt. Sub arcturum enim ait locuſtas excludere; tribus verò menſibus, quæ conceperunt ova, in utero ferre, Scirophorione, Hecatombæone, Metagitnione. Arcturúſque circa Boëdromionem oritur. Nam cervas ſaliri ab arcturo, menſe Boedromione refert. Et Theophraſtus tempeſtivam eſſe calami cæſuram ſub arcturo. Porrò Suidas ille dictionarii ſcriptor, rectè hoc quidem dixit, Metagitnionem ſecundum eſſe menſem Athenienſibus. At poſt Boëdromionem deinceps eſt Mæmacterion: idque in promptu eſt. Nam Ariſtoteles eodem (quo de cervis) loco, hunc proximum illi ordine conſtituit, cùm dixit: *Coitus verò fit poſt arcturum, circa Boëdromionem & Mæmacterionem.* Animalia quoque imbecilliora priùs migrare ad temporum mutationes docet, coturnices quidem Boedromione, grues autem Mæmacterione: ut ſcilicet videmus grues ſequente menſe poſt coturnices ex frigidis locis ad apricos, & tepidos diſcedere. Simul autem hinc quoque compertum eſt, quòd operæpretium ſit ſtatuere menſem, in quo ſit autumni æquinoctium, quartum quidem ab Hecatombæone, circa quem æſtivum ſolſtitium agebatur. Mæmacterion verò eſt, in quo fit æquinoctium. Nam circa arcturum æquinoctium eſt. porrò Mæmacterione eſt arcturi ortus. Harum autem poſitionum partim auctor Theophraſtus, florere ſiliquam ceroniam circa arcturum, æquinoctiúmque memoriæ prodens. & præterea Galenus medicus ita ſcribens in libris de ſalubribus: *Eſt maturrimum* (inquit) *tempeſtiviſſimúmque abietis ſemen circiter arcturi ortum, quod tempus Romæ Septembrem vocant.* partim etiam auctor eſt Ariſtoteles: *Poſt arcturum,* inquit, *Boëdromone, & Mæmacterione,* ut antè explicatum eſt. Alioquin menſium propinquitatem nequaquam ſignificaret, qui hoc modo ſcribit. Id verò abſurdum. quandoquidem certis anni tempeſtatibus ad coitus partuſque animantia natura incitat, & vel toto utitur tempore, vel maximè ejuſdem medio, præſertim ſi jam principium occuparit. Argumentum verò hujus cohærentiæ non parvum illud quoque, quod de bubus ſic dictum eſt: *Incipiunt coire boves Thargelione & Scirophorione plurimæ. At verò etiam aliquæ tempus coeundi uſque ad autumnum deducunt.* Tempus enim plurimarum contrahens ad duos illos menſes Thargelionem, & Scirophorionem, à nonnullarum tempore diſtinxit. In ſumma, ubi ubi eo ordine interpretatur, nihil præcidens, definiénsve, temporis ſeriem intelligit: id quod ſingula perſequenti eſt perſpicuum. Verùm enimverò è muſtellorum quoque genere Stellarem coïtum inire Mæmacterione, & bis menſe partum abſolvere dicit. Id autem contingere ab autumnali æquinoctio, piſcatores Tarentini aſſeverant. Quod & rationi conſentaneum, cùm piſcium pauci autumno pariant, ut idem auctor eſt Ariſtoteles: ut Salpa, Sargus, & id genus alia, & Torpedo; & Squatina paullulùm ante autumnale æquinoctium. Quòd ſi Stellaris Mæmacterione parit, conſentaneum eſt hunc menſem non eſſe alterum ab æquinoctio, ſed certè primum: & Stellarem quoque circa æquinoctium parere, generis cùm ſit cartilaginei, & ejuſdem, cujus Teſtudo & Squatina. Ex his itaque circa Mæmacterionem æquinoctium eſt, & continuus Boedromioni Mæmacterion. Pyanepſion autem protinus à Mæmacterione eſt. fidémque faciant Plutarchi verba, in Theſeo dicentis: Athenienſes Pyanepſione Ramorum diem feſtum agere in memoriam

Cecus ridiculus Procli ſubſannator.

Lenæon menſis Januarius.

Hecatombæon Scirophorioni proximus.

Metagitnion. Boëdromion.

Arcturi ortus.

Metagitnion ſecundus menſis Athenienſium.

Poſt Boëdromionem Mæmacterion.

Mæmacterion.

Theſei tum è Creta cum juvenibus reducis facti; & ramos geſtare, quòd tum redierit, quum fructus legerentur die octavo Pyanepſionis. Conſtat enim fuiſſe vindemiæ tempus: quæ in Attica nequaquam fiat ſerior ab arcturo, quàm tertio menſe. Tertius verò nobis eſt à Boedromione, & ab arcturo Pyanepſion. Atqui etiam Theophraſtus in iiſdem libris de plantis, Pyanepſione arbutum florere ſcribit; quod in Attica conſpicitur, & ſimilis temperiei regionibus, menſe ab autumnali æquinoctio ſecundo: tertio vero deflorere, & jam creſcentia arbuta habere. Pyanepſione quoque in Ægypto prunum florere dicit: verùm id fieri ſecundo menſe ab æquinoctio Ægyptii aſſeverant. At cuiquam fortaſſe de his ambigenti videri poſſit Pyanepſion Boedromioni omnium proximus, ſi eo menſe fiebat autumni fructuum comportatio, ut Plutarchus inquit. At non ita eſt, cùm Mæmacterionem continuò eſſe demonſtratum ſit. Mæmacterioni igitur Pyanepſion contiguus. Ultimus nobis hac enumeratione eſt Antheſterion: reliquo enim ſedem eam, quæ ſupereſt adſcribi oportet. Et hæc quidem interim probatio ſufficiat. Simul verò conſtat, circa Poſideonem brumam eſſe, idque ratione exactiore, quòd à principio rejecimus ad poſteriora. Septimus namque eſt ab Hecatombæone, æſtivóque ſolſtitio. Sed Philoſtratus longè in alia ſtetit ſeotentia, dicens Athenienſibus morem fuiſſe pueros trimos floribus coronari, menſe Antheſterione. Is enim, ut apparet, hunc menſem apertè inter vernos enumerat. Si igitur Philoſtrati æquales, Athenienſes dico, menſibus aliter utebantur, ac ipſorum majores, eorum ſcilicet ordine turbato, verum aliquid diceret. Tamerſi nobis curæ non eſt, cognoſcere quid Philoſtrati tempore agerent Athenienſes; ſed quid Ariſtotelis & Theophraſti. Quid verò ſi hoc quoque de pueris comminiſcitur, ut pleraque alia, ex iis unus, quos Sophiſtas dixere: cúmque menſem vernum eſſe credit, à floribus ducta nominis ratione? Nempe ſic quæ dixit fiunt contemptiora. Neque enim fide dignior videri queat notatio à florum copia, quàm ab eorum inopia. Nam quòd id temporis contingit floribus orbari, Antheſterionem diximus poſtremum autumnalium menſium: ſi quo fortè modo in nominibus rationem ſequi oporteat.

Antheſterionis etymologia.

μένης ὀπώρας ἐπανήκει Θησεὺς μετὰ τῶν ἠϊθέων ἐκ Κρήτης, Πυανεψιῶνος ὀγδόῃ ἱσταμένου. δῆλον γὰρ ὅτι ἀμπελικῆς ὀπώρας ἡ κομιδὴ ἦν. ἡ δ' ὀψιαιτέρα μετ' ἀρκτοῦρον, ἢ εἰς τρίτον μῆνα οὐκ ἂν γίνοιτο περὶ Ἀττικήν. τρίτος δ' ἡμῖν Πυανεψιὼν ἀπὸ Βοηδρομιῶνος, καὶ μετ' ἀρκτοῦρον. ἀλλὰ μὴν καὶ Θεόφραστος ἐν τοῖς αὐτοῖς περὶ φυτῶν ἱστορεῖ, κόμαρον ἀνθεῖν Πυανεψιῶνος. ὁρᾶται δὲ τοῦτο γινόμενον περὶ Ἀττικὴν, καὶ τὰς ὁμοίας τῆς κράσεως χώρας δευτέρῳ μηνὶ ἀπ' ἰσημερίας φθινοπωρινῆς. τρίτῳ δ' ἀπανθεῖν καὶ τὸ μεμαίκυλον ἤδη ἁδρυνόμενον ἴσχειν. Πυανεψιῶνος δὲ καὶ τὴν ἐν Αἰγύπτῳ κοκκυμηλέαν ἀνθεῖν φησι. τοῦτο δὲ περὶ δεύτερον γίνεσθαι μῆνα ἀπὸ ἰσημερίας Αἰγύπτιοι λέγουσι. καὶ ἄλλως δὲ δόξειεν ἂν ἀμφισβητοῦσι μάλιστα τῶν ἄλλων ἁπάντων μηνῶν ὁ Πυανεψιὼν εὐθὺς εἶναι μετὰ Βοηδρομιῶνα, εἴ γε περὶ αὐτὸν ἡ κομιδὴ τῆς ὀπώρας, ὡς Πλούταρχος ἔφη. οὐκ ἔστι δέ. Μαιμακτηριῶνα γὰρ εἶναι ἀποδέδεικται δή. ὁ ἄρα μετ' ἐκεῖνον εὐθὺς, οὗτός ἐστιν. ὕστατος δὲ τῷ καταλόγῳ τῷδε ἡμῖν Ἀνθεστηριών. τῷ γὰρ ὑπολειπομένῳ τὴν λοιπὴν ἀπονέμειν χώραν δεῖ ἀναγκαῖον. καὶ πίστις ἱκανὴ, πῶς γε τοῦτο ἂν εἴη. ἅμα δὴ δῆλον, καὶ ὅτι περὶ Ποσειδεῶνα αἱ χειμεριναὶ τροπαὶ, ἀκριβέστερον. ὅπερ κατ' ἀρχὰς ἀπελίπομεν τοῖς ὑστέροις. ἕβδομος γὰρ ὅδε ἀπὸ Ἑκατομβαιῶνος, καὶ τροπῶν θερινῶν. Φιλόστρατος δὲ πάμπολυ διέστηκε, φάμενος Ἀθηναίοις νόμιμον εἶναι, τοὺς παῖδας τριετεῖς γενομένους στεφανοῦσθαι τῶν ἀνθέων, μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος. δῆλος γάρ ἐστιν ἐαρινὸν τόνδε μῆνα καταλεγόμενος. εἰ μὲν οὖν οἱ ἐπ' αὐτοῦ Ἀθηναῖοι ἢ τῶν προγόνων περὶ τοὺς μῆνας σύνταξιν ὑπαλλάξαντες, ἄλλως ἐχρῶντο, ἀληθῆ ἂν λέγοι. πλὴν ἡμῖν, οὐχ ὅτι οἱ ἐπὶ Φιλοστράτου Ἀθηναῖοι ἦγον, ἐπιμελὲς εἰδέναι τι καὶ λαβεῖν. ἀλλ' ὅτι οἱ ἐπ' Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου. εἰ δὲ δὴ τὸ μὲν περὶ τοὺς παῖδας αὐτὸς λογοποιεῖ τι, καὶ πλάττεται, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ, σοφιστὴς ὤν· τὸν δὲ μῆνα ἀπὸ τῶν ἀνθέων ἐτυμολογῶν ὑπέλαβεν ἐαρινὸν εἶναι, οὕτω δὲ καὶ πολὺ μᾶλλον εὐκαταφρονητότερα τὰ κατ' αὐτὸν γίνεται. οὐδὲ γὰρ δὴ τὰ τῆς ἐτυμολογίας πιθανώτερα ἀπὸ τῆς ἕξεως τῶν ἀνθέων, ἢ ἀπὸ τῆς στερήσεως φαίνοιτ' ἄν. ὅτι γὰρ στέρεσθαι τότε ἀνθέων συμβαίνει τὴν ὥραν, Ἀνθεστηριῶνα τὸν τελευταῖον τῶν φθινοπωρινῶν μηνῶν ὀνομάζεσθαι φαίημεν ἂν ἡμεῖς· εἴ τι δέοι καὶ τοῖς ὀνόμασι κατακολουθεῖν.

Ordo & ſeries Atticorum menſium.

VI. SEries igitur Atticorum menſium à nobis hoc pacto ex ſupradictis cauſis ducenda eſt.

Hecatombæon.
Metagitnion.
Boëdromion.
Mæmacterion.
Pyanepſion.
Antheſterion.
Poſideon.
Gamelion.
Elaphebolion.
Munychion.
Thargelion.
Scirophorion.

Τὸ ἐφεξῆς τῶν Ἀττικῶν μηνῶν.

ΤΟ μὲν οὖν ἐφεξῆς τῶν Ἀττικῶν μηνῶν ὧδε ἡμῖν διὰ τὰς εἰρημένας αἰτίας ὑφηγείσθω. ϛ'.

Ἑκατομβαιών.
Μεταγειτνιών.
Βοηδρομιών.
Μαιμακτηριών.
Πυανεψιών.
Ἀνθεστηριών.
Ποσειδεών.
Γαμηλιών.
Ἐλαφηβολιών.
Μουνυχιών.
Θαργηλιών.
Σκιροφοριών.

Cauſa menſium ignorationis.

VII. HArum autem rerum ignorationis, quæ majorum noſtrorum ingenia antehac occæcavit, cauſa hæc eſt: quòd Romani & annum emendarint, & ut aliis populis, ita Græcæ genti imperarint. Ad imperium enim externum, puritate elegantiáque ſermonis amiſſa, Græci (ut ferè fit:) ad imperitantium linguam tranſierunt, & Latina nomina cùm in aliis multis, tum in menſium propriis vocabulis permiſcentes, in uſum ſuum verterunt: acceptiſque Romanorum coloniis, ſe etiamnum Romanos, non Hellenas vocant, & nominibus menſium Romanis tamquam ſuis utuntur.

Cur Græci puritatem ſermonis in menſibus amiſerunt. Hellenes Romani.

Αἴτιον τῆς περὶ τοὺς μῆνας ἀγνοίας.

ΤΗς δὲ περὶ ταῦτα ἀγνοίας τοῖς πρὸ ἡμῶν, αἴτιον τὸ Ῥωμαίους ἅμα καὶ διορθῶσαι τὰ περὶ τὸν ἐνιαυτὸν, καὶ ἄρξαι ὥσπερ τῶν ἄλλων ἐθνῶν, καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ. πρὸς γὰρ τῷ ἀρχθῆναι ἑτέροις, καὶ τὸ τῆς φωνῆς δὴ καθαρὸν καὶ κομψὸν Ἑλληνικὸν ἀπολωλεκότες, πρὸς τὴν τῶν ἀρχόντων φωνὴν, ὡς φιλεῖ γίνεσθαι, ἐξέστησαν. καὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν ὀνομάτων ἄλλοις τε πολλοῖς, καὶ δὴ καὶ ταῖς τῶν μηνῶν προσηγορίαις τοῖς σφετέροις ἀναμιγνύντες ἐχρῶντο. δεξάμενοί τε ἀποικίας Ῥωμαίων, αὑτούς τε ἄχρι καὶ νῦν Ῥωμαίους ἀντὶ Ἑλλήνων καλοῦσι. καὶ, ὥσπερ οἰκείαις, ταῖς τῶν Ῥωμαίων ἀμφὶ τοὺς μῆνας χρῶνται ὀνομασίαις. ζ'.

De menſium interpretatione.

VIII. UT verò interpretemur ad rationem Romanum menſium, ſi ſumpto certo indubitatoque principio unum aliquem menſium ritè deſignaverimus juxta Atticum morem, & eumdem etiam, ut Romani appellare conſueverint: ſic utique non ineptè fuerit traditum, ut vertendi ſinguli, quóve modo eorumdem nominibus quolibet anni tempore ſit utendum. Nam de Romanorum ordine à ne-

Περὶ ἑρμηνείας τῶν μηνῶν.

ΕΡμηνείας δ' ἕνεκα πρὸς τοὺς τῶν Ῥωμαίων μῆνας, εἰ λάβοιμεν ἀρχὴν ὁμολογουμένην ἕνα τινὰ τῶν μηνῶν, ὀνομάσαντες ὀρθῶς, ὡς Ἀθηναῖοι ἦγον, καὶ ὡς Ῥωμαῖοι τὸν αὐτὸν προσηγόρευσαν αὐτόθι· ἔσται δὴ οὕτω καλῶς ἀποδεδομένον, ὡς ἑκάστους γε μεθερμηνευτέον, καὶ ὡς περὶ ἑκάστην δή που τῶν ὡρῶν χρηστέον τοῖς Ἀθηναίων ὀνόμασι τούτοις. περὶ γὰρ τάξεως τῶν Ῥωμαϊκῶν η'.

γε

γε ἀμφισβητεῖ οὐδείς· ὁ πρῶτος Ἰανουάριος, εἶτα Φεβρουάριος, εἶτα Μάρτιος, καὶ οἱ λοιποί, καθάπερ καὶ λέγονται ἐφεξῆς. εἰλήφθω δὴ οὖν τις τῶν τροπικῶν. ἔστω δέ, εἰ δοκεῖ, Ἑκατομβαιών. εἰ τοίνυν περὶ Ἑκατομβαιῶνα αἱ θεριναὶ τροπαὶ Ἀθηναίοις, δῆλον ὅτι περὶ ὃν ἄν ποτε ὦσι Ῥωμαίοις τῶν οἰκείων μηνῶν αἱ αὐταὶ τροπαί, οὗτός ἐστιν Ἑκατομβαιών. λέγω δὲ κατ' ἀναλογίαν, ὥσπερ σήπιον καὶ ἄκανθαν, καὶ ὀστοῦν. ἀνάλογον γάρ, καὶ πάντα ἁπλῶς ἑρμηνεύειν δεῖ, μὴ ὅτι τοὺς μῆνας, εἰ μέλλοι τι ὄφελος εἶναι τῆς ἑρμηνείας. περὶ Ἰούνιον δὲ Ῥωμαίοις ἀεὶ αἱ θεριναὶ τροπαί, ὡς ἴσασι πάντες. ὁ ἄρα Ἰούνιός ἐστιν Ἑκατομβαιών. θεμένοις δὲ δὴ Ἰούνιον εἶναι τὸν Ἑκατομβαιῶνα, ἔργον οὐδὲν τῶν ἄλλων ἕκαστον ἑρμηνεῦσαι. ὁ γὰρ ἀεὶ ἑπόμενος τῶν Ἀττικῶν κατὰ τὴν ὑποτεθεῖσαν σύνταξιν, τῷ ἀεὶ ἐπιόντι τῶν Ῥωμαϊκῶν ἐφαρμόττειν, καὶ πρὸς τὰς ὥρας τοῦ ἐνιαυτοῦ συμφωνεῖν ὑπάρξει. ἀπορήσειε δ' ἄν τις, ἅτε τοὺς χρόνους Ἀθηναῖοι ἦγον κατὰ τὴν σελήνης φοράν, Ῥωμαῖοι δὲ κατὰ τὴν ἡλίου λογίζονται, πῶς ἂν οἱ τῶν Ἀθηναίων ἐφαρμόζοιντο τοῖς μὲν Ῥωμαίων μησίν, ὥς τι καὶ ὑπερτίζειν ἀεί, καὶ Ἰούνιον μὲν τὸν Ἑκατομβαιῶνα, Ἰούλιον δὲ τὸν Μεταγειτνιῶνα ἑρμηνεύειν ὀρθῶς. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. οὐ γὰρ ἰσοταχὴς ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ· οὐδ' ἅμα παύονται καὶ ἄρχονται, ὡς εἰπεῖν, περὶ τὸν τοῦ ζῳδιακοῦ μερισμόν. ἀνάγκη δὴ ἐπαμφοτερίζειν τοὺς τῶν Ἀθηναίων μῆνας. εἰ δὲ δὴ ἕκαστος ἐπαμφοτερίζει ἀμφοῖν, ἐπιλήψεται δὲ τι τοῦ προτέρου, ὡς Ῥωμαῖοι ἄγουσι, καὶ τοῦ ὑστέρου μηνός, τί μᾶλλον ἀπὸ τοῦ προτέρου μεθερμηνευόμενος ὀνομάζοιτο ἂν καλῶς, ἢ ἀπὸ τοῦ ὑστέρου. ὃν δὴ τρόπον καὶ Γαληνὸς περὶ τοῦ τῆς ἐλάτης σπέρματος γράφων, ὅστις καιρός, φησίν, ἐν Ῥώμῃ μὲν ὁ καλούμενος μὴν Σεπτέμβριός ἐστιν, ἐν Περγάμῳ δὲ παρ' ἡμῖν Ὑπερβερεταῖος, Ἀθήνησι δὲ Μυστήρια. τὰ γάρ τοι Μυστήρια Βοηδρομιῶνος ἦν. περὶ εἰκάδα γὰρ τοῦ Βοηδρομιῶνος ὁ μυστικὸς Ἴακχος ἐξήγετο, ὡς καὶ Πλούταρχος ἱστορεῖ. ἔοικε δὲ καὶ ὁ Ῥωμαῖος Πλίνιος παντοδαπῆς ἱστορίας συγγραφεύς, οὕτω μεταφέρειν Ἀριστοτέλους τὸ περὶ τόκου τῶν ἰχθύων, ὡς οἱ πλεῖστοι τίκτουσιν ἐν τρισὶ μησί, Μουνυχιῶνι, Θαργηλιῶνι, Σκιροφοριῶνι· φάναι ἐν τρισίν, Ἀπριλίῳ, Μαΐῳ, Ἰουνίῳ, τίκτειν τοὺς πλείστους. ἔτι τοῦ ἐνιαυτοῦ, ὡς μὲν Ῥωμαῖοι ἄγουσι, τριακόσιαι, καὶ ἑξήκοντα, καὶ πέντε ἡμέραι εἰσίν. ἀκριβολογεῖσθαι δ' εἰς τὸ παρὸν οὐ δεῖ. ὡς δὲ Ἀθηναῖοι, κατὰ μὲν Ἀριστοτέλη, τριακόσιαι, καὶ ἑξήκοντα. ὅταν δὲ φησι κύουσι τῶν κυνῶν πέμπτον μέρος τοῦ ἐνιαυτοῦ. τοῦτο δέ ἐστιν, ἡμέραι ἑβδομήκοντα καὶ δύο. καθ' Ἡρόδοτον δέ, καὶ ἄλλους, τριακόσιαι πεντηκοντατέσσαρες. ὡς τούτων δὴ γενομένων, αἱ τῶν μηνῶν οἱ μὲν πλήρεις τε, καὶ τριακονθήμεροι, οἱ δὲ κοῖλοι τε, καὶ μιᾷ τῶν ἑτέρων ἡμέρᾳ λειπόμενοι ἐναλλὰξ εἶεν παρ' ἴσα. ὁποτέρως δ' ἂν ἔχῃ, τὸ ἐπιὸν δὴ ἔτος ἀεὶ προτερήσει, καὶ ἐκ προσαγωγῆς εἰς ἐναντίας ὥρας ἐμπεσοῦνται οἱ μῆνες ὑποφερόμενοι. πάλιν εἰ τὸ Ἴλιον ἥλω τελευτῶντος τοῦ ἔαρος, ὀγδόῃ φθίνοντος Θαργηλιῶνος μηνός, ἑπτακαίδεκα πρότερον ἡμέραις τῶν θερινῶν τροπῶν, ὡς ὁ Ἁλικαρνασσεὺς Διονύσιος ἀρχαιολογῶν τὰ Ῥωμαϊκά φησι, πῶς τροπικὸς θερινὸς ὁ Ἑκατομβαιών; ὧδε γὰρ ὁ λόγος ἀποφαίνει, Σκιροφοριῶνα εἶναι τροπικὸν θερινόν. ἀνομόλογον δὲ καὶ τὸ Θεοφράστου, ὅτι ἄκρου ἔαρος ὄντος, ἱσταμένου τοῦ Θαργηλιῶνος. εἰ γὰρ ἄκρον ἔαρος ὁ Θαργηλιών, οὐκ ἂν τροπικὸς ὁ Ἑκατομβαιὼν εἴη. πολὺ δ' ἧττον ὁ Μουνυχιὼν ἐαρινός τε, καὶ ἰσημερινός. ἔοικε δ' ἀπομφαῖνον καὶ τὸ τοῦ Πλουτάρχου, συγκομιζομένης ὀπώρας Πυανεψιῶνος ὀγδόῃ ἱσταμένου. δοκεῖ γὰρ ὁ Πυανεψιὼν μᾶλλον εἶναι ἰσημερινὸς φθινοπωρινός, ἢ ὁ Μαιμακτηριών, εἴ γε ἀμπελικῆς ὀπώρας ἡ κομιδὴ ἦν.

Λῦσαι δὴ δεῖ τὰ ἀπορούμενα ταῦτα, ἵν' ἥ τε σκέψις γένηται κατὰ τρόπον, καὶ τὸ πιστὸν μᾶλλον ἔχῃ τὰ εἰρημένα. τοὺς μὲν οὖν πάνυ ἀρχαίους ἀλογίστως τε καὶ ἀτάκτως χρῆσθαι τοῖς μησί, καὶ ἄλλους ἄλλως τὸν ἐνιαυτὸν ὁρίζεσθαι, ὑπέρ τι ἄλλων, καὶ Πλουτάρχου ἀνδρὸς πολυμαθεστάτου συνιδεῖν ἐστιν. ἔνιοι γοῦν τῶν βαρβάρων τριῶν ἦγον μηνῶν εἰς τὸν ἐνιαυτόν. καὶ τῶν Ἑλλήνων Ἀρκάδες μὲν τέτταρσιν, Ἀκαρνᾶνες δὲ ἕξ. Αἰγυπτίοις δὲ μηνιαῖος ἦν ὁ ἐνιαυτός, εἶτα τετράμηνος, ὥς φασι. δι' ὃ καὶ ἀρχαιότατοι εἶναι δοκοῦσι, πλῆθος ἐτῶν καταριθμοῦντες σφίσιν ἀμήχανον, ἅτε δὴ τοὺς μῆνας τιθέμενοι εἰς ἐτῶν ἀριθμόν. καὶ Ῥωμαῖοι δὲ πρότερον δεκάμηνον ἦγον τὸν ἐνιαυτόν, καὶ τῶν μηνῶν τοὺς μὲν οὐδὲ εἴκοσιν ἡμερῶν, τοὺς δὲ πέντε καὶ τριάκοντα, τοὺς δὲ καὶ πλειόνων. ἐκεῖνό τι μόνον ἐσκόπουν, ὅπως ἑξήκοντα, καὶ τριακοσίων ἡμερῶν ὁ ἐνιαυτὸς ἔσται. ἔννοιαν δὲ τῆς γινομένης περὶ τὴν σελήνην, καὶ τὸν ἥλιον ἀνωμαλίας οὐκ εἶχον. ὕστερον

mine ambigitur, primum eſſe Januarium, deinde Februarium, poſtea Martium, & ita alios deinceps, ut nominantur. Capiendus itaque è tropicis unus. Eſtòque, ſi videtur, Hecatombæon. Si igitur Athenienſibus menſe Hecatombæone ſolſtitium eſt, certum eſt circa quemcumque Romanum menſem fuerit idem ſolſtitium, hunc eſſe Athenis Hecatombæonem. Dico autem juxta proportionem, ut ſepium, os, ſpinam. Non ſolum enim menſes, ut proportione inter ſe reſpondeant; ſed cetera quoque omnia ſimpliciter interpretanda ſunt, ſi quid ex interpretatione fructus ad nos ſperemus perventurum. Jam verò menſe Junio æſtivum ſolſtitium eſt, ut omnibus compertum eſt. ergo Junius eſt Hecatombæon. Ceterùm ponentibus Junium eſſe Hecatombæonem, jam nullus eſt labor reliquos interpretandi. Semper enim ſequenti Attico juxta ſuppoſitum ordinem cum ſubinde ſequenti Romano conveniet, & eadem ad anni partes erit conſonantia. Sed fortè quis dubitaverit, cùm Athenienſes ad Lunæ; ad Solis verò curſum Romani calculum temporum ſubducerent: qua ratione fieri poſſit, ut utriuſque gentis menſes alteri cum alteris ſic competant, ut invicem dierum ſumma ſemper quadrans ſit, & nihil in alterutris excurrat: utque Hecatombæon rectè transferatur Junius, & Metagitnion Julius, ita quoque de aliis. Neque enim Soli eadem, quæ Lunæ, eſt celeritas: neque unà deſinunt incipiuntve ad ſigniferi, quod propè dixerim, partitionem. Ergo neceſſe eſt Atticos menſes variare, & ambiguo plerumque eſſe inter priorem Latinum, & poſteriorem loco. Quòd ſi ambiguus quiſque amborum fiat particeps, cur potiùs à priore vertendo, quàm à poſteriore nominetur? Quo ſanè modo Galenus fecit, de abietis ſemine: *Quod tempus* (inquit) *Romæ eſt September, Pergami apud nos menſis Hyperberetæus, Athenis verò Myſteria.* Ea namque erant Boëdromione. Nam circa Boëdromionis vigeſimum diem myſticus Bacchus ab urbe transferebatur; ut etiam Plutarchus ſcribit. Videtur quoque Plinius omnifariæ ſcriptor hiſtoriæ, ſic interpretari illud Ariſtotelis de piſcium partu, nimirum piſces plurima ſui parte tribus his menſibus fœtificare, Munychione, Thargelione, Scirophorione: ut dicat his tribus, Aprili, Maio, Junio. Inſuper trecenti ſexagintaquinque dies ſunt anni Romani. ſubtiliùs enim in præſens ſupputare minimè oportet. Athenienſis verò anni, ex Ariſtotelis quidem ſententia, trecenti ſexaginta ſunt: *Pars* (inquit) *canum fert ventrem quintam partem anni, id eſt dies duos & ſeptuaginta.* at ſecundùm Herodotum aliòſque, trecenti quatuor & quinquaginta. Tot igitur cùm ſint, ſi menſes alii pleni & tricenarii; alii mutili, cavi, & uno die ceteris impares in numero alternant, quocumque modo res ſe habeat, ſequens annus ſemper prævertet, & paullatim ex acceſſione in contrarias tempeſtates menſes incident, loco diebúſque ſtatis emoti. Item ſi Ilium captum eſt abeunte vere, octavo die, ſub finem Thargelionis, ſeptemdecim diebus ante æſtivum ſolſtitium, ut Dionyſius Halicarnaſſeus ait, res priſcas Romanorum hiſtoriæ mandans: quo pacto Hecatombæon ſolſtitialis æſtivus ſit? Nempe hic ſermo oſtendit, Scirophorione eſſe ſolſtitium. Diſſentaneum etiam eſt illud Theophraſti, cùm dicit ſummo, ineuntéque vere, Thargelionis principio. Si enim eſt ſummum ver Thargelion, nequaquam eſſe queat ſolſtitialis Hecatombæon, & multò minùs vernus & æquinoctialis Munychion. Illud quoque Plutarchi diſſentire videtur, dicentis: *Dum fructus leguntur, & vindemia comportatur, octavo die Pyanepſionis incipientis.* His enim verbis videtur Pyanepſion in ſe continere autumni æquinoctium potiùs, quàm Mæmacterion, ſiquidem erat vindemiæ collectio.

Mensis Hyperberetæus apud Pergamenos

Menſes pleni & anni.

Tempus expugnationis Ilii.

Solvendi igitur ſunt hi dubiorum nodi; ut ritè fiat hæc noſtra commentatio, & majorem fidem dicta noſtra accipiant. Quocirca vetuſtiſſimos illos homines nulla ratione, nullóque ordine menſibus uſos, atque aliter alios annum ipſum partitos eſſe, cùm ab aliis, tum vel maximè à Plutarcho, viro undecumque doctiſſimo licet intelligere. Nam barbarorum nonnulli trimeſtrem annum habebant, & ex Græcis Arcades quadrimeſtrem; Acarnanes ſemeſtrem. Ægyptiis autem menſtruus erat annus; deinde quadrimeſtris, ut aiunt. Idcirco antiquiſſimi videntur, immenſam annorum multitudinem ſibi adnumerantes; ut qui certè annum menſe definirent. Romani verò priùs decem menſium annum agebant, & menſes alios neque vicenum dierum, alios tricenum quinum, alios etiam plurium: illúdque ſolum conſiderabant, ut trecentorum & ſexaginta dierum ſuus eſſet annus, nec quæ eſſet Solis & Lunæ inæqualitas quicquam penſi habebant. Sed poſtea

Rex

Anni emendatio per Numam Pompilium.

Rex Numa Pompilius duos menſes adjeciſſe fertur, & diſcrimen hujus inæqualitatis undecim dierum eſſe reputans: utpote anno lunari trecentos quinquagintaquatuor dies; ſolari autem trecentos ſexagintaquinque habente: undecim hos dies duplicatos alternis annis intercalatione facta (quæ duorum & viginti dierum eſſet) in Februarium induxiſſe: verique ſimile eſt, hæc illum ex imitatione quadam Græcorum feciſſe. Primùm enim Solonem aiunt, Athenis hanc menſium vagam, & adhuc incertam inconſtantiam deprehendiſſe: & diem (quo Luna Solem adſequitur & tranſmittit) ἕνην καὶ νέαν, id eſt, antiquam & novam Lunam, ſive extremam & primam, hoc eſt, interlunium vocari inſtituiſſe: & ſequentem νουμηνίαν, id eſt, novilunium, ſive Calendas appellaviſſe, menſémque triginta dierum conſtituiſſe: & in genere annum ipſum in concinniorem ordinem digeſſiſſe. Intercalaris verò menſis uſum antiquitus fuiſſe Græcis, declarat Herodotus: *Græci* (inquit) *tertio quoque anno intercalationem interſerunt, temporum gratiâ: Ægyptii verò tricenis diebus, quibus duodecim menſes anni taxant, auctario facto ad eum numerum, dies quinque quotannis ſuperaddunt: & iis ratio circuli temporum conſtat eodem redeuntis.* Quòd ſi Numa quidem intercalationem duorum & viginti dierum ordinavit; Herodotus verò triginta dierum recenſet, nihil hoc ad diſceptationem præſentem. Verùm ex his datur illud intelligi, Athenienſes menſe intercalario utentes anni ſui defectum ſuppleviſſe, ut temporum ratio faciliùs Solis itineri congrueret.

Menſis intercalaris Græcorum.

ὁ δὲ Νομᾶς Πομπίλιος βασιλεύων λέγεται δύο τὰ προσθεῖναι μῆνας, καὶ τὸ παράλλαγμα τῆς ἀνωμαλίας ἡμερῶν ἕνδεκα γίνεσθαι λογιζόμενος· ὡς τοῦ μὲν σεληνιακοῦ ἔτους τριακοσίας πεντηκοντατέσσαρας ἔχοντος ἡμέρας, τοῦ δὲ ἡλιακοῦ τριακοσίας ἑξηκονταπέντε· τὰς ἕνδεκα ταύτας διπλασιάσας, ἐπεισήγαγε παρ' ἐνιαυτὸν ἐπὶ τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ τὸν ἐμβόλιμον, εἴκοσι καὶ δυοῖν ἡμερῶν ὄντα. εἰκὸς δὲ ἐκεῖνον ταῦτα πρὸς ὁμοίωσίν τινα Ἀθηναίοις χρῆσιν ἀντιτηκέναι. Σόλωνα γὰρ πρῶτον Ἀθήνησι τὴν περὶ τοὺς μῆνας ἀνωμαλίαν συνιδεῖν φασίν· καὶ τὴν μὲν ἡμέραν, καθ' ἣν ἡ σελήνη καταλαμβάνει τε, καὶ παρέρχεται τὸν ἥλιον, τάξαι ἕνην καὶ νέαν καλεῖσθαι, τὴν δ' ἐφεξῆς, νουμηνίαν προσαγορεῦσαι· ἄχρι τε τριακάδος τὸν μῆνα ἠριθμηκέναι, καὶ ὅλως ἐπὶ τὸ βέλτιον διαθέσθαι τὰ περὶ τὸν ἐνιαυτόν. χρῆσιν δὲ ἐμβολίμου μηνός, καὶ Ἕλλησιν ἀρχῆθεν εἶναι δηλοῖ καὶ Ἡρόδοτος λέγων· Ἕλληνες μὲν διὰ τρίτου ἔτεος ἐμβόλιμον ἐπεμβάλλουσι, τῶν ὡρέων εἵνεκεν. Αἰγύπτιοι δὲ τριακονθημέρους ἄγοντες τοὺς δώδεκα μῆνας, ἐπάγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος πέντε ἡμέρας, πάρεξ τοῦ ἀριθμοῦ· καί σφιν ὁ κύκλος τῶν ὡρέων ἐς τωὐτὸ περιιὼν παραγίνεται. εἰ δὲ Νομᾶς μὲν εἴκοσι καὶ δυοῖν ἡμερῶν τὸν ἐμβόλιμον ἔταξεν, Ἡρόδοτος δὲ τριακονθημέροις καταριθμεῖ, οὐδὲν τοῦτο πρὸς τὸν νῦν λόγον. ἀλλ' ἐκεῖνο δῆλον ἐκ τούτων, ὡς Ἀθηναῖοι χρώμενοι ἐμβολίμῳ προσανεπλήρουν τὸ ἐλλεῖπον, πρὸς τὴν ὅλην περίοδον τοῦ ἡλίου, τῶν ὡρῶν ἕνεκα.

De anno.

IX. Anni duplex conſideratio.

Bifariam ergo annum conſiderabant, ut qui partim à Sole trecentis ſexaginta diebus definiretur, propter ſectionem obliqui ſigniferi in totidem gradus. & hujus certè quintam partem Ariſtoteles dicit eſſe duos & ſeptuaginta dies: partim à Luna diebus quatuor & quinquaginta ſupra trecentos. eâdem etiam ratione menſibus partim ad Solem, partim ad Lunam deductis. aliiſque annis dies triginta adjiciebant; aliis quinque: & ſi quid ampliùs opus erat, quarto quoque anno. Hæcque erant ſubſidia (quæ non latiùs quidem paterent) ſufficientia tamen reſtituere menſes ſibi, & iiſdem ferè finibus eos coërcere. eáque inæqualitatis curatio, ut majoribus olim remediis indigeret, futurum erat: quemadmodum refert Plutarchus. Cæſar itaque is, qui primus imperium invaſit, & ad cujus unius arbitrium res Romana devoluta eſt, quæſtione hac de re optimis Mathematicis propoſita, ex ſubſtratis jam viis, rationibúſque, propriam quamdam, & accuratiore cura excogitatam emendationem confecit. Primi autem omnium Ægyptii ad ſolem duodecim menſibus uſi videntur, & iis quidem tricenariis, & quinque dies quotannis adjeciſſe, particulámque diei excurrentem ad ſupplementum totius anni, ex multis annorum circuitibus acervatam, in unum diem integrum conjeciſſe. Græci verò ab illis, cùm alia permulta rerum cœleſtium, tum hæc præcipuè mutuò acceperunt; partim traductis in linguam Græcam commentariis; partim cum eorum ſacerdotibus verſati, egregiè divinarum cœleſtiúmque ſcientiarum peritis. Ferunt itaque Platonem, & Eudoxum peregrè in Ægyptum profectos, annis tredecim apud Ægyptios ſacerdotes manſiſſe. tanta enim conſuetudine, támque diutino obſequio erant exorandi, & quaſi eblandiendi, ut qui rerum arcanarum tenaces, avarique elargitores eſſent diſciplinarum ſuarum; quo aliquid cœleſtium contemplationum impertirent. Hæc verò ita diſtinguere, ut opinor, non improbabile eſt. tum quod ineſt dubii, quæ poſtea emerſit intercalatio ſolvit. Atque etiam ſiquid longiore temporis intervallo adhuc evariaret, credibile eſt vel antiquos ipſos perſpicientes, id quoque quodammodo correxiſſe; modò longiorem, modò breviorem intercalationem facientes. Neque verò exactam in his diligentiam, & ab omni errore vel leviſſimo tutam exigere oportet: quandoquidem hoc quoque ſæculo, quo Aſtrologia tantum incrementi, præſtantiæque adepta eſt; tamen motus diſparilitas Mathematicorum rationes fugit: quippe quæ ſuperior ſit eorum peritia. Sed tamen menſium curſus, ut cum anni temporibus ſemper congruant, facit poſt tertium quemque annum introducta intercalatio. Ceterùm confuſio illa, & menſium inconſtantia vaga (quæ fuit priùs inventa intercalatione, atque etiam poſt inventam) adhuc explicatione indiget, quonam pacto transferri commodè poſſit. Conſtat enim ipſam intercalationem alternos ferè menſes cum temporibus anni non competentes ſæpè habituram. Ex quo etiam Theophraſtus inquit, *verſſatum Thargelionis mense:* quaſi Munychion hybernus fuerit: intercalaris verò æſtivus tropicus, vel certè in inſtantem

Primi omnium Ægyptii annum ad ſolem deduxerunt.

Antiquorum intercalatio varia.

Περὶ ἐνιαυτοῦ.

Διχῶς οὖν ἐθεώρουν τὸν ἐνιαυτόν, εἶναι τὸν μὲν ἑξήκοντα καὶ τριακοσίαις ἡμέραις ὁριζόμενον τῷ ἡλίῳ, διὰ τὴν εἰς τοσαύτας μοίρας κατατομὴν τοῦ λοξοῦ· καὶ τούτου δὴ μέρος πέμπτον Ἀριστοτέλης εἶναί φησιν ἡμέρας ἑβδομήκοντα καὶ δύο. τὸν δὲ τέτταρσι καὶ πεντήκοντα, καὶ τριακοσίαις, τῇ σελήνῃ. ἀνάλογον δὲ καὶ τοὺς μῆνας ἦγον, τοὺς μὲν κατὰ τὸν ἥλιον, τοὺς δὲ κατὰ τὴν σελήνην. ἐπέβαλλόν τε τοῖς μὲν τριάκοντα ἡμέρας, τοῖς δὲ πέντε, καὶ εἴ τι πλείονος δέοι διὰ τετάρτου ἐνιαυτοῦ. τὰ δὲ περὶ βοήθεια ἦν, διατείνουσα μὲν οὐ πόρρω, ἱκανὴ μέντοι εἰς τὸ αὐτὸ ἀντικαθιστάναι, καὶ εἴργειν ἐν τοῖς αὐτοῖς πως ὅροις τοὺς μῆνας. ἴαμά τε τῆς ἀνωμαλίας ἐτύγχανεν ὄν, ὡς καὶ Πλούταρχος λέγει, μειζόνων ἰαμάτων δεήσεσθαι μέλλον. Καῖσαρ οὖν ὁ πρῶτος μοναρχήσας Ῥωμαίων, τοῖς ἀρίστοις τῶν Μαθηματικῶν πρόβλημα περὶ τούτου προθείς, ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἤδη μεθόδων ἰδίαν τινά, καὶ διηκριβωμένην μᾶλλον ἐπανόρθωσιν ἔπραξε. δοκοῦσι δὲ Αἰγύπτιοι πρῶτοι μησὶ χρήσασθαι καθ' ἥλιον τριακονθημέροις δώδεκα, καὶ πέντε ἡμέρας ἐπαγαγεῖν κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον· τό τε ἐπιτρέχον μόριον τῆς ἡμέρας εἰς ἐκπλήρωσιν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ, ἐκ περιόδων πλειόνων ἐτῶν ἀπολαβόντες, συνθέσθαι μίαν ἡμέραν. Ἕλληνες δὲ παρ' ἐκείνων ἄλλα τε πλεῖστα τῶν οὐρανίων θεωρημάτων, καὶ ταῦτα παρέλαβον, τὰ μὲν μεθερμηνευθέντων εἰς τὸ Ἑλληνικὸν τῶν ὑπομνημάτων· τὰ δὲ καὶ συνδιατρίψαντες τοῖς ἐκεῖ ἱερεῦσι, περιττοῖς οὖσι τὴν τῶν οὐρανίων ἐπιστήμην. Πλάτωνα γοῦν φασί τινες, καὶ Εὔδοξον ἀποδημήσαντας εἰς Αἴγυπτον, ὁμιλῆσαι τοῖς ἱερεῦσι τρισκαίδεκα ἔτη. μυστικοὺς γὰρ ὄντας, καὶ δυσμεταδότους, ἔδει τῷ χρόνῳ, καὶ ταῖς θεραπείαις ἐκλιπαρῆσαι, ὥστε τί τινα τῶν θεωρημάτων ἐκφῆναι. Ταῦτα μὲν οὕτω διαιρεῖν ἴσως οὐ χεῖρον· τό τε διηπορημένον φανεὶς ὁ ἐμβόλιμος λύει. καὶ εἴ τι διὰ πλείονος ἔτι χρόνου παρήλλαττε, εἰκὸς καὶ τοὺς πάλαι συνορῶντας καὶ τοῦτο δήπου ἐπανορθοῦσθαι, ὁτὲ μὲν μακρότερον, ὁτὲ δὲ βραχύτερον τὸν ἐμβόλιμον ποιουμένους. τὸ δὲ ἀκριβέστατον, καὶ μηδὲ παρ' ὀλίγον τι πλημμελοῦν, οὐκ ἐπιζητεῖν δεῖ· ὅπου καὶ νῦν ἐπίδοσιν τῆς Ἀστρολογίας τοσαύτην λαβούσης, ὅμως ἡ τῆς κινήσεως ἀνωμαλία διαφεύγει τὸν λόγον, περιγινομένη τῆς τῶν Μαθηματικῶν ἐμπειρίας. τοὺς μέντοι τῶν μηνῶν περιόδους ὁμολογεῖν ταῖς ὥραις ἀεί, ποιεῖ ὁ ἐμβόλιμος τῷ τρίτῳ ἀεὶ ἐπαγόμενος τῶν ἐτῶν. τὸ δὲ πρὶν ἐμβολάσαι, καὶ μετὰ τὸ ἐμβολάζειν αὐτὸ ἔτι συντεχθέν τι, καὶ ἐπαλλάξαν τῶν μηνῶν, ἔτι δεῖται λόγου, πῶς ἂν ὁμαλιζόμενον τυγχάνοι τοῦ ἱκανοῦ. δηλοῖ γὰρ ὅτι τὸ ἐμβολάζειν συχνὰ παρ' ἴσον τι ἕξει τοὺς μῆνας ἀνομολόγους ταῖς ὥραις. δι' ὃ καὶ Θεόφραστος, ἔαρος ἀρχὴν ἱσταμένου τοῦ Θαργηλιῶνος φησίν, ὡς τοῦ Μουνυχιῶνος χειμερινοῦ δὴ γινομένου· τοῦ δ' ἐμβολίμου, θερινοῦ τροπικοῦ· ἢ καὶ προελθόντας τὴν θ.

τροπὴν

τροπὴν εἰς ἱστάμενόν τι τοῦ Ἑκατομβαιῶνα· τοῦτο μὲν τὸ μὴ συμβαίνειν, οὐχ οἷόν τέ ἐστι. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ὁ ἐμβόλιμος ἐπάγεται, ἀναπληρῶν τὸ ἐνδεὲς, καὶ εἰς Ἑκατομβαιῶνα τὰς τροπὰς ἀποκαθιστάς. τὴν δὲ ἑρμηνείαν ποιητέον ἐπὶ τῶν οὕτω χρονολογούντων, στοιχείῳ χρωμένους τῷ παρόντι ἀεὶ τροπικῷ μηνὶ, καὶ τῷ ἑξῆς τῶν μηνῶν κατὰ τὰ ὑποτεθέντα. οἷον ἐπειδὴ Θεόφραστος ἄκρου ἔαρος εὐθὺς ἱσταμένου τοῦ Θαργηλιῶνος, φησὶ, ῥητέον ἑρμηνευτέον Μαρτίῳ, καὶ μὴ Ἀπρίλιος. πάλιν ἐπειδὴ Θουκυδίδης Ἐλαφηβολιῶνα τελευταῖον μηνῶν τῶν χειμερινῶν εἶναί φησι, τοῦτον μὲν Φεβρουάριον ἑρμηνευτέον· τὸν δὲ ἐπιόντα Μουνυχιῶνα, θετέον ἔαρος εἶναι ἀρχὴν, καὶ Μάρτιον μεταφραστέον Λατίνοις. ὥστε δὴ καὶ συμβαίνει δύο ἰσημερινοὺς εἶναι ἐαρινοὺς, Μουνυχιῶνά τε, καὶ Θαργηλιῶνα. καὶ φθινοπωρινοὺς δύο, Μαιμακτηριῶνα, καὶ Βοηδρομιῶνα. ὡς δὲ αὔτως καὶ τροπικοὺς δύο θερινοὺς, Ἑκατομβαιῶνα, καὶ τὸν ἐμβόλιμον. καὶ χειμερινοὺς, Ποσειδεῶνα, καὶ Γαμηλιῶνα. δι' ὅπερ Ἀριστοτέλης, ἡ ἀλεκτορὶς, φησὶ, τίκτει ὅλον τὸν ἐνιαυτὸν, ἔξω δύο μηνῶν τῶν ἐν τῷ χειμῶνι τροπικῶν. καὶ τὸ ἐν τοῖς Μετεωρολογικοῖς, ὅτι ἐγένετο κομήτης ἀστὴρ πρὸς ἄρκτον, μηνὸς Γαμηλιῶνος, περὶ τροπὰς ὄντος τοῦ ἡλίου χειμερινάς. καὶ Ἀνθεστηριῶνος δὲ ἅψαιτ' ἄν ποτε ἡ τροπὴ, λέγοντες· ἀλλ' οἵ γε ὀνομαζόμενοι τροπικοὶ χειμερινοὶ, δύο οἱ εἰρημένοι εἰσίν. ἁπλῶς μέντοι θέρους ἀρχὴν ὑποληπτέον εἶναι τὸν Ἑκατομβαιῶνα, καὶ τροπικὸν θερινόν. ἀνάλογον δὲ καὶ τοὺς ἄλλους. δεῖ γὰρ μὴ τὸ συμβαῖνον, ἀλλὰ τὸ σεσημειωμένον λαμβάνειν τῷ λόγῳ. εἴρηται γοῦν καὶ ἐν τοῖς Φυσικοῖς τῶν λόγων, ὡς δεῖ ἕκαστον λέγειν τοῦτο εἶναι, ὃ φύσει βούλεται εἶναι, καὶ ὃ ὑπάρχει· ἀλλὰ μὴ ὃ βίᾳ, καὶ παρὰ φύσιν.

Διονύσιος δὲ παρ' Ἐφόρου εἰληφὼς λέγει, Θαργηλιῶνος ἁλῶναι τὸ Ἴλιον. Πλούταρχος γοῦν ἐν τῷ Φουρίου Καμίλλου βίῳ, Ἔφορον ἀναγεγραφέναι τοῦτό φησιν. οὐ μὴν δὲ καὶ πρότερον ἑπτακαίδεκα ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς λέγει. ἀλλ' οὖν Θαργηλιῶνος κἀκεῖνός φησιν. εἰ μὲν οὖν Ἔφορος Σκιροφοριῶνος φάναι βουλόμενος, εἶπε (μὴ ἐν τοῖς ὢν αὐτοῦ) Θαργηλιῶνος, ὥσπερ ἐν ἄλλοις ἀντὶ Ἰβηρίας τῆς κατὰ τὴν Εὐρώπην μεγίστης χώρας, πόλιν εἶναί τινα τὴν Ἰβηρίαν φησὶν, ἄμεμπτα μηδὲν ἐπιμεμφόμενος, σκῆψιν ἐπιτιμήσεως καὶ ταῦτ' οὐ μικρὰν δεδωκώς. εἰ δὲ ἄρα τις τῶν φαύλων γραφέων διήμαρτεν, ἀντὶ Σκιροφοριῶνος, Θαργηλιῶνος μεταβαλὼν καθάπερ καὶ ἐπ' ἄλλων συμβαίνει, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν εἰς πρᾶσιν γραφομένων τοῖς βιβλιοπώλαις, (χρῶνται γὰρ φαύλοις καὶ τοῖς τυχοῦσι γραφεῦσιν) Ἔφορος μὲν ἀναίτιος ὡς ἂν εἴη. αἰτιάσαιτο δ' ἄν τις τοὺς μὴ ἐπανορθωσαμένους τὴν γραφὴν, ἀλλ' ἀνεπιστάτως εἰρηκότας, Θαργηλιῶνος ἑπτακαίδεκα ἡμέραις πρὸ τῆς θερινῆς τροπῆς. φησὶ δὲ, καὶ ὡς αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἀναπληρῶσαι περιτταὶ ἡμέραι εἴκοσι τὸν ἀριθμὸν ἦσαν μετὰ τὰς θερινὰς τροπάς. τὸ δὲ ἀσύντακτον παντελῶς, καὶ μαχόμενον, εἰ ὡς Ἀθηναῖοι ἦγον ποιεῖται τὸν λόγον. εἰ γὰρ περιτταὶ εἴκοσι μετὰ τὰς τροπὰς, δῆλον ὅτι ἡ τροπὴ ἦν τοῦ οἰχομένου ἔτει, ἔνῃ καὶ νέᾳ Θαργηλιῶνος μὲν, ὡς ἐκεῖνος λέγει· Σκιροφοριῶνος δὲ, ὡς ἡμεῖς. διαφέρεται δὲ μηδὲν πρός γε τὸ νῦν. ἀλλ' ἔστω Θαργηλιῶνος αὐτῷ· ἐπιόντι τοίνυν τῷ ἐπιόντι ἐνιαυτῷ ἡ τροπὴ ἔσται, Σκιροφοριῶνος νουμηνίᾳ. ἣν δὲ αὐτῷ ἐνάτῃ ἱσταμένου. εἰ γὰρ ὀγδόῃ φθίνοντος τοῦ Θαργηλιῶνος ἑάλω τὸ Ἴλιον, ἑπτακαίδεκα πρότερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, δῆλον ὅτι ἐνάτῃ ἱσταμένου τοῦ ἐπιόντος μηνὸς ἦν ἡ τροπή. εἰ δὴ ἡ τροπὴ ἐνάτῃ ἱσταμένου, τρεῖς εἶναι τὰς περιττὰς ἀναγκαῖον. φανερὰ δὲ μᾶλλον ταῦθ' ὕστερον ἔσται, ἐπειδὰν περὶ χρήσεως ἐμβολίμου μηνὸς λέγωμεν. εἴτ' οὖν Ἐφόρου ἁμάρτημα τοῦτ' ἐστὶν εἴτε γραφέως καὶ τοῦτο, εἰς κοινὸν ἐκκείσθω σκοπεῖν. ἀπαρτίζειν δὲ ἀεὶ τοὺς τῶν Ἀθηναίων μῆνας τοῖς τῶν Ῥωμαίων δηλονότι οὐκ ἂν εἴη. ἐπαμφοτερίζειν οὖν τι συμβαίνει. οἷον, φέρε εἰπεῖν, Ἑκατομβαιὼν τὸ μὲν Ἰουνίου ἐπιλαμβάνει, τὸ δὲ Ἰουλίου. καὶ Μεταγειτνιὼν τὸ μὲν Ἰουλίου, τὸ δὲ Αὐγούστου. καὶ Βοηδρομιὼν τὸ μὲν Αὐγούστου, τὸ δὲ Σεπτεμβρίου. ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἀμφιλαφεῖς εἰσι τὰ πολλά· ἐπεὶ ἐνίοτέ γε καὶ ἰσάζειν συμβαίνει· οἷον καὶ πέρυσι συμβέβηκε, νουμηνίαν ἅμα Ἀπριλίου μηνὸς ἡλιακοῦ, καὶ σελήνης ἄγειν. ἑρμηνευτέον μέντοι ἁπλῶς χρεὼν, ἀπὸ τοῦ προτέρου· οἷον, Αὔγουστον τὸν Βοηδρομιῶνα, ἀλλὰ μὴ Σεπτέμβριον, ἵνα θερινὸς ᾖ. τρίτος γὰρ ἀπὸ Ἑκατομβαιῶνος. τροπικὸς δὲ θερινὸς ὁ Ἑκατομβαιὼν ὡς δεδειγμένον ἐστί. Γαληνῷ δὲ διαφέρει οὐδὲν, πρός γε τὸ τῆς ἐλάτης σπέρμα, καὶ τὴν σύνθεσιν τοῦ ἀκόπου, εἴτ' ἀπὸ τοῦ ἑπομένου Σεπτέμβριος, εἴτ' ἀπὸ τοῦ ἡγουμένου Αὔγουστος ἑρμηνεύοιτο ὁ τῶν Μυστηρίων μήν. ἄλλως τε καὶ τῶν ἰσημερινῶν τε, καὶ τροπῶν περί τι

Hecatombæonem ſolſtitium circumagens. quod interdum non contingere non poteſt. Nam propterea intercalario inducta eſt, ut defectum dierum ſuppleat, & in Hecatombæonem ſolſtitia reſtituat. Porrò in his, qui ſic indicem temporum notationem ſcribunt, interpretatio hoc pacto facienda eſt, ut præſenti ſemper tropico pro fundamento utamur, & menſium ſerie illa quam ſuprà poſuimus. Verbi gratiâ: quando Theophraſtus *ſummo vere, ſtatim inſtante Thargelione dicit:* menſe Martio, & non Aprili interpretandum eſt. Rurſum quando Thucydides Elaphebolionem eſſe dicit ultimum hyemalium menſium, hunc quidem Februarium oportet interpretari: ſecundùm quem veris initium Munychion conſtituendus, & Latinis Martius eſt transferendus. Ex quo ſanè contingit, duos eſſe vernos æquinoctiales, Munychionem & Thargelionem: & duos autumnales, Boëdromionem & Mæmacterionem: ſimilitérque ſolſtitiales duos æſtivos, Hecatombæonem, & intercalarem: brumaléſque, Poſideonem, & Gamelionem. Quam ob rem Ariſtoteles inquit: *Gallina quidem parit omnibus anni temporibus, exceptis duobus menſibus in hyeme tropicis.* Et in Meteorologicis ſcribit crinitam ſtellam ad urſam apparuiſſe menſe Gamelione, ſole circa brumam exiſtente. Atque etiam Antheſterionis poſtremam partem aliquando ſolſtitium hybernum poteſt attingere. Sed quos tropicos hyemales nominant, ſunt hi quidem duo antè explicati. Sumendum eſt tamen ſimpliciter, Hecatombæonem eſſe æſtatis principium, & ſolſtitialem æſtivum, & reliquos ſimili deinceps ratione. De rebus enim contingentibus nulla ratio ineunda eſt, ſed de ſpectatis & ſolitis. Nam in Phyſicis dictum eſt, quemque oportere dicere id eſſe, quod naturâ eſſe expetit, & eſt: non quod vi, & præter naturam.

Dionyſius verò ab Ephoro mutuatus, dicit Thargelione expugnatum Ilium. Quin & Plutarchus in Furii Camilli vita, Ephorum hæc ſcripſiſſe refert. nec verò *ſeptemdecim diebus ante æſtivum ſolſtitium* dicit: & tamen Thargelione etiam ille dicit. Si Ephorus igitur, cùm apud ſe non eſſet, alioqui dicturus Scirophorione, ſcripſit Thargelione; quemadmodum item in aliis pro Iberia non pœnitenda regione Europæ, civitatem quamdam Iberiam eſſe dicit: boni conſulat, quod non reprehendatur, qui ſui reprehendendi anſam dederit, eámque ampliſſimam. Quòd ſi fortè neſcio quis ineptus ſcriptor mendosè ſcripſerit, *Thargelione*, pro *Scirophorione*, ut ferè fit in aliis, & præſertim in iis, quæ quæſtus gratiâ ſcribuntur à bibliopolis. (Nam qui hujuſmodi operas conducunt, imperitis oblatitiiſque, & trivialibus ſcriptoribus utuntur) ſic inſons quidem fuerit Ephorus: & jure culpandi, qui exemplaria non emendarint, ſed inconſideratè dixerint, *Thargelione ſeptemdecim diebus ante æſtivum ſolſtitium.* Sed idem etiam dicit, dies (qui annum illum explerent) ſuperabundantes fuiſſe poſt ſolſtitium numero viginti: quod prorſus incompoſitum, & pugnans, ſi pro inſtituta Athenienſium ratione ſermonem facit. Nam ſi ſupererant viginti poſt ſolſtitium, certum eſt ſolſtitium fuiſſe abeunte anno, Thargelionis ultimo die, ut ille quidem vult: ut nos verò, Scirophorionis. Impræſentia autem nihil intereſt. Sed eſto ex ejus ſententia Thargelionis; profectò ſequente anno ſolſtitium erit novilunio Scirophorionis: quod erat ipſi nono die incipientis. Nam ſi octavo ſub finem die Thargelionis captum eſt Ilium, ſeptemdecim diebus æſtivo priùs ſolſtitio; manifeſtum eſt nono menſis ſequentis die æſtivum ſolſtitium fuiſſe. Si itaque ſolſtitium nono ineuntis, treis eſſe dies abundantes eſt neceſſe. Hæc autem planiùs poſtea elucidabuntur, ubi de uſu menſis intercalarii diſſeremus. An igitur Ephori ſit iſte error, an amanuenſis potiùs, in medio conſiderandum relinquo. Jam certum eſt, Atticos menſes æquali dierum numero, ſimúlque finiente, Romanos ſemper æquiparare non poſſe. Ergo fit, ut ſinguli menſes Græcorum inter binos ſemper Romanorum ambigant. Exempli gratiâ: Hecatombæon partem Junii, & partem Julii attingit: Metagitnion Julii & Auguſti: Boëdromion Auguſti & Septembris. Similiter verò reliqui omnes non raró ſeſe præbent ancipites, quandoque etiam æquales, ut vel ſuperiore anno Lunam novam cum Aprilis Calendis ſolaribus contigit emergere. Operæ tamen pretium eſt, ſimpliciter à priore menſe interpretari. verbi gratiâ: Boëdromionem Auguſtum potiùs quàm Septembrem, ut æſtivus ſit. tertius enim eſt ab Hecatombæone: in quo, ut demonſtratum eſt, æſtivum ſolſtitium conficitur. Nihil porrò Galeni intererat, ad abietis ſemen, & compoſitionem acopi, ſive á ſequente September, ſive à præcedente Auguſtus verteretur ille Myſteriorum menſis; præſertim cùm ſolſtitia & æquino-

Dionyſius Ephorum ſecutus. Plutarchus in Camillo.

Ephori error.

Menſes Lunæ & Solis interdum ſimul incipere.

ctia circiter quartum, & vigeſimum diem menſis Romani ab illius ſæculi hominibus ſignarentur: & præterea æquinoctialis interdum foret Boedromion, cùm plures ſupererant dies poſt ſolſtitium. Unde etiam Ariſtoteles dicit, *poſt arcturum circiter Boëdromionem*, quemadmodum contrà peracto circa deſinentem Hecatombæonem ſolſtitio evenit vindemias fieri, circa incipientem Pyanepſionem: ut Plutarchus accidiſſe ſignificat, quando Theſeus è Creta rediit. Æquinoctium enim fuerat ſub finem Mæmacterionis. Pliniúſque æſtimandus eſt ſic loqui, non qui verba Ariſtotelis interpretetur; ſed qui ſuam de piſcium partu exprimat ſententiam. Nihilque mirum eſt, ſi etiam in generationibus à regionum diverſitate oritur differentia. Verùm illud conſtat, multam, ut plantarum, ita quoque animalium, non in magnitudine ſolùm habitúque vegetiore, ſed & in partu ipſa loca efficere differentiam, ut alia ſeriùs, alia gignant maturius. Sic igitur ſimpliciter & quadantenus vertentes, nequaquam ab idonea explicatione aberraverimus.

De menſium uſu.

X. SEd quoniam menſibus uti poſſumus vel ad Solis motum, ut Romani: vel ad Lunæ, ut Athenienſes: utrum Atticum uſum, an Romanum ſequemur, more quidem Athenienſium denominantes, anni verò in menſes eamdem cum Romanis conſtituentes diviſionem, Plethon quidem refert natura eſſe comparatum, ut ad Solem deducatur annus, menſis verò ad Lunam: ſed quamobrem, non dicit. Verùm alii hujus quoque dicti rationem adferentes, aſſeverant, quæ hîc in terris ſunt, omnia à cœleſtibus illis corporibus ordinari, magnóſque eſſe Lunæ effectus. Nam mutari aiunt manifeſtè ab illa terreſtria cuncta, idque rectè. Signum tamen nullum eſt, menſes ad Lunam, non ad Solem agere oportere. Hæc enim inferiora ſuperioribus illis motibus eſſe continua, non inficias imus, & omnem eorum vim, & potentiam illinc gubernari, ipſúmque decorum (quodcumque apud nos decorum) & rerum ordinem à ſuperna illa natura conſiſtere. quod verò indigeſtum, & ſuo errore indecens, id eſſe ab ea (quæ eſt hîc) materia. Detur verò, multa quædam à Luna alterari variatíque, cùm plena, cùm dimidio orbe cæſa, cùm gibboſa, & utrimque convexa; cùm in cornua flexa; atque etiam de cœlo ipſo, & ambiente aëre judicium fieri; hæcque terreſtria mutari per ſemiles, & quadrantes, & certas quaſdam ipſius ſtationes: non tamen idcirco convenit, ut ſuperſedentes Solis annum in menſes diſtinguere, eáque diviſione uti, & ad Lunam divertentes, ultrò ſpontéque diffideamus. Nec enim ſecundum naturam eſt, totum Soli quadrare: partes autem alteri, quàm Soli magis convenire. Nam partes ſunt totius anni, qui menſes nominantur, vel quomodocumque libeat illam in duodecim ſpatia ſolaris revolutionis partitionem appellare. Quod enim cauſa eſt efficiens totius, id certè partium neceſſariò efficiens eſt; cùm ex partibus totum conſurgat, & ipſo toto partes ſint generatione priores. Eſt autem etiam inæqualius, inordinatiúſque, annum ad Lunæ curriculum ducere: quod qui ita agunt, menſem frequenter inſerunt; nec parum habent negotii, dum alios annos menſium duodecim, alios tredecim efficiunt. Itaque præter naturam quidem id potiùs. Nam ordo quidam natura eſt, & præter naturam, quicquid inconditum, & incompoſitum, & quod ordinem ſuum non ſervat. Ceterùm ut Solem damnemus inutilitatis propter Lunæ vim, & ea, quæ vulgò apparent, poſtulatio nimis magna eſt, & quæ videatur eſſe ejus, qui ſe magis ſenſui, quàm rationi applicet. Effectus enim Lunæ, & opera à Sole quidem (quod propè dixerim) omnia ſunt: & hæc inferiora idem Sol imprimis deſcribit, modulatur, & in numerum ordinémque digerit. Et aliorum quidem ſiderum temperationis ſolem eſſe cauſam, cùm multis aliis præclaris viris, tum vel maxime Straboni geographo videtur. Evidentiora tamen ſeſe nobis offerunt, quæ contingunt circa Lunam, propter differentes ejus ſpecies, ex variis Solis intercapedinibus proficiſcentes. Quapropter obſervanda ſunt hæc, ſive per ſeptimanas, ſive per alterum menſem lunarem videtur. Neque verò his ſolis utendo ſolares deſerere oportet, qui ſint longè æquabiliores, & partes temporum divinitùs conſtitutorum, totiúſque anni propriæ & nativæ. Secundùm naturam enim id ſimpliciter eſt. quandoquidem à cauſa, & priore, & magis neceſſaria. Quod vero eſt à Luna, notius nobis cùm ſit & apertius, viam ad ea, quæ ſunt notiora naturâ, & perfectiora, munit. Quamobrem Cæſar cognomento apud Romanos Divus, ingreſſus hanc viam ad id, quod erat certius, exactiúſque de anni menſiúmque diſpo-

Lunæ annus inordinatus, & præter naturam.

Plethon notatur.

εἰκοστὴν τετάρτην τοῦ μηνὸς ἡμέραν, ὡς Ῥωμαῖοι ἄγουσι, λαμβανομένας τοῖς τότε οὖσιν ἀνθρώποις. καὶ προσέτι ἰσημερινὴ γενομένη ποτὲ, καὶ ὁ Βοηδρομιὼν, ἐπειδὰν πλείους ὦσιν αἱ μετὰ τὴν τροπὴν περιτταὶ ἡμέραι. ὅθεν δὴ καὶ Ἀριστοτέλης μετ᾽ ἀρκτοῦρον περὶ Βοηδρομιῶνα, φησὶν, ὥσπερ αὖ ἀνάπαλιν περὶ λήγοντά πω τὸν Ἑκατομβαιῶνα τῆς τροπῆς γενομένης, συμβαίνει τρυγᾶν τὰς ἀμπέλους περὶ ἱστάμενον τὸν Πυανεψιῶνα καθὰ Πλούταρχος ἐπισημαίνει συμβῆναι, ὅτε Θησεὺς ἐπανῆκεν ἐκ Κρήτης. ἡ ἰσημερία μέν τοι περὶ λήγοντά πω τὸν Μαιμακτηριῶνα ὑπῆρξε. Πλίνιον δὲ οἰητέον μὴ ὡς Ἀριστοτέλους λέξιν μεταφέροντα, ὧδε πεποιῆσθαι τὸν λόγον, ἀλλ᾽ ἰδίαν αὐτοῦ δόξαν περί τινα τῶν ἰχθύων ἀποφαινόμενον. θαυμαστὸν τε οὐδὲν, εἰ καὶ ταῖς χώραις διαφορὰ περὶ τὰς γενέσεις ἐστίν. ἀλλὰ δῆλον ὅτι καὶ τῶν ζώων, ὥσπερ τῶν φυτῶν, πολλὴν ποιοῦσι διαφορὰν οἱ τόποι· οὐ μόνον κατὰ μέγεθος, καὶ εὐτροφίαν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τοὺς τόκους, ὧν τὰ μὲν ὀψιαίτερον γίνεται, τὰ δὲ πρωϊαίτερα. ὧδε μὲν τοίνυν ἁπλῶς τε, καὶ πῃ ἑρμηνεύοντες, οὐκ ἂν διαμαρτάνοιμεν τοῦ ἱκανοῦ.

Περὶ χρήσεως τῶν μηνῶν.

II. *De anno Patriarchico, quem Judaïcum inſcitè vocat Alphonſus; déque diluvii tempore, menſibus, ac diebus. Illuſtratur Moſaïca deſcriptio.* 102

III. *De anno Ægyptiaco, & caniculari periodo refutatur Salmaſii*

Digitized by Google

Salmaſii diſputatio, in qua ſecum ipſe velitatur. Cenſorinus ab ejuſdem falſa reprehenſione defenditur. Geminus, Theo, Cenſorinus idem illuſtrati. 104

IV. *De anno Ægyptiaco contra Alphonſum Caranzam diſputatur. explicata Diodori & Strabonis loca, quibus abutitur. Theonis verba perperam ab eo accepta declarantur.* 106

V. *De anno Ægyptiorum civili contra Salmaſium agitur. Explicatus Strabo, & Horus Apollo. Canicularis annus qui fuerit. Plinius à Salmaſio depravatus exponitur. triplex annus Ægyptiorum.* 107

VI. *De anno Ægyptiaco & caniculari. Cenſorinus illuſtratur: ac falſa de anno magno Salmaſii conjectura diſcutitur. Plinii locus malè ab eodem acceptus.* 108

VII. *De Romano anno vetere controverſia vetus expenditur adverſus Alphonſum à Caranza.* 109

VIII. *De æra Hiſpanienſi refellitur Alphonſi ſententia. Ea vox barbara eſſe docetur, & ignota puriori Latinitati. tum quæ illius origo.* 110

IX. *De anni Romani caſtigatione Juliana falſa in Epiphanianas Animadverſiones Salmaſii diſputatio refellitur: ac Solinus malè ab eodem explicatus, & correctus exponitur.* ibid.

X. *De anno Attico nuperi cujuſdam Scriptoris conjectura refellitur. Herodoti & Halicarnaſſenſis locus non rectè ab illo acceptus. Ejuſdem pugna ſecum.* 112

XI. *De periodo Attica recentioris auctoris; cujus contextus diſſolvitur. Epiphanii locus perperam ab eo emendatus, & expoſitus illuſtratur. Dies natalis* CHRISTI *ex ejuſdem, & aliorum ſententia. Lunario defectio ab auctore nupero ſub initium lunaris menſis conjecta.* 113

XII. *De anno Romano vetere contra nuperi Scriptoris opinionem diſſeritur. Falſa ejuſdem periodus. Albenſis cladis annus malè à Polybio traditus. Merkedonii originatio falſa. Calviſii error in annis Urbis.* 115

XIII. *De anno, quem Confuſionis vocant, falſa nuperi Scriptoris divinatio rejecta. Cenſorini & aliorum ſententia defenſa. Ciceronis ac Cæſaris loca nonnulla declarantur. De nundinis nupera ac prapoſtera opinio refellitur.* 116

XIV: *Illuſtratur inſignis Euripidis locus ex Tragœdia Rheſo. in eòque recens hallucinatio convincitur.* 117

LIBER SEXTUS.

In quo contra Plinianarum ad Solinum Exercitationum Claudii Salmaſii varia capita diſputatur.

CAP. I. *Mira Salmaſii à ſeipſo diſſenſio, ejuſdémque de ſeſe judicium.* 119

II. *Diſputatur contra Salmaſium de cardine anni Attici, ſitúque menſium. ac primùm aſtronomicæ μερίσεως ad dirimendam controverſiam utiles explicantur.* ibid.

III. *De Mamacterione menſe, ubi Pliniani exercitatoris deſultoria levitas ex eo ipſo, quod attulit, argumento, miro modo convincitur. tum in reliquis menſibus error ejuſdem* 121

IV. *De Poſideone menſe multiplex & incredibilis hallucinatio Salmaſii. Propugnantur quæ in Epiphanianis Animadverſionibus de eo menſe tradita ſunt contra Scaligerum.* 122

V. *Occurritur argumentis omnibus, quæ Salmaſius contra noſtram, ac ſuam adeo priorem ſententiam attulit. Procli locus ab ipſo tractatus exponitur. Mæmacterion quomodo hibernus fuerit. Harpocration illuſtratur.* 123

VI. *Agatharchidæ locus inſignis expenditur: in eòque Salmaſii error graviſſimus.* 125

VII. *De urſorum latebris, eorúmque tempore. Ariſtotelis locus correctus: cum eòque conciliatur Plinius. Salmaſii in utroque error & imperitus.* 126

VIII. *Plinius à falſa Salmaſii reprehenſione defenditur. Initia tempeſtatum eadem ut à Græcis à Plinio conſtituta. Apuleius explicatus. Salmaſii ſecum fœda velitatio.* 127

IX. *Salmaſii vana conjectura notatur, ac falſa ſententia, qui Philippum aſtronomum fuiſſe nullum putavit. Hujus mentio ex multis auctoribus repræſentata. Ejuſdem ætas ac patria proditur. Proclus inſigniter emendatur. Salmaſii error negantis ex Eudoxo phænomena ſua Aratum expreſſiſſe.* ibid.

X. *De cardinibus annuis Græcorum veterum Salmaſii pugna ſecum: item abſurda ſententia. Qua ratione octavis partibus cardines attributi ſint. Varii ejuſdem Salmaſii errores.* 129

XI. *Salmaſii ridicula Arateorum carminum expoſitio. tum vana Theophraſti caſtigatio.* 131

XII. *Firmici locus inſignis imperitiſſimè à Salmaſio corruptus vindicatur & exponitur. Ortus & occaſus matutini ac verſpertini Veneris ac Mercurii. Plinius illuſtratus. Alia ejuſdem Salmaſii peccata.* 132

LIBER SEPTIMUS.

In quo contra Plinianas Salmaſii Exercitationes diſſeritur.

CAP. I. *De Canicula ortu Veterum diſſidia fruſtrà à Salmaſio conciliata. Ejus triplex ratio confutatur.* 134

II. *Salmaſii multiplex hallucinatio. Imprimis quod Procyonem ante caniculam occidere putat. Oſtenditur falsò ab ipſo credi Plinium procynem ſumpſiſſe perpetuò pro canicula. Plinius illuſtratur.* 135

III. *Super Virgilii verſibus diſputatur. Salmaſii errores graviſſimi in interpretando Virgilio. Plinius ab eo non intellectus illuſtratur. Iidémque Ptolemæus, & Hipparchus. Quid ſint ἐμφανιστικῶν, & ἀφανιστικῶν ſtellarum. Manilius & Firmicus explicati.* 137

IV. *Salmaſii multiplex hallucinatio. Omnia ab illo ſuſque deque habita. Theo prodigioſo errore ab eodem expoſitus, ex quo conſequens ſit Theonem, qui* CCC *ampliùs poſt Chriſtum annis floruit, orbis initio vixiſſe.* 139

V. *Salmaſii de Heſiodio æquinoctio abſurda ſententia. Error ejuſdem de bipartita anni ſectione. Item alius, ex quo ſequitur Heſiodum orbis initio floruiſſe. Ptolemæi libellus à Leonico editus miſcella tumultuaria eſt. Idem illuſtratus.* 140

VI. *Salmaſii abſurdiſſima de* Ovidii; *item de Aëtii, & aliorum locis ſententia.* 142

VII. *De horologiis veterum, & umbrarum menſura, abſurda Salmaſii conjectatio. Palladii ratio in umbris menſtruis finiendis inextricabilis.* ibid.

VIII. *Confutatur opinio Salmaſii, qui diem apud antiquos negat in horas tributum fuiſſe. Tum falsò heliotropia ad ſola monſtranda ſolſtitia, & æquinoctia conſtituta credit. Babylonii horarum inventores, ſive duodenarum diei partium. quod & penes Ægyptios fuit. Umbra in horologiis pedum modulo dimenſa. Cur γνώμονα dicta. Hinc [illegible] γνωμόνιον. Ridicula de Cynocephalo ratiocinatio Salmaſii, cui Ælurus opponitur. Victorini locus perperam ab illo acceptus exponitur.* 144

IX. *De ſolario Achaz contra Salmaſium diſſeritur. diei partes ab illo monſtratas eſſe. Vana Salmaſii conjectura refellitur. Neemiæ locus malè ab eodem acceptus. Vulgatus interpres defenditur.* 145

X. *De horizonte duplici, ac præſertim ſenſili. déque ejus intervallo [illegible] ſtatuendo. quæ ſit altitudo ſumma montium.*

Digitized by Google

montium. de Siculo illo ſpeculatore Carthaginenſium è Lilybao navium. 146

XI. Gemini ac Procli locus perperam interpretatus à Salmaſio. cujus opinio de horizonte ſenſili refellitur, qui non niſi in CCCC ſtadiis mutari illam aſſerit. 147

XII. De Gemini loco diſputatur iterum, ejúſque vera ratio traditur, exploſis Salmaſii commentis. Ejuſdem errata varia. 149

XIII. De ſenſili horizonte, quem non eſſe planum circulum, ut Salmaſius putat, oſtenditur. Ejaſdem ἀλογία de parallelorum inter ſe ratione. 150

XIV. Manilii locus illuſtratur à Scaligero, multóque magis à Salmaſio depravatus, & perperam acceptus. Ejuſdem Salmaſii errores varii, & graviſſimi. ibid.

LIBER OCTAVUS.

Qui eſt de Græcorum æris ac computis.

Cap. I. De triplici Græcorum æra, quæ ad duas redigitur. Illuſtratur Panodori Chronologia. Maximus, Georgius Syncellus, Theophanes, aliíque notantur. 153

II. De computo annali Veterum, imprimis Africani methodi vinculis ſoluto. Ejuſdem Africani Chronicum opus illuſtratur. Photii obſcurus locus explicatur. Ceſti Africani. 155

III. De Græcorum æris, quatenus methodis Paſchalibus, & cyclis implicatæ ſunt. Panodori computus illuſtratur. Ab eo propagatus eſt alter quem Maximus adhibet. 156

IV. Fragmentum Theophanis inſigne ad Græcorum computorum rationem explicandam, ad idque uotu eodem pertinentes. 157

V. De Græcorum computorum epocha in anno Juliano. déque cyclorum in iis methodo. Maximus illuſtratur. 160

VI. Confutantur ea, quæ de Græcis computis explicavit Scaliger in VII de Emend. Temp. iidémque variis exemplis illuſtriores redduntur. 162

VII. De methodo Paſchali computorum Græcorum. ac primùm de ἡμεροδείκτῃ, ſive inveſtiganda feria. exponuntur elementa ejus omnia. quid ſint regulares, concurrentes, προσθεταί Scaligeri in his error. Maximus & Iſaacus expoſiti. 163

VIII. Explicatur methodus Lunæ in computo Maximi, ſive Alexandrino. Epactæ Lunæ, ejuſdémque regulares, & ambarum propagatio. 164

IX. De methodo Lunæ in Conſtantinopolitano computo. 165

X. De lunari [illegible], & terminorum [illegible] Iſaaci Argyri ridicula ratio. Quartadecima Paſchalis cur plenilunium dicatur. Iſaaci errores varii. æquinoctium falſò ab eodem obſervatum. 166

XI. Altera methodus Paſchalis exponitur, quæ in ſancti Andreæ computo cernitur. 169

XII. Declaratur uſus computi ſuperioris Græcorum, & præcipuorum feſtorum exemplis adſtruitur. ibid.

XIII. Methodus computi Græcorum, qui à Maximo, Iſaaco, aliiſque traditus eſt, per tabulas, & Canones expeditiſſima traditur. 170

XIV. De certorum hominum Paſchali computo ac methodo, quos ſanctus Maximus [illegible] & [illegible] nominat, nos undecuplatores appellamus. quorum ratio propè inextricabilis viſa Scaligero, faciliimè declaratur. De iiſdem error Scaligeri. 175

XV. Undecuplatores illos, de quibus agit Maximus, uſos eſſe computo Conſtantinopolitano, & Victorini, ſeu Latinorum methodo; ita tamen ut à Catholicorum inſtituto non abhorrerent, contrà quàm Maximus, & Scaliger arbitrati ſunt. 176

DIONYSII

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU,

AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER PRIMUS,

In quo ortus & occaſus ſtellarum fixarum methodus exponitur.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

ORtus ſtellarum, occaſúſque cognitio res eſt & ad multas vitæ partes utilis; & ad Scriptorum veterum intelligentiam apprimè neceſſaria; & ad abſolvendam temporum Doctrinam haud levis ex ea fit acceſſio. Veteres enim; credo quòd annos aliter quàm ad Solem directos; ac minùs ideo ſtabiles, ac fixos adhiberent; præcipuas anni tempeſtates, & cardines; quos vulgò cognitos ac conſtantes eſſe vitæ communis intererat; illuſtrium ſtellarum ortu, occaſúque diſtinxerunt. ut inter alios meminit Achilles Tatius in calce Iſagoges. Quod & poſteri, tametſi conſtituta jam ad Solem, ac defixa civilis anni ratione, in iis potiſſimùm, quæ ad agriculturam pertinent, explicandis gubernandiſque tenuerunt. propterea quòd occultâ vi prædita eſſe quædam ſidera putarent; quæ & tempeſtatum mutationem faceret, & ad ruſticorum procurationem operum ſingularem commoditatem afferret. qua de re paullò pòſt videbitur. Nunc duabus ex cauſſis de ortu ſtellarum, & occaſu commentari hoc loco aliquid in animum induxi meum. Nam & ſuſceptæ jam à nobis traditæque temporum Doctrinæ haud diutiùs deberi pars illa poteſt: & ad Hipparchi, Gemini, Ptolemæique libros, quos in hanc editionem conjecimus, illuſtrandos, etiam factu id neceſſarium videtur. Accedat & illud præterea tertium: ut quæ hoc in genere Plinianus Exercitator ſupra fidem imperitè, abſurdéque ſcripſit, pleniſſimè convinci, refutarique poſſint.

Duo ſunt in Iſagoge Gemini loca, quæ hanc operam à nobis efflagitant. Alter capite XI, ubi ortuum & occaſuum varietatem omnem ac rationem ſic explicat, nemo ut accuratius id præſtiterit. Alter in libri fine, ubi breve parapegma, ſive cœleſtis anni ἡμερολόγιον cum ortu, occaſúque præcipuorum ſiderum exponit. quod ipſum liber alius, qui Ptolemæi nomine inſcriptus Φάσεις ἀπλανῶν ἐπισημασιῶν continet, uberiùs præſtat. Accedit Hipparchus, qui tribus libris ſtellarum ſitus, & earum ortus, occaſúſque declarat. Ut igitur majori cum fructu, ac voluptate candidus lector in horum lectione verſari poſſit, methodum omnem computandi ortus occaſuſque fixorum ſiderum certos in Canones conferam, perinde uti lib. VIII de Doct. Temp. factum eſt in Solis, Lunæque motibus ac defectionibus. Quod antequam aggredior, quid ortus iſte, occaſúſque ſit, præſertim ex Gemini, Ptolemæique doctrina, proponendum videtur.

CAPUT I.

De ortu, & occaſu ſtellarum, quid ſit, & quotuplex è Gemino, Theophraſto, Ptolemæo, aliiſque declaratur.

SIDERUM ortus occaſúſque rationem habet duplicem. Aut enim cum finitore dumtaxat circulo: aut etiam cum Sole comparatur. Primum genus abſolutum eſt, ac ſimplex, ad quod ἀνατολὴ ϗ δύσις pertinet; hoc eſt ſupra finitorem emerſio ſtellæ, vel infra eumdem depreſſio. Poſterius implicatum & miſtum. Nam & ad finitorem refertur oriens, occidénſve ſtella: & ad Solem reſpectum habet; prout ab eo longiùs, propiúſve diſtat. Ortum hujuſmodi Græci proprie vocant ἐπιτολὴν· quæ cum φάσει aliàs conjungitur; aliàs ſine ea contingit. Occaſus itidem ortui reſpondens interdum δύσις eſt ſola: interdum κρύψις, id eſt occultationem ab Sole habet adjunctam.

Hoc quemadmodum fiat, Geminus cap. XI ita declarat. ἀνατολὴν ſcribit cum ἐπιτολῇ promiſcuè ab imperitis haberi. Ea verò ab invicem ſecerni. Nam ἀνατολὴν diurnum eſſe ſtellæ ſupra horizontem emerſum: cui δύσις, ſive ὑπὸ τ̄ ὁρίζοντα κρύψις opponitur. At ἐπιτολὴ Solem præterea reſpicit. ſive cum eo conjuncta, & ejus abſorpta luce ſupra finitorem pariter aſſurgit. Sive illius expedita radiis paullò ante ipſum oritur, ac primùm videndæ copiam facit. Sic ei reſpondens δύσις partim occaſus cum Sole cadentis, nec apparentis eſt ſtellæ: partim ab eo paullulùm diſtantis, poſtremúmque conſpectæ. Ἀνατολῆς & ἐπιτολῆς diſcrimen.

Hoc poſterius genus bifariam utrobique dividitur. Eſt enim ἐπιτολὴ ἑῴα *ortus matutinus*, & ἑσπερία *veſpertinus*. Totidem δύσεων formæ ſunt. Rurſus utraque pars in duas alias tribuitur. Nam alii ſunt ortus, & occaſus ἀληθινοὶ *veri*: alii ſunt φαινόμενοι, *apparentes*. Ita qua.

quatuor ſunt ἐπιτολῶν, totidémque δύσεων genera. quæ hac tabella complectar.

- Stellæ
  - ἐπιτολὴ ortus
    - ἑῴα matutinua
      - ἀληθινὴ verus
      - φαινομένη apparens
    - ἑσπερία veſpertinus
      - ἀληθινὴ verus
      - φαινομένη apparens
  - δύσις occaſus
    - ἑῴα matutinus
      - ἀληθινὴ verus
      - φαινομένη apparens
    - ἑσπερία veſpertinus
      - ἀληθινὴ verus
      - φαινομένη apparens.

Hanc omnem φάσεων, & ἐπιτολῶν varietatem annuo motu Sol efficit. Hic enim, ut & ἀπλανεῖς ſtellæ, contra primum motum verſus partes cœli ortivas nititur. Sed cùm multò celeriùs quàm iſtæ rapiatur, paullatim eas aſſequitur, & iis ponè relictis, ad eaſdem annua converſione regreditur. Ita fit ut ex radiis appropinquantis Solis abſconſæ primùm; tum etiam cum eo conjunctæ, oriantur, & occidant: inde prætergreſſo Sole rurſus appareant diluculo, ac ſub auroram. Deinde longiùs Sole remoto, extremâ jam nocte: pòſt mediâ: exinde poſt occaſum. quouſque Solem ex adverſo reſpicientes, eo infra horizontem cadente, ab oriente conſurgant. Quo tempore propter ſplendorem diurnæ lucis videri nequeunt oculis: donec intendentibus ſe tenebris, arduæ conſpiciuntur. quod deinceps tota nocte accidit; Sole interim ad eas adrepente. cujus antequam radiis afflatæ ſunt, paullò poſt occaſum poſtremùm videntur à nobis: indéque luce illius occultantur. Ejuſmodi iis in ſtellis, quæ ab orbe ſignifero non diſtant, ortuum, & occaſuum viciſſitudo cernitur. Ceterarum, quæ latiùs in boream, auſtrúmve ſparguntur, paullò diverſa ratio eſt. de qua poſtea dicetur. Interim ut ex his illæ ortuum & occaſuum ſpecies intelligantur, ἐπιτολὴ ἑῴα ἀληθινὴ tum fit, quando ſtella cum Sole conjuncta, nec apparens, manè cum eo ſimul emergit. δύσις ἑῴα ἀληθινὴ, quando eo oriente occidit. Ortus matutinus apparens eſt, cùm ſtella hactenus ſolaribus tecta radiis profertur in emerſum. Occaſus matutinus apparens, quando ſtella paullò ante Solis ortum occidere videtur. Ortus veſpertinus verus eſt, cùm occidente Sole ſtella oritur ex adverſo; neque tamen propter Solis, aut lucis veſpertinæ fulgorem aſpectabilis eſt. Ortus veſpertinus apparens, quando Sol longiuſculè ab horizontali diametro progreſſus eſt: adeo ut poſt ejus occaſum emergens ab oriente ſtella conſpicua ſit. Occaſus veſpertinus verus fit cùm in ipſo puncto Solis occidentis, cum eo ſtella deprimitur. Occaſus veſpertinus apparens, cùm poſt occaſum Solem occidere ſtella aliqua conſpicitur.

Triplex ortus & occaſus à recentioribus conſtitutus.

Hi ſtellarum ortus, & occaſus paullò aliter ab recentioribus explicari, ac nominari ſolent. Triplex enim ab illis ortus; triplex item occaſus ſtatuitur. Ortus imprimis alius coſmicus dicitur, qui eſt ἐπιτολὴ ἑῴα ἀληθινή. alius ἀκρόνυχος, qui eſt veſpertinus verus. tertius ἡλιακὸς, qui eſt ortus matutinus apparens. Occaſus verò primus eſt coſmicus: qui eſt matutinua verus. ſecundus acronychus, qui eſt veſpertinus verus. tertius heliacus, qui veſpertinus apparens à Gemino dicitur.

Theophraſtus libro de Signis pluviarum ortus & occaſus duplices facit. Εἰσὶ δὲ δύσεις διτταί. αἱ μὲν γὰρ ἀφανισμοὶ δύσεις εἰσί. τοῦτο δέ ἐστιν, ὅταν ἅμα συνδύνῃ τῷ ἡλίῳ τὸ ἄστρον, καὶ ὅταν ἀνατέλλοντι δύνῃ. ὁμοίως δὲ καὶ ἀνατολαὶ διτταί. αἱ μὲν ἑῷαι, ὅταν προανατέλλῃ τοῦ ἡλίου τὸ ἄστρον· αἱ δὲ ἀκρόνυχοι, ὅταν ἅμα δυομένῳ ἀνατέλλῃ. *Eſt autem occaſus duplex. nam cùm eripiuntur aſpectui ſidera, dicuntur occidere. id quod fit, quando unà cum Sole & ſideris occaſus evenit: & quando ſimul Sol exoritur, & ſtella occidit. Exortus etiam duplex ſimiliter eſt: matutinus, ut cùm Solem præcedit ortus ſideris. veſpertinus, cùm ſimul Sol occidit, & ſidus exoritur.* Occaſus è duobus prior eſt heliacus, quando poſtremùm occidens paullò poſt Solem ſtella conſpicitur. poſterior eſt coſmicus Sic ortus prior eſt heliacus: poſterior acronychus. Qui hunc Theophraſti locum interpolare auſus eſt Solinianua Exetcitator, ſolenne ſuum obtinet, ut quid dicat neſciat. de quo agetur libro VI, cap. XI. Ptolemæus lib. IX, cap. IV illas ipſas ad horizontem, ac Solem habitudines ſtellarum σχηματισμοῦ τρόπους, *configurationes*, & *conformationes* nominat. quarum novem diſcrimina conſtituit. Ea verò partim ad horizontem; partim ad meridianum circulum reſpectum habent.

Primus σχηματισμὸς appellatur πρωϊνὸς ἀπηλιώτης, *matutinus ſubſolanus:* quando Sole oriente ſtella ſimul oritur: iſque triplex eſt. Primus ortus eſt matutinus ſubſequens, ἑῴα ἐπανατολὴ μὴ φαινομένη, cùm poſt ortum Solis ſtella latere in ejus radiis incipiens confeſtim oritur, nec videtur. Secundus eſt ortus matutinus verus, ἑῴα συνανατολὴ ἀληθινή. cùm ſtella in eodem puncto cum Sole ſita ſupra finitorem emergit. Tertius ortus matutinus antecedens & apparens, ἑῴα προανατολὴ φαινομένη. cùm orientem Solem antevertens ſtella priùs apparet. Hic eſt heliacus ortus. priores duo ad coſmicum referuntur.

Ptolemæi ſchematiſmi.

Secundus σχηματισμὸς vocatur πρωϊνὸν μεσουράνημα, cùm Sole in horizonte ortivo poſito, ſtella meridianum tam ſupra, quàm infra terram obtinet. Hujus tres ſunt differentiæ. I ἑῷον μεσουράνημα μὴ φαινόμενον, cùm orto jam Sole ſtella culminat, id eſt ſummum cœli faſtigium tenet: neque videtur. II ἑῷον συμμεσουράνημα ἀληθινὸν, cùm eo ipſo momento, quo Sol oritur, ſtella meridianum occupat. III ἑῷον προμεσουράνημα, cùm antequam Sol horoſcopum ſuperavit, ſtella in ſummo culmine conſpicitur.

Tertius σχηματισμὸς vocatur πρωϊνὸς λὶψ, *occaſus matutinus*, quando oriente Sole ex adverſo ſtella occidit. Eſt autem triplex. I ἑῴα ἐπικαταδύσις μὴ φαινομένη: quando ſtella poſt Solis ortum ſubinde præcipitatur. II ἑῴα συγκαταδύσις ἀληθινή. cùm eodem tempore, quo Sol emergit, ſtella deſcendit. III ἑῴα προδύσις φαινομένη. cùm paullò ante Solis ortum ſtella ex oculis ſub occaſum rapitur. Quas ſpecies occaſua coſmici nomine complectimur.

Quartus σχηματισμὸς dicitur μεσημβρινὸς ἀπηλιώτης, cùm Sole meridianum tenente ſtella horizontem ſuperat. Atque hic duplex eſt. I eſt ἡμερινὸς, καὶ μὴ φαινόμενος, *diurnus, & non apparens;* cùm Sole ſummum cœli faſtigium obſidente, ſtella de die conſurgit. II nocturnus apparens, νυκτερινὸς, καὶ φαινόμενος. cùm Sole imam meridiani partem occupante, ſtella media nocte oritur.

Quintus σχηματισμὸς vocatur μεσημβρινὸν μεσουράνημα, qui & duplex eſt. I diurnus, cùm Sole in ſummo cœli faſtigio verſante ſtella vel cum eo conjungitur, vel ei ex diametro infra terram objicitur. II nocturnus, cùm Sole ſub terra meridianum circulum obeunte, ſtella vel cum illo conjungitur, vel ſupra terram eumdem meridianum obtinet.

Sextus σχηματισμὸς μεσημβρινὸς λὶψ, meridianus occaſus, cùm Sole meridianum tenente, ſtella in occaſu conditur. quod fit dupliciter. I cùm Sol meridiani partem infimam percurrit occidente ſtella. II cùm ſupra terram in eodem meridiano ſitus eſt.

Septimus σχηματισμὸς ὀψινὸς ἀπηλιώτης, *Veſpertinus ortus*, quando occidente Sole ſtella oritur. Triplex autem eſt. I ἑσπερία ἐπανατολὴ φαινομένη, *ortus veſpertinus ſequens, & apparens*, cùm ſtella, jam Sole depreſſo, ſtatim ab oriente ſurgit. II ἑσπερία συνανατολὴ ἀληθινὴ, *ortus veſpertinus verus* ſtellæ Solem ex adverſo ſpectantis, & cùm is occidit orientis. III ἑσπερία προανατολὴ μὴ φαινομένη, *Veſpertinus ortus antecedens, nec apparens*, quando paullò ante Solem occaſum oritur ſtella, nec dum oculis diſcernitur, donec Sol altius deprimatur. Hi omnes ortus ad acronychum pertinent.

Octavus σχηματισμὸς ὀψινὸν μεσουράνημα, cùm Sole occidente ſtella medium cœli occupat. Id tripliciter accidit. I cùm ſtella Sole jam abſconſo ad meridianum accedit, & vocatur ἑσπέριον ἐπιμεσουράνημα φαινόμενον. II cùm eodem momento Sol occidit, & ſtella meridianum

num aſſequitur; éſtque ἑσπερινὸν συμμεσουράνημα ἀληθινόν. III eſt ἑσπερινὸν προμεσουράνημα μὴ φαινόμενον, cùm paullò antequam Sol occidat ſtella meridianum tenet.

Nonus σχηματισμὸς eſt ὀψινὸς λὴψ, occaſus veſpertinus. quando ſtella unà cum Sole occidit. Idem porro triplex eſt. I ἑσπερία ἐπικαταδύνουσα φαινομένη, cùm poſt occaſum Solem occidere ſtellam videmus, quæ jam Solis radiis occultari incipit. II eſt ἑσπερία συγκαταδύνουσα ἀληθινή· cùm ſtella cum Sole pariter in occaſum rapitur. III eſt ἑσπερία προδύνουσα μὴ φαινομένη. quando ſtella ante Solem occidit. Horum primus eſt, quem occaſum heliacum vocant. Secundus eſt acronychus occaſus.

Achilles Tatius. Achilles Tatius εἰς τὰ προλεγόμενα duplicem ἀνατολὴν, itidémque δύσιν conſtituit. alteram matutinam, quando cum oriente Sole oritur; vel eodem occidente, ex diametro oppoſita ſtella ſcandit horizontem. alterum veſpertinum: quando cum eodem oritur: aut ex adverſo illius orientis occidit. Hæ ſunt veræ ἀνατολαὶ καὶ δύσεις Gemini. Subjicit Achilles diſcrimen ἀνατολῆς, & ἐπιτολῆς, quale Geminus exponit. Proclus etiam in Heſiodi II librum ἐπιτολὰς καὶ δύσεις apparentes eodem ferè modo declarat, quo Geminus.

Plinii ſententia, de qua vide infrà lib. VII. cap. III. At Scriptores aliqui ortus & occaſus iſtos aliter explicant. Plinius lib. XVIII, cap. XXV. *Exortus*, inquit, *occaſúſque binis modis intelliguntur. Aut enim adventu Solis occultantur ſtellæ, & conſpici deſinunt, aut ejuſdem abſceſſu proferunt ſe. Emerſum hoc meliùs, quàm exortum conſuetudo dixiſſet. & illud occultationem potiùs, quàm occaſum. Alio modo, quo die incipiunt apparere, vel deſinunt, oriente Sole, aut occidente, matutini, veſpertiníve cognominati, prout alterutris eorum manè, vel crepuſculo contingit.* Prior ſpecies ortum vel occaſum, quem vocant, heliacum reſpicit. Poſterior tam ad heliacum, quàm ad coſmicum referri poteſt. Nam & heliacum ortum faciens ſtella apparere incipit ante Solis exortum; & cùm heliacè occidit, eumdem occidentem modico ſpatio ſubſequitur. De coſmico earumdem ortu & occaſu perſpicua Plinii verba ſunt. qui de ſolis fixis loqui ſe paullo pòſt admonet. *Omnîſque ſermo eſt de his ſtellis, quas adhærere cælo diximus.* Atque hoc modo prior illa ſpecies abſolutam ſtellarum ad Solem habitudinem continet. poſterior ad Solem pariter, & ad horizontem.

Firmicus lib. II, cap. VIII quadruplicem planetarum quinque, demptis ſcilicet Sole ac Luna, rationem exprimit. *Aut enim matutina ſunt; aut veſpertinæ; aut occidentales, ſeu abſconſæ, quæ à Græcis* ἀφανεῖς τε, καὶ συνοδικαὶ *dicuntur. aut* ἀκρόνυχοι. Quas ſingillatim ſic explicat: *Matutinæ ſunt in ortu, quæ præcedentes Solis orbem oriuntur. veſpertinæ verò in ortu, quæ orientem Solem ſequuntur. abſconſæ autem, quas Solis orbis tegit.* ἀκρόνυχοι, *quæ tunc oriuntur cùm Sol occidit.* Veſpertinus ortus duobus tantummodò planetis convenit, Mercurio, & Veneri; qui ſub veſperam interdum oriuntur heliacè: aliàs matutino tempore; prævenientes illius ortum, vel occaſum ſubſequentes. Ceteri tres, quia tardiorem habent Sole progreſſum, itidem ut fixæ, heliacum ortum tantummodò matutinum faciunt, non veſpertinum. nec non ἀκρόνυχοι tum oriuntur, cùm à Sole tota diametro diſtant. Rectè autem Firmicus duos illos, quos dixi, ut ortum veſpertinum faciant, Solem ſubſequi ait, quia paullò celeriùs Sole in conſequentia nitentes, ejus radiis expediti, primùm apparere ſub veſperam incipiunt.

Joannes Tzetzes in ſecundum Heſiodi librum ſtellam in ortivis ſignorum partibus, hoc eſt in præcedentia, gradibus à Sole quindecim diſtantem ἑῴαν ἀνατολὴν facere ſcribit. eamdem, cùm minus quindecim gradibus diſtat, ἑῴαν δύσιν habere. Rurſus cùm Solem antecedentem gradibus quindecim ſtella ſequitur, ac poſteriùs oritur, ἀνατολὴν ἑσπερίαν facere. quando minore intervallo diſtat, ἑσπερίαν δύσιν. poſtremò ἀκρονυχία eſt, cùm è diametro Solem aſpicit. Ejus verſus ſuper hac re non pigebit adſcribere.

Ἀστὴρ πρὸ μοιρῶν πεντεκαίδεκα τρέχων,
Καὶ τοῖς ἀνατολικοῖς ζωδίων ἀνατρέχων,
Τὸν ἥλιον βλέπων ἐκ τῶν κάτω δρόμοις
Ποσῶν ὑπερτρέχοντα μοιρῶν ὧν ἔφην,
Ἀνατολὴν ἑῴαν διδρομῶν τρέχει.
Εἰ δ' αὖ προδράμοι προδρομῶν τῷ ἡλίῳ
Μοίρας ἐλάττους, δύσιν ἑῴαν τρέχει.
Τὰς πέντε καὶ δέκα ἐκ τῶν μοιρῶν πάλιν
Ἀστὴρ ὁ ῥηθεὶς ὑστερήσας ἡλίου,
Ἀνατολὴν τρέχει μὲν, ἀλλ' ἐξ ἑσπέρας,
Ἐς ὡς κατ' αὐτὰς τὰς κάτω καταδρόμας.
Εἰ δ' αὖ ἐλάττους, τὴν δύσιν τὴν ἑσπέρας.
Μοίρας δὲ πεντήκοντα προδραμὼν τρέχει
Μεσουράνημα, καὶ δρόμους ὑπερτάτους.
Μοίρας δ' ἑκατὸν ὀγδοήκοντα τρέχων
Ἀστὴρ ὄπισθεν ἡλίου διαμέτρως
Δύνοντος εἰς γῆν, ἀκρονυχία τρέχει.

In his verſibus pro μοίρας δὲ πεντήκοντα; ratio poſtulat ἐνενήκοντα. Neque enim quinquaginta diſtans ab oriente Sole gradibus culminat ſtella, ſed nonaginta, quod de aſcenſione, & æquinoctialibus partibus intelligendum eſt. Ac videtur ſtellarum fixarum ſimul, & planetarum σχηματισμοὺς in eamdem Myconum incluſiſſe. Quippe ortus heliacus veſpertinus ſolis duobus accidit, Mercurio, & Veneri. de quo rurſus poſteà diſputabitur.

. Theo ad Aratum pag. 17. ἀνατολὴν, & ἐπιτολὴν ita declarat, ut prior ſit emerſus dodecatemorii totius, quod obtinet Sol: ἐπιτολὴ verò, ortus ſideris illius, quod proximum eſt ab illo dodecatemorio. Exempli cauſſâ, ſcribit Aratus:

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων.

Pleïades in Tauro ſitæ ſunt, quæ τῷ κριῷ ἐπιτέλλονται; cùm Sol in Ariete eſt. Hæc ſunt nugaciſſima. Verba tamen illius proferenda ſunt: ἄλλο μέν ἐστιν ἀνατολὴ, καὶ ἄλλο ἐπιτολή. ἀνατολὴ μὲν γάρ ἐστιν ἡ τοῦ ζωδίου τινὸς, καθ' ὅ ἐστιν ὁ ἥλιος ἐπιφάνεια· ἐπιτολὴ δὲ, τὸ ὑπὸ τὸ ζώδιον. ὅταν γὰρ συνανατέλλῃ ἐπί τινι, ἐπιτέλλειν λέγεται· ὡς τό,

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων.

Αἱ γὰρ πλειάδες ἐπὶ τοῦ Ταύρου εἰσὶ κειμέναι, αὗτινες τῷ κριῷ ἐπιτέλλονται, ὅτι ὁ ἥλιος ἐν τῷ κριῷ ἐστι κατὰ τὴν τοῦ ἔαρος ἀρχὴν, ὅτι πρῶτον τὰς κριθὰς θερίζουσι. Hæc ſi eſſent vera, diceretur ἐπιτέλλουσα Pleïas, ὅτι ἐπὶ τῷ κριῷ τέλλει, quando Sol in Ariete ſitus eſt. Tunc enim poſt ortum Solis Taurus exoritur, in quo ſunt Pleïades. At non eſt hæc ἐπιτολὴ propriè dicta. ſiquidem non apparet, cùm de die contingat. Nec de ea interpretari poteſt Heſiodus. Quinetiam ineptiſſimum eſt quod ſubjicit, initium æſtatis fieri, cùm Sol eſt in Ariete.

CAPUT II.

Explicantur regulæ quadam ad ortum, occaſúmve ſtellarum. ubi & Gemini locus perdifficilis expenditur.

STELLARUM aliæ in ipſo τοῦ διὰ μέσων ζωδίων circulo poſitæ ſunt. & latitudine carent: aliæ ab eo circulo recedunt, & latitudinem habere dicuntur ad ſeptentriones, aut meridiem. Priorum ratio longè faciliori methodo conſtat. Eæ oriendi, occidendíve viciſſitudines iſtas habent. Primùm accedente propiùs ad illas Sole, obſcurari incipiunt, qui eſt heliacus occaſus. Deinde cùm ad eaſdem propiùs pervenit, oriuntur manè cum Sole κοσμικῶς; & occidunt veſpere in eadem, in qua ſitæ ſunt, Zodiaci parte, ſiquidem nulla prorſus earum latitudo ſit. aut proximè antecedente, ac ſequenti, ſi modicè ab ecliptica diſtent; uti mox dicetur. Exinde cùm Sol in conſequentia tranſitum facit, expeditæ Solis radiis apparere incipiunt; qui eſt ortus heliacus. Poſt ſemeſtri circiter intervallo poſt ortum coſmicum, cùm ad oppoſitam è diametro partem delatus eſt Sol, fit earum ſtellarum ortus acronychus, & coſmicus occaſus. Hic ordo ſervatur in his ſtellis, quæ in ecliptica ipſa ſunt, aut ab ea mediocri ſpatio diſtant, ut in Corde Leonis cernimus, quæ ſtella latitudinem habet boream grad. 0. 26'. tum in altera ejuſdem aſteriſmi, quæ proximè antecedit, latitudinem habens nullam. nec non in lucida Pleiadum, cujus latitudo graduum eſt 4, 0'. & aliis latitudinem haud adeo magnam habentibus.

Secundò; ſtellæ latitudine boreali præditæ, in obliqua ſphæra, in eo, in quo ſitæ ſunt, loco non oriuntur, occiduntve: ſed cum gradu antecedente ortum faciunt; occidunt cum ſequente: idque hoc ordine ferè contin-

git. Primùm oriuntur coſmicè; tum heliacè: deinde occidunt heliacè. poſt acronychè cum Sole deſcendunt. hinc oriuntur acronychè; ac demum occidunt coſmicè. Id in Arcturo, Capella, ceteriſque borealibus videre licet. In Pleiadibus verò, ac Baſiliſco idipſum etiam cernitur, Oriri ſtellas iſtas cum præcedente Zodiaci parte, occidere cum ſequente.

Tertiò, ſtellæ, quæ latitudinem verſus auſtrum majorem obtinent, oriuntur in eo gradu, qui locum illarum ſequitur, in antecedente occidunt. ut in Sirio accidit. Qui primùm ἡλιακῶς occidit. tum ἀκρονύχως. Exinde cum Sole coſmicè oritur; item heliacè. poſt occidit coſmicè. demum ineunte nocte oritur, quæ omnia πύτῳ, & πλατικῶς à nobis uſurpata ſunt.

Quartò in obliquo ſphæræ poſitu, ſtellæ, quæ ad polum ἀειφανῆ propiùs accedunt, parallelorum, quos diurno motu deſcribunt, majora ſupra terram ſegmenta, quàm infra terram obtinent. quod etiam fit in Sole; unde & dierum, ac noctium inæqualia ſpatia ducuntur. E contrario verò quæ ad polum oppoſitum vergunt, breviores ſupra terram arcus, quam infra eum relinquunt. Itaque differentiæ aſcenſionum, quas vocant, ad priorum intervalla diurna conficienda, adjici ſolent æquabilibus dierum ſpatiis; ad nocturna detrahuntur. in poſterioribus contrà fit. uti capite ſequenti canone XVII conſtabit.

Quiotò, non omnes ſtellæ, quæ ſimul oriuntur, ſimul etiam occidunt. ac ne illæ quidem omnes, quæ priùs oriuntur, priùs item occidunt. ſed partim ſimul orientes occaſum antè faciunt: partim priùs orientes poſteriùs occidunt. Nam ſi ſtellas longitudinis ejuſdem, aut non valdè diſcrepantis inter ſe conferas, quæ ad Septentriones propiùs accedunt, in orbe noſtro, tametſi ante eas oriantur, quæ ad meridiem vergunt, aut harum etiam comitentur, vel interdum ſequantur ortum; iiſdem tamen tardiùs occumbunt. quod, ut paullò antè dixi, diurnos arcus, quò ſunt boreales magis, habent longiores; brevioreſque nocturnos. Hoc in Procyne, & Canicula uſus docet. Nam Procyon ut ante canem oritur, ſic poſt eum occidit. Taurus etiam cum Heniocho, id eſt auriga ſimul oritur, & ante eumdem occidit: ut ex Arato Geminus obſervat cap. XI. Hinc illud evenit, ut quædam ſidera eâdem nocte occidant poſt Solem, & eum oriendo præveniant; ut Arcturus hiberno tempore. quòd & inferiora parallelorum Solis ſegmenta, quæ ſub terra peragrat, longiora; & Arcturi contractiora ſunt. contrà nonnullæ ſtellæ neque orientes videntur, quia Sole jam orto finitorem conſcendunt: neque occidentes, quia jam occaſo Sole deſcendunt. ut quæ ad auſtralem polum accedunt. Poſtremò de iiſdem ſtellarum ortibus, & occaſibus quædam ſunt à Gemino dicta; quæ vel falſa ſunt; vel quo ſenſu capienda ſint, equidem non intelligo.

Scribit enim earum ſtellarum, quæ latitudine carent, ortum matutinum, quam ἐπιτολὴν ἑῴαν vocat, poſt ortum ἀκρόνυχον, id eſt ἑσπερίαν ἐπιτολὴν, ſemeſtri ſpatio fieri. & contrà ἑῴαν δύσιν, id eſt occaſum coſmicum, poſt heliacum occaſum intervallo pari. At verò cùm ſtellæ latitudine borea præditæ ſunt, majus intervallum eſſe ſemeſtri ab ortu acronycho ad heliacum. cùm autem auſtralem latitudinem habent, minus ſemeſtri ſpatio confici ab ortu acronycho ad heliacum. atque hanc inæqualitatem pro latitudinis modo majorem, minorémve fieri. Sic in iis ſtellis, quæ Septentrioni propiores ſunt, minus ſex menſibus intervallum eſt ab occaſu coſmico ad heliacum ortum. in iis quæ ad meridiem accedunt magis, amplius ſemeſtri ſpatio tempus eſt ab occaſu coſmico ad heliacum ortum. Quæ quidem majori ex parte falſa mihi videntur; ſive per ortum matutinum, heliacum; ſive coſmicum intelligat.

Etenim heliacus ortus ſtellarum omnium, etiam quæ in ipſo τῷ διὰ μέσων ſitæ ſunt, poſterior eſt ortu earumdem coſmico, ſeu vero. At ortui coſmico reſpondet è diametro ἑσπερία ἐπιτολὴ, ſive ortus acronychus. Igitur ab ortu acronycho ad heliacum minus eſt intervallum ſemeſtri: quoniam arcus ὁ φάσεως, qui fulſionis vulgò nominatur, de ſemicirculo decerpit aliquid, qui inter ortum utrumque verum interjectus eſt. Uno verbo, ortus coſmicus ab acronycho diſtat intervallo dimidii circuli. ortus heliacus inter ambos evenit. à coſmico diſtans gradibus aliquot. Non eſt igitur ſemeſtre ſpatium ab heliaco ad acronychum.

Poteſt hoc exemplis doceri. In Leone ſtella minor eſt, quæ cor Leonis, ſive regulum antecedit. quæ ex Tychonis deſignatione anno Chriſti MDC ſita erat in gradu Leonis 21, 42′. Latitudo nulla. Igitur ex methodo noſtra ſub annum primum Julianum, locus illius erat in gradu Cancri 28, 50′. in quo coſmicè oriebatur, & occidebat acronychè. In parte verò Capricorni ex adverſo poſita ortus ejuſdem acronychus, occaſuſque coſmicus incidebat At heliacè ortum habuit in gradu Leonis 27, 33′. occaſum autem heliacum in grado Cancri 10, 42′. Intervallum ab ortu acronycho ad heliacum ſignorum 6, 28, 43′. Ab occaſu heliaco ad ortum coſmicum intervallum ſignorum 6, 18, 8′. Sic in corde Leonis, ſeu baſiliſeo, quæ ſtella primæ magnitudinis eſt, eodem anno primo Juliano, accidit ortus heliacus poſt acronychum ſignis 6, 16, 46′. Occaſus coſmicus ab heliaco, ſignis 7, 5, 35′. Non eſt igitur ſemeſtre utrobique ſpatium, ut aſſerit Geminus. Quòd ſi per ἑῴαν ἐπιτολὴν, coſmicum ſignificet, in quibuſcumque ſtellis ortus coſmicus ab acronycho ſemicirculi intervallo diſtat: hoc eſt propemodum ſemeſtri tempore: ut ea differentia ſeponatur interim, quæ ex apogeo peti poteſt, dierum paucorum.

Præterea ut illud ejuſdem certiſſimum eſt, in iis ſtellis, quæ boream latitudinem habent, ſemeſtri majus intervallum fieri ab ortu acronycho ad heliacum ortum; ut in Arcturo, Capella; imò & Pleiadibus apparet. Sic illud minimè verum; in iis, quæ vergunt ad meridiem, minus eſſe ſemeſtri ſpatium ab ortu acronycho ad heliacum. Quippe Sirii ortus acronychus in Capricorni 22, 48′ incidit anno primo Juliano. heliacus, in Leonis 7, 43′. Intervallum ſignorum 6, 14, 55′. quod & τομαῖς, & χρονικῶς majus eſt ſemeſtri ſpatio. Nihilo id magis capio, quod ſciſcit Geminus, intervallum ab occaſu coſmico ad ortum acronychum minus eſſe ſemeſtri in iis ſtellis, quæ boreali latitudine diſtant à zodiaco. majus autem in auſtralibus. Nam in borealibus ſtellis longè majori ſpatio, quàm ſemeſtri, acronychus ortus poſt coſmicum occaſum evenit. In auſtralibus verò multò minore. Arcturus ecce hoc tempore occidit Lutetiæ coſmicè in parte Geminorum 26, 25′. idem oritur acronychè ſignis 9, 5, 54′ interpoſitis, in gradu arietis 2, 19′. At Sirius anno primo Juliano occidebat coſmicè in gradu Scorpii 19, 14′. oriebatur acronychè in Capricorni 22, 48′. Diſcrimen ſignorum 2, 3, 34′. Quis hoc Gemini dictum extricare poſſit? Neque tamen virum tantum inſcitiæ tam immanis accuſare audeo. Sed intelligi à me quid ſibi velit negem potiùs, quàm temerè condemnari patiar. Videant igitur eruditiores, quàm ſim ego, quemadmodum explicari iſta debeant.

Sed neque ratio illa, quam affert Geminus, cur ea, quam expoſuit, in ſtellis varietas accidat, momentum habet ullum. Nam propter ſegmentorum diverſitatem evenire ait, ut ad boream ſitæ majus ſemeſtri tempus inſumant ab ortu veſpertino ad matutinum ortum. contrà minus habeant intervallum quæ ad auſtrum reſpiciunt. Atqui ſive per matutinum ortum, ἀληθινὸν, & coſmicum intelligimus; nulla prorſus in quolibet ſtellarum poſitu varietas exiſtit. Par enim in omnibus eſt ſemicirculi diſtantia. Sive de heliaco ortu capias, nihilominus eſt falſum. Quippe ſegmentorum, quæ ab horizonte dividuntur, in parallelis inæqualitas nihil ad eam rem pertinet. cùm id totum Solis κατὰ πλάτος κίνησις, & acceſſus ad ſtellam efficiat. At tametſi ſtella quæpiam in ipſa zodiaci, & æquinoctialis ſectione poſita ſit; ubi parallelorum ſegmenta ſunt æqualiter diviſa; nihilominus inæqualia erunt intervalla; ut res ipſa demonſtrat, & nos paullò antè ſignificavimus. Sanè ratio iſta Gemini ad arcuum diurnorum, ac nocturnorum inæqualitatem dumtaxat attinet. in ortibus verò, atque occaſibus, quos ad Solem inſuper ſtellarum habitudo moderatur, non ad horizontem ſolum, non perinde locum habet.

Eſt illud quidem diverſum in earum ortu vel occaſu, quod ex boreali, auſtralive latitudine ſumitur. quod ſtellæ, quæ in ecliptica poſitæ ſunt, ortum coſmicum, ſive ἀληθινὸν, ſuccedentem habeant ortui veſpertino intervallo ſemicirculi; ac viciſſim ortum veſpertinum ortui coſmico. Item ortus acronychus ab occaſu acronycho pari ſpatio diſtet; nec non occaſus ab ortu. At in borealibus ab ortu coſmico ad occaſum amplius eſt ſemicirculo. ab occaſu verò coſmico ad ortum minus

ſemi-

ſemicirculo. contrà autem in auſtralibus, minus eſt ſemicirculo ab ortu coſmico ad occaſum coſmicum: majus autem ab occaſu ad ortum. Hoc utrum voluerit Geminus, ac quæ mens illius fuerit, ampliùs cogitandum cenſeo.

Illud ex eodem obſervatione digniſſimum eſt; generalem hanc ortuum, & occaſuum eſſe rationem: ut in matutinis, veri priores ſint apparentibus; in veſpertinis, apparentes veros antecedant. Quod in heliaco ſtellarum ortu, occaſúque perſpicuum eſt. Nam ortus heliacus, qui matutinus eſt apparens, vero, & coſmico poſterior eſt. Occaſus autem heliacus, qui apparens & ipſe eſt, verum, ſive acronychum præcedit. In reliquis porrò non minùs id conſtat. Etenim in occaſu coſmico, ſive matutino, quando oriente Sole ſtella mergitur, priùs eſt è diametro Solem objici ſtellæ, quàm ipſam paullò ante Solis exortum ſub horizontem deprimi. quorum ille occaſus eſt verus, non apparens; hic apparens eſt. Siquidem antequàm Sol oppoſitam diametri partem attingat; ſtella occidit interdiu, Sole ſupra terram adhuc morante. Ideo videri nondum occaſus illius poteſt. uti nec cùm directè ſurgenti eſt objecta Soli; quòd illius ſplendore cùm aër ipſe, tum ſtella penitus obducitur. Poſtquam autem in conſequentia Sol graduum aliquot ac dierum progreſſionem fecerit; tum demùm paullò, ut dictum eſt, antequàm oriatur, ſtella videntibus nobis infra terram conditur. qui eſt matutinus occaſus apparens; Ptolemæo ἑῴα πρόδυσις φαινομένη in ſchematiſmo tertio.

Contrà acronychus ortus verus poſterior eſt apparenti. Quippe antequàm Sol oppoſitam diametri partem in occaſu ſuo teneat, ſtella per dies aliquot prima nocte conſcendit horizontem, paullò poſt occaſum Solem: atque ita ortus illius apparet. donec Sol in conſequentia promovens penè adverſam ſtellæ regionem aſſequitur. tum enim occultari in ortu ſuo incipit, nec deinceps orientem proſpicimus. Hæc Gemini regula diligenter notanda eſt. Nam frequenti in uſu pleráque in omni Operis hujus diſputatione verſabitur.

CAPUT III.

Methodus ortuum & occaſuum inveſtigandorum, ac tabularum ad id neceſſariarum explicatio.

AD ortus ſtellarum occaſúſque certa ratione veſtigandos octo hæc inquirenda ſunt: I longitudo ſtellæ, ſive locus ejus in zodiaco, quem ab arietis initio, ſeu verna ſectione metiri ſolent. II latitudo ſtellæ, ſi quam habet. III Declinatio ejuſdem. Eſt autem latitudo, diſtantia ſtellæ ab ecliptica verſus boream, auſtrúmve collocatæ, quam metitur arcus circuli majoris, qui per polos zodiaci, & ſtellam tranſiens locum ejus in ecliptica deſignat, appellatúrque circulus latitudinis. Declinatio verò eſt diſtantia ſtellæ ab æquinoctiali circulo, ſive arcus majoris circuli per polos mundi, ſtellámque tranſeuntis inter æquinoctialem, & ſtellam interceptus. qui Declinationis circulus nominatur. IV eſt Aſcenſio recta: ſive arcus æquinoctialis ab ſectione verna ad illud punctum, quod circulus Declinationis in æquatore deſignat. Vel eſt arcus æquatoris cum ſtella ſupra horoſcopum aſcendens in recto ſphæræ ſitu. aut per meridianum tranſiens in quocumque ſphæræ poſitu. V Aſcenſio obliqua, qui eſt arcus idem in obliquo ſphæræ poſitu ſtellæ ortum dimetiens. VI Deſcenſio recta, hoc eſt arcus æquatoris à ſectione verna ad illud punctum, quo cum ſtella occidit in ſphæra recta, quem circulus tranſverſus Declinationis attingit. VII Deſcenſio obliqua, ſive arcus idem æquatoris in obliqua ſphæra labenti ſtellæ reſpondens. Differentia porrò Aſcenſionis rectæ, & obliquæ vocatur Aſcenſionalis differentia; qua ad rectas addita, vel ab iis detracta, conſtant obliquæ. Ptolemæus Aſcenſiones συναναφοράς, Deſcenſiones συγκαταδύσεις appellat. VIII, eſt arcus ille, qui *fulſionis*, vel *viſionis* vulgò nuncupatur. Eſt autem circuli verticalis arcus inter ſtellam ac Solem interceptus, minimo intervallo, quo ſolaribus expedita radiis ſtella videri poteſt. Atque hic pro ſtellæ magnitudine brevior eſt, aut longior. Itaque in primæ magnitudinis, ut vocant ſtellis duodecim gradibus definitur: in ſecunda magnitudine, tredecim; in tertia magnitudine quatuordecim; atque ita deinceps. qua de re Ptolemæus in calce lib. IX, & Regiomontanus in Epitome.

Atque ut facilior ſit, commodiúſque tractati poſſit omnis illa ſtellarum orientium, vel occidentium methodus, viſum eſt è Ptolemaïcis fontibus, ejúſque lib. IX, tum ex Epitome Regiomont. lib. VIII Prop. VI, & ſeq. nec non ex ejuſdem Directionum tabulis, ſic eam arceſſere; uti tamen uſurpatam ab ambobus triangulorum ſphæricorum ἀνάλυσιν omitteremus, ac pro ea vulgarem, expeditiorémque ſequeremur. Etenim illi ſex, ut vocant, quantitatum regulam, ſive proportionum trium ad hoc negotium accommodant. nos tritam hoc ſæculo, atque ab ipſo Regiomontano eodem in loco traditam triangulorum ἀναμέτρησιν, quæ per angulos, & latera fit, adhibebimus: totámque rem in Canones partiemur. Et quoniam in Aſcenſionibus, ac Deſcenſionibus obliquis, ſtellarum rei ferè ſumma conſiſtit; ad ſublevandos tyronum labores, tabulas proponemus. Prima μετάβασιν octavi orbis, & inhærentium ei ſtellarum, hoc eſt progreſſionem in conſequentia ſignorum exhibet: quæ in annis LXXII unum gradum abſolvit. quotannis verò ſcrupula ſecunda ferè 50″. Secunda Declinationem eclipticæ ab æquatore. Tertia angulos quos ecliptica cum meridiano facit. Quarta Aſcenſiones rectas continet. Quinta differentias Aſcenſionum. Sexta Aſcenſiones obliquas. Neque verò duas has poſtremas tabulas ad omnem poli altitudinem, quæ regionum latitudo dicitur, inſtituendas putavimus. Id enim longius eſſet, quàm operis hujus ratio poſtulat. Sed præcipuarum civitatum ſitus elegimus; in quibus ſiderum exortus potiſſimùm obſervati ſunt; quæ veterum Scriptorum teſtimoniis inſignitæ fuerunt; aut ad ſequentem diſputationem uſui eſſe poſſunt. Ejuſmodi ſunt, quæ poli altitudinem habent graduum XIII, XXIV, XXXVI, XXXVII, XLI, XLII, XLIII, XLV, XLVIII, XLIX. reliquos provinciarum ſitus ex Regiomontani tabulis; aut ex triangulorum methodo, quam nihilo ſeciùs adjungemus, ſibi quiſque deſignare poterit.

In his porrò tabulis, quæ eclipticæ declinatione nituntur, nos hodierna, ac Tychonica contenti ſumus, quæ eſt graduum 23, 32′ circiter. Quæ tametſi non eadem perpetuò manet; ut propterea Declinationes, & Aſcenſiones varientur; non eſt tanti diſcrimen illud, quod ex ea re naſcitur, ut ad methodum eam, quam præcipuè quærimus, admodum interſit. Deinde verò poterit ex triangulari ratione, quam itidem adhibemus, quamlibet exacta fieri propoſitarum rerum inquiſitio.

CAPUT IV.

Tabulæ ad ortus & occaſus ſtellarum inveſtigandos neceſſariæ.

TABULA I. PROGRESSIONIS octavæ ſphæræ.

Anni	Progreſſio.		Anni	Progreſſio.			
	′	″			G.	′	″
1	0	50	90		1	15	0
2	1	40	100		1	23	20
3	2	30	200		2	46	40
4	3	20	300		4	10	0
5	4	10	400		5	33	20
6	5	0	500		6	56	40
7	5	50	600		8	20	0
8	6	40	700		9	43	20
9	7	30	800		11	6	40
10	8	20	900		12	30	0
20	16	40	1000		13	53	20
30	25	0	2000		27	46	40
40	33	20		S.	G.	′	″
50	41	40	3000	1	11	40	0
60	50	0	4000	1	25	33	20
70	58	20	5000	2	9	26	40
80	16′	40″	6000	2	23	20	0

TABULA II DECLINATIONIS eclipticæ Tychoniana.

Gradus deſcendentes.	Aries.			Taurus.			Gemini.			Gradus aſcendentes.
	Libra.			Scorpius.			Sagittarius			
	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.	
0	0	0	0	11	30	41	20	13	23	30
1	0	23	56	11	51	48	20	25	57	29
2	0	47	53	12	12	40	20	38	9	28
3	1	11	49	12	33	21	20	49	58	27
4	1	35	43	12	53	50	21	1	25	26
5	1	59	37	13	14	5	21	12	29	25
6	2	23	2	13	34	7	21	23	7	24
7	2	47	16	13	53	57	21	33	22	23
8	3	11	4	14	13	32	21	43	15	22
9	3	34	47	14	32	53	21	54	14	21
10	3	58	28	14	51	59	22	1	45	20
11	4	22	4	15	10	50	22	10	22	19
12	4	45	37	15	29	26	22	18	35	18
13	5	9	5	15	47	47	22	26	22	17
14	5	32	29	16	5	51	22	33	44	16
15	5	55	47	16	23	39	22	40	39	15
16	6	18	58	16	41	9	22	47	10	14
17	6	42	6	16	58	22	22	53	13	13
18	7	5	6	17	15	18	22	58	52	12
19	7	28	0	17	31	54	23	4	3	11
20	7	50	46	17	48	14	23	8	47	10
21	8	13	26	18	4	14	23	13	5	9
22	8	35	58	18	19	57	23	16	56	8
23	8	58	20	18	35	18	23	20	20	7
24	9	20	34	18	50	21	23	23	18	6
25	9	42	41	19	5	4	23	25	48	5
26	10	4	38	19	19	26	23	27	51	4
27	10	26	24	19	33	27	23	29	27	3
28	10	48	2	19	47	7	23	30	35	2
29	11	9	27	20	0	26	23	31	17	1
30	11	30	42	20	13	22	23	31	30	0
	Virgo.			Leo.			Cancer.			
	Piſces.			Aquarius.			Capricorn.			

TABULA III ANGULORUM eclipticæ & meridiani circuli.

Gradus deſcendentes.	Aries.		Taurus.		Gemini.		Gradus aſcendentes.
	Libra.		Scorp.		Sagittar.		
	G.	M.	G.	M.	G.	M.	
0	66	28½	69	21	77	44	30
1	66	30	69	32	78	6	29
2	66	30½	69	45	78	28	28
3	66	31	69	57	78	50	27
4	66	33	70	10	79	13	26
5	66	34½	70	23	79	35	25
6	66	36	70	36	79	58	24
7	66	39	70	51	80	21	23
8	66	42	71	5	80	44	22
9	66	45	71	20	81	8	21
10	66	49	71	34	81	32	20
11	66	52	71	50	81	57	19
12	66	56	72	6	82	21	18
13	67	1	72	22	82	45	17
14	67	7	72	38	82	10	16
15	67	12	72	54	83	34½	15
16	67	18	73	10	84	0	14
17	67	24	73	27	84	25	13
18	67	30	73	45	84	50	12
19	67	38	74	5	85	15	11
20	67	46	74	23	85	41	10
21	67	53	74	41	86	6	9
22	68	1	75	0	86	32	8
23	68	10	75	19	86	58	7
24	68	20	75	39	87	24	6
25	68	28	75	59	87	50	5
26	68	39	76	20	88	16	4
27	68	48	76	40	88	42	3
28	68	59	77	1	89	8	2
29	69	10	77	23	89	34	1
30	69	21	77	44	90	0	0
	Virgo.		Leo.		Cancer.		
	Piſces.		Aquarius.		Capric.		

TABULA

TABULA IV ASCENSIONUM RECTARUM.

Gradus eclipticæ.	0 Aries.			1 Taurus.			2 Gemini.			3 Cancer.			4 Leo.			5 Virgo.		
	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.
0	0	0	0	0	27	54	1	27	48	3	0	0	4	2	12	5	2	6
1	0	0	55	0	28	51	1	28	51	3	1	5	4	3	14	5	3	4
2	0	1	50	0	29	49	1	29	53	3	2	11	4	4	16	5	4	1
3	0	2	45	1	0	46	2	0	56	3	3	16	4	5	19	5	4	58
4	0	3	40	1	1	44	2	1	59	3	4	22	4	6	20	5	5	54
5	0	4	35	1	2	42	2	3	3	3	5	27	4	7	22	5	6	51
6	0	5	30	1	3	40	2	4	6	3	6	32	4	8	24	5	7	48
7	0	6	25	1	4	38	2	5	9	3	7	38	4	9	25	5	8	44
8	0	7	21	1	5	37	2	6	13	3	8	43	4	10	26	5	9	40
9	0	8	16	1	6	36	2	7	17	3	9	48	4	11	27	5	10	37
10	0	9	11	1	7	34	2	8	21	3	10	53	4	12	28	5	11	33
11	0	10	6	1	8	33	2	9	25	3	11	58	4	13	28	5	12	29
12	0	11	2	1	9	33	2	10	29	3	13	3	4	14	29	5	13	25
13	0	11	57	1	10	32	2	11	34	3	14	8	4	15	29	5	14	20
14	0	12	53	1	11	31	2	12	38	3	15	13	4	16	29	5	15	16
15	0	13	48	1	12	31	2	13	44	3	16	17	4	17	29	5	16	12
16	0	14	44	1	13	31	2	14	47	3	17	22	4	18	29	5	17	7
17	0	15	40	1	14	31	2	15	52	3	18	26	4	19	28	5	18	3
18	0	16	35	1	15	31	2	16	57	3	19	31	4	20	27	5	18	58
19	0	17	31	1	16	32	2	18	2	3	20	35	4	21	27	5	19	54
20	0	18	27	1	17	32	2	19	7	3	21	39	4	22	26	5	20	49
21	0	19	23	1	18	33	2	20	12	3	22	43	4	23	24	5	21	44
22	0	20	20	1	19	34	2	21	17	3	23	47	4	24	23	5	22	39
23	0	21	16	1	20	35	2	22	22	3	24	51	4	25	22	5	23	35
24	0	22	12	1	21	36	2	23	28	3	25	54	4	26	20	5	24	30
25	0	23	9	1	22	38	2	24	33	3	26	57	4	27	18	5	25	25
26	0	24	6	1	23	40	2	25	38	3	28	1	4	28	16	5	26	20
27	0	25	2	1	24	41	2	26	44	3	29	4	4	29	14	5	27	15
28	0	25	59	1	25	44	2	27	49	4	0	7	5	0	11	5	28	10
29	0	26	57	1	26	46	2	28	55	4	1	9	5	1	9	5	29	5
30	0	27	54	1	27	48	3	0	0	4	2	12	5	2	6	6	0	0

RELIQUUM ASCENSIONUM RECTARUM.

Gradus eclipticæ.	6 Libra.			7 Scorpius.			8 Sagitt.			9 Capric.			10 Aquarius.			11 Piſces.		
	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.	S.	G	M.	S.	G.	M.	S.	G.	M.
0	6	0	0	6	27	54	7	27	48	9	0	0	10	2	12	11	2	6
1	6	0	55	6	28	51	7	28	51	9	1	5	10	3	14	11	3	4
2	6	1	50	6	2[illegible]	49	7	29	53	9	2	11	10	4	16	11	4	1
3	6	2	45	7	0	46	8	0	56	9	3	16	10	5	19	11	4	58
4	6	3	40	7	1	44	8	1	59	9	4	22	10	6	20	11	5	54
5	6	4	35	7	2	42	8	3	3	9	5	27	10	7	22	11	6	51
6	6	5	30	7	3	40	8	4	6	9	6	32	10	8	24	11	7	48
7	6	6	25	7	4	38	8	5	9	9	7	38	10	9	25	11	8	44
8	6	7	21	7	5	37	8	6	13	9	8	43	10	10	26	11	9	40
9	6	8	16	7	6	36	8	7	17	9	9	48	10	11	27	11	10	37
10	6	9	11	7	7	34	8	8	21	9	10	53	10	12	28	11	11	33
11	6	10	6	7	8	33	8	9	25	9	11	58	10	13	28	11	12	29
12	6	11	2	7	9	33	8	10	29	9	13	3	10	14	29	11	13	25
13	6	11	57	7	10	32	8	11	34	9	14	8	10	15	29	11	14	20
14	6	12	53	7	11	31	8	12	38	9	15	13	10	16	29	11	15	16
15	6	13	48	7	12	31	8	13	44	9	16	17	10	17	29	11	16	12
16	6	14	44	7	13	31	8	14	47	9	17	22	10	18	29	11	17	7
17	6	15	40	7	14	31	8	15	52	9	18	26	10	19	28	11	18	3
18	6	16	35	7	15	31	8	16	57	9	19	31	10	20	27	11	18	58
19	6	17	31	7	16	32	8	18	2	9	20	35	10	21	27	11	19	54
20	6	18	27	7	17	32	8	19	7	9	21	39	10	22	26	11	20	49
21	6	19	23	7	18	33	8	20	12	9	22	43	10	23	24	11	22	44
22	6	20	20	7	19	34	8	21	17	9	23	47	10	24	23	11	22	39
23	6	21	16	7	20	35	8	22	22	9	24	51	10	25	22	11	23	35
24	6	22	12	7	21	36	8	23	28	9	25	54	10	26	20	11	24	30
25	6	23	9	7	22	38	8	24	33	9	26	57	10	27	18	11	25	25
26	6	24	6	7	23	40	8	25	38	9	28	1	10	28	16	11	26	20
27	6	25	2	7	24	41	8	26	44	9	29	44	10	29	14	11	27	15
28	6	25	59	7	25	44	8	27	49	10	0	7	11	0	11	11	28	10
29	6	26	56	7	26	46	8	28	55	10	1	9	11	1	9	11	29	5
DIfferentia aſcenſionalis ſuperiori canone comperta ad aſcenſionem, deſcenſionémve rectam addita, vel ab ea detracta obliquam efficiet. Quando autem addenda vel detrahenda ſit, hæ regulæ docebunt.

Prima:

Prima: ſi declinatio borea ſit, aſcenſionalis differentia de aſcenſione rectâ ſubtrahitur; & ſit aſcenſio obliqua. vel ad rectam aſcenſionem additur; & ſit obliqua deſcenſio.

Secunda; ſi declinatio ſit auſtralis, aſcenſionalem differentiam adde aſcenſioni rectæ, ut fiat obliqua aſcenſio. vel detrahe, ut fiat obliqua deſcenſio.

Arcturi declinatio borea eſt. Igitur aſcenſionalem differentiam 26, 29′ ex antecedeno canone petitam ſubtrahe de ejuſdem aſcenſione recta, quam canone IX deprehendimus eſſe graduum 209, 39′. relinquetur aſcenſio ejus obliqua graduum 183, 10′. Eamdem differentiam adde ad aſcenſionem rectam, exiſtet obliqua deſcenſio grad. 236, 8′.

Item de aſcenſione recta lucidæ Pleïadum, quæ eſt grad. 27, 43′, ſubtracta differenoa aſcenſionali grad. 14, 51′, conſiet aſcenſio obliqua Romæ grad. 12, 52′. Addita verò differentiâ, fit obliqua deſcenſio 42, 34′.

C a n o n XIII.


Punctum eclipticæ, quo cum ſtella ſupra horizontem attollitur, aut infra eumdem labitur, invenire.

CUm aſcenſione obliqua per ſuperiorem canonem inventa adi tabulam VI aſcenſionum obliquarum. In ea quære altitudinem poli ejus civitatis; quam voles. tum aſcenſionem obliquam ſcrutare, & ſub quo cœleſti ſigno ſit explora. Hujus è regione, in primo verſu ad ſiniſtram, gradus ei ſigno, ſub quo eſt aſcenſio obliqua, reſpondentes colliges, addita parte proportionali, ſi ad integros gradus ſcrupula quædam adjungantur.

Aſcenſio obliqua Arcturi præcedenti canone comperta eſt grad. t83, 10′. In tabula II ad altitudinem poli 49 grad. ſub Libra, ad gradum ejus lateralem 2 proximè minorem invenio numerum 182, 44′. ad gradum verò 3, numerum 184, 7′. Differenoa utriuſque gradus 1, 23′. è quibus pars proportionalis ſic eruitur. Aſcenſio obliqua Arcturi eſt grad. 183, 10′, major gradibus 182, 44′, ſcrupulis tantummodò 26′. Igitur ſi ſcrupula 83′ dant gradum unum, ſcrupula 26′ poſtulant ſcrupula ferè t9′. Igitur Arcturus orietur hoc in cœli poſitu cum gradu libræ 2, 19′.

Ita lucidæ Pleiadum aſcenſio obliqua Romæ anno primo Juliano, 12, 52′, exigit gradum Arietis 22, 36′.

Secundò per triangularem ἀνάλυσιν ita rem conficies. Eſto meridianus circulus SHMO. Horizontis arcus HPQO. ecliptica ZBQL. æquinoctialis ABPM. ſitque ſtellæ, exempli cauſſâ lucidæ Pleiadum, cooriens punctum eclipticæ, Q. Aſcenſio ejus obliqua eſt BP,



arcus æquinoctialis à B verna ſectione, graduum 12, 52′, ex canone XII. Quæritur nunc quantus ſit arcus eclipticæ ei reſpondens BQ. In triangulo obliquangulo BPQ, data jam ſunt latus BP, aſcenſio obliqua graduum 12, 52′. angulus PBI grad. 23, 49′, obliquitas eclipticæ anno primo Juliano. angulus item BPQ, complementum ad ſemicirculum anguli APH, ſive elevationis æquinoctialis ſupra horiaontem; quæ Romæ eſt grad. 48 complementum videlicet elevationis poli. Proinde BPQ erit graduum 132. Ducta ergo perpendiculari IP, ac duobus orthogonis triangulis factis; in triangulo BPI, datis latere BP t2, 52′, & angulo PBI grad. 23, 49′, invenitur primum PI grad. 5, 10′ ferè. Deinde latus BI grad. 11, 48′. Tertiò angulus BPI grad. 66, 43′. qui detractus de angulo BPQ graduum 132, reſiduum facit angulum IPQ 65, 17′, in triangulo altero orthogono. In quo latus IQ deprehenditur graduum t1, 3′ ex datis latere IP, & angulo IPQ. Additis ergo IQ grad. 11, 3′. & BI graduum 11, 48′, conflatur arcus eclipticæ 22, 51′ ab verna ſectione: quo cum revera lucida Pleiadum conſcendit horizontem anno primo Juliano. At ex tabula aſcenſionum obliquarum minor ſcrupulis 15′ arcus elicitus: quòd obliquitas eclipticæ capiatur illîc graduum 23, 32′. hîc 23, 49′. Itaque longè accuratior eſt calculus, qui triangulari methodo, quàm qui ex tabula ſubducitur, cùm in longinquioribus temporibus inſtituitur.

In Arcturi συνανατολῇ inveſtiganda, permutatis circulis, adeò ut APM ſit zodiacus; ZIL æquinoctialis; punctum eclipticæ cum Arcturo conſurgens, P. conſideretur triangulum obliquangulum BPQ, cujus data ſunt, latus BQ aſcenſio obliqua 3, 10′ ab initio libræ B, per canonem XII; & angulus obliquitatis eclipticæ PBQ graduum 23, 32′. item angulus BPQ complementum elevationis æquinoctialis ſupra horizontem Lutetiæ, grad. 139. Ducta itaque perpendiculati extra triangulum à Q puncto æquinoctialis, ad zodiacum APM, vel alia quavis methodo, ex triangulorum praxi, deprehendetur arcus zodiaci BP graduum 2, 19′ ab initio libræ.

Quod ad obliquam deſcenſionem attinet, quoniam hæc in tabula minimè eſt expreſſa, facilè occurret eclipticæ punctum quod ei reſpondet, ſi ad obliquam deſcenſionem per canonem XII inventam addatur ſemicirculus. Ita enim aſcenſio fiet obliqua puncti eclipticæ ex diametro ei, quod quæritur oppoſiti. Atqui aſcenſio obliqua cujuſlibet eclipticæ arcus par eſt obliquæ deſcenſioni arcus oppoſiti in obliqus ſphæra. (Nam in recta æqualis eſt deſcenſio aſcenſioni arcus ejuſdem.)


Igitur ſi ad deſcenſionem obliquam lucidæ Pleïadum 42, 34′ canone XII confectam, addatur ſemicirculus, fient gradus 222, 34′, aſcenſio obliqua puncti ei, quod quærimus, oppoſiti. In tabula aſcenſionum obliquarum ad altitudinem 42, gradibus 222, 34′, reſpondet Scorpii gradus 3, tt′½ ferè. Igitur occaſus verus & acronychus Pleiadis fiet in oppoſito gradu Tauri 3, 11′½ circiter.

Arcturi deſcenſio obliqua canone XII patefacta eſt grad. 236, 8′. Addito ſemicirculo, & integro circulo detracto, reſtat obliqua contrarii puncti aſcenſio 56, 8′. cui reſpondet in altitudine 49, Geminorum 26, 25′. Ergo cum oppoſito gradu Sagittarii 26, 25′ occidit Arcturus hoc tempore Lutetiæ.

Ex poſteriore verò, ac triangulari methodo, ſola obliqua deſcenſio punctum eclipticæ συγκαταδύνον oſtendet. Verùm in propoſito ſchemate (quod hemiſphærium eſt occidentale per ſphæram tranſverſam ab oriente ſpectatum. Id enim unicum ſchema à nobis exhibetur, compendii cauſſâ) invertendi ſunt circuli, ut æquinoctialis ſit ZQL; ecliptica APM. punctum cum Pleiade Romæ occidens ſit P. Deſcenſio obliqua BQ grad. 42, 34′.

In

Digitized by Google




In triangulo itaque PBQ obliquangulo data ſunt latus BQ 42, 34′. angulus PBQ 23, 49′ eclipticæ obliquitas Juliano ſæculo. BQP, grad. 48. altitudo ſupra horizontem HPO. Ducta perpendiculari, aut alio quovis modo, reperietur arcus BP grad. 33, 4′ à verna ſectione B. Quocirca lucida Pleïadum Romæ cum gradn Tauri 3, 4′ occidit anno I Juliano: quo major erat obliquitas eclipticæ, quàm hodierna. unde & obliqua deſcenſio ſcrupulis aliquot diſcrepat.

In uſu canonis hujus res ipſa docet, arcum æquinoctialis ab interſectione communi eclipticæ, & æquatoris eſſe ſumendum. Ut in primo quadrante ab verni æquinoctii puncto in conſequentia. in ſecundo ab autumnali æquinoctio in antecedentia. In tertio quadrante, ab eodem autumnali in conſequentia. in quarto denique quadrante, ab æquinoctio verno, in antecedentia ſignorum. Ideo punctum B aliàs interſectionem vernam; aliàs autumnalem refert. Proinde quolibet arcu obliquæ aſcenſionis vel deſcenſionis propoſito, dempto, ſi opus ſit, quadrante, vel ſemicirculo; vel dodrante circuli; aut circulo toto; reſiduum à propinquiori æquinoctio in conſequentia, vel antecedentia putatur.

Canon XIV.

Heliacum ortum, occaſúmque ſtellæ certa ratione deprehendere.

STellæ aliquanto ab Sole intervallo diſtantes radiis illius abſcondi incipiunt, ac viciſſim emergere. unde φάσεις, & κρύψεις ſiderum vocatur. Intervalli porrò iſtius modus pro ſtellarum magnitudine varius eſt. Nam quo ſtella major eſt, eo minore ab Sole diſtantia opus habet, ut aſpectus illius oculis ſubtrahatur, viciſſimque reddatur. minores ſtellæ longinquioris etiam luce Solis afflatæ videri deſinunt.



De his ex Ptolemæi doctrina vulgò regula iſta traditur. Stellæ, quæ primæ magnitudinis dicuntur, apparere incipiunt Sole XII gradibus ab illis recedente. Secundæ magnitudinis ſtellæ, gradibus XIII. Tertiæ magnitudinis, XIV, & ita deinceps, pro magnitudinis ordine uno accedente gradu. Eſt autem arcus ille, in quo gradus iſti notantur pars maximi circuli à polo horizontis per centrum ſolare ducti. Sit itaque meridianus circulus ADGH ecliptica ſit arcus BKMGT, æquinoctialis CKF horizon DLH. Circulus altitudinis per Solis centrum tranſiens, quod eſt V, ſit ATV. locus ſtellæ ſit P, cujus latitudo PM. At TV eſt diſtantia Solis ab horizonte. punctum eclipticæ, quo cum ſtella oritur, eſt L. Quocirca in triangulo orthogono MPL data ſunt, ML latus totidem graduum quot verus ſtellæ locus ab ortivo puncto in ecliptica diſtat. tum MP latitudo ſtellæ, & PML rectus. Ex quibus angulus primùm MLP notus fiet. Deinde cetera cognoſcentur.

Quæratur imprimis angulus idem PLM in ortu Arcturi. cujus locus verus inventus eſt canone I in libræ 19, 1′. Tum ex canone antecedenti cognitum eſt oriri ipſum cum gradu libræ 2, 36′. Differentia utriuſque 15, 25′. Tantus eſt arcus ML. Jam latitudo, id eſt arcus PM, eſt 31, 3′. Igitur angulus MLP eſt grad. 66, 11′. Quo reperto in altero triangulo LTV, dantur angulus TLV 66, 11′. tum latus TV grad. 12 quoniam Arcturus ſtella eſt primæ magnitudinis, & rectus ad horizontem LTV. Proinde baſis LV erit graduum 13, 8′. Quo addito ad punctum ortus veri, qui eſt libræ 2, 19′, ortus beliacus ejuſdem contingit in gradu libræ 15, 27′.

Tan. artif. MP & R. S. ML	197796318 94246147 Sub.
Tan. gr. 66, 11′	103550171

Sinus artif. TV & Radius S. TLV	193178789 99613462 Sub.
Sinus gr. 13, 8′	93565327

In lucida Pleïadum paullò aliter conformari ſchema debet; non ſolùm quatenus K ſectio verna eclipticæ, & æquinoctialis habenda eſt: ſed etiam quatenus V locus Solis poſt M locum ſtellæ collocandus eſt. Siquidem ortus heliacus Sole ultra verum ſtellæ locum in conſequentia poſito accidit. æquinoctialis verò circulus ad hanc πρᾶξιν non pertinet. Quocirca ſi punctum M verum Pleiadis locum in Tauri gradu 1, 33′ cogitemus: ex iiſdem datis, MP latitudine grad. 4, 0′ & ML graduum 8, 42′, diſtantiâ veri loci Pleïadis, & L puncto cooriente, qui eſt gradus 22, 51′ arietis, per canonem XIII; obtinebimus angulum PLM graduum 24, 49′. tum ex eodem angulo, & arcu TV diſtantiâ Solis ab horizonte, gradnum 14, quoniam ſtella magnitudinis eſt tertiæ, conſiet arcus eclipticæ LV graduum 35, 12′, qui additus ad punctum L, gradum arietis 22, 51′, confert ortum heliacum Pleiadis in Tauri 28, 3′. quo tempore Pleïadum media ortum heliacum Romæ faciebat anno primo Juliano.

Eadem methodus eſt occaſus heliaci. verùm ſchemate alio eſt opus. Præterea ut in ortu heliaco arcus eclipticæ LV ad punctum ſtellæ cooriens adjicitur: ſic in occaſu de puncto ſimul occidente ſubducitur.

Lucida Pleïadum ſnb horizontem Romanum anno primo Juliano cadebat cum gradn Tauri 3, 12′ ferè ex canone XIII. Per methodum canonis hujus invenietur arcus LV graduum 15, 9′. qui detractus de vero Pleiadis occaſu, dabit heliacum in gradu arietis 18, 3′.

Sic Arcturi verus occaſus fit hoc tempore Lutetiæ cum gradn Sagittarii 26, 25′. Arcus porrò in ecliptica, LV eadem via pateſiet graduum 22, 20′, quibus deductis de 26, 25′ Sagittarii, relinquitur occaſus heliacus Arcturi in gradu 4, 5′ Sagittarii.

Canon XV.

Ortus omnes, & occaſus ſtellarum latitudinem habentium ex ſuperiorum canonum methodum definire.

TRes ſunt ortus, & occaſus totidem, ut antea declaratum eſt. Ex his duo reperti ſunt ortus; matutinus verus, ſive coſmicus; & heliacus. Occaſus item duo: veſpertinus verus, ſive acronychus: & heliacus. Reliqui ſunt, ortus veſpertinus, ſive acronychus, & occaſus matutinus; qui vulgò coſmicus appellatur. qui ambo facilè pronunciantur. Nam occaſus matutinus in oppoſita è diametro parte fit occaſui coſmico: & ortus acronychus ortui matutino, ſive coſmico. Quocirca omnium, quæ hactenus demonſtrata ſunt, hæc ſumma ſubductio eſt.

Arcturi Lutetiæ hoc tempore ſit.

Ortus acronychus	Arietis	2, 19′
Occaſus coſmicus	Gemin.	26, 25′
Ortus coſmicus	Libræ	2, 19′
Ortus heliacus	Libræ	25, 27′
Occaſus heliacus	Sagitt.	4, 5′
Occaſus acronychus	Sagitt.	26, 25′

Lucidæ Pleiadum Romæ anno primo Juliano fiebat.

Occaſus heliacus	Arietis	18, 3′
Occaſus acronychus	Tauri	3, 12′
Ortus coſmicus	Arietis	22, 51′
Ortus heliacus	Tauri	28, 3′
Occaſus coſmicus	Scorpii	3, 12′
Ortus acronychus	Libræ	22, 51′

Canon XVI.

Stellarum fixarum, vel Planetarum latitudine carentium ortus & occaſus inveſtigare.

HActenus earum ſtellarum, quæ ab ecliptica remotæ ſunt, ortus, & occaſus expoſuimus. Nunc earum quoque ratio tradenda eſt, quæ in ipſa ecliptica verſantur. quæ multò minùs habet quàm ſuperior illa difficultatis. Nam earum ortus, occaſuſque veri jam reperti ſunt; quoniam cum eodem, in quo ſunt, eclipticæ puncto oriuntur, & occidunt. Solus igitur heliacus ortus, & occaſus indagandus eſt, quem per angulum ſectionis eclipticæ, & horizontis tam orientalem, quàm occidentalem, adhibito arcu viſionis, obtinebimus per can. III, V, & VI.

Per hos igitur inventus eſt angulus ſectionis eclipticæ & horizontis in oriente graduum 25, 59′. In occidente graduum 121, 31′, in gradu Tauri 18. Sit igitur ſtella Martis in eodem gradu. quæ in ſchemate Canonis XIV ſit in puncto L horizontem conſcendens. In triangulo LTV datis angulo TLV ſectionis eclipticæ, quæ eſt BLMG, & horizontis DLPH, graduum 25, 59′. & arcu viſionis TV graduum 11, 30′, unà cum recto LTV, oſtendetur baſis LV graduum 27, 41′ circiter. Quibus additis ad gradum Tauri 18, incidemus in Geminorum 15, 4′. quem cùm ingredi Sol cœperit, Mars in gradu Tauri 18, 0′, manc videri incipiet.

At in occidente, cùm angulus ſectionis horizontis, & eclipticæ, ſit graduum 121, 31′, elicietur arcus LV grad. 13, 32′. quibus de vero loco ſubtractis, occidet heliacè Mars, in gradu Tauri 18, quando Sol Tauri gradum 4, 28′ occupabit.

Canon XVII.

Arcum ſemidiurnum puncti cujuſlibet eclipticæ, vel ſtellæ cognoſcere.

ASceenſionalem differentiam per XI canonem inventam detrahe de 90 gradibus, ſi punctum eclipticæ, ſtelláve declinationem habet auſtralem. Sin borea ſit, adde ad 90. reſiduum, vel ſumma dabit arcum ſemidiurnum. quem in tempus convertes, ſi horis ſingulis XV gradus imputes.

Exempli cauſſà. Differentia aſcenſionalis Arcturi borea grad. eſt 26, 29′. quibus ad 90 additis, conſiet arcus ſemidiurnus grad. 116, 29′, quibus horæ competunt 7, 46′ ferè. Ergo arcus diurnus, quo videlicet ſupra horizontem noſtrum eminet, eſt horarum 15, 32′.

Canon XVIII.

Invenire qua hora diei, vel noctis ſtella qualibet ſupra datum horizontem emergat, aut occidat.

EXpeditiſſima methodus hæc erit. Ad ortus ſtellæ tempus indagandum, habeatur aſcenſio obliqua tam Solis in oriente quocumque voles die conſtituti, quàm ſtellæ ipſius, cujus aſcenſio per canonem IX eruitur. Utriuſque differentiam in tempus converte: ita ut gradus 15 horis ſingulis attribuas. Si ſtella præcedat Solem, id eſt æquinoctii verni puncto propior ſit ſecundùm ſignorum conſequentia; aufer tempus differentiæ reſpondens ex arcu nocturno; adhibito etiam, ſi opus fuerit, arcu diurno ab ortu antecedentis diei: quem arcum proximus ante hunc canon exhibebit. Reſiduum erit hora ab initio noctis, ſi de ſolo nocturno arcu facta ſit ſubtractio: vel ab ortu diei præcedentis, ſi arcus inſuper diurnus additus erit.

Quòd ſi ſtellam Sol antecedat, tempus differentiæ aſcenſionum reſpondens adde ad tempus ortus Solis. Ita tempus exiſtet, quo ſtella eodem die, vel ſequenti nocte ortum faciet.

De occaſu totidem ſunt regulæ. Prima: Sole in occaſu conſtituto, ſi ſtella Solem antecedat, differentiam obliquarum deſcenſionum ſtellæ, & veri loci Solis in tempus redactam aufer de tempore occaſus Solis; reſiduum dabit horam à meridie, vel media nocte antecedente, prout erit tempus à quo ſit ſubtractio.

Secunda: Si ſtella ſequatur Solem; tempus differentiæ reſpondens adde tempori occaſus Solis. Ita tempus efficies, quo ſtella nocte ſequenti, vel poſt ortum diei occidet.

Cautio: Quandu ſtellæ ortus vel occaſus Solis ortum occaſúmve longiore ſpatio præcedit, aut ſequitur; ſi præcisè momentum ipſum orientis, vel occidentis ſtellæ propoſito die noſſe cupis, hoc proportionis regulâ conſequêris. Nam cùm motus medius Solis horarum 24, ſit 59′, 8″, hoc eſt unius ferè gradus, ex tabula aſcenſionum obliquarum collige aſcenſionem obliquam uni gradui reſpondentem ad propoſitæ regionis latitudinem, & in eo ſigno, ejúſque parte, quam tunc Solis ſitus obtinet. Hujus aſcenſionis partem proportionalem capies per horarum ſummam, quibus ſtellæ ortus, aut occaſus propoſito die Solis orientis, occidentiſve momentum antecedit, aut ſequitur. Eam proportionalem partem addes ad aſcenſionum obliquarum differentiam ſuperiùs inventam, ſi poſteriùs oriatur, aut occidat ſtella quàm Sol. ſin priùs, detrahes.

Exemplis res tota fiet illuſtrior. Eſto annus periodi Jul. 4550; in eóque requiratur tempus, quo ſtella ſuperior & borealis prima in plauſtro Helices, quam Arabes *Dubben* vocant, oriebatur in poli altitudine grad. 13, Calendis Nov. Hujus ſtellæ latitudo grad. eſt 49, 40′ borea. declinatio 71, 47′, minor complemento elevationis poli, quod eſt grad. 77. ideo ſtella iſtic oritur. quæ ſub annum Chriſti MDC erat in Leonis grad. 9, 33′. Quare per canonem I, ante annos 1763, metemptoſi facta grad. 24, 19′; ſita erat in gradu Cancri 15, 4′. Sol Cal. ipſis Nov. meridie ſitus erat in gradu 6, 22′ Scorpii in horizonte Pariſino. Arcus ſemidiurnus horarum 5, 47′, ſemnocturnus, 6, 13′. Igitur horis æqualibus 6, 13′ à media nocte Solis ortus incidit. Verus locus Solis illo tempore fuit in gradu Scorpii 6, 7′, 0″. Aſcenſio recta Solis 213, 47′. obliqua 216, 59′. Dubben oriebatur cum gradu Geminorum 24, 16′. Obliqua ejuſdem aſcenſio grad. 78, 1′. Differentia utriuſque aſcenſionis obliquæ, grad. 138, 58′, quæ faciunt horas circiter 9, 16′. Quoniam ſtella Solem antecedit, auferendum eſt tempus differentiæ reſpondens, ex arcu nocturno horarum 12, 26′. Reſtant horæ 3, 10′ ab occaſu Solis, ſive à meridie, 8, 57′, æquales.

æquales. quo tempore horizontem ſtella conſcendit in eo tractu, cujus elevatio poli eſt gr. 13.

Ut præciſe ratio conſtet; gradus 7 Scorpii cum ſcrupulis 75′ oritur. quibus competunt horaria ſcrupula 5′. Ex his horæ 8, 36′ exigunt ſcrupula ferè 1′, 24″. quibus detractis ortus accuratior ſtellæ incidet in horam 8, 55′, 39″ à meridie ultimæ diei Octobris, ſive 3, 9′ ab initio noctis. Occaſus porrò ita colligetur. Obliqua deſcenſio Solis Cal. Novem. Occidente Sole, ſive hora poſt meridiem 5 47′, fuit 211. 13′: Obliqua deſcenſio ſtellæ 167. 7′. Differentia utriuſque, 44, 6′. quæ ſunt horæ 2, 56′, 24′. quibus detractis de arcu ſemidiurno Solis 5, 47′, reſtant 2, 50′, 36″ horæ à meridie. quo momento ſtella occidit, & occaſum Solis anteceſſit.

Arcus ergo diurnus ſtellæ iſtius horarum fuit 17, 54′ circiter.


Rurſus inquiratur ortus ejuſdem ſtellæ Calendis Decembris proxime ſequentis in anno 4550. Verus locus Solis fuit in gradu 6, 45′ Sagittarii hora poſt mediam noctem 6, 20′, qua Sol oriebatur. Arcus enim ſemidiurnus erat horæ 5, 40′. ſeminocturnus verò 6, 20′. Aſcenſio Solis obliqua 249, 22′. Differentia Aſcenſionis utriuſque graduum 171, 21′. quibus horæ congruunt 11, 15′. Ex detractæ de arcu nocturno 12, 40′, relinquunt horæ 1, 25′ ab ineunte nocte, ſive à meridie poſtremæ diei Novembris, horas 7, 5′, quando ortum fecit ſtella Dubben, vel horas 7, 3′, ſi præciſe calculum ſubduxeris.

Hujus canonis fructum poſtmodum experiemur.

Canon XIX.

Dato puncto Zodiaci, quo cum ſtella coſmicè, vel acronychè oritur, occiditve, locum illius, ex eòque ſæculum, quo ortum illum occaſúmque fecit, inveſtigare, habita poli elevatione, & latitudine ſtellæ.

SI ortus acronychus, vel occaſus coſmicus in quæſtione conceptus ſit, ſume puncta iis è diametro contraria; hoc eſt ortus coſmici, vel occaſus acronychi. ex quibus ſtellarum loca hunc in modum reperies.



Eſto in propoſito diagrammate PXEF meridianus circulus. polus mundi A. polus Zodiaci D. Horizon ſit arcus XIF. æquinoctialis BQRV. ecliptica PIRE. æquinoctialis interſectio ſit R. ſtella porrò ſit in H ad Horizontem ortivum, vel occiduum. cujus in ecliptica locus ſit L. latitudo HL in arcu latitudinis DHL, qui ex errore rectilineus eſt factus in ſchemate. Punctum eclipticæ, quo cum oritur ſtella, vel occidit eſto, in I, ejúſque declinatio ab æquatore ſit IO.

His animadverſis, exempli cauſſâ illud exploremus, quod in Rhapſodia Ptolemæi nomine à Leonico edita legitur. Quinto Calendas Octobris ait Vergilias matutino, & veſperi apparêre. quibus verbis ortum illarum acronychum, ſeu veſpertinum; & occaſum matutinum, ſive coſmicum ſignificat. Sæculo Julii Cæſaris, ad quod conformatum illud parapegma creditur, Zygonos tertia cadebat in V Kal. Octob. Quare ἀκρονυχῶς gradum Libræ tertium Sol obtinebat, cùm media Pleiadum occaſum matutinum faceret in gradu Libræ tertio. Igitur occaſus veſpertinus, ſive acronychus, incidebat in gradum Arietis tertium. Fingamus

Arietis initium in puncto R. ita ut media Pleiadum horizontem occiduum teneat in H. locus ejus in Zodiaco, L. punctum συγκαταδυόμενον, I, in gradu Arietis tertio. cujus declinatio ab æquatore eſt IO, graduum 1, 13′ per antiquiora illa tempora, quibus obliquitas eclipticæ graduum fuit 24, 0′, ex Canone III. Inveſtigandus eſt arcus IL.

Sinus comp. ORI & rad. Si Comp. IO	199607301 99999020 Sub.
Reſtat ſinus grad. 66, 2′ ferè	99608281
S. comp. OQI & rad. S. com. IO	198255109 99999020 Sub.
Reſtat ſinus grad. 24, 1′ ferè	98256089
Tan. LH & radius Tan. HIL	188446457 104869359 Sub.
Reſtat ſinus grad. 1, 18′ ferè	83577078.

I.

In rectangulo OIR ad angulum OIR.

Data { ORI obliquitas eclipticæ, 24, 0′.
IO declinatio grad. 3 Arietis, 1, 13′.
IOR grad. 90. }

Datur ergo angulus OIR, 66, 2′.

II.

In rectangulo QOI, ad angulum QIO

Data { OQI complem. elevationis poli Romæ, 48, 0′ & Rad.
IO 1, 13′.
QOI, 90. }

Datur angulus QIO, 42, 1′ ferè. Proinde ambo additi anguli OIR & ROI conficiunt angulum QIR, 108, 3′.

III.

In rectangulo LIH, ad latus IL.

Data { LH latitudo Pleiadis borea 4, 0′.
HIL complementum anguli QIL, 71, 57′.
HLI 90. }

Datur ergo latus IL grad. 1. 18′. differentia veri loci, & puncti ſimul occidentis.

Hic arcus poſtremò repertus addendus eſt ad punctum eclipticæ cooriens, aut de eo ſubducendus ex his regulis.

Si latitudo ſtellæ ſit { Borealis, in { Ortu. Adde puncto coorienti. Occaſu. ſubtrahe de puncto ſimul occidente. } Auſtralis, in { Ortu. ſubtrahe de puncto cooriente. Occaſu. adde puncto ſimul occidenti. } }


Harum regularum ratio ex Capite II hujus libri repetenda eſt. Ibi enim docuimus ſtellas, quæ latitudinem habent boream, ortum verum facere cum puncto eclipticæ, quod earum locum antecedit: occaſum porrò cum eo puncto facere, quod loco vero poſterius eſt. Contrà ſtellas, quæ auſtralem latitudinem habent, oriri cum puncto ſequente; occidere cum antecedente.

In propoſito exemplo, quoniam Pleias latitudinem boream haber, ſubducendus eſt arcus IL grad. 1, 18′ de occaſu vero, id eſt de gradu Arietis 3. ut ſit reliquus gradus 1, 42′: qui eſt arcus LR à loco ſtellæ L ad initium Arietis R. Cùm igitur lucida Pleiadum anno Chriſti MDC ſita eſſet in gradu Tauri 24, 24′,

differentia

differentia amborum, grad. 52. 42′. quibus anni debentur ex canone primo, 3800 circiter. Ablatis itaque de anno Chriſti 1600, ſive periodi Julianæ 6313, annis 3800, ſupererunt anni 2513. Proinde hoc ſæculo, quod alterum à diluvio fuit, acronychum occaſum Pleiadum lucida faciebat in gradu Arietis tertio, & occaſum coſmicum in Libræ tertio.

Non poteſt autem præciſè accuratéque tempus colligi, propter refractionem ſtellæ, aliáſque cauſſas. neque id verò neceſſe eſt. Satis eſt enim de ſæculo conſtare: cùm io annis centum haud magna ortuum, & occaſuum in ſtellis varietas incidat.



Experiamur iterum nobiliſſimi, ac præſtantiſſimi problematis uſum alio in exemplo. Geminus in parapegmate ſuo, quod in calce libri eſt, ſcribit Arcturum ex Euctemone oriri Parthenones X. nec non XIX. Prior ortus debet eſſe coſmicus, qui heliacum, & apparentem diebus aliquot præcedit. Igitur in eodem ſchemate, eſto XHF horizon ortivus. in quo Arcturus punctum H obtineat. quo cum eclipticæ punctum oriatur I, gradibus viginti diſtans ab autumnali ſectione R in antecedentia. Latitudo Arcturi HL 31, 3′. locus in L. Quæritur arcus eclipticæ IL. Declinatio gradus decimi Virginis IO, grad. 8, 0′.

I.

In rectangulo IOR ad angulum OIR.

Data { ORI obliquitas eclipticæ 24, 0′.
IO 8, 0′.
IOR rectus.

Habetur inde angulus OIR, 67, 18′.

II.

In rectangulo QOI, ad angulum QIO.

Data { OQI. complementum elevationis Poli Athenis, 53, 0′.
IO, 8, 0′.
QOI rectus.

Datur ergo angulus QIO 37, 26′. adeóque totus angulus QIR 104, 44′. cujus complementum ad ſemicirculum eſt angulus LIH grad. 75, 16′.

III.

In rectangulo LIH ad latus IL.

Data { LH latitudo Arcturi 31, 3′.
LIH 75, 16′.
HLI 90.

Obtinetur ex his arcus IL grad. circiter 9, 7′. qui ad gradum Virginis 10 additus locum Arcturi verum conjicit in Virginis 19, 7′.

Diſtat à loco, quem anno Chriſti MDC habuit, hoc eſt libræ 18, 38′, gradibus 29, 31′. quibus debentur anni 2125. Hi de 6313 deducti, reſiduum faciunt annum Periodi Julianæ 4188. quod Thaletis ſæculum fuit. ſed & Metonis, & Euctemonis.

Aliud exemplum. Plinius auctor eſt Lib. XVIII Cap. XXV, Thaletem occaſum matutinum Pleiadum ſtatuiſſe die XXV ab æquinoctio autumnali. quod de coſmico capiendum eſſe praxis ipſa monſtrabit. Uti locum lucidæ Vergiliarum, ex eóque Thaletis ſæculum inveſtigemus, pro occaſu Coſmico, ut præſcriptum eſt, ſumatur occaſus acronychus ejuſdem in gradu oppoſito Arietis 25. In ſuperiori itaque ſchemate, ſit rurſus XHF horizon occiduus. R verna ſectio, & cetera, ut in primo exemplo Pleiadis.

I.

In Rectangulo IOR. ad angulum OIR.

Data { ORI gr. 23, 32′ obliquitas eclipticæ.
IO gr. 9, 54′ declinatio puncti συνανατέλλοντος.
IOR gr. 90.

Datur ergo angulus OIR grad. 68. 2′.

II.

In rectangulo QOI ad angulum QIO.

Data { OQI grad. 53. compl. elevat. poli Mileti in Aſia.
IO gr. 9, 54′.
QOI grad. 90.


Habetur ergo angulus QIO gr. 37, 38′. quo ad ſuperiorem adjecto, conflatur angulus QIR grad. 105, 41′. cujus complementum ad 180 eſt angulus HIL, gr. 74. 19′.

III.

In rectangulo LHI ad arcum LI.

Data { HIL gr. 74. 19′ ang. proximè repertus.
LH gr. 4. 0′ latitudo lucidæ Pleiadum.
HLI gr. 90.

Obtinetur itaque arcus LI, gr. 1, 7′. qui detractus de 25 Arietis relinquit ſtellæ locum in Arietis 23, 53′. Hic locus diſtat ab eo, qui anno Per. Jul. 6313, vel Chriſti 1600, conſtitutus eſt in Tauri 24, 24′, gradibus 30, 31′. quibus debentur anni 2197. quibus de 6313. ſubductis, reſtant anni Per. Jul. 4116. quo ſæculo revera Thales extitit; id eſt Olympiadis XLV, anno III.



Si ſtella æquinoctialem ipſam ſectionem ſimul ortum, occaſúmve facientem habeat, compendio majore locum illius eliciemus. cui rei ſchema peculiare dicavimus. In quo cetera ut in antecedenti. niſi quòd R punctum æquinoctiale, quo cum H ſtella oritur, vel occidit, in ipſo horizonte XRF collocavimus.

Sit igitur exempli cauſſâ Pleiadum lucida in H, quæ cum æquinoctiali ſectione verna R conſcendat horizontem. Volo ſcire quis ejus locus eo tempore fuerit, quo Alexandriæ ortum coſmicum in Arietis puncto primo faciebat. adeóque arcum RL inveſtigare. In triangulo itaque rectangulo RLH: cujus rectus eſt HLR.

Data ſunt { LRV maxima obliquitas eclipticæ grad. 23. 32′.
VRH complementum elevationis Poli grad. 59.
LRH ang. ex ambobus conflatus graduum 82, 32′.
LH latitudo ſtellæ graduum 4, 0′.

Ex quibus colligitur latus RL graduum 0, 32′. quæ ad punctum primum arietis addita dant locum ſtellæ verum in Arietis gradu 0, 32′. Anno Per. Jul. 6313. ſive Chriſti ƆƆƆC, locus illius erat in gradu Tauri 24. 24′. Differentia utriuſque grad. 53, 52′. quibus anni competunt 3878 circiter. Hi de 6313 ablati relinquunt


annum

annum Per. Jul. 2435. quo lucida Pleïadum erat in Arietis gradu 0, 32', hoc eſt annis ante Trojanum excidium 1095.

Canon XX.

Data duarum ſtellarum longitudine, ac latitudine ſive aſcenſione recta, & declinatione, earum diſtantiam invenire.

Plurimùm hoc problemate in ſequentibus utemur. Itaque hujus praxis imprimis obſervanda venit. Data ergo ad quod voles tempus utriuſque longitudine, vel aſcenſione recta, ambarum utrobique differentia colligatur. tum complementa latitudinum, vel declinationum habeantur. Quibus paratis ita rem aggrediemur.



In propoſito diagrammate eſto A polus ecliptice Septentrionalis. ANOF, & AMOF latitudinum circuli. Ecliptica ſit CNKOF. Quæratur deinde diſtantia lucidæ Pleïadum ab ea, quæ eſt in femore minuſculi canis, appellatúrque Procyon. ac ſit media Pleïadum in M. Procyon, in O. Longitudo Pleïadum anno primo Juliano fuit 31, 24', nempe in Tauri 1, 24'. Longitudo Procynis in Geminorum 27, 27', fuit 87, 27'. ambarum diſcrimen 56, 3'. Latitudo Pleïadis borea 4, 0'. Procynis auſtralis latitudo 15, 57'. Ergo in triangulo AOM data ſunt, AM complementum latitudinis lucidæ Pleïadum, graduum 86, 0'. nec non AO, exceſſus latitudinis Procynis cum quadrante, grad. 105, 57'. unà cum angulo OAM differentiæ longitudinum; grad. 56, 3'. Proinde obtinebitur baſis OM diſtantia ſtellarum, graduum 58, 54'. Eadem per aſcenſiones rectas & declinationes inveſtigabitur. ſiquidem aſcenſio recta Pleïadis fuit anno primo Juliano grad. 27, 43'. Procynis 87, 31'. Declinatio Pleïadis borea, 15, 53'. Procynis borea, 7, 55'. Ex harum complementis, illius 74, 7'; hujus 82, 5', & aſcenſionum differentia, 59, 48', intervallum exiſtet idem grad. 58, 54' ferè.

Rurſus inquiratur diſtantia Sirii & lucidæ Pleïadum utrâque methodo. ac primùm ex datis longitudinibus, & latitudinibus. Longitudo Sirii anno primo Juliano erat 75, 44'. Pleïadis; 51, 24'. Differentia 44, 20'. latitudo Sirii 39, 30' auſtralis. Pleïadis 4, 0'. borea. Igitur eſto A polus Septentrionalis eclipticæ, quæ eſt CKDF. & ſit lucida Pleïadum in M. cujus latitudo eſt MO 4, 0'. Complementum AM 86, 0'. Sirius in O. cujus latitudo auſtralis ON 39, 30'. latus AO, 129, 30'. Ex his inveniemus arcum OM graduum 59, 35'. quæ eſt ambarum diſtantia.

Eſto nunc A polus arcticus mundi. & ſtellis in iiſdem punctis O, & M collocatis; erit MD complementum declinationis Pleïadis graduum 74. 7'. Nam declinatio borea ejuſdem eſt 15, 53', arcus MD. At ON declinatio auſtralis Sirii eſt 16, 15'. unde arcus AO erit 106, 15'. Quibus poſitis eruetur arcus OM diſtantiæ ſtellarum grad. 59, 35'.

Canon XXI.

Ex data poli altitudine, & maxima ecliptica declinatione, maximam diem cujuſlibet regionis; aut viciſſim ex maxima tam die, quàm ecliptica declinatione, poli altitudinem agnoſcere.

Revocetur hîc diagramma canonis proximi: in quo DKG ſit horizontis ſemicirculus. CKF æquinoctialis. AMF circulus declinationis. In triangulo KMO, angulus MKO eſt complementum altitudinis poli; ſive elevatio æquinoctialis, id eſt puncti C ſupra horizontem. Eſto igitur M initium Cancri in horizonte ortivo, cujus declinatio MO data ſit graduum 23; 52'. quanta erat obliquitas eclipticæ Eudoxi, & Hipparchi ſæculo. Detur præterea altitudo poli graduum 37. qui ſitus eſt Græciæ, ut auctor eſt Hipparchus Lib. I. Num. V. ex quo conſtabit angulus MKO complementum illius, graduum 53. Ex his igitur, & angulo recto MOK inveſtigabitur arcus KO aſcenſionalis differentia graduum 19, 29'. Ea in horas diſtributa, ut antecedenti canone docuimus, efficit horam 1, 18' ferè; quæ ad horas 6 addita; arcum ſemidiurnum faciunt horarum 7, 18'. Ea duplicata diem maximam conſtituunt horarum 14, 36'. quantam in Græcia diem eſſe longiſſimam ibidem ſcribit Hipparchus.

Tangens artif. MO 23, 52', & radius Tan. MKO, 53, 0'	196458575 101228855. Sub.
Reſtat ſinus gr. 19, 29' ferè.	95229720


Rurſus data ſit maxima dies Athenis horarum 14, 36', unà cum eclipticæ maxima declinatione tempore Hipparchi. cui quidem par eſt declinatio principii Cancri MO graduum 23, 52'. Semiſſis exceſſus maximæ diei ſupra duodecim horas æquabiles in gradus & ſcrupula diſtributa conſtabit arcum KO differentiam aſcenſionalem, graduum 19, 30'. Quocirca ex arcu MO grad. 23, 52', & KO 19, 30', & recto MOK, innoteſcet angulus MKO, 52, 58' circiter, complementum altitudinis poli; quæ graduum erit 37, 2'. hoc eſt partium 37' ὡς ἔγγιστα, ut loquitur Hipparchus.

Tangens MO, 23, 52' & radius Sinus KO 19. 30'	196458575 95234952 Sub.
Reſtat tangens anguli MKO gr. 37, 7' circiter	101223123

Canon XXII.

Data qualibet hora diei cum loco Solis, & altitudine poli, Solis altitudinem inveſtigare: aut contra ex altitudine Solis, ac loco, & elevatione poli, horam diei reperire. aut denique ex hora diei, loco, & altitudine Solis; poli elevationem aſſequi.

Ad hanc πραγματείαν aſſumatur hoc diagramma, in quo ſit ABGC meridianus circulus. horizon AKG, cujus polus ſit C. Æquinoctialis eſto BKR, ejúſque polus, D. Arcus DC diſtantia verticalis puncti, ſive poli horizontis, & poli mundi. Eſto præterea DP complementum declinationis Solis, id eſt arcus PL. Sol autem ſit in P.



Jam ſit exempli cauſſâ inquirenda Solis altitudo Romæ anno Chriſti LIX, Aprilis XXX hora 0, 43' poſt

poſt meridiem, quod tempus fuit Solaris deliquii, quod anno quinto Neronis accidit; atque in exemplum allatum eſt à nobis lib. VIII de Doct. Temp. cap. VIII. Sol erat in gradu Tauri 7, 14′.

In triangulo obliquangulo CDP data ſunt latera DC, & DP, quorum prius eſt diſtantia poli mundi à puncto verticali, ídque par eſt complemento altitudinis poli. proinde hic erit graduum 48. DP verò eſt complementum declinationis poli. quæ in illo ſitu Solis erat grad. 13, 59′ circiter, ſi obliquitas hodierna capiatur. Unde DP graduum eſt 76, 1′. Datur præterea angulus CDP, cujus menſura eſt arcus RL in æquinoctiali, graduum 10, 45′, qui reſpondene horis 0, 43′ à meridie lapſis. Ex his colligetur arcus CP, complementum altitudinis Solis in verticali eâdem methodo, qua canone VII triangularem *ἀνάλυσιν* inſtituimus. Deprehendetur autem arcus ille graduum 29, 31′, cujus complementum PM graduum erit 60, 29′ altitudo Solis.


Secundò data ſint in eodem triangulo CP complementum altitudinis Solis grad. 29, 31′, unà cum loco Solis, ejúſque declinatione, ex quo ejus complementum DP grad. 76, 1′ colligatur: tum arcus DC diſtantiæ poli horizontis, & mundi. non diſſimili methodo angulus CDP graduum inveſtigabitur 10, 45′, qui in tempus reſoluti efficient horam 0, 43′.

Denique datis CP complemento altitudinis Solis, ejúſque loco, ac declinatione, & ejus complemento DP; tum angulo CDP, & ei reſpondentibus gradibus 10, 45′, non ignorabitur arcus DC. quod exiſtet graduum 48. Hujus verò complementum grad. 42 eſt altitudo poli.

C a n o n XXIII.

Data gnomonis, & umbræ menſura, unà cum vero Solis loco, & obliquitate zodiaci, tam Solis altitudinem, quàm latitudinem regionis invenire. Item data regionis latitudine, & umbræ magnitudine, cum obliquitate zodiaci, gnomonis magnitudinem reperire. Denique ex umbra meridiana maxima & minima, hoc eſt æſtiva & hiberna, gnomonem, & loci latitudinem inveſtigare.

HOc problemate opus erit nobis in ſequenti diſputatione. Conſtituatur hic Diagramma, in quo HGF meridianus. punctum æſtivi tropici F; hiberni G. Horizon HA: gnomon DA. Planum ſciothericum, in quod umbra projicitur, EDBC. Umbra æſtiva meridiana & minima DB; hiberna, & maxima, DC. Intervallum tropicorum, FG, vel angulus FAG. cui par eſt ad verticem, BAC. angulus verò DAB diſtantiam metitur verticalis puncti, (ad quod rectà cendit linea DA ad meridianum producta) ab æſtivo tropico F. éſtque complementum anguli ABD, ſive elevationis tropici æſtivi F ſupra horizontem, ad gradus 90.



His animadverſis ſumatur in exemplum parallelus X è Ptolemæi lib. II, cap. VI, ubi diſtat ab æquinoctiali vertex gradibus 33, 18′. & proportio gnomonis ad æſtivam umbram eſt ut 60 ad 10. ad hibernam autem eſt ut 60 ad 93, 10′. Proinde eſto Sol meridiano tempore in F æſtivo ſolſtitio, ac ſit umbra ejus DB partium 10, cujuſmodi DA eſt 60. tum ſit intervallum tropici ab æquatore graduum 23, 51′, 20″, Ptolemaicum. In rectangulo ADB, datis lateribus AD 60, & DB 10, ex utriuſque quadratis invicem conjunctis, fiet quadratum ſubtenſæ AB, cujus radix erit ipſa ſubtenſa paullò minus partium 61. Si fiat igitur, ut AB ad ſinum totum; ita DB ad ſinum anguli DAB, obtinebitur idem angulus, qui graduum erit 9, 26′, 40″, quæ eſt diſtantia verticalis puncti ab æſtivo tropico. Quare addita diſtantia tropici æſtivi ab æquinoctiali Ptolemaica grad. 23, 51′, 20″, confiet verticalis puncti diſtantia ab eodem æquatore, ſive poli altitudo graduum 33, 18′. Eadem opera innoteſcet angulus ABD complementum anguli BAD. quod cognitum eſt graduum eſſe 9, 26′, 40″. Unde ABD gradibus conſtabit 80, 33′, 20″. tanta eſt altitudo meridiana Solis. de qua rurſus detracta diſtantia tropici æſtivi ab æquatore ſupereſt elevatio æquatoris graduum 56, 42′. cujus complementum eſt altitudo poli grad. 33, 18′.

Secundò, data ſit elevatio poli grad. 33, 18′, & umbra æſtiva partium 10, unà cum eclipticæ obliquitate Ptolemaica; innoteſcet umbroſi corporis magnitudo. Nam in triangulo DAB primùm de poli altitudine grad. 33, 18′ ſubtracta diſtantia tropici ab æquatore 23, 51′, 20″, reliqui gradus 9, 26′, 40″ oſtendent diſtantiam verticalis puncti ab æſtivo tropico, qui eſt angulus DAB. nec non ejus complementum, ABD graduum 80, 33′, 20″. Fiat igitur ut ſinus anguli DAB graduum 9, 26′, 40″ ad DB partium 10; ita ſinus anguli ABD grad. 80, 33′, 20″ ad AD. Invenietúrque partium 60. quod erat ſecundum.

Tertiò, nota ſit umbra meridiana, æſtiva quidem DB partium 10, hiberna verò DC partium 93, 10′, cum obliquitate zodiaci, quæ ſit 23, 51′, 20″; dico conſtare tam gnomonis, id eſt DA quantitatem, quàm regionis latitudinem. Producatur enim latus CD uſque ad E, ſic ut DE æquale ſit ipſi DB: & jungatur AE, quæ æqualis erit lateri AB per 4 primi: adeoque duo triangula invicem æqualia erunt, EAD, & DAB, & angulus AEB, angulo ABE, & angulus EAD angulo DAB. tum verò cùm ſit ut AC ad ſinum anguli ABC, (hoc eſt ad ſinum anguli ABE deinceps poſiti, vel æqualis ei AEB) ita BC ad ſinum anguli BAC. & ut AC ad ſinum anguli AEC, ita EC ad ſinum anguli EAC; erit conſequenter ut BC ad ſinum anguli BAC, ita CE ad ſinum anguli CAE. Atqui data ſunt latus BC partium 83, 10′, nempè differentia minimæ umbræ DB partium 10, & maximæ DC, partium 93, 10′. nec non angulus BAC intervallum tropicorum, graduum 47, 42′, 40″. datur item & CE complexum ex umbris ambabus, partium 103, 10′. Erit igitur ut BC partium 83, 10′, ad ſinum anguli BAC graduum 47, 42′, 40″; ita EC partium 103, ad ſinum anguli EAC, graduum 66, 35′ ferè. de quibus dempto angulo BAC graduum 47, 42′, 40″ reſiduus erit angulus EAB graduum 18, 52′, 20″, cujus dimidium DAB graduum erit 9, 26′, 10″ diſtantia verticis ab æſtivo tropico. ad quam adjuncta ejuſdem tropici ab æquatore diſtanria 23, 51′, 20″ dabit altitudinem poli graduum 33, 18′ ferè. Indidem vero & ſtylus AD pateſiet. Si enim fiat ut ſinus anguli DAB grad. 9, 26′, 40″ ad DB partium 10, ita ſinus anguli ABD graduum 80, 33′, 20″ ad DA, repericrur eſſe partium circiter 60.

C A P U T VI.

Tabula ortus & occaſus ſtellarum aliquot ad Julianæ editionis annum primum, unà cum Calendario triplici.

UT illa ſit ſtellarum methodus, quam in Canones digeſſimus, adjuvandis tyronum ſtudiis accommodatior: atque ut Scriptores veteres; Poetas videlicet, Hiſtoricos, alioſque, qui certorum ſiderum exortus, & occaſus attigêre, ſine offenſione, ac cum fructu etiam, & voluptate legant; viſum nobis eſt, tabulam hic proponere, in qua præcipuarum ſtellarum, quarum ſit apud auctores illos mentio; cum veri ſitus in zodiaco; tum ortus, occaſúſque deſcribantur, cujuſmodi anno primo Juliano Romæ, & Alexandriæ contigerunt. Nam eſt annus editionis Julianæ velut limes & cardo temporum, & obſervationum iſtarum: quòd plerique Scriptores, quorum in libris ſignificationes exſtant earum rerum, aut illo ſæculo floruerunt; aut ex Juliano parapegmate orientium, vel cadentium ſiderum momenta ſumpſerunt. tum ad ſuperiora quoque, vel poſteriora

ſæcula

ſæcula tranſitus ab hoc tamquam communi termino fieri poteſt: ut ſi ad ortus, occaſuſque Julianos aliquot in Kalendario addantur detrahanturve dies, proprios utrorumque conſequamur temporum; quatenus rudi hoc elaborare Minerva licet. qua quidem hoc in negotio contentos eſſe nos oportet; nec in iis ſubtilius enucleandis tempus operámque perdere. Non enim ab auctoribus exactè iſta produntur, qui non [illegible] φάσεις, sed [illegible] adhibent; quarum ab ſenſibus plerumque judicium petitur. Igitur ſtellarum aliquot laterculum exhibemus, in quo primùm vera earum loca Juliano anno primo deſcribimus: tum aſcenſiones rectas; ex quibus meridiani tranſitus per Aſcenſionum rectarum tabulam indagantur. quorum in Hipparchi libris potiſſimùm uſus eſt. Subjecimus his obliquas aſcenſiones, unà cum triplici ortu, occaſuque, tam in horizonte Romano, quàm Ægyptiaco, vel Alexandrino. ex quibus exiſtimari de reliquis tractibus, ſaltem [illegible], & quantum in hac re docui eſſe neceſſe, poterit.

Præterea Romanum Kalendarium adjecimus unà cum Ægyptiacis menſibus anni fixi, cujus initium ad Auguſti Juliani XXIX diem adhæreſcit. quod complures auctores, qui ſtellarum φάσεις ea Julii Cæſaris Calendario mutuati ſunt, eos menſes uſurparunt. ut inter alios Ptolemæus, aut ſi quis alius editum à nobis Græcè parapegma condidit. poſtremò menſes etiam cœleſtes adſcripti ſunt. quorum exordium ab veris in dodecatemoria Solis ingreſſibus anno illo, repetitur. Idcirco laterculum præſcripſimus, in quo ſignorum tam medii, quàm veri aditus ex Pariſinis tabulis ad Romanum meridianum applicantur. unde cœleſtium menſium ſingulorum dies ita computavimus, ut cùm horarum & ſcrupulorum calculus à media nocte proficiſcatur, quoties ultra duodecim horas, hoc eſt meridiem, ſumma progreditur; ſequenti diei menſis cujuſlibet Neomenia tributa ſit. Illud verò diligenter animadvertendum eſt; annum primum Julianum, qui eſt periodi Julianæ 4669, aut biſextilem fuiſſe; aut certè biſextilis inſtar habendum in aſtronomicis calculis. Propterea, cùm verus Solis in Piſces ingreſſus acciderit Februarii die XXI. hora 6, 9, 13′ Romæ: in Arietem verò, Martii XXII, hora 23, 47′. hoc eſt Martii XXIII; Ichthyon dies habuit unum & triginta; nimirum reliquos de Februario novem; (Hic enim propter biſextilem diebus conſtabat novem & viginti,) & Martii viginti duos. Quare unum extra ordinem Ichthyoni diem attribuimus à regione ſedis biſextilis; quam vacuam in Juliano, & Alexandrino menſe reliquimus, ne conſequentium Neomenias menſium ſuis locis moveremus; quas iiſdem Julianorum menſium diebus conſtanter inhæſiſſe, ex Paſchalibus Cyrilli, aliiſque veterum monimentis colligitur. Ideò biſextilem diem itidem ut Romani, Februario inſeruiſſe videntur: etſi alioquin Alexandrini in finem epagomenon conferrent. Denique horarum epilogiſmos media ab nocte ducimus. ſed ubi calculus meridiem exceſſit, initium menſis ſequenti diei [illegible] attribuimus.

Laterculum menſium cœleſtium, ſive ingreſſus Solis in ſigna tam ſecundùm medios, quàm veros motus, anno primo Juliano, Romæ.

Signa.	Medius ingreſſus		Verus ingreſſus		Menſes cœleſtes	
		Horæ		Horæ	Nomina	Dies
Aquarius	Januarii 24.	0. 14′	Januarii 22.	7. 52′	Hydron	xxx
Piſces	Februarii 23.	10. 43	Februarii 21.	9. 13	Ichthyon	xxxi
Aries	Martii 24.	21. 11	Martii 22.	23. 47	Crion	xxxii
Taurus	Aprilis 24.	17. 40	Aprilis 23.	12. 10	Tauron	xxxii
Gemini	Maii 24.	18. 10	Maii 24.	12. 22	Didymon	xxxi
Cancer	Junii 24.	4. 38	Junii 24.	23. 3	Karkinon	xxxi
Leo	Julii 24.	15. 0	Julii 26.	5. 39	Leonton	xxxi
Virgo	Auguſti 24.	1. 37	Auguſti 26.	2. 37	Parthenon	xxx
Libra	Septemb. 23.	12. 6	Septemb. 25.	11. 11	Zygon	xxx
Scorpius	Octob. 23.	22. 23	Octob. 25.	5. 54	Scorpion	xxx
Sagittarius	Novemb. 23.	9. 8	Novemb. 23.	15. 54	Toxon	xxix
Capricornus	Decemb. 23.	19. 34	Decemb. 22.	23. 54	Ægon	xxx

TABULA

TABULA ORTUS, ET OCCASUS STELLARUM ROMÆ

NOMINA	LOCUS	ASCENSIO		ORTUS			OCCASUS		
		Recta	Obliqua	Cosmicus	Heliacus	Acronychus	Cosmicus	Heliacus	Acronychus
Antares, ſive Cor ſcorpii magnitudinis 1	Scorpii 11, 22	217, 22′	236, 12′	Scorpii 13,42′	Scorpii 27,17′	Tauri 13,41′	Tauri 2, 0′	Libræ 3, 11′	Scorpii 2, 0′
Aquilæ lucida magnit. 2	Capric. 3, 39	173, 11	268, 9	Sagitt. 8, 45	Sagitt. 27, 8	Gemin. 8, 45	Cancri 26, 20	Capric. 10, 29	Capric. 26, 20
Arcturus magnitud. 1	Virg. 25, 48	190, 0	158, 56	Virg. 13, 32	Virg. 26, 16	Piſcium 13, 32	Gemin. 3, 16	Scorp. 10, 48	Sagitt. 3, 16
Arietis caput magnit. 3.	Arietis 9, 15	4, 25	352, 34	Piſcium 17, 0	Arietis 22, 8	Virg. 17, 0	Libræ 12, 45	Piſcium 27, 45	Arietis 12, 45
Aſellus boreus magnit. 4	Cancri 9, 6	100, 10	82, 2	Cancri 13, 10	Leonis 8, 10	Capric. 13, 10	Capric. 4, 55	Gemin. 9, 22	Capric. 4, 55
Aurigæ dexter humerus 2	Gemin. 3, 2	55, 23	1, 8	Arietis 2, 0	Tauri 5, 18	Libræ 2, 0	Sagitt. 26, 55	Gemin. 12, 13	Gemin. 26, 55
Canobus 1. Romæ non videtur	Gemin. 9, 56	83, 55	0, 0	0	0	0	0	0	0
Capella 1	Tauri 23, 25	43, 26	352, 28	Piſcium 16, 50	Arietis 16, 43	Virg. 16, 50	Sagitt. 13, 52	Tauri 28, 12	Gemin. 13, 52
Centauri pes dexter anterior 1	Libræ 6, 36	165, 46	213, 58	Libræ 26, 32	Scorpii 9, 26	Arietis 26, 32	Capric. 4, 15	Gemin. 15, 54	Cancri 4, 15
Chela ſcorpii borea 2	Libræ 19, 56	201, 44	201, 29	Libræ 16, 49	Scorpii 0, 23	Arietis 16, 49	Tauri 7, 17	Libræ 8, 10	Scorpii 7, 17
Chela ſcorpii auſtralis 2	Libræ 15, 29	194, 25	199, 36	Libræ 15, 21	Libræ 29, 32	Arietis 15, 21	Arietis 16, 24	Virg. 5, 14	Libræ 16, 24
Lucida boreæ coronæ 2	Libræ 14, 47	213, 1	174, 49	Virg. 25, 55	Libræ 9, 37	Piſcium 25, 55	Cancri 3, 51	Scorpii 15, 16	Capric. 3, 51
Corvi dextra ala, 3	Virg. 10, 57	156, 46	162, 20	Virg. 16, 10	Libræ 0, 59	Piſcium 16, 10	Aquar. 27, 40	Leonis 9, 8	Leonis 27, 40
Cygni cauda 2	Aqua. 7, 2	292, 51	246, 0	Scorpii 21, 22	Sagitt. 6, 19	Tauri 21, 22	Virg. 14, 6	Piſcium 0, 19	Piſcium 14, 6
Lucida in cauda Delphini 3	Capr. 15, 41	283, 43	278, 12	Sagitt. 17, 0	Capric. 5, 37	Gemin. 17, 0	Leonis 5, 0	Capric. 14, 15	Aquar. 5, 0
Equi & capitis Andromedæ communis 2	Piſcium 15, 56	336, 45	319, 44	Capric. 27, 48	Aqua. 22, 10	Cancri 27, 48	Virg. 25, 7	Piſcium 11, 24	Piſcium 25, 7
Fluminis extrema 1. Romæ non oritur	Piſcium 28, 20	27, 27	0	0	0	0	0	0	0
Gemini præcedentis caput 2	Gemini 21, 50	80, 19	50, 18	Gemin. 13, 33	Cancri 0, 25	Sagitt. 13, 33	Sagitt. 27, 32	Gemin. 12, 56	Gemin. 27, 22
Gemini ſuccedentis caput 2	Gemini 24, 52	84, 4	52, 15	Gemin. 15, 39	Cancri 8, 31	Sagitt. 15, 39	Capric. 2, 38	Gemin. 12, 27	Cancri 2, 38
Hœdus præcedens 4	Tauri 20, 14	41, 45	1, 54	Arietis 3, 25	Tauri 12, 29	Libræ 3, 25	Sagitt. 3, 31	Tauri 15, 5	Gemin. 3, 31
Hyadum lucidiſſima, quæ & Palilicium dicitur 1	Tauri 11, 21	40, 36	31, 15	Tauri 20, 39	Gemin. 11, 1	Scorpii 20, 39	Scorpii 8, 53	Arietis 25, 43	Tauri 8, 53
Hydræ cor 2	Cancri 29, 16	117, 4	117, 23	Leonis 11, 20	Leonis 24, 58	Aquar. 11, 20	Capric. 3, 35	Gemin. 15, 31	Cancri 3, 35
Lanx borea 2	Libræ 20, 57	202, 51	202, 31	Libræ 17, 38	Scorpii 1, 35	Arietis 17, 38	Tauri 9, 7	Libræ 8, 2	Scorpii 9, 7
Lanx auſtralis 2	Libræ 16, 40	195, 29	201, 9	Libræ 16, 34	Scorpii 11, 14	Arietis 16, 34	Arietis 17, 19	Virg. 23, 39	Libræ 17, 19
Leonis cauda 1	Leonis 23, 12	150, 8	124, 37	Leonis 16, 55	Virg. 0, 21	Aquar. 16, 55	Piſcium 22, 18	Leonis 21, 36	Virg. 22, 18
Leonis cor 1	Leonis 1, 25	123, 50	104, 4	Leonis 0, 58	Leonis 17, 44	Aquar. 0, 58	Aquar. 2, 33	Gemin. 26, 58	Leonis 2, 33

ALIQUOT

ALIQUOT ANNO PRIMO JULIANO. ALEXANDRIÆ

ASCEN.	ORTUS			OCCASUS		
OBLIQUA	COSMICUS	HELIACUS	ACRONYCHUS	COſMICUS	HELIACUS	ACRONYCHUS
229, 51′	Scorpii 12,35′	Scorpii 25,14′	Tauri 12,35′	Tauri 5, 28′	Libræ 15,15′	Scorpii 5, 28′
269, 50	Sagitt. 16, 24	Capric. 1,8	Gemin. 16, 24	Cancri 19, 3	Capric. 4, 39	Capric. 19, 3
169, 52	Virg. 21, 14	Libræ 3, 20	Piſcium 21, 14	Tauri 12, 11	Libræ 23, 13	Scorpii 12, 11
356, 33	Piſcium 25, 0	Arietis 19, 40	Virg. 25, 0	Libræ 10, 37	Piſcium 26, 25	Arietis 10, 37
88, 11	Cancri 11, 53	Leonis 2, 8	Capric. 11, 53	Capric. 6, 32	Gemin. 17, 70	Cancri 6, 32
22, 35	Tauri 2, 19	Tauri 23, 58	Scorpii 2, 19	Sagitt. 15, 0	Gemin. 0, 15	Gemin. 15, 0
120, 44	Leonis 9, 30	Leonis 21, 47	Aquar. 9, 30	Scorpii 10, 18	Arietis 28, 9	Tauri 10, 18
12, 8	Arietis 17, 45	Tauri 8, 32	Libræ 17, 45	Sagitt. 3, 30	Tauri 20, 29	Gemin. 3, 30
195, 41	Libræ 13, 34	Libræ 25, 41	Arietis 13, 34	Aquar. 1, 0	Cancri 13, 36	Leonis 1, 0
201, 34	Libræ 18, 35	Scorpii 1, 44	Arietis 18, 35	Tauri 1, 23	Libræ 9, 59	Scorpii 1, 23
197, 52	Libræ 15, 26	Libræ 28, 35	Arietis 15, 26	Arietis 16, 4	Virg. 19, 3	Libræ 16, 4
188, 39	Libræ 7, 29	Libræ 20, 36	Arietis 7, 29	Gemin. 13, 9	Scorpii 25, 48	Sagitt. 13, 9
160, 29	Virg. 13, 10	Virg. 27, 19	Piſcium 13, 10	Piſcium 15, 25	Leonis 20, 25	Virg. 5, 25
263, 41	Sagitt. 11, 6	Sagitt. 26, 7	Gemin. 11, 6	Leonis 27, 23	Aquar. 17, 7	Aquar. 27, 23
280, 3	Sagitt. 25, 22	Capric. 11, 56	Gemin. 25, 12	Cancri 28, 17	Capric. 13, 14	Capric. 28, 17
325, 29	Aquar. 12, 19	Piſcium 2, 22	Leonis 12, 19	Virg. 19, 38	Piſcium 6, 31	Piſcium 19, 38
69, 12	Gemin. 24, 42	Cancri 9, 52	Sagitt. 24, 42	Virg. 17, 38	Piſcium 5, 39	Piſcium 17, 38
60, 49	Gemin. 16, 37	Cancri 1, 16	Sagitt. 16, 37	Sagitt 25, 10	Gemio. 11, 28	Gemin. 25, 10
63, 28	Gemin. 19, 14	Cancri 6, 21	Sagitt. 19, 14	Sagitt. 29, 33	Gemin. 13, 36	Gemin. 29, 33
16, 26	Arietis 23, 52	Tauri 14, 25	Libræ 23, 52	Scorpii 27, 3	Tauri 11, 4	Tauri 27, 3
34, 22	Tauri 17, 30	Gemin. 5, 35	Scorpii 17, 30	Scorpii 10, 4	Arietis 27, 45	Tauri 10, 4
117, 17	Leonis 6, 36	Leonis 19, 14	Aquar. 6, 36	Capric. 11, 5	Gemin. 25, 40	Cancri 11, 5
202, 37	Libræ 19, 30	Scorpii 2, 41	Arietis 19, 30	Tauri 3, 0	Libræ 10, 25	Scorpii 3, 0
199, 15	Libræ 16, 37	Scorpii 20, 27	Arietis 16, 37	Arietis 17, 9	Virg. 27, 4	Libræ 17, 9
133, 30	Leonis 20, 23	Virg. 2, 41	Aquar. 20, 23	Piſcium 10, 40	Leonis 19, 57	Virg. 10, 40
110, 45	Leonis 1, 7	Leonis 15, 46	Aquar. 2, 7	Aquar. 2, 13	Gemin. 29, 25	Leonis 2, 13

TABULA ORTUS, ET OCCASUS STELLARUM ROMÆ

NOMINA	LOCUS	ASCENSIO		ORTUS			OCCASUS		
		Recta	Obliqua	Cosmicus	Heliacus	Acronychus	Cosmicus	Heliacus	Acronychus
Leporis media	Tauri 22,58′	60,55′	81,8′	Cancri 12,24′	Leonis 0,6′	Capric. 12,24′	Scorpii 1,32′	Arietis 16,19′	Tauri 1,32′
Lyræ lucida 1	Sagitt. 16,52	268,8	216,33	Libræ 28,32	Scorpii 11,28	Arietis 28,32	Leonis 19,9	Aquar. 5,49	Aquar. 19,9
Orionis humerus præcedens 2	Tauri 22,33	54,23	52,15	Gemin. 15,39	Cancri 7,13	Sagitt. 15,39	Scorpii 13,57	Arietis 29,25	Tauri 13,57
Orionis humerus ſequens, ſive dexter 2	Gemin. 0,21	61,31	57,12	Gemin. 20,42	Cancri 11,20	Sagitt. 20,42	Scorpii 21,9	Tauri 6,16	Tauri 21,9
Orionis zonæ media 2	Tauri 25,3	58,29	63,5	Gemin. 26,24	Cancri 16,29	Sagitt. 26,24	Scorpii 11,55	Arietis 27,22	Tauri 11,55
Lucida in ſiniſtro pede Orionis 1	Tauri 18,26	55,18	66,32	Gemin. 29,37	Cancri 17,31	Sagitt. 29,37	Scorpii 4,21	Arietis 21,24	Tauri 4,21
Lucida in dextro latere Perſei 2	Tauri 3,27	17,56	327,33	Aquar. 7,44	Piſcium 4,20	Leonis 7,44	Scorpii 23,5	Tauri 8,0	Tauri 23,5
Procyon 2	Gemin. 27,27	87,31	79,29	Cancri 11,0	Cancri 27,54	Capric. 11,0	Sagitt. 13,24	Tauri 29,2	Gemin. 13,24
Sagittarii genu ſiniſtrum 2	Sagitt. 14,29	250,23	301,4	Capric. 7,35	Capric. 28,14	Cancri 7,35	Tauri 3,46	Libræ 3,53	Scorpii 3,46
Sirius 1	Gemin. 15,44	78,34	93,47	Cancri 22,48	Leonis 7,43	Capric. 22,48	Scorpii 19,14	Tauri 5,31	Tauri 19,14
Vergiliarum lucida 3	Tauri 1,24	27,43	12,52	Arietis 22,51	Tauri 28,3	Libræ 22,51	Scorpii 3,12	Arietis 18,3	Tauri 3,12
Vindemiator 3	Virg. 11,32	269,41	148,4	Virg. 5,3	Virg. 20,5	Piſcium 5,3	Arietis 20	Virg. 25,47	Libræ 20
Virginis ſpica 1	Virg. 25,25.	174,58	175,1	Virg. 26,0	Libræ 8,31	Piſcium 26,0	Piſcium 21,5	Leonis 20,38	Virg. 21,5

ALIQUOT ANNO PRIMO JULIANO ALEXANDRIÆ.

ASCEN.	ORTUS			OCCASUS		
Obliqua	Cosmicus	Heliacus	Acronychus	Cosmicus	Heliacus	Acronychus
74,15′	Gemin. 29,27′	Cancri 16,29′	Sagitt. 29,27′	Scorpii 10,41′	Arietis 26,16′	Tauri 10,41′
233,39	Scorpii 15,49	Scorpii 28,16	Tauri 15,49	Leonis 0,50	Capric. 18,1	Aquar. 0,50
52,58	Gemin. 8,36	Gemin. 26,45	Sagitt. 8,36	Scorpii 17,36	Tauri 4,4	Tauri 17,36
58,38	Gemin. 14,26	Cancri 1,33	Sagitt. 14,26	Scorpii 24,49	Tauri 11,15	Tauri 24,49
61,13	Gemin. 17,0	Cancri 3,59	Sagitt. 17,0	Scorpii 17,33	Tauri 4,1	Tauri 17,33
62,46	Gemin. 18,33	Cancri 4,13	Sagitt. 18,33	Scorpii 10,55	Arietis 28,38	Tauri 10,55
346,57	Piſcium 10,56	Arietis 3,22	Virg. 10,56	Scorpii 11,52	Arietis 28,27	Tauri 11,52
81,49	Cancri 6,17	Cancri 21,5	Capric. 6,17	Sagitt. 17,51	Gemin. 2,45	Gemin. 17,51
281,32	Sagitt. 26,40	Capric. 12,19	Gemin. 26,40	Tauri 23,22	Scorpii 3,45	Scorpii 23,22
88,39	Cancri 12,27	Cancri 26,9	Capric. 12,27	Scorpii 28,9	Tauri 15,21	Tauri 28,9
18,3	Arietis. 25,38	Tauri 20,42	Libræ 25,38	Scorpii 2,14	Arietis 17,6	Tauri 2,14
155,27	Virg. 8,51	Virg. 23,7	Piſcium 8,51	Arietis 5,47	Virg. 12,17	Libræ 5,47
174,56	Virg. 25,43	Libræ 7,51	Piſcium 25,43	Piſcium 22,26	Virg. 0,3	Virg. 28,26

KALEN-

KALENDARIUM TRIPLEX, ROMANUM, ALEXANDRINUM, & Cœleſte ad annum primum Julianum conformatum.

	Januarius	Tybi	Ægon		Februarius	Mechir	Hyoron		Martius	Phamenoth	Ichthyon
1	Kal.	vj	10	1	Kal.	vij	11	1	Kal.	v	10
2	IV. Non.	vij	11	2	IV Non.	viij	12	2	VI Non.	vj	11
3	III	viij	12	3	III	ix	13	3	V	vij	12
4	Pr. Non.	ix	13	4	Pr. Non.	x	14	4	IV	viij	13
5	Nonæ	x	14	5	Nonæ	xj	15	5	III	ix	14
6	VIII Eid.	xj	15	6	VIII Eid.	xij	16	6	Pr. Non.	x	15
7	VII	xij	16	7	VII	xiij	17	7	Nonæ	xj	16
8	VI	xiij	17	8	VI	xiv	18	8	VIII Eid.	xij	17
9	V	xiv	18	9	V	xv	19	9	VII	xiij	18
10	IV	xv	19	10	IV	xvj	20	10	VI	xiv	19
11	III	xvj	20	11	III	xvij	21	11	V	xv	20
12	Pr. Eid.	xvij	21	12	Pr. Eid.	xviij	22	12	IV	xvj	21
13	Eid.	xviij	22	13	Eid.	xix	23	13	III	xvij	22
14	XIX Kal.	xix	23	14	XVI Kal.	xx	24	14	Pr. Eid.	xviij	23
15	XVIII	xx	24	15	XV	xxj	25	15	Eid.	xix	24
16	XVII	xxj	25	16	XIV	xxij	26	16	XVII Kal.	xx	25
17	XVI	xxij	26	17	XIII	xxiij	27	17	XVI	xxj	26
18	XV	xxiij	27	18	XII	xxiv	28	18	XV	xxij	27
19	XIV	xxiv	28	19	XI	xxv	29	19	XIV	xxiij	28
20	XIII	xxv	29	20	X	xxvj	30	20	XIII	xxiv	29
21	XII	xxvj	30				Ich-	21	XII	xxv	30
			Hy-				thyon	22	XI	xxvj	31
			oron	21	IX	xxvij	1				Crion
22	XI	xxvij	1	22	VIII	xxviij	2	23	X	xxvij	1
23	X	xxviij	2	23	VII	xxix	3	24	IX	xxviij	2
24	IX	xxix	3	24	VI	xxx	4	25	VIII	xxix	3
25	VIII	xxx	4			Phame-		26	VII	xxx	4
		Mechir				noth	5			Pharmuthi	
26	VII	j	5	25	V	j	6				
27	VI	ij	6	26	IV	ij	7	27	VI	j	5
28	V	iij	7	27	III	iij	8	28	V	ij	6
29	IV	iv	8	28	Pr. Kal.	iv	9	29	IV	iij	7
30	III	v	9					30	III	iv	8
31	Pr. Kal.	vj	10					31	Pr. Kal	v	9

	Aprilis	Pharmuthi	Crion		Maius	Pachon	Tauron		Junius	Payni	Dioymon
1	Kal.	vj	10	1	Kal.	vj	8	1	Kal.	vij	8
2	IV Non.	vij	11	2	VI Non.	vij	9	2	IV Non.	viij	9
3	III	viij	12	3	V	viij	10	3	III	ix	10
4	Pr. Non.	ix	13	4	IV	ix	11	4	Pr. Non.	x	11
5	Nonæ	x	14	5	III	x	12	5	Nonæ	xj	12
6	VIII Eid.	xj	15	6	Pr. Non.	xj	13	6	VIII Eid.	xij	13
7	VII	xij	16	7	Nonæ	xij	14	7	VII	xiij	14
8	VI	xiij	17	8	VIII Eid.	xiij	15	8	VI	xiv	15
9	V	xiv	18	9	VII	xiv	16	9	V	xv	16
10	IV	xv	19	10	VI	xv	17	10	IV	xvj	17
11	III	xvj	20	11	V	xvj	18	11	III	xvij	18
12	Pr. Eid.	xvij	21	12	IV	xvij	19	12	Pr. Eid.	xviij	19
13	Eid.	xviij	22	13	III	xviij	20	13	Eid.	xix	20
14	XVIII K.	xix	23	14	Pr. Eid.	xix	21	14	XVIII K	xx	21
15	XVII	xx	24	15	Eid.	xx	22	15	XVII	xxj	22
16	XVI	xxj	25	16	XVII Kal.	xxj	23	16	XVI	xxij	23
17	XV	xxij	26	17	XVI	xxij	24	17	XV	xxiij	24
18	XIV	xxiij	27	18	XV	xxiij	25	18	XIV	xxiv	25
19	XIII	xxiv	28	19	XIV	xxiv	26	19	XIII	xxv	26
20	XII	xxv	29	20	XIII	xxv	27	20	XII	xxvj	27
21	XI	xxvj	30	21	XII	xxvj	28	21	XI	xxvij	28
22	X	xxvij	31	22	XI	xxvij	29	22	X	xxviij	29
23	IX	xxviij.	32	23	X	xxviij	30	23	IX	xxix	30
			Tauron	24	IX	xxix	31	24	VIII	xxx	31
24	VIII	xxix	1				Dioy-			Epiphi	Karki-
25	VII	xxx	2				mon				non
		Pachon		25	VIII	xxx	1	25	VII	j	1
26	VI	j	3			Payni		26	VI	ij	2
27	V	ij	4	26	VII	j	2	27	V	iij	3
28	IV	iij	5	27	VI	ij	3	28	IV	iv	4
29	III	iv	6	28	V	iij	4	29	III	v	5
30	Pr. Kal.	v	7	29	IV	iv	5	30	Pr. Kal.	vj	6
				30	III	v	6				
				31	Pr. Kal.	vj	7				

Julius		Epiphi	Karkinon
1	Kal.	vij	7
2	vi Non.	viij	8
3	v	ix	9
4	iv	x	10
5	iii	xj	11
6	Pr. Non.	xij	12
7	Nonæ	xiij	13
8	viii Eid.	xiv	14
9	vii	xv	15
10	vi	xvj	16
11	v	xvij	17
12	iv	xviij	18
13	iii	xix	19
14	Pr. Eid.	xx	20
15	Eid.	xxj	21
16	xvii Kal.	xxij	22
17	xvi	xxiij	23
18	xv	xxiv	24
19	xiv	xxv	25
20	xiii	xxvj	26
21	xii	xxvij	27
22	xi	xxviij	28
23	x	xxix	29
24	ix	xxx	30
		Mesori	
25	viii	j	31
			Leonton
26	vii	ij	1
27	vi	iij	2
28	v	iiij	3
29	iv	v	4
30	iii	vj	5
31	Pr. Kal.	vij	6

Augustus		Mesori	Leonton
1	Kal.	viij	7
2	iv Non.	ix	8
3	iii	x	9
4	Pr. Non.	xj	10
5	Nonæ	xij	11
6	viii Eid.	xiij	12
7	vii	xiv	13
8	vi	xv	14
9	v	xvj	15
10	iv	xvij	16
11	iii	xviij	17
12	Pr. Eid.	xix	18
13	Eid.	xx	19
14	xix Kal.	xxj	20
15	xviii	xxij	21
16	xvii	xxiij	22
17	xvi	xxiiij	23
18	xv	xxv	24
19	xiv	xxvj	25
20	xiii	xxvij	26
21	xii	xxviij	27
22	xi	xxix	28
23	x	xxx	29
		Epagomenæ	
24	ix	j	30
25	viii	ij	31
			Parthenon
26	vii	iij	1
27	vi	iiij	2
28	v	v	3
		Thoth	
29	iv	j	4
30	iii	ij	5
31	Pr. Kal.	iij	6

Septembris		Thoth	Parthenon
1	Kal.	iiij	7
2	iv Non.	v	8
3	iii	vj	9
4	Pr. Non.	vij	10
5	Nonæ	viij	11
6	viii Eid.	ix	12
7	vii	x	13
8	vi	xj	14
9	v	xij	15
10	iv	xiij	16
11	iii	xiv	17
12	Pr. Eid.	xv	18
13	Eid.	xvj	19
14	xviii K.	xvij	20
15	xvii	xviij	21
16	xvi	xix	22
17	xv	xx	23
18	xiv	xxj	24
19	xiii	xxij	25
20	xii	xxiij	26
21	xi	xxiv	27
22	x	xxv	28
23	ix	xxvj	29
24	viii	xxvij	30
			Zygon
25	vii	xxviij	1
26	vi	xxix	2
27	v	xxx	3
		Paophi	
28	iv	j	4
29	iii	ij	5
30	Pr. Kal.	iij	6

October		Paophi	Zygon
1	Kal.	iiij	7
2	vi Non.	v	8
3	v	vj	9
4	iv	vij	10
5	iii	viij	11
6	Pr. Non.	ix	12
7	Nonæ	x	13
8	viii Eid.	xj	14
9	vii	xij	15
10	vi	xiij	16
11	v	xiv	17
12	iv	xv	18
13	iii	xvj	19
14	Pr. Eid.	xvij	20
15	Eid.	xviij	21
16	xvii Kal.	xix	22
17	xvi	xx	23
18	xv	xxj	24
19	xiv	xxij	25
20	xiii	xxiij	26
21	xii	xxiv	27
22	xi	xxv	28
23	x	xxvj	29
24	ix	xxvij	30
			Scorpion
25	viii	xxviij	1
26	vii	xxix	2
27	vi	xxx	3
		Athyr	
28	v	j	4
29	iv	ij	5
30	iii	iij	6
31	Pr. Kal.	iiij	7

Novembris		Athyr	Scorpion
1	Kal.	v	8
2	iv Non.	vj	9
3	iii	vij	10
4	Pr. Non.	viij	11
5	Nonæ	ix	12
6	viii Eid.	x	13
7	vii	xj	14
8	vi	xij	15
9	v	xiij	16
10	iv	xiv	17
11	iii	xv	18
12	Pr. Eid.	xvj	19
13	Eid.	xvij	20
14	xviii Kal.	xviij	21
15	xvii	xix	22
16	xvi	xx	23
17	xv	xxj	24
18	xiv	xxij	25
19	xiii	xxiij	26
20	xii	xxiiij	27
21	xi	xxv	28
22	x	xxvj	29
23	ix	xxvij	30
			Toxon
24	viii	xxviij	1
25	vii	xxix	2
26	vi	xxx	3
		Choiac	
27	v	j	4
28	iv	ij	5
29	iii	iij	6
30	Pr. Kal.	iiij	7

Decembris		Choiac	Toxon
1	Kal.	v	8
2	iv Non.	vj	9
3	iii	vij	10
4	Pr. Non.	viij	11
5	Nonæ	ix	12
6	viii Eid.	x	13
7	vii	xj	14
8	vi	xij	15
9	v	xiij	16
10	iv	xiv	17
11	iii	xv	18
12	Pr. Eid.	xvj	19
13	Eid.	xvij	20
14	xix	xviij	21
15	xviii	xix	22
16	xvii	xx	23
17	xvi	xxj	24
18	xv	xxij	25
19	xiv	xxiij	26
20	xiii	xxiv	27
21	xii	xxv	28
22	xi	xxvj	29
			Ægon
23	x	xxvij	1
24	ix	xxviij	2
25	viii	xxix	3
26	vii	xxx	4
		Tybi	
27	vi	j	5
28	v	ij	6
29	iv	iij	7
30	iii	iiij	8
31	Pr. Kal.	v	9

DIONY-

DIONYSII PETAVII
E SOCIETATE JESU,
AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM
LIBER SECUNDUS.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

QUæ de ortu ſiderum & occaſu explicata ſunt hactenus, & in certos canones digeſta, uſum ac fructum habent omnino duplicem. Nam & ex iis ætate quiſque ſua quibus illa temporibus ortus & occaſus faciant, præſagire ante poterit: quod ipſum per ſeſe plenum eſt utiliſſimæ, jucundiſſimæque voluptatis. & de pleriſque Poetarum, Hiſtoricorum, ac Scriptorum ceterorum locis, ſcientet ac peritè pronunciabit; quorum ſine his præſidiis intelligentia eſt, enarratióque difficilis. Ex iis poſteriorem hunc methodi fructum paullò latiùs perſequi, & commendare ſtudioſis harum diſciplinarum decrevimus. Quam in rem ſelecta quædam ex optimis, & antiquis auctoribus exempla proferemus; in quibus ortuum, & occaſuum varietatem omnem experiemur; ut ad ceterorum, qui paſſim incidunt, uſum, & tractationem, paucorum obſervatio ſimilitudine ipſa pertineat. Sed tria ſunt imprimis, quæ ad ortus & occaſus ſpeciem in Scriptorum libris eruendam notata eſſe doctrinæ hujus artifices jubent. Primum eſt tempus, quod ab auctore ipſo ſit expreſſum, aut ex ejus oratione colligi poſſit. Secundum eſt locus Solis illi tempori reſpondens. Tertium eſt ſigniferi orbis particula, ſive gradus, quo cum ſtella oritur, aut occidit, ex quo demum tempus idoneum in anno, ac menſe capiatur. Ex iis primum, niſi à Scriptore declaretur, certis conjecturis, ac circumſtantiis aſſumandum eſſe, rectè iidem illi eruditi homines admonent. In duobus explicandis ſoleo non ſcientiam quidem in pleriſque, qui ante nos iſta commentati ſunt, ſed attentionem ad id, quod ſcribebant, & ejus, quod egregiè notant, recordationem requirere. Nam in tantam abſurditatem nonnullorum devenit oratio, ut neque cum pervagatis aſtronomiæ principiis; neque cum oculorum ac ſenſuum experientia; neque ſecum poſtremò ipſa conſentiat.

ecen- orum uorum- um er- or.

Quæ res ut non ipſis, qui iſta ſcripsêre, fraudi fuerit, eruditis hominibus, & harum diſciplinarum ſcientia præditis: at aliis non mediocriter obfuit, vel minùs, quàm illi fuêre, doctis; vel prorſus imperitis; qui impetum ad ſcribendum ſine arte, ac judicio conferunt; & quæ apud alios utcumque pertractata legerint, quorum rudes ipſi ſunt, ea, utut ſe habent, in commentationes ſuas transfundere, ad ſummam ſibi doctrinæ famam, ac gloriam pertinêre putant. In horum grege facilè primas hac ætate ille Scriptor obtinet, qui Plinianas ad Solinum exercitationes nuper edidit. Ibi enim de ortu, & occaſu ſiderum cùm univerſe; tum certorum, & inſignium, tam multa ſcripſit, ut harum rerum ſcientiſſimum ſe eſſe vulgò perſuaderi voluerit. tam autem fœdè in omnibus offendit; ut non tantopere inſcitiam, quantum os hominis mirari, ac caſtigare etiam velle ſubeat; qui quarum rerum funditus eſſet expers, de iis præſcribere ac docere alios, ſine ullo pudore, tentaverit. De cujus Scriptoris erratis paullò pòſt dicetur. Nunc illa prævertamus, in quibus parum nobis attentos eſſe nonnullos eruditos animadvertimus.

Ad ſitum Solis in Zodiaco, & in eodem orientium ſtellarum, & occidentium regiones inveſtigandas, primum omnium obſervari volunt, quibus menſium diebus Sol ingreſſum in dodecatemoria ſingula faceret iis temporibus, quibus veteres illi floruerunt; ídque ex Columella, Plinio, Ovidio, ac ceteris colligi. Tum quibus cum Zodiaci gradibus ortus illarum, occaſúſque congruerent, diligenter notari. Hinc enim facilè conjici, quos in dies conferendi illi ſint; cùm, quibus Sol ad unumquodque ſignum perveniret ſæculo illo, cognoverimus. Rectè id quidem hactenus. Verùm in loco Solis definiendo parum iidem accuratam rationem tenent. Nam ingreſſus in dodecatemoria non ex rei veritate, ſed ex falſa quorumdam veterum perſuaſione ſtatuunt. Sic in Arietem Julii Cæſaris tempore Solem XV Cal. Apr. hoc eſt Martii XVIII introiiſſe dicunt. In Taurum verò Aprilis XVIII. In Geminos, Maii XIX. Quod ut per ſeſe falſum eſt; ſic eo poſito ſiderum ortus, occaſúſque perperam, & alienis diebus illigari neceſſe eſt. Ut enim Sol in Taurum, exempli cauſſâ, ſubierit XVIII die Aprilis; Vergiliæ, quæ in gradu Tauri XXVIII matutinum ortum apparentem faciebant anno primo Juliano, uti ſupra demonſtratum eſt, ortæ fuerint Maii XV, vel XVII, cum tamen XXIII id acciderit. Ita diebus VIII circiter in ea deſcriptione peccatur. Ejuſdemmodi cetera ſunt orientium intervalla ſiderum: in quibus pronunciandis iis de cauſſis error intervenit. qui profectò caſtigatione opus habet. Quamobrem de hac antiquorum quorumdam opinione, & annuorum cardinum anteverſione dici hoc loco neceſſe eſt. ut iis auctoribus illuſtrandis, quos in hanc editionem conjecimus, Gemino præſertim, Hipparcho, Ptolemæo, Tatio opera iſta ſerviat.

CAPUT I.

De æquinoctialis, & Zodiaci partitione à Chaldæis, Ægyptiis, ac Græcis inſtituta.

DUo ſunt circuli, ad quos ſtellarum ſitus, & converſiones exiguntur, Æquinoctialis, & Zodiacus. ex quorum partitione, longitudo ſtellarum; ex diſtantia, latitudo ſumitur. Ac videntur priùs ad æquinoctialem utroque modo ſtellæ comparatæ, quàm ad Zodiacum, non ſolùm in Græcia, ſed etiam apud Ægyptios, & Chaldæos; à quibus vel inventa, vel diligentiùs

tiùs exculta, propagatáque in ceteros Aſtronomia creditur. De Græcis memoriæ proditum eſt, primum omnium Anaximandrum Mileſium obliquitatem ſigniferi deprehendiſſe Olympiade quinquageſima octava. Poſt hunc, Cleoſtratum Tenedium ſigna in orbe illo reperiſſe, & prima Arietis, ac Sagittarii, ut ſcribit Plinius Lib. II, Cap. VIII. Addit Hyginus Lib. II de aſtronomia Poetica, Cap. de Heniocho, etiam Hœdos ab illo primum notatos in cœlo.

Qua ratione duodenaria cœli partitio ſit inſtituta.

Apud Chaldæos autem, Ægyptióſque ratio partiendi quæ fuerit, declarat Sextus Empiricus Lib. V. Nam illos ait inſignem aliquam ſtellam in Zodiaco deſignaſſe, cujus ex converſione, & ἀποκατάστασιν ad eumdem locum, cœleſtis circuitus intervallum definierunt. ἵνα τινὰ τῶν ἐν τῷ ζωδιακῷ λαμπρὸν ἀστέρα παρατηρήσαντες ἀνατέλλοντα οἱ παλαιοὶ, &c. ubi & modum explicat, quo Zodiacus duodecim tributus in partes, ac tam ipſius, quàm ſingulorum ſegmentorum tempora, hoc eſt ἀναφοραὶ, ſive aſcenſiones conſtitutæ ſunt. quod ex eo auctore deſcripſit Macrobius Lib. I. in Som. Scip. Caput illius eſt; Chaldæis, qui ante duodenam partitionem ſeptem in cœlo ſparſa ſidera notarent, placuiſſe poſtea duodecim in partes totum dividere. Igitur ſplendidam aliquam ſtellam eos obſervaſſe, cujus ab ortu ad eumdem ortum converſionem ad clepſydram dimenſi ſunt. quaotum aquæ in ſubjectum vas ſtillatim deciderat, hujus unciam ad metiendam duodecimæ partis circuli ἀναφορὰν ſumpſerunt; eámque partem illuſtri aliqua ſtella terminarunt, quæ aut in eo ipſo circuli loco deprehenſa ſit, aut idem tempus habebat oriendi: Ἐκ ταύτης τῆς ἀναφορᾶς (ait Sextus) φασὶ δὲ τὸ δωδεκατημόριον τὸ πέρας τοῦ πέρατος ἐπισημειοῦσθαι ἀπὸ ἀστέρος πρὸς ἐπιφανοῦς κατ' αὐτὸ θεωρουμένου ἢ ἀπό τινος τῶν συνανατελλόντων βορειοτέρων, ἢ νοτιωτέρων. *Ex hac aſcenſione duodecimæ partis, ultimum terminum deſignabant ſtella quapiam inſigni, quæ in eo ipſo termino ſita erat; vel ab alia borealiorum, auſtraliorúmve, quæ ſimul exortum facerent.*

In æquinoctiali primùm dodecatemoria ex æquo diviſa.

Igitur ex diurna converſione ſtellæ, cœli circuitum dimenſos eſſe refert, atque hoc ſpatium duodecim æquales in partes diſtribuiſſe. Quare ex aſcenſionibus, & quæ tempora vocant artifices, atque in æquinoctiali circulo, non in obliquo, & Zodiaco, dodecatemoriorum longitudines initiò computarunt; tametſi ſegmentorum limites ſtellis quibuſdam, velut cardinibus, diſtinguerent. Hoc modo ſegmenta duodecim in Zodiaco fuerunt inæqualia; in æquinoctiali autem æqualia, contrà ac poſtea factum eſt. Nam hodie dodecatemoria in Zodiaco circulo ſunt æqualia, tam in recto, quàm in obliquo cœli poſitu; in æquinoctiali propter aſcenſionum diverſitatem, utrobique ſunt majora, vel minora. Quamquam Picus Mirandulanus Lib. VI contra Aſtrol. Cap. IV, Chaldæos ait ſignis uſos non eſſe, ſed imaginibus. Sed nihilominus inæqualitas illa conſtiterit. Siquidem imagines, ſive octavi orbis ſegmenta certis diſtincta ſideribus inæqualia ſunt; ut alia dodecatemorium ſuum non impleant; velut Cancer: excedant alia, & in vicina redundent: ut Leo; teſtibus Hipparcho, & Gemino. Sed ex Chaldæorum, & Ægyptiorum imagines à vulgatis Græcorum, & hodiéque pervagatis diverſæ fuerunt, ut Achilles Tatius in calce Prolegomenon teſtatur.

Varia Zodiaci & æquinoctialis partitio.

Hæc apud Chaldæos, & Ægyptios Zodiaci nata diviſio ſeriùs, uti dictum eſt, pervaſit in Græciam. Neque verò cum duodena iſta partitione ſtatim altera proceſſit, quæ ſegmenta ſingula tribuit in partes triginta. ac diverſæ admodum apud antiquos, maximè Græcos, diviſiones inſtitutæ ſunt. è quibus celeberrima fuit ea, quæ circulos in ſexagenas partes diſtribuit. cujus meminit Strabo Lib. II, ubi æquinoctialem in totidem dividit. & Achilles Tatius in Prolegom. Cap. XXVI; Hyginus Lib. I Aſtronomiæ Poët. Cap. de figuratione circulorum ſphæræ: *In triginta partes*, ait, *unumquodque hemiſphærium dividitur, ita uti dimenſio ſignificari videatur in tota ſphæra per LX partes facta.* Hoc modo ſigno cuilibet partes quinque: partibus ſingulis ſex gradus competunt. Aliter Poſidonius apud Cleomedem Lib. I, Cap. IX, ſigniferum totum in XLVIII partes dividebat, dodecatemorion quodque quadrifariam ſecans. Alii porrò dodecatemorio quovis in duodecim partes alias diviſo, totum Zodiacum in CXLIV partiti ſunt: ut Sextus Empiricus docet initio Libri V.

Poſtrema

Tandem eò progreſſa res eſt, ut tam æquinoctialis, quàm ſignifer circulus in duodecim partes, eæ in triginta minutatim ſecarentur: ut in toto circulo CCCLX numeratæ ſint. duodecimis quoque partibus utriuſque circuli nomina de ſtellatis imaginibus indita ſunt: quæ tum videlicet in illis continebantur. tametſi poſtea longiùs εἰς τὰ ἑπόμενα progreſſionem fecerint. Ac principiò quidem, nondum orbis ſtelliferi converſione cognita, ſimplicior erat aſtronomiæ ratio. Unus enim tantummodò cum æquinoctiali Zodiacus habebatur in octavo cœlo, quod & ſideribus diſtinguitur. Id enim primum, quod vocant, mobile apud antiquos fuit. Pòſt Hipparchus moveri in conſequentia cœlum illud animadvertit; ídque Ptolemæus deinde certiùs approbavit. Exinde ergo duplex Zodiacus ab artificibus diſtingui cœptus eſt. quorum alter uno, ſimplicique motu præditæ ſphæræ tributus eſt, in quo nulli aſteriſmi ſunt; ejúſque ſectiones iiſdem in dodecatemoriorum punctis cum æquinoctiali perpetuò fiunt. alter ei ſuppoſitus in orbe ſtellifero. cujus interſectionum puncta alia atque alia ſunt εἰς τὰ προηγούμενα. ac ζώδια, ſive aſteriſmi, paullatim εἰς τὰ ἑπόμενα nituntur, atque à cognominibus ſibi dodecatemoriis longiùs abſcedunt.

(right margin: ſtrema ſectio circulorum diviſio.)

(right margin: Zodiacus duplex.)

Itemtriplex.

Poſt hæc novus in cœleſtium orbium ſyſtemate motus inventus eſt: ſecundum quem Zodiacus, ſive ecliptica majorem, minorémve habet ab Æquatore diſtantiam, & obliquitatem. ex quo ſtellatus orbis ab auſtro in ſeptentriones torqueri; & à ſeptentrionibus ad auſtrum reflecti creditus eſt. Hinc igitur tertius additus eſt Zodiacus interjectæ ſphæræ, cujus propria eſt illa libratio. qui ab Zodiaco primi mobilis paullulùm declinat ad aquilonem, aut meridiem; ac ſibi proximè ſubjectum eadem agitatione contorquet. Sed eo prætermiſſo, quoniam veteris dumtaxat aſtronomiæ ratio hîc à nobis ducitur, duplici Zodiaco contenti erimus: quorum alter primi cœli peculiaris eamdem perpetuò declinationem ab æquatore, & in eodem puncto ſectionem obtinet. alter continuo in conſequentia progreſſus ſtellatas imagines defert. ac tam ſectiones cum æquatore aliis atque aliis in punctis facit; quàm dodecatemoria ipſa commutat. Ceterùm cùm de Zodiaco, ejúſque ſegmentis, quæ ſigna dicuntur, abſolute loquimur, priorem intelligimus, conſtantémque mobilis primi, vel ei reſpondentem in octava ſphæra Zodiacum. Hoc enim in iſta omni doctrina ſciri convenit; quicquid in ſuperioribus ſphæris circulorum, ſegmentorúmque methodi cauſsâ fingitur, idipſum eodémque modo, ad inferiores & ſubjectos accommodari; & ad ipſum adeo terræ globum quoſdam applicari, in quo ſuus itidem æquinoctialis informari ſolet, ac ceteri paralleli.

His animadverſis, cùm ſtellarum ſitus vel directè, vel tranſverſim conſiderari queat: hoc eſt ſecundùm longitudinem, ac latitudinem. quarum prior ab interſectione verna Zodiaci, & æquinoctialis incipit; poſterior polos verſus media ab ſphæra ſumitur: utrumque dupliciter æſtimari poteſt. Nam longitudo vel in æquinoctiali ſpectatur, qui duodecim tribuitur in partes, initio ab verna interſectione facto, deſignatiſque in eo partibus per maximos circulos, ſive coluros ſex, qui per mundi polos, & triceſimum quemque gradum tranſeunt. vel in Zodiaco; initio itidem ab interſectione verna ſumpto, ac per polos Zodiaci, ejúſque triceſimum quemque gradum abſolutum perductis circulis maximis. Latitudo quoque vel eſt ſtellæ ab æquinoctiali diſtantia; quam metitur arcus coluri, ſive maximi circuli à polo mundi per centrum ſtellæ ad æquinoctialem producti ſtellam inter, & æqoinoctialem interjectus. Vel ejuſdem ſtellæ eſt à Zodiaco diſtantia; ſive arcus maximi circuli per polos Zodiaci tranſeuntis, inter ſtellam interjectus & Zodiacum. Utroque modo latitudinem præſertim definiiſſe Veteres ſequens caput oſtendet. Nam de longitudine minùs conſtat, ecquid ea ſecundùm Zodiacum ab illis capta fuerit; cùm in æquinoctiali circulo computatam fuiſſe, ex Hipparcho ſequenti capite colligatur.

Poſt Ptolemæum longitudines ſtellarum ſecundùm Zodiacum putatæ ſunt. quarum Aſcenſiones rectæ prioris generis longitudines habentur. Ita Zodiacus in partes duodecim æquales, æquinoctialis in totidem inæquales diviſus eſt. Latitudo verò diſtantia ſtellæ eſt ab Zodiaco, ſive eclipticâ. Ab æquinoctiali verò diſtantia, non latitudo; ſed declinatio vulgò nominatur.

CAPUT

C A P U T II.

De longitudine, ac latitudine ſtellarum veterum aſtronomorum ſententia declaratur, utramque penes æquinoctialem circulum conſideratam fuiſſe.

QUod de ſtellarum longitudine capite ſuperiori diximus, eam apud Veteres ſecundum æquinoctialem accipi, id ex Hipparcho demonſtrabimus allatis aliquot exemplis: ex quibus priora illa veniant in medium quatuor, quæ in libro I, numero X leguntur: ubi Caput Urſæ majoris imprimis ſitum eſſe dicit in Leonis paullò minùs parte tertia, ſecundùm æquidiſtantem æquinoctiali circulum. Eſt autem Caput Urſæ borealior antecedentium duarum in laterculo, ex Veterum ſententia, qui nullas præter ſeptem τῆς ἁμάξης, in Helicees aſteriſmo collocarunt. Item poſtremam in cauda Draconis ſecundùm parallelum circulum eſſe in parte Leonis tertia. ὁ μὲν γὰρ ἐν ἄκρῳ τῇ κέρκῳ τοῦ δράκοντος ἐπέχει, ὡς κατὰ παράλληλον κύκλον, τοῦ λέοντος μοίρας γ΄. ὁ δὲ εἰρημένος ἀστὴρ ἐν τῷ πλινθίῳ ἐπέχει τοῦ λέοντος μικρῷ ἔλασσον τῶν γ΄ μοιρῶν. Utrumque falſum eſt, ſi in Zodiaco ſpectetur illarum ſtellarum ſitus. Nam prior, quæ Urſæ caput antiquis erat, Hipparchi tempore in Cancri 15 parte verſabatur. poſtrema caudæ Draconis in Cancri 10, 36′. Aſcenſio recta prioris fuit 122, 32′ anno Per. Jul. 4550. poſterioris paucis annis poſtea, fuit 123, 57′. Diviſâ utrâque per 30, conſiunt in priori, ſigna 4, 2, 32′. in poſteriori, 4, 3, 57′. Ita verum eſt quod ait Hipparchus de ambarum locis, ſi in æquinoctiali circulo ſecundùm aſcenſiones rectas; vel, quod idem eſt, in eo parallelo conſiderentur, quem ſtellæ diutno mutu delineant.

Rurſus eodem loco ſcribit Hipparchus, auſtraliorem ſuccedentium duarum in laterculo obtinere propemodum partem Leonis viceſimam quintam. Atqui locus ejus in Zodiaco fuit Hipparchi tempore in Leonis 0, 41′. Ergo ex Aſcenſione recta ſitus iſte computandus eſt; quam reperio graduum 145, 32′. His per triginta diviſis, fiunt ſigna 4, 25, 32′. hoc eſt Leonis paullò plus gradu viceſimo quinto, in æquinoctiali, vel æquidiſtante ei circulo.

Ibidem extrema caudæ Helices ſtatuitur in Chelarum, ſeu Libræ quarta parte. Locus erat in Leonis 27, 10′. Aſcenſio recta ſignorum 6, 4, 4′. planè ut Hipparchus voluit, in Libræ 4. Non igitur ad Zodiacum; ſed ad parallelum, æquinoctialémve, ſtellarum loca deſignantur.

Numero XII Hipparchus ait poſtremam caudæ minoris Urſæ ſitam eſſe in gradu Piſcium 18. Si Zodiaci ratio habeatur; erat Hipparchi tempore in gradu Tauri 29. Aſcenſio recta 346, 16′. quibus per 30 diviſis, conficiuntur ſigna 11, 16, 16′. hoc eſt gradus Piſcium 16, 16′, ſecundùm parallelum circulum. Jam quod idem aſſerit Num. XVI caput Urſæ minoris; ſive borealiorem antecedentium in laterculo plauſtri, ſitam eſſe in extremo Scorpii, id cum Zodiaci loco non convenit: qui fuit Hipparchi tempore in gradu Cancri 13, 15′. ſed cum Aſcenſione recta, quæ fuit Signorum 8, 1, 26′. ut hac ratione in Sagittarii 1 cenſenda fuerit.

Item in fine Libri I, Num. XXVII, ſcribit antecedentes in Hydri capite obtinere partem Cancri ampliùs 10. quod egregiè Aſcenſioni rectæ congruit: quam invenio Hipparchi tempore Signorum 3, 10, 12′. Ita ſtellas, quæ ſunt in Cephei capite, collocat idem in gradu ampliùs 10. Et nos Aſcenſionem rectam auſtralis deprehendimus Signorum 10, 10, 43′. Stellam ejuſdem aſteriſmi, quæ in ſiniſtro eſt humero, vel brachio, refert Hipparchus poſitam eſſe in gradu 25 Aquarii. Aſcenſio recta congruit, quæ eſt Signorum 10, 26, 26′. At in Zodiaco locus erat in Arietis 3, 48′. Ad hæc in ſiniſtra manu Bootæ antecedentem ſtellam locat ibidem in Chelarum parte amplius 13. Aſcenſio recta eſt Signorum 6, 11, 47′. Locus in Zodiaco, in Leonis 28, 38′. Præterea lib. II docet Hipparchus auſtraliſſimam in ſiniſtro pede Bootæ obtinere partem Libræ I. Hujus Aſcenſio recta mirificè obſervationi congruit. Nam eſt Signorum 6, 1, 27′. At locus in Zodiaco Hipparchi tempore in Virginis 19, 35′.

Plura his addere poteramus exempla: ſed hæc ipſa, quæ ſelegimus, ſatis id, quod volumus, oſtendunt, ſtellarum longitudinem ab Hipparcho ſtatui ſecundùm rectas Aſcenſiones in Æquinoctiali, ſive parallelo circulo; non, ut hodie fit, in Zodiaco.

Idem auctor declinationum ab æquinoctiali circulo perſæpè meminit: nuſquam autem latitudinis ab Zodiaco. Tametſi non dubito hujus etiam Hipparchum rationem habuiſſe; poſtquam circulum iſtum artifices in cœlo metati ſunt, & ejus obliquitatem animadverterunt. Sanè Hipparchus obſervat, Eudoxum, & Aratum illius exemplo in aſteriſmis deſcribendis, ab iis cœpiſſe, qui borealem habent à Zodiaco diſtantiam, hoc eſt latitudinem tum de auſtralibus egiſſe. quod & Hipparchus ipſe tenuit.

Quinetiam Geminus, qui octoginta circiter poſt Hipparchum annis floruit, non obſcurè ſignificat, ætate ſua tam longitudines ſtellarum, quàm latitudines, ad Zodiacum accommodatas eſſe. Nam initio libri aſſerit, Zodiacum in partes duodecim æquales, quæ ſunt Signa, diſtribui. qua ratione dividi neceſſe eſt æquinoctialem in partes inæquales. atque idem nihilominus parallelorum circulorum meminit, quos æquidiſtantes ab æquinoctiali ſtella diurno circuitu deſignat. Quocirca veriſimile eſt antiquos utroque modo ſtellarum longitudines, ac latitudines putaſſe; pro eo atque ad inſtitutam πραγματείαν expediret. Niſi enim latitudinem illarum ab Zodiaco interdum adhibuiſſent, non diſtinguerent boreales earum ſitus ab auſtralibus ſecundùm Zodiacum; ſed æquinoctialem dumtaxat: à quo ſolo latitudines earumdem repeterent. Hinc falſum eſſe conſtat, quod Joſephus Scaliger Capite primo Libri de Anticip. Æquin. affirmat; ante Ptolemæum nullam aliam ſtellarum longitudinem, vel latitudinem in uſu fuiſſe, quàm quæ penes æquinoctialem ſumitur: primum autem Ptolemæum ad Zodiacum utramque tranſtuliſſe. Atqui Geminus, qui ducentis amplius annis Ptolemæum præceſſit, tam longitudines ſtellarum, quàm latitudines in Zodiaco deſcriptas eſſe ſæculo ſuo, planiſſimè declarat; ut paullò ante demonſtravimus. Hipparchum autem, & Eudoxum idipſum uſurpaſſe nonnumquam, imprimis quod latitudines attinet, eodem conjecturæ genere licet aſſequi. Nihil eſt enim aliud boreales ſtellas, auſtraléſve dici quæ à Zodiaco verſus aquilonem, aut meridiem recedunt, quàm ab eodem Zodiaco latitudinem habere borealem auſtralemve. At prius ab Eudoxo, ceteriſque, quod jam diximus, uſurpatum eſſe liquet. Igitur & hoc quoque genus latitudinis agnoverunt, quod ab Zodiaco ſumitur. Nullum; quod meminerim exemplum ab Hipparcho memoratur ex Eudoxo, in quo ſitus ſtellæ nominatim exprimatur. Nam quod Libro I, Num. XII caput Urſæ majoris ex Eudoxi ſententia collocare videtur in parte Leonis duodecima; aliter ſeſe res habet. Ut enim integer ſit locus; non ipſum Caput Urſæ conferri dicit ab Eudoxo in partem duodecimam Leonis: ſed eam ſtellam, quæ ſecundùm Eudoxum Urſæ caput erat, Hipparchus ipſe ex ſententia ſua in eo gradu collocare videtur ἡ γὰρ κατὰ τὸν Εὔδοξον κεφαλή. *quam verò ſtellam Eudoxus Caput Urſæ conſtituit.* Etenim Urſæ caput utriuſque alibi Eudoxum, & antiquiores omnes ſtatuiſſe, quàm ubi hodie ponitur, Hipparchus exiſtimat, nimirum utrobique borealiorem duarum in laterculo præcedentium caput appellaſſe; de quo paullò pòſt agetur. Adde nondum videri Eudoxi ſæculo inſtitutam Signorum in partes triginta diviſionem; vel circuli totius in 360.

Ac ne ille quidem ſincerus eſt locus. ſed ei mendum ſubeſt. ut omninò ſcripſerit Hipparchus: ἡ γὰρ κατὰ τὸν Εὔδοξον κεφαλὴ τῆς μεγάλης ἄρκτου κατὰ τὸ δωδεκατημόριον τοῦ λέοντος. Cùm eſſet, τὸ ιβ΄ μορ. putavit legendum ιβ΄ μοιρ. adeóque τὴν ιβ΄ μοιρ. quaſi in duodecima parte poneretur. maximè cùm proximè antè, ἰχθύων μοιρ. ιβ΄ ſcriptum eſſet. Verùm Hipparchus plus ſemel docuit in tertia Leonis parte, non duodecima, ſitum eſſe caput Urſæ majoris. neque à ſeipſo, atque ab rei veritate tantopere diſſenſiſſe hoc loco credendus eſt, ut in duodecima parte ſtatueret.

Hipparchum verò, non in ſolo æquinoctiali ſtellarum longitudines; ſed etiam in Zodiaco alia ratione, uſúque contemplatum eſſe, ex Libro ejus ſecundo, ac tertio probari poteſt; ubi de συνανατολαῖς, & συγκαταδύσεσι ſiderum diſputans, apertè Zodiacum in duodecim partes

Geminus latitudinem ſtellarum à Zodiaco ſumpſit.

Falſa Scaligeri ſententia.

Hipparchi caſtigatio.

partes æquales; ſingulas earum in triginta diſtribuit; eámque partitionem ab initiis Signorum procedere tam ex ſua, quàm ex Veterum ſententia declarat. Atqui ſi in æquinoctiali ſolo longitudines obſervatæ fuiſſent, non eſſet in partes æquales ſectus Zodiacus; neque ſingula dodecatemoria triccnis conſtarent partibus.

Quo etiam argumento de Eudoxi ſententia conjecturam capere poſſet aliquis, duodecim ab illo Signa in Zodiaco, ut de æquinoctiali taceam, collocata, diſtributáque eſſe. Etenim Hipparchus Libro I, Num. XII poſtremam caudæ minoris Urſæ ait in Piſcium octavadecima parte poſitam eſſe. at ſecundùm inſtitutam ab Eudoxo diviſionem Zodiaci, in tertio gradu Arietis. ὡς δὲ Εὔδοξος διαιρεῖ τὸν ζῳδιακὸν κύκλον, κατὰ τὴν γ' μοι. τοῦ κριοῦ. Ita enim caſtigandum eſſe locum iſtum Capite V ſequenti demonſtrabitur. Verùm ſi ad Zodiacum eum, qui propriè vocatur, calculus iſte referatur, non in octavodecimo gradu Piſcium, ſed Tauri viceſimo nono ſtella iſta verſabatur, ut ſuprà docuimus. Neceſſe eſt ergo Zodiacum circulum pro æquinoctiali ab Hipparcho accipi. Nam ad æquinoctialem, parallelúmve æquinoctiali circulum ſitus ille ſtellæ congruit. Quocirca mirus iſte locus eſt Hipparchi: ſi quidem æquinoctialem cum Zodiaco promiſcuè uſurpaſſe monſtrat antiquos. Etenim uter è duobus iſtis circulis in partes æquales dividatur, alterum oportet inæqualiter eſſe partitum. Cùm ergo demonſtratum ſit, ab Hipparcho, in illa contra Eudoxum diſputatione, circulum æquinoctialem in XII Signa diſtribui, ad eúmque ſtellarum referri longitudines; inæqualia eſſe Zodiaci ſegmenta neceſſe eſt; quæ propriè ζῴδια nominantur. Verùm tam æquinoctialis dodecatemoria ζῴδια vocantur in calce libri primi ab Hipparcho, quàm circulus idem ille Zodiacus. Nihilominus & is, quem propriè Zodiacum appellamus, quíque ſtellata ſigna ſuſtinet, æqualiter in duodecim ζῴδια, partéſque CCCLX ab eodem Hipparcho libro II, & III tribuitur. Unde verum eſt, quod ſuprà docuimus, duplici ratione, ac duobus in circulis, ſignorum partitionem ab antiquis artificibus inſtitutam fuiſſe. quod præfractè negat Scaliger. cujus & alia longè capitaliora in libro de Anticipatione æquin. paullò pòſt excutiemus.

Hanc Hipparchi hallucinationem aſteriſmos, ſive ſtellata ζῴδια cum dodecatemoriis cognominibus promiſcuè capientis alii ſimiliter expreſſerunt. Scribit enim Arati Scholiaſtes ad illa verba,

Κρατὶ δὲ οἱ Δίδυμοι, μέσσῃ δ' ὑπὸ καρκίνος ἐστί.
Ποσσὶ δ' ὑπ' ἀμφοτέροισι λέων ὑπὸ καλὰ φαείνει.

in quibus Urſæ majori ſubeſſe dicit Geminos illius capiti reſpondentes; ventri Cancrum: pedibus Leonem. Ad hæc Scholion obſervat, quoſdam Aratum reprehendere, quòd Urſæ, quæ gradus non ampliùs triginta porrigitur, ſubtendi nonaginta gradus, hoc eſt tria dodecatemoria ſignificet. quam ad objectionem nugarum neſcio quid expromit. Nihil enim dicit, quod indictum non meliùs ſit. Sed nimirum hoc illud eſt, quod monui; putaſſe qui ſic objiciebant, Aratum Geminorum, Cancri, & Leonis vocabulis intellexiſſe dodecatemoria; cùm de ſtellatis figuris loquatur. Nam hoc poſteriore ſenſu verum eſt, quod Aratus docuit, uti contra Hipparchum oſtendimus. Quis non miretur adeò occæcatos fuiſſe priſcos illos, & inſignes aſtronomos, & eorum principem Hipparchum, ut iſta non viderint? Sed erroris anſam ex eo ceperunt, quòd ipſorum tempore ſtellatæ ſignorum effigies ejuſdem nominis dodecatemoria tenebant. ideò lubrica tunc erat, & opportuna fraudi mutua vocabulorum communio: quod hodie minùs accidit, propter ſphæræ octavæ, & aſteriſmorum in ea προηγήσεων. qua factum eſt, ut pleraque ζῴδια extra ſua dodecatemoria conſiſtant.

CAPUT III.

Eudoxi ſententia, contrà atque Hipparchus putavit, expoſita. Ejuſdem Hipparchi error dodecatemoria cum aſteriſmis confundentis. Aratus, & Servius illuſtrati.

Hippar. pag. 110. HIPPARCHUS initio Libri II auctor eſt, antiquiores Mathematicos aut omnes, aut pleroſque, cardines Solaris circuitus Zodiaci Signorum initiis attribuiſſe: idque Aratum in opere ſuo ſecutum. καὶ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων δὲ Μαθηματικῶν πάντων σχεδὸν, ἢ τῶν πλείστων, τοῦτον τὸν τρόπον ὁ ζῳδιακὸς κύκλος διῄρηται. *Atque hac ratione Zodiacum circulum Mathematici propemodum omnes, aut plerique partiti ſunt.* Conſtat tamen interdum alibi, quàm in Signorum principiis, æquinoctia, & Solſtitia collocari quondam ſolita fuiſſe. neque id conſtanter. Nam alii in principia, (ait Achilles Tatius Cap. XXIV) alii in octavas partes; alii in duodecimas, alii in quintaſdecimas; hoc eſt media in Signa conferebant.

Eudoxum Mathematicum inſignem, qui Metonis ætate vixit, cardines ipſos in mediis Signis poſuiſſe accuratè probat Hipparchus Lib. II, allatis ipſinſmet Eudoxi verbis. quæ ſi quis expendere nobiſcum velit; haud facilè Hipparcho de Eudoxi opinione illa conſentiet. Nam longè alia, quàm putavit Hipparchus, mihi quidem in illis locis velle Eudoxus videtur. Hippar. Pag. 112.

Verba Eudoxi: Δεύτερος δέ ἐστι κύκλος, ἐν ᾧ θεριναὶ τροπαὶ γίνονται. ἔστι δὲ ἐν τούτῳ τὰ μέσα τοῦ καρκίνου. *Secundus verò circulus eſt, in quo eſt ſolſtitium æſtivum. In eo porrò Cancri media ſunt.* Item, τρίτος δέ ἐστι κύκλος, ἐν ᾧ αἱ ἰσημερίαι γίνονται. ἔστι δὲ ἐν τούτῳ τά τε τοῦ κριοῦ μέσα, καὶ τὰ τῶν χηλῶν. τέταρτος δὲ, ἐν ᾧ αἱ χειμεριναὶ τροπαὶ γίνονται. ἔστι δὲ ἐν τούτῳ τὰ μέσα τοῦ αἰγόκερω. *Tertius verò circulus eſt, in quo fiunt æquinoctia. in eo media ſunt Arietis, & Chelarum. Quartus autem, in quo ſolſtitium eſt hibernum. In eo verò ſunt media Capricorni.* Rurſus idipſum & alio Eudoxi teſtimonio demonſtrari ait apertiùs; in quo de Coluris agens; alterum ſcribit continere τὸ μέσον τοῦ καρκίνου, *medium Cancri*, & τὸ μέσον τοῦ αἰγόκερω, *medium Capricorni.* alterum verò, Chelarum & Arietis media. Hæc unica ſunt de Eudoxo Hipparcheæ ſuſpicionis argumenta. quæ non valdè mihi perſuadent; imò contrarium potiùs iis ex locis, atque ex ipſomet Hipparcho probare poſſe videor.

Sic igitur æxiſtimo: non de Signis ipſis, ſive dodecatemoriis in Zodiaco, vel æquinoctiali primi cœli deſcriptis illic Eudoxum agere; ſed de ſtellatis imaginibus, & aſteriſmis: quos tametſi in primo mobili ætas Eudoxi collocavit: quod tum nullus peculiaris ſtelliferi cœli orbis motus ab artificibus notatus eſſet; ut à ſupremo orbe diſtingui mereretur. ut ex Ariſtotele conſtat Lib. II de cœlo, Cap. XII. tamen cum ejuſdem primæ ſphæræ dodecatemoriis minimè paria facere credebantur: ſed diſtincta erant invicem: ut alius eſſet Aries, hoc eſt imago picta ſtellis, Arietis; aliud Signum, ſive ſegmentum Arietis; aut duodecima pars, non ſolum Zodiaci, ſed multò magis æquinoctialis circuli: in quo priùs, quàm in illo, duodecim ſigna conſtituta ſunt. qua de re paullò pòſt agetur. Doceo primùm Eudoxum illis omnibus in locis, quæ media vocat Arietis, Cancri, Libræ, & Capricorni, ſtellatarum imaginum, & aſteriſmorum media nominare. Hoc verò non aliunde, quàm ex ipſiſmet Eudoxo, & Hipparcho declarabitur. Eudoxus contra Hipparchum exponitur.

Etenim illa Eudoxi verba, ex quibus argumentatus eſt Hipparchus, eadem aliis in locis, ſed pleniora perſcripſit; cùm de parallelis ab Eudoxo deſcriptis circulis ſermonem inſtituit. Velut Libro I, Num. III, de Tropico circulo: Ἔστι δὲ ἐν τούτῳ τὰ μέσα τοῦ καρκίνου, καὶ τὰ διὰ τοῦ σώματος κατὰ μῆκος τοῦ λέοντος, &c. *Sunt autem in illo Cancri media, & quæ per corpus Leonis ſecundùm longitudinem tranſeunt.* Subjicit anguis Ophiuchi cervicem; dextram manum Ingeniculi; & alia ſidera, quæ circulus iſte pervadit. οὕτω συμπίπτει πρὸς τὰ μέσα τοῦ καρκίνου. *denuum in eadem Cancri media revolvitur.* De hiberno quoque Tropico, Ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ τὰ μέσα τοῦ αἰγόκερω, καὶ οἱ πόδες τοῦ ὑδροχόου, καὶ τοῦ κήτους ἡ οὐρά, καὶ τοῦ ποταμοῦ ἡ καμπή, &c. *Sunt autem in ipſo media Capricorni; & pedes Aquarii; & cauda Ceti; & Fluvii flexus.* Addit Leporem, & Canis pedes, & cetera, donec per Sagittarium ad eadem Capricorni media perveniat. Præterea Libro eodem, Num. XXII, ac deinceps, Hipparchus Tropicos duos, & Æquinoctialem ex Eudoxi ſententia deſcribit, ac cœleſtes imagines recenſet, per quas illi tranſeunt. Velut Tropicum æſtivum per Cancri ac Leonis media trajici: Æquinoctialem per Arietis media, Chelarumque partem aſſerit. Ex quibus perſpicuum eſt, Eudoxum aſteriſmos intellexiſſe, ac figuras cœleſtes. Ut enim cùm Tropicum æſtivum ait per Leonem medium ſecundùm longitudinem tranſire, pérque conſtellationes ceteras; itémque Tropicum æſtivum per Sagittarium, Cetum, Fluvium,

Fluvium, &c. non dodecatemoria circuli ullius, ſed ſtellatas effigies deſignat. ita cum per Cancrum, Capricornum, Arietem, & Chelas eoſdem meare circulos dicit; non ſigna ipſa, ſive dodecatemoria; ſed aſteriſmos intelligit. Sed omnem tergiverſationem ſummovet Eudoxus ipſe, dum illa ipſa, per quæ tranſire circulos ait, ἄστρα nominat, quæ nihil aliud, quàm aſteriſmos, & imagines ſignificant. Achilles Tatius in Phænomena cap. XIV, ἄστρον δὲ τὸ ἐκ πολλῶν ἀστέρων σύστημα; *ſyſtema plurium ſtellarum* aſtrum eſſe vult. Idque Arati teſtimonio confirmat. At Eudoxus, Hipparcho teſte, de Coluris loquens, ἔστι δὲ, ait, ἐν τούτῳ ἄστρα τάδε· ὅ τε πόλος ὁ ἀεὶ φανερὸς τοῦ κόσμου· εἶτα τὰ μέσα τῆς ἄρκτου κατὰ μῆκος· καὶ τοῦ καρκίνου τὰ μέσα. *Sunt autem in iis hæc aſtra: primùm ſemper apparens polus mundi. Deinde medium Urſæ in longitudinem: & Cancri medium.* ac ſubinde caudam notii Piſcis, & medium Capricorni adjicit. Hæc de coluro ſolſtitiorum. de altero loquens ſcribit, in eo contineri inter alios aſteriſmos, τὰ μέσα τῶν χηλῶν κατὰ πλάτος, καὶ τοῦ κριοῦ τὰ νῶτα κατὰ πλάτος: *media Chelarum in latum, & Arietis terga itidem in latum.* Quid dici clarius poteſt, ut appareat Eudoxum cùm media Chelarum, Arietis, ac ceterorum appellat, imagines ipſas exprimere? Nam τὰ νῶτα, *terga*, & *latitudo*, nonniſi de figuris uſurpari poſſunt. Media quippe Signorum ſive dodecatemoriorum, per ſe ἀνάστερα ſunt; neque *terga* dicuntur habere, neque latitudinem; ſed ſola longitudine cenſentur.

Hippar. Lib. I. Num. III. Quid quod Hipparchus ipſe Eudoxi teſtimonia citaturus, aſtra illa vocat, & ἀστέρας, cùm Aratum ait Eudoxi imitatione τὰ ἄστρα ſic diſtribuere, ut à borealioribus inciperet? Mox: περὶ δὲ τῶν ἀστέρων τῶν ἐπὶ τοῦ θερινοῦ καὶ χειμερινοῦ τροπικοῦ φερομένων· ἔτι δὲ τοῦ ἰσημερινοῦ, ὁ μὲν Εὔδοξός φησιν ἐπὶ τοῦ θερινοῦ οὕτως· Ἔστι δὲ ἐν τούτῳ τὰ μέσα τοῦ καρκίνου. *De ſtellis verò, quæ in æſtivo tropico feruntur; nec non in circulo æquinoctiali, Eudoxus quidem de æſtivo ita loquitur: Sunt autem in hoc media Cancri.* Eodem genere ſermonis utitur in hiberno tropico & æquinoctiali. Proinde aſteriſmos, & ſtellatas formas, non ſigna, duodecimáſve Zodiaci partes, aut æquinoctialis Eudoxus indicat, quarum media iis ipſis ſecari circulis refert. Adde optimum Eudoxi interpretem Aratum, qui & ipſum in omnibus ſecutus eſt; vel, ut Hipparchus loqui ſolet, παρεγγεγράφθαι: nec aliter, ac nos facimus, mentem illius accepit. Nam de Tropico ſcribit, ipſum Leonem ſub pectore, ac ventre ſecare: Cancrum verò totum bifariam partiri.

> ——— ——— ——— αὐτὰρ ὁ κύκλος,
> Τὸν μὲν ὑπὸ στῆθος, καὶ γαστέρα μέχρις ἐπ' αἰδῶ,
> Τέμνει δ' ἠλιτενέως ὑπένερθε χελείης
> Καρκίνον. ἧχι μάλιστα διχαιόμενόν κε νοήσαις
> Ὀρθόν, ἵν' ὀφθαλμοὶ κύκλου ἑκάτερθεν ἴωσιν.

Quæ ſic vertit Avienus:

> ——— ——— ——— *at circulus ima calentis*
> *Pectora, pérque alvum procul in poſtrema Leonis*
> *Succedit. ſecat aſt alius per viſcera plana;*
> *Et medio ſubter cava tegmina dividit orbem*
> *Lumina recludens altrinſecus orbita porrò.*

De hiberno quoque tropico ſcribit, eum Capricornum medium dividere, atque Aquarii pedes, caudámque Ceti;

> *Dividit imbriferi corpus medium Capricorni.*
> *Idaíque pedes pueri, poſtremáque cauda,* &c.

ut vertit Avienus. Hîc verò citra controverſiam Cancer, & Capricornus non ſigna, ſive dodecatemoria, ſed imagines ſunt. Nam & χέλειον, ſive *teſta* non aliter accommodari Cancro poteſt: & cùm Aquarium perinde ab hiberno Tropico ſecari, ac Capricornum aſſerat, non poteſt ad dodecatemorium referri. Quippe Tropicus circulus Aquarii ſignum neque dividit, nec attingit omnino. Sed neque illa ipſa, quæ contingunt, ſigna circuli iſti partiuntur bifariam. Sic de æquinoctiali Aratus idem:

> Σῆμα δέ οἱ κριός, ταύροιό τε γούνατα κεῖται.
> Κριὸς μὲν κατὰ μῆκος ἐληλαμένος διὰ κύκλου·
> Ταύρου δὲ σκελέων ὅσση περιφαίνεται ὀκλάξ.

> *Signum autem ei Aries: Taurique genua ſita ſunt:*
> *Aries quidem in longum ductus per circulum:*
> *Tauri verò crurum quanta apparet inflexio.*

Ut genua Tauri ad aſteriſmum ejus pertinent; ſic Arietis corpus ab æquinoctiali circulo ſecundùm longitudinem diviſum ad imaginem Arietis, non ad dodecatemorium, neceſſe eſt referri. quemadmodum Hipparchus ipſe docet Lib I, Num. XXV, ubi Arati, & Eudoxi de cardinalibus iiſce ζωδίων decreta probat excepto quod de Ariete dictum eſt. qui totus æquinoctiali circulo borealior eſt. At Cancrum & Leonem medios trajici ab æſtivo tropico rectè illos ſentire aſſerit. Vide reliqua illius loci. in quibus, quod valdè mirum eſt, apertiſſimè ſignificat, à ſe Eudoxi, Aratíque dicta ad ſtellatas effigies applicari.

Denique ſive in æquinoctiali; ſive in Zodiaco ſigna cœleſtia conſtituerit Eudoxus: de qua re capite ſuperiori dictum eſt: neque in ipſius Eudoxi allatis ab Hipparcho verbis: neque apud Aratum, Aries, Cancer, Chelæ, Capricornus, de ſignis ac dodecatemoriis explicari queunt. Nam ſi in æquinoctiali deſignentur; neuter Tropicorum ea contingere, nedum dividere poteſt. ſi in Zodiaco; ut de Tropicis taceam: certè æquinoctialis Arietem, non ſecundùm longitudinem, τοῦ μήκους ἐληλαμένον partietur; ſed tranſverſum, & τοῦ πλάτους. ſi quidem ſectiones æquinoctialis & Zodiaci ab Eudoxo, ut putat Hipparchus, mediis in ſignis locantur.

Non abſimili, ut equidem reor, ὁμωνυμίᾳ inductus Hipparchus Eudoxum, Aratum & Attalum traduxit Num. X libri primi, quòd ſub capite majoris Urſæ Geminos ſtatuunt: ſub Urſa media, Cancrum; ſub poſterioribus pedibus, Leonem. Ubi de aſteriſmis ſine dubio loquuntur. Nam Arati verſus, quos citat Hipparchus, non aliter intelligi poſſunt. At Hipparchus id ex eo refellit, quòd caput Urſæ ſit in Leonis parte tertia, nimirum in dodecatemorio Leonis, quod in æquinoctiali, vel parallelo reponit. Hoc verò argumentandi genus alienum eſt, & in ὁμωνυμίᾳ conflictatur. Sed de hoc Hipparchi loco pluribus agetur capite tertio libri tertii. Hipparchi hallucinatio.

Ad extremum ſimilis ambiguitas fucum Servio fecit in Commentariis ad I Georg. ubi hæc enarrans, Servii lapſus.

> *Quâ locus Erigonem inter, Cheláſque ſequentes,*

quædam adnotat, quæ hîc referre melius fuerit. *Ægypti*, inquit, *duodecim eſſe aſſerunt ſigna: Chaldæi verò undecim. Nam Scorpium, & Libram unum ſignum accipiunt. Chelæ enim Scorpii Libram faciunt. Iidem Chaldæi volunt æquales eſſe partes in omnibus ſignis: ſed pro qualitate ſui, aliud ſignum XX, aliud XXXX habere: cùm Ægyptii tricenas eſſe partes in omnibus velint. Modò ergo ſecundùm Chaldæos locutus eſt, dicens poſſe eum habere locum inter Scorpium, & Virginem.* Signa dupliciter uſurpantur. Aut enim dodecatemoria ſunt Æquinoctialis, vel Zodiaci. aut aſteriſmi, quæ ἐσχηματισμένα ζῴδια vocat Hipparchus. Horum quædam dodecatemorio ſuo minora, quædam majora ſunt, & in vicina redundant. ut ſuprà diximus. Hæc cùm legiſſet alicubi Grammaticus, Signorum genera illa duo permiſcuit; & rem prorſus abſurdam, & inextricabilem docuit, ſigna omnia æqualibus deſcripta eſſe partibus; & tamen aliud tricenis, aliud quadragenis *pro qualitate ſui* conſtare. Priore modo Signa ſunt dodecatemoria: poſteriore, aſteriſmi, quorum alii pauciores, alii plures occupant partes. Sic aſteriſmi Scorpii pars eſt Chelarum aſteriſmus. ut hac ratione undecim tantùmmodò ſint ἐσχηματισμένα ζῴδια, ſeu figuræ ſtellatæ apud Chaldæos. Nam Ægyptii, qui pro Chelis Libram poſuerunt, legitimum numerum obtinebant. Signa quidem, utrique duodecim adhibuerunt. Ceterùm Virginis aſteriſmus olim Leonis, & Libræ partes, præter juſtam portionem, occupabat. Inter hanc verò, & Chelas Scorpii, quæ in Libræ dodecatemorio verſabantur, vacuum eſt intervallum, quod ad idem Libræ dodecatemorion pertinebat. quo in ſpatio ſedem indigeti Auguſto deſtinat Virgilius. Ea mens Poëtæ fuit, quam non aſſequitur Servius. At Martianus Capella Lib. VIII, cap. de Fixis ſignis, rectè hoc, quod docuimus, explicat his verbis;

verbis: *Hæc diſcernit Zodiacus: qui quidem æquales duodecim Signorum integrat portiones. Sed undecim habet Signa. Scorpius enim tam ſuum ſpatium occupat corpore, quàm Chelis occupat Libra.*

CAPUT IV.

De Veterum opinione ſuper annuis Solis cardinibus, & qua ratione alibi quàm initiis Signorum collocati fuerint. Columella notatur. Sothiacæ Periodi inſignis epocha.

QUONIAM mediis in Signis ab Eudoxo conſtitutos eſſe cardines nequaquam, ut putavit Hipparchus, ex illius verbis conficitur, inquiramus modò quanam in parte defixerit; tum quæ ratin ab illis inita ſit, qui alibi, quàm in initiis Signorum, cardines illos eſſe ſciverunt.

Geminus Capite XVI, quarto die, quàm in Capricornum Sol eſt ingreſſus, ſolſtitium hibernum ex Eudoxo fieri ſcribit. vernum autem æquinoctium, ſexto die ἐν κριῷ. Idem auctor ex Euctemonis ſententia ſolſtitium hibernum primo die committi refert: nec non autumnale æquinoctium. Ex Calippo verò quatuor ipſos cardines nominatim Signorum initiis contineri. Verùm Columella Lib. IX, Cap. XIV, Metonem, & Eudoxum, ac veteres aſtronomos ſcribit in octavis partibus Signorum ſolſtitia, & æquinoctia poſuiſſe: Hipparchum, mutata ratione, in Signorum initia contuliſſe. *Nec me fallit*, inquit, *Hipparchi ratio, quæ docet ſolſtitia, & æquinoctia non octavis, ſed primis ſignorum partibus confici. Verùm in hac ruris diſciplina ſequor nunc Eudoxi, & Metonis, antiquorúmque faſtus aſtrologorum; qui ſunt aptati publicis ſacrificiis; quia & notior eſt iſta vetus agricolis concepta opinio. Nec tamen Hipparchi ſubtilitas pinguioribus, ut aiunt, ruſticorum litteris neceſſaria eſt.* Hipparchum ecce facit auctorem ejus inſtituti, quod principiis Signorum cardines accommodat; cùm Veteres octavis partibus adſcriberent. in quo partim ab Gemino, partim ab Hipparchn ipſo diſſidet. Nam Geminus nuſquam in octava cujuſquam Signi parte conſtitutos eſſe cardines ait. Hipparchus autem, ut ſuperiori capite vidimus, ab Arato, & antiquis ferè omnibus Mathematicis in Signorum initia collatos eſſe docuit. Non dubito, quin Hipparchi potior hac in re, quàm Columellæ, ſit fides: ut qui tanto & antiquior, & harum rerum intelligentior; & in aſtronomorum veterum lectione detritior, quàm Columella, fuerit. Et tamen hujus auctoritate plerique omnes adducuntur hodie, ut antiquiſſimis ſæculis exiſtiment octavis partibus Signorum æquinoctia, & Solſtitia ab aſtronomis mandari ſolita. quod præ ceteris enixè tuetur Scaliger. imo unicum id ille fundamentum ei doctrinæ ſubſtruit, quam de Græcorum, ceterorúmque populorum annis explicavit. Sed neque funditus negaverim fuiſſe, qui ante Hipparchum cardiues aliò, quàm in Signorum initia contulerint. quod Geminus, Columella, Achilles Tatius, aliique confirmant; & à Julio Cæſare, ex communi utique, ac recepta ſententia, idem in annum ſuum eſſe tranſlatum perinde omnes ſentiunt. quod quemadmodum ab iis inſtitutum fuerit; & qua ratione inter ſe conciliari Scriptorum illa diſſidia poſſint, deinceps aperiemus.

Columellæ error.

Duobus omninò modis fieri arbitror potuiſſe, ut ab antiquis Mathematicis æquinoctia, & Solſtitia alibi, quàm in ipſis Signorum exordiis, conſtituta fuerint. Nam aut reipſa, & ex arte judicióque ita pronunciarunt; aut cùm de exactiore cardinum ſitu aliter exiſtimarent; populorum uſibus, ac ſenſibus alterum illud minùs accuratum cardinum genus indulſerunt. Ut à priore ordiar; repetenda illa ſunt imprimis, quæ de Chaldæis & Ægyptiis tradidimus Capite primo; quanam videlicet ratione Signorum cœleſtium partitionem inſtituerint. Inſignem enim quampiam notarunt in cœlo ſtellam, à cujus emerſione primum dodecatemorium in æquinoctiali circulo deſignarunt. quo initio conſtituto, deinceps circuli totius anaphoricum tempus horarum quatuor & viginti, duodecim in partes ex æquo diviſerunt: quarum ſingulas aliis itidem ſtellis ſive in Zodiaco, ſive extra ipſum poſitis, & iiſdem momentis orientibus, velut ſignis, ac limitibus deſcripſerunt. Ita quippe Sextus Empiricus docet, primi dodecatemorii deſignatn principio, cetera æquabili partium æquinoctialis diviſione eſſe numerata. Quamobrem qui bona fide, ac ſeriò cardines in mediis Signis, vel octavis, aliíſque partibus fixerunt, veriſimile eſt eos initium primi dodecatemorii non ab ipſa æquinoctialis, & Zodiaci interſectione cepiſſe; ſed aliquanto antè ſpatio. quod in reliquis deinde ſervatum eſt. Cùm autem ab inſigni aliqua ſtella vernæ tempeſtatis initium auſpicati ſint, uti diximus; eligatur ſtella illa, quæ in præcedente cornn eſt Arietis. Ea ex accuratiſſima Tychonis obſervatione anno Chriſti MDC ſita erat in gradu Arietis 27, 36′. cujus latitudo graduum eſt 7, 8′. Quoniam verò ſtellatus orbis in conſequentia movetur, & annis circiter duobus & ſeptuaginta gradum abſolvit unum; inde ſequitur ante aliquot ſæcula in ipſum vernæ ſectionis punctum incidiſſe ſtellam iſtam, ac ruſſus antiquioribus ſæculis illud anteveniſſe. Verùm non tam loci ipſius, qui in Zodiaco ſtellæ competit, quique latitudinis circulo deſignatur, quàm aſcenſionis illius obliquæ ducenda ratio eſt; ut quam in partem dodecatemorii æquinoctium incurrerit, æſtimare poſſimus.

Duplex ratio ſecundùm quam ante cardines Signorum initia locata ſunt.

Scribebat ad me Godefridus Vendelinus vir aſtronomiæ cumprimis peritus, circa annum ante Chriſti æram 1263, qui eſt Per. Jul. 3450, videri tempus illud fuiſſe, quo aſcenſio primæ Arietis ſtellæ quindecim gradibus antecedebat æquinoctium vernum. quo etiam tempore Neomenia Thoth, & ortus Caniculæ, & Solſtitium, ac novilunium in eumdem diem inciderunt, qui erat Julii quintus, idque in Heliopolitano tractu. quod ad memoriam poſteritatis inſigne initium dedit Sothiacæ periodn, cujus meminit Clemens Alexandrinus Strom. I. ubi trecentis quadraginta quinque annis poſt migrationem Iſraëlitarum ex Ægypto, periodum hanc cœpiſſe ſcribit. Ita in Græco. At Interpres quadringentos poſuit. Per idem tempus erat prima ſtella Arietis in gradu Piſcium 17, 12′, & æquinoctiale punctum antecedebat gradibus 12, 48′, hoc eſt temporibus aſcenſionalibus quindecim. Sanè iſto ipſo anno primam Arietis ex methodo noſtra deprehendimus in Piſcium 17, 50′. Aſcenſio recta graduum 346; obliqua verò Memphi, aut Heliopoli, graduum 345, 6′. ita ut quindecim gradibus æquinoctium antecedat. Novilunium verum in eodem tractu commiſſum eſt Julii IV, hora 12, 46′, cùm locus verus Solis eſſet in Geminorum 29, 19′. Quare ſequenti die, hora quinta matutina in ipſo Cancri Solſtitio fuit. In eodem Cancri gradu primo verſabatur & Sirius. qui tum ortum matutinum cum Sole faciebat prima die Thoth, quæ in eumdem incidit diem.

Godefridi Vendelini obſervatio.

Non dubium eſt, quin admirabilis hic rerum quatuor in idem tempus concurſus, Neomeniæ Thoth, lunæ ipſius; ortus Sirii, & Solſtitii; apud Ægyptios ſingularem obſervationem meruerit. ut hæc proinde inſignis epocha fuerit. tametſi nulla ejus in monimentis Veterum memoria ſuperſit. Atque ille demùm annus ante Trojanum excidium centeſimus; poſt migrationem ex Ægypto, ducenteſimus viceſimus ſeptimus putatur in noſtra Chronologia. à quo jure quidem Sothiaca periodus inchoari potuit.

Illuſtris epocha apud Ægyptios.

Hinc illud Porphyrii Libro de Antro Nympharum idem Vendelinus exponit; cùm ait Ægyptios à Cancro, uti Romanos à Capricorno, annum incipere, atque ab exortu Sothios. Αἰγυπτίοις ἀρχὴ ἔτους οὐχ ὑδροχόος, ὡς Ῥωμαίοις· ἀλλὰ καρκῖνος. πρὸς γὰρ τῷ καρκίνῳ ἡ Σῶθις, ἣν κυνὸς ἀστέρα οἱ Ἕλληνές φασι. νουμηνία δ' αὐτοῖς ἡ Σώθεως ἀνατολὴ, γενέσεως κατάρχουσα τῆς εἰς τὸν κόσμον. *Ægyptii annum ordiuntur non ab aquario, ut Romani; ſed à cancro. Huic enim affixa Sothis eſt, quam canis ſtellam Græci nominant. Eſt autem ipſis Neomenia Sotheos exortus, quæ mundo procreationis initium dedit.* Hic de initio cancri loqui videtur. Quare tempus illud potiſſimùm intelligit, quo ortus coſmicus Sirii in cancri principium incurrit. Quocirca, ſi, ut Sextus Empiricus, & Macrobius docent, dodecatemoria primùm ex obſervatione ſtellæ cujuſpiam, & ſuccedentibus aſcenſionum gradibus æquabili partitione conſtituta ſunt, uti Capite primo meminimus; potuit per illud tempus ab Ægyptiis prima illa notari ſtella Arietis, ab eáque ſegmentorum diviſio procedere. ac tum in medium primi dodecatemorii vernum æquinoctium incideret. quod ſemel ab illis decretum, ad aliquot ſæcula propagatum fuerit, donec μετάστασις ſtellæ iſtius in conſequentia diſcerni ſenſibus poſſet:

Google

poſſet: ac ſingillatim duodecim, octo, ſex, quatuórve temporibus ἀναφερικοῖς æquinoctium anteverteret. Unde varietas illa ſententiarum ſuper cardinum momentis ortum habuerit. Etenim primi dodecatemorii initio conſtituto, cetera deinceps æquabili partitione diſtincta ſunt; ex quo factum eſt, reliqui ut cardines in eamdem dodecatemoriorum ſuorum partem inciderint, quotam in primo Arietis æquinoctium vernum occuparat.

Sub initium æræ Nabonaſſari, cum Arietis ſtella in Piſcium gradu ſita eſſet 25, in Heliopolitano tractu obliqua fuit aſcenſio graduum 350, ac decem gradibus æquinoctio erat anterior. Cyri porrò, ac Thaletis ſæculo, in eodem ſitu, Arietis ſtellâ jam ad Piſcium 28 progreſsâ, aſcenſio fuit obliqua graduum 352, atque in octavo gradu committebatur æquinoctium. Hæc in certis Signorum partibus ſtatuendorum cardinum ratio identidem adhiberi potuit, ſecundùm ea, quæ e Sexto Empirico Cap. I declaravimus.

Alia ratio in ſignis illius epochæ a nobis obſervata.

Sed non minùs & illa probabilis eſt, quæ ex Hipparcho colligitur; in qua ſtellarum ſitus in æquinoctiali, vel æquidiſtante circulo deſignatur per coluros à mundi polo per centrum ſtellæ trajectos ad æquinoctialem. Hanc ſi ſequimur; aliquantò etiam commodiùs incidet, ut anno illo, quem ſuprà definivimus tot rerum concurſu memorabilem, æquinoctium in parte 15 contingat. Nam aſcenſio recta partium invenitur 346, anno Per. Jul. 3450: ita ut æquinoctium præcisè in gradum 15 incurrat. Anno verò Nabonaſſari primo, periodi Jul. 3967, aſcenſio recta partium erat 352, 34′; octavóque inde gradu æquinoctium fiebat.

Hæc poſterior methodus priori non eo ſolùm nomine præferenda venit, quòd eamdem cum illa opportunitatem afferens, hoc habet inſuper, ut Hipparchi, Veterúmque, eo teſte, rationi magis conſentanea ſit: ſed etiam quòd illud exhibet; ut circa Nabonaſſari epocham, in octavam dodecatemorii partem æquinoctium competat. Hæc enim ex omnibus uſitata maximè, ac longiùs ad poſteros propagata videtur opinio, quæ cardines octavis Signorum partibus illigabat. quod adeò ſub exordium nobiliſſimæ illius æræ conſtitutum à Chaldæis in Babylonia fuiſſe jure ſuſpicari licet; indeque ad ceteros manaſſe.

Ammianus Marcellinus Libro XXVI, ubi de biſexto agit, indicare videtur in Arietis ſecunda parte cardinem conſtare ex aſtronomorum veterum ſententia. Nam Metonem, Euctemonem, Hipparchum, & Archimedem recenſet; & annum vertentem explicat; *ut verbo tenus, ſi à ſecunda elatus Arietis ad eam dimenſione redierit terminata.* quem cardinem proxime antè nominarat. Circuli apud antiquos in partes ſexaginta dividebantur, ut ſuprà memotavi. Ergo ſingulis dodecatemoriis imputatæ ſunt quinque; quarum unaquæque gradus hodiernos habebat ſex. Itaque octavus Signorum gradus ad ſecundam pertinebat. Hoc utrum ſibi voluerit Ammianus, cogitandum ampliùs eſt.

Porrò Metonis, & Eudoxi tempore, cùm jam ſtella prima Arietis Piſcium graduum 29, eóque ampliùs attigiſſet; hoc eſt tricesimum ferè; aſcenſio recta graduum erat 357 ferè. ſic ut in quartum inde gradum æquinoctium caderet. Aſcenſio autem obliqua Athenis ferè 352. Heliopoli 353 circiter. atque hoc pacto vel in quarto gradu Arietis; vel in ſeptimo, aut octavo collocari potuit æquinoctium. quarum opinionum veſtigia in Scriptoribus antiquis, & parapegmatibus occurrunt.

Hipparchus cardines Signorum initiis affixit.

Tandem ſingulari aſtronomiæ bono Hipparchus extitit. cujus tempore ſtella eadem Arietis prima in dodecatemorii primi Zodiaci parte ampliùs tertia verſabatur. Si quidem anno Per. Jul. 4552 erat in Arietis 3, 9′ circiter. Aſcenſio recta in ipſo præcisè puncto vernæ ſectionis, nempe partium 359, 58′. Ergo ille præ ceteris ſolaris converſionis cardines ipſis æquinoctialibus interſectionibus, ac circulorum contactibus aſſeruit. quod idem, paucis exceptis, Mathematicos omnes antiquos tenuiſſe confirmat; contrà quàm plerique ex ipſa etiam antiquitate ſentiunt. At illi ipſi, qui alibi, quàm in Signorum initiis cardines conſtituerunt; non ita, ut Scaliger arbitratur, (de quo nos poſtea dicemus) rem illam adminiſtrarunt, ut octavo, alióve poſt interſectiones vel contactus gradu fieri æquinoctia, vel ſolſtitia ſentirent: ſed ita, ut eoſdem gradus, quos alii dodecatemoriorum primos eſſe vellent, ipſi octavos à primo, exempli cauſâ, nominarent. utrique verò non alibi, quàm in circulorum συναφαῖς, & commiſſionibus, æquinoctiorum, ac ſolſtitiorum puncta ſtatuunt.

Ex quo id, opinor, accidit, ut ab ingreſſu Solis in Signa æquinoctium & Solſtitium utrumque poſtea diſtingueretur. Ita enim apud Varronem, Columellam, Plinium, Ovidium, & in Calendariis antiquis obſervabis. atque in eo, quod ex illis concinnatum edidimus hoc in opere. Ibi enim Solis introitus in Signa cardinalia octavo circiter die ponitur ante æquinoctia, ſolſtitiáque. tum eâdem ratione reliqua in Signa Solis ingreſſus antevertitur. Quod etiam rhapſodia illa ſequitur ſub nomine Ptolemæi à Leonico Latinè primum edita, in qua tamen inter ingreſſum Solis, & æquinoctia ac ſolſtitia, non idem conſtanter intervallum ſtatuitur. At in eo Ptolemæi Libro, quem primùm edidimus, uniuſmodi cardinum genus eſt ad accuratiorem aſtronomorum calculum exactum, & Ptolemæi ſæculo congruens.

Pag. 60 — Pag. 51 hujus operis.

Vulgi perſuaſio de cardinibus annuis, etiam poſt Hipparchum.

Verùm ut ab antiquioribus aſtronomis rectè iſta ipſâ; quam expoſuimus, methodo Signorum initia ante cardinalia puncta definiri potuerunt: (ſi id tamen verè ab illis inſtitutum fuit; de quo dubios nos Hipparchi auctoritas facit:) ita poſt Hipparchum deinceps ex errore, imperitiáque idem in vulgi uſu ac ſententia reſedit. Cùm enim Hipparchus æquinoctia in mutuis ſectionibus Zodiaci, & Æquinoctialis circuli fixiſſet; ſolſtitia in Zodiaci, tropicorúmque contactibus, unà cum Signorum cardinalium principiis: adeò ut æquinoctia in eos dies caderent, qui Martii XXIV, & Septembris XXXVII reſpondebant: ſolſtitia verò Junii XXVI, & Decembris XXIV; vulgus tam ſectiones ipſas, quàm initia Signorum, ante dies octo præpoſterè collocavit: in eóque pertinaciùs obluctari inſtitit adverſus Hipparchi, aſtronomiæque placita: adeò quidem, ut Bedæ quoque temporibus, ac deinceps idem perſeverarit error; quod illius Calendarium docet, in quo octo ferè diebus ante æquinoctia, & ſolſtitia Solis in Signa introitus adſcribitur. Atque hæc eſt è duabus altera ratio ſecundùm quam accidere potuiſſe diximus, ut ab aſtronomiæ peritis alio in gradu, quàm in primo dodecatemoriorum, cardines defixi ſint. Poſtquàm enim & ex plurium antiquorum, ut Hipparchus aſſeverat, ſententia; & Hipparchi ipſius auctoritate conſtituta res eſt; uti Signorum cardinalium initia ab æquinoctiis, ſolſtitiiſque ducerentur; cùm id tamen vulgi ac ruſticorum ex animis extorqueri non poſſet, quin octavis in partibus, aut aliis, quàm in primis, æquinoctia, & ſolſtitia committi crederent, nonnihil ab artificibus indulgeri opinioni illi potuit. Quocirca qui ruſticanis hominibus ephemeridas, & Calendaria ſcribebant, ut eorum captui, atque uſibus obſequerentur; ante dies illos, quos veris aut mediis cardinibus attribuerant, introitus in Signa Solis adnotaſſe videntur. Atque hoc de Soſigene præſertim ſuſpicari convenit: cujus ex faſtis hauſiſſe apparet illa Varronem, Hyginum, Ovidium, Columellam, & Plinium, quæ cum communi iſta, quam dixi, perſuaſione ab iiſdem conſentanea produntur. Sed neque Soſigenes, neque Veterum quiſquam eo modo, quem finxit, ac nonnullis probavit Scaliger, æquinoctiorum, ſolſtitiorumque momenta divulſit ab Signorum ingreſſibus; ut hos ſcilicet præpoſterè ante illa poneret. quod ut non ſemel; ita non ſæpiùs, quàm neceſſe eſt, his in libris repetimus. ac ne quid deinceps hæſitationis, aut controverſiæ reſtet, ſequenti capite pleniorem hujus rei ideam facere conabimur.

CAPUT V.

Illuſtrantur uberiùs antiquorum ſententiæ de cardinibus annuis; ac docetur contra Scaligerum, numquam ab iis alibi, quàm in circulorum commiſſionibus illos eſſe conſtitutos. tum de Soſigenis, vel Julii Cæſaris æquinoctiis ac Solſtitiis. Servius notatur. Varro, Plinius explicati. Soſigenis inconſtantia.

Ex iis, quæ de annis Veterum cardinibus ſatis longa, ſed neceſſaria diſputatione complexi ſumus, ſumma iſta conficitur: Antiquos aſtronomos majori ex parte ſolſtitia, & æquinoctia ipſis aſſignaſſe dodecatemoriorum

moriorum principiis, tam io æquinoctiali, ſive parallelo circulo; quàm io Zodiaco. ut auctor eſt princeps ejus artis Hipparchus. quicumque porrò mediis Signis, vel octavis partibus, ac ceteris, cardines attribuerunt; eos omnes ita circulos eſſe partitos, ot interſectiones æquinoctii & Zodiaci; vel hujus & tropicorum contactus iis in Signorum gradibus fierent, quotos æquinoctiis, ſolſtitiiſque præfixerant. Quòd antem aſtronomi omnes, qui quidem alibi, quàm initiis Signorum, cardines affingebant; ante ſectiones, contactúſque circulorum; hoc eſt æquinoctia, & ſolſtitia ἀκριβῶς, dodecatemoriorum ſuorum principia caperent, demonſtrat Hipparchus Lib. I, Numero X. ubi auſtraliorem ſuccedenoum in laterculo majoris Urſæ ſitam ait eſſe ex legitima Signorum diviſione, quæ tropica, & æquinoctialia puncta in Signorum initia confere, in Leonis parte 25. antecedentes autem in eodem laterculo in Leonis parte paullò minùs tertia. at ſecundùm alteram rationem, quæ in mediis Signis cardioes conſtituit, priorem in Virginis parte decima: poſteriores in ejuſdem Virginis decima octava reponi. Sic extremam in cauda majoris Urſæ, ex communi diviſione, in Libræ quarta parte: ex poſteriori, & Eudoxea, in decimanona.

Hipp. p. 104, 105.

Rurſus Num. XII ſcribit poſtremam & lucidiſſimam, quæ eſt io extrema cauda minoris Urſæ, ſitam eſſe in gradu Piſcium 18. ut autem Zodiacum dividit Eudoxus, in Arietis grado tertio. Igitur Signorum initia Eudoxus, aliíque Veteres anticipabant. Iu hoc Hipparchi loco mendum eſt, quod ex certiſſima coojectura ſuſtulimus. Legitur enim tam in excuſo, quàm in ſcripto codice: ὁ δὲ Εὔδοξος διαιρεῖ τὸν ζῳδιακὸν κύκλον ἀπὸ τῆς γ μοι. τῶν κριῶ. pro quibus reſcribendum meritò cenſuimus: ὡς δὲ Εὔδοξος διαιρεῖ τὸν ζῳδιακὸν κύκλον ἀπὸ, &c. quod manifeſtè ſententia exigit. Gradus Piſcium decimus octavus, eſt Arietis tertius, ſi Arietis Signum à quintodecimo ante ſectionem gradu computare coeperis.

Hipparchus emendatur.

Hæc non obſcurè teſtantur, æquinoctia, & Solſtitia numquam alibi ab antiquioribus aſtronomis, quàm iu mutuis circulorum ſectionibus, & tactionibus collocata fuiſſe. quas octavæ, vel decimæ quintæ Signorum parti, vel aliis imputabant: nec octavas illas, ceteráſve partes ab æquinoctialibus, aut ſolſtitialibus punctis eſſe numeratas. quod Scaligero, & pleriſque aliis placere video; ac pro comperto paſſim haberi. Hinc enim Soſigenem, Juliúmque Cæſarem arbitrantur in octavos Calendarum dies anni ſui conjeciſſe cardines; ut in Calendas ipſas ſuccedentium menſium octavæ Signorum partes inciderent, io quibus æquinoctia, Solſtitiáque committi priſci omnes artifices opinati ſuot. Dici hoc à multis iotelligo. à quo & nos ipſi aliquando non abhorruimus. Sed id minimè eſſe verum ex ſuperiori omni diſputatione colligitur. Non enim octavas partes qui olim ita ſentiebant poſt Signorum cardines, ſed in ipſis cardinibus locabant: inioa verò Signorum octavo antè gradu. Ac de Juliano quidem anno perſpicua res erit, ſi quis illius formam ex Ovidio, Columella, Plinio, ac ceteris æſtimare velit, à quibus eſt anni ejus expreſſa ratio. Quippe ingreſſum Solis in dodecatemoria ad octavum circiter ante ſolſtitia, & æquinoctia diem apponunt. neque fando eſt hactenus audirum, civile æquinoctium aut Solſtitium in Calendas ioſequenoum menſium à Soſigene, vel Cæſare eſſe rejectum. quod omoinò neceſſe fuit, ſi aut veteres artifices ita conſueverant; aut eorum exempla in annum ſuum transferre illi voluiſſent.

Error Servii.

De hujuſmodi aditu Solis ad Signa non eodem ab omnibus tempore defixo imperitiſſimè Servius in Commentario ad II Georg. *Sanè ſciendum*, inquit, *omnes aſtrologos pro ratione climatum diſſentire in ortu ſiderum; ſed ipſa diſſenſio ultra ſeptem dies non procedit. ſeptem enim ſunt ipſa climata. Hinc eſt quòd ſolem ad unumquodque ſignum alii quintodecimo Kalend. die dicunt venire; alii quartodecimo; alii infrà uſque ad octavum. nec quiſquam procedit ulteriùs:* quæ ſunt bonæ mentis inaniſſima.

De cardinibus Julianis accuratè diſputatum.

Ut de anno Juliano quod explicandum ſupereſt abſolvam, quinam dies ineundis à Sole cardinalibus Signis ex Julii Cæſaris, ſive Soſigenis decreto præſtituti ſint in Calendario Juliano, non tam facile dictu eſt, quàm haberi vulgò video. Nam plerique Martii XXV æquinoctium vernum à Cæſare conſtitutum eſſe cenſent: Solſtitium æſtivum XXIV Junii: Æquinoctium autumnale XXIV Septembris. brumale denique Solſtitium XXV Decembris, omnia in octavis Calendas. Ita ex Columella Lib. IX, cap. XIV. & Lib. XI, Cap. II colligitur. diſertè verò Plinius Lib. XVIII, Cap. XXV, & XXVIII id affirmat. Hoc modo intervallum ab æquinoctio verno ad Solſtitium, dierum eſt XCI altero termino excluſo. à Solſtitio ad æquinoctium autumnale, XCII. ab æquinoctio autumnali itidem XCII ad brumale Solſtitium. Hinc ad vernum æquinoctium, dies XC. Ita dies colliguntur anni totius CCCLXV.

Atqui hæc ipſa cardinum intervalla non Varro ſolùm; ſed quod mirum eſt, Plinius ipſe Capite illo XXV Libri XVIII longè aliter partitus eſt. Ut à Varrone ordiar, hic in Libro I de re Ruſtica, Cap. XXVIII, de anno Juliano loquens, hoc eſt *diebus*, inquit, *civilibus, qui nunc ſunt*, ab æquinoctio verno ad Solſtitium numerat dies, XCII. hinc ad autumnale æquioctium, dies XCVI: ab hoc ad brumale Solſtitium, dies LXXXIX. Inde ad æquinoctium vernum dies LXXXV. Deſunt ad annum complendum dies tres. Jam verò ſi æquinoctium vernum collocetur in VIII Cal. Apr. hoc eſt Martii XXV, addantúrque dies XCII, calculus deſinet in VII Cal. Julias, Junii XXV. tùm adjectis diebus XCVI, iocidet æquinoctium io Septembris XXIX. Solſtitium autem brumale, additis LXXXIX diebus, cadet in XXVII Decembris. reliqui erunt ad annum complendum dies LXXXVIII. At Varro à bruma ad Favonium dies XLV, à Favonio ad æquinoctium vernum dies XL computat: qui non plures collecti, quàm quinque, & octoginta faciunt. Sed mendoſum videtur intervallum ab Solſtitio æſtivo ad æquinoctium autumni; quod præter aliorum omniom conſenſum diebus XCVI finitur; tum etiam alterum, ab hiberno ſolſtitio ad vernum, quod juſto brevius eſt. At ecce turbat iterum Varro. qui eodem capite verno tempori tribuit dies XCI, æſtati XCIV, autumno XCI, hiemi LXXXIX. quas quidem tempeſtates ante cardines ipſos incipit. ver à Favonio, qui ſpirare incipit ex a. d. VII Eid. Febr. ad VII Eid. Maii. æſtatem inde ad diem VII Eid. Sextiles. autumnum ab hoc die ad IV Eid. Nov. reliquum hiemi imputat. Hæc intervalla ſi ſingillatim computes, excluſis prioribus terminis, invenies priori dies competere XCI, æſtati dies XC: autumno dies XCV: hiemi LXXXIX. Minimè itaque ſibi conſentiens eſt Varro.

Plinius verò nihilo magis concors eſt ſecum, & ejus locus manifeſtiſſimo mendo tenetur. *Cardo*, inquit, *temporum quadripartita anni diſtinctione conſtat per incrementa lucis. Augetur hæc à bruma, & æquatur noctibus verno æquinoctio, diebus XC, horis tribus. Deinde ſuperat noctes ad Solſtitium diebus XCIII, horis XII, uſque ad æquinoctium autumni. Et tum æquata die procedit ex eo ad brumam diebus LXXXIX, horis III.* In his verbis deſideratur intervalli circumſcriptio, quod ab Solſtitio æſtivo ad autumnale pertioet. Legendum itaque poſt, *horis XII*, hoc ferè modo, *& inde diebus XCII, horis XII uſque ad æquinoctium autumni.* Nam tria intervalla hìc expreſſa dies conficiunt CCLXXII, horas XVIII. Ea detracta de diebus CCCLXV ¼, reſiduos faciunt dies XCII ½. Quare ex mente Plinii Julius Cæſar hæc annua intervalla deſcripſit.

Ab æquinoctio verno ad Solſtitium dies XCIII, horas XII.

A Solſtitio ad æquinoctium autumnale dies XCII, horas XII.

Ab æquinoctio autumnali ad brumam dies LXXXIX, horas III.

A bruma ad vernum æqoinoctium dies XC, horas III.

His animadverſis ſi æquinoctium vernum ſtatuatur in XXV Martii, additis diebus XCIII, calculus deſinet in XXVI Junii. Hioc poſt dies XCII, conjicietur autumnale æquinoctium in XXVI Sept. Solſtitium hibernum in XXIV Decembris, aut XXV. ut inde ad vernum æquinoctium dies reliqui ſint XC. Biduo itaque in Solſtitio æſtivo, & autumnali æquinoctio Plinius à ſeipſo diſcrepabat. Crediderim primùm à Soſigene civile Solſtitium æſtivum in Junii XXIV, & æquinoctium io Septembris XXIV eſſe collatum: Solſtitium hibernum XXV Decembris: ut in octavum Calendas quatuor cardinalium Signorum introitus inciderent.

Probabilis de Julianis cardinibus ſententia.

In

In Calendario, quod Julii Cæſaris nomine Lucas Gauricus edidit, æquinoctium vernum adſcribitur VIII Cal. Apr. nono die ab ingreſſu Solis in Arietem: & Solſtitium æſtivum VIII item Cal. Julias, ſeptimo die quàm Sol in Cancrum ſubiit. Sed valdè rudem oportet eſſe, qui hoc Calendarium Julii Cæſaris eſſe ſibi perſuadeat; uti libro VI de Doct. Temp. Cap. XII demonſtravimus.

Poſtremò ſi quis veros anni cardines anno primo Juliano ſcire velit, ex ſequenti tabella diſcet; in quam medios quoque Solis ingreſſus in dodecatemoria conjecimus ex Diagrammate lib. I pag. 31

Tabella mediorum, ac verorum Solis ingreſſuum in Signa Cardinalia anno primo Juliano.

Cardines medii.				Cardines veri.		
Æquinoctium vernum	Martii,	XXIV,	22, 21′	Martii	XXII	23, 47′.
Solſtitium æſtivum	Junii	XXIV,	4, 39′	Junii	XXIV	22, 3′.
Æquinoctium autumni	Sept.	XXIII,	12, 6′	Sept.	XXV	11, 11′.
Solſtitium hibernum	Dec.	XXIII,	19, 34′	Dec.	XXIV	23, 54′.

Hinc apparet Soſigenem medios potiùs Solis ingreſſus in Signa, quàm veros exprimere voluiſſe. quos ferè, præterquam in uno hiberno Solſtitio, conſecutus eſt. Plerique tamen Scriptores, dum veterum Aſtronomorum cardines diverſis temporibus conſtitutos relegunt, per imprudentiam eos in Julianum annum tranſtulerunt.
Soſigenis hæſitatio. Quinetiam Soſigenes ipſe videtur parum in hac re definienda ſibi conſtitiſſe. Nam *trinis commentationibus* (ait Plinius lib. XVIII, cap. XXV) *quamquam diligentior eſſet ceteris, non ceſſavit tamen addubitare, ipſe ſemet corrigendo.* Itaque aliis, atque aliis diebus cardines illigavit. ex quo varietas illa Scriptorum in conſtituendis æquinoctiis ac ſolſtitiis in anno Juliano manaſſe videtur.

CAPUT VI.

De falſa Scaligeri ſententia ſuper veterum Aſtronomorum Solſtitiis. Contra quem demonſtratur, neque perpetuam ſub tropico meridiem fieri illos putaſſe: neque ſolſtitium in toto dodecatemorio. Geminus explicatur.

HIC de cardinibus Veterum opinione conſtitutis injectus à nobis ſermo, Scaligeriani cujuſdam commenti meminiſſe nos facit, quod in Manilianis illius Notis legitur; & in epiſtola quadam ad Mamertum Patiſſonem: quæ eſt quarta libri primi editarum nuper illius epiſtolarum. *Ibi ab ipſis incunabulis aſtronomiæ* (verba ſunt epiſtolæ) *hanc veterum Græcorum opinionem fuiſſe cenſet, Eudoxi, Metonis, Cleoſtrati, & Euctemonis;* omnium denique ad Eratoſthenem, & Hipparchum uſque; perpetuam μεσημβρίαν ſub tropico fieri, æternámque diem. Item ſolſtitium non in puncto λόγῳ θεωρητῷ Cancri, vel Capricorni; ſed in integro dodecatemorio committi. Horum prius illud in noviſſima editione Manilii legere non memini. poſterius autem in Notis exſtat ad Lib. I Iſagogicum, ubi de Antiſciis agit. (Scal. in Manil. pag. 157.) Utrumque verò non ſolùm ridiculum eſt, ſed falſò etiam antiquis illis aſtronomis affingitur. Quippe alterum ex ambobus, de perpetua luce ſub Tropico, non aliter ſtare poteſt, niſi antiquos illos putaſſe velimus parallelum illum ſupra finitorem, quantusquantus eſt, exſtare totum, nec ipſius ullam partem ſub terra eſſe conditam.
Hipp. p. 6. Atqui id falſum eſt. Eudoxus certè apud Hipparchum Lib. I aſſerebat Tropici circuli in Græcia partem illam, quæ ſupra terram emergit, ad eam, quæ infra terram latet, eam rationem habere, quæ eſt duodecim ad ſeptem. Hoc non potuit Eudoxus animo concipere, niſi talem ſibi Sphæræ poſitum fingeret; ut quò propiùs ad æquinoctialem acceditur, eò major Tropici æſtivi pars ſub terram deſcenderet; minor autem emergeret. donec eò ventum eſſet, ubi ex æquo circulus ille ab horizonte dividitur. Abſurdum eſt itaque perſuadere ſibi, vel Eudoxum, vel æqualis qui fuit ejus, Metonem, aut alium quemlibet, qui Aſtronomi nomen utcumque tueretur, adeò ſtolidos fuiſſe, ut perpetuum in Ægypti limite diem eſſe crederent. Nam Syene, quæ ſub Tropico ſita eſt, in eo tractu ponitur. Neque verò comprehendi ratione ulla poteſt, Solem, cùm ad Tropicum pervenit, perennem ſine nocte facere lucem, niſi immobilem ibi conſiſtere putemus. quod aſtronomos illos ſuſpicatos eſſe defendi non poteſt, quin eoſdem velimus & in Græcia, & ibi, ubi erant, arbitratos eſſe nullâ interruptum nocte tum eſſe diem. Quamobrem, ut de ceteris modò taceam, certè de Cleoſtrato, Metone, Euctemone, Eudoxo: adeóque vetuſtioribus etiam Mathematicis, quorum quidem mentio exſtet, nemo tale quicquam, niſi abſurdiſſimè, cogitare poteſt.

Alterum commenti caput minùs, quàm illud, ineptum, validiùs tamen refellitur. Nam ſi Meto, Eudoxus, Calippus, & alii ante Hipparchum ferè Solſtitia in integris dodecatemoriis, non in certa illorum particula fieri cenſuiſſent, non, opinor, illa ipſa Solſtitia certis dierum momentis à ſe obſervata proderent. ut Meto, qui Solſtitium illo die factum animadvertit, qui Junii noſtri diei XXVII reſpondebat. ut Calippus, ceterique: quorum in parapegmatibus decreta notabantur. quemadmodum apud Geminum, & in Ptolemæi libro de inerrantibus Græcè à nobis edito videre licet. Etenim Solſtitium æſtivum Calippus in prima Cancri parte collocabat, ait Geminus. hibernum in prima Capricorni ponebat Euctemon: Eudoxus in quarta. (Pag. 15.) Verùm, ut Hipparchus aſſerit, Eudoxus in mediis Signis, hoc eſt in gradu 15 cardines ſtatuebat. quod capite ſuperiori diſputavimus. At verò ſi per totum dodecatemorion ſolſtitium diffundi crederent, non illud certis tantummodò diebus illigaſſent, putà primo, quarto, vel octavo ab ingreſſu Solis in ſignum. Hipparchus lib. II docet ex Arati ſententia committi ſolſtitium in prima parte Cancri, eámque Mathematicorum veterum, aut omnium, aut majoris partis opinionem fuiſſe. ἐν ταύτῃ τῇ τροπῇ πίπτειν τὴν ἀρχὴν ἐπέχει τοῦ καρκίνου. καὶ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων τῶν Μαθηματικῶν πάντων σχεδὸν, ἢ τῶν πλείστων τίθεται ὁ ζωδιακὸς κύκλος διῄρηται. Excipit Eudoxum, qui τὰ τροπικὰ σημεῖα κατὰ μέσα τὰ ζώδια τίθησι. Ptolemæus lib. III, (Pag. 62. Gr. edit.) ſcribit obſervationes ſolſtitii à Metone, & Euctemone factas ad verum Solis deſignandum circuitum utiliores Hipparcheis fore, niſi ὁλοσχερέστερον, id eſt rudiore Minerva delineatæ forent. ac niſi præterea ſolſtitiorum moroſior eſſet, ac difficilior animadverſio. Quæ Ptolemæi verba vaniſſimam illam Scaligeri conjecturam eſſe evidenter arguunt.

Penè omiſeram quod ad rem magnopere ſpectat, ex eodem, cujus proximè, meminimus, Hipparcho. (Lib. II p. 18.) Hic enim contra Attalum demonſtrat æquinoctialem circulum, ac tropicos latitudine carère ex opinione priſcorum; neque in aliis atque aliis parallelis æquinoctia, vel ſolſtitia committi. quod inde probat, quia crebrò aſſerunt illi Zodiacum ἐφάπτεσθαι τῶν τροπικῶν κατ' ἓν σημεῖον, *in uno puncto circulos tropicos contingere.* ad hæc ſi latitudinem haberent circuli, æquinoctium, exempli cauſsâ, pluribus diebus fieret. quod ſenſus ipſe redarguit. Nam æquinoctia faciliùs, quàm ſolſtitia diſcernuntur oculis. At verò eadem ratio & de Solſtitiis vincit, uno illa tantummodò die ἀκριβῶς, ac φύσει peragi, quod in uno ſolùm puncto contactus fiat circulorum.

Unus ad divinationis iſtius fidem citatur à Scaligero teſtis Geminus. (Geminus illuſtratur.) qui Cap. I quorumdam veterum opinionem refellit, qui Cancrum, & Capricornum minimè putabant cum ullo Signo conjugari; hoc eſt nullum eſſe, quod eodem loco cum utrovis oriatur & occidat. Hoc refutat Geminus, quia ſequeretur τροπὰς in toto Cancro fieri. quod non eſt ita. nam in uno tantùm puncto λόγῳ θεωρητῷ accidunt. Sed ex eo Gemini argumento non eſt conſequens, eam Metonis, Eudoxi, & id genus aſtronomorum

nomorum opinionem fuiſſe. Imo verò, quod Eudoxum ſpectat, alienum hunc fuiſſe ab hoc errore, præter illa, quæ paulló antè retulimus, alio loco Geminus idem apertè ſignificat Cap. VI de menſibus. ubi popularem quamdam opinionem caſtigat arbitrantium Iſia apud Ægyptios in Eudoxi χειμερινὰς τροπὰς incidere. quod ante annos CXX contigiſſe probat. Igitur Eudoxus hibernum Solſtitium uno aliquo die circumſcripſit.

Atque ut antiquiora quoque tempora perſtringam, certè Heſiodus Aſtronomiæ ſcientia clariſſimus, qui altero poſt excidium Trojæ ſæculo floruit, Solſtitium utrumque nequaquam in totis dodecatemoriis, ac diebus circiter tricenis utrobique committi cenſuit. Scribit enim Lib. II. Operum, poſt LX dies à Solſtitio hiberno Arcturum oriri. quem locum expendemus poſtea. Tum eodem libro, quinquageſimo die poſt τροπὰς æſtivas autumnum ait incipere:

Ἤματα πεντήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο,
Ἐς τέλος ἐλθόντος θέρεος καματώδεος ὥρης
Ὡραῖος πέλεται θνητοῖς πλόος.

Quinquageſimo die poſt Solſtitium,
Cùm ad finem venit æſtatis laborioſa tempeſtas,
Tempeſtiva eſt mortalibus navigatio.

Hæc ad convincendam Scaligerianæ ſententiæ falſitatem, & idonea ſunt, & neceſſaria fuerunt. ne quis temerè ſtoliditatis tantæ reos perageret antiquos illos aſtronomos; præſertim Metonem, Euctemonem, Eudoxum, ceteros denique ad Eratoſthenem, & Hipparchum.

C A P U T VII.

De cardinibus Veterum ſententia contra Geminum defenſa. Signa imperantia, auſcultantia, videntia, ex Ptolemæi, Pauli Alexandrini, Manilii, & Firmici rationibus explicata. Mira in his, & Firmici loco hallucinatio Scaligeri.

SEd ut Veterum de cardinibus ſententia magis illuſtretur: tum multa ad idem negotium ſpectantia, nec indigna ſcitu obiter explicentur; Gemini locus ille accuratiùs explicandus eſt. Quadruplicem Signorum τάξιν, καὶ θέσιν exponens Geminus, quartam appellat eam, quæ κατὰ συζυγίαν dicitur; quam eorum Signorum eſſe docet, quæ ex eodem oriuntur loco, & in eodem occidunt: ſive quæ iiſdem parallelis includuntur. ut ſunt Cancer, & Gemini; Capricornus & Sagittarius: ac cetera, quæ ex æquo diſtant ab alterutro punctorum ſolſtitialium. In quo Veteres reprehendit: qui Cancrum cum nullo alio συζυγίαν habere putabant; neque Capricornum: ſed ambos μοναχὰς, & ἀζύγας eſſe. quippe cum Signis omnibus borealiùs oriatur, & occidat cancer. Capricornus autem auſtraliùs. Nam nullum eſt, quod peræquè, ut iſta duo, ad boream, auſtrúmve deflectat. Itaque duobus iis exceptis, reliqua decem ita comparabant

Geminus pag. 6.

Syzyga ſigna ſecundùm Veteres.		
Cancer ἄζυγος		
Gemini	&	Leo
Taurus	&	Virgo
Aries	&	Libra
Piſces	&	Scorpius
Aquarius	&	Sagittarius
Capricornus ἄζυγος		

Syzyga ſigna ſecundùm Geminum.	
Gemini	Cancer
Taurus	Leo
Aries	Virgo
Piſces	Libra
Aquarius	Scorpius
Capricornus	Sagittarius.

In utroque diagrammate diſcrimen hoc cernitur; quòd illud Veterum ſyzygias inter ea Signa ſtatuat, quæ æqualiter diſtant à totis Signis tropicis, in altero σύζυγα ſigna æqualiter à punctis ipſis tropicis abſunt. Geminus antiquos refellit, quod ex eorum ratione conſequens ſit, ſolſtitia in toto dodecatemorio cancri contingere. Nam cùm Signa comparia ſint, quæ ex eodem loco ortus ſuos faciunt, & in eumdem occidunt; ut Gemini ac Leo ita ſe habeant, neceſſe eſt æquales in illis eſſe dies; hoc eſt parallelorum ſegmenta ſupra finitorem eadem. quod aliter fieri nequit, quàm ſi ex æquo remota ſint à Solſtitiali puncto. at ſecus res habet. nam Geminorum extremum eſt ipſum Solſtitiale punctum. Leonis autem, ſexagenis ab eo gradibus diſtat. Idipſum in libra & ariete clariùs ait oſtendi; quæ duo ſyzyga faciebant. atqui libra multò quàm aries auſtraliùs oritur, & occidit. Hæc Geminus.

Verùm longè aliam, quam putavit Geminus, priſcorum Mathematicorum rationem fuiſſe: neque rectè ab illo reprehenſos eſſe, perſuaſum habeo. Non enim qui hoc aſſerebant cardinalia puncta in ipſis Signorum initiis, ſed in mediis, hoc eſt in gradu decimo quinto collocabant. quam Eodoxi fuiſſe ſententiam Hipparchus aſſerebat; de quo nos Cap. IV fuſiùs egimus. Atque ut Eudoxi non fuerit, eorum Veterum certè fuit, qui ita, ut Geminus ſcribit, comparia inter ſe Signa compoſuerunt. Hoc enim modo veriſſimum erit, quod illi Veteres putabant, Syzyga eſſe ſigna libram, & arietem, quod ex æquo diſtarent ab utroque Solſtitio, ſive à decimo quinto gradu cancri, & capricorni. Tum id conſequens eſt; perperam ex ea Veterum opinione, quam refert, improbátque Geminus; concluſiſſe Scaligerum, quod capite antecedenti diximus; priſcos illos τροπὰς & ſolſtitia in totis triginta gradibus, non in puncto aliquo λόγῳ θεωρητῷ ſtatuiſſe. Id enim falsò ſuſpicatus eſt. neque cauſſam habuit, cur hoc ſibi commento placeret adeò, ut ejus inſcitiam Mathematicis exprobraret. Mirum verò, portentum hoc erroris Eudoxo ab eodem impingi: imo auctorem illius Eudoxum aſſeri. In quo multiplex eſt ἀπρεπεξία. Nam ſi Eudoxus in decimo quinto gradu cancri τροπὰς æſtivas fieri ſcripſit; hibernas in capricorni decimoquinto: utrobique mediis in Signis; idque ipſius Eudoxi teſtimonio conſtare apud Hipparchum putat Scaliger; quînam obſecro conſentaneum eſt, in toto Signo conſtitutas ab illo τροπὰς fuiſſe? Ad hæc ſi princeps ita ſenſit Eudoxus; non ergo Metoni, ac vetuſtioribus aliis, qui Eudoxum anteceſſerunt, hoc ipſum venit in mentem. quod tamen univerſè de antiquitate omni temerè pronunciabat Scaliger. Eradatur igitur ex omni litterarum memoria fœdiſſima iſta labes opinionis, quam ille ἀκρίτως in Eudoxum, ac veteres aſtronomos auſus eſt conferre. Sed nec Gemini caſtigatio nos illa delectet; contra quam patrocinari antiquis illis quàm facilè poſſumus, tam meritò debemus.

Scal. in Manil. pag. 5[illegible]

Sic in antiſciis Veterum ex eodem fonte erroris explicandis, ac traducendis impunè luſit Scaliger. quæ quidem conſentaneè iis, quæ pro opinione illorum adduximus, veriorem ad ſenſum accommodare licet. quod ut breviter fiat, paullò altiùs repetenda res erit.

Antiſcia

Ex vaniſſima τῶν ἀποτελεσματικῶν ratione, dodecatemoria zodiaci varias inter ſe σχέσεις, ſive σχηματισμοὺς habent, quos aſpectus vulgò nominant. Ex quibus eos duntaxat hoc loco ſeligemus, qui ad negotium noſtrum pertinent, auctoribus adhibitis Ptolemæo in Tetrabiblo, Paulo Alexandrino, Manilio, & Firmico. Igitur Signa aut ſunt οἰκεῖα, *familiaria*, ſive *cognata*; aut ἀσύνδετα, *inconjuncta*, & *aliena*. Priora dicuntur, quæ ſchematiſmo aliquo, vel οἰκειότητι inter ſe devincta ſunt. poſteriora, quæ nullum habent ex iis, quos aſtrologorum uſus adſcivit. Schematiſmus vel eſt κατὰ διάμετρον, ut Aries, & Libra. vel κατὰ τρίγωνον. vel κατὰ τετράγωνον. vel κατὰ ἑξάγωνον. de quibus Gemioos Cap. I, & nos ad eumdem in Notis quædam obſervavimus. Alterum genus οἰκειότητος, ſecundùm quod Signa alia ſunt προστάσσοντα, *imperantia*, alia ὑπακούοντα, *auſcultantia*. quæ ambo communi nomine ἀκουόντων, *audientium* Paulus Alexandrinus, & Manilius intelligunt. Tertium genus οἰκειότητος eſt τῶν βλεπόντων, ſeſe mutuò conſpicientium. Ut de poſterioribus his ambobus agam.

Ptolem. L. I Tetrab.

Ptolemæus προστάσσοντα, & ὑπακούοντα ſigna vocat, τὰ κατ' ἴσον διάστημα ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ, ἢ καὶ ἑκατέρου τῶν ἰσημερινῶν σημείων

Imperan tia, au ſcult.

rii Signa Ptolemæi.

ὁμοίως σχηματιζόμενα, διὰ τὸ ἐν τοῖς ἴσοις χρόνοις ἀναφέρεσθαι, καὶ ἐπὶ ἴσων παραλλήλων. quæ pari intervallo ab eodem vel alterutro punctorum æquinoctialium distantia, figuram, seu conspectum habent: quòd æqualibus temporibus oriantur, & in æqualibus parallelis. Zodiacus circulus ab æquinoctiali bifariam secatur in punctis æquinoctialibus. Hinc semicirculus alter borealis dicitur; habens signa borealia sex, quæ ſunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo. alter auſtralis totidem Signis præditus, quæ ſunt, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. Borealia ſigna ſunt προστάσσοντα. auſtralia verò ὑπακούοντα. Cujus rei cauſſam affert Ptolemæus, quòd in borealibus Signis paullatim dies augeantur: in altero contrahantur. Ob id imperare illi debent. iſti parêre, ex artis ineptiſſimæ decreto. Hac ratione Signa illa inter ſe pariabimus.

Signa	
Imperantia	Auſcultantia
Aries	Piſces
Taurus	Aquarius
Gemini	Capricornus
Cancer	Sagittarius
Leo	Scorpius
Virgo	Libra

Hæc enim Signa ſunt ἰσανάφορα, & ἰσοπαράλληλα. quòd æqualiter diſtent ab ambobus æquinoctialibus punctis. Æquales, inquam, parallelos habent, non eoſdem, ut Camerarius vertit. Id enim Signis videntibus convenit, quæ à tropicis punctis ex æquo diſtant. de quibus agit ibidem Ptolemæus.

Signa videntia Ptolemæi.

Igitur alterum genus οἰκειώσεως eſt eorum, quæ βλέποντα, *videntia* dicuntur, & ἰσοδυναμοῦντα, *æquali poteſtate prædita.* Sunt autem ejuſmodi, quæ ex æquo diſtant ab alterutro ſolſtitii puncto. Ea porrò mutuò ſe videre dicuntur ideo, quòd & dies diebus, & noctes noctibus æquales faciant. tum quòd iiſdem ex horizontis partibus oriantur, & in iiſdem occidant. Atque hæc ſunt σύζυγα Signa, quæ ex Gemino ſuperiùs explicavimus. ut Gemini, Cancer, Taurus, Leo, & cetera, de quibus in Notis ad Geminum aliqua diximus.

Ἀσύνδετα, & ἀπηλλοτριωμένα, inconjuncta, & aliena Signa dicuntur, quæ nullius ſchematiſmi ex antecedentibus iſtis ſocietatem coeunt invicem. Ita Ptolemæus.

Audientia, & videntia Signa Manilii, & Pauli.

At Manilius, & Paulus Alexandrinus andientia, & videntia Signa aliter explicant. Nam apud eos videntium paria conſtant iis Signis, quæ ex æquo diſtant à totis Signis tropicis. ut ſunt Gemini, Leo: Taurus, Virgo, ac reliqua; quæ deſcripta ſunt in altero ſchemate τῶν συζύγων, ſecundùm Veteres, ut eorum mentem interpretatus eſt Geminus. Itaque Cancer, & Capricornus ἄβλεπτοι ſunt, & μοναχοί, nec alia, ſed ſe ſola contuentur.

Imperantia, & auſcultantia eorumdem.

Rurſus imperantia ſigna, & auſcultantia ſtatuunt iidem, quæ ex æquo diſtant ab æquinoctialibus integris Signis: ita ut priora borealia; poſteriora ſint auſtralia. Ergo extra ſortem ſunt Aries, & Libra: neque ſe invicem audiunt; neque alia: ſed ſolitaria ſunt, ac μονάζοντα, cetera ἁρμόζοντα. Ea in tabella ſequenti licet intueri.

Signa Manilii, & Pauli.		
Imperantia		Auſcultantia
	Aries ἄζυγος.	
Taurus		Piſces
Gemini		Aquarius
Cancer		Capricornus
Leo		Sagittarius
Virgo		Scorpius
	Libra ἄζυγος.	

Aries itaque imperandi vel auſcultandi cum nullo commercium habet, libram autem videt. ut & arietem libra.

Conſilium ipſe ſuum eſt Aries: ut principe dignum eſt,
Audit ſe, Libramque videt.

ait Manilius. Taurus Virginem videt, & Piſcibus imperat. Piſces Scorpium vident, & audiunt Taurum, & ſic reliqua. At Demophilus προστάσσοντα, & ὑπακούοντα eodem, quo Manilius, & Paulus, modo deſcribens, hoc uno differt, quòd Arietem imperantem Libræ ſtatuit, & Libram auſcultantem Arieti.

Firmici locus exponitur.

Julius Firmicus Lib. II cap. XXXII videntia Signa eadem cum Ptolemaicis, & συζύγοις Gemini facit, eáque ſe ex Ptolemæo, Antiocho, & Dorotheo Sidonio deſcribere profitetur, atque antiſcia nominat. Nimirùm quòd umbras ex æquo reſpondentes, & ἀντισκιάς faciant. Nam in Geminis, & Cancro æquales ſunt noctes, ſed inverſo ordine. quippe initium unius fini alterius congruit. Initio Geminorum dies noctesque paria faciunt cum diebus, ac noctibus in fine Cancri. Ita initium Tauri cum fine Leonis: finis illius cum hujus initio convenit. Sic antiſcii in ſphæra dicuntur non ſolùm quòd umbras in diverſas partes jaciant. ſed etiam quòd alternis, & contrario modo æquales habeant. Etenim antœci noſtri, cùm eſt hiems nobis, umbram habent breviorem; nos verò longiſſimam. viciſſim autem, cùm æſtatem habemus, umbræ ſunt nobis breviſſimæ; illis longiſſimæ. Tum præpoſitio ἀντὶ nonnunquam æqualitatem ſignificat, ut ἀντίθεος, quod notavit Achilles Tatius ad Arati phænomena. In hac Antiſciorum ratione, ac loco Firmici immaniter aberravit vir maximus; ut ejus ſimii verbis utar, qui nihil ex iſto, niſi faſtum, & præcipitem confidentiam expreſſit.

Error Scaligeri in Manilianis p. 155. & 159.

Nam in Manilianis, antiſcia ſe Veterum hactenus ignota primum omnium explicaſſe jactat, & Mathematicos omnes, quod neſciebant docuiſſe. Igitur antiſcia Veteribus Signa illa fuiſſe dicit, quæ à punctis quatuor cardinalibus ex æquo diſtant; hoc eſt tam audientia, quàm videntia. porrò cùm iidem Veteres æquinoctia, & ſolſtitia committi crederent in totis dodecatemoriis, triceniſque gradibus; inde accidiſſe, ut & audientia illa facerent, quæ ex æquo diſtant ab ariete, vel libra: & videntia, quæ ab cancro, & capricorno totis ex æquo remota ſunt Hæc à veritate ſunt alieniſſima. Falſum eſt antiquos antiſcia nominaſſe Signa ulla, quæ ab integris cardinalibus ſignis æquali ſpatio diſtarent. ſi quidem ipſis Signorum initiis cardines affigerent. Tum in antiſciorum αἰτίᾳ ſola puncta Solſtitialia locum habuerunt, non æquinoctialia; neque tota ipſa cancri, & capricorni dodecatemoria; ſed illa ipſa puncta ſolſtitiorum. Nullum vaniſſimæ opinionis argumentum aliud Scaliger attulit, niſi Firmici locum, quem peſſimè interpretatus eſt. Ejus Scriptoris verba ſunt: *Antiſcia, Græcorum ſunt nobis magiſterio tradita. Nolo enim aliquis ſuſpicetur, quòd non ſit apud Græcos iſte tractatus. Nam ſi Ptolemæus nullam aliam rationem ſequitur, niſi antiſciorum, & Antiochus, quùm dicit quòd Libra Arietem propter terram, quæ media eſt, non videat; quaſi per ſpeculum quidem rationem antiſciorum attingit.* Subjicit his Firmicus antiſciorum deſcriptionem ex Dorotheo Sidonio, qualem nos antea reddidimus. videlicet in qua Signa diſtant æqualiter à punctis tropicis. quæ unica eſt, & veriſſima ratio τῶν ἀντισκίων, vetuſtati cognita.

Firmicus Lib. II C. XXXII.

Vera ratio antiſciorum.

At Scaliger ex illis Firmici verbis colligit primùm, *τὰ προστάσσοντα tantùm, & ὑπακούοντα antiſcia vocari* à Firmico. tum antiſcia Antiochi falsò cum Ptolemaïcis confundi: cùm ſint diverſa. Nam Antiochi antiſcia ſunt illa veterum, in quibus comparia ſigna ab integris dodecatemoriis cardinalibus ex æquo removentur, ut ſunt Aries, & Libra. Hæc Scaliger. in quibus tam ab rei veritate, quàm à mente Firmici totus aberrat. Firmicus antiſcia ſola illa Signa nominat, quæ Ptolemæus βλέποντα; non imperantia nimirum ea dumtaxat, quæ à punctis ſolſtitialibus æqualiter diſtant. nec ſunt diverſa, quæ Antiochus adſtruebat, ab antiſciis Ptolemæi aut Firmici. Antiochum ait Firmicus antiſciorum obſcurè meminiſſe verbis illis, quibus Arietem dixit non videre libram propter interjectam terram. quibus nimirum ſignificabat, aliud eſſe Signum, quod Aries videt. hoc eſt Virginem. Quid abſurdius Scaligeriana

geriana iſta ratione; dici ab Antiocho Arietem, ac Libram antiſcia ſigna, hoc eſt videntia, ut ex Ptolemæo docuimus, quæ ſe ob terram interjectam videre non poſſunt? Si βλέποντα ſunt, cujuſmodi ſola ſunt antiſcia; profectò videre ſe mutuò debent. Cæcus admodum fuit, nimiumque properans, cùm hunc Firmici locum legeret, qui tam apertum conflictum ſententiæ ſuæ non animadvertit. Et tamen ſæpiùs de antiſciis Veterum à ſe primùm explicatis, & patefactis triumphat Scaliger: in quibus nihil vidit omninò.

Poſtremò ut ad Manilii, & Pauli Alexandrini videntia, & audientia Signa redeat oratio; veriſimile eſt hanc illorum rationem, quæ paria Signorum inſtituit ejuſmodi, quæ non à punctis cardinalibus; ſed ab integris eorum dodecatemoriis pari ſpatio diſtant; ex illa Veterum, quam ſuprà declaravimus, opinione manaſſe; quæ puncta eadem non initiis Signorum, ſed mediis ipſis adſcripſerat. Ita quippe tam imperantia & auſcultantia diſtant æqualiter ab æquinoctialibus punctis, quàm à tropicis βλέποντα. Antiſcia verò nominari ſola hæc poſteriora debent. De hiſce vide Mirandulani diſputationem Lib. VI contra Aſtrol. cap. XII.

CAPUT VIII.

De dignoſcendis ſtellarum ortibus, & occaſibus, quorum apud Auctores mentio fit. quæ res certis regulis, & exemplis inſtruitur. Theophraſtus, Varro, Plinius, Columella, Ptolemæus, aliique vel illuſtrati, vel emendati. quæ ſit admiſſura temporaria, & ſerotina. Geneſeos locus exponitur.

QUi ex aſtronomicis tabulis computantur ortus, obitúſque ſtellarum; quales in hoc libri primi deſcripſimus; ii veri ſunt, & ἀκριβεῖς, nec ad liquidum apparentes, etiam heliaci. Nam in hoc poſteriori genere (De ceteris enim explorata res eſt, nequaquam eos viſu poſſe diſcerni) extremi apparitionis termini colliguntur; hoc eſt momenta ipſa, in quibus ita primò, poſtremóve cernuntur, ut citra ea videri deſinant. Quamobrem quòd tum propiùs contingunt horizontem; & interjectis nebulis, ac vaporibus plerumque latent adhuc, & intuentium fruſtrantur oculos; hinc apud Scriptores raró illa eadem exprimuntur tempora, quæ tabularum methodus exhibet; ſed aliquantò antè, vel poſtea ortus, & occaſus illi referuntur. Ac ſunt ea repetenda memoria, quæ ex Gemino capite hujus libri tertio tradidimus; ortus, occaſúſque matutinos veros, ſive non apparentes, priores eſſe φαινομένοις, id eſt *apparentibus*. contrà veſpertinos apparentes priùs accidere quàm veros. quod & res ipſa docet; & quæ in laterculum conjecimus exempla demonſtrant. Ibi enim heliaci ortus, ſive matutini apparentes, coſmicis poſteriores ſunt. & occaſus heliaci, ſive apparentes veſpertini, acronychos, ſeu veſpertinos veros antecedunt. Tum in veſpertinis ortibus, & matutinis occaſibus, à quibus longè abſunt heliaci, idem uſuvenit; uti nos capite illo declaravimus. Cùm enim Sol contra primi orbis impetum verſus ortivas cœli partes ab occiduis ſuopte motu rapiatur; ſtellam, ubi conſecutus eſt, à tergo relinquit, & in conſequentia magis, magiſque nititur. Ita fit, ut cùm ſtellam in oriente poſitus occidentem ex adverſo reſpicit, qui eſt verus coſmicus occaſus; adhuc eam radiis abſcondat ſuis, nec videri patiatur. pòſt, ubi longiùs abſceſſit, ante illius ortum paullatim cadentem proſpiciamus, quod pluribus deinde diebus accidit. E contrario cùm in occidente Sol eſt, oppoſitam habens è diametro ſtellam qui eſt verus ortus ſtellæ veſpertinus; deinceps eamdem occultare pergit, ad eámque paullatim adrepit. Itaque ante tempus illud oppoſitionis pluribus diebus occaſum jam Solem exortu ſuo ſtella conſecuta fuerat, quem apparentem ortum veſpertinum nominant.

Geminus Cap. XI. pag. 28.

Hinc apud Scriptores etiam illos, qui uniuſmodi cœli poſitum, obſervationémque ſecuti ſunt, pluribus diebus ante, vel poſt exortus veros, occaſuſque; ſtellarum φάσεις notantur. quod illi apparentes ferè conſectati ſunt. quæ quia non uno die, ac momento accidunt; ideo ſub eadem tempora plerumque repetuntur, & ad dies propagantur aliquot. Sed in iis deſignandis complures obſcurè loquuntur, ac perplexè; qui nec ortuum, & occaſuum tempora; neque ſpeciem apertè ſignificant; ac vix conjecturæ lectoris ulli ſatis idoneam anſam offerunt. Itaque uſu ac judicio cumprimis opus eſt ad ea diſcernenda, in quibus vel nulla, vel exigua ad pronunciandum φάσεων genus argumenta ſuppetunt. Accedit locorum, regionumque diverſitas: in quibus ortus, & occaſus illi fiebant; cujus varietatis auctores ſæpè ratione habita nulla, quæ aliis atque aliis obſervata ſunt locis, ac temporibus, nec iiſdem ex parapegmatibus confecta, permiſcent invicem. quæ res moroſam, ac propemodum inextricabilem iſtarum rerum inveſtigationem facit.

Sed ut in iis inquirendis, quoad fieri poteſt, certam tyrones viam teneant, ac regulam; hoc, quod paullò antè diximus, animadverſo; nimirum apparentes potiùs φάσεις, quàm veras, ab Scriptoribus adhiberi. tum eo quoque; apparentes ortus & occaſus matutinos poſteriores eſſe veris; priores autem apparentes ortus & occaſus eſſe veſpertinos quàm veros: his, inquam, cognitis, ratione quadam quod volumus aſſequemur. Imprimis igitur Zodiaci punctum, quo cum propoſita ſtella ſupra, inſtáque horizontem pervenit, ex Laterculo noſtro; vel, ſi in eo non continetur; ex methodo Canonum explorare convenit. Deinde, ſi certum anni tempus ab auctore definiatur, gradum eclipticæ συνανατέλλοντα, vel συγκαταδύοντα confer in Kalendarium Julianum, in eóque cœleſtem menſem obſerva, cui gradus ille competit. Si dies ab auctore ſit expreſſus, idemque cum invento abs te gradu conſentiat, ortum eſſe coſmicum, vel occaſum acronychum intelliges. Sin oppoſita in parte ſit; occaſum coſmicum, & ortum acronychum. Quòd ſi tempus ὁλοσχερῶς tantummodò declaratum fuerit, ex contextu orationis ipſo divinandum erit, cum ea cautione, ut ex duobus propinquis ortibus, & occaſibus, apparentem potiùs eligas, quàm verum. niſi uterque, quod rarius eſt, ab Scriptore comprehenſum fuerit. tum enim utrum utro prius ſit, ex iis, quæ paullò ſuprà præſcripſimus, obſervandum erit.

Si ortu vel occaſu utcumque concepto, de tempore conjectura facienda eſt; ex auctoris verbis colligenda ſpecies eſt ortus ipſius, aut occaſus. poſteà punctum Zodiaci cum ſtella oriens, vel deſcendens in Kalendario requirendum. demùm veri an apparentis tempus ſit, itidem, ut ſuprà, deliberandum.

In his ſtellis, quas Laterculum noſtrum ſuperiore libro, capite octavo continet, laborem hunc ſublevant expreſſa ortuum omnium, occaſuúmque momenta. Verùm quoniam, ut proximè antecedente capite dictum eſt, nondum liquidò apparentes ortus, & occaſus aſtronomico, quem ibi perſequimur, calculo conficiuntur; idcircò qui ab auctoribus indicantur ortus & occaſus, prout exiguo intervallo ſui quemque generis ortum occaſúmque notatum in tabula antevertunt, aut ſequuntur; ita eidem adſcribendi ſunt.

Quoniam verò diverſis è parapegmatibus, hoc eſt Italicis, Græcis, & Ægyptiacis; aut interjectarum regionum, ſine ullo interdum diſcrimine, quæ de ſtellis referunt, Scriptores hauſerunt; hinc judicio ad ea diſcernenda opus eſt; & in ſtellis, quas deſcripſimus, ad utrumque cœli poſitum, Romani, & Alexandrini, tentandus eſt calculus. ceterorum tractuum utcumque ex illis ratio conſtabit.

Sic in anterioribus, vel poſterioribus Juliana editione ſæculis; paucis illîc ferè detractis; hîc additis ad Juliano tempori congruentem modum diebus, ortus, occaſúſque ſtellarum inveſtigabimus. In quibus omnibus otioſa eſt nimis accurata diligentia: imo ſtulta; cùm ne auctores quidem illi, quos aſſequi ſtudemus, tantam in ea ſibi re præſtandam putaverint.

Nimis ea jejunè, ac parum utiliter præſcribuntur, niſi exemplis uſus illorum aperiatur. quod hîc in paucis ad aliorum ſpecimen experiemur. De Sirio, & Vergiliis plura ſequentibus capitibus ex inſtituto dicemus. itaque horum modo exemplis abſtinebimus.

Arcturum Theophraſtus in Lib. IV. Hiſt. Plant. Cap. XII Boëdromioni imputat: nec de ortu, an occaſu loquatur indicat. ἡ δὲ τομὴ ὡραία (ait de calamo tibiali) πρὸ Ἀντιγενίδου μὲν, ὅτ᾽ ηὔλουν ἀπλάστως, ὑπ᾽ Ἀρκτοῦρον, Βοηδρομιῶνος μηνός. *Cadi tempeſtivè ſolitus, uſque ad Antigenidem, cùm adhuc ſimpliciùs tibia uterentur, ſub Arcturo, menſe Boëdromione.* De ortu tamen intelligendum eſſe, perſuadet gradus Virginis, quo cum Juliano ſæculo ſupra finitorem attollebatur, nempe 14. Item de Arcturus

heliaco

heliaco & apparente loqui perſpicuum eſt, tum quòd apparentes potiùs, quàm veros ab auctoribus memorari diximus: tum quòd in Virginis 27 gradum incidere videmus heliacum ortum; id eſt verum, & Coſmicum. Parthenonis porrò XXVII dies in Calendario ad Septembris XXI adnotatur. Theophraſti verò ſæculo aliquot antè diebus accidebat. Denique Boëdromionem ſcimus tertium ab ſolſtitiali menſem fuiſſe lunarem. Ptolemæus noſter ortum confert Arcturi in XXVI Sept. & Octob. III. rectè.

Plin. Lib. XVIII C. XXVI. Plinius eamdem Arcturi ſtellam aſſerit exortum veſpertinum facere VII Cal. Martii. Columella verò IX Cal. In laterculo noſtro acronychus exortus Arcturi fit in gradu Piſcium 14, id eſt Ichthyonos XIV, quæ in Calendario Martii V convenit. Verùm, ut ſæpè dictum eſt, ortus veſpertinus verus, quem tabula præbet, poſterior eſt apparenti. Ideo aliquot diebus poſt occaſum Solem exoriens ſtella proſpecta eſt, donec verum ad exortum perveniret. Error Firmici. At Firmicus Lib. VIII, Cap. XIV, Arcturum ſcribit in parte Sagittarii quinta ortum facere. quod eſt falſiſſimum. Occaſum acronychum alicubi legerat in ea parte fieri. pro quo imprudenter ortum reddidit. Acronychus occaſus Juliano ſæculo fiebat in parte Sagittarii 4. heliacus autem in parte Scorpii undecima. Porrò undecima dies Scorpionis pridie Nonas Novembres in noſtro Calendario notatur. circa quem diem à Plinio & Columella ponitur: hoc eſt paucis antè diebus, ut ex Calendario, quem ex ambobus, & Ovidio confecimus, liquet. quoniam apparens occaſus veſpertinus verum antecedit. Denique Columella Lib. IX, cap. XIV ſcribit Arcturum oriri poſt quinquageſimum à canicula diem. quod de ortu heliaco verum eſt. Sirius oriebatur Cæſari Leontonos VIII, id eſt Auguſti II; Arcturus Parthenonos XXVII. Intervallum dierum quinquaginta ſolidorum.

Orion. Theoph. Lib. de Ventis. Orionem Theophraſtus ait oriri ἐν ἀρχῇ τῆς ὀπώρας· δύνειν ἐν ἀρχῇ τοῦ χειμῶνος. ubi ὀπώραν pro inclinante jam æſtate ſumit, diebus aliquot à confecto ſolſtitio. In laterculo, lucida pedis Orionis heliacum ortum facit Carcinonis XVIII, Julii XII. Sed Theophraſti ſæculo, & Athenis maturiùs id fiebat. Verùm poſt ortus heliaci diem ex tabulis confectum apparentes iidem ortus matutini repetuntur. Itaque propagatus hic ortus eſt uſque ad ὀπώρας initium. At matutinus occaſus ejuſdem lucidæ contigit Scorpionos V, Octobris XXIX. zonæ media Scorpionos XII. occidit, Novembris V. Humerus dexter Scorpionos XXI, Novembris XIV. Itaque verum eſt ineunte hieme Orionem occidiſſe. Conveniunt & quæ de Orionis ortu ab Ovidio, Columella, & Plinio produntur. ut cum zonam oriri VI Cal. Jul. aſſerunt Ovidius, & Plinius. Media quippe ſtella baltei in Ægypto Carcinonos quarto heliacè oriebatur. Romæ XVII. ſed ante hanc in eodem balteo altera conſurgit.

Polybius Lib. I. ſcribit Romanos in Africam è Sicilia trajeciſſe inter ortum Orionis, & Sirii, incommoda tempeſtate. Ortum utrobique intelligit heliacum. Nam Sirius Leontonos VIII, ineunte Auguſto; Orion paullò poſt Solſtitium oriri incipiebat. Ergo Julio menſe navigarunt. Sic Heſiodus meſſis ac trituræ tempus circumſcribit Orionis exortu:

—— Εὖτ' ἂν πρῶτα φανῇ μένος Ὠρίωνος,

—— Cùm primùm apparere cæpit robur Orionis.

Baſiliſcus. Leonis in pectore clara ſtella occidit XXVII Januarii, ut ſcribit Columella. ut Ovidius, XXIV. In laterculo noſtro eadem ſtella Hydronos tertio manè occidit, prorſus ut Ovidius, refert, Januarii XXIV. Quare de occaſu coſmico capiendus eſt. At Columella Leonis claram in pectore ſtellam exoriri aſſerit IX. Cal. Aug. & Prid. Non. Aug. Leonem oriri medium. quod de heliaco non poteſt accipi; qui Leontonus XVIII, Auguſti XII primitus occœpit. ad verum & coſmicum Plinii locus mendoſus. referri poteſt. Atqui Plinius Lib. XVIII, cap. XXVIII, *tertio Calendas*, ait, *Auguſti menſis regia in pectore leonis ſtella matutino Cæſari immergitur.* Matutinum occaſum hæc verba demonſtrant. qui in Aquarii gradu tertio, Januarii XXIV accidit. Mendoſus ergo locus eſt Plinii, ac legendum omnino eſt *emergit*, vel *emergitur*, id eſt oritur cum Sole.

Geminus occaſum Leonis conſentaneè ponit Aquarii ſecundo. Ptolemæus Leonici baſiliſcum occidere ſcribit VI Cal. Febr. ſive Jan. XXVII. Græcus autem à nobis editus ſtatuit ejuſdem occaſum in Januarii, vel Tybi XXII; nec non Mechir, vel Februarii VI. Sextus Mechir convenit Januarii ultimo.

Inter Hyades lucidiſſima eſt, quæ in oculo Tauri poſita Palilicium ſidus à Romanis vocatur. Hyades. Occaſum Hyadum refert Heſiodus in idem tempus, quo Pleïades & Orion occidunt: ídque arationi opportunum eſſe ſcribit in ſecundo libro:

—— Αὐτὰρ ἐπὴν δὴ
Πληϊάδες, θ' Ὑάδες τε, τό τε σθένος Ὠρίωνος
Δύνωσιν, τότ' ἔπειτ' ἀρότου μεμνημένος εἶναι.

Hic occaſum matutinum, ſive coſmicum ſignificat. Nam in laterculo noſtro Palilicium mane occidit in gradu 9 Scorpii Romæ, id eſt Novembris 2. quo die Columella Tauri caput occaſum facere ſcribit. ut & Geminus ex Calippo. At in Ægypto matutinus occaſus fiebat in gradu Scorpii undecimo, Novemb. IV. Porrò idem Columella ſuculam mane occidere ait XXI Novemb. nec non Rhapſodus ille ſub nomine Ptolemæi à Leonico editus. Nam Græcus noſter in Novembris, vel Athyr XVI ſucularum ortum matutinum conjicit. Apud Geminum Hyadum occaſus die Scorpionos XXVII, ex Euctemone: ex Eudoxo, XXIX contingit. qui Julii Cæſaris ætate reſpondebant Novembris XX, & XXII. Euctemonis vero, & Eudoxi ſæculo, dies illos antecedebant. Hic eſt apparens occaſus matutinus Hyadum, qui eſt vero poſterior. Ideò poſt coſmicum verum ad dies aliquot extenditur: quemadmodum ortus veſpertinus verus poſterior eſt apparentibus. qui pluribus diebus ante illum ſæpè repetuntur in Faſtis. Verus exortus veſpertinus Palilicii ſideris Julii tempore, Scorpionos XXI, Novembris XIV congruebat, poſt verum occaſum matutinum. Sed apparens ortus veſpertinus præcedebat: quem VI Novembris, vel Athyr, Græcum Ptolemæi parapegma collocat. Geminus autem Zygonos XXII, Eudoxi ſæculo. Plinius Lib. XVIII, cap. XXXI ſexto Kalendas Novembris ſoculas ait exoriri veſperi, eodem ſcilicet apparente ortu. Plinii error. Mox verò pridie Calendas Novembres Cæſari dicit exoriri cum Sole ſuculas. Falsò. Nam id verno tempore accidit. Scripſit, aut ſcribere debuit, *cum Sole occidente.* Palilicium ſidus idem Plinius libro XVIII, cap. XXVI refert occidere veſpere ex Cæſaris calculo, XV Cal. Maias. id eſt Crionos XXVI, quem in diem heliacus occaſus illius ex noſtris ratiociniis incidit. Ptolemæus Leonici Suculas ait emergere Aprilis VI. Imo immergebantur illo tempore, & poſt occaſum Solem condebantur. quod Aprilis XVII poſtremò faciebant. Hinc apud eumdem XII Aprilis, XV, XVI & XVII occultari veſperè dicuntur. Etenim ortus Palilicii matutinus apparens cœpit in Julianis Faſtis Didymonos XI, Junii IV. Unde caſtigandus eſt Ptolemæus Græcè à nobis editus; qui Junii III lucidam ſucularum ait occidere veſpere. quod eſt falſum. Ideo ſtarim Junii VII ὑετὸς, inquit, ἐπισημαίνει. Non minùs caſtigandus eſt Geminus, qui Tauronos die XXXII ponit ortum veſpertinum Hyadum. pro quo matutinus ſubſtituendus eſt; quem Didymonos V mox, Eudoxo auctore, ſtatuit.

Capellam, quæ eſt in Aurigæ tergo, ſcribit Ovidius, & Columella exoriri Calendis Maiis. Capella. Plinius VIII menſis ejuſdem. Hoc in Ægypto verum eſt de ortu heliaco, qui in Tauronos die IX incidit. Romæ autem, Crionos XVII, Aprilis VIII. Ptolemæus noſter Martii XXIX, & Aprilis XVIII Capræ matutinum ortum exhibet. Geminus ex Euctemone Tauronos IX.

Delphinum Ovidius ait veſpere oriri IV Eidus Junias: Delphinus.

Navita puppe ſedens Delphina videbimus, inquit,
Humida cùm pulſo nox erit orta die.

Conſentiunt Plinius, & Columella. Laterculum quoque noſtrum adamuſſim convenit. Nam lucida caudæ Delphini acronychum exortum ibi facit Didymonos XVII præcisè; qui eſt IV Eid. Jun.

Lyram, ſeu fidiculam occidere veſpere Columella XXII Januarii: Ovidius XXIII prodiderunt. Lyra. Eſt hic heliacus occaſus, non acronychus, ut à quibuſdam

notatur. Nam heliacus occaſus Lyræ accidit Hydronos VI, Januarii XXVII.

Aquila. Aquilam IV Cal. Januarias occidere veſpere auctor eſt Columella lib. XI, cap. II. Plinius lib. XVIII, cap. XXVI, tertio Calendas in Attica, & finitimis locis. De occaſu heliaco loquuntur; qui Romæ fiebat in gradu Capricorni undecimo, id eſt Januarii II: Alexandriæ in gradu quinto, ſexto Calend. Jan. Ptolemæus Græcus Decembris, vel Choeac XXVII, & XXX Aquilam occidere ait veſpere. Gemino quoque ſeptimo Capricorni idem evenit auctore Euctemone. Eamdem mane oriri viceſimo ſexto Toxonos referebat Eudoxus. Sic in laterculo noſtro ortus illius heliacus in XXVIII Toxonos incurrit, qui eſt Decembris XXI. Græcus Ptolemæus Decembris, vel Choeac XXV. Rhapſodus à Leonico editus mendoſè habet ortum veſpertinum Aquilæ XI Calend. Januar. Hic enim in gradu Geminorum IX contigit, Junii II. cui & Columella, & Plinius adſtipulantur, nec non Ovidius. quin & Rhapſodus ipſemet.

Varro conſtituitur, & illuſtratur. Varro lib. II de re Ruſtica, cap. II. *Tempus optimum ad admittendum* (de ovibus loquitur) *ab Arcturi occaſu ad Aquilæ occaſum.* Plinius quoque lib. VIII, C. XLVII, *Coitus omnibus ab Arcturi occaſu, quod eſt a. d. tertium Eidus Maias, ad Aquilæ occaſum, id eſt XIII Calend. Aug.* Ita legendus hic locus, qui vulgò depravatus eſt. Intelligunt utrobique coſmicum occaſum, ſive matutinum. Nam Arcturus in Geminorum quarto gradu incipiebat occidere, id eſt Maii XXVIII, Romæ. Alexandriæ verò Tauronos XIII, id eſt Maii ſexto, Aquila mane item occidit Romæ Carcinonos XXVII, id eſt XII Calend. Auguſtas. Hoc tempus admiſſuræ unicum ovibus ambo illi tribuunt. Poſtea concepti agni invalidi ſunt, ait Plinius. quos *cordos* antiqui vocabant. Verùm alterum præterea tempus fuiſſe, & quidem nonnullorum ex opinione commodius, idem mox Plinius indicat his verbis: *Multi hibernos agnos præferunt vernis: quoniam magis interſit ante ſolſtitium, quàm ante brumam, firmos eſſe; ſolumque hoc animal utiliter bruma naſci.* Virgilius II Georg. inter laudes Italiæ eam recenſet, quòd ibi

Bis gravidæ pecudes.

Quò Servius pertinere illud Bucol. II putat;

Lac mihi non æſtate novum; non frigore deſit.

De fœtura duplici pecorum. Quamobrem fœturam aliam æſtivam; aliam hibernam fuiſſe conjectura eſt, non in Italia ſolùm; ſed etiam in Oriente; ut in Syria, & Meſopotamia. Geneſeos cap. XXX, 41, & 42, duplex hæc admiſſura ſignificatur: quarum una tempeſtiva; altera ſerotina dicitur. Itaque Jacob in maturiore, & tempeſtiva, decorticatas ex parte virgas alveis imponebat, ut variæ, ac maculoſæ pecudes naſcerentur; quæ in mercedem ſibi ceſſerant; quod priore illa fœtura valentiora, & robuſtiora pecora gignerentur. In ſerotina virgas non ponebat, ut ex ea natæ pecudes, quæ imbecilliores erant, Labanis eſſent. Quem ad locum Hieronymus in Tradit. & Aug. Quæſt. XCV in Gen. bis in Meſopotamia, ut & in Italia, gravidas eſſe pecudes aſſerunt. *Natura autem Italicarum ovium, & Meſopotamiæ una eſſe traditur*, ait Hieronymus. Sed in conſtituenda admiſſuræ utriuſque tempeſtate variant auctores. Nam alii tempeſtivam eſſe putant eam, quæ vere fit: ſerotinam, autumnalem. Ita Aben Ezra, aliique ex Hebræis, quos Munſterus, Fagius, Mercerus ſequuntur. ex noſtris Pererius, & Delrius. Alii contrà tempeſtivam admiſſuram autumno; ſerotinam vere factam arbitrantur. Ita Vatablus. Nec aliter S. Hieronymus in Tradit. ſi ejus verba diligenter attendimus: *Si quando oves & capræ primo tempore aſcendebantur, quia melior vernus eſt fœtus, ante ipſas ponebat virgas, ut varia ſoboles naſceretur.* Vernus fœtus eſt, qui vere naſcitur. Hunc ergo hieme ineunte, vel autumno deſinente gigni oportuit. Oves enim uterum ferunt menſibus quinque, vel diebus CL; ut Ariſtoteles auctor eſt lib. VI Hiſt. Anim. & Plinius loco cit.

Temporarium, & ſerotini. Ut huic poſteriori ſententiæ faveam potiùs, quàm alteri, facit illud imprimis; quod *temporarii*, & *ſerotini* vocabula aliàs in ſacris litteris uſurpentur ad eum modum, quem illa defendit. Ut cùm imber temporarius, & ſerotinus dicitur Deuteron. XI, 14, Hebr. יורה ומלקוש, ὑετὸς πρώϊμος, καὶ ὄψιμος. quem ad locum R. Selomoh יורה interpretatur de pluvia, quæ poſt ſementem cadens terram & ſatus irrigat, מלקוש verò de ea, quæ ſub meſſem venit. Cui & Aben Ezra conſentit. nec non David Kimhius in cap. II Joel, com. 24. ubi utraque pluvia memoratur. ac tempeſtivam ait Kimhius menſe Marcheſwan accidere; ſerotinam in Niſan. Chaldæus ibidem ſerotinam confert in Niſan.

Origo appellationis utriuſque duplex, ut opinor, fuit. Prima & antiquiſſima ex ipſa rerum natura, & ruſticorum operum uſu & commoditate manavit. Nam ea tempeſtiva dici ſolent, quæ maturè, & ſub ipſum initium accidunt; ſerotina, quæ tardiùs, & ſub exitum. Opera omnis ruſtica ab aratione & ſemente incipit; & in meſſem deſinit. Quæ igitur pluvia ſub ipſum arationis, ac ſementis tempus affluit, ea tempeſtiva, & matura dici meretur. quæ paullò ante meſſem; tarda, & ſerotina. Altera cauſſa ab anni civilis exordio petitur: quem Judæi ab autumno & Tiſri auſpicabantur. Itaque tempeſtiva rectè vocabantur, quæ ineunte anno: ſerotina, quæ inclinante fiebant. Hæc ſi vera ſunt, profectò non alio ſenſu tempeſtiva, & ſerotina fœtura ab iiſdem Judæis uſurpata videtur, quàm quo pluviam appellatam ac diſtinctam inter omnes convenit. Ideo tempeſtivam admiſſuram autumnalem; ſerotinam, vernam, aut æſtivam intelligi par eſt.

Aliàs autem, ac propter diverſi generis opportunitates tempeſtivum, ſive πρώϊμον id dici poterat, quod vere accidit; ſerotinum, quod inclinante jam anno. ſiquidem ut ad lib. II Odyſſ. ſub initium obſervat Euſtathius, μικρός τις ἐνιαυτὸς ἡ ἡμέρα. ἧς οἷα μὲν ἔαρ ἡ πρωΐα διὰ τὸ εὐκρατὸν τοῦ ἀέρος· θέρος δὲ οἷον ἡ τῆς ἡμέρας μεσημβρία· φθινοπώρῳ δὲ τὸ μετὰ δείλην ἔοικε. χειμὼν δὲ δίκην συνθρωπάζει τὸ πρὸς ἑσπέραν, καὶ ἐπέκεινα. *Parvus quidam annus eſt dies. cujus veris inſtar eſt manè, quòd tum aër temperatus ſit. meridies æſtatis inſtar eſt. autumno pomeridianum tempus ſimile eſt. hiemis inſtar triſtis eſt veſpera, & quod deinceps ſequitur.*

Hæc propter occaſum Arcturi & Aquilæ paullò ſunt diſputata fuſiùs. Ac de methodi uſu & exemplis hactenùs. quorum tractatio cùm ad imitationem propoſita tyronibus eſſe debuit: tum ſequentibus in libris, ac diſputationibus utilis eſt futura.

CAPUT IX.

De ortu & occaſu Vergiliarum explicantur ea, quæ ab antiquis memoriæ ſunt prodita. Virgilii de iis locus inextricabilis. plerique auctores explicati, aut caſtigati.

PRÆCIPUA apud antiquos obſervatio fuit Vergiliarum, quas Græci πλειάδας dixerunt: adeo ut ab illis πλεῖον vocatus ſit annus, ut refert Theo in Comment. ad Aratum. Lycophron certè πλειῶν vocabulum pro anno ſumit, his verbis:

Εἰς πέντε που πλειῶνας ἱμείρων λέχους.

Quinque circiter annos lecti cupidus.

quod & Heſychius habet: etſi alteram hujus appellationis cauſſam affert, διὰ τὸ πάντας τῆς γῆς τοὺς καρποὺς συμπληροῦσθαι: *quòd fructus omnes terræ pleni eo vertente proveniant.* Eæ ſitæ ſunt in tergo Tauri, numero ſex, ait Geminus. Hyginus *inter finitionem corporis Tauri, & caudam Arietis* eaſdem locat: Aratus prope ſiniſtram ἐπιγουνίδα Perſei. quam vocem variè Interpretes acceperunt.

Ἀγχοῦ δέ οἱ σκαιῆς ἐπιγουνίδος ἤλιθα πᾶσαι
Πληϊάδες φορέονται.

Cicero,

At propter lævum genus omni ex parte locatas
Parva virgilias tenui cum luce videbis.

Avienus,

Pleiades femoris pariter ſub fine ſiniſtri
Perſeus protollit.

Hippar-

Hipparchus lib. I εἰς τὰ φαινόμενα negat vicinas eſſe genu ſiniſtro Perſei. Itaque ἐπιγουνίδα quidam ad crus integrum retulerunt. Vide Theonem. Idem Hipparchus Attalum reprehendit, quod ſex eſſe ſolas dixerit, cùm ſint numero ſeptem: ut & Aratus cecinit: ſed unam minimè apparere. Addit Theo triangulum illas facere, cujus baſis ad ortum reſpicit; neque magno ſpatio contineri. quippe in longitudinem unum gradum; in latitudinem ἥμισυ, ἢ ὄγδοον, occupare hoc eſt ſexageſimas 37½. Harum media, quæ & lucida Pleïadum dicitur, magnitudinis eſt tertiæ; ceteræ quintæ, & ſextæ. Ita cùm exiguæ ſint, magnarum tamen rerum ſignificationes habere credebantur. Cicero:

Hæ tenues parvo labentes lumine lucent.
At magnum nomen ſigni clarùmque vocatur.

Nam & æſtatis, atque hiemis initia, & meſſium, atque arationum tempora diſtinguebant: ſic ut nullius ſideris clarior apud auctores, aut frequentior exſtet memoria. Nos ad eos illuſtrandos hoc loco duo quædam explicabimus: alterum de tempore ortus illarum, & occaſus: alterum de anni partitione, quam iiſdem Veteres aſſignant. Totidem enim capita ſunt in Pliniani Exercitatoris incondita farragine, in quam paullò pòſt inquiremus.

De ortu, occaſúque Pleïadum triti ſunt, nec tamen prætermittendi verſus Heſiodi II Ἐργ.

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ᾽ ἀμητοῦ· ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.
Αἳ δή τοι νύκτας τε, καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
Κεκρύφαται· αὖτις δὲ περιπλομένου ἐνιαυτοῦ
Φαίνονται, τὰ πρῶτα χαρασσομένοιο σιδήρου.

Pleiadibus Atlante natis orientibus
Incipe meſſem: arationem verò occidentibus.
Quæ quidem noctes, & dies quadragita
Occultantur: rurſum verò circumvolvente ſe anno
Apparent, primùm ut acuitur ferrum.

Hîc matutinum ortum φαινόμενον, ſive ἡλιακὸν ſignificari, ac δύσιν ἑῴαν, ſive occaſum coſmicum, ne pueri quidem neſciunt. Heſiodi ſæculo ortus ille contingebat in Tauro. Stellæ ſunt Virgiliæ plures. una eſt ex iis lucidior ceteris, magnitudinis tertiæ. Ea tempore Heſiodi occidebat heliacè in gradu Arietis 4, 8′. oriebatur in Tauri gradu 11, 4′. At prima ſtella verſus occidentem occaſum heliacum faciebat in gradu Arietis 0, 51′. Intervallum inter occaſum primæ Pleïadum, & ortum lucidæ gradus 40. Meritò itaque diebus abſcondi quadraginta Virgilias canit Heſiodus. Sol in Arietem vero motu ſubibat Heſiodi tempore Martii XXXI. Quippe anno Per. Jul. 3714 verus locus Solis in Arietis initio fuit Athenis Martii XXXI, hora poſt mediam noctem 1, 24′. Itaque Taurum ingrediebatur Aprilis XXX. Maii proinde XI die lucida Pleïadum oriebatur. Ultima verò Pleïadum ad orientem Maii XVI, quo tempore meſſis incipiebat in Græcia.

Occaſus earumdem matutinus in Libræ 19 gradu fiebat, ſed ἀληθινός, nec aſpectabilis. Ideo circa initium Scorpii ἐπισημαίνεται φαινομένη accidit, ineunte Novembri. Nam æquinoctium autumnale per idem tempus incidit in Octobris initium. Tum igitur arationis, ac ſationis tempus appetit. quod Virgilius his verſibus expreſſit:

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſiáque ardentis decedat ſtella Coronæ,
Debita quàm ſulcis committas ſemina, &c.

Eoum, id eſt matutinum occaſum intelligit, non, ut Servius putat, heliacum. qui & imperitè Virgilias ait *Novembri menſe incipere non videri:* quaſi in Scorpio ſitæ radiis Solis obſcurentur.

Virgilii locus inextricabilis. De eodem ortu & occaſu Virgilius quoque lib. IV Georg. meminit, ubi de duplici mellis vindemia.

Bis gravidos cogunt fœtus: duo tempora meſſis:
Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum
Pleias, & Oceani ſpretos pede reppulit amnes,
Aut eadem ſidus fugiens ubi piſcis aquoſi
Triſtior hibernas cœlo deſcendit in undas.

Hîc duo tempora mellis metendi deſcribit; alterum poſt ortum Pleïadum, verno tempore: alterum autumno, poſt occaſum matutinum. in quo Ariſtotelem ſequitur lib. IX Hiſt. cap. XL. qui & lib V, cap. XXII mel negat fieri ante Vergiliarum exortum. Sed cur Pleiadem occidendo piſcem ait fugere? Servius, ac reliqui, quos vidi, Interpretes, auſtralem piſcem intelligunt, cujus in os aquarius aquam infundit; unde & aquoſus dicitur. Hic autem eo tempore oritur, quo Pleïades occidunt. Atqui falſum iſtud eſt. Nam quo momento Pleias in occaſu matutino ſita eſt in elevatione poli, ſub qua Poëta ſcripſit; os piſcis auſtralis parum abeſt à meridiano inferiori; eóque ſita proximè perfunctum eſt, quem Ptolemæus appellat ἰχθὺν τὸν μεσημβρινόν. Ceteri quoque piſces ante Virgilias ortum, & occaſum faciunt. Ideo quærendum eſt, quo ſenſu Pleias piſcem fugiens occidere dicatur à Virgilio. quod niſi de inſtante ſidere aliquo uſurpari non ſolet. Sic enim rectè Quintus Calaber lib. V hanc eamdem Pleïadem Orionem fugientem occidere ſcribit.

——— ——— ὁ δ᾽ ἄρ᾽ ἤϊε λαίλαπι ἶσος
Σμερδαλέῃ, φορέῃσι κατειγύσι βεβολημένῃ,
Ἥ τε φέρει ναύτῃσι πέλας κρυεροῖο φόβοιο.
Πληϊὰς εὖτ᾽ ἀκάμαντος ἐς Ὠκεανοῖο ῥέεθρα
Δύνει ὑποφεύγουσα περικλυτὸν Ὠρίωνα.

Nam Pleïades occaſu matutino Orionem antecedunt. At de piſcibus, præſertim de auſtrali, qui dicatur equidem non video.

De tempore ortus Pleiadum. Virgiliarum ortum Varro, Columella, Plinius, aliique ſcribunt, poſt dies XLIV, vel XLVIII ab æquinoctio verno contingere. Varro libro I, capite XXVIII dies XLIV præfinit. ceteri octo & quadraginta; Columella libro IX, capite XIV, (qui tamen libro XI, capite II Nonis Maii, id eſt XLIV die ab æquinoctio eaſdem oriri ſcripſit:) Plinius lib. XVIII, cap. XXV. Hoc ſive de ſola Pleïadum ſplendidiſſima, maximáque capiatur: ſive de toto aſteriſmo; verum non eſt. Nam illius ortus heliacus Romæ accidebat in ultima parte Tauri, ſexageſimo, & eo ampliùs die ab ingreſſu in Arietem: hoc eſt die Maii XX. Sin de toto aſteriſmo id intelligendum eſt, Virgiliarum illa ſtella, quæ ex lucidioribus tribus maximè ad orientem pertinet, anno primo Juliano oriebatur heliacè in gradu Geminorum 5. hoc eſt diebus ab æquinoctio ampliùs ſexaginta quinque. Hoc verò Metonis ſæculo in ea poſitione cœli, quæ eſt Athenis, contigit. Nam Per. Jul. anno 4283; qui proximus eſt ab eo, quo Meton ſolſtitium obſervabat, ortus heliacus lucidæ Pleïadum incidit in Tauri gradum 18, 46′. qui in Maii XV diem circiter ſæculo illo congruebat. Æquinoctium verum commiſſum eſt anno quem diximus, Martii XXVII, hora 0, 28′; Athenis. Ingreſſus in Taurum vero motu convenit Aprilis XXVI, hora 18, 56′. Ita gradum Tauri 18, 48′ tenuit Sol ea nocte circiter, quæ inter XIV, & XV Maii interceſſit, hoc eſt die XLVIII poſt æquinoctium.

Ad hoc tempus intervallum hoc dierum XLVIII æquinoctium inter, & ortum matutinum Pleïadis referri debet: non ad Julianum ſæculum, neque ad ſitum Romæ, ſed Græciæ. Cùm autem celeberrima, & ubique propagata Metonis enneadecaëteris eſſet, ac parapegma, ex eóque temporum ratio duceretur, quæ ad navigationem, agriculturam, & id genus alia gubernanda transferri ſolet; perdiu ex illius præſcripto ortuum & occaſuum in ſtellis, ac tempeſtatum ſpatia dimenſi ſunt. quamvis accuratiores inſequentium aſtronomorum calculi paullatim hæc eſſe mutata convincerent. ſed quod ſemel populari uſu, ac publicè ſancitum, inveteravit, id imperitorum ac ruſticorum præſertim ex animis evelli, atque extorqueri difficilè poteſt.

De hoc Metonis anno, ac parapegmate ad id, quod diximus, appoſitè Feſtus Avienus in Arateis ita ſcripſit:

Illius ad numeros prolixa decennia rurſum
Adjeciſſe Meton Cecropea dicitur arte:
Inſeditque animis, tenuit rem Græcia ſolers
Protinus, & longos inventum miſit in annos.

Quamobrem tametſi ab Hipparcho, & aliis deinceps rerum cœleſtium peritis multa in aſtronomia, ac tempeſtatum diſtributione commutata, innovatáque ſint; hæſit

hæſit tamen penes vulgus, & in ruſticæ rei præſertim adminiſtratione vetus illa, & Metonica ratio: ut in lib. IX, cap. XIV Columella teſtatur. Quo ex genere Virgiliarum ille eſſe videtur ortus dierum poſt æquinoctium octo & quadraginta ſpatio definitus. Quod cùm ad Atticæ ſitum, uti dictum eſt, Metonis ætate pertineret; temerè ad Italiæ poſitum, ætatémque ſuam Romani traxêre Scriptores. Penè Ovidium prætermiſeram, qui in Faſtis Pleiadum ortum in III Eid. Maias conjicit, qui eſt XIII dies, & ab æquinoctio quinquageſimus, ab ingreſſu porrò in arietem, quem ille XV Kal. Apr. ſtatuit, quinquageſimus ſeptimus. Theo in Arateis Commentariis Pleiadas oriri aſſerit XXV menſis Pharmuthi. qui in XX diem Aprilis cadit, *ὅτι καὶ ὁ θερίζων καιρὸς ἐν Αἰγύπτῳ*. Addit diebus poſt æquinoctium quinquaginta duobus id fieri. ac tum Solem in Tauri parte eſſe XVII. Nos ad Alexandriæ ſitum Theonis ævo, hoc eſt anno Chriſti CCCLX, ortum heliacum lucidæ Pleïadum animadvertimus in gradu Tauri XXV. Æquinoctium tunc erat in Martii XXI: à quo putati dies LII deſinunt in V Eid. Maias, id eſt in XI Maii, Epiphi XVI. At quæ in extrema cuſpide eſt ad orientem, heliacum ortum habuit in gradu Tauri 29, 55′, Maii circiter XVII. Itaque non de heliaco, ſed de coſmico loquitur. Rurſus Heſiodi ſæculo in Bœotia eadem hæc ad orientem poſtrema Pleiadum ortum heliacum faciebat in gradu Tauri 17, hoc eſt in 16, 7′. atque ita Theonis verba capienda ſunt in illa ſcholiorum miſcella; quæ neque tempora, neque ſitum regionum diſtinguit, ſi quidem ad heliacum pertineant.

Manilius exponitur. Manilius lib. V, Virgilias oriri ſcribit in ſexta parte Tauri. ſic enim illius verba interpretanda ſunt:

Taurus in adverſos præceps ut tollitur ortus
Sexta parte ſui certantes lucis ad auras
Pleiades ducit.

Cui aſſentitur Firmicus lib. VIII, cap. VII. *In Tauri ſexta parte oriuntur Pleiades.* (Etſi aliud eſt, oriri in ſexta parte Tauri, aliud Taurum Pleiadas ſexta parte ſui tollere. hoc enim eſt, ſexta parte ſigni, qui ſunt gradus V. Sed Firmicus ſextum gradum concepit.) Nec aliter intelligenda ſunt obſcura Plinii verba lib. II. cap. XLVII. *Datus eſt autem huic* (Favonio) *exortus Virgiliarum in totidem partibus Tauri, ſex diebus ante Maias Eidus.* ubi totidem partes eſſe dicit, quot ſunt dies ante Maias Eidus. Ut verum eſt Heſiodi ſæculo in Bœotia lucidam Pleiadum circiter VI Eid. Maias ortum heliacum feciſſe, non tamen in parte ſexta Tauri, ſed in XI, vel XII. ita falſum eſt hoc Plinii ſæculo contigiſſe in Italia, Græcia, vel Ægypto. Sic paſſim ab auctoribus inconditè his de rebus multa dicuntur, quæ ad methodum noſtram exigenda ſunt. Apud Geminum Pleias Euctemoni oritur XIII die Tauronos, à quo & æſtatis initium petitur. At Eudoxo Pleiades ortum faciunt die XXII. Nos Athenis Metonis tempore ortum heliacum lucidæ Vergiliarum invenimus in grado Tauri 19. ultimæ verò Pleïadis in gradu 24, 53′. Inter has ambas media eſt poſterior obſervatio Gemini. In libro, qui Ptolemæo inſcriptus eſt, de inerranobus ſtellis, Virgiliarum exortus ponitur Aprilis I, tum X Kalend. Maias, hoc eſt XXII April. tum Nonis Maii, & IV Eid. & III. Kal. Junii. Ita more ſuo Scriptor ille partim falſa, partim alienis facta temporibus in eamdem Myconum inferciit. (Nam in Græco nulla, ut in Notis obſervamus, Pleïadum mentio.) Quod autem oriri Kalend. April. ait: hallucinationem eſſe vel auctoris, vel interpretis apparet. Nam tertio pòſt die occaſum ejus poſuit. qui utique ortum antecedit.

De occaſu Pleïadum non minor eſt Scriptorum varietas. matutinum enim alii diebus XLVIII poſt æquinoctium autumnale definiunt. Ita Plin. l. XI, c. XVI, ubi & diem præfinit Eid. Nov. à quo retrò putati dies XLVIII deſinunt in XXVII Sept. Quare poſt æquinoctium Soſigenis, quod in XXVI Sept. Plinius contulit, dies illi putandi ſunt. At idem Plinius lib. II, cap. XLVII, poſt æquinoctium autumnale diebus XLIV occidere Pleiadas ait, idque III Eid. Nov. fieri. Hoc modo æquinoctium congruet Septembris XXVIII, vel XXIX. Atqui idem etiam repetit cap. XXV libri XVIII, ex Cæſaris præſcripto. Columella lib. IX, cap. XIV ab æquinoctio diebus XL occidere Pleïadas refert. Varro lib. I, cap. XXVIII diebus XXXII. Ad hæc Plinius lib. XVIII, cap. XXV occaſum matutinum Pleïadum ex Heſiodo tradidit fieri cùm æquinoctium autumni conficeretur. ex Thalete verò die XXV: Anaximandro XXIX: Euctemone XLVIII.

Ex his omnibus Julio Cæſari maximè Varronis illa ſententia congruit, ſi de occaſu matutino vero, non apparente ſermo ſit. Hunc enim deprehendimus in gradu Scorpii 3, 17′. Sic etiam Thaletis tempore, hoc eſt anno Per. Jul. 4113, occaſus idem matutinus verus in gradum libræ XXIV competit. quod eſt eximium. Verùm, ut ex Gemino, & Ptolemæo ſuprà demonſtratum eſt, ortus acronychus, & occaſus matutinus verus ab apparentibus diſcrepant. Quantum verò inter utroſque dierum interjectum ſit, à nemine, quod ſciam, explicatum eſt. intereſſe autem aliquot, tam ratio ipſa, quàm experientia convincit. Quocirca Anaximander de apparente Pleiadum occaſu; Thales de vero capiendus eſt. In Heſiodo ratio non conſtat. Nam lucida Pleïadum ejus ſæculo occaſum matutinum habuit in gradu Libræ 18, 47′. Non levis fortaſſe ſuſpicio eſt, Plinii error. Plinium per imprudentiam occaſum matutinum pro heliaco ſumpſiſſe. Hic enim Heſiodi ſæculo propemodum in æquinoctium incurrit. Siquidem è lucidioribus tribus, quæ ad occidentem vergit, occaſum heliacum faciebat in gradu Arietis primo, id eſt 0, 51′. Orientalis in cuſpide ſita in gradu 2, 13′. ſplendidiſſima omnium in 4, 8′. Vide quàm bellè ad hunc modum ratiocinia congruant. Nam de occaſu matutino falſiſſima res eſt. Metonis porrò tempore, adeóque Euctemonis, occaſus matutinus verus Pleïadis in Libræ 27, 44′ convenit. ad quod ſpatii aliquid accedat oportet ad uſque *φαινόμενον*. cujus etiam apparentis occaſus gradus aliqui ſunt. Nam paullatim, ubi longiuſculè ab oppoſita cœli regione Sol diſceſſerit, tam in ortu, quàm in occaſu ſtella conſpicitur: idque continuè fit diebus aliquot. Geminus enim capite XI ſcribit veros ortus, & occaſus matutinos priores eſſe apparentibus: in veſpertinis contrà priores eſſe veris apparentes. Igitur apparentes ortus, & occaſus matutini, quas Græci *προανατολὰς*, & *προκαταδύσεις ἠῴας φαινομένας* nominant; ſæpiùs repetio veros ſequuntur, quamdiu mediocri interſtitio Solis ortum cadens vel oriens ſtella prævertit. Sic etiam ante veſpertinum ortum ſtellarum, & occaſum *ἀληθινὸν* fiunt apparentes complures; quoad modico ſpatio conditum Solem ortu ſuo, vel occaſu ſtella conſequitur.

Quæ demum varietatis illius afferri cauſſa poteſt, quam etiam ætatis inter ejuſdem, ac regionis auctores plerumque cernimus: dum alius orientibus, cadentibúſve ſtellis alia præſcribit tempora, diémque diffundit. ut ab iis terminis, quos ex aſtronomicis regulis triangulorum ope, ac methodo conſtituimus, pluſculum interdum recedere videantur. Id eo fit, quòd Scriptores illi, qui rerum vel geſtarum memoriam, vel communis ad uſum vitæ ſpectantium tractationem inſtituunt, populari trutina, & ſenſuum, vulgique judicio & æſtimatione, non limata, & ſubtili ratione iſta deſcribant. Quare ex eo omni tempore, quod ſiderum ortus & occaſus *ἀκριβῶς* mediocri ſpatio vel matutinos ſequitur, vel antecedit veſpertinos; alii alios eligunt dies, quibus oriri ſtellas, vel occidere pronunciant. præſertim cùm *ἐπισημασίαι* vehementiores, & inſignes aëris mutationes incidunt: quæ certis illis ſideribus ex antiqua, & à majoribus tradita opinione tribui ſolebant. Quòd ad effectus, & *ἐπισημασίας* potiùs, quàm ad exactos ortus occaſúſque reſpectum habuerint Mathematici veteres in ſuis parapegmatibus, argumento eſt, quòd, ut refert Theo in Arateis, parapegmata ſua publicè proponebant cum præſagiis tempeſtatum, ventorum, & id genus aliorum, quæ anno toto futura præſciverant. Verba Theonis digna ſunt, quæ hîc adſcribantur: *οἱ δὲ μετὰ Μέτωνα ἀστρονόμοι καὶ πίνακας ἐν ταῖς πόλεσιν ἔθηκαν περὶ τῆς τοῦ ἡλίου περιφορᾶς τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος, ὅτι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τοιόνδε ἔσται χειμών, καὶ τοιόνδε ἔαρ, καὶ τοιόνδε θέρος καὶ τοιόνδε φθινόπωρον καὶ τοιοίδε ἄνεμοι καὶ πολλὰ πρὸς βιωφελεῖς χρείας τοῖς ἀνθρώποις.* Hæc autem omnia non in ipſis aſtronomicorum ortuum, vel occaſuum momentis; ſed aliquando antè, vel pòſt obſervari ſolent.

Geminus in parapegmate refert ex Calippi deſcriptione

ptione Vergilias occidere in parte Scorpii 16. At Eudoxo in 19. Euctemoni verò in 15. cùm antè Democritus in 4 ſtatuiſſet. Liber de inerrantium ſignificationibus, qui Ptolemæo tribuitur, Vergiliarum occaſui matutino plures adſcribit dies, nempe Octobris XIX, XXIII, XXVII, Calendas Novembres, diem ejuſdem VII, XI, & XIII. qui occaſus ſuperioribus illis à Gemino memoratis aſtronomorum decretis accommodari poſſunt: ita ut non occaſus veri; ſed apparentes intelligantur eo modo, quem proximè propoſuimus.

Sanè Julii Cæſaris ætate verus occaſus matutinus Pleiadum fiebat in quarta parte Scorpii. Ab hoc tempore interjectis diebus decem, aut quatuordecim, contingit apparens occaſus die ab æquinoctio XLIV, vel XLVIII. quorum utrumque, ſed illud maximè, Soſigeni, ac Julio Cæſari imputatur à Plinio.

Sub idem tempus autumni, ante matutinum occaſum, Pleiadum veſpertinus ortus accidit. cui quidem diverſi apud Geminum, & Ptolemæum præſtituti ſunt dies. Geminus ait Euctemonem in 5 Libræ parte ſtatuiſſe: Eudoxum in 10. Quod ut de ἀληθινῷ capiatur, contigit Heſiodi ſæculo. Tum enim in Libræ 10 parte ἀκρονύχως oriebantur in Græcia Virgiliæ: Thaletis autem tempore in 16, eodem in ſitu regionis. At Metone vivente, in 19. Julii denique Cæſaris ævo in 23. Atque hæ ſunt ἀληθιναὶ, & ἀκρόνυχοι ἐπιτολαί. quas utique præcedunt apparentes. Eæ porrò repetitis diebus ſæpiùs incurrunt. Ex quibus certa ſibi quiſque tempora ſumpſit; quibus oriri Pleiadas paullò poſt occaſum Solem diceret.

In Ptolemæi libello Latino Octobris Calendis, & ſecundo die, nono, ac duodecimo, idem ille ortus adnotatur. Poteſt de ortu vero ita ſcripſiſſe libri hujus auctor; qui putavit in libram ingredi Solem die Septembris XIX: à quo Calendæ Octobris decimus tertius dies eſt; nonus verò, viceſimus primus: duodecimus, quartus & viceſimus. qui poſtremus ortui Juliano acronycho convenit. ceteri Metonis, aliorúmque ſæculo quadrant. Hæc ex auctoris illius falſa perſuaſione de ingreſſu Solis in dodecatemoria octavo ante cardines die haud abſurdè ſuſpicamur. alioquin ad φαινομένην ἐπιτολὴν ἀκρόνυχον referri poterunt.

Sequitur veſpertinus occaſus Pleïadum. quem Geminus Euctemonem air in 10 parte Arietis ponere: Eudoxum & Democritum in 13. Ego Thaletis tempore occaſum earumdem heliacum accidiſſe comperio in parte Arietis 10: Metonis autem in 13. quod ſatis quadrat. Addebat Democritus latere deinde totos dies XL. Quod Heſiodi tempore verum fuiſſe demonſtravimus. Quinetiam Thaletis tempore occaſus heliacus in Arietis 10; ortus in Tauri 16 fiebat. Intervallum dierum ſex & triginta. Verùm hoc in una Vergiliarum lucida contigit. Nam ultima ad orientem quatuor, vel quinque diebus poſt illam ortum heliacum habuit. ut de toto aſteriſmo veriſſimum fit, latuiſſe dies totidem. Metonis ecce tempore lucidæ Pleïadum occaſus heliacus incidit in gradum Arietis 13. ortus poſtremæ ad orientem heliacus in gradum Tauri 25. Intervallum dierum XLII. Sic in una lucida Vergiliarum Romæ Julii Cæſaris tempore idipſum reperies. Nam occaſus heliacus in gradu Arietis 18, ortus in Tauri 30 factus eſt. Diſcrimen dierum XLII. Ptolemæi liber Latinus Aprilis III adſcribit occaſum veſpertinum Virgiliarum. qui dies eſt decimus nonus à falſo, quem putavit, Arietis ingreſſu. Ovidius Aprilis ſecundo poſuit. qui & Arietis initium confert in XV Cal. Apr. à quo ſecundus Aprilis decimus ſextus eſt dies. Hæc non malè cum occaſu lucidæ Pleiadum aſtronomico conſentiunt. Exinde VII Apr. Vergiliarum reliquum occidere ſcribit. Etiam hoc conſentaneè, ut jam diximus.

At Plinius lib. XVIII, cap. XXVI, tertiò Non. Aprilis in Attica veſperi occultari Virgilias ait: caſdem poſtridie in Bœotia; Cæſari autem & Chaldæis Nonis. Columnella lib. IX, cap. II octavo Eid. Apr. qui dies eſt ſextus, Vergilias veſpere celari dicit. decimo verò Calend. Maias cum Sole oriri. quem ortum coſmicum vocant.

Poſtremò nec illud hoc in negotio contemnendum videtur; diei principium non ab ipſo tantùm Solis exortu, ſed ab aurora ipſa, vel increbreſcente matutino crepuſculo populariter accipi. finem quoque aliàs ab occaſu Solis, aliàs ab lucidiore crepuſculo. ſic Orionis περιτελλόμενον ὦμον Aratus deſcripſit, ut exponit Theo:

—— ὁ δ' ὄντη ἠῶθι πρὸ
Ἀέριος Ὠρίων. ——

τουτέστι πρὸ τῆς ἠοῦς, *ante auroram.* Hinc ut quæque ſtella alterutrum præcedit initium, finémve ſequitur; ita ejus orientis, vel occidentis diverſa ſpatia conſtitui ſolebant.

Præterea docuit nos Godefridus Vendelinus vir in his diſciplinis apprimè doctus, ac cœleſtium obſervationum uſu detritus, animadverſum à ſe partim in Maſſilienſi provincia, partim in Belgio, æſtivis diebus, & autumno, cùm ſerenum maximè cœlum eſt, horizonti ἀτμώδη quemdam aërem incubare ad altitudinem partium circiter 17, aut 18, denſum adeo, ut per illum majores ſtellæ non traluceant, niſi ſupra horizontem gradibus aliquot exſtiterint: Pleïades verò in ipſo gradu 17 ſæpè deliteſcant. quod autumno non ſemel ſe obſervaſſe confirmat. Ex quo nova quadam ratione oriri, vel occidere ſtella dicitur, quando ex illo vapore primitùs emergit, aut in eum conditur. His ex cauſſis Scriptorum illa varietas in deſignandò ſtellarum ortu, occaſúque petitur. Nam ad viginti dies uſque poſt veros, apparentes iſti ortus, immerſionéſque contingunt.

CAPUT X.

De bipartita anni ſectione, quam Virgiliis plerique tribuunt.

ILLUSTRES in cœlo Vergilias eà res potiſſimùm fecit, quòd earum obſervatione annuas tempeſtates, tum meſſis, ac ſementis tempora diſtinguere mortales quondam ſolerent. Etenim matutinus Pleïadum ortus, & ἐπιτολὴ, quem heliacum vocant, æſtatis, ac meſſis initium dabat: occaſus verò matutinus hiemis atque ſementis. Ita biſariam quodammodo partiebantur annum. Teſtis eſt Heſiodus antiquitus id in Græcia factum eſſe verſibus iis, quos capite ſuperiori retulimus. Tum deinceps innumeri Græci ac Latini ſcriptis idem prodidêre. Quare Theophraſtus libro de ſignis pluviarum Vergilias annum biſariam partiri ſcribit his verbis: διχοτομεῖ δὲ τὸν μὲν ἐνιαυτὸν Πλειάς τε δυομένη, καὶ ἀνατέλλουσα. ἀπὸ γὰρ δύσεως μέχρι ἀνατολῆς, τὸ ἥμισυ δὲ ἐνιαυτοῦ ἐστι. *Secant annum bipartitò Virgiliarum exortus & occaſus. ab occaſu enim illarum uſque ad exortum, anni dimidium eſt.* Quod ipſum & Varro ſequitur lib I de re Ruſt. cap. XXVIII; & diſertè Plinius lib. XVIII, cap. XXIX, ubi Virgilias *exortu ſuo æſtatem incipere* ait, *occaſu hiemem, ſemeſtri ſpatio intra ſe meſſes, vindemiáſque, & omnium maturitatem complexas.* Aratus verò,

Αἱ μὲν ὁμῶς ὀλίγαι, καὶ ἀφεγγέες· ἀλλ' ὀνομασταὶ
Ἦρι, καὶ ἑσπέριαι· Ζεὺς δ' αἴτιος εἱλίσσονται,
Ὅς σφισι καὶ θέρεος, καὶ χείματος ἀρχομένοιο
Σημαίνειν ἐπένευσεν, ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.

Cicero,

At magnum nomen ſigni, clarúmque vocatur
Propterea, quòd & æſtatis primordia clarent,
Et pòſt hiberni præpandens temporis ortus
Admonet, ut mandent mortales ſemina terris.

Sed matutino id ortu & occaſu facere Virgilias, quod Aratus cecinit, non exprimit Cicero. at Feſtus Avienus hoc interpretatione ſua reddidit:

—— *Nam ſi ſe gurgite tollunt*
Vergiliæ, curvas in flava novalia falces
Exercere dies. ſi condunt æquore flammas;
Tellurem preſſo proſcindere tempus aratro.

Hæc anni bipartita diſtributio commodè, & πλατικῶς accipienda eſt, non præciſè, ac rigidè. Non enim exactè annuum ſpatium illarum ortu, & occaſu biſariam dividitur. Quod ea Hippocrate colligi poteſt. cujus eſt

 eximius

eximius hac de re locus libro III περὶ διαίτης. qui neceſſariò hic adnotandus eſt. Τὸν μὲν ἐνιαυτὸν ἐς τέσσαρα μέρεα διαιρέουσιν, ἅπερ μάλιστα γινώσκουσιν οἱ πολλοί· χειμῶνα, ἦρ, θέρος, φθινόπωρον. καὶ χειμῶνα μὲν ἀπὸ Πλειάδων δύσιος ἄχρι ἰσημερίης ἠαρινῆς. ἦρ δὲ ἀπὸ ἰσημερίης μέχρι ἀρκτούρου ἐπιτολῆς· φθινόπωρον δὲ ἀπὸ ἀρκτούρου μέχρι Πλειάδων δύσιος. *Annum in partes quatuor dividunt: quas plerique maximè dignoſcunt, hiemem, ver, æſtatem, autumnum. Et hiemem quidem ab occaſu Vergiliarum uſque ad æquinoctium vernum. ver autem ab æquinoctio verno uſque ad ortum Vergiliarum. æſtatem à Vergiliarum ortu ad ortum Arcturi. autumnum verò ab Arcturo ad occaſum Vergiliarum.* In hac anni quadripartita diviſione non ſunt æqualia ſegmenta; ſed longè major æſtatis, & hiemis eſt modus, quàm veris & autumni; cui dies haud ampliùs quadraginta finiuntur. Hippocratis ſæculo, hoc eſt Metonis, Pleiadis ortus matutinus, & heliacus contigit in Tauri parte 19, Arcturi ortus in Virginis 25. Intervallum ſignorum quatuor, graduum 6. Tantum æſtivo ſegmento Hippocrates emetitur. At verno tempori dies non ampliùs ſex & triginta competunt. Rurſus occaſus veſpertinus ac verus Pleiadum fiebat in gradu libræ 28. Itaque ab ortu Arcturi ad occaſum Pleiadum gradus ſunt omninò 33. Denique ab occaſu Pleiadis ad æquinoctium vernum quatuor ferè ſignorum interſtitium eſt. Atque ut apparentem occaſum Vergiliarum, non verum adhibeamus; haud multùm de hoc hiberno intervallo detractum fuerit. Tales igitur anni diviſiones magis ad ſenſum, & aëris, cœlique viciſſitudines, quàm ad proportionem æqualitatemque partium inſtitutæ ſunt. Quod ut in uno Vergiliarum ſidere ita eſſe monſtremus; Ortus earum heliacus Metonis ævo in Tauri gradum incidebat 19. Occaſus in libræ 28. Intervallum ſignorum V, graduum 9. Ab occaſu ad ortum, ſignorum VI, graduum 21. Quòd ſi dies interjectos æſtimare velimus: cum Metonis tempore verus Solis ingreſſus in Taurum Athenis contigerit Aprilis die XXVI, hora 17, 57′: in libram autem vero motu ſubierit Septembris XXVIII, hora 20, 10′: heliacus porrò Pleïadis ortus in Maii XV diem; occaſus matutinus in Octobris XXVI ceciderit: intervallum inter utrumque, dierum eſt CLXV. quod abeſt ab anni dimidio, hoc eſt diebus CLXXXII, horis 18; diebus fere XVII.

Sic Heſiodi tempore anno Per. Jul. 3714, quoniam æquinoctium vernum ἀκριβῶς contigit Martii XXXI, hora 1, 24′ Athenis: ingreſſus item in Taurum verus Maii I, hora 4, 18′. Item æquinoctium autumnale Octobris II, hora 17, 33′ Athenis; intervallum inter Maii X diem, in quem gradus Tauri 11, & heliacus ortus Vergiliarum cadebat; & XX Octobris, cui gradus libræ 19, atque occaſus earumdem heliacus competebat; dierum eſt CLXIII. quod longè abeſt ab anni dimidio, nempe diebus XX.

Anno denique Juliano primo, Sol in Gemínos vero motu ſubiit Maii die XXIV, hora 12, 54′ Romæ, ubi initio Geminorum ortus heliacus Vergiliarum factus eſt. At Scorpium iniit Octobris XXV, hora 5, 53′. cujus gradus quartus, in quem matutinus occaſus convenit, incurrit in Octobris XXVIII. Diſcrimen utriuſque dies CLVII. quod à dimidio anno diſtat diebus XXVI ferè. Hæc intervalli paullatim creſcentis varietas ex æquinoctii anteceſſione, nec non octavæ ſphæræ, cum ſtellis in conſequentia progreſſione, tum apogei Solis mutatione naſcitur.

CAPUT XI.

De Canicula ortu & occaſu Veterum loca multa; itémque de Procyne, diligenter expenſa.

ALterum poſt Vergilias ſidus, in quo & uſum experiemur methodi noſtræ; & Scriptorum de eo loca paullò expendemus accuratiùs, canicula eſt, quam Græci Σείριον appellant. quod nomen latiùs apud antiquos extenditur. Nam & Solem aliquando ſignificat. ut apud Heſiodum II Ἔργ. ubi autumni tempus ita deſcribit;

——— ——— Δὴ γὰρ τότε Σείριος ἀστὴρ
Βαιὸν ὑπὲρ κεφαλῆς κηριτρεφέων ἀνθρώπων
Ἔρχεται ἠμάτιος· πλεῖον δέ τε νυκτὸς ἐπαυρεῖ.

——— ——— *Nam tunc Solis ſtella*
Paullùm ſupra caput fato obnoxiorum hominum
Venit interdiu: plus autem de nocte obtinet.

Interpretes omnes in id conſentiunt, Sirium hic eſſe Solem, διὰ τὸ σειριᾶν, quod eſt λάμπειν. neque aliter hoc loco interpretari poſſis, contrà quàm vir doctus exiſtimavit. Non enim parallelus, quem canicula deſcribit, inæqualia ſegmenta ſupra terram habet, infráque diverſis in anni tempeſtatibus. quod de Sirio Poëta canit. Heſychius, Σείριος, ὁ ἥλιος, καὶ ὁ τοῦ κυνὸς ἀστήρ. Idem ab Archilocho pro Sole: ab Ibyco pro aſtris omnibus uſurpari docet. Hunc Ægyptii Sothin appellavere (ait Orus Apollo lib. I, cap. III) cui & principatum aſtrorum tribuerunt: & ex ejus ortu de anni totius ſtatu conjecturam capere ſolebant. Nam *hujus effectus ampliſſimi in terra ſentiuntur*, ut loquitur Plinius. Lib. II. cap. XL.
præcipuè verò, quòd illius exortu Solis vapores accendi putantur. *Sentiunt id maria, & terræ*, ut idem inquit, *multæ verò & feræ. Neque eſt minor ei veneratio, quàm deſcriptis in Deos ſtellis.* At Geminus cap. XIV longa, & erudita diſputatione vulgarem hunc refellit errorem, ortu ſideris ullius, aut occaſu mutari naturæ ſtatum opinantium. Non enim majore vi alius aliæ præditæ ſunt ſtellæ: nec exortu, vel occaſu ſuo tempeſtates ullas excitare putandæ ſunt. Sed penes Solem cauſſa eſt viciſſitudinum iſtarum. quarum in tempora cùm inſignium quorumdam ſiderum exortus, vel occaſus incurrerent; hæc velut ſigna, illis notandis ac deſignandis adhiberi placuit. Atque hoc in ortu caniculæ præſertim adſtruit Geminus, qui cùm in eam anni tempeſtatem incumberet, in qua vehementior æſtus exiſtit; hujus primùm ſignificandi munus; pòſt efficiendi quoque vim cauſſámque popularis illi conſenſus attribuit. Ad id verò probandum cùm alia adhibet argumenta media ex philoſophia deprompta: tum hoc unum, quod & ſenſu ipſo diſcernitur; & ad inſtitutum noſtrum valdè pertinet. Nam ſi orienti caniculæ incrementum illud ardoris, tamquam cauſſæ, tribuendum foret; tum id effici maximè oporteret, quando cum Sole conjunctа ortum cum ipſo facit; quam ἀνατολὴν propriè vocari ſuprà diximus. At res ſecus ſe habet. Non enim in ortu illo, quem nos κοσμικὸν appellare ſolemus: ſed in heliaco, ſive ἐπιτολῇ vehemens calor efficitur. nec eodem ubique tempore. ſed alibi citiùs; alibi tardiùs; pro ut ac maturiùs, aut ſeriùs Solis explicata radiis canicula conſurgit. Ut in Rhodo poſt tricenos à ſolſtitio dies oritur. aliis in locis poſt quadraginta: alibi poſt quinquaginta. Ex quo parapegmatum, inquit, vacillat fides: quorum auctores in pronunciandis ex ortu ſiderum, & occaſu tempeſtatibus, quas ἐπισημασίας vocant, non arte, ac methodo certa, ſed obſervatione, ac longiſſimi temporis experientia nituntur. Hanc Geminі rationem, primùm nominis ipſius notatio confirmat. Quippe vim illam tempeſtatum impultricem, atque ipſos mutationum effectus Græci τὰς ἐπισημασίας, Latini *ſignificationes* nominant. ut hoc intelligatur, in ſtellis illarum indicia, non cauſſas initiò conſtitutas eſſe. Tum octavi orbis, & hærentium in eo ſiderum progreſſio omnem ex doctorum animis dubitationem ſuſtulit. Nam quæ ſidera certis antea cœli ſtationibus ac temporibus affixa credebantur, ea paullatim locum mutando fidem fefellerunt: nec in eas hodie tempeſtates incidunt, quibus vel ſignificandis, vel commovendis attributæ videbantur.

Caniculam ortu ſuo æſtivos calores intendere non ſolùm antiqui perſuaſum habebant: ſed mortalium hodie omnium uſu, & communi ſermone percrebuit. Cùm autem duplex ſit ortus ſiderum; apparens, ſive heliacus; & verus, qui & coſmicus dicitur: tanta illa vis æſtus augendi, ac ceterorum efficiendorum, heliaco, non coſmico quondam ortui imputari ſolebat. ut ex Gemino paullò antè referebamus. quod & Scriptores alii nos docent; qui ex orientis caniculæ proſpectu futurorum præſagia peti ſolita demonſtrant. Sic Homerus Il. X Sirii deſcribens ortum;

Ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
Φαίνονται, πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ.
Ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν.
Λαμπρότατος μὲν ὅ γ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται.

Heliacum

Heliacum ortum intelligit; qui æſtate deſinente fit, quam ἑῴαν vocat, extrema nocte. ut recte Euſtathius exponit. Quamquam Theo ad Aratum ingentes illos æſtus ortui coſmico videtur adſcribere. Atqui longiore deinceps annorum evoluto ſpatio, poſtquam ſidus illud εἰς τὰ ἑπόμενα progreſſionem habuit, Φαινόμενα omnis manifeſtè ab heliaco ad coſmicum ortum tranſitum fecit. Anno primo Juliano, ortus coſmicus Sirii Romæ contigit in gradu Cancri 22, 48'. Julii circiter XVI. heliacus in gradu Leonis 7, 43'. Auguſti ferè ſecundo. Anno labente MDCXXX Chriſti, ortus coſmicus in gradum Leonis 7, 16'. heliacus in Leonis 20, 30' incurrit, Auguſti circiter 12. Itaque canicularium dierum initium ab ortu heliaco deſcivit: ac ſemper longiùs deinde recedet. Hanc μετάπτωσιν orbis ſtellati priſca ætas ignorabat. ideòque deſignatos ſemel à majoribus ſuis ortus, occaſúſque conſtanter tenebant. ac tum heliacos cum coſmicis promiſcuè habebant. tum qui certorum erant locorum proprii, nullo diſcrimine ad alios accommodabant. Ad hæc ferè capita varietas omnis illa referri poteſt, quæ apud antiquos Scriptores hoc in negotio inſignis occurrit.

Ortum Sirii plerique in id momentum conferunt, quo Sol Leonem ingreditur. Quoniam verò ſolſtitia & æquinoctia in octavis committi ſignorum partibus vulgaris erat opinio; hinc totidem ante veros ingreſſus diebus initia dodecatemoriorum anteverterunt. Solſtitium Julii Cæſaris Junii quarto & viceſimo die defixum erat. Igitur XV Calendas Julii, ſive Junii XVII, in Cancrum Sol ingredi putabatur. in Leonem verò poſt unum & triginta dies, XV Calendas Auguſti. Plinius libro II, capite XLVII, *Ardentiſſimo æſtatis tempore exoritur caniculæ ſidus, ſole primam partem Leonis ingrediente: qui dies XV ante Auguſti Calendas.* Libro quoque XVIII, capite XXVIII, poſt ſolſtitium oriri caniculam ait die XXIII. Si VIII Calendas Julii fit ſolſtitium; ingreſſus in Cancrum XVI Calend. accidit, qui eſt Julii XVII dies. Varro libro I, capite XXVIII à ſolſtitio ad exortum caniculæ dies numerat XXIX. Columella libro IX, capite XIV dies XXX. Alii, ut Palladius libro VII, Tit. IX, caniculam XIV Calendas Auguſti oriri tradunt: qui eſt XIX Julii dies. quem & Ptolemæus Græcè à nobis editus inter alios memorat Nam & Epiphi XXI, id eſt Julii XV, & Epiphi XXV, qui eſt Julii XIX, & Epiphi XXVII, Julii XXI ponit ortum caniculæ. quo die Cenſorinus quoque in Ægypto oriri ſcribit cap. XXI.

Ac major pars, ut dixi, Veterum, qui poſt annum Julianum conditum ſcripſerunt, ortum Caniculæ primo in Leonem ingreſſui Solis aſſignant; ut Varro, ut Columella, ut Palladius, ut Manilius, ut Firmicus, ac ceteri. qui quaſi per manus traditam hanc opinionem poſteris tradiderunt. In quo recentiores quique plurimùm falſi ſunt. Nam neque Julii ſæculo, neque Conſtantini; quo Firmicus, ac paullò pòſt, ut quorumdam eſt opinio, Manilius floruit; ortus heliacus Sirii, de quo iſti loquuntur, in primam partem Leonis Romæ incidit. Etenim anno primo Juliano coſmicè oriebatur canicula Romæ cum gradu Cancri 22, 48', heliacè cum gradu Leonis 7, 43'. At in Rhodo eodem ſæculo ortus ejuſdem coſmicus in Cancri gradum 16, 48'. heliacus in Leonis I cadebat. Quod illîc ætate ſua contigiſſe teſtatur Geminus, & ante hunc Hipparchus. Ex quo de Gemini ætate conjectura noſtra firmatur. Nos enim Lib. II de Doct. temp. cap. VI ſexto Urbis ſæculo ipſum floruiſſe demonſtravimus ex eo, quòd ante annos CXX, quàm ſcriberet, Iſia in Eudoxi τροπαῖς incidiſſe prodit. de quo rurſus in Notis ad Gemini pag. 19. accuratiùs eſt actum.

Redeo ad ortum caniculæ. quem cum Gemini rationibus adamuſſim conſentientem exhibet methodus noſtra. Plinius autem, & ceteri, qui circa Julii XVIII, vel XIX, in prima parte Leonis oriri ſcripſerunt, falſa illa perſuaſione moti ſunt, quam ſuprà quarto capite, ex præpoſtera antiquorum imitatione perperam illis obrepſiſſe monſtravimus. Hic primus eorum fuit error. cui alter acceſſit, quòd cùm verus, & coſmicus ortus caniculæ circa id tempus, quod ab illis conceptum eſt, Romæ contingeret; Heliacus autem non in Italia, ſed in Ægypto ſub idem tempus accideret; iſti quæ ab Alexandrinis, & Ægyptiis ad ſuum tractum accommodata, ſcriptiſque prodita erant, ad Italicum applicarunt. Ortus coſmicus Sirii anno primo Juliano Alexandriæ fiebat in gradu Cancri 12, 27'. circa VII Julii; heliacus in gradu 26, 9'. hoc eſt Julii ferè XX. Quamobrem quod illi de ortus canicularis tempore ſcribunt, ſi de Italico cœli poſitu ſermo eſt, ad coſmicum refertur. ſin Ægyptiaci ratio ducitur, heliacus habendus eſt. Columella, qui triceſimo ab Solſtitio, & ab octava parte Cancri die caniculæ ponit exortum, imprudens in veritatem delapſus eſt. Sic enim partem in Leonis ſeptimam ferè redacta ratio eſt. Sed in tempore definiendo vulgaris illum error abripuit. Nam quia Solis introitum in Cancrum Junii XVII circiter illigavit; Leonis aditum Julii XVIII conſentaneum eſt adſcribi. ortum verò Caniculæ Julii XXIII, vel XXIV, in parte Leonis circiter ſeptima. In quo tamen fugit illum ratio. Quippe Calendis Auguſtis, vel paullò pòſt, heliacus caniculæ ortus per id tempus congruit. Non minori hallucinatione Plinius viceſimo tertio poſt Solſtitium die oriri caniculam heliacè putavit: cùm revera totidem poſt ſolſtitium diebus coſmicè ætate Julii Cæſaris orietur.

Scaliger Notis ad Manilii Lib. V, poëtam ſuum corrigit, qui ex communi opinione dixit in parte Leonis ortum facere Sirium: *Meliùs*, inquit, *dixiſſet Canem principio Cancri oriri in finitore barbarico. Sæculo Manilii oriebatur in VII Cancri.* Ut Auguſti ſæculo demus floruiſſe Manilium, quod ratus eſt Scaliger, neque initio Cancri, neque cum ejus gradu VII orta eſt canicula. Quippe verus illius ortus Alexandriæ in gradu 12, 27'. heliacus in 26, 9' accidit. Ab ortu verò non multùm abhorret Plinius: qui Lib. XVIII, cap. XXIX, caniculam oriri ait in Ægypto IV Nonas Julias. In hunc enim diem undecimus ferè Cancri gradus incurrit. Tametſi de Procyne, non de Canicula, videtur hoc poſterius intellexiſſe Plinius. Nam capite antecedenti, IV Nonas Ægypto Procynem oriri dixerat. Sanè primo anno Juliano verus ortus, ſive Coſmicus Procynis Romæ cum gradu 11, 0' Cancri fiebat: heliacus cum ejuſdem gradu 27, 54'. At in Ægypto coſmicus contigit in gradu Cancri 6, 17'. heliacus in 21, 5'. Manilius autem Lib. V, & Firmicus, ut rectè Scaliger emendavit, Procynem in Cancri parte XXVII oriri volunt. quod & Julii ſæculo, non Firmici conſentaneum eſt. Pag. 405.

Duo ſunt in cœlo ſidera, quibus Canis nomen competit: Procyon, & Κύων. Ille Antecanis, ſive minuſculus Canis vocatur, ad lacteum circulum poſitus, inter æquinoctialem circulum & Zodiacum: duáſque ſtellas habet; in collo unam; in femore alteram, quæ & Procyon appellatur propriè. cujus origo vocabuli ex eo petitur, quòd Canis, ac Sirii præcedat ortum. Canis autem ſidus eſt ad auſtrum infra æquinoctialem circulum. quod cùm ſtellas habeat plures, præcipuam tamen in ore, ac maxilla gerit: quam Sirium vocant, Latini Caniculam. etſi canicula nonnumquam pro toto ipſo ſidere ſumitur. Plinius Lib. XVIII, Cap. XXVIII negat Procyni nomen apud Romanos ullum eſſe. *Quod ſidus apud Romanos*, inquit, *non habet nomen, niſi caniculam hanc velimus intelligi: hoc eſt minorem canem; ut in aſtris pingitur: ad æſtum magnoperè pertinens.* Ita Peliſſerius emendaverat in ora codicis ſui. pro quo vulgò legitur: *Eſt autem magnoperè pertinens.* Pertinere ad æſtum Procynem ait, quoniam *confeſſum inter omnes ſidus indicat, quod canis ortum vocamus.* adeòque ingentem illum æſtum denunciat: imo & ex parte facit. Hinc Horatius Lib. III Ode XXIX. De Procyne, & Cane.

——— Jam Procyon furit
Et ſtella veſani Leonis
Sole dies referente ſiccos.

Niſi quis fortaſſe Procynem ab Horatio cum Sirio confundi velit. quoniam prima hæc aſteriſmi Canis ſtella ante ceteras, adeoque ante totum ipſum canem apparet. Sic enim Galenus in Lib. I Epidem. Hippocratis, Κύων μὲν γὰρ τὸ σύμπαν ἄστρον. ὁ δὲ ἐπὶ τῆς γένυος αὐτοῦ Σείριος ὃν ὀρθῶς ἄν τις ὀνομάζοι ἢ προκύωνα, οὐ ἢ κύνα. Sirium ait appellari à nonnullis κύνα, quod totius nomen eſt ſideris. rectius tamen Procynem appellari poſſe, quàm canem. Quem Galeni locum, ut & alia ferè omnia de Canicula, in farraginem Solinianam avertit Salmaſius ex Biſciolæ noſtri Lib. XII Tomi II ſubſecivarum,

rum, Cap. II; neque auctorem, à quo iſta didicerat, vel littera nominavit. qui ejus eſt mos. Utrum autem Procynem perpetuò pro canicula Plinius acceperit, quod Exercitatori videtur, dicemus Cap. I libri ſeptimi.

Ut in ortu ſuo immodicos æſtus excitare caniculam, ſic occidentem frigora, & inimicas frugibus pruinas commovere Scriptores aſſerunt. Manilius Lib. I. Plinius Lib. XVIII, cap. XXIX. Columella Lib. XI, cap. II. *Pridie Calend. Maias canis ſe veſpere celat. tempeſtatem ſignificat.* Plinii verba, quia mendoſa ſunt, caſtigandi cauſſâ referemus. Narrat inſtituta Robigalia a. d. VII Cal. Mai. *quòd poſt dies undeviginti ab æquinoctio verno, per id quatriduum varia gentium obſervatione in IV Calend. Maii canis occidit, ſidus & per ſe vehemens, & cui praeoccidere caniculam neceſſe ſit.* A VII Cal. Maias ad IV totum hoc quatriduum frugibus decretorium eſſe dicit: & ab æquinoctio verno dies numerat undeviginti. Æquinoctium vernum à Plinio conſertur in VIII Calendas Apr. à quo ſecundus & triceſimus dies eſt VI Cal. Maias. Legendum itaque fuerit: *poſt dies unum & triginta.* Idem Plinius ex Varrone refert occaſum caniculæ in decimam Tauri partem. Quod illius ſæculi opinioni congruit, quæ ingreſſum in dodecatemoria octavo ante cardines die repræſentabat. Ut igitur in Taurum ſubeat Sol XIII Cal. Maias, decima pars ejus in IV Cal. incidet. quo die Ptolemæus Græcè à nobis vulgatus occaſum Canis adnotavit. Tabulæ noſtræ heliacum occaſum Sirii reddunt Romæ in gradu Tauri 5, 31′. quem Sol adibat Julii Cæſaris ætate tertio circiter Cal. Maias. Plinius verò, qui VII Cal. adnotavit, ex ἐπισημασίας φαινομένης ratione conciliari poteſt. Nam illius laxiora ſolent eſſe ſpatia: ut ſuprà demonſtravimus. Geminus ait Canem Euctemoni in ſecundi Tauri parte: Eudoxo in quarta celari.

CAPUT XII.

De tempore meſſis in Ægypto, & Palæſtina ex occaſione ortus Pleiadum; ac de Sabbato deuteroproto; cujus ratio in Epiphanianis Animadverſionibus tradita defenditur. contráque eam objecta ſolvuntur. Primus menſis ab Hebræis ad novarum frugum tempus accommodatus. Maturitas frugum duplex. Marci Evangeliſtæ locus illuſtratur.

MIRUM quibuſdam, nec ſatis credibile viſum eſt, quod ex Heſiodi, & aliorum antiquorum teſtificatione conſtat, ſub exortum Vergiliarum tempeſtivam in Græcia meſſem fuiſſe. Nam illarum ortus heliacus in anno Juliano primo Romæ factus eſt Tauronos XXVIII, qui in Maii XXI diem cadebat. in Ægypto verò, Tauronos XXI, Maii XIV. At Heſiodi tempore maturiùs adhuc ortus ille fiebat. Sed ut de Græcia modò, & Italia nihil dicam; in Ægypto ſanè, ac Palæſtina longè ante heliacum Vergiliarum exortum meſſem auſpicabantur. Nam Theo in commentariis ad Aratum teſtis eſt, menſis Pharmuthi XXV die, qui Aprilis XX reſpondet, orientibus Vergiliis meſſis in Ægypto tempus eſſe. & de coſmico ſeu vero, non heliaco exortu loquitur; qui Theonis ſæculo circa illud tempus accidit. Quod ne quis vanum exiſtimet, Ægyptium alterum citabo priore illo magis etiam idoneum teſtem; S. Iſidorum Peluſiotam, qui Lib. III, Epiſt. CX ſcribit ſub id tempus, quo Judæi Paſcha celebrabant, ſpicas jam maturas ad meſſem videri. ἐν ἐκείνῳ γὰρ τῷ καιρῷ μόνῳ καρηβαροῦσιν οἱ ἀστάχυες, καὶ κλίνονται ὑπὸ τοῦ καρποῦ, καὶ τὸ πρὸς ἄμητον ὥραι, οἱονεὶ τὴν δρεπάνην ἐφ᾽ ἑαυτὰς καλοῦντες: *Per illud tempus ſolum ſumma ſpicarum capita gravantur; & præ frugibus, ac metendi maturitate inclinantur; tamquam ad ſe falcem invitent.* Agit autem de Sabbato deuteroproto; quod eſſe idem exiſtimat ac primam azymorum diem. Quare ex ejus auctoritate liquet, in Ægypto, &, quod tam reipſa conſequens eſt, quàm ab eodem concluditur; etiam in Palæſtina, maturas per idem tempus ſegetes ad meſſem fuiſſe. Sunt enim ambo illi tractus ſub eâdem poli altitudine ſiti.

Ad Hær. XXX N. XXXI. Hæc cùm in Animadverſionibus Epiphanianis ante aliquot annos obſervaſſem, viſa non nemini abſurda res eſt; qui falſam opinionem eſſe noſtram putavit ſuper Sabbato deuteroproto. quod cum Scaligero illud eſſe Sabbatum oſtendimus, quod primum eſt ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ Πάσχα, in qua manipulus novarum frugum offerri conſueverat. Quo etiam in loco ſententiam illam redarguimus, quæ Sabbatum ſecundo-primum ideo Pentecoſten eſſe malebat, quoniam maturæ tunc erant ſpicæ, ut eas Apoſtoli Sabbato illo confricarent. ſub initium autem azymorum maturæ eſſe non poterant quandoquidem quinquageſimo inde die falx primùm mittebatur. Hæc non falſa ſolùm eſſe; ſed etiam contraria Scripturæ demonſtravimus. Negat verò Scriptor ille nuperus, & damnatam illic à nobis ſententiam tueri pergit, ac mirari ſe dicit, eam velut Scripturæ contrariam eſſe rejectam. Cui quidem ſic hoc loco ſatisfaciam; ut de meſſis tempore, quod cœperam, pleniùs, atque uberiùs explicem.

Igitur qui propter vulſas ab Apoſtolis & confricatas ſegetes negabant Sabbatum deuteroproton unum quempiam ex Azymorum eſſe diebus; in quod plerique conſentiunt, ea, quam oppugnavimus, ratione nitebantur; quod XV die Niſan, aut XX Martii maturæ eſſe ſpicæ non poterant. *Nam feſtum*, inquiunt, *primitivorum celebrabatur quinquageſimo die poſt Paſcha: celebrabatur autem ſimul atque prima falx in meſſem mittebatur. Non ergo poterant in feſto Azymorum, id eſt quinquaginta antè diebus ſegetes eſſe maturæ.* Contra hanc ex capite Levit. XXIII, 2 iſtud objecimus; novarum frugum manipulum poſtridie primæ azymorum oblatum fuiſſe. proinde maturas jam fuiſſe ſegetes. Neque verò quinquageſimo pòſt die novas fruges; ſed ex novis frugibus primitiarum panes repræſentatos eſſe.

At recens ille Scriptor adverſum nos excipit; non ſpicas maturas; ſed adhuc virentes; nec eas triticeas, ſed hordeaceas, oblatas eſſe. *Quare*, inquit, *ſi diebus azymorum ſpicæ meſſis hordeaceæ, quæ tunc offerebantur, adhuc virebant, optimè infertur, triticum, quod ſeriùs matureſcit, nondum tunc temporis potuiſſe eſſe maturum.*

Verùm non hordeaceas ſolùm; ſed etiam triticeas meſſes ſub azymorum tempus maturas interdum fuiſſe, ſi Scripturæ fidem habemus, neceſſe eſt credere. Nam Levitici XXIII, id non obſcurè declarat. ubi poſtquam commate 10 præcepit Moyſes, ut poſt demeſſam ſegetem ſpicarum manipulos, & primitias offerrent, ſubjicit com. 13: *Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex ſegete, uſque ad diem, qua offeratis ex ea Deo veſtro.* Si numquam maturæ, etiam ad confricandum, ſegetes erant Azymorum tempore; fruſtra de panificio caveretur, ne ante oblatum Omer panis ex novis frugibus fieret. Itaque argumento illud eſt, etiam triticum aliquando maturum fuiſſe. Sed omnem pervicaciam retundit aditæ ab Iſraelitis Palæſtinæ, ac tranſmiſſi Jordanis hiſtoria, quæ Joſue Cap. III, & ſequentibus continetur. Meſſes azymorum tempore maturas fuiſſe.

Tranſierunt enim Jordanem tempore meſſis. *Jordanis autem*, (inquit ver. 15 capitis tertii) *ripas alvei ſui tempore meſſis impleverat.* Quo tranſmiſſo circumciſi ſunt, & aliquamdiu ſubſtiterunt, donec vulnera ſanarentur. (cap. V, 8) poſtea Paſcha celebrarunt, *quartadecima die menſis ad veſperam.* haud dubiè ex Moſis præſcripto, adeóque menſe primo. Addit eoſdem comediſſe de frugibus poſtridie azymos panes, & polentam; ac tum manna defeciſſe, cùm primùm frugibus novis Chananææ veſci cœperunt. Quis ex eo non videt, non modò maturas ad vellicandum ſegetes menſe primo fuiſſe; ſed etiam ad panem ex illis faciendum? Adde menſis ipſius vocabulum, quod Abib propterea dictum eſt, ſive novorum, ob novas utique fruges. Adde Theonis, & Iſidori Peluſiotæ loca illa, quæ initio capitis adduximus, ex quibus apparet, tam in Ægypto, quàm in Palæſtina meſſis tunc cœpiſſe tempus.

Ut autem res illuſtretur magis, duo quædam proponenda ſunt. Alterum, menſem primum, ſeu novorum, minimè apud Judæos veteres ſtatum fuiſſe, ac certo tempore defixum. Nam docent magiſtri, cum pluribus aliis de cauſſis proferri conſueviſſe menſem illum, & intercalatione ſummoveri; tum ob fruges novas nondum adultas. qua de re fusè agitur in Talmudicis Digeſtis, & apud R. Moſem Maimoniden. tum Aben Ezra in cap. XII Exodi pluribus idem explicat. ubi inter alia ſcribit, nihil de lunari menſe ab legiſlatore cautum eſſe; ſed hoc unum præcepiſſe, ut in ipſo novarum frugum menſe Paſcha celebrarent. Quocirca pro Circa Paſcha notanda duo.

en

eo atque fruges citiùs, aut tardiùs creviſſent; ita ſeriùs, ocyúſve primum illos indixiſſe menſem; ac nonnunquam annos intercalares duos continuaſſe. Sanè quod ad eum annum ſpectat, in quem Sabbatum illud deuteroproton, quo de agitur, incidit, qui fuit κηρύξεως primus, Neomenia Paſchalis Aprilis II contigiſſe videtur, feria VII. prima dies azymorum Aprilis XVI, feria VII. Itaque Sabbatum deuteroproton in XXIII diem Aprilis incurrit, qui quartus eſt ab eo, quem Vergiliarum ortui, & initio meſſis Theo præfinit. At anno ipſo, quo paſſus eſt Chriſtus, menſe integro citiùs Paſcha celebratum eſt.

Maturitatis ratio duplex. Præterea ſciendum eſt; maturitatis in frugibus gradum eſſe duplicem. Aut enim matura ſeges eſt ad falcem. quod tempus Marcus Evangeliſta cap. IV, 29 obſcuris verbis indicat, quæ obiter explicanda ſunt: ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς, εὐθέως ἀποστέλλει τὸ δρέπανον. Vulgò ſic accipiunt, quaſi παραδῷ, ſit, *prodiderit ſe*, & abſolutè ſumatur. quod eſt inuſitatum. Malim ſic interpretari; *cùm permiſerint fruges*; id eſt cùm plena maturitate meſſores invitare cœperint. Vulgatus Interpres non tam verba, quàm ſententiam expreſſit. Conjecturam noſtram adjuvat Theophylactus, qui ſic exponit, aut legit: ὅταν δὲ παραδῷ ὁ σῖτος. quod, niſi ut nos fecimus, explicare nequeas. Aut igitur plena in frugibus maturitas iſta ſpectatur. aut adhuc viridis eſt tam ſpica, quàm ſemen ipſum; ita tamen ut eſui utrumque ſit aptum, ac vellicari, deſtringique poſſit. Imo ſuavius eſt eſu virens adhuc, & molle triticum, quàm torridum, & meſſi proximum. In Sabbato illo deuteroproto, de quo ſermo nobis eſt, maturæ non ad eſum tantùm; ſed ad meſſem quoque ſegetes fuerunt. Erat enim dies Aprilis XXIII. Aliis temporibus, quando Paſcha citiùs accidebat, hordeaceus manipulus offerebatur, aut viridium adhuc tritici ſpicarum. Utrius generis ſpicis conſtaret Omer Scriptura non definit. Quocirca juſtæ ſuſpicioni locus eſt, promiſcuè alterutrum offerri fas fuiſſe; prout utriuſvis maturitas in legitimum diem incidiſſet. Nam neque plena, & ad meſſem idonea maturitas expectabatur; neque tamen lactens adhuc ſemen ad Omer adhibebatur; ſed ſaltem viride. At cùm paullò citiùs Paſcha contingeret, quàm ad oblationem triticeus faſciculus comparari poſſet; ſuccidanea erat meſſis hordeacea, utpore præcocior.

Quibus ex frugibus conſtaret Omer.

Poſtremò non videtur interdictum ulla lege Judæis, ne ante oblatum manipulum meſſem facerent, etiam hordeaceam. Imò antè factam eſſe, locus ille Levitici XXIII, 10 demonſtrat: *Quùm ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum*, &c. quod tamen non perpetuò, ſed interdum accidit, ſecundùm ea, quæ paullò antè diximus. Idem & de Pentecoſte debet eſſe judicium; nullo præcepto vetitum Judæis eſſe, ne ante feſtum hoc frugibus novis, ac panibus ex his confectis veſcerentur; quod opinionis fautores contrariæ ſumunt. quin potiùs id antea fas fuiſſe, declarat hiſtoria capitis tertii, & quinti Joſue, quam citavimus. Neque primitiarum vocabulum id perpetuò ſignificat, quod omnium primum eſt, & ante quod nullum in uſu fuit: ſed interdum ſimpliciter pro quavis oblatione, vel re ad honorem Dei ſepoſita ac ſelecta. ut Exo. XXV, 2, & XXXV, 5, & 21. Numer. XXXI, 29. Quare tametſi primitivi panes in Pentecoſte oblati fuerint; minimè ex eo ſequitur, novas ante hoc tempus fruges non attigiſſe Judæos. Quod in Commentariis ſuis eruditè Bonfrerius noſter obſervat. cui idem, quod in mentem mihi venerat, placuiſſe priùs, maximo ſum opere gaviſus.

Primitiæ quid ſint.

Hinc illa, quæ contra nos allata ſunt, univerſa ſolvuntur. Si per azymorum dies, inquiunt, ſpicæ meſſis hordeaceæ adhuc virebant, triticum nondum maturum eſſe potuit. Reſpondemus, virentes ſpicas hîc ſumi pro recentibus, non penitus viridibus, & immaturis. Nam Hebraïcè eſt Levit. II, 14 אביב קלוי *ſpica recens, toſta.* & גרש כרמל *triticum contuſum ſpica plena.* Ita IV Reg. IV, 42. Carmel *frumentum novum* vertit Interpres. Nec eſt abſurdum, quo tempore metitur hordeum, triticeas ſpicas, ſi minus ad meſſem, certè ad veſcendum maturas eſſe.

Joſephus L. III Orig. cap. X ſentire videtur ex hordeacea meſſe primitiarum oblatum eſſe manipulum. Sed nihil hoc obſtat, quin ex aliis frugibus offerretur, quando ſeriùs Paſcha contingeret. Idem porrò ſubjicit, ab oblato manipulo publicè privatimque metere licuiſſe; καὶ τὴν λοιπὴν δημοσίᾳ ἔξεστι πᾶσι, καὶ ἰδίᾳ θερίζειν. quaſi id antè non licuerit. Sed hujus rei nullum in Sacris libris exſtat interdictum. Nos autem de priſcis Judæorum temporibus, non Joſephi ætate loquimur. Atqui vel ex hoc ipſo ejuſdem hiſtorici loco evidens eſt, ſub Paſcha meſſem in Judæa peractam: quod nobis ſatis eſt. Nam ſi poſt delibatam oblatione manipuli ſegetem, metere fas fuit; ergo maturæ jam ad meſſem erant ſegetes, etiam triticeæ, atque iſtæ ſaltem ad eſum. Unde Sabbatum deuteroproton ſeptimo ab oblatione manipuli die contigiſſe, minimè ex eo fit abſurdum, quòd tum virentes ſpicas manibus ſuis Apoſtoli defricarent. quod contra reprehenſionem nuperam propoſitum erat oſtendere. Poſtremò juvat ad hanc illuſtrandam diſputationem, atque anni Judaïci, ejúſque primordii rationem explicandam, inſignem illum locum ex commentariis Aben Ezra ſubjicere Latinè à nobis redditum; quòd ex eo quàm-plurima cùm ad id, quo de agitur modo; tum ad alias his in libris diſceptandas quæſtiones opportuna, imò neceſſaria colligantur.

CAPUT XIII.

Ex commentariis Aben Ezra in Cap. XII. Exod.

Verſ. 12. MENSIS *iſte vobis initium menſium*] Dixit R. Juda Perſa: Iſraëlitas computare ſolitos ſecundùm annos Solis, ut faciunt * incircumciſi. Cujus ratio his verbis innititur: *Et cuſtodies præceptum hoc in tempore ſuo.* Quoniam Lunaris annus non eſt æquabilis. Quippe dies arationis, & meſſis pendent ex motu Solis dumtaxat: pro eo atque ad aquilonem, aut meridiem declinat. Sed hæc illius ratio vera non eſt. Et nunc tibi illud explicabo. Scimus Lunæ curſum in ſphæra ſua à puncto deſignato, quod ſtellarum ſphæræ reſpondet, ad idem punctum revertentis, per ſeſe ſpectatum diebus conſtare XXVII⅓ circiter. Itaque computemus illam cum Sole conjunctam eſſe, quando eſt in puncto primo, initio ſigni Arietis. Igitur cùm redierit ad caput ſigni Arietis, ibi non invenit Solem. Hic enim medio ſuo motu gradus circiter ſeptem & viginti peragravit. Amborum quippe curſum ab Occidente ad Orientem tendere, & ſupremo motui contrarium eſſe, neceſſariis rationibus evincitur. Propterea Luna gradus illos pertranſit, quibus jam Sol progreſſum fecit. tum etiam ſcrupula emetitur aliquot interim dum Sol graditur eodem tempore, quo Luna gradus illos, quos diximus, conficit. quod totum dies aufert 2, cum quinque circiter horis. Fiunt ex hoc & priore motu in unam ſummam conflatis dies XXIX, cum horis 12, & 2 partibus unius horæ, ac Judaicis ſcrupulis 73.

* In Chriſtianos verpa iſte nominat.

Summa fit 26. 12. 44'. 3''. 20'''.

Atque annus quidem uni revera Soli convenit. Nam hic eſt, qui tempeſtates quatuor generat, hiemem, ver, æſtatem, autumnum; quæ ſunt quatuor anni Tekuphæ ſive cardines. Tunc ergo putemus ipſum in Arietis capite verſari; Sanè CCCLXV diebus & ¼ circiter in orbe ſuo circumvolvetur, donec ſecundò reverſus fuerit. Quare & שנה, id eſt annus appellatur. Quamobrem annus omnino Lunæ non convenit; uti neque Soli menſis. Nam nulla res eſt in Sole, quæ innovari dicatur. ſed innovatio omnis Lunari dumtaxat lumini congruit. Quo fit ut menſem alio nomine חדש nominemus, propterea quòd lunaris fulgor inſtauratur. Conſtat enim certiſſimis argumentis Lunam non aliunde, quàm à Sole lumen accipere. Unde non aliàs obſcuratur Sol, quàm in illo momento, in quo cum Luna conjungitur, quando ambo in capite Draconis caudáve reperiuntur. Lunæ porrò non aliàs obſcuratio contingit, quàm dum noctu Soli ex adverſo reſpondet iis in locis, quos memoravimus.

Quoniam autem incircumciſorum annus quàm-proxime Solis annum conſequitur; atque illi deprehenderunt, duodecies in Solis anno renovari Lunam, omnes anni dies in duodecim partiti ſunt; ac ſingulas partes menſes appellarunt, eo quòd proximè Lunaris ad menſis dies accedant. Quæ illorum hac in re conſenſio naturalem ordinem ac viam non ſequitur. Quinetiam * Iſmaëlitæ, quorum feſta menſium Lunarium diebus illigantur; qui ſuorum menſium initium ab ea nocte ſignant, qua primùm Luna conſpicitur; cùm animadverterent

* Arabes.

verterent duodecim meuſibus annum Solis eaplicari, propinquiorem ei nullam computandi rationem invenerunt: quod inter utrumque numerum XI tantummodò dictum diſcrimen eſt. Proinde ſuos annos ad Lunam deſcripſerunt. Ita quolibet anno Paſchalis illorum tempus in præcedentia retrò agitur XI diebus: adeo ut XXXIII anni Solares Lunares XXXIV exhauriant. Hæc verò naturæ nequaquam conſentanea ſunt. At Dominus in lege ſua præcepit, ut ſolenne quodque ſuo tempore ſervetur. Dixit enim, *Obſerva menſem primarum frugum: & facies Paſcha Domino.* Atque ecce, niſi in medio menſe fruges novæ deprehendantur, proximo menſe Paſcha faciemus. Eodem modo feſtum hebdomadarum, feſtum meſſis appellat: & feſtum Tabernaculorum, feſtum collectionis. quoniam tam meſſis, quàm collectio ex uovis frugibus dependent. Videmus autem juſſiſſe Deum, ut ne Paſcha præterquam medio Lunari menſe faciamus: quemadmodum & ſolenne Taberoaculorum. Igitur Lunaris dies menſis obſervari juſſit. ut hoc pacto ſolennium tempora retineantur. Nam Moyſes nuſquam in lege mandavit, ut XII, vel XIII menſes putaremus. Sed hoc tantùm præſcripſit, ut ab eo menſe, in quem novæ fruges inciderent, numerandi faceremus initium; atque is primus appellaretur; ſive annus duodenis menſibus, ſive uno ampliùs conſtet. Unde ita ſcriptum eſt, *In menſe ſecundo; in menſe tertio*; atque ita deinceps.

Ceterùm Niſan, Iiar, Siwan, & reliqua menſium vocabula, non Hebraica, ſed Chaldaica ſunt. Ideo nullum horum in ſacris litteris expreſſum legitur, præterquam in Zachariæ Prophetia, Daniele, Ezra, & volumine Eſther: qui Libri in deportatione ſcripti ſunt. Et ad hunc modum interpretanda iſta ſunt: In menſe primo, qui Chaldæorum lingua Niſan vocatur. Quamquam in Scriptura tres menſes occurrunt diverſis nominibus appellati: *Menſis Ziu: In menſe Æthanim: In menſe Bul.* Quòd ſi ſimplicem ac germanam ſententiam exploremus, menſis Ziu non eſt idem cum Niſan; ſed eſt Iiar. Scriptum eſt enim, *Ipſe eſt menſis ſecundus.* Manifeſtum eſt autem ſecundum dici reſpectu ad primum Iſraëlitarum menſem habito. Nam hæc verba, *regni Salomonis*, nequaquam cum vocabulo *menſe*, copulanda ſunt; ſed ita potiùs connectenda: In anno quarto regni Salomonis. Neque enim alibi reperimus in putandis regum annis, menſes à Scriptura numerari; ſed annum dumtaxat, quo regnare quiſque cœperit. Cujus rei teſtimonium ex Libris Paralipomenon petere licet: ubi ita legitur: *In menſe ſecundo; in ſecundo.*

Porrò contra R. Judam Perſam hoc modo ratiocinari licet. Non enim omnes anni æquales ſunt. Quippe varietas ex Planetarum diſpoſitu iis interveniet. ſic ut pluviæ aliàs copioſiores ſint, aliàs minores: calor item, aut frigus abundent in quocumque menſe, qui ab nota, & uſitata conditione degenerat. Proinde novorum menſis minimè interdum accidet, cùm Sol ad illud punctum reverſus fuerit, quod initio anni ſuperioris obtinuit, & ubi novorum menſis fuit. Ita ſiet ut inter utrumque novorum menſem anno ſolido cum excurrentibus hebdomadis ampliùs intercedat. Quibus de cauſſis Iſraëlitæ ejus potiſſimùm novorum menſis, qui in regione ſua contingebat, rationem habuerunt; quemcumque is in anni menſem incurreret. Si quidem in omni terra frugum novarum proventus aliis atque aliis temporibus eveuit, pro varia diſtantia ab æquinoctiali linea. Cujus rei hæc à me tibi regula tradetur. Quamvis Iſraëlitæ, ſtante templo, novarum frugum tempus obſervarent, intercalandi tamen anni ritus non omnes, ſed ſolus judicum conſeſſus traditum acceperat. qui quidem præter novas fruges, alia quædam in conſilium adhibebat, ut in Libro Miſne, id eſt traditionum, legitur. Etenim Moſes in lege non præſcripſit, quemadmodum annorum, ac menſium initia conſtituenda ſint; quidve facere nos oporteat, ſi minùs novarum frugum tempus occurrat. In quo per illud mirum videri poteſt, quomodo de unaquaque leproſorum plaga propria decreta condiderit; quamquam ea res ad unum dumtaxat hominem pertineat: neque tamen in definiendam temporum omnium rationem incubuerit; ſed conſtitutas celebrandis ſolennibus tempeſtates explicare prætermiſerit; quas Iſraëlitæ omnes obſervare quolibet tempore debeant. adeò ut pœna mortis ei propoſita ſit, qui vel in Paſchate fermentum ederit; vel in Expiationum feſto omninò comederit. Atqui ſi novæ Lunæ rationem habuit, poterat id explicare, utrum medios ad motus, an ad veras conjunctiones, quæ fixarum ad orbem referuntur, exigenda res eſſet. Nam inter novilunium, quod ex tabulis eruitur, & verum nonnumquam horarum ferè quatuordecim differentia eſt, aliàs auferenda, aliàs addenda. Hinc illa magiſtrorum noſtrorum ſententia: Neomeniæ ſanctificatio quandoque protelatur, quandoque contrahitur. Quod quidem nemo diſcernere poterit, niſi erit ſiderum doctrina præditus. Quin & iſtud Moyſes ſignificare potuit, quem ad terrarum ſitum Neomenia dirigenda foret. Quippe Hieroſolymam inter, & hanc noſtram, quæ Luca dicitur, trium ampliùs horarum diſcrimen eſt. Quòd ſi viſionis rationem habendam putaret; definiret id ſaltem, quo loco viſionem iſtam Lunæ circumſcriberet. ſi quidem in omni loco viſionis arcus immutàtur pro diverſa regionum latitudine, ac diſtantia Lunæ ab ecliptica: ſecundùm aſpectus diverſitatem, quæ ex longitudine, latitudine; altitudine item, aut depreſſione loci; atque ex ipſo demum aëre proficiſcitur. Sed hæc longiorem orationem deſiderant. Porrò ſi minùs purus aër fuerit; Neomenia menſis biduo celebratur, propter dubietatem. Quod argumento eſt, Moyſem totum hoc negotium Concilii denunciatione in omnem poſteritatis ſucceſſionem definiri voluiſſe. Hoc igitur à majoribus traditum acceperunt; oportere ſeptem totius enneadecaëteridis annos de Concilii ſententia intercalares fieri: ut in totum menſes in illa ſint CCXXXV, dies 6939. cum beſſe diei, ſive horis 16, & momentis 595. Atque hi ſunt anni Solis XIX, ſine additione ulla, vel detractione. Neque verò movere te debet hora illa cum ſcrupulis 485, quæ Tekupharum Samuelis ratiocinia complent. Scimus enim id illum minimè latuiſſe: ſed eam methodum adhibuiſſe, quæ ad veritatem proximè temporibus illis ſuis accederet, & ætatis ſuæ hominibus expeditior eſſet. Hodie tamen veram inter Tekupham, & Samueliticam novem ampliùs dierum diſcrimen eſt. Hoc ne vehementer admireris; Scholion ecce ita præſcribit: Qui locum Lunæ ſcire voluerit, annis mundi collectis, ſummam in menſtrua intervalla dividat: ita ut unicuique menſi dies imputet 29, cum horis 12, & duobus horæ trientibus, quæ ſunt Judaica ſcrupula 720. Atqui minùs dixit ſcrupulis 83. quæ in quolibet Cyclo ſupra trientes horarios duos efficiunt. Ita dimidius annus circiter ab urbis conditi noviluniis ad hodiernum novilunium exſurgit. Ex iis, quæ dicta ſunt, liquidò conſtat annorum noſtrorum ſyſtema quovis in Cyclo in Solares annos redigi: menſes verò noſtros perpetuò eſſe lunares. Proinde benedictus ſit Deus, qui nos rectam in viam induxit.

Jam verò certam tibi de Scripturis rationem adferam, ut intelligas feſtorum celebrandorum tempora Concilii arbitrio fuiſſe permiſſa. Scriptum eſt enim: *Et conſilium inivit Ezechias rex, ut faceret Paſcha in menſe ſecundo.* Atqui ſi lex ulla traditione eſſet accepta, quæ in novarum frugum obſervationem intentos juberet eſſe: quemadmodum aſſerunt quidam, qui à majorum noſtrorum auctoritate diſſident; cur tandem de Paſchate ſecundum in menſem indicendo conſilium cepiſſet? Nam ſi vera eſt iſtorum ratio, tria in illo facto crimina rex Ezechias admiſit. Primum, quòd Paſcha legitimo tempore non obtulit, quamvis mundus eſſet. Ecquid enim iſtud ipſum propter populi, quæ tum aberat, infinitam multitudinem diſtulit? Neque enim id in Lege præcipitur; ſed in Traditionibus continetur. Alterum ſcelus; quòd fermentum toto menſe primo non ſolùm comedit ipſe, ſed & Iſraëli toti comedendum obtulit. Tertium, quòd ſuopte arbitrio decrevit, ut Azymorum feſtum ſeptem totos dies ſecundo menſe perageretur. Quod ad eum modum fieri nefas fuit. Non enim Deus azymorum ſolenne ſecundo menſe fieri juſſit. ſed de Paſchate ſolo, & una non ampliùs nocte præcepit. Nam qui immundi erant, unà cum Iſraëlitis ceteris primo menſe azymis veſcebantur. Abſit abſit ut Ezechiam putemus ejuſmodi ſcelera commiſiſſe: de quo ita ſcriptum legimus: *Non receſſit ab omnibus præceptis Domini ad dextram, vel ad ſiniſtram.* Sed & in Cantico ſuo ſic de ſe ipſe profitetur: *Memento quæſo quomodo ambulaverim coram te, & quod bonum eſt coram te fecerim.* Nunc igitur tibi totum illud exponam. Scito

Nota immunditiam nullam azyma prohibuiſſe.

Lib. II. Paral. C. 30.

to igitur Ezechiam cum univerſo cœtu conſilium iniviſſe, cùm jam primum menſem ingreſſi eſſent, uti Paſcha proximo ab eo menſe celebrarent: propter & ingentem populi multitudinem, quæ nondum advenerat; & ſacerdotes, qui quantum ſat erat, nondum ſeſe purgaverant. Quare annum illum emboliſmæum fecit. Unde Paſcha, quod tunc peractum eſt, primum fuit, ac legitimo tempore celebratum. Quod eo argumento colligitur, quoniam Deus eos, qui Paſchâ non ex legis præſcripto manducaverant, percuſſit. Atqui ſi non legitimo tempore fiebat, cur illos puniret, cùm iſtud ipſum, contra quod peccaverant, Paſcha, minimè illi eſſet acceptum? Deinde ſi peccavit Ezechias, quomodo pro illis ſupplicavit, & Dominus orationem ejus exaudiit, populúmque ſanavit?

Quòd ſi objiciat aliquis; Nónne magiſtri noſtri conſentiunt, Niſan ab Ezechia poſt alterum Niſan intercalatum eſſe? Reſpondeo verè hoc illos dicere. Hic enim Synedrii uſus & conſuetudo fuit, ut in fine cujuslibet menſis Adar animadverterent ecquid annus intercalationem poſtularet, nec ne. Hoc verò non fecit Ezechias, & per levem quamdam ignorantiam commiſit, ut in exordio menſis annum intercalarem decerneret.

Jam verò cùm intercalaris menſis perpetuò menſem primum antecedat, conſequens eſt illum menſium omnium caput eſſe; adeóque ſolennia feſta in ſeptimum ab illo menſem incidunt. Quod ea verba ſignificant: *primus iſte vobis in menſibus anni.* Nec illud ignoramus, in pleriſque legis præceptis adjunctam eſſe mentionem exitus ab Ægypto. Quare conſentaneum eſt, ut Iſraëlitarum computus ab hoc initio proficiſcatur. Quò illud Scripturæ pertinet: *Et factum eſt in anno octogeſimo, & quadringenteſimo ab exitu filiorum Iſrael de terra Ægypti, in anno quarto, in menſe Zeu. hic eſt menſis ſecundus.*

Atenim Gentiles objiciunt; Si annus ex menſibus componitur; ecce menſis Abib velut fundamentum ac principium eſt. Cur ergo numerandorum menſium initium facitis à ſeptimo, idque anni caput appellatis? Huic jampridem ſapientes noſtri reſponderunt, aſſerentes, quatuor eſſe anni principia. Tum illud apertè declaratum videmus, Jobelæi anni ſanctificationem ſeptimo menſe, die decima fieri. Quinetiam Dominus in Lege præcepit, ut anni Sabbatici tempus indiceretur in ſolenni Tabernaculorum, ut id ſcirent, ac diſcerent. Quòd ſi anni Sabbatici principium à menſe Niſan procederet, cur non illum in lege per azymorum ſolenne juſſit indici? Atque ecce dimidium annum otioſi ceſſarent. Præterea ſcriptum eſt: *Et feſtum collectionis frugum, in converſione anni.* Et alio loco idem ait: *Et feſtum collectionis frugum in exitu anni.* Idipſum & ex uſu tam legis; quàm naturæ diſcere poterimus. Nam priùs dicit; *Non ſeretis.* deinde ſubjicit: *Et non metetis.* Si quidem ſatio ad Tiſri, non ad Niſan adhæreſcit. Ad hæc ſi initium anni Sabbatici ſtatuamus in Niſan; qui in anno ſexto ſementem feciſſet, iis in ſeptimo nihil meteret. quoniam meſſis poſt Niſan accidit: unde jam annus Sabbaticus initium habuiſſet. Sed neque eodem anno Sabbatico ſereret. Quocirca ſapientum noſtrorum dicta omni veritate conſtant.

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU,

AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER TERTIUS.

In quo de Æquinoctiorum anticipatione diſſeritur contra Joſephi Scaligeri poſtumam ejus argumenti Diatribam.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

EDITUS eſt poſt obitum Joſephi Scaligeri liber ejus poſtumus de Æquinoctiorum anticipatione: in quo id illi propoſitum fuit, communem aſtronomorum poſt Hipparchum omnium oppugnare ſententiam; qui octavum cœlum in Signorum, ut vocant, conſequentia progreſſionem facere docuerunt. Contra quos immotum illud eſſe cœlum, ejúſque proprium zodiacum cum inerrantibus ſtellis; moveri autem cum æquinoctiali ſuo principem orbem, Diatriba iſta defendit. ex quo conſequens eſt, vernas ſectiones, tropicoſque contactus in antecedentia referri; tum æquinoctialis polos mobiles eſſe, nec eodem loco conſiſtere. Ac ſunt hujus Scaligerianæ diſputationis capita quatuor. In primo, veteris aſtronomiæ, ſtellarúmque fixarum τὰ φαινόμενα declarat. In ſecundo motum octavæ ſphæræ confutat ab Hipparcho, & Ptolemæo traditum. In tertio actu in antecedentia æquinoctiorum, & ſolſtitiorum puncta confirmat. nec non Eudoxi, & Hipparchi circulos æquinoctiales, tropicos, arcticóſque proponit ad aliam, quàm mundi, polum ipſius opinione deſcriptos. Quartum denique corollaria quædam exhibet hujus nobiliſſimæ doctrinæ. Ita enim ab Scaligero nominatur. quod illius editor *divinum ſcriptum* non dubitavit dicere.

Atqui is eſt liber ejuſmodi, ut qui Scaligero maximè eſſet inſenſus, ejúſque famam, ac memoriam elevare apud poſteros vellet, non hoc certiùs, ac vehementiùs, quàm publicandâ iſta Diatriba potuerit efficere. Eſt enim non imperita ſolùm, & inepta: ſed eo quoque minimè tolerabilis, quòd præſtantiſſimos viros, aſtronomiæque principes, quibus vitam ars illa potiſſimùm debet; Hipparchum imprimis, & Ptolemæum, ludibrio habet; eorúmque ſententiam, hoc eſt communem ejus doctrinæ peritorum omnium, *anilem, & nugatoriam* appellat.

Hæc utrum reſponſionem ab aſtronomo aliquo hactenus expreſſerint; an contemptu digna potiùs, quàm caſtigatione ſeria judicarint homines eruditi, pro comperto non habeo. Antonium quidem Maginum audio ante annos aliquot illius confutationem edidiſſe, quam mihi nondum videre contigit. Sed ut ab aliis propugnandæ veritatis pariter, ac tuendæ veterum auctoritatis partes eæ jam occupatæ ſint, non erit, opinor, ingratum utriuſque fautoribus, à me quoque eaſdem eſſe ſuſceptas. præſertim cùm minimè quæſita, & arceſſita longiùs; ſed è reipſa quodammodo nata, & inſtituto, argumentóque noſtro connexa ſit pertractandæ hujus quæſtionis occaſio. Agitur enim hîc imprimis antiquorum de ſolſtitiis, & æquinoctiis opinio; quæ eſt à nobis hoc in Opere aliquot jactata capitibus. tum ſtellarum progreſſiones; quibus earum ortus, occaſúſque continentur. De quibus cùm auctores à nobis ediri, Geminus, Hipparchus, Ptolemæus, Tatius: tum nos ipſi his in commentariis propriè diſſerimus. Poſtremò quoniam in quarto de Doctrina temporum, cap. XXIII, novam illam, & inauditam fabulam levi ſolùm, neque ſeria reprehenſione perſtrinximus; validiùs eam inſequi modò, penitúſque conficere neceſſarium videtur, ac propè debitum.

Eſt autem in primis tantùm capitibus tribus refellendis ſumendus hîc labor. Quæ enim in quarto Corollaria traduntur, ex antecedentium doctrina ſic tota pendent; ut iis everſis, labi iſta funditus, ac corruere ſit neceſſe. Hoc igitur agamus.

CAPUT I.

Explicatur ſumma doctrinæ Scaligerianæ in libro de æquinoctiorum anticipatione. Veteres longitudines, & latitudines fixarum partim ad æquinoctialem, partim ad zodiacum retuliſſe contra eumdem oſtenditur. Ptolemæus illuſtratus.

CAPITE primo Libri de Æquinoctiorum anticipatione Scaliger duo proponit; quæ partim in antecedentibus capitibus explicantur: partim hoc ipſo paucis excutienda ſunt. Principiò veteres aſtronomos ait non aliter ſtellarum longitudines & latitudines, quàm in æquinoctiali, vel ei parallelo contemplatos eſſe.

Etenim circuli majores, quos *coluros* vocant, per polos mundi, tranſeuntes, tam minores ſtellarum circulos, (quos nimirum ad motum primi cœli diurna circuitione deſcribunt, æquidiſtantes ab æquatore parallelorum maximo) quàm æquinoctialem ipſum æquales in partes dividunt: iidémque ſtellarum centra permeantes earum ab æquatore diſtantiam interjecto arcu definiunt. quam latitudinem ab æquatore nominare poſſis: vulgò declinationem vocant. Longitudinem autem in æquatore determinant iidem coluri, initio ab verna ſectione ſumpto, à qua deinceps æqualia ſegmenta circulorum tamquam communes termini dividunt.

Hæc nos Lib. II. cap. II rectè ab Scaligero eatenus animadverſa docuimus, quatenus antiquos genere iſto dimetiendæ longitudinis, ac latitudinis uſos eſſe conſtat. quod ex Hipparcho multis exemplis affirmavimus.

Verùm

Verùm nullum præterea modum alium obſervaſſe; neque ad zodiacum ſtellarum longitudines, ac latitudines revocaſſe penitus, id verò falſum eſt; & illo capite contrarium eſt auctoritate Veterum, ac teſtimonio probatum. Si quidem zodiacum quoque circulum in deſcribendis fixarum ortibus, & occaſibus æquabili partitione diviſerunt. quod argumento eſt ipſos non in ſolo æquinoctiali circulo ſtellarum ſitus animadvertiſſe. Tum verò ſtellarum ab ecliptica diſtantiam neceſſariis de cauſſis adhibuerunt. Non enim aliter earum ortus occaſuſque diſcernere potuiſſent; neque alia id genus aſſequi, quæ ex intervallorum ejuſmodi notatione pendent.

Vide Hipparchum Lib. II. pag. 130.

Neque verò primum ſe auctorem eſſe dimetiendæ ſtellarum ad eclipticam latitudinis, aut longitudinis Ptolemæus indicat, ut arbitratur Scaliger. nec illius verba, quæ ad ejus rei fidem hìc attulit, id nos cogunt fateri; neminem ante Ptolemæum; ac ne Hipparchum quidem, aliter fixarum longitudines, & latitudines comparaſſe, quàm ad æquinoctialem circulum. imo verò, quod mirum eſt non attendiſſe Scaligerum, contrarium de latitudine ſaltem potius oſtendunt. Scribit enim Ptolemæus, ſe intervalla fixarum ab eo circulo, qui per Signa media tranſit, in circulo magno per illius polos tranſeunte conſiderantem, eadem prorſus reperiſſe cum iis, quæ ab Hipparcho perſcripta fuerant. τὰς μὲν γὰρ πρὸς τὸν διὰ μέσων τῶν ζῳδίων ἑκάστου κατὰ πλάτος ἀποστάσεις τηρουμένας ὡς ἐπὶ τοῦ διὰ τῶν πόλων αὐτοῦ γραφομένου μεγίστου κύκλου, σχεδὸν τὰς αὐτὰς εὑρίσκομεν ἀπεσχηματισμένας ταῖς ὑπὸ τοῦ Ἱππάρχου ἀναγεγραμμέναις, καὶ συναγομέναις. Igitur ab Hipparcho deſcriptæ, collectæque fuerant ſtellarum ab ecliptica diſtantiæ. Sed nec aliter ejuſdem locus perſuadet, ut putat Scaliger; in quo Ptolemæus ait ſe in Tabulis fixarum longitudines, latitudineſque deſignare, *μὴ πρὸς τὸν ἰσημερινὸν θεωρουμένων, ἀλλὰ πρὸς τὸν διὰ μέσων τῶν ζῳδίων ἀφοριζομένων ὑπὸ τῶν διὰ τῶν πόλων αὐτοῦ, καὶ ἑνὸς ἑκάστου τῶν ἀστέρων γραφομένων μεγίστων κύκλων, non ad æquinoctialem circulum exactarum, ſed ad eum, qui per ſigna media tranſit. per maximos circulos, qui per polos ejus, & ſingulas ſtellas deſcribuntur.* Non hoc, inquam, verba iſta demonſtrant, ante Ptolemæum neminem in hiſce ſtellarum intervallis deſcribendis ad eclipticam reſpectum habuiſſe: ſed ex eo, quod probatum erat, fixarum in conſequentia progreſſum ſuper polis zodiaci, non æquinoctialis, fieri; quid ſit conſequens oſtendit; nimirum longitudines earumdem & latitudines ad eclipticam oportere dirigi; non ad æquinoctialem. à quo neque perpetuò diſtantiam eamdem obtinent; nec in eo pari celeritate moventur. Sed ea res, quantum opus fuit, capite à nobis ſecundo Libri ſecundi tradita eſt; neque eſt hoc loco neceſſe repetere.

Scal. p. 20. & 21.

Alterum Scaligeriani iſtius capitis argumentum eſt: antiquos aſtronomos æquinoctiales, ſolſtitialeſque cardines in octavis dodecatemoriorum partibus ſtatuiſſe. quam quidem ſententiam ſi inter præcipua Scalegerianæ totius doctrinæ firmamenta poſuero, non abs re mihi videor eſſe facturus. Quamobrem & in Opere de Emendatione temporum, & in Iſagog. Canonibus penè omnes paginas implet: & ad novi hujus de æquinoctiorum anticipatione commenti fabricam fundamenti inſtar habet; ut ipſemet in Diatribæ ipſius aditu profitetur. Quo nobis & exponenda diligentiùs; & validiùs evertenda hìc iſta eſt opinio: quam non ſolùm primo capite Diatribæ ſuæ propoſuit Scaliger: ſed in tertio quoque accuratiùs enarravit, ut ex ea ridiculum neſcio quem aſtronomiæ veteris æquinoctialem deduceret. Ac tametſi ſparſim in Opere de Doctrina temporum contra Scaligeri πρόληψιν illam de octavis dodecatemoriorum partibus cardinibus attributis ſæpè diſputaverimus: tamen & ad ea non pauca hìc addi nova poſſunt: & anticipationis æquinoctiorum fabula, niſi iterum illa tractentur, intelligi, explicarique non poteſt.

Scal. p. 15.

Octavum cœlum (inde enim repetenda narratio eſt) non eamdem σχέσιν ad primum habet; neque partes illius, hoc eſt ζῴδια, ſtellæque, quibus diſtinguitur, eumdem in illo priore ſitum retinent; ſed paullatim in conſequentia ſuccedunt. adeo ut poſt annos plus minùs ſeptuaginta, unius partis μετάπτωσις exiſtat. Verbi gratia, Baſiliſcus, ſive Cor Leonis, hoc tempore collocatur in dodecatemorii Leonis, ſive Zodiaci primi cœli parte viceſima quinta ferè, ac diſtat ab autumnali interſectione gradibus aſcenſionalibus circiter 33. Hipparchi verò tempore verſabatur in dodecatemorii Leonis parte prima, diſtabátque ab æquinoctiali puncto, quod in Libræ principio fit, gradibus ferè 57. Hac ratione ſub annum primum Olympiadum ſitus ejuſdem ſtellæ fuit in viceſimo primo circiter gradu dodecatemorii Cancri. Facta eſt enim μετάπτωσις partium ferè 34, ſi ſeptuaginta annis gradus unius imputetur.

Sed ut res tota facilè percipiatur; fingamus animo Zodiacum, æquatorémque duplicem: alterum qui in primo cœlo reſidet; idémque perpetuò manet: alterum in ſubjecto cœlo, in quo ſtellæ ſunt. cujus ſectiones ſuperioris ſectionibus non ſemper directè ſubjacent; neque dodecatemoria illius dodecatemoriis; ſed ſuperiora promoventur in antecedentia: inferiora verò in conſequentia. Ideo Scaliger *anno primæ Olympiadis ſolſtitium ait eſſe factum initio quintæ partis Leonis hodierni: tempore Cleoſtrati, initio Leonis hodierni.* Item; *octavas partes Signorum*, per idem tempus fuiſſe *duodecimas in dodecatemoriis hodiernis, Leonis, Scorpii, Aquarii, Tauri.* Quod ſic intelligendum eſt; ut quoniam gradibus quatuor & triginta ſolidis ab initio Iphiti ad hoc ſæculum progreſſio facta eſt in conſequentia ſignorum; dodecatemorii cujuſlibet initium in octava ſphæra, quod cognomini ſibi dodecatemorio æquinoctialis circuli ſuberat, partibus 34 ab eo receſſerit. Stella, quæ baſiliſcus dicitur, aberat ab initio Cancri æquinoctialis gradibus abſolutis viginti. Ergo dodecatemorion Leonis in zodiaco octavæ ſphæræ incipiebat à gradu viceſimo ante baſiliſcum. idémque zodiaci gradus gradui illi ſuperioris zodiaci ſubjectus erat, in quo verum Solſtitium fiebat. At iſte gradus hodie ſubeſt quinto gradui dodecatemorii Leonis in primo cœlo. & quintus eſt gradus dodecatemorii Leonis in zodiaco ſphæræ octavæ. Cùm autem in octavis partibus Signorum æquinoctia, & ſolſtitia committi vulgò crederent; & qui octavus, exempli cauſſâ, tum erat Cancri gradus, partibus quatuor & triginta deſcenderit, atque hodie in duodecimo gradu reperiatur Leonis hodierni: hinc Scaliger octavas partes Signorum Olympicorum duodecimas ait eſſe hodiernorum ſequentium. Pergit idem Scaliger, & Capite tertio uberiùs hoc explicans aſſerit, initio Olympiadum Solſtitium in Calendas Julias incurriſſe; novilunium autem primi menſis Olympici in octavo gradu Cancri. Quare ob reverentiam ludicri Olympici putat ſedem cardinis æſtivi in octava parte Cancri: reliquorum item cardinum in octavis Signorum ſuorum partibus ſedes eſſe defixas. Eos cardines κέντρα nominat. *Omnes igitur Aſtrologi*, ait, *ante Olympiadem XXXVI, dicebant κέντρον θερινὸν fieri in octava parte Cancri.* Verum poſt annos CXL ab initio Olympiadum animadverſum eſt duabus partibus ſolſtitia anticipaſſe. ac decem gradibus abeſſe à veteri cardine. Poſt annos 280 à prima Olympiade, rurſus gradibus duobus anteriora ſolſtitia deprehenſa ſunt; adeóque duodecim gradibus à cardine diſtantia. Tum Eudoxus, annis circiter 420 ab Olympiade prima, notavit Solſtitium quindecim gradibus antevertiſſe cardinem priſcum, & Olympicum. Hoc modo diverſas illas Scriptorum ſententias interpretatur Scaliger: quæ in octavis, aut decimis, aut duodecimis, aut decimis quintis partibus Signorum cardines ponebant. tum præceſſionis æquinoctiorum intelligentiam aliquam penes antiquos ex eo fuiſſe colligit. qua de re poſtea. Nunc caput ipſum Scaligeriani commenti de octavis partibus, & Olympica epocha conſideremus.

Explicatur octavæ ſphæræ ac ſtellarum progreſſio.

Scal. p. 15.

Idem p. 46.

Pag. 47.

Sc. p. 48.

CAPUT II.

Refellitur opinio Scaligeri de cardinibus annuis octavis in partibus Signorum à Veteribus conſtitutis. Ejuſdem mirificus conflictus opinionum.

UT Scaligeri libros omnes, & adyta illius doctrinæ omnia perſcruteris; nihil penitus rationis allatum ab eo ſenties, unde ſibi, aliiſque perſuaſerit, aut Græcos veteres, ſub ipſum præſertim Olympicorum certaminum initium, in octavis Signorum partibus conſtituiſſe cardines; aut in octavo Julii die conſtanter retinuiſſe. quod utrumque commentitium eſt. Hipparchus Lib. II, Num. III ſcribit antiquos aſtronomos penè omnes, & eorum exemplo etiam Aratum, cardines Signorum initiis attribuiſſe. Quis Hipparchi auctoritatem

Hippar. L. II. pag. 120.

non pluris faciat, quàm Scaligeri? Apparet tamen quoſdam alibi collocaſſe, quàm in Signorum initiis: uti capite IV, & V libri II demonſtravimus. Sed qua ratione id illi fecerint, ibidem expoſitum habes; non illa utique, quam ſumit Scaliger, ut ab æquinoctiorum interſectionibus, vel contactibus tropicorum, octava pars, vel altera cardinibus dicata fuerit. ſed ut ingreſſus in cardinalia Signa octavo antè, vel duodecimo gradu poneretur. Ita numquam ab circulorum συναφαῖς artificum cardines abhorruerunt; niſi quid ex inſcitia, ſæculo rudi, præter voluntatem ſit erroris oblatum. Columella, Plinius, Ovidius, aliique complures, in octavis partibus aſſerunt æquinoctia, & ſolſtitia confici. Sed neque id omnem retrò vetuſtatem inſtituiſſe dicunt: neque illos, quos percenſent, aſtronomos ex animi ſui ſententia ita præſcripſiſſe: ſed ruſticorum, ac vulgi gratiâ, ſignificant: poſtremò iidem ipſi octavas partes aliter, ac fit à Scaligero, computant. Nam ingreſſus in dodecatemoria prævertunt. Conſtat iis ipſis diebus, quos in anno Juliano Soſigenes, ac Cæſar cardinibus affixit, Solem interſectiones circulorum, & contactus κατὰ τὴν ὁμαλὴν κίνησιν attigiſſe. Hoc à nobis diſputatum eſt pleniſſimè ſuperiore libro. Ante hos dies octavus propemodum à pleriſque notatus eſt ingreſſu Solis in Signa. Igitur cardines in ipſas circulorum συναφὰς ex eorum ſententia cadebant. Quis autem aſſeveravit umquam, æquinoctia, vel ſolſtitia Juliana confici Calendis Aprilis, Julii, Octobris, ac Januarii? quod ex Scaligeri opinione fit neceſſe. qui poſt interſectiones, & contactus octavas partes numeratas eſſe apud antiquos exiſtimat. Unde ab Athenienſibus Solſtitium æſtivum in octavo Julii poſitum aſſerit; cum Calendis ipſis Sol tropicum aſſequeretur. Januarii quoque ſeptimo, τροπὰς χειμερινάς; octavo Aprilis, & Octobris ſeptimo æquinoctium utrumque ſtatuit. quod ſine probatione, ac teſte Veterum ullo perſuaderi voluit.

Ad hæc, etſi concedatur Olympiadum initio, octavis in partibus puncta illa eſſe defixa; perabſurdum eſt tamen eoſdem perpetuò dies obſervatos putare; cùm in iis jamdudum octavæ partes eſſe deſiiſſent. Quî porrò convenit, omnem vetuſtatem in octavis partibus ſi-
Scal. pag. gnorum cardines fieri putaſſe, (quod in capite primo,
13, & 43. & tertio libri de Æquin. anticip. tum in libro II de Emend. temp. & in V, atque in Iſag. Can. III Scaliger docuit) & nonnullos interim in decima, duodecima, quintadecima collocaſſe: quod hoc libro memoravit? Sed hæc quoquomodo interpretari liceat; illud extricare quis tandem poterit? Scriptum eſt in lib. II, &
Pag. 65. editionis ultimæ, & pag. 183. IV de Emend. Temp. *primum omnium Cleoſtratum oſtendiſſe Græcis popularibus ſuis cardines mundi eſſe in VIII partibus ſignorum, idque omnem poſteritatem credidiſſe.* Vixit Cleoſtratus circa annum 280 à prima Olympia-
Scal. cap. III. de Æquin. anticip. pag 49. de, ut putat Scaliger. Si primus auctor opinionis hujus iſte fuit, cardines in octavis committi ſignorum partibus; non igitur Græci omnes veteres ita ſentiebant. neque Olympiadum initio percrebuerat hæc opinio. Quid ἀλογισία iſta, & tam aperta confictione turpius? De qua equidem hoc loco tacuiſſem, cùm in libro II de Doctr. temp. cap. III ſatis hæc à nobis animadverſa fuerit; niſi in editione nupera Operis de Emendat. temporum idem illud Scaligerianum ἐναντίωμα reſidere cernerem. Atqui librum de Æquin. anticip. commentatus eſt poſt editionem ſecundam Operis de Emend.
Pag. 41, & 69. temporum, uti cap. III, & IV demonſtrat, ubi ſub exitum anni Chriſti MDXCIX ſcribere ſe illum ſignificat; cùm antecedente anno Opus de Emend. temp. ſecundò prodiiſſet. poſt utrumque, nova ſecundæ illius editionis caſtigatio ab eodem auctore facta eſt. Quæ cùm ita ſint; tamen in Opuſcolo de Præceſſ. Æquin. vetuſtiſſimos Græcorum ait, adeóque primæ Olympiadis initio, cardines in octavis partibus fieri putaſſe; quod in ſecunda, & ultima Operis de Emendat. temp. editione primum illos ab Cleoſtrato didiciſſe confirmat, poſt annos demum 280 ab Olympiadum exordio. Ex tam craſſa, & manifeſta contradictione vanitas doctrinæ illius apparet; & eorum omnium, quæ de æquinoctiorum anticipatione hoc in Opuſculo differit. quorum velut fundamentum prius illud haberi voluit.

CAPUT III.

Evertitur Scaligerianus error, ejúſque paralogiſmus contra motum octavæ ſphæræ diſcutitur. Hipparchi ſententia ſuper Veterum opinione de Urſis ambabus arguitur. Eudoxum, & Aratum rectè de iis exiſtimaſſe. Quænam Cynoſuræ ſtella illorum ætate polo citima fuerit. Eratoſthenes, Ptolemæus, Strabo, Germanicus illuſtrati.

SEQUITUR eximium, ac præclarum ſpecimen aſtronomiæ Scaligerianæ; quod unicum operæ pretium ſibi in illa Diatriba fecit: nova, inquam, & admirabilis illa doctrina cœleſtium motuum; quam ab Hipparchi, Ptolemæi, veterum omnium, ac recentium aſtronomorum placitis abhorrentem exponit capite ſecundo, ac reliquis duobus expolit, & quibuſdam Corollariis illuſtrat.

Animadverſum hactenus eſt, ſtellas fixas non eodem ſemper ab æquinoctialibus punctis, ac polis mundi intervallo diſtare, cùm ab Zodiaco, vel ecliptica idem perpetuò interſtitium habeant. Hoc libro ſeptimo demonſtratum eſt à Ptolemæo. ubi certiſſimis experimentis probatur, cœlum illud, quod inerrantes ſtellas continet, ſuper propriis, ac diverſis polis ab mundanis, lentiore motu in conſequentia procedere. Contra commune hoc decretum Scaliger aſſerit, non ſtelliferum orbem; ſed æquinoctialia, & ſolſtitialia ipſa puncta circumagi proprio, & inexplicabili motu. cùm interim ſtellæ omnes eodem ſitu conſiſtant; hoc eſt à polis mundi eamdem longinquitatem obtineant.

Hanc hypotheſin unico argumento conficit. Si enim ſtellæ in conſequentia moverentur; quæ ſunt pòlo mundi propiores, majore, aut minore, quàm dudum, propinquitate ad illum viderentur accedere. Hoc verò minimè fieri Cynoſuræ unius exemplo demonſtrat: *Nam omnium*, inquit, *aſteriſmorum cœli borealiſſima eſt Cy-* Scal. cap. III. pag. 85.
noſura. Ex ſtellis autem Cynoſuræ, quæ numero ſunt ſeptem, omnium borealiſſima eſt, quæ in extrema cauda, quam ob id vulgus polarem vocat, quòd propter vicinitatem poli moveri non videtur. At eadem Eudoxi, & Hipparchi ſæculo borealiſſima fuit. quod ex ipſorum, & Hygini, ac Germanici teſtimoniis oſtendit. Hæc eſt ſumma lepidiſſimi illius inventi. quod & quarto de Emendatione temporum, capite περὶ προηγήσεως ἰσημερινῆς explicarat; etſi paullò quædam aliter ibi docuit. de quibus mox agetur. Sed priùs aliqua de aſteriſmis Urſæ majoris, ac minoris obſervanda ſunt: quibus cognitis Scaligeriani commenti falſitas ſponte ſe nobis aperiet: tum erit reliqua omnis inſtituenda deinceps diſputatio facilior.

Refert Hipparchus lib. I, num. X veteres aſtrono- Veterum opinio de Urſarum aſteriſmis.
mos ambabus Urſis ſeptem dumtaxat aſſignaſſe ſtellas; quæ & ἅμαξαν componunt. Ex his quatuor in Urſarum corporibus ſitæ laterculum faciunt. reliquæ tres in caudis στοιχηδὸν poſitæ ſunt. In majore, quam Helicen vocant, capitis loco fuiſſe perhibetur borealior duarum antecedentium in laterculo. anteriores verò pedes in earumdem auſtraliore ſtella. Prior Hipparchi tempore diſtabat à boreali polo partibus ferè 18. Aſcenſio recta graduum 122⅙. Culminabat itaque cum gradu Leonis primo circiter; ut ibi propemodum ſita eſſet, ubi medium caput Urſæ vulgò ſtatuitur; & in eodem ferè coluro cum oculo ſiniſtro. Poſteriores pedes auſtralior ſuccedentium in eodem laterculo repræſentabat. quam viceſimam quintam Leonis partem in æquinoctiali, vel æquidiſtante occupare circulo ſcribit Hipparchus. qui & ex eo caſtigat Eudoxum, & ejus imitatorem Aratum; qui ambo ſub totum Helices aſteriſmum Geminos, Cancrum, ac Leonem patere dixerant. quod & verum eſt hodiéque, ſi intelligantur effigies, non dodecatemoria ipſa. imò verò partem etiam Virginis aſteriſmus delibat. Olim verò dodecatemoria illa tria, quæ commemoravit Eudoxus, obtinebat Helice. Sed neutrum procedit, ſi ad eum modum, quem refert Hipparchus, ſeptem illis plauſtri ſtellis ab Eudoxo circumſcripta erat Helice. de quo valdè dubitamus. Nam hebetem admodum & rudem aſtronomiæ fuiſſe oporteret Eudoxum; ut de Arato taceam; ſi aſteriſmum plauſtri cum tribus illis, ſive dodecatemoriis, ſive ſtellatis figuris adæquare voluiſſet.

Imò

Imò verò ne dubitare quidem nos Eudoxus ipſe patitur, cujuſmodi aſteriſmum majoris Urſæ configuraverit. quem longè aliter, atque Hipparchus de eo retulit, ab ipſo conſtitutum eſſe, ita demonſtramus. Meminit idem Hipparchus Arctici circuli, qualem Eudoxus ad horizontem Græcum, ac præſertim Atticum, certis in cælo veſtigiis adumbravit. Eſt autem circulus Arcticus, ſive ſemper apparens, cujus ſemidiameter eſt altitudo poli; centrum, polus ipſe mundi. Hunc circulum Eudoxus tranſire ſcripſit per dextrum humerum Bootæ: ſuperiora Coronæ: caput Draconis, qui inter ambas Urſas extenditur: ſuperiores partes alæ dextræ Cygni: Cephei pectus: ſuperiora Caſſiepeæ: & anteriores majoris Urſæ pedes. In hæc more ſuo Hipparchus inquirens, fatetur ab Eudoxo rectè propemodum io illo circulo poſitam eſſe dextram alam Cygni, & Draconis caput; ut & alia quædam. anteriores autem pedes Urſæ multò borealiores eſſe. quippe antecedens, ait, diſtat à polo gradibus 24. ſuccedens gradibus 25. Ita gradibus circiter duodecim, vel tredecim hallucinatus eſt Eudoxus; ſi vera de ipſo Hipparchus prodidit. Sed de Eudoxeis circulis agemus capite quinto diligentiùs.

Hippar. lib I. num. XXVI.

Nunc ne à propoſito longiùs avocemus orationem noſtram, ex illâ Eudoxi deſcriptione defendimus, non ibi, ubi cenſuit Hipparchus, pedes Urſæ majoris ab ipſo collocatos videri: hoc eſt in auſtraliore antecedentium majoris laterculi, pedes anteriores: poſteriores, in ſuccedentium ejuſdem laterculi auſtraliore itidem ſtella. ſed eodem ferè loco atque ſitu, quo ab aſtronomis vulgò definiri ſolent.

Etenim antecedentium duarum auſtralior Eudoxi tempore ſita erat in Cancri gradu circiter 16. cujus ab æquinoctiali circulo diſtantia graduum à nobis invenitur 67, 24′. Diſtabat igitur à polo partibus 22, 36′. At Hipparchi tempore declinabat ab æquinoctiali partibus 66, 23′. à polo, 23, 37′: hoc eſt ferè 24, quot numerat Hipparchus; cùm eſſet in gradu Cancri circiter viceſimo. Inferior ſuccedentium in laterculo Eudoxi tempore diſtabat à polo gradibus 23, 13′. Hipparchi autem, gradibus 24, 58′ præcisè, ut Hipparchus reperit. Non eſt veriſimile ſtellas iſtas in apparente ſemper Græciæ circulo ab Eudoxo locatas eſſe, qui gradibus ſeptem & triginta diſtat à polo. ſed eas potiùs, quæ in anterioribus Urſæ pedibus hodiéque ponuntur, vel earum ſaltem alteram. Nam duæ ſunt in anteriori dextro pede proximæ invicem, borealior altera; altera auſtralior. illa ex Tychonis obſervatione anno 1600, verſabatur in Cancri parte 25, 56′, latitudinem habens borealem graduum 29, 15′. hæc in Cancri 27, 7′ ſita tum erat. cujus latitudo graduum 28, 38′. Quamquam Ptolemæus non in dextro pede, ſed in ſiniſtro eas reponit. ſed nihilominus anterioribus pedibus attribuuntur. ubi & eaſdem ab Eudoxo poſitas eſſe patet inde, quòd earum à polo diſtantia illius ætate par fuit altitudini poli, ſive ſemidiametro circuli ſemper apparentis Græciæ. Siquidem è duabus auſtralior, quæ in gradu Geminorum 29 tunc erat, à polo boreali gradibus removebatur 37, 22′. borealior in gradu Geminorum 28 poſita, à polo diſtabat partibus 36, 47′. nec Hipparchi ſæculo multùm illa diſtantia variavit. quippe borealioris à polo fuit intervallum partium 36, 55′. auſtralioris, 37, 24′. Atqui tanta eſt Arctici circuli ſemidiameter in Attica. Non eſt ergo dubitandum, quin Urſæ majoris pedes anteriores, qui in circulo ſemper apparente vehi dicuntur ab Eudoxo, aut ambæ ſtellæ iſtæ fuerint; aut earum ſaltem altera. quemadmodum Draconis caput eidem circulo congruit. Nam ſequens lucidarum duarum in capite aberat à polo boreali partibus 37, 7′ præcisè. Si Eudoxi uterque liber exſtaret; unde phænomena ſua Aratum expreſſiſſe teſtis eſt Hipparchus; de illius ſententia certiùs aſſeverare poſſemus. Ex ipſius quidem verbis illis, quæ Hipparchus attulit, ego ſatis idoneum argumentum effici, pedes anteriores Urſæ in auſtraliore præcedentium laterculi majoris eſſe defixos. Ea verba ſunt libro I Hipparchi, num. X. ubi ita loquitur Eudoxus: πρὸ ἢ τῶν ἐμπροσθίων ποδῶν τῆς ἄρκτου ἀστὴρ ἐστι λαμπρός. *Ante pedes anteriores Urſæ ſtella eſt lucida.* Ex quo ita ratiocinatur Hipparchus: cùm ante auſtraliorem præcedentium in laterculo unica tantùm ſtella lucida ſit, quæ *nunc*, inquit, *in anterioribus cruribus monſtratur;* apparere auſtraliorem iſtam in pedibus ab Eudoxo repoſitam fuiſſe. Atqui neque verum id eſt, auſtraliorem illam laterculi unicam tantùm ſtellam antecedere: ut ex Ptolemæi, ac recentiorum deſcriptione patet: &, ut verum ſit; non minùs veris Urſæ pedibus, & hodiernis aptari poteſt. Etenim duæ ſunt, ut dixi, ſtellæ in anteriori dextro pede non magno ab ſe intervallo diſſitæ, graduum videlicet 1, 15′. Harum igitur auſtraliorem licet pedibus aſſignare. borealiorem verò eam facere ſtellam, quam Eudoxus antecedentem eſſe dixit. Hoc multò, quàm illud Hipparchi, & apparentium veritati, & Eudoxi opinioni conſentaneum magis eſt. Jam in minore Urſa, quam Cynoſuram vocant, ſuperior antecedentium in laterculo duarum eadem ratione pro capite ab veteribus habita creditur: pedum autem inſtar fuiſſe earumdem inferior. Hodie poſtrema caudæ totius aſteriſmi borealiſſima eſt; quæ anno Chriſti MDC diſtabat à polo gradibus 2, 51′. Eudoxi verò, & Hipparchi ſæculo, omnium erat auſtraliſſima. Nam citima polo tunc erat ex omnibus ſuperior illa, quam dixi, duarum in laterculo præcedentium; in qua caput Cynoſuræ, ut Hipparchus refert; antiqui conſtituebant. Tempore Eudoxi diſtabat hæc à polo boreo gradibus tantummodò 7, 26′. Cujus aſcenſio recta fuit 248, 44′. Culminabat ergo cum gradu Sagittarii ampliùs 10. At Hipparchi tempore diſtabat à polo gradibus 8 ferè. Aſcenſio recta, 241, 26′. culminabat cum gradu Sagittarii 3.

Eudoxus contra Hipparchum defenditur.

Poſtrema caudæ, Eudoxi tempore, diſtabat à polo gradibus 14, 4′. At Hipparchi ætate, gradibus 12, 26′. ut ipſemet obſervavit: cujus teſtimonium ſubinde proferemus. Penultima caudæ Eudoxi ſæculo diſtabat gradibus 12, 37′. Hipparchi verò, gradibus 11, 10′. Antepenultima caudæ diſtabat gradibus, Eudoxi ævo, 11, 24′. Hipparchi tempore 10, 22′. ſuperior duarum ſuccedentium in laterculo tempore Eudoxi diſtabat à polo gradibus 9, 16′. quæ nos in tabella ſequenti ſubjicimus oculis.

Tabella diſtantiam à polo continens ſtellarum quinque de aſteriſmo Cynoſuræ.

	Eudoxi tempore diſtabat à polo.	Hipparchi tempore diſtabat à polo.
Quæ in extrema cauda	14, 4′	12, 24′
Media caudæ	12, 37	11, 10
Antepenultima caudæ	11, 24	10, 22
Superior præcedentium in laterculo	7, 26	8, 7
Superior duarum in laterculo ſuccedentium	9, 16	8, 54

Hinc evidens eſt, ſtellam, quæ hoc ſæculo polaris dicitur, éſtque polo vicina; ab eodem olim fuiſſe remotiſſimam. Polo verò propinquam fuiſſe tunc antecedentium duarum in laterculo maximè borealem, quæ gradibus aberat à polo 7, 26′.

De poſtrema caudæ certiſſima res eſt ex Hipparchi, Marini, Strabonis, ac Ptolemæi aſſeveratione, qui omnes auſtraliſſimam illam eſſe teſtati ſunt. Marinus apud Ptolemæum lib. I Geographiæ cap. VII refert, Urſam minorem totam apparenti circulo regionis ejus includi,

eludi, quæ ab Ocele diſtat ad aquilonem ſtadiis quingentis, quæ eſt menſura gradus unius. Etenim parallelum Ocelis gradibus attolli undecim, & minutis 24. auſtraliſſimam verò, quæ eſt in extrema cauda minoris Urſæ, à polo diſtare gradibus 12, 24′; ut ſcripſit Hipparchus. Verba Marini: *ὑποτίθεται δὲ ὑπὸ τοῦ Ἱππάρχου τῆς μικρᾶς ἄρκτου ὁ νοτιώτατος, ἔσχατος δὲ τῆς οὐρᾶς ἀστὴρ, ἀπέχων τοῦ πόλου μοίρας ιβ΄, καὶ δύο πέμπτα. Traditur autem ab Hipparcho minoris Urſæ auſtraliſſima ſtella, & extrema cauda à polo diſtare partibus duodecim, & duabus quintis.* Ita Græci omnes codices tam cuſi, quàm manu exarati. νοτιώτατος, inquam, id eſt auſtraliſſima, non βορειότατος, *borealiſſima*, legitur. quod poſterius Latini penè omnes Interpretes expreſſerunt; peſſimo id quidem exemplo. Non enim locum illum intellexiſſe videntur. Ac vel Strabonis illos ſimilis locus, & ex eodem Hipparchi fonte hauſtus abſterrere ab iſta caſtigandi licentia poterat. Hic enim ex Hipparcho ſcribit, in eo ſitu, qui medius eſt inter æquinoctialem, & tropicum, Urſam minorem integram in Arctico, ac ſemper apparente circulo primùm contineri, nec occidere ampliùs. *τὸ γὰρ ἐπ' ἄκρας τῆς οὐρᾶς λαμπρὸν ἄστρον νοτιώτατον ὄν, ἐπ' αὐτοῦ ἱδρύσθαι τοῦ ἀρκτικοῦ κύκλου· ὥστ' ἐφάπτεσθαι τοῦ ὁρίζοντος. Nam ſtellam in extrema cauda lucidam, quæ maximè verſus meridiem vergat, in ipſo circulo Arctico ita collocari, ut tangat horizontem.* Ita Xylander, & rectè quidem.

Antonius Maginus in comment. ad caput VII, libri I Geogr. Ptolem. aſſerit poſtremam caudæ, quæ hoc tempore borealiſſima eſt aſteriſmi totius, Hipparchi ſæculo omnium auſtraliſſimam fuiſſe. & idem tamen in Latino ſuo Ptolemæo falſam alteram lectionem retinuit, quæ *borealiſſimam* illam perperam vocat. quod miror eruditos quoſdam Mathematicos verum putaſſe. Atqui non ſolùm quod dixi certiſſimum eſſe, calculus ipſe demonſtrat: ſed neque Veterum illorum, quos citavi, aliter explicari teſtimonia poſſunt. Etenim ut aſteriſmus aliquis in ſemper apparente circulo primùm eſſe totus incipiat, neceſſe eſt, ejus ut auſtraliſſima ſtella circulum Arcticum diurna converſione decircinet. quemadmodum in eo ſitu, qui poli altitudinem habet partium 41, pedes anteriores Helices Arcticum circulum delineare dicuntur ab Arato, & Gemino. Nam ſi borealiſſima tantummodò ſtella circulum deſcribat Arcticum, & ſtringat horizontem, auſtraliores illius aſteriſmi partes orientur, & occident. neque intra circulum ἀειφανῆ continebuntur. At Marinus, & Strabo de illo tractu loquuntur, ubi tota Cynoſura ſemper apparere incipit. Neceſſe eſt ergo ab auſtraliſſima ejus ſtella radi horizontem, non à borealiſſima dumtaxat.

C A P U T IV.

De motu octavæ ſphæræ, confutantur argumenta, quibus Scaliger illum oppugnare ſtuduit. Eudoxi de polo mundi ſententia declaratur; nec non Eratoſthenis, Hygini, Aratei Scholiaſtæ. Stellarum declinationes mutari. Ridiculum Scaligeri de iis, déque polo commentum.

HÆc ad confutandam Scaligeri fabulam, ac totam illius libri pompam diſcutiendam ut neceſſaria, ſic valida ſunt, & invicta. Imo ex iis ipſis octavum cœlum in conſequentia moveri, æquinoctialia verò puncta in antecedentia nequaquam ferri, certiſſimè demonſtratur. ac miro quodam modo fit, ut unde commentum ſuum adſtruere ſe quàm-maximè putabat Scaliger; ex eo funditus evertatur, ac corruat.

Scaligeri firmamentum. Nam quæ demum illius ratio eſt? Si moveretur, inquit, octavus orbis in conſequentia, ſtellæ fixæ non eamdem à polo mundi diſtantiam ſervarent: ſed aliæ magis, minùs aliæ, quàm dudum, pedetentim abeſſent. Ne veriora quidem ea ſunt, quæ ad Sagram. Atenim, pergit, eadem ſtella, quæ Eudoxi, & Hipparchi tempore; hodie quoque borealiſſima eſt in aſteriſmo Cynoſuræ. Hoc verò falſiſſimum eſt. Nam quæ hodie propior polo eſt; ut polaris ideò vocetur, olim ab eo remotiſſima fuit. cùm eſſet citima polo altera, borealior nempe præcedentium in laterculo minori. Illa diſtabat à polo gradibus 12, 24′ Hipparchi tempore; Eudoxi, 14, 4′. Hæc Hipparchi ſæculo, gradibus 8, 8′. Eudoxi, grad. 7, 26′. De hac igitur, non de priore, quæ in extrema cauda eſt, accipiendus eſt Eudoxus, cùm ait in ea polum mundi eſſe poſitum. nec non Eratoſthenes; ſiquidem in aſteriſmo Cynoſuræ polum ſtatuerint. qua de re paullò pòſt. Eratoſthenem Hyginus, & Germanicus Arati Scholiaſtes, quos ſuffragatores opinionia ſuæ Scaliger appellat; aut non aſſecuti ſunt; aut eorum ſunt verba mendoſa.

Scribebat Eudoxus apud Hipparchum num. V de boreo polo; *Ἔστι δέ τις ἀστὴρ μένων ἀεὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον. οὗτος δὲ ὁ ἀστὴρ πόλος ἐστὶ τοῦ κόσμου· Eſt verò ſtella quædam in eodem ſemper conſiſtens loco; quæ quidem polus eſt mundi.* Eudoxus de polo mundi. Contra quem Hipparchus de falſitate præſcribit: *ἐπὶ γὰρ τοῦ πόλου οὐδὲ εἷς ἀστὴρ κεῖται, ἀλλὰ κενός ἐστι τόπος, ᾧ παράκεινται τρεῖς ἀστέρες· μεθ' ὧν τὸ σημεῖον τὸ κατὰ τὸν πόλον τετράγωνον ἔγγιστα σχῆμα περιέχει. Nam in polo ipſo ſtella nulla ſita eſt: ſed vacuus eſt locus, cui ſtellæ tres adjacent: quibus cum punctum ipſum poli quadrangulam circiter figuram efficit.* Poteſt quadrangulum iſtud variis ex ſtellis conformari. Ut, ſi ad ſolam Cynoſuræ conſtellationem accommodare libeat, figuram hanc Hipparchi tempore præbebant ſuperior antecedentium in plauſtro; quæ in radice caudæ; ultima caudæ. quæ omnes cum polo τετραγωνίζον σχῆμα faciebant. Item alio modo quadrilaterum fiet ex ſuperiore præcedentium in plauſtro; ac duabus in cauda Draconis unà cum polo. Sanè penultima caudæ Draconis Eudoxi tempore omnium ſtellarum borealiſſima tunc habebatur: ut quæ ſeptem tantùm gradibus à polo diſtaret. Porrò in hodierno ſitu, aſſumpta polari ſtella, quadrangulare iſtud ſchema nequaquam congruit.

Hyginus initio libri tertii Poëticæ aſtronomiæ, de Cynoſura: *Minor autem habet in ſtationis unoquoque loco ſtellas ſingulas clarè lucentes, & ſuper caudam tres: omninò ſeptem. ſed in prioribus caudæ ſtellis una, à qua polus appellatur, ut Eratoſthenes dicit: per quem locum ipſe mundus exiſtimatur verſari. reliquæ autem duæ χορευταὶ dicuntur, quòd circum polum verſantur.* Vetus Arati Scholiaſtes: *Habet autem ſtellas in humero ſplendidam unam; in pectore claram unam: in ventre claram unam: ſuper caudam claras tres. ſiunt omnes ſeptem. ſupra alias decem, quæ præcedunt, & dicuntur ludentes; & maximè altera, quæ vocatur polus; in quo à quibuſdam putatur totus orbis circumverti.* Hyginus teſtari videtur ab Eratoſthene polum in aliqua da ſtellis caudæ collocari. quod de antepenultima magis erit ut accipi debeat, quàm da ultima. Hæc enim Eratoſthenis tempore tredecim circiter gradibus à polo aberat. Fortè ſcripſit Eratoſthenes, *ἐν τοῖς προηγουμένοις τῆς οὐρᾶς, in iis aſteriſmi ſtellis, quæ caudam præcedunt.* vel *in prioribus caudæ ſtellis;* quomodo vel interpretatus eſt Hyginus; vel interpretari debuit. Arateus Scholiaſtes quid ſibi velit non eſt facile diſcernere. Eratoſthenis ſententia.

Equidem, ut in ejuſmodi ferè ceteris, ſic in hac præcipuè tota diſputatione communem in Scaligero ſenſum, ac judicium requiro. Quid enim minùs eſt dignum homine prudenti, ac litterato, quàm quod is admiſit; ut cùm certiſſimis, & indubitatis veterum, ac recentiorum obſervationibus communis illa nitatur opinio de octavæ ſphæræ progreſſione; his inſuper habitis, in uno alteróve, nec eo quidem ſatis liquido infimæ notæ Scriptorum teſtimonio miſerè conflictaretur? Niſi fortè pluris eſſe debet quod Eratoſthenes, Scriptor in multis maximíſque verſatus erroribus; (ut teſtis eſt acerrimi vir judicii Strabo lib. I, ac II Geographiæ) Eratoſthenes in multis erravit. aut ex eo quòd Hyginus, & ille neſcio quis ſine nomine Scholiaſtes aſſeveraverint, quàm quod Hipparchus, Ptolemæus, Regiomontanus, Copernicus, Tycho Brahe, ceteri denique omnes aſtronomiæ peritiſſimi non affirmarunt modò, ſed invictis etiam rationibus, experimentiſque probarunt. Atque hoc ita diſputo, quaſi aut Eratoſthenes, aut ambo iſti tale aliquid dixerint, cujuſmodi Scaliger finxit; polum eſſe mundi poſtremam in cauda Cynoſuræ ſtellam. Atqui non hanc potiùs, quàm ceteras nominant iſti. ut id precariò ex eorum teſtimoniis auferre conetur novæ aſtronomiæ conditor; ultimam caudæ polo citimam illorum ſæculo fuiſſe. Ac de Eratoſthenis, & Eudoxi ſententia, quod ad polum attinet, agetur poſtea. Inſignis verò eſt oſcitantia Scaligeri; qui in lib. IV de Emend. temp. cap. *περὶ* [illegible], eamdem illam caudæ poſtremam ſtellam mundi eſſe polum aſſerit; itáque perſuaſum fuiſſe Veteribus. Pag. 284 edit. ult. quod quia reprehendit Hipparchus, ac Pytheam Maſſilienſem teſtem adhibuit, negat Scaliger meritò id eſſe factum:

factum: quæritque quomodo Pytheas ſcire potuerit ubi ſit polus mundi. *Longè enim*, addit, *validior eſt ratio, cur credamus ſtellam illam, quæ moveri non videtur, eſſe polum, quàm aliam.* Imperitè prorſus. Nam & nautæ, & vulgares etiam aſtronomi tardiſſima converſione ſtellam illam moveri quotidie deprehendunt. & Scaliger ipſe cap. II, libri de Æquin. anticip. diſertè id affirmat, ac priorem ſententiam condemnat. ut mirum ſit in editione illa poſtrema Operis de Emend. temp. quam poſt elucubratam Diatribam de Æquin. anticipatione caſtigavit auctor; non magis puerilem hanc hallocinationem, quàm reliquas omnes eſſe ſublatas.

Contra motum octavæ ſphæræ argumentum cujuſdam. Scripſerat Clavius comment. in caput I Sphæræ, virum quemdam eruditiſſimum, ac nobiliſſimum contra motum octavæ ſphæræ, ac ſtellarum in conſequentia diſputantem duplex imprimis argumentum attuliſſe: alterum, quòd Canobi ſtella declinationem mutaſſe minimè videatur. Nam & hodie Inſulæ Rhodi horizontem ſtringit: ut olim Hipparchi, & Eudoxi ætate faciebat. Alterum, quòd quæ ſtella polo vicina eſt hoc ſæculo, non minùs anteactis ſæculis propinqua fuerit. Sed utrumque ſolide & eruditè Clavius refellit. Scaliger verò capite ſecundo libri de Æquin. anticip. diſputationis hujus meminit: ac nobilem illum Mathematicum traducit, quod neque ex Canobi ſtella ſatis firmum argumentum duxerit: neque alterum, quod rem conficere poterat, è polari ſtella petitum, idonee demonſtraverit. Sanè quod ad Canobum attinet, quoniam circa Geminos, & Cancrum ſitus eſt; non magnam declinationis varietatem efficit. uti neque Sol circa illam ſphæræ partem magna incrementa declinationis capit.

De polari verò ſtella, quod ab iſto Mathematico demonſtrari potuiſſe negat Scaliger; nihilo firmius probare ipſe potuit. imò, quod hactenus oſtendimus, ſtupido ac ridiculo paralogiſmo, & lectoribus ſuis, & aſtronomicis, ac Mathematicis illuſit artibus. Enimverò ſtellarum declinationibus longa ætas tantum varietatis attulit; ut qui eam non intelligit, extremè ſit harum doctrinarum rudis: qui negare audet, nihil eo fieri poſſit impudentius. Ptolemæus lib. VII, cap. III collatis inter ſe Hipparcheis ac ſuis obſervationibus, idipſum exemplis pluribus oſtendit. Unum ex iis Spicæ Virginis eſt,
fig. 38. de quo neſcio quid inconditè, abſurdéque Scaliger in fine capitis ſecundi. Ibi enim nobilem illum, quem ſuprà retuli, Mathematicum ait, *ſi alia quapiam ſtella, quæ in aliis eclipticæ partibus poſita ſit; putà Spica Virginis, argumentum ſuum inſtruxiſſet, monſtrum planè confecturum fuiſſe:* hoc eſt validiſſime probaturum, nullo proprio motu ſphæram octavam in conſequentia promoveri. Age itaque vim argumentationis hujus experiamur, quam contra motum illum indidem molitur, informátque Scaliger. *Spica Virginis*, inquit, *in meridiano Regii montis ſub elevatione LIV partium culminans attollitur ſupra horizontem partibus XXVII, teſte Copernico. Quæ cùm hodie ſit in XVIII parte Libræ, ſæculo Hipparchi erat in XXIII Virginis. Quòd ſi motus ullus in conſequentia factus eſſet ab illo ſæculo ad hunc diem, oporteret Spicam Virginis culminantem ſupra eumdem finitorem attolli ad gradus XXXVI, aut XXXVII plus minùs.* Atqui & Copernicus rectè Spicam Virginis in illo ſitu poli gradibus aſſurgere ſeptem & viginti circiter obſervabat: & imperitiſſimè Scaliger ſeptem ac triginta oportere illam putavit attolli, ſi octava ſphæra progreſſionem in conſequentia feciſſet. A puncto verticali ad horizontem quadrans ſolidus intercedit. De eo dempta poli altitudine, reſidua eſt æquinoctialis ſupra finitorem elevatio. Si ergo de 90 detrahantur 54, reſidui ſunt 36 gradus, quibus æquinoctialis ſupra horizontem eminet. Quare ſi 27 gradibus ab horizonte ſtella diſtat, novem circiter ab æquinoctiali declinabit. Unde vel hæc ipſa Scaligeri ratio vincit, Spicam Virginis declinationem priſtinam mutaſſe. quippe Timocharidis tempore ab æquinoctiali boream verſus diſtabat gradu 1, 24′. Hipparchi verò, gradibus 0, 26′. Ptolemæus auſtralem ejuſdem declinationem comperit ſemiſſis gradus unius, hoc eſt ſcrupulorum 30. Copernicus, graduum 8, 40′. Tycho Brache graduum 8, 56′, 20″. Ut autem diſputat Scaliger, neceſſe ſit Spicam Virginis declinationem prorſus habere nullam. Ita enim par erit ſtellæ, & æquinoctialis ſupra finitorem altitudo. quo nihil fingi poteſt ineptius. Quamobrem cùm à polo mundi ſtellæ non eamdem perpetuò diſtantiam habeant; ſed eam tantoperè commutent; evidens eſt ſtellas ipſas, & octavam ſphæram, quæ illas continet, propria converſione in conſequentia torqueri.

Adde jam ceterarum ſtellarum declinationes ab Hipparcho & Ptolemæo notatas, nominatimque conceptas; & cum earumdem obſervatis à Tychone declinationibus circa ſæculi hujus initium confer. tum demum intelliges nec mediocre diſcrimen intereſſe; & ridiculum eſſe Scaligeri commentum affirmantis, ſtellarum à polis diſtantiam nullo modo variari. Exempli cauſſâ; Hipparchus lib I, nu. XIX ait Arcturum à polo boreali diſtare gradibus 59, unde fuit ejus declinatio grad. 31. Tycbo verò declinationem facit graduum 21, 18′½. Diſcrimen, graduum 8, 41′½. Lucida Pleïadum declinabat ab æquinoctiali boream verſus grad. 15⅓ Hipparchi tempore. Ptolemæus gradus 14⅔ aſſignat. Tycho 22, 49′. Sic Palilicium ſidus Hipparchus animadvertit declinare ad boream gradibus 9, 45′, Ptolemæus 11. Tycbo 15, 38′. Cor Leonis declinabat Hipparchi ſæculo gradibus 20, 40′ ad aquilonem; Ptolemæi, grad. 19, 45′. Tychonis 13, 53′. Antecedens humerus Orionis declinabat ad Septentrionem, ut notavit Hipparchus, grad. 1, 48′. Ptolemæi tempore, gradibus 2½, Tychonis, grad. 5, 55′. Reliqua ſunt ejuſdemmodi: in quibus major, minórve, pro ſitu ſtellarum, varietas accidit. tum in pleriſque non ſolum longinquitas ipſa; ſed longinquitatis quoque ſpecies immutata eſt. ut quæ boreales olim extiterant, hodie ſint auſtrales; viciſſimque in has illæ tranſierint.
Hippar. lib. I. Ptol. lib. VII, cap. II.

Eat nunc Scaliger, ac ſummis Aſtrologiæ anteceſſoribus inſultet, Hipparcho, & Ptolemæo: ac præ ſe iſtos, cetéróſque contemnat omnes. Cujus quidem riſu, vel miſeratione digna eſt hæc acclamatio. *Quid nunc hiſcere audebunt, qui eam pertinaciter defendunt quod ignorant? Nam profectò non quòd ſciant certò ullum ſphæræ octavæ motum in conſequentia eſſe, ita prædicant: ſed quia ita pueri didicerunt, quæ ſenes dediſcere pudet. Quicquid eruditorum Aſtrologorum eſt, hûc concurrant, & omnes operas ſuas conferant, ut illum fabuloſum motum tueantur, nihil agent. Satis eos ſummovebit Eudoxi, & Eratoſthenis, & totius vetuſtatis auctoritas. Profectò furor eſt adverſus hæc pertendere. Spero tamen neminem tam à vero averſum fore, qui tantis, támque luculentis teſtimoniis confectus, & depoſitus, manus ultrò non det, & ingenuè fateatur ſe cum Hipparcho, & Ptolemæo, & cum omni Aſtrologorum natione joculariter, & pueriliter erraſſe.* Hæc eò integra deſcripſi, ut inanem hominis [Greek], & confidentiam in re ludicra, & falſiſſima illius admiratores agnoſcerent; ac quàm levibus argumentis, imo nullis penitùs adductus, tantum novitatis importare cœleſtium in rerum doctrinam inſtituerit. Nam, ut uno verbo quæ ſunt hactenus diſputata colligam, vis omnis probationum illius in eo ſita eſt, ideo ſphæram octavam, ejúſque ſtellas non moveri, quòd hæ ſitum, declinationémque non mutent. Non mutare verò, perſuadet inde ſibi, quòd extrema caudæ minoris Urſæ borealiſſima quondam aſteriſmi totius fuit, ut eſt hodie. Id autem tametſi Eudoxi, Eratoſthenis, Hygini, & Aratei Scholiaſtæ teſtimoniis oſtendi putat; non hoc tamen aſſerunt illi: nec poſtremam caudæ nominatim appellant. ſed [Greek] certam aliquam deſignant: Eudoxus quidem oon Urſæ magis, quàm alterius conſtellationis. ceteri in Urſa quidem utcumque ſtatuunt; ſed non eam, quam fingit Scaliger. Cujus in ſequentibus majora porrò ſunt portenta. quæ priuſquam examinare pergimus, de Eudoxi, & Eratoſthenis ſententia nonnulla dicamus, ſine quibus intelligi quæ ſunt explicanda nequeunt.
Scal. p. 31.

CAPUT V.

De Eudoxi, & Eratoſthenis opinione ſuper polo mundi; in quo ſtellam poſuerunt. De Arctico eorumdem, & Arati circulo, in quo & hic, & alii quidam imperitè verſati ſunt. Altitudo poli in Græcia perperam à nonnullis Veteribus conſtituta. Eudoxi, ac Philippi defenſio adverſus Hipparchum. Arati, Gemini, Hygini error.

EUDOXUS, & eum ſecutus Eratoſthenes, uti capite quarto ſignificavimus; polum mundi ſtellam quampiam eſſe dixerunt, quæ nullam in partem moveri videretur.

deretur. Imo utrumque polum ſtella ſua præditum eſſe docuerunt aliqui; ut teſtis eſt auctor illius fragmenti, quod Eratoſthenis nomine falſo inſcriptum edidimus hoc in opere. καὶ τὰ τούτων πέρατα πόλοι· ἅπερ τινὲς μὲν ἀστέρας εἶναι μικροὺς ἔφασαν· ἔνιοι δὲ σημεῖα νοητά, καθὼς καὶ ὁ Ἄρατος. *Extrema mundani axis polos nominant. quos eſſe ſtellas exiguas aliqui dixerunt. alii puncta ſola cogitatione conſtantia, ut & Aratus.* Marcianus quoque lib. VIII, cap. de Septentrionali circulo, *in ipſo mundi cardine clarius* ait *eſſe ſidus.* In boreali polo ea ſtella quæ ſit, vellem explicaſſet Eudoxus. Hoc quia non fecit; inquirendi laborem poſteris reliquit. Ac ſunt duæ potiſſimùm ſtellæ, quæ controverſiam faciunt, illo ſæculo borealiſſimæ: altera, quæ penultima Draconis dicitur: altera ſuperior antecedentium in laterculo minoris Urſæ. Prior enim à polo diſtabat Eudoxi tempore gradibus 7, 2′, ſi & annis 72 gradum unum μεταβαίνοντος octavæ ſphæræ tribuas; & obliquitatem maximam eclipticæ definias gradibus quatuor & viginti. Poſterior eâdem methodo colligitur partium 7, 25′. Itaque quo prior illa polo mundi propior fuit, eò magis fallere, ac pro vero mundi cardine potuit obrepere. Etſi per illud mirum eſt, Eudoxum aſtronomorum ætate ſua principem, adeo pueriliter aberraſſe; uti ſtellam eam, quæ ſeptem, ut minimùm, gradibus à polo diſtabat, immobilem eſſe putaret. cùm hodie tanto minore intervallo diſtans extrema caudæ Cynoſuræ nautarum non fallat oculos; ſed quamlibet anguſtum orbem motu ſuo ſentiatur efficere.

De Eudoxi ſententia conjectura probabilis.

Quocirca non ſemel ſuſpicari contigit, populari magis ſenſu, uſuque loquendi Eudoxum illa ſcripſiſſe, quæ ex Hipparcho cap. IV retulimus, quàm quod ita ſeriò, ac revera judicaret, eam ſtellam, cujus motus non diſcerneretur oculis, polum eſſe mundi. ut hæc ipſa verba: οὗτος δὲ ὁ ἀστὴρ πόλος ἐστὶ τοῦ κόσμου, ſic accipi debeant: *Hæc illa ſtella eſt, quam polum mundi vulgus appellat.* quemadmodum hodie poſtremam in cauda Cynoſuræ non ſolùm polarem ſtellam, ſed etiam polum mundi, nonnumquam dicimus. Atque hoc eo de Eudoxo credibilius eſt, quòd in circulorum parallelorum deſcriptione minimè ad ambarum illarum ſtellarum alteram intervalla dimenſus videtur; ſed ad ipſum polum mundi. Quamquam ne ad hunc quidem ſatis exactè conveniunt ſtellarum, quæ in circulis iſtis ab illo conſtituuntur, diſtantiæ. quippe ὁλοσχερῶς plerumque, ac negligentiùs tam ab hoc, quàm ab Arato circumſcriptæ ſunt. Sed, ut in rudi informatione, ac minùs diſtincta, conjecturam tamen præbet uterque, magis ad verum mundi polum, quàm ad ſtellam aliquam, circulorum metationes à ſe eſſe deſcriptas.

De quo ut erudito lectori integrum judicium relinquatur, parallelos amborum circulos, cujuſmodi & ex Arati Phænomenis, & ex Eudoxi reliquiis apud Hipparchum noſtrum colliguntur, viſum eſt ſubjicere, cum eorumdem examine, & caſtigatione, hoc eſt vera aſteriſmorum, ſtellarumve declinatione, quos unicuique circulo velut limites aſſignarunt. His accedent & ſingulorum ab ſtellis duabus diſtantiæ, quos polum ſibi mundi ex eorumdem opinione vendicare potuiſſe ſuprà demonſtravimus; hoc eſt ab ſuperiore duarum antecedentium in minore laterculo; & à penultima caudæ Draconis, à quibus cujuſlibet limitanei ſideris intervallum διὰ γραμμικῶν ἀποδείξεων, ut Hipparchus loquitur, à nobis pari labore ac diligentia confectum eadem tabula complectemur. Sed quò ſit utilior hæc noſtra diſputatio, & illuſtrandis Hipparchi, Gemini, ceterorúmque, quos hîc edidimus, auctorum monimentis aptior; paullò hæc altiùs inquirentes licet circulorum iſtorum rationes exponere.

Septem omninò ſunt circuli, quorum ſitus ad priſcæ, & Eudoxeæ, vel Arateæ ſphæræ delineationem neceſſarii ſunt: Æquinoctialis; Tropici duo; Arcticus, vel ſemper apparens; Antarcticus huic oppoſitus, apparénſque numquam; Colurus æquinoctiorum; Colurus Tropicorum. Hos omnes Eudoxus in libris duobus explicarat; quorum alterum Phænomena; alterum ἔνοπτρον inſcripſerat. ut non uno loco teſtatur Hipparchus. Aratus Tropicos dumtaxat, & æquinoctialem deſcripſit, omiſit reliquos. Nos ab Arctico ſumemus initium; in quo tradendo perplexè, imperitéque primùm Aratus; tum ejus exemplo complures Græci, Latinique verſati ſunt. qui ſic ἀεὶ φανερὸν circulum informarunt, quaſi idem ubique terrarum eſſet; nec pro ſitu regionum major, aut minor exiſteret. Atque ita ſeſe res habet, ut quò quæque regio magis accedit ad polum, eò majore ambitu conſtet circulus ejus Arcticus. quò æquinoctiali verò propior eſt, eò breviore gyro comprehendatur. Etenim ſemidiameter hujus circuli eadem eſt cum altitudine poli: ut ſuprà docuimus. Athenis, & in pleraque Græcia, polus gradibus circiter ſeptem & triginta ſupra finitorem eminet; ut initio ferè libri primi teſtatur Hipparchus. Itaque circulus ejuſdem regionis Arcticus totidem graduum ſemidiametrum habet. At in Macedonia, & Helleſponti climate, ubi graduum quadraginta & unius eſt altitudo poli, tantumdem circuli ſemidiameter patet.

Hipparchus lib. I, num. V, Aratum, &, quem iſte ſecutus eſt auctorem, Eudoxum, Philippum, aliòſque caſtigat aſtronomos, quòd in ſitu Græciæ definiendo, ac tam poli altitudine, quàm diei magnitudine dimetienda, alii poſt alios erraverint. Eudoxus quidem parum, ut idem ſignificat, conſtans ſibi in uno opere ſcripſerat, in Græcia longiſſimi diei ad breviſſimum eam eſſe rationem, quæ eſt quinque ad tria, ſi parallelus tropicus in partes octo dividatur. at in alio proportionem eam eſſe docuit maximi diei ad minimum, quam habent duodecim ad ſeptem, ſi totus parallelus in novemdecim tribuatur. Priori ratione longiſſimus dies horarum paullò ampliùs erit 15; hoc eſt 15 $\frac{3}{19}$ ſive, 15, 9′, 30″ ferè. Poli altitudo, data longiſſima die, & obliquitate zodiaci maxima, per can. XXI. doctrinam colligitur. ac ſi præcisè dies habeatur horarum 15, & obliquitas eclipticæ 23, 51′, ut Hipparchi tempore; poli ἔξαρμα reperietur graduum 40, 53′. Sin dies longiſſima eſt horarum 15, 9′, poli altitudo colligetur 42, 12′. Itaque meritò ab Hipparcho reprehenduntur ii, qui inclinationi Atticæ modum illum diei tribuebant.

Hipparche Eudoxi, & Philippi, aliorúmque caſtigatio.

Quamquam Eudoxum, & Philippum excuſare fortè poſſumus, niſi Græciæ, hoc eſt Atticæ, nominatim hoc, quod Hipparchus ſcribit, affinxerint. de quo, quia illius libri non exſtant, affirmare non licet. Etenim in calce parapegmatis Ptolemaici, quod in hoc opere primum à nobis publicatum eſt, adnotatum legitur, Eudoxum in Aſia, Sicilia, & Italia obſervationes ſuas edidiſſe. Erat oriundus Eudoxus Gnido: ubi & illius ſpecula monſtrabatur, è qua Canobum proſpexerat, ut auctor eſt Strabo lib. II. Hujus urbis parallelus idem eſt ac Rhodi, eodem teſte. quare polus gradibus triginta ſex attollitur. Ad hunc cœli poſitum neuter de duobus longiſſimi diei modus convenit, quos ex Eudoxo refert Hipparchus: ſed Italiæ quadrat. Ideo in fine Ptolemæi noſtri notatum eſt, Eudoxi, & aliorum quorumdam obſervationes ad parallelos tres accommodari: nempe ubi dies eſt horarum $14\frac{1}{2}$, & $14\frac{3}{4}$, & horarum 15.

Qua ratione excuſari poſſint illi.

Pag. 93.

Philippum verò in eadem eſſe cauſſa non patitur ille Scriptor anonymus, dum ejus obſervationes eo parallelo circumſcribit, ubi dies horarum eſt maxima $14\frac{1}{2}$. quem in Peloponneſo, & Locride ait obſervaſſe. Sed poſtquam Locridem hanc in Italia eſſe, magnáque Græcia lib. VI, cap. IX. demonſtravimus, poteſt non minùs æquo jure defendi, quàm Eudoxus; ſi, ut eſt veriſimile, parapegma ſuum ad patriæ ſitum exegerit.

Sanè, quod ad Eudoxum attinet, credibile eſt, non unum genus parapegmatis, nec unius loci ab eo eſſe confectum; ſed alterum ad patriam, Græcúmque cœli poſitum; alterum ad Italiam accommodatum fuiſſe; ac diverſum adeo utrobique dierum modum eſſe definitum. Non enim ſic hebes ille fuit, & ignarus artis ſuæ; in qua principatum illo tempore tenuit; ut longiſſimæ in Attica diei rationem ad breviſſimam ejuſmodi faceret, qualem Hipparchus ab eo conſtitutam voluit. Sed ita profectò eſt, ut dixi; in ea parapegmata Hipparchus incidit, quæ alibi, quàm in Græcia, ab illo ſunt edita. quod de Philippo quoque præſtanti & ipſo quondam aſtronomo, pro æquitate noſtra, conjectari libet.

Ut autem excellentes illos aſtronomiæ laude viros ab inſcitiæ, ac turpiſſimi lapſus invidia hoc, quem dixi, modo defendimus; ſic ab Arato, ac ceteris ejus imitatoribus ſimilem culpam deprecari nulla excuſatione poſſumus. nec id verò magnopere curamus. Plus enim ad cœleſtium rerum ſcriptionem poeticæ facultatis, & induſtriæ, quàm uſus illarum, ac ſcientiæ Aratus contulit; ut in exordio libri primi teſtis eſt Hipparchus; ac

vel

vel eo tacente res ipſa declarat. Hic ad eam cœli inclinationem ſphæræ ſuæ ratiocinia comparavit, in qua polus gradibus attollitur 41. quod ab eo factum Theo putat idcirco, quòd in Helleſponti climate, hoc eſt in Macedonia ſcripſerit. Ego verò non id certo conſilio, nec cogitata quadam ratione feciſſe Poëtam iſtum arbitror: ſed Eudoxum ut in ceteris, ſic in eo quoque ſecutum. Nam duo per imprudentiam uſurpavit invicem pugnantia. Primum initio ferè libri, de Dracone loquens, qui inter ambas Urſas ſinuato flexu porrigitur, ejus caput in Arctico vehi circulo demonſtrat his verſibus: (Arati error.)

Κείνη πυ κεφαλὴ τῇ νίσσεται, ἧχί περ ἄκραι
Μίσγονται δύσιές τε, καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσιν.

quos ſic Cicero reddidit:

Quod caput hic paulliſm ſeſe, ſubitóque recondit
Ortus ubi, atque obitus parte admiſcentur in una.

Caput Draconis horizontem, quem Oceanum poëtæ vocant, (ut teſtatur Geminus noſter) radere ſignificat in ea parte, in qua meridianus cum eodem horizonte committitur. quod & verum eſſe in Atticæ, Græciæque ſitu confirmat Hipparchus lib. I, cap. VI. & nos verum eſſe deprehendimus. Siquidem ſequens lucidarum in capite Draconis, Eudoxi tempore, ex calculo noſtro diſtabat à polo gradibus præciſè 37, ſi obliquitas eclipticæ ſumatur graduum 23, 52′, qualis Hipparchi ferè tempore fuit. at ſi graduum ponatur 24, diſtabat partibus 37, 7′. Proinde meritò & eleganter νήχεσθαι, ac κολυμβᾶν Draconis caput dicitur, hoc eſt in ſummo æquore fluitare.

Alterum verò huic minimè conſentaneum ab eodem Arato ponitur; cùm de æſtivo tropico loquitur. Ait enim ſic illum ab horizonte dividi, ut ex octo partibus quinque ſupra, ceteræ tres infra terram conſiſtant. qua ratione longiſſimus dies horas habet quindecim: polus verò 41 partibus attollitur. qui ſitus eſt Macedoniæ, & Helleſponti: ut jam diximus: non Atticæ, Græciæque.

Minùs Arato de hoc errore ſuccenſeat, qui hunc eumdem ab Gemino commiſſum eſſe ſciverit, inſigni Mathematico. Hic enim cap IV Arcticum circulum ibi, ubi habitabat, ab anterioribus pedibus Urſæ deſcribi aſſerit. Atqui duæ ſtellæ ſunt in anterioribus pedibus, quarum borealior Gemini tempore diſtabat à polo boreo gradibus præciſè 37. auſtralior dimidio ferè ampliùs gradu. quare poli erat altitudo graduum totidem. Verùm paullò pòſt de tropico circulo eadem cum Arato docet. ἐνταῦθα δὲ, inquit, τέμνεται οὕτως, ὥστε τὸν ὅλον κύκλον διῃρημένον εἰς η΄ μέρη, πέντε μὲν τμήματα ὑπὲρ γῆς ἀπολαμβάνεσθαι· τρία δὲ ὑπὸ γῆς. Ita ſecari tropicum ibi, ubi erat, aſſerit; ut ex octo partibus quinque ſupra terram, infra verò tres exiſtant. qui ſitus graduum quadraginta & unius elevationem requirit. Minimè ergo cum antecedentibus cohærent ſequentia. (Error Gemini pag. 8.) (Gemini pag. 16.)

Eadem hallucinatio eſt apud Hyginum. qui quarto libro circulum Arcticum caput, ac pedes Draconis ſuſtinere ait. & idem tamen tropicum circulum ex octo partibus, quinque ſupra terram attollere, tribus infra depreſſis, aſſerit. (Nec non Hygini.)

CAPUT VI.

Examen Arctici, Tropici, & Æquinoctialis circuli ab Eudoxo, & Arato definiti ex quibus Eudoxi de polo ſententia colligitur. Quædam in Hipparcho notata.

Sed jam tempus eſt, ut Arati, & Eudoxi circulos cum Hipparchea, ac noſtra caſtigatione repræſentemus: non omnes quidem: neque enim neceſſe eſt: ſed tres tantummodò præcipuos; Arcticum, æſtivum Tropicum, & Æquinoctialem. quos etiam ſolos adhibuit Scaliger. In ſingulorum laterculis cola erunt quinque. primum ſtellarum nomina continebit. ſecundum examen Hipparchi. hoc eſt diſtantiam à polo, vel Æquinoctiali cujuſque ſtellæ. tertium eamdem diſtantiam ex tabulis noſtris petitam. reliqua duo intervalla ſtellarum exhibent à ſuperiore antecedentium in minore laterculo Cynoſuræ, & penultima caudæ Draconis.

ARCTICUS CIRCULUS EUDOXI, ET ARATI.

	Diſtantia à polo mundi.			Diſtantia ſtellarum	
Nomina ſtellarum	Eudoxi tempore	ab Hipparcho definita	Hipparchi ætate ex noſtris tab.	à ſuperiori majoris laterculi.	à pen. caudæ Draconis
Bootæ ſiniſter humerus	40, 13′	41, 15′	41, 44′	36, 18′	35, 48′
Superiora Coronæ	52, 10		53, 34	45, 58	49, 58
Caput Draconis	37, 0	37, 0	37, 3	29, 37	39, 53
Superiora fidiculæ	51, 8	49, 0	51, 9	43, 44	54, 18
Superiora dextræ alæ Cygni	39, 39	40, 0	39, 39	33, 18	43, 5
Cephei pectus	36, 28		35, 11	33, 50	43, 21
Caſſiepeæ ſuperiora, id eſt, pedes	39, 26	38, 0	37, 50	41, 47	45, 47
Urſæ majoris pedes anteriores. Auſtralior pedis dextri	37, 24	hallucinatus Hipparchus pedes aliter accepit	37, 24	44, 33	34, 5
Borealior pedis ejuſdem	36, 47		36, 55	43, 39	33, 41

TROPICUS CIRCULUS EUDOXI, ET ARATI.

Nomina ſtellarum	Diſtantia ſtellarum à polo mundi. Eudoxi tempore	ab Hipparcho definita	Hipparchi ætate ex noſtris tab.	Diſtantia ſtellarum à ſuperiori majoris laterculi.	à pen. caudæ Draconis
Geminorum capita — Antecedentis	56, 43′	56, 30′	56, 29′	65, 14′	56, 49′
Geminorum capita — Succedentis	59, 48	60, 0	59, 21	67, 16	57, 28
Genus Heniochi imo pedes — Dexter pes	63, 14	0, 0	62, 13	70, 10	64, 49
Genus Heniochi imo pedes — Siniſter	63, 26	63, 0	62, 53	70, 32	66, 37
Perſei ſiniſtra tibia	63, 57	0	62, 33	69, 21	67, 58
Perſei ſiniſter humerus	52, 57		51, 26	56, 32	58, 35
Andromedæ dextra. Io brachio dextro auſtraliſſima	66, 29		64, 43	66, 8	67, 27
Ungulæ equi		quæ ſint incertum			
Cygni collum	59, 27	59, 0	59, 6	52, 30	64, 5
Cygni roſtrum	64, 55	65, 0	64, 49	57, 51	68, 47
Ophiuchi humeri — Dexter	81, 31	83, 0	82, 17	74, 9	81, 35
Ophiuchi humeri — Siniſter	74, 21	75, 0	73, 20	67, 25	75, 13
Leo — Cor Leonis	68, 11	paullò auſtralior æſtivo tropico.	69, 8	73, 11	62, 2
Leo — Auſtralis colli	63, 26	paullò borealior	64, 26	68, 33	57, 21
Cancer, cujus — Borea præcedentium in laterculo	66, 1	65,0 ampliùs	64, 30	71, 29	60, 2
Cancer, cujus — Auſtralior præcedentium in laterculo	66, 48	In ipſo ferè tropico	67, 5	73, 46	62, 49
Cancer, cujus — Borea ſuccedentium, ſive Aſellus boreus	62, 56	63, 30	63, 7	69, 47	58, 46
Cancer, cujus — Auſtralia ſuccedentium, qui & Aſellus auſtralis	66, 10	66, 0	66, 23	72, 58	61, 53
Ophiuchi caput	73, 13	73, ferè	73, 58	65, 52	73, 8
Cygni ala ſiniſtra — Extrema alæ	67, 54	67, 0	67, 5	63, 42	73, 47
Cygni ala ſiniſtra — In ancone alæ	63, 15		62, 23	57, 16	68, 37
Andromedæ dextra. Auſtralis 3. in dextro brachio	66, 29		64, 54	66, 8	73, 24
Sepentis Ophiuchi collum	64, 28	τῷ συνεγγισμὸν	66, 19	59, 20	61, 9
Ingeniculi dextra manus. Hujus ancon	63, 37	τῷ συνεγγισμὸν	64, 30	57, 31	61, 4

ÆQUI-

ÆQUINOCTIALIS CIRCULUS EUDOXI, ET ARATI

Nomina ſtellarum	Diſtantia ſtellarum à polo boreo. Eudoxi ſæculo	Diſtantia ſtellarum à polo boreo. ab Hipparcho definita	Diſtantia ſtellarum à polo boreo. Hipparchi ſæculo ex noſtris tab.	Diſtantia ſtellarum. à ſuperiori minoris laterculi	Diſtantia ſtellarum. à pen. caudæ Draconis.
Aries in longum. Renes illius	80. 7	Totus aries borealior eſt	78,31	83,46	85,30
Tauri genua. Dextrum	89. 45		88,27	95,45	92,33
Zona Orionis. Medio zonæ	95. 21	Rectè. Nam in æquinoctiali ſita eſt	94,46	102,52	95,52
Flexus Hydræ. Cor Hydræ	89. 15	Longè auſtralior eſt	90, 2	95,45	83,27′
Crater { Borea peripheria	88. 16	Longè auſtralior	89,59	90,47	81,19
Crater { Anſa borealis	91. 22	Longè auſtralior	92,52′	92,5	84,2′
Corvus. In ala ſequente	93. 9	Longè auſtralior	94,45	93,23	86,12
Chelæ. Lucida Chelæ boreæ	87. 57	συνεγγίζει	89,23′	83,14	85,26
Ophiuchi genua { Siniſtrum	92. 31	95. 50′	94, 4	86,26	90,50
Ophiuchi genua { Dextrum	99. 35	ampliùs 100	100,36	92,41	97,57′
Aquilæ ala ſiniſtra. Infima	87. 10	Non attingit æquinoctialem	87,15′	80,3	90,39
Equi lumbus	88. 22	ampliùs 86. 30′	86,53	87,31	95,22′
Equi caput. Os Pegaſi	89. 18	συνεγγίζει	88,25	84,11	95,21
Equi collum. Lucida colli	90. 27	συνεγγίζει	89,14	84,24	100,44
Piſcis boreus. Media trium in auſtrali ſpina	82. 16	80 0	80,59	83,21	88,53

Hi ſunt Veterum circuli, quos Aratus ex Eudoxo, aliique deſcripſerunt. In quibus peculiari obſervatione digna ſunt aliqua. Ac primùm ex iis tabulis apparet, etſi polos mundi io aliqua ſtella defixiſſe perhibeatur Eudoxus, & Eratoſthenes; hic verò nominatim in aſteriſmo minoris Urſæ poſuiſſe: quod confirmat Hyginus: tamen in circulis definiendis, eoſdem intervalla ſumpſiſſe, non ab ſtellarum duarum altera, quas fuiſſe tum boreales maximè demonſtravimus: ſed ab vero æquinoctialis, mundique polo & cardine: quem circum citima omnium polaris ſtella anguſtiore gyro vertitur. Quamvis enim pleræque ſtellæ per illud tempus juſtam ab mundi polo diſtantiam non expleant; aut etiam aliquantò ſoperent: nihilominus plures legitima ſpatia cum polo mundi, quàm cum ſtellis duabus exæquant. Imprimis autem circulus arcticus ſtellas quatuor vel quinque præbet: quæ controverſiam tollunt, & hoc perſuadent, quod docuimus; popolari magis ſermonis uſu, quàm ſeriò, atque ex ſenſu ſuo ſcripſiſſe hoc Eudoxum, ſtellam, quæ moveri non cernitur, polum eſſe mundi. Sunt hæ: Caput Draconis; Cephei pectus; Urſæ pedum ſtellæ duæ; & Caſſiepeæ ſuperiora. Ex quibus caput Draconis admirabiliter convenit tam Eudoxi, quàm Hipparchi ſæculo. Nam gradibus diſtat à polo præciſè 37; quot arctico circulo Græciæ tribuuntur ab Hipparcho. ut mirum ſit, ab eo dici, caput Draconis auſtralius eſſe circulo eodem; ſed ad eum proximè tamen accedere. Atqui ea ſtella, quam delegimus, maximè auſtralis eſt in capite. oimirum duarum lucidarum ſequens, Tychoni: Ptolemæo verò, ὁ ἑπόμενος τῆς κεφαλῆς. Unde non poteſt reliquum caput auſtralius eſſe circulo arctico, ſed borealius. Itaque procul dubio mendum eſt apud Hipparchum; ut ad eum locum in Notis diximus. Nam pugnare ſecum alioqui videbitur.

Eudoxus & Eratoſthenes ad polos mundi circulos ſuos direxerunt.

Hipp. II, n. XXVI.

Sic in Cephei pectore mendum incidit. Non enim auſtralius eſt arctico circulo: ſed Eudoxi tempore congruebat. Hipparchi verò, τῷ συνεγγίζειν. paullò enim borealius fuit. Sed neque in antecedentibus, quò digitum intendit Hipparchus, auſtralius eſſe ſignificavit: quin potiùs borealius. Siquidem Num. XVII negat citra caput oriri & occidere Cepheum io Græcia. Sed utrumque humerum borealiorem eſſe arctico circulo. Nam lucida, inquit, humeri dextri diſtat à polo gradibus 35½. ſiniſtri verò humeri lucida gradibus 34½. Conſentit & tabularum noſtrarum calculus. qui dextri humeri ſtellæ declinationem exhibet partium 54,4′. diſtantiam à polo, 55, 56′. Siniſtri humeri declinationem, 55, 26′. diſtantiam à polo, 54, 34′. Verùm apud Ptolemæum, & io aſteriſmis, qui Hipparchi nomine falsò editi ſunt, recenſetur ſtella in pectore Perſei, quam in humeris Tycho repoſuit. Ejus declioationem Eudoxi tempore reperimus 55, 32′. Diſtabat igitur à polo gradibus 56, 28′: & in arctico propemodum Græciæ circulo contioebatur. Certè in arctico Rhodi, & Gnidi. Sed Hipparchi ætate borealior fuit. Porrò altera eſt, quam in ſiniſtro brachio Ptolemæus collocat. quæ Eudoxi tempore diſtabat à polo gradibus ferè 56. Hipparchi verò, gradibus 57.

Caſſiepeæ pedes Hipparchi ſæculò in Arctico Græciæ circulo penè vehebantur: minùs Eudoxi. ut ea Diagrammate liquet. Denique majoris Urſæ pedes anteriores ſatis exactè utriuſque tempore in circulum inciderunt. Negat hoc Hipparchus: qui antecedentem ait à polo diſtare partibus 24: ſuccedentem partibus 25. Verùm pedes Urſæ non eos iotellexit, qui apud aſtronomos vulgò feruntur: ſed auſtraliores majoris laterculi. ita ut auſtralior antecedentium, pedibus anterioribus reſpondeat: ſuccedentium verò itidem auſtralior poſterioribus pedibus. quam fuiſſe Veterum omnium opinionem, & ipſius etiam Eudoxi, ſuprà Num X docuerat. Et quidem calculo noſtro priorem, Hipparchi tempore, comperimus à polo diſtare gradibus 23, 37′. poſteriorem, 24, 58′. Sed eos Urſæ pedes ab Eudoxo conſtitutos eſſe, id verò falſum eſt; ut & res ipſa declarat; & nos capite III demonſtravimus.

Ea iis manifeſtè colligitur, Eudoxum ad mundi polum, non ad ſtellas ullas, in definiendis circulorum intervallis reſpectum habuiſſe. Quod verò ad eas ſtellas atti-

attinet, quæ nimis à polo diſtant, alterum è duobus par eſt credere. Aut enim eas ſtellas, quæ vulgò certis aſteriſmis addicuntur, ad alios accommodavit. aut alterius finitoris, quàm Græciæ, vel Atticæ, rationem interdum habuit. quod ego in Boote, Cygno, & Caſſiepea potiſſimum accidiſſe reor. quarum diſtantiæ ab Helleſponti parallelo, vel magnæ Græciæ, non valdè diſcrepat; aut ejus denique regionis, cujus altitudo poli ſit graduum 40, aut 41. In reliquis duobus aſteriſmis prior intervenire cauſſa potuit. Ex variis igitur obſervationibus miſcellam aliquam concinnare per imprudentiam potuit Eudoxus: ut ea, quæ locis erant ac temporibus disjuncta, confunderet. quod Arato, ceteriſque deinceps fraudi fuit.

In tropico circulo Perſei ſiniſtra tibia, ſiniſtérque humerus ab Arato, Eudoxóque ponitur. quod etſi falſum eſt; haud firmo tamen argumento id Hipparchus
Hippar. Lib. I. N. XXII. refellit. Nam lucidam objicit in medio Perſei corpore gradibus ab æquinoctiali declinare 40: à tropico, 16. Hoc verum eſſe in ea ſtella, quæ in dextro latere collocatur, tabulæ noſtræ fidem faciunt. quippe declinatio à nobis inventa eſt graduum 40, 16′ Hipparchi tempore. Verùm minimè inde conficitur, ſiniſtram tibiam ac genu borealiora etiam videri. Hæc enim auſtraliora ſunt. neque tamen tropicum attingunt.

Andromedæ dextrum brachium, non manus, in ipſo tropico circulo defertur. Etenim auſtralior trium in dextro brachio Eudoxi ſæculo declinabat gradibus 23, 31′. Hipparchi, 25, 17′. At Hipparchus è tribus humeri dextri, auſtraliorem declinare dicit ab æquinoctiali gradibus 30. quod eſt falſum. quippe unica tantùm in dextro humero notatur in aſteriſmorum catalogo, cujus declinatio borea fuit tum 22, 4′. trium verò, quæ ſunt in manu dextra, auſtraliorem declinare gradibus 32. quem ſitum invenio in auſtraliore manus dextræ, nimirum 31, 52′. Itaque alteram, quàm Eudoxus aſſignarat, Hipparchus adhibuit.

In æquinoctiali miror ab Hipparcho zonam Orionis in ipſo circulo conſtitui. Nam media illius ætate diſtabat ab eo gradibus ferè quinque. E contrario verò Cor Hydræ in æquinoctialem ipſum incidebat: ut & boreus Crateris ambitus. quæ tamen longè idem auſtraliora facit. reliqua per ſeſe patent è tabula.

C A P U T VII.


Confutatur falſa Scaligeri perſuaſio; qui Eudoxi circulos, & Eratoſthenis credit ad alium, quàm mundi, polum deſcriptos eſſe, atque Olympiadum initio congruere. quod [illegible] *evertitur.*

Scaliger p. 46. & 47. HÆc de circulis Eudoxi paullò explicata fuſiùs uſum inſignem habent ad Scaligerianas convincendas nænias. qui de polo æquinoctialis, déque circulis iſtis hæc capite tertio diſputare pergit. Poſtquam enim circulos Eudoxi, & Eratoſthenis per ſtellas aliquot deſcriptos, examinatóſque propoſuit; ex iis ſtellis, quæ rectè ſunt definitæ, colligit; *Veteres illos non alios circulos parallelos in animo habuiſſe, quàm eos, qui in epocha Olympiadum deſignati erant. & ab initio Olympiadum ad tempora Eratoſthenis nullos alios circulos in ſphæra notatos fuiſſe, quàm qui per octavas dodecatemoriorum tranſibant.* Addit octavas illas fuiſſe duodecimas in dodecatemoriis hodiernis Leonis, Scorpii, Aquarii, Tauri: quod jam Cap. II declaravimus. *Hoc non intellexit*, inquit, *Hipparchus: qui ſæpè in illis deſignationibus reprehendit Eudoxum: cùm Eudoxus non de circulis ſæculi ſui, ſed de illis, qui initio Olympiadum erant, intelligat.*

Si hoc tantummodò vellet Scaliger; pleraſque ſtellas circulorum limitaneas ad Olympiadis primæ tempora quadrare: hoc eſt earum declinationes per id tempus legitima à polis vel æquinoctiali intervalla repræſentaſſe; ferri utcumque illius opinio poſſet. Nam in nonnullis id eſſe verum animadvertimus: tametſi in aliis longiſſimè calculus abhorreat. Sed non eo contentus eſt. Statim enim polum æquinoctialis ab extrema caudæ Cynoſuræ gradibus circiter 18 remotum fuiſſe dicit: à polo mundi gradibus 15. culminaſſe verò cum octavodecimo gradu Libræ. qui tunc erat XIV Virginis. Quod commentum non abſurdum ſolum, & ridiculum eſt: ſed ex eo quoque prius illud evertitur. Hinc enim efficitur; non poſſe circulorum illorum limites ad Olympiadum initium referri. Id hac ratione demonſtratur.


In Eudoxi circulis quædam rectè conſtituta, ſi ad primæ Olympiadis tempus revocentur, animadvertit Scaliger. Ut in tropico circulo Bootæ ſiniſtrum humerum; caput Draconis; ſuperiorem alam dextram alitis, id eſt Cygni: priores majoris Urſæ pedes. In tropico Cancri, media Cancri, ac Leonis: ſuperiora Virginis: cerviecm ſerpentis Ophiuchi: dextram alam Cygni: Heniochi genua. In æquinoctiali; Equi nares; Ophiuchi genua: Craterem: dextrum genu Tauri: boream chelam. Hæc igitur, quæ adamuſſim, Olympiadum initio, circulis congruiſſe docet; longiùs ab iis abfuiſſe, ſi vera ſunt, quæ de polis æquinoctialis addidit, inde perſpicuè declarabitur. Inveſtigetur enim mobilis illius poli locus in zodiaco, quem per id tempus obtinebat; ut ex eo per canonem XX exploremus ſtellarum ab polo diſtantias.

Diſtabat, inquit Scaliger, gradibus à polo mundi quindecim: à Cynoſuræ cauda extrema, gradibus octodecim; & culminabat cum gradu decimoquarto Virginis. Igitur arcus æquinoctialis ab æquinoctio propinquiore ei reſpondens graduum erit 14, 21′. qui ablatus de 180, relinquit aſcenſionem rectam gradus decimiquarti Virginis, 165, 39′, ſive Sign. 5, 15, 39′: ſi quidem maxima obliquitas zodiaci capiatur graduum 24, 0′. Quæratur nunc locus Scaligeriani poli in zodiaco circulo, ex canone IX libri primi, cujus hîc ſchema revocetur. in quo circulus HDBA ſit colurus Solſtitiorum. K ſectio æquinoctialis, & eclipticæ in principio Libræ. D polus zodiaci. C polus mundi. P polus æquinoctialis ex mente Scaligeri gradibus 15 diſtans à C, polo mundi. BKH zodiacus. AKG æquinoctialis. In triangulo itaque CDP obliquangulo, data ſunt CD diſtantia polorum, 24, 0′. CP graduum 15, 0′. diſtantia poli Scaligeriani à polo mundi, ſive complementum declinationis ejuſdem poli Scaligeriani:



angulus PCD cujus menſura eſt arcus in æquinoctiali GKM à G puncto æquinoctialis reſpondente ſolſtitio Capricorni H, ad M, punctum aſcenſionis rectæ gradus Virginis 14, quod gradibus ab æquinoctio diſtat 14, 21′. Unde angulus iſte graduum eſt 104, 21′. Ex his deprehendetur angulus CDP graduum 29, 2′, cujus menſura eſt arcus BL in zodiaco à B Solſtitio Cancri, graduum 59, 2′. Fuit ergo locus Scaligeriani poli in Cancri 29, 2′.

Eadem methodo reperiemus & latus DP graduum 31, 5′. cujus complementum eſt PL graduum 58, 55′. latitudo poli Scaligeriani. Quibus cognitis, inquiramus ex canone XX intervallum inter hunc polum, & quamcumque ſtellam. ac ſit in ſchemate canonis ejuſdem A polus zodiaci. N polus æquinoctialis Scaligeri gradibus à polo zodiaci diſtans 31, 5′, qui eſt arcus NA. Eſto deinde punctum O ſtella quæpiam: puta borealis anſa Crateris. quem in ipſo æquinoctiali præcisè tunc fuiſſe putat Scaliger. proinde gradibus 90 diſtare debet à polo ejuſdem circuli, hoc eſt ab N. Igitur in triangulo NAO datis NA grad. 31, 5′: AO graduum 101, 50′. (quoniam latitudo auſtralis anſæ borealis, eſt graduum 11, 50′, qui ad 90 ideo ſunt addendi:)



addendi:) unà cum angulo NAO, diſtantia veri loci utriuſque, quæ eſt graduum 24. (Siquidem anſa Crateris fuit tunc in 23, 2′ Leonis.) Ex iis inquam, efficietur arcus NO quæſitus graduum 73, 36′. Atqui debuit eſſe 90 grad. ut in æquinoctialem caderet. Rurſus Equi nares idem Scaliger attribuit veteri æquinoctiali circulo. Ex Tychonis abaco ſita erat hæc ſtella anno Chriſti MDC in Aquarii 26, 22′. Latitudo borealis 22, 7′. Igitur deductis gradibus 33, 57′. quot à prima Olympiade ad annum illum Chriſti ſtella iſta promovit, ſi, ut Scaligero placet, annis 70 gradus unus imputetur.) erat in gradu Capricorni 22, 25′. His animadverſis ex eadem illa methodo canonis XX inveniemus diſtantiam iſtius ſtellæ ab Scaligeriano polo, graduum 81, 13′, quam eſſe oportuit 90 graduum.

Ad hæc anteriores pedes Helices in arcticum circulum Atticæ convenire fatetur Scaliger, uti affirmabat Eudoxus; proindéque gradibus 37 à polo diſtare. quod noſtris tabulis congruit. Verùm ab æquinoctii Scaligeriani polo minùs diſtabant. Nam auſtralior è duabus ab iſto commentitio polo aberat grad. 39, 1′. ferè.

Item Cor Leonis ab illo polo Scaligeri diſtabat gradibus 58, 53′. Oportebat autem diſtare gradibus 67, ut in Tropicum incideret. cui præciſè conveniſſe docet Scaliger.

Præterea Tauri genu dextrum exactè in æquinoctialem incurriſſe circulum affirmat idem. quod & verum fuiſſe Eudoxi ſæculo tabula noſtra æquinoctialis oſtendit. At eadem ſtella diſtabat Olympiadum initio à Scaligeri polo gradibus 82, 6′. non, ut par erat, 90.

Plura his afferre poſſum exempla ſed ad convincendos vel pertinaciſſimos quoſque pauca iſta ſufficiunt. Frivolum eſt igitur inventum illud mobilis poli, ac circuli æquinoctiorum perinde mutabilis. quod auctoris ipſius teſtimonio, ac decreto prorſus evertitur.

CAPUT VIII.

Defenditur Hipparchus adverſus Scaligeri commentum, qui principem illum aſtrologiæ falsò credidit alium ab mundano polum inſtituiſſe.

NON Eudoxo tantùm, & antiquioribus illis aſtronomis contagionem erroris ſui, ac commenti vaniſſimi Scaliger aſperſit. ſed quod extremæ vel imperitiæ, vel temeritatis fuit, etiam Hipparcho, quem pro vero mundi polo, neſcio quem ſibi propoſuiſſe alterum ſomniat ab illo diſtinctum, ac remotum. Etenim in ridiculo illo ſchemate, quod Cap. II. demonſtrationis Scal. p. 26. Mathematicæ loco eſſe juſſit: (quaſi demonſtrare id ſit, quod opinione tibi tua finxeris, id ſola deſcriptione, ac pictura proponere:) punctum quoddam Q polum æquinoctialis ex Hipparchi ſententia fuiſſe pertendit. quod ab altero, G, id eſt extrema caudæ minoris Urſæ diſtabat gradibus 12, 24′. cùm eadem ſtella totidem, Scal. pag. 33. & 58. quot hodiéque, abeſſet à polo mundi: hoc eſt, ut putat, gradibus 3, 24′. Capite porrò tertio, culminaſſe Scal. p. 58. polum Hipparcheum aſſerit cum parte duodecima Libræ hodiernæ; ejúſque ſitum in zodiaco fuiſſe in parte Cancri 24, 27′. Quibus ex principiis æquinoctialem il- Scal. p. 55. lum delineat, ac ſtellas enumerat, per quas tranſibat. & ad eumdem obſervatas ab Hipparcho ſtellarum aliarum declinationes accommodat. Hoc infandum, & horribile portentum diſſonis, atque inter ſe pugnantibus ex rebus, ſententiíſque contextum longè etiam priore ſtupidius eſt. Nam ſeipſum eollidit, evertitque, cùm *ἀσύστατα*, & *ἀδύνατα* in eo multa conglobentur. Gradus hodierni Cancri 24, 27′ erat Hipparchi tem- Scaliger pag. 42. pore Geminorum gradus 29, 39′; ſi quidem graduum 24, 48′ ab illius ſæculo facta eſt *μετάπτωσις*, ut putat Scaliger. gradus verò Libræ hodiernæ 12 erat Virginis 17, 12′; detractis utrobique *μεταπτώσεως* gradibus 24, 48′. Hoc modo capienda hæc eſſe, *Libræ hodiernæ, Cancri hodierni gradus hos vel illos*, ex mente Scaligeri ſuprà, capite I demonſtravimus; atque hoc expreſſè ipſe docet locis aliquot: velut pag. 47. ubi Cynoſuræ poſtremam in cauda, initio Olympiadum culminaſſe ait cum *parte XVIII Libræ hodiernæ, quæ erat XIV Virginis illo ſæculo.* Item pag. 15 eodem ſæculo dicit *ſolſtitium initio quintæ partis Leonis hodierni commiſſum eſſe.* Sic igitur & 12 pars hodiernæ Libræ gradus erat 17, 12′ Virginis; & pars 24, 27′ Cancri hodierni, erat pars 29, 39′ Geminorum.

Atqui id eſt abſurdum, & contra doctrinam omnem ſphæricam; culminare punctum aliquod cum zodiaci parte, quæ ſit ultra colurum Solſtitiorum, in conſequentia; & in alia parte ſitum idem eſſe punctum, quæ pars citra eumdem colurum in antecedentia verſetur: hoc eſt in diverſis bemiſphæriis, quæ ſolſtitiorum coluro dividuntur, locum ſtellæ ſecundùm zodiacum; & punctum aſcenſionis rectæ collocari. quæ eſt Scaligeriana hypotheſis divini illius commentarii.

Verùm patiamur utcumque novum iſtum, ac commentitium ab illo polum alicubi collocari: ac ſumamus hoc ipſum, quod in Cancri gradu 24, 27′, ſitum eſſe dixit, cùm in Libræ 12 culminaret, Hipparchi ſæculo præciſè congruere; neque in anteriora retrahatur utrumque loci, & meridiani tranſitus punctum: ſanè ex eo ſequitur, polum æquinoctialis à polo mundi gradibus ferè 9, 50′ diſtare; à polo verò zodiaci, 23, 55′; ſi maximam obliquitatem Hipparchi tempore conſtituamus graduum 23, 51′. aut ſi eam graduum præciſè 24, 0′ eſſe velimus, erit poli ejuſdem à polo mundi diſtantia graduum 9, 41′; à polo zodiaci 23, 58′. ut ſit ejuſdem declinatio graduum 80, 19′. latitudo 66, 2′. Quòd ſi id aliter explorare velimus, ex eo intervallo, quo ab extrema Cynoſuræ eauda diſtare polum ſuum aſſeverat Scaliger; nimirum grad. 12, 24′: inveſtigabitur poli ejuſdem à polo mundi diſtantia graduum 9; à polo zodiaci, 25, 9′. quæ omnia ex ſuperiore methodo conſtant antecedentis capitis.

Igitur quodcumque tandem ex pugnantibus illis, abſurdiſque decretis amplexi erimus, eò demum res adducetur, ut à polo mundi gradibus, ut minimùm, novem diſtet alter ille polus. Quo conſtituto, non ſolùm Hipparchi auctoritatem ab Scaligeriana calumnia tutam, integrámque præſtabimus; ſed ipſum etiam oſtendemus in veteribus oppugnandis turpiſſima ſecum diſſenſione colligere.

Colligantur enim primùm declinationes pleræque, atque ab mundi polo diſtantiæ fixarum; quas partim in libris Hipparchi tribus à nobis editis; partim apud Ptolemæum Lib. VII, C. III extare meminimus; quáſque adeo Scaliger capite tertio commemorat, & ad examen vocat. Sed eæ tamen omittendæ ſunt, quas jam ſuprà in circulorum tabulis deſcripſimus. ceteras in ſequenti laterculo referemus.

Tabula

Tabula diſtantiæ à polo ſtellarum aliquot ex Hipparchi obſervatione, cum examine Scaligeri, & recenſione noſtræ.

Stellarum nomina	Hipparcheæ à polo diſtantiæ.	Examen Scalig.	Ex noſtris tabulis	Polus
Lucida dextri humeri Cephei	35, 30′		35, 42	B
Lucida ſiniſtri humeri	34, 45′		34, 34	B
Arcturus	59, 0	Præciſè	59, 41′	B
Perſei in medio corpore lucida	50, 0	Præciſè	49, 44	B
Andromedæ trium in dextra manu auſtralior	58, 0	Præciſè	58, 8	B
Scorpii ſpondylus ſecundus	59, 0		59, 1	A
Media thuribuli	46, 0		46, 0	A
Aculeus ſcorpii	58, 9		58, 26	A
Pes Arietis	90, ferè	Præciſè	89, 42	B
Media Pleïadum	74, 30	Convenit	74, 8	B
Palilicium ſidus	80, 30	Præciſè	80, 50	B
Capella	49, 36		49, 31	B
Orionis ſiniſter humerus	88, 12	Rectiſſimè	87, 54	B
Orionis dexter humerus	85, 40	Rectè	85, 24	B
Sirius	74, 0	Præciſè	74, 24	B
Spica Virginis	89, 24	Convenit	89, 26	B
Antares	71, 0	Præciſè	70, 40	A
Aquilæ lucida in ſcapula	84, 12′	Convenit	84, 29	B
Extrema caudæ Helices	29, 15	Imo 31′	29, 40	B
Media caudæ	23, 30′	Imo 26	23, 19	B
Antepenultima caudæ	22, 24	Imo 25	22, 5′	B
Chela auſtralis Scorpii	84, 24	Convenit	84, 34	A
Inferior præcedentium in laterculo majore, Hipparcho pes antecedens	66, 0		66, 23	B
Inferior ſuccedentium in eodem laterculo; Hipparcho, poſterior pes	65, 0		65, 2	B
Pegaſi ala extrema	87, 0	Præciſè	86, 51	B
Auſtraliſſima trium in ſiniſtro crure Bootæ	63, 0	Imo 64	62, 11	B

Harum omnium ſtellarum intervalla ab mundi polis, quæ Hipparchus obſervavit, egregiè cum hodiernis tabulis, ac noſtris conſentiunt: ſic ut ſcrupulorum aliquot dumtaxat diſcrimen incidat. quod eſt ſingulare. ex eòque fucus Scaligeriani figmenti convincitur. Nam ſi polum alterum, quàm mundanum & quem unum hodie intuentur omnes, propoſitum habuiſſet Hipparchus; non eſſet tanta declinationum illius, ac noſtrarum concordia. ſed plerumque novem circiter gradibus major Hipparchea diſtantia in iis ſtellis, quas inter & polum æquinoctialis interjectus eſſet mundi polus. minor autem, in iis, quæ oppoſita in parte ſitæ ſunt. Culminabat Scaligeri polus Hipparchi ſæculo cum 17, 12′ circiter Virginis, & à mundi polo diſtabat partibus, ut minimùm, 9. Quæ igitur ſtellæ ad Libram, & Virginem accedebant, earum à polo æquinoctialis 9 partibus minor erat, quàm à polo mundi diſtantia. contrà verò in iis, quæ ad Arietis, aut Piſcis dodecatemorium pertinebant. Sic Arcturus, qui ab mundi polo diſtabat partibus 59, ut cum Hipparcho ſentit Scaliger, ab æquinoctialis polo aberat partibus tantùm 5. Repetatur enim ſchema canonis. in quo ſit A polus mundi, N polus æquinoctialis Scaligeri. M Arcturi ſtella. Datis ergo lateribus NA gradnum 9 diſtantiæ polorum, & AM complementi declinationis Arcturi 59, 0′, cum angulo NAM differentia aſcenſionis rectæ Arcturi, quæ eſt 190 circiter, & Scaligeriani poli, quæ eſt 168, 7′, graduum eſt 21, 53′. obtinebitur latus ND graduum 50, 43′. Tantumdem intervallum erit Arcturi à polo Scaligeri; quod tamen 59 oportere eſſe fatetur. Præterea ſpica Virginis ab eo polo, quem Hipparchus agnovit, diſtat gradibus 89, 24′. à polo verò commentitio Scaligeri, gradibus 82, 18′.

Item lucida pedis ſiniſtri poſterioris Arietis in ipſo æquinoctiali circulo ab Hipparcho poſita diſtabat ab ejuſdem polo gradibus 90. à Scaligeriano verò, 95, 55′. Denique lucida Perſei à polo diſtabat, Hipparcho teſte, & ſuffragante Scaligero, gradibus 50. ab altero polo gradibus 58, 18′. Licet hoc in ceteris quoque demonſtrare ſtellis, quarum à polo intervalla ex Hipparcheis

pareheis obſervationibus edita probavit Scaliger. ſed longum eſt. & ex paucis illis fieri de reliquis conjectura poteſt: indidémque concludi, præcipitem admodum, neque quid ſcriberet intelligentem hominem temerè, inconſultéque iſta fudiſſe.

CAPUT IX.

De ridiculo æquinoctiali circulo, quem ab Hipparcho conſtitutum eſſe falsò Scaliger affirmat. cujus commenti vanitas aperitur.

Scal. pag. 55. CONFUTATA novi illius commenti vanitate, reſidua quædam argumenti ejuſdem compendio perſtringam: in quibus præcipui aliquid erroris apparet. Capite eodem tertio æquinoctialem eirculum, qualem ab Hipparcho deſignatum eſſe fingit, certis limitibus deſcribens, ſtellas aliquas recenſet, per quas ille tranſit. Ejuſmodi ſunt inter alias, lucida ſiniſtri pedis Arietis: ea quæ eſt in genu dextro Tauri. ea, quæ eſt in δορᾷ Orionis ſexta: ſolitaria, quæ eſt inter eaput Hydri, & malum Argus: ſequens borealium duarum in cratere. lucida cheles boreæ. Addit exceſſiſſe duabus partibus eam, quæ eſt in ultima flexura Serpentis Ophiuchi. item duabus eam, quæ eſt in gutture Aquilæ. nec non duabus eam, quæ in nare eſt Equi. Poſtremò, *ſecabat*, inquit, *mediatorem, ſive cingulum mundi:* (is eſt verus æquinoctialis) *in* 100 *parte à ſectione verna hodierna, quæ culminat cum* 9, 30′ *parte dodecatemorii Cancri hodierni, unà cum Sirio: & proinde in oppoſita parte ſecabat mediatorem in* 280 *parte, quæ pars hodie culminat cum* 9, 30′ *parte Capricorni.* Hæc ſunt minimè dicta conſtanter. Lucida in Arietis pede in ipſo mundi cingulo ſita erat, ut Scaligero ipſi placet, ex Hipparchi fide; cui & Tabulæ ſuffragantur. Hujus aſcenſio recta graduum erat 12, 8′. Si æquinoctialis Hipparchi per eam ſtellam tranſibat; neceſſe eſt, ut cingulum mundi, qui verus æquinoctialis eſt, ea parte ſecuerit, in qua ſtella iſta tum erat. At nonniſi in gradu 100 ab verna ſectione ſecuiſſe dicitur. Quid hujus monſtri ſimile eſſe poteſt? Rurſus ecce; tranſiſſe quoque vult per genu dextrum Tauri; pérque pellem Orionis. quarum prior ſtella parte una borealior erat æquinoctiali vero. Ejus aſcenſio recta partium 35, 49′. altera verò in ipſum æquinoctialem eadebat. cujus aſcenſio recta grad. 43½ ferè. Proinde eirculus ille Hipparcheus æquinoctialis ante centeſimum à ſectione verna gradum bis mundi eingulum permeabat, ac ſecabat. neque eirculus erat; ſed ſpira contortuplicata ſæpiùs, ac lini ſimilia, quo Piſces ambo vinciuntur.

Non minoris flagitii eſt, quod per eam, quæ inter caput hydri eſt, & malum Argus, æquinoctialem ſuum deduxit. Stella hæc Hydri cor eſt. Hoc enim tempore Hipparchi in æquatore ipſo mundi poſitum fuit. cujus aſcenſio recta graduum 115, 40′ ac ſuperabat centeſimam partem, in qua ſectionem factam eſſe docet Scaliger, partibus ſex ferè. Igitur rurſus ad cingulum mundi reflectebatur, per quod denuò tranſiens ad ſequentem duarum ſeptentrionalium in cratere pertingebat. Hæc eſt lucida borealis peripheriæ; quæ Hipparchi tempore in ipſo ſita erat æquinoctiali mundi circulo. Porrò cùm alteram interſectionem æquinoctialium amborum factam eſſe ſtatuat in 280 parte ab verna ſectione, poſt primam ſectionem, quæ in 100 facta eſt; nihilominus 78 gradibus ante illum ipſum 280 mediatorem ab æquinoctiali Scaligeri ſectum eſſe neceſſe eſt; ſi quidem per lucidam boreæ cheles tranſierit. cujus Hipparchi tempore borea declinatio fuit 0, 37′. Aſcenſio recta 202, 37′. Ut igitur ad illam ſtellam perveniret æquinoctialis circulus, mediatorem partiri debuit multis gradibus ante ſectionem mutuam. quod eſt abſurdiſſimum.

Tale eſt & alterum illud, æquinoctialem eumdem duabus partibus eam exceſſiſſe, quæ eſt in ultimo flexu ſerpentis Ophiuchi. cujus borea declinatio fuit Hipparchi tempore grad. 4, 39′. cùm eſſet aſcenſio recta grad. 210, 19′. Itaque poſt centeſimum gradum, in quo mundi eingulum ſecans ad auſtrum deflexerat, rurſus ultra ipſum tendebat in boream; iterúmque ſecabat, ut boream chelam attingeret.

Sed nimis diu nos nugæ iſtæ detinent: in quibus tamen ſemel confutandis nonnullum operæ pretium fecimus: ne quis fortaſſe, qui Scaligerum non noſſet, putaret ab illo contra communia aſtronomorum omnium placita probabile, aut ſaltem tolerabile aliquid eſſe confectum. Cetera commenti illius *μεέμωσιν*, & conſectaria, quæ in poſtremum caput congeſſit; iis everſis ac disjectis, ex quibus iſta ducuntur, ſublapſa per ſeſe, ac labefactata concidunt. Itaque finem hic ea de re diſputandi faciemus.

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU,

AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER QUARTUS.

Qui eſt de Anno Græcorum, ac nominatim Attico, adverſus Diatribam Alphonſi à Caranza Hiſpani Juriſconſulti.

AD CANDIDUM LECTOREM.

CUM libros meos de Doctrina temporum in lucem ederem, (humaniſſime Lector) non dubitabam fore nonnullos, qui mecum ſibi certamen inſtituerent, partim Scaligeriani nominis, partim contrariarum atque ego partium, opinionúmque fautores. Quod adeò mihi certò, penituſque perſuaſeram, ut cùm id Operis initio, & in Prolegomenon fine præmonerem; tum ut faciliùs quod impugnarent, quibus ita cordi eſſet, eligere poſſent, quæſtionum omnium titulos uno capite collectos ſub illorum aſpectum ponerem. Sed ego tales interim mihi fingere adverſarios, atque optare ſolebam; quibus cum, ut citra gloriæ ſpem, quam nulla in re propoſitam habere debeo; ita non ſine fructu aliquo, & utilitate certarem. Ex his ambobus prius illud ita, uti ſuſpicatus eram, contigit nuper: alterum, quod vehementer optabam, longe ac ſperaveram aliter evênit. Etenim anno altero, quàm meum illud opus exierat in publicum, oppugnandi mei fecit initium Hiſpanus quidam Juriſconſultus, ac librum edidit cum hac epigraphe; *Alphonſi à Caranza JC. Hiſpani Diatriba ſuper primore Temporum doctrina in libris P. Dionyſii Petavii noviſſimè proſtantibus, contenta, auguſtiſſimo, ſupremóque Hiſpaniarum Senatui ſacrata.* Ex tam magnificæ inſcriptionis apparatu; tum ex eo, quòd primus in nos impetum faceret ultrò, ac minimè laceſſitus: quódque ampliſſimos Hiſpaniæ ordines, & Hiſpaniam propemodum omnem contra nos velut ſigno dato commoveret, fortem illicò virum, ac ſtrenuum, & qualem ſperaſſe me dixi, datum mihi adverſarium putavi. Verùm ubi præclaram hanc, & glorioſam Diatribam legere cœpi, ſenſi me opinione eſſe falſum mea; ac magnoperè dolui, cùm eum, qui primus certamen mihi denuntiarat, tam rudem, támque ejus, quod ſuſciperet, imperitum viderem. Dici quidem & his ſimilia, & his interdum graviora ſolent ab iratis; dum eos, contra quos dimicant, quàm minimæ auctoritatis, & contemptiſſimos haberi ſtudent. Sed hoc abs te, (Lector erudite) non poſtulo, mihi ut de adverſario meo dicenti fidem adhibeas. ipſe ut in rem præſentem venias, ac per te ipſe cognoſcas, id verò poſco, atque adeò flagito. tum tu profectò quicquid hujus generis de illo dictum ſit, levius eſſe, quàm pro ejus merito, ac rei veritate ſtatues. Nam cum mihi ejuſmodi cum homine rem eſſe cuperem, qui, ſi non doctiſſimus, in eo certè doctrinæ genere verſatus eſſet, de quo inter nos controverſia naſceretur; in eum incidi, qui quantum in reliquis diſciplinis uſum habeat, equidem neſcio. hoc unum video, illius artis, è qua diſceptatio noſtra proficiſcitur, ipſum eſſe funditùs expertem.

Quod judicium noſtrum vel hoc argumento certiſſimo nititur: quòd qui librum primum de Doctrina temporum oppugnandum ſibi ſumpſerat, non ſolùm quæ illîc tradita ſunt, aſſequi non potuit: ſed ne ipſe quidem ſibi quid vellet, ac quid ſcriberet intellexit. Quamobrem tota illius eſt incondita, & impedita diſputatio: neque cohæret ipſa ſecum: ſed miſerrimè ſeipſam conficit, & evertit. Ac non ſolùm diverſis in paginis iſte ipſe conflictus, ac diſcordia cernitur: ſed in eadem ſæpè contrariè, ac repugnanter loquitur: ut quod paullò antè negaverat, id paucis ſubinde interjectis verſibus affirmet. Qui ſpecimen aliquod levitatis iſtius, & inconſtantiæ capere voluerit, caput adeat Diſputationis hujus decimum. Ibi perjucundum ſpectaculum erudito lectori præbuimus imperiti gladiatoris, qui cum altero compoſitus, quæ in ejus latere figere debuerat, in ſeipſum tela convertit. Addantur his modò innumera generis omnis errata, quibus illius univerſa Diatriba referta eſt; tot hallucinationes, παρερμηνεῖαι, hoc eſt veterum Scriptorum abſonæ interpretationes, ac ridiculæ; præſertim eorum, quos neque legerat, neque habebat ad manum. Quarum rerum quocumque ſtylum commovit, ibi non fixa leviter, ſed altius impreſſa veſtigia reliquit.

Sunt hæc in eo quidem homine, qui guſtum aliquem litterarum habeat, minimè toleranda. ſed ut æquitatem in ſe meam vel Alphonſus ipſe cognoſcat; condonare, ac remittere omnia iſta poſſum, dum in ceteris paullulùm intereà ſe probet: nec id quidem vehementer: ſed è communibus Grammaticæ ſtudiis tantulum oratione ſua exprimat, quantum ab tyrone non valdè perito puerilibus in Scholis exigitur. Hoc ſi fecerit; ego me victum hoc in campo, ac certamine confitebor. At ne id quidem obtinere potuit. Nego enim paginam in libro ejus ullam eſſe, quæ non ſolœciſmis, barbariſmis, ἀκυρολογίαις, obſcuritatibus, ceteriſque latinitatis ſordibus obſoleſcat. Nam quid ego nitorem aliquem, & nonnullam proprietatem Latini ſermonis requiram? Poſſum hoc citra mendacium, ac ſine irati, aut malevoli animi ſuſpicione dicere; contaminatiorem nullum, horribilioremque librum multis ab hinc ſæculis in Europa prodiiſſe.

Dicat aliquis: Huic tu igitur libro reſpondes? Fateor, hæc me eadem diu quid agerem incertum & ancipitem

cipitem cauſſa tenuit, quæ te modò (candide Lector) cur id faciam de me uti roges adducit. Non erat profectò cur in Diatribâ iſtâ refutanda operam ac tempus ponerem; aut non amicis quibuſdam obtemperarem, qui eam contemptu, & ſilentio potiùs obterendam, quàm è ſuis tenebris eximendam reſponſione ullâ noſtrâ putabant. Hoc illi non amicè modò, ſed etiam prudenter, ſi quid Diatribâ illâ dignum eſſet, rationem habere tantummodò voluiſſem. Nunc cùm aliæ mihi cauſſæ, tum hæc viſa ſatis idonea eſt, cur librum iſtum, cujuſquemodi eſſet, tacitus non dimitterem; quòd hæc prima contra nos, doctrinámque noſtram facta ſit impreſſio. Ut igitur in bello ad laceſſendos hoſtium exercitus velitum, aut inermium tironum agmen immittitur: quorum utcumque impetus exceptus fuerit, ad futuri prælii omen quoddam, & auſpicium pertinere creditur. Ita primus iſte qualiſcumque conatus retundendus initio fuit; ut ea res ad præſagium aliquod victoriæ valeret, quam è legitimis deinde certaminibus non ego, ſed veritas ipſa reportaret. Præterea cùm plures hac ætate eſſe ſcirem, qui per alienam, ſi minùs infamiam, certè vexationem, nonnullam ad claritatem, ac vulgi notitiam erigi ſtudent, horum ut importunitati obviam irem; abſterrere ſi poſſem hoc in uno ceteros, ac paucorum dierum jactura perpetuam ab iſtis moleſtiam redimere decrevi: Hac utrum carêre mihi per Alphonſum deinceps liceat, non facilè dixerim. Mihi quidem, quomodocumque ille ſe geret, certum eſt ab hac pugna, & concertatione deſiſtere; neque cum iſtiuſmodi Scriptoribus rei ullius habere commercium. Quamobrem ſi quid in poſterum generis ejuſdem, ac Latinè meditetur, quærat alium quicum opicè, ac barbarè contendat. Quòd ſi me audiat, Latinè priùs diſcet, & cum Nebriſſenſi ſuo redibit in gratiam, quàm ad ſcribendum ſe conferat; præſertim quod in lucem proferre voluerit. nec ſe talibus ſcriptis ad omnium populorum & ætatum ludibrium propagari patietur. Id ſi gravius eſt, quàm ut ætatem ipſius, ac mores deceat, nec à ſcribendo tamen continere ſe poteſt: certè Hiſpanicè quod volet ſcribat. Etenim licet hujus ego linguæ ſim omninò rudis, non deerunt tamen hac in urbe periti, qui mihi interpretari poterunt. Qui autem Latinè quæ ille ſcribit intelligat, mortalem hodie eſſe puto neminem.

C A P U T I.

De anno Græcorum, ac privatim de Attico. Anni Græci, Atticique, de quo deinceps diſputatur, ratio breviter explicata.

QUæ de Græcorum anno libro primo de Doctrina Temporum explicata ſunt, his capitibus ferè continentur. Primum illud oſtendimus antiquiſſimos illius conditores civiles menſes ad Lunam exigere voluiſſe. ac cùm illam cernerent diebus ampliùs novem & viginti; hoc eſt triginta circiter, orbem explicare ſuum, totidem dies civilibus menſibus imputaſſe. Ita duodenis ex menſibus civilem annum exſtitiſſe dierum CCCLX, quem Lunarem arbitrarentur. Quòd autem ſpatio illo, quo Sol curſum ſuum conficit, ter & decies exoriri Lunam animadverterent; putaſſe civilem, quem diximus, anni modum paria cum Sole facturum, ſi alteris annis, hoc eſt biennio quolibet exacto, tricenarium menſem adjicerent, ut alternis XII, ac XIII menſibus conſtaret annus. Ita Trieterides, ſive potiùs Dieterides exortæ ſunt. Ac veriſimile eſt, deprehenſo paullatim errore, Græcos identidem dierum aliquot exemptione labentis anni ruinas utcumque ſuſtentaſſe; &, quamvis menſtrua Lunæ intervalla cum tricenis diebus non penitus adæquari, annúmque communem, quem à majoribus acceperant, juſto eſſe longiorem, ab Aſtrologia didiciſſent; ad tricenarios illos menſes nihilominus adhæſiſſe, & ejuſdem generis annum ex diebus CCCLX conflatum aliquamdiu retinuiſſe.

Poſtea verò, cùm, ut apparet, creberrimarum civilis anni caſtigationum, ac tam abnormis methodi Græcos pigeret; menſes ſuos, & annos ad Lunam, Soleḿque propiùs accommodare ſtuduerunt. Cujus inſtituti primus Athenienſibus ſuis auctor exſtitit Solon; ut Plutarchus, aliique prodiderunt. Hic enim primus civibus ſuis perſuaſit, uti menſes ad Lunam conformarent. Hujus exemplo reliquæ Græciæ civitates paullatim civilia ſua intervalla caſtigarunt. Tum verò, tricenariis, atque æquabilibus menſibus ab uſu populari ſummotis, inæquales inducti ſunt, qui alternis triginta, & uno minus, dies explerent, uti bimeſtre ſpatium diebus conſtaret LIX. Neque verò Solonis inſtitutum reliqua ſtatim Græcia omnis amplexa eſt: ut vitioſo anno Lunari caſtigatiorem alterum ſufficeret. Nam & Herodoti, & Hippocratis ætate priſtinus ille annus apud pleraſque civitates obtinebat adhuc. quod de Herodoto capite ſequenti planum faciam. Hippocrates verò ejuſdem illius Lunaris anni vitioſi non obſcura præbet argumenta: præſertim Lib. II Epidem Sect. III, ubi novem Græcos menſes definit diebus CCLXX. & alibi non ſemel menſtruum modum tricenûm dierum fuiſſe ſignificat. ut appareat priſcum illum, & Herodoteum annum, ſaltem in Aſiaticis Græciæ coloniis, utriuſque perſeveraſſe temporibus. quandonam verò deſierit funditùs, niſi temerè, affirmare nemo poteſt. Illud exploratum videtur: Athenis quidem poſt Solonem, receptum fuiſſe lunarem annum ἀκριβέστερον. qui nihilominus identidem eâ correctione opus haberet, quam Capite VI eruditè Geminus exponit. In reliquis civitatibus, Platonis, Ariſtoteliſque ſæculo, vel penitus, vel ex parte majori, eadem anni caſtigatio percrebuit.

Ac cùm civilia tempora non ad Lunæ modò curſum dirigere; ſed Solares quoque circuitus aſſequi, atque includere cuperent; diverſos ad id efficiendum orbes annorum, quas περιόδους vocant, experti ſunt, Tetraëteridas, Octaëteridas, Heccædecaëteridas, Enneadecaëteridas. quas, pro eo, ac Solaris, & Lunaris anni modum definire placuerat, variè ex Aſtrologorum præſcripto temperatas, ac deſcriptas adhibebant. Ita ſinguli menſes, annique populares, ac civiles, Lunares erant, hoc eſt ab eâdem φάσει Lunæ deducti in eamdem incidebant. Periodus autem integra, ſive annorum, menſiúmque ſyſtema, Solare nihilominùs quàm Lunare fuit. quod in utriuſque generis partes, quos menſes appellant, ex æquo partiri licebat. Hoc verò ſine anni Solaris, non ſolùm notitia, ſed obſervatione quoque tacita, & arcana fieri minimè poterat.

Itaque præter annum popularem, quem nos Lunarem aſſerimus, alter penes Græcos tacitus, ac reconditus fuit, idémque Solaris. contrà atque hodie Chriſtiani penè omnes facimus. Nam & nos duplicem adhibemus annum. Sed Julianum, qui penè Solaris eſt, in propatulo habemus, eóque publica, privatáque civitatum, ac regnorum acta continentur alterum verò Lunarem ad gubernanda quorumdam feſtorum tempora tacitum, & incluſum tenemus.

Quoniam autem Lunares anni menſéſque non æquabiles, ſed majores alii aliis, minoréſve ſunt; ex eo factum eſt, ut cùm ſtatam, atque fixam alicujus intervalli menſuram finire vellent, Solaris anni ſpatia potiùs, quàm Lunaris aſſumerent. Nam, quod ad menſem attinet, cùm antiquiſſimus, ac propè naturalis illius modus tricenorum dierum ſit: qui menſtruum ſpatium æquabile, & uniforme concipere velit, is non alio, quàm tricenario dierum numero commodiùs efferre poteſt. Idipſum & in annuo ſpatio multò magis uſuvenit; quò major in annis Lunæ, quàm in menſibus, varietas, & inæqualitas exiſtit. Quocirca ſi quis rei cuipiam metiendæ annuum intervallum præciſè, abſolutéque nominet, is Solarem potius; quàm Lunarem annum ſignificabit. Quod & Græcos olim, etiam anno Lunari conſtituto, uſurpaſſe ſæpiùs pleniſſimè docuimus Lib. I de Doctr. Temp. Cap. VII. & VIII.

Hæc eſt noſtræ de anno Græco & Attico ſententiæ ſumma, eodem illo libro explicata copioſiùs, atque ex certiſſimis Scriptorum veterum auctoritatibus, teſtimoniiſque confecta. quæ quidem ſingillatim, ac per unamquamque doctrinæ partem diſtribuenda videntur; ut & facilior, etiam minùs earum rerum intelligentibus diſputatio noſtra ſit; & quæ ab Alphonſo Caranza contra nos allata ſunt, ſingulorum capitum ſubinde probatâ, & agnitâ veritate refellantur.

C A P U T II.

De tricenariis menſibus, annóque communi dierum CCCLX, quem ad Solonis ferè tempora, Græcia omnis; ac deinceps nonnullæ civitates adhibuerunt. Hos verò menſes pro lunaribus ab illis uſurpatos eſſe demonſtratur.

PARS eſt prima ſententiæ noſtræ, Græcos antiquiores, cùm Lunares menſes uſu populari ſancire cuperent, triginta dierum ſingulos; annum quemlibet ſimplicem, CCCLX dierum ſtatuiſſe; quibus embolimi altero quoque anno menſes accederent. Cujus rei teſtes dedimus Herodotum, Geminum, Cenſorinum.
Pag. Græcæ edit. Henr. St. 8. Herodotus Lib. I Solonem ita Crœſo loquentem facit. Ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζόης ἀνθρώπῳ προτίθημι. Οὗτοι ἐόντες ἐνιαυτοὶ ἑβδομήκοντα, παρέχονται ἡμέρας διηκοσίας, καὶ πεντακισχιλίας, καὶ δισμυρίας, ἐμβολίμου μηνὸς μὴ γινομένου. εἰ δὲ δὴ ἐθελήσει τοὔτερον τῶν ἐτέων μηνὶ μακρότερον γίνεσθαι· ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον, μῆνες μὲν παρὰ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα οἱ ἐμβόλιμοι γίνονται τριήκοντα πέντε· ἡμέραι δὲ ἐκ τῶν μηνῶν τούτων, χίλιαι πεντήκοντα. τούτων τῶν ἁπασέων ἡμερέων τῶν ἐς τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα ἐουσέων πεντήκοντα, καὶ διηκοσίων, καὶ ἑξακισχιλίων, καὶ δισμυρίων, ἡ ἑτέρη αὐτέων τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ τὸ παράπαν οὐδὲν ὅμοιον προσάγει πρῆγμα. *Ego enim annis ſeptuaginta humanæ vitæ modum definio: qui quidem anni dies colligunt vicies quinquies mille cum ducentis, ſi intercalaris menſis omittatur. Quòd ſi annorum alter uno menſe longior ſtatuatur, uti tempeſtates reſpondeant; menſes in annis ſeptuaginta intercalantur quinque, & triginta: ex quibus dies conſiunt mille quinquaginta. Omnibus iis diebus in annos ſeptuaginta collectis, quorum numerus efficit viginti ſex millia, ducentos quinquaginta, nullus eſt ex iis, qui ſimiles alteri caſus, eventúſque pariat.* Scribit Herodotus annos LXX ſimplices diebus conſtare 25200. quos ſi per menſes duodecies ſeptuagenos, id eſt 840 dividas, ſinguli 30 dies auferent. ſi per 70 dividas; annus quilibet dies auferet 360. Igitur & anni ſinguli 360 dies, & menſes ſinguli triginta dies colligunt. Quod & embolimi menſes indicant. Etenim 1050 dies per 35 diviſi, unicuique menſi tricenos dies aſſignant. Iidem porrò menſes embolimi tricenarii altero quoque anno intercalati ſunt. Veriſſima proinde ſunt, quæ de anno Græco veteri ex Herodoto diſputavimus.

Pag. 57. Idem Scriptor lib. II alternis annis intercalari in anno Græco moris fuiſſe confirmat his verbis. ἄγουσι δὲ τοσῷδε σοφώτερον Ἑλλήνων, ὡς ἐμοὶ δοκέει, ὅσῳ Ἕλληνες μὲν διὰ τρίτου ἔτεος ἐμβόλιμον ἐπεμβάλλουσι τῶν ὡρέων εἵνεκεν· Αἰγύπτιοι δὲ τριηκονθημέρους ἄγοντες τοὺς δυώδεκα μῆνας ἐπάγουσι ἀνὰ πᾶν ἔτος πέντε ἡμέρας πάρεξ τοῦ ἀριθμοῦ. *Tanto verò prudentiùs annos ſuos ordinant, quàm Græci, quanto Græci quidem tertio quoque anno menſem intercalare ſolent, ut tempeſtates reſtituant; Ægyptii verò, cùm duodecim menſes tricenarios habeant, quotannis quinque dies præter numerum appendunt.*

Pag. 10. Geminus verò cap. VI idem, quod Herodotus, affirmat: οἱ μὲν οὖν Αἰγύπτιοι κατὰ τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν τοῦ προκειμένου τέλους· οἱ δὲ Ἕλληνες τὴν ἐναντίαν γνώμην ἔχοντες, τοὺς μὲν ἐνιαυτοὺς καθ᾽ ἥλιον ἄγουσι· τοὺς δὲ μῆνας, καὶ τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην. οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον· τοὺς δὲ ἐμβολίμους παρ᾽ ἐνιαυτόν. ταχέως δὲ ὑπὸ τοῦ φαινομένου ἐλεγχομένης τῆς ἀληθείας, διὰ τὸ τὰς ἡμέρας, καὶ τοὺς μῆνας μὴ συμφωνεῖν τῇ σελήνῃ, τοὺς δὲ ἐνιαυτοὺς μὴ συνέχειν τῷ ἡλίῳ· ὅθεν ἐζήτουν περίοδον, ἥτις κατὰ μὲν τοὺς ἐνιαυτοὺς τῷ ἡλίῳ συμφωνήσει, κατὰ δὲ τοὺς μῆνας, καὶ τὰς ἡμέρας τῇ σελήνῃ. περιέχει δὲ ὁ τῆς περιόδου χρόνος ὅλους μῆνας, καὶ ὅλας ἡμέρας, καὶ ὅλους ἐνιαυτούς. πρώτην δὴ συνεστήσαντο τὴν περίοδον τὴν ὀκταετηρίδα &c. *Igitur Ægyptii pro eo ac propoſiti ſibi finis ratio poſtulabat: Græci verò, quorum erat contraria ſententia, annos quidem ad Solem; menſes autem, & dies ad Lunam exigunt. Ac Veteres quidem tricenarios menſes inſtituebant. Intercalares verò alternis annis inculcabant. Sed cùm ſtatim vel aſpectu ipſo veritas ſeſe proderet; propterea quòd neque dies, menſéſque Lunæ, neque anni Soli congruerent: ideo periodum quærere inſtituerunt, quæ ſecundùm annos Soli; ſecundùm menſes, ac dies, Lunæ quadraret. Continet autem periodi tempus integros menſes, integróſque dies, & annos: primùm itaque periodum octaëteridis condiderunt, &c.* Tricenarios ecce menſes à veteribus Græcis inſtitutos olim affirmat Geminus, & alternis annis eoſdem intercalaſſe. quam quidem menſium annorúmque rationem facilè viſu ipſo aſpectúque convictam ait, quòd in illa neque menſes, ac dies cum Luna; neque cum Sole congruerent anni. Hæc enim tria Græcis ab oraculo præſcripta paullò antè Geminus dixit; nimirum ut menſes ac dies ad Lunam, annos ad Solem accommodarent. Qua de re poſtea pluribus adverſus Alphonſum agetur. Interim illud ex Gemino colligitur; veterem Græcorum annum ex illorum mente, ac propoſito Lunarem exſtitiſſe, cum & menſes tricenarii, & annus dierum eſſet 360, & alternis annis intercalatio procederet. quod uti ex Herodoto fecimus, ita ex Gemino demonſtrandum fuit.

Diodorus quoque idem confirmat eo loco, quem cap. XV proferemus: ubi Lunares menſes apud antiquos Ægyptios tricenarios fuiſſe refert. Sic Plutarchus in vita Numæ auctor eſt antiquos Romanos inæqualitatis, quæ inter Lunarem & Solarem intercedit annum, prorſus ignaros, id unum ſpectaſſe, uti anno ſuo CCCLX dies attribuerent.

Cenſorinus eadem planè, quæ Herodotus, & Geminus, de Lunari anno, & alternis annis intercalaribus affirmat. *Veteres*, ait cap. XVIII, *in Græcia civitates cùm animadverterent dum Sol annuo curſu orbem ſuum circuit, Lunam interdum terdecies exoriri, idque ſæpè alternis fieri; arbitrati ſunt Lunares duodecim menſes, & dimidiatum ad annum naturalem convenire. Itaque annos civiles ſic ſtatuerunt, ut intercalando facerent alternos duodenum menſium, alternos tredecim: utrumque annum ſeparatim vertentem; junctos ambos annum magnum vocantes; idque tempus triëterida appellabant. quod tertio quoque anno intercalabatur; quamvis bienni circuitus, & revera diëteris eſſet.* Proclus demum lib. I in Timæum Platonis, pag. 25, Solonis inventum eſſe dicit, menſem Lunarem minorem eſſe tricenis diebus. Σόλωνος δὲ, καὶ ὅτι ὁ μὴν ὁ σεληνιακὸς οὐκ ἔστι τριακονθήμερος· καὶ διὰ τοῦτο πρῶτος αὐτὸς ἕνην ἐκάλεσε, καὶ νέαν. Igitur ante Solonem vulgò perſuaſum erat Græciæ, Lunarem menſem diebus triginta conſtare. His auctoribus, opinor, ea ſatis affirmantur, quæ de vetuſtiſſimo Græcorum anno, déque Lunaribus ex eorumdem ſententia tricenariis menſibus, & alterna intercalatione, poſuimus. Nunc quid iiſce teſtimoniis Hiſpanus Juriſconſultus opponat, quàm-breviſſimè, fideliſſiméque referamus.

C A P U T III.

De Herodoti teſtimoniis Hiſpani Juriſconſulti ſententia declaratur, ac refellitur. Ejus inſcitia Helleniſmi. διὰ τρίτου ἔτεος, & id genus formulæ quid ſignificent. explicatus Herodotus.

NON parùm negotii fuit ex tam obſcura, & incondita diſputatione extricare quid ſibi quaque in re auctor ille voluerit. Minimè omnium ad explicandum facile eſt, quemadmodum Herodoti verba illa contra nos interpretanda cenſeat. Nam contra nos utcumque moliri, ac trahere iſta voluiſſe, ſuſpicionem aliquam præbet. Igitur cap. III. ſignificat Herodotum illic de anno Solari, communique loqui dierum CCCLX, cujuſmodi apud Ægyptios erat; non de Lunari, qualem ex menſibus tricenariis conſtantem veteri Græciæ tribuimus. Tum eodem cap. num. 15, Geminum ac Cen- Pag. 14.
ſorinum negat eodem de intercalationis genere, quo de Herodotus loquitur, mentionem feciſſe. Quippe ambos illos de Lunari anno capiendos eſſe. Quod & num. 28, ac 83 repetit. Poſtremò num. 23. Herodotum Pag. 16.
ipſum non unum genus intercalationis attigiſſe putat. Nam quæ primo in libro traditur, alternis annis incidiſſe; alteram, cujus in ſecundo meminit, anno tertio vertente. Quæ ſunt omnia falſiſſima.

Primùm quòd Herodotus priore libro Lunaris anni formam, eique propriam intercalationem expreſſerit, vel ipſa τοῦ ἐμβολίμου μηνὸς appellatio demonſtrat. Ecquis fando umquam audiit in anno Solari menſem integrum tricenarium altero quoque anno intercalatum fuiſſe? Eſt enim menſis iſtiuſmodi Lunaris formæ peculiaris; idque communis ſenſus, ac nationum uſus omnium oſtendit. Præterea velim hoc mihi reſpondeat; ſi ad curſum Solis exæquandum, intercalatione uſi ſunt veteres Græci, quid eos attinebat altero quoque anno triginta dies

dies adjungere? Hac enim ratione cuilibet anno Solari dies CCCLXXV tribuebant. Etenim ſimplex annus, es Herodoti calculo, dies colligebat CCCLX; anni duo, DCCXX. Adde triginta dies embolimi menſis; conſiunt dies DCCL. quos ſi bifariam dividas, ſinguli dies auferent CCCLXXV. Ergo Græcos illos veteres tanti ſtuporis accuſabimus; uti diebus CCCLXXV annuum Solis orbem expleri perſuaſum habuerint? Quis hoc Veterum ſcripſit umquam? quis legiſſe meminit? unde id Juriſconſultus noſter accepit? Quid quod ipſemet iis contraria paſſim ſentit in tota Diatriba? Cap. III, num. 3 verba illius ſunt. *Reſolvimus*, inquit, *in cap. XII*, §. 4 (ſic enim Latinè imprimis, & eleganter loquitur) *antiquis Græcis civilem fuiſſe annum Solarem vertentem, atque perfectum, 365 dies, & quadrantem integrantem: & Solarem itidem communem 360 diebus menſibuſque XII æquabilibus tricenariis conſtantem. Et hunc quidem præ ceteris in uſu omnium Græcorum exſtitiſſe uſque ad tempora Solonis.* Nondum hujus decreti falſitatem perſequor: nec ejus rationem poſtulo, quòd annum dierum CCCLX, & ab eo, qui CCCLXV¼ dierum eſt, diverſum, Solarem nominat: qua de re paullò pòſt. quod agitur modò, id ex illius inſiſto verbis: Si Solarem converſionem diebus perfici CCCLXV¼; omnes Græciæ populi per illud tempus intellexerint; cur anno ſecundo vertente, triginta dies pro decem, aut undecim, intercalabant, ut illud ipſum Solis iter aſſequerentur, quod tanto minore dierum numero perfici putarent? Simile hoc monſtri videri mihi fateor. credo & alios idem mecum eſſe ſenſuros.

Nam quòd eamdem anni formam, adminiſtrationémque Geminus, & Cenſorinus expreſſerint, quam Herodotus; & intercalationis genus idem; ſatis arbitror ex illorum comparatis inter ſe teſtimoniis eſſe manifeſtum: & hoc poſtea certiùs ex ſingulorum tractatione conſtabit.

Ridicula obſervatio Alphonſi cap. III, n. 13, & 14. Nunc illa Juriſconſulti nos obſervatio revocat ad ſeſe: alterum putantis intercalationis genus in ſecundo libro, quàm in primo, Herodotum expreſſiſſe. pro eo quòd in ſecundo ſcribit, διὰ τρίτου ἔτεος intercalatum eſſe. *Quæ perfectum*, inquit, *& tranſactum triennium præſupponunt.* Es qua nos ille Socratico more, percontatione una, alteráque conſtringens, in eas anguſtias conjicit, ut fateri cogamur, idem eſſe διὰ δευτέρου ἔτεος aliquid fieri, ac διὰ τρίτου; vel alternis annis, idem eſſe, quod tertio quoque anno, ſive poſt tertium quemque annum. Mirificum genus obſervationis & hactenus ignotum; tertio anno, vel, ut Græci concipiunt, διὰ τρίτου ἔτεος, non eſſe, quod nos imperiti hactenus credebamus, ſecundo anno deſito, & ineunte tertio; ſed ipſò anno tertio vertente, & ineunte quarto. Alphonſi verba, ne quis affingere me præterea putet, digna ſunt quæ hìc quoque legantur. *Quis autem dicet idem eſſe intercalare alternis annis, & tertio quoque anno: vel, ut propriùs loquar, poſt tertium quemque annum? Id enim verè denotant prædicta illa Herodoti*, διὰ τρίτου ἔτεος. *& ſanè hoc idem eſt ac ſi diceres*, διὰ δευτέρου ἔτεος, & διὰ τρίτου ἔτεος, *pro eodem uſurpanda.* Atqui iſtud ipſum, quod pro ingenti nobis abſurdo Juriſconſultus opponit, certiſſimum eſt; διὰ τρίτου ἔτεος, non eſſe finito anno tertio, ſed ineunte. neque aliter ſumi, cum ipſa ſermonis Græci proprietas; tum Scriptorum veterum conſuetudo patitur. Sic διὰ πέμπτου ἔτεος, non eſt quinto anno vertente; ſed quarto. Ac de Alphonſo, ut ille de me, percontabor viciſſim; credátne Græcè ſciſſe Comicum Ariſtophanem. Certè inquiet. At is Olympiacos agones in Græcia διὰ πέμπτου ἔτεος celebrari ſcribit in Pluto:

——— ——— ——— τὸν Ὀλυμπικὸν ἀγῶνα
Ἵνα τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας αἰεὶ δι᾽ ἔτους πέμπτου ξυναγείρω.

Hos autem quarto quolibet abſoluto, & ineunte quinto commiſſos eſſe, minimè dubium eſt. Quare idem eſt διὰ πέμπτου ἔτεος, atque κατὰ πενταετῆ χρόνον, quo celebratos eſſe ludos Olympicos ait Cedrenus pag. 268. Vis eſt eadem Latinorum iſtorum; *tertio quoque anno*, vel *quarto quoque anno*: vel, ut in Olympiadibus, quinto quoque anno: uti Cenſorinus docet cap. XVIII. à quo mirum eſt non accepiſſe Juriſconſultum quod ſibiipſi interroganti reſponderet. cujus in ipſo penè Diatribæ aditu, io tam facili, ac nota re titubatio ad ejus doctrinæ commendationem haud ſanè multum pertinet.

Nihil itaque jam obſtat, quin, quod Herodotus in ſecundo refert, Græcos διὰ τρίτου ἔτεος ἐμβάλλειν, ſit idem quod κατὰ τὸ ἕτερον τῶν ἐτέων, *altero quolibet anno.* quod in priore ſcripſerat: adeoque ſit eadem utrobique menſis intercalaris forma. quod Alphonſus negabat.

Atenim Herodotus universè de Græcis omnibus, nullo excepto populo, ſcribit, ab iis tricenarios menſes uſurpatos eſſe. Fruſtrà igitur idipſum nos quibuſdam Græciæ civitatibus attribuimus. Hoc enim Caranza cap. III, numeris marginalibus 25 ad 29 uſque vellicat, quòd Herodoti ſæculo, ſaltem in aliquibus civitatibus, eam anni diſpoſitionem perſeveraſſe docuimus, qualis ex Hiſtorici illius teſtimonio colligitur. Atque hoc non ſolum Herodoti verbis eſſe contrarium ait: ſed à meipſo convictum alio loco, ubi docui, *univerſam Græciam menſes Lunares plenos & cavos obſervaſſe ex Solonis lege.* Caranzá cap III, num 25, 26, 27, 28, 29.

Sed arida eſt, ac jejuna Juriſconſulti conflictatio, in re minimè difficili. Nam Herodoti ætate cœperat in nonnullis Græciæ civitatibus habere locum Lunaris annus accuratior. pleræque tamen æquabilem adhuc obtinebant. præſertim Aſiaticæ Græcorum coloniæ; unde ille erat oriundus. Quamobrem neque mirum videri debet, quòd Græcos Herodotus aſſerit menſibus uti tricenariis, & anno æquabili: neque reprehendenda cautio noſtra eſt, dum, ſaltem in aliquibus civitatibus, perſeveraſſe formam illam civilis anni ſcripſimus.

Caranza p. 22, nu, 26. Non enim Græciæ populos omnes, excepto nullo, iſtiuſmodi anni æquabilis inſtituto comprehendit Herodotus: quod perperam Juriſconſultus exiſtimat. Qui quidem ſuam ipſemet in cenſuram, ac reprehenſionem incidit. Quippe Cenſorinum affirmat cap. XVIII, ubi de anno civili Græcorum loquitur, non de eo loqui, qui Græciæ univerſæ communis fuit; ſed quem aliquæ tantummodò Græciæ partes adſciverunt. Hoc verò gratis ipſe, ac nulla Cenſorini auctoritate fretus adſtruit. Nam ἀορίστως ille Scriptor dixit; *Veteres in Græcia civitates* triëteridem, & eam omnem anni ſpeciem uſurpaſſe. Cùm igitur apud Cenſorinum quod infinitè conceptum eſt, id ad certas civitates reſtringat Alphonſus; quæ tandem invidia eſt, quod ſimili ratione pronunciatum eſt ab Herodoto, id nos auctoritate Veterum, ac ratione ductos itidem de certis Græciæ populis interpretari? Vis eſt iſta quidem; & ab Juriſconſulti inſtituto, ac profeſſione aliena reſpondendi ratio; nolle quod in uno tibi jus permittas, ſimili in re ceteris concedere.

Quod autem lib. I, cap. VIII de Doctrina Temporum ver. *Adjungit*, ſcripſiſſe nos ait, *univerſam Græciam menſes Lunares plenos, & cavos obſervaſſe*; id eo quidem loco non ſcripſimus. unde verò ſit expiſcatus, viderit ille. Nam quo ſenſu ſit dictum, facilè es antecedenti ſermone dijudicari poterit.

CAPUT IV.

Gemini verba neque ab Alphonſo Caranza intellecta prorſus eſſe: & de tricenariis menſibus Lunaribus falsò creditis, non de veri Solaris partibus accipienda. Idem & de Cenſorini loco ſuadetur.

QUÆ de tricenariis menſibus, & embolimo μη' ἐνιαυσίῳ addito ſuprà, cap. II, ex Gemino retulimus, Alphonſus cap. III, Sect. I. num. 12, & eodem capite, num. 126, hunc in modum esplicat. Geminum aſſerit de tricenariis menſibus loqui, quibus Solaris conſtabat annus. qui quia duodecies repetiti, dies tantummodò trecentos, ac ſexaginta conficiunt, ad Solaris curſus modum exhauriendum, plenam dierum intercalationem adhibitam putat. Sunt autem dies appendices quinque cum quadtante: quem Ægyptii diſſimulabant; in eòque Græcos ab illis diſcrepaſſe credit. ut & num. 101 capitis ejuſdem ſcribit. Ex hac verò Caranzæ doctrina conſequens eſt, quod & iiſdem illis locis affirmat, tam tricenarios illos menſes, quam τὰς μη' ἐνιαυσίους ἐμβολίμους; quorum ibi mentionem Geminus facit; illam denique civilis anni formam, quæ verbis continetur illis; à Græcis conſtanter admiſſam; ac cum uſu populari perpetuò receptam: tum verò probam, ac

 legitimam

legitimam ipſius opinione Gemini fuiſſe. Nam ſi, ut Alphonſus tota Diatriba pugnat, Græci id omni ope, ac ſtudio contendebant, annum uti popularem cum Sole conciliarent: in eúmque finem, præter duodenos menſes tricenarios, & appendices quinque, quos Ægyptiorum imitatione ſumpſerant, quadrantis diei, quem illi diſſimulabant, rationem habebant, ſic ut diebus CCCLXV, & uno quadrante civilis ipſorum explicaretur annus: cùm hanc ipſam Solaris circuitus menſuram veram, & accuratiſſimam eſſe Geminus exiſtimaverit: neceſſe ſit, Græcos, quantum quidem ſcire Geminus potuit, numquam ab illa, quam deſcribit, anni ratione deſciviſſe. ſed τριακονθημέρους μῆνας, quos ibi retulit, & τοὺς παρ᾽ ἐνιαυτὸν ἐμβολίμους, immotos ad Gemini tempus obtinuiſſe. Quod etiam pag. 40, num. marg. 80 Caranza diſertè docet: nimirum verbis illis Geminum menſium eorum, quibus ætate ſua Græci utebantur, antiquitatem declarare voluiſſe. idémque num. 127 indicat. Atqui planè contraria ſunt, quæ Geminus loco illo pronunciat. Ibi enim & tricenarium iſtum menſium modum, & intercalationem alternis annis repetitam experientia convictam, ac ſubinde mutatam eſſe ſignificat. Addit & mutandi cauſſam hanc fuiſſe, quòd anni cum Sole non congruerent. Sanè Geminus, uti dixi, tropicum, & ἀκριβῆ Solis orbem à Calippico, & Juliano modo nulla re diſcrepantem poſuit, uti pag. 23. Iſagoges ſuæ nos docet. Quæ poteſt igitur abſurditas eſſe major, quàm quæ ex Alphonſi παρερμηνείᾳ naſcitur? quæ certior ac manifeſtior ἀντίφασις; Dici ab eodem Scriptore, Solarem annum eſſe dierum CCCLXV¼, & non eſſe. Tum, eamdem anni formam apud Græcos perpetuò ſervatam eſſe, utpote probam, accuratámque; & ſubinde pro fallaci, convictáque rejectam, ac mutatam fuiſſe.

Ad hæc ἐμβολίμους παρ᾽ ἐνιαυτὸν ſic Alphonſus exponit, ut ἐμβόλιμοι, dies quinque, non menſes integros ſignificent; quod eſt prorſus inuſitatum. παρ᾽ ἐνιαυτὸν verò ſit *quovis anno*. quod eſt σολοικῶδες, & barbarum. Nam præpoſitio παρὰ cum accuſativo temporis juncta; quod helleniſmi tironibus ignorare ſas non eſt; alternis, & ἐναλλὰξ aliquid fieri demonſtrat; ut παρ᾽ ἐνιαυτὸν ſit idem, quod διὰ τρίτου ἔτους. De qua re, ſi mihi non credit, quemlibet Græcè utcumque ſcientem interroget. Ceterùm prior illa tam abſurda Gemini, & abhorrens interpretatio non tam inſcitiæ tribuenda videtur, quæ tanta cadere vix in quemquam poteſt, quàm ex eo facta, quod illius auctor neque Geminum viderat, nec ejus verba, de quibus contra nos diſputabat, alibi, quàm in noſtro opere legerat. Nos autem cùm Gemini teſtimonium adduximus, priora illa de tricenariis menſibus, & ἐμβολίμους παρ᾽ ἐνιαυτὸν deſcripſiſſe contenti, quæ ſunt conſequentia prætermiſimus. quæ cùm Alphonſus legerit, in eum ſe conflictum ſententiarum per imprudentiam impoſitum, & implicatum per ſeſe eſſe, non injuria mirabitur: neque ſanè diffitebitur, rectè nos illa, quæ de lunaribus antiquorum menſibus τριακονθημέρους, & ejuſdemmodi ceteris affirmavimus, ex Gemini fide, & auctoritate prompſiſſe.

Quamquam iſtud ipſum vel illa, quæ apud nos legerat, Gemini verba ſatis Alphonſum docere poterant; omninò tricenarios menſes, quos veteri Græciæ Geminus attribuit, ex illorum opinione, & inſtituto Lunares

Gem. p. 18. fuiſſe. Etenim primùm ait auctor ille propoſitum fuiſſe Veteribus, menſes ad Lunam exigere. πρόθεσις ἦν τοῖς ἀρχαίοις, τοὺς μὲν μῆνας ἄγειν κατὰ σελήνην. & paullò pòſt, συμφώνως ἄγειν τῇ σελήνῃ. Si menſes ad Lunam dirigere propoſitum illis erat; Lunares igitur, non Solares eſſe putabant, quoſcumque demùm inſtituebant. At iidem, ut Geminus pag. 20. ſcribit, tricenarios hoſce menſes eſſe juſſerunt οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον· τοὺς δὲ ἐμβολίμους παρ᾽ ἐνιαυτόν. Eoſdem ἀρχαίους, quos paullò antè menſes Lunares eſſe voluiſſe dixerat, nunc tricenarios initiò conſtituiſſe narrat: & ideo tricenarios iſtos abrogaſſe, quòd ad Lunam non congruerent. Cujus eſt igitur judicii, negare Geminum velle ab antiquioribus Græcis tricenarios menſes pro Lunaribus acceptos fuiſſe?

Accipe nunc alterum Caranzæ cum Gemino, ac ſecum adeò conflictum. Pag. 18, num. marg. 15, & pag. 31, num. 58, ait Geminum, cùm ſcribit antiquos alternis annis menſem unum intercalaſſe loco illo, quem I de Doct. Temp. cap. VI retulimus, οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον· τοὺς δὲ ἐμβολίμους παρ᾽ ἐνιαυτόν. *Veteres igitur tricenarios menſes inſtituebant: embolimos verò alternis annis*: hoc, inquam, loco putat Alphonſus Geminum loqui de intercalatione menſis Lunaris ἀκριβοῦς dierum 29½, qui in trieteride, tetraëteride, & octaëteride intercalari ſolebat; non autem de tricenarii menſis interpoſitione; qua de Herodotus ſcripſit eo loco, quem nos cap. IV produximus. Atque hoc patere dicit ex iis Gemini verbis, cùm ait: ἔστι δὲ ὁ μὲν ἀκριβὴς μηνιαῖος χρόνος, καθάπερ εἴρηται, ἡμερῶν κθ΄ $\frac{α}{β}\frac{α}{λγ}$. *Eſt autem accuratum intervallum menſis unius, ut dictum eſt, dierum* $29\frac{1}{2}\frac{1}{33}$. Sed huic tergiverſationi omnem præcludit aditum Geminus ipſe: qui cùm de accurato menſe Lunari verba feciſſet initio capitis VI περὶ μηνῶν, multis interjectis, de antiquorum inſtituto loquitur, eóſque dicit tricenarios omnes conſtituiſſe menſes, & embolimos alternis annis inſeruiſſe. Si ordinarii menſes omnes tricenarii erant, ejuſdemmodi etiam intercalares fuiſſe: & quidem potiori jure, quàm priores illos, neceſſe eſt. Etenim apud eos etiam, qui Lunaribus annis, ac menſibus utuntur, hoc eſt alternis pleuos, & cavos uſurpant, embolimi ferè tricenarii ſunt: ut in enneadecaëteride noſtra. Quanto id magis in trieteride factum oportuit, cujus menſes omnes tricenarii fuerunt? Quid abſurdius eſt, quàm, cùm menſes ceteri triginta conſtent diebus, ſolis embolimis dies 29½ tribuere? Quis in civili annorum periodo meminit umquam horas duodecim intercalatas eſſe? At Alphonſus non horas ſolùm 12 ſupra dies 29, ſed etiam horaria ſcrupula intercalaſſe ſcribit antiquos; nimirum μῆνα ἀκριβῆ, qualem Geminus dierum eſſe definit $29\frac{1}{2}\frac{1}{33}$. Hoc nihil excogitari potuit inſulſius. Quinetiam Geminus ipſe, cùm de octaëteride diſputat, clariſſimè ſignificat embolimos menſes triginta dierum eſſe factos: dum embolimis tribus dies aſſignat XC.

Neque verò fœdiùs ab Gemino, quàm à ſeipſo, in Gem. p. 20.
illa Gemini interpretatione diſſentit Alphonſus. Quippe num. 126, eamdem illam intercalationem, cujus meminit Geminus, cùm ait antiquos ἐμβολίμους inſeruiſſe παρ᾽ ἐνιαυτὸν, ait eſſe dierum illorum adjectionem, qui ſupra CCCLX reliqui ſunt ad annum Solis explendum. ut initio capitis hujus retulimus. Ita ſúſque déque habet, ac miſcet omnia; neque quid antè, póſtve ſcripſerit, aut meminit, aut intelligit Caranza. Nam quod numero illo 126 de intercalatione dierum ſupra CCCLX excurrentium docuit; idem num. 12 præſcripſerat. ut prodigii ſimile ſit, eumdem hominem ſubinde num. 15 hanc ipſam intercalationem menſis ἀκριβοῦς Lunaris eſſe definiiſſe.

Nam de Cenſorino quæ tandem illius divinatio eſt? aut unde Lunares ab eo menſes ἀκριβεῖς, hoc eſt diebus conſtantes 29½ intelligi potiùs, quàm tricenarios, perſuadere poterit? Nos enim ab interpretandi temeritate ſecuros præſtant Herodotus, ac Geminus. quos & à Cenſorino lectos eſſe conſentaneum eſt: & cùm iiſdem propemodum, ac illi verbis utatur, non poteſt non illorum eſſe concors de re ipſa ſententia. Poſtremò ut ab illo Cenſorini loco tricenarii menſes abjudicentur; alterum certè, quod eſt præcipuum, nihilominùs obtinebimus: veteris Græciæ civitates Lunarem annum civili uſu tenuiſſe. Populare quippe, ac vulgare quoddam inſtitutum obeundorum temporum Cenſorini verba iſta demonſtrant: *Itaque annos civiles ſic ſtatuerunt, ut intercalando facerent alternos duodecim menſium, alternos tredecim.*

C A P U T V.

Annum civilem Græciæ poſt antiquiora illa tempora Lunarem fuiſſe primùm ex Gemino deducitur: cujus locus illuſtratur. Simul Alphonſi à Caranza falſa anni Græci ex Gemino deſcriptio refellitur.

NON poterat rudes apud civitates licèt, quæ Lunares utcumque curſus aſſequi inſtituiſſent, tam patens, támque aſpectabilis error eſſe diuturnus. Itaque quamvis initiò tricenis diebus Lunæ ſingulos orbes expleri, iiſdémque duodecies repetitis, trecentis & ſexaginta, Lunarem annum confici putarent; poſtea tamen

tamen intervalli eſſe minoris utrumque didicerunt: neque propterea priſtinam anni formam excuti ſibi populus eſt paſſus. Sed, ut eſt veterum, quamlibet vitioſorum, inſtitutorum retinens, ſuſceptam ſemel à majoribus anni rationem aliquot in ſæcula, conſtantiâ, quàm prudentia majore propagavit.

Non enim tam citò, quàm ex Gemini, & Cenſorini verbis colligi quiſpiam fortè ſuſpicetur, emendatiores aſſumpſiſſe menſes, & ad octaeterides tranſitum feciſſe videntur. Quippe cùm & Solonem primum omnium Athenienſibus hoc perſuaſiſſe ſuis, Plutarchus, & Laërtius in Solonis uterque vita teſtentur: & qui poſt Solonis ætatem vixit Herodotus, Græcos adhuc tempore ſuo referat in eâdem veteris anni forma perſtitiſſe. Sed ego tum Græcos arbitror, ne ab Lunæ, Soliſque ſpatiis penitus aberrarent, detractis ſubinde non diebus modò; ſed menſibus integris, identidem anno ſuccurriſſe ſuo. ſimiliter ac Romani poſteà fecerunt. qui civilem annum ſuum primùm per inſcitiam, ſuperſtitionémque corruptum, mox haud dubii erroris, ac vitii compertum, neque dimiſerunt ſtatim; & intercalarium menſium περιδιαφαιρέσει, vagantem longiùs, titubantémque revocarunt.

Tandem verò Athenienſes imitati ceteri Græciæ populi, civiles annos ad exactiores Lunæ curſus accommodarunt: ac cùm menſes ad Lunam ſingulos, tum annos ad eamdem civiles ſingulos exegerunt. Atque ut Solis præterea rationem haberent aliquam, certas annorum periodos adhibuerunt, quæ ex menſibus, annìſque Lunaribus conſtantes Solis interim circuitus exæquarent. Itaque ὁμαὶς ipſa, vel ſyſtema plurium annorum, menſiumque Lunarium (qui & annus magnus à Cenſorino vocatur) Solare non minùs fuit, quàm Lunare: partes ipſæ ſingulæ Lunares erant tantummodò, non Solares. Sic enneadecaeteris in eamdem Solis, Lunæque ſyzygiam, unde erat profecta, deſinens, ex menſibus conſtat Lunaribus CCXXXV; vel ex annis Lunaribus ſimplicibus XII, embolimæis ſeptem. nec minùs interim ad Solis intervalla, quàm Lunæ, dirigitur: ut propterea qui in populari temporum uſu orbem hunc annorum novemdecim aſſumeret, annum ſuum ad Solem, menſes ad Lunam accommodare dici meritò poſſit. Hæc neque difficilia ſunt, nec erant explicanda diligentius, ſi ab Alphonſo noſtro intelligi potuiſſent. At ille, quod mirari quidem ſubit, ſic in iſta re, quaſi nova, ac recondita peregrinatur. Itaque cum in lib. I de Doct. Temp. in eam ſententiam multa verba feciſſem; ac Geminum, qui eadem mecum doceret, auctorem teſtémque protuliſſem, utrumque neglexit, ac contempſit. Nam me, quòd menſes annóſque ſimplices, Lunares fuiſſe; & annum nihilominus ad Solem directum fuiſſe, ſtatuerem, pugnantia, & contraria loqui judicavit: Geminum verò, doctrinæ auctorem illius, ac fundum, poſtquam variis, & abſurdis interpretationum calumniis per ludibrium vexavit, demùm, quod erat tolerabilius; ſilere juſſit, ac longè faceſſere.

Quocirca non magis ut Alphonſo, quàm ut erudito lectori ſatisfaciam, Geminum hoc loco placet contra & illius interpretationem, & ,· quod curandum minùs eſſe dixi, contemptum, ac judicium defendere. Simul ut, quòd de anno Lunari poſt Solonis, & Herodoti tempus, Græcia tota conſtituto propoſitum nobis eſt agere, primum id ſit argumentum, quod ad eam rem ex illo Gemini graviſſimi omnium Scriptoris tam diſerto, ac luculento teſtimonio ſuppeditat.

Geminus illuſtratur. Scribit Geminus in cap. VI περὶ Μηνῶν, propoſitum hoc veteribus Græcis fuiſſe, uti menſes ad Lunam, annos autem ad Solem exigerent. Quod enim legibus, & oraculis præſcriptum iis erat, τὸ θύειν κατὰ τρία, ἔστιν τὰ πάτρια, *ut ſecundùm tria ſacrificarent*, hoc eſt annos, menſes, & dies; id omnes Græci eatenus aſſequi ſe putabant, ſi eorum anni cum Sole congruerent; menſes autem, & dies, cum Luna. Quid eſſet autem annos ad Solem exigere, Geminus ita declarat. ἔστι δὲ τὸ μὲν κατ' ἥλιον ἄγειν τὰς ἐνιαυτοὺς, τὸ περὶ τὰς αὐτὰς ὥρας τοῦ ἐνιαυτοῦ τὰς αὐτὰς θυσίας τοῖς θεοῖς ἐπιτελεῖσθαι· καὶ τὴν μὲν ἐαρινὴν θυσίαν διὰ παντὸς κατὰ τὸ ἔαρ συντελεῖσθαι· τὴν δὲ θερινὴν κατὰ τὸ θέρος· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τοὺς λοιποὺς καιροὺς τοῦ ἔτους τὰς αὐτὰς θυσίας πίπτειν. *Eſt autem ſecundùm Solem annos agere, circa eaſdem anni tempeſtates eadem Diis ſacrificia celebrari; itaut vernum ſacrificium perpetuò verno tempore peragi: æſtate itidem, æſtivum. Similiter & in reliquas anni tempeſtates eadem incidere ſacrificia.* Jam quid ſit dies ſecundùm Lunam agere, idem Scriptor explicat: nimirùm τὸ ἀκολούθως ταῖς τῆς σελήνης φωτισμοῖς τὰς προσηγορίας τῶν ἡμερῶν γίνεσθαι: *ut appellationes dierum illuminationibus Lunæ reſpondeant.* Nam qua die, verbi gratiâ, novâ Luna conſpicitur, νεομηνία vocatur. qua verò ſecunda Lunæ φάσις exiſtit; ſecunda menſis dies. quæ in medium incidit menſem dies, διχομηνία dicitur. Pergit Geminus: ἔστι δὲ κατὰ σελήνην ἄγειν ἀκριβῶς τὰς ἡμέρας παράδειγμα ἐστι τὸ τὰς μὲν τοῦ ἡλίου ἐκλείψεις γίνεσθαι τῇ τριακάδι· τότε γὰρ συνοδεύει ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ κατὰ τὴν αὐτὴν μοῖραν· τὰς δὲ τῆς σελήνης ἐκλείψεις νυκτὶ τῇ φερούσῃ εἰς τὴν διχομηνίαν. *Exemplum verè dierum accuratè ſecundùm Lunam obitorum eſt, cùm Solis defectiones in triceſimam diem incidunt. Tunc enim Luna cum Sole in eâdem ſigniferi parte conjungitur, & cùm Lunares defectiones ea nocte contingunt, quam διχομηνία ſequitur.* Subjicit Ægyptiorum contrariam, atque à Græcis erat inſtituta, temporum rationem: quòd ii nec annos ſecundùm Solem; neque dies, aut menſes ſecundùm Lunam agerent: ſed peculiari quodam propoſito, annis ſuis ac diebus fræna laxarent: ſic ut eadem feſta, ſacráque per omnes Solaris anni tempeſtates effusè vagarentur. Demùm quemadmodum intelligendum ſit, annos à Græcis ſecundùm Solem agi ſolitos; in Lunaribus periodis oſtendit, quas hujuſce rei cauſsâ ſibi præſcripſerunt. ut in octaeteride; in qua menſes omnes, annóſque ſingulos Lunares fuiſſe refert: ac ter, anno videlicet tertio, quinto, & ultimò, menſes embolimos intercalatos eſſe. γινομένων γὰρ τούτων αἱ θυσίαι τοῖς θεοῖς διὰ παντὸς ἐπιτελεσθήσονται κατὰ τὰς αὐτὰς ὥρας τοῦ ἐνιαυτοῦ. *Dum hoc fit, ſacrificia perpetuò Diis iiſdem anni tempeſtatibus inſtaurabuntur.* Sic in heccædecaeteride anni ſecundùm Solem ordinantur; & in enneadecaeteride, ceteriſque Lunaribus periodis. Ex quibus apparet, annos κατὰ τὸν ἥλιον ἄγεσθαι, non ſic accipi, quomodò Alphonſus à Caranza nimis abſurdè cenſet; ut anni ſinguli duodecimeſtres Soli reſponderint, menſes verò ſinguli, Lunæ. Nam neque Geminus hoc dicit: imò verò diſertiſſimè reclamat: & eſt anni deſcriptio hæc ejuſmodi; ſecum ut ipſa pugnet, nec umquam in rerum natura poſſit exiſtere. Alphonſi verba: *Quis enim non videt, Græcos annum ſecundùm Solem agere, & menſes ſecundùm Lunam, id unum prima facie præ ſe ferre; annum ſcilicet ad curſum Solis, menſes ad Lunæ periodos referendos? Ex quidem æqua lance: ut cùm Græcis antiquis menſes Lunares eſſent ex ſententia Petavii (quam non probamus) ſic & iiſdem Solaris annus publicus, & civilis exſtiterit.* Falsò perſuaſit ſibi, eâdem omninò ratione annum ſecundùm Solem procedere, qua menſes ad Lunam diriguntur. Id enim ſecus habet. Quippe anni cum Sole concordia non in ſingulis ſpectatur annis; ſed in tota periodo. menſes autem & ſinguli, & ſimul omnes cum Luna conſentiunt. Geminus ecce cum Sole conciliari dicit annum in octaeteride ad hunc modum. Cùm Solaris annus dies colligat CCCLXV¼; Lunaris autem CCCLIV, annuum illius exceſſum octies repetitum ait, in ſummam cogi dierum XC, ex quibus terni menſes exiſtunt; qui per octaëteridem diſpenſantur. διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν καθ' ἑκάστην ὀκταετηρίδα τρεῖς ἄγονται μῆνες ἐμβόλιμοι· ἵνα τὸ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἔλλειμμα πρὸς τὸν ἥλιον ἀναπληρωθῇ, καὶ πάλιν ἐξ ἀρχῆς διελθόντων τῶν η' ἐτῶν, συμφωνῶσιν αἱ ἑορταὶ πρὸς τὰς αὐτὰς ὥρας. *Quam ob cauſſam per unamquamque octaëteridem tres menſes intercalantur: ut ejus, in quo anni ſinguli deficiunt à Sole, compenſatio fiat: ac rurſus, evolutis annis octo, cum iiſdem annuis tempeſtatibus feſta conſentiant.* Igitur anni ſinguli ab Sole deficiunt; ac proinde Lunares ſunt. Nam ſi Solares eſſent; ἔλλειμμα, id eſt defectus eſſet omninò nullus: nullæ annorum epactæ: nulli ex epactis intercalares menſes exiſterent. Tum octaeteride vertente, non antè, ſcribit annum cum Sole convenire. Non ſunt ergo ſinguli Solares anni; cùm tamen menſes Lunæ ſinguli reſpondeant.

Geni. p. 20.

Cap. III, num. 115 & 116.

Doceo jam anni formam ejuſmodi, quam deſignat Alphonſus, nulla vi poſſe coaleſcere: uti ſcilicet tam annus civilis quilibet ad Solem, quàm ad Lunam menſis applicetur. Annus Solaris diebus conſtat CCCLXV¼. Lunaris paullò plus diebus CCCLIV⅓. Sit initium anni Græci ab Cal. Jul. in anno Juliano. ac Neomenia civilis Hecatombæonis tam in Solari, quàm Lunari anno in illum diem incidat. quemadmodum anno XXXVI pri-

mò

mæ periodi Calippicæ, periodi Jul. 4419 in anno Lunari contigit. Nam character Hecatombæonis eſt 1, 11′, 42″, Julii I, feria I. Igitur Metagitnion incurret in diem Julii XXXI, ineunte media nocte. Boedromion Lunaris inibit Aug. XXIX, hora 13, 10′. atque ita deinceps menſes ſinguli procedent. quorum poſtremus Scitophorion deſinet in Junii XX, fer. V, hora, 20, 35′, anni per. Jul. 4420. Deſunt ad complendum Solarem annum dies ampliùs decem. Hecatombæon ſequentis anni Lunaris ab eodem illo die Junii XX, vel XXI ducet initium. Quare ſi annus ſecundus civilis ab Junii XXI die inchoetur; primus annus Solaris non fuit; ſed Lunaris, utpote dierum CCCLIV. ſin decem illi dies confectis Lunaribus menſibus arrogentur, ut annus Solaris expleatur; ac novus à Cal. Juliis incipiat: primus menſis civilis in anno ſecundo Lunaris non erit. Non enim ab novilunio; ſed ab undecima φάσει Lunæ progredietur. neque porrò conſequentes ejuſdem anni menſes Lunares erunt: nec annorum itidem ſequentium. nullus denique menſium omnium ab eâdem φάσει Lunari profectus in eamdem terminabitur. Atqui Geminus, cùm Lunarem menſem definit eum, qui à novilunio in novilunium, aut à plenilunio in plenilunium pertinet: tum dies ſingulos ſingulis Lunæ φάσεσιν jubet occurrere. Addit Lunaris abſoluti menſis indicium eſſe, cùm in eumdem diem, putà exeuntem, Solares defectiones incidunt: Lunares autem in διχομηνίαν. Doceat nos Alphonſus quemadmodum id in anno ſuo præſtare poſſit: cujus menſes numquam in ſtatione conſiſtunt: ſed ultrò citróque per omnes Lunæ φάσεις inconditè, ac ſine more volutantur. Ad ſummam quod ait Geminus Græcos annum ſuum popularem ad Solem accommodaſſe, menſes ad Lunam, non poteſt de anno ſimplici, ſed de majori è pluribus ſimplicibus compoſito ſumi. Anni quippe vox utrumque ſignificat. Hinc Cenſorinus magnum annum vocat, trieteridem, tetraeteridem, & octaeteridem. annum quoque Metonis, enneadecaëteridem; & aliorum alias periodos anni nomine afficit. ut & Cicero lib. XII. Epiſt. ad Att. Epiſt. III. Quòd ſi Hiſpanus Juriſconſultus animadvertiſſet, non tam abſurdè Geminum expoſuiſſet, ut ei formam eam civilis adſcriberet anni, quam rerum natura ipſa funditùs reſpuit. Cujus etiam ad odium uſque pluribus paginis repetita collectio hac una præſcriptione ſummovetur.
Cap. III, num. 112, 113, 114, 115, 116, & num. 126, 127. Hoc enim Sect. III, cap. III præſertim num. 112, 113, 114, 115, 116, & alibi non raró nobis objicit, Geminum aſſeverare, Græcorum annum ad Solem dirigi, menſes ad Lunam. Ex quo ita ratiocinatur: quemadmodum menſes ſinguli ad Lunam exacti fuerunt; ita & annos ſingulos Solari curriculo reſpondiſſe. Sed non eſt conſequens. & quo ſenſu ſit accipiendum illud, tota iſta Gemini narratio ſatis oſtendit. Nam poſt evolutam demum periodum, ac per Lunarium menſium intercalationem, annum civilem cum Sole conciliari auctor idem docuit. At intercalatio nulla fit menſium in annis Solaribus ſimplicibus. Quare non eodem modo menſes ad Lunam comparari dictum eſt, quo annum ad Solem. præſertim cùm non itidem, ut annus appellatur ex multis ſimplicibus compoſitus, ita menſis magnus plurium menſium ſyſtema vocetur. Unde licèt annum cum Sole paria facere cùm dicit Geminus, id de pluribus in unam periodum collectis, intelligi debeat; non poteſt ad menſes idem transferri; aut viciſſim argumentatio procedere: quia non perinde menſes aliquot collecti, menſis unus appellatur.

Ieſque quamlibet ſeſe jactet, ac contrà nitatur Alphonſus, ex hac tota Gemini diſputatione; cujus ſumma quædam capita libavimus, ſatis illud extricatum arbitror; civilem Græcorum annum, poſt antiquiora illa tempora, adamuſſim cum Luna conſenſiſſe. Nam de civili anno, non aſtronomico, loquitur, ut ex ipſo contextu ſermonis apparet. Siquidem Græcorum veterum πρόθεσιν, ſive ἐπίνοιαν, cum Ægyptiorum προθέσει comparat, & ambas invicem differre docet, quòd iſti annum ſuum de induſtria liberè vagari ſinerent: illi certis anni tempeſtatibus adſtringerent. Quare cùm de Ægyptiaco anno civili loquatur Geminus; de civili perinde Græcorum anno intelligatur oportet. alioqui vana ſit illa τῆς προθέσεως, inſtitutorúmque contentio.
Alphonſus Caranza Quod ipſum nobis ab Alphonſo concedi neceſſe eſt pro illa Juriſconſultorum regula, quam contra nos attulit. quæ quidem docet; unicam determinationem plura reſpicientem determinabilia, debere pariformiter determinare. Unde & verbum ἄγειν, quo uſus eſt Geminus, eodem ſenſu ad ἥλιον, atque ad σελήνην pertinere contendit. Utatur ergo ea lege, quam ſibi ipſe tulit, & utrobique προθέσεως, annique vocabula, de civilibus explicanda fateatur. cap. III, num. 116.

Quamquam quod ad Græcos attinet, Geminus haud obſcurè civiles iis menſes Lunares attribuit; cùm ita diſputat; Aſtronomicos quidem menſes diebus perfici $29\frac{1}{2}\frac{1}{33}$: civiles autem $29\frac{1}{2}$. οἱ δὲ πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγὴν ὁλοσχερέστερον λαμβανόμενοι, ἡμερῶν κθ' $\frac{\alpha}{\beta}$· ὥστε τὴν διμηνον γίνεσθαι ἡμερῶν νθ'. ὅθεν διὰ ταύτην αἰτίαν οἱ κατὰ πόλιν μῆνες ἐναλλὰξ ἄγονται πλήρεις, καὶ κοῖλοι. *Qui autem civilem ad uſum rudiore Minerva deſcribuntur, dierum ſunt* $29\frac{1}{2}$. *adeo ut bimeſtre ſpatium dies colligat 59. Qua de cauſſa civiles menſes pleni, cavíque alternis aguntur.* Scio quemadmodum hæc Alphonſus à Caranza joculari commento nitatur eludere: útque πόλεως, & πολιτικῆς ἀγωγῆς notiones conturbet. Sed illius minimè callida tergiverſatio paullò poſteà refutabitur.

C A P U T VI.

Excutitur, ac refellitur triplex Gemini interpretatio, quam ad ejus auctoritatem eludendam commentus eſt Alphonſus à Caranza. cujus & alius loci alterius ex eodem auctore explicatio redarguitur. De loco, ubi Geminus commentarium ſcripſit. Theonis locus emendatus. inſcita Alphonſi ſuper Græco vocabulo ſententia.

TAM eſt evidens, & expreſſa Gemini de anno Græco Lunari ſententia, quam in ſuperiori capite propoſuimus, ut vel pertinaciſſimis oppugnatoribus probare ſe poſſit; ſi non majore vexandæ quoquo jure opinionis alienæ, quàm veritatis amore ducerentur. Vereor ne in hunc numerum adſcribendus videatur Alphonſus: qui obfirmato ſemel ad contradicendum animo; cùm nihil haberet, quod adverſus tam perſpicuum auctoris illius teſtimonium opponeret; neque tamen nihil dicere vellet, longa, & perplexa narratione lectorum ſtudia fruſtratus eſt. Plenæ ſunt apud illum paginæ ferè omnes Gemini mentione, ac nomine. quem auctorem vidit ipſe numquam; nec aliunde, quàm ex libris noſtris, illius verba, quæ citavit, exprompſit. Neque enim adeo ſiniſtrè de illo ſentiendum eſt, ut ſi integrum illius libellum legiſſet, tam abhorrentem ab ejus mente Scriptori huic interpretationem poſſet affingere. Quamobrem ut ab hac ſuſpicione purgatum hominem eſſe facilè patior: ita factum illius excuſare non poſſum, quòd ex dimidiatis auctoris ejus, quem non legerat, verbis, præcipitem de tota illius mente ſententiam ferre non ſit veritus. Atque ut iſta ipſa, quæ ex libris noſtris arripuit, Gemini verba præpoſterè ab eodem accepta, imò verò depravata fuiſſe nemo non videat: rem arduam, ac difficilem hoc loco ſuſcipiam; ut ex tanta Alphonſinæ orationis obſcuritate, certam illius opinionem, interpretationémque ſecernam.

Capite tertio, Sectione tertia, num. 118, tripliciter ſe Geminum contrà ac nos fecimus, explicare dicit. Pag. 48. Prima ratio videtur ejuſmodi. Quod ille ſcripſit, Græcos annos ſuos ad Solem, menſes ad Lunam accommodare; hanc habere vim, ut annos ſingulos perpetuò ad Solem direxerint: menſibus verò Solaribus ſimul, ac Lunaribus uſi fuerint. Verba ejus, quæ lepos ipſe dictavit, omitti non debent. *Et quidem id in anno perpetuum fuit. Nam Solarem uſui civili ſemper adcommodarunt, mediis implurimum variis intercalationibus, & ſæpè ſubductionibus: in menſibus verò aliter ſe res habuit. Solaribus quippe ſimul, ac Lunaribus uſi ſunt: idque par eſt credere in cauſſa fuiſſe legis Solonis (Athenienſes afficientis) menſes Lunares deinceps tantùm in uſu civili admittentis.* Quot hîc verba ſunt, tot ſunt errata graviſſima. Principiò Geminus, ut in capite ſuperiori vidimus, annos ad Solem applicari non ſingulos voluit: ſed vertente demum periodo, utputà octaeteride. At Alphonſus annum quemlibet Solarem eſſe ſciſcit. Deinde menſes Geminus uniuſmodi conſtituit; videlicet Lunares; nuſquam verò Solares. Nam ad Lunam dirigi menſes, ac dies oportuiſſe refert. At ille Solares etiam menſes adhibet. Quid autem Græcos attinebat tanto labore ac ſtudio, quantum

Geminus

Geminus narrat, certum orbem annorum ac periodum quærere, in quem duo iſta caderent, ut & anni cum Sole, & menſes cum Luna congruerent; ſi id tam inventu facile erat, quàm Alphonſo videtur? Nam quid proclivius eſt, quàm in anno duplici, altero Solari, altero Lunari; annum ad Solem, menſes ad Lunam accommodari? At hæc ambo ut in eamdem periodum includerent, multùm Græci laborarunt. ac primùm dieteridem, mox tetraeteridem, inde octaeteridem: poſtremò enneadecaeteridem inſtituerunt. nec eas ipſas periodos Lunæ dumtaxat, Lunariúmve menſium cauſsâ perſecuti ſunt; ſed eo maximè, ut annos ſuos cum Sole peræquarent. At id neceſſe non fuit, ſiquidem anni ſinguli paria cum Sole facerent, ut Hiſpano Juriſconſulto placet. Ad ſummam, annos, ac menſes ejuſmodi Geminus intelligit, qui eodem annali orbe comprehenſi mutua χεῖρε colligantur, non autem abjuncti invicem ſunt, penitùſque ſeparati. quales in Alphonſi opinione ſunt. qui civilis anni duplicem formam, ac menſes duûm generum nullo auctore Græcis attribuit. In quo mirifica quædam ejuſdem hominis pugna ſecum, & contrarietas cernitur. Etenim Ægyptios ille docuit cap. II, non ſolùm anno civili uſos eſſe dierum CCCLX, cum appendicibus V: ſed annum prætcrea Lunarem habuiſſe. Quamobrem ſi annos ad Solem, menſes & dies ad Lunam direxiſſe Græcos, nihil aliud eſt, quàm annum habuiſſe duplicem, & in uno, videlicet Solari, annos ad Solem, in altero Lunari, menſes ad Lunam fuiſſe directos, numquid cauſſæ eſt, quin idem & Ægyptiis ex ea ſaltem parte tribuatur, ut menſes ad Lunam, ac dies applicarint? At hoc de Ægyptiis negat Geminus. Ad hæc ſcire velim quid intercalationibus illis variis, ac ſubductionibus Græcis opus fuerit, ut Solarem curſum adipiſcerentur; ſi, ut illius ſententia eſt, popularis Græcis eſſet annus ipſe Solaris.

Num. 119. Secunda Gemini interpretatio, quam Alphonſus commentus eſt; ad annos arcanos, & Hierophanticos, non civiles locum illius accommodat. Agi quippe de feſtis, & ſacris admonet, quorum gratiâ annus ita ex oraculi præcepto temperatus fuerit. *Hoc tamen* (addit num. 119) *moderamine adhibito, ut vel anni, vel menſes ſacris feſtis, & ludis aptarentur; cùm impoſſibile eſſet, feſta annis, & menſibus, diebuſque ſimul iiſdem peragere in diſſitiſſimis Solis, & Lunæ periodis.* Verùm ſi arcanus annus, non civilis hoc loco ſignificatur; perperam facit Alphonſus, qui ex hoc ipſo Gemini teſtimonio paſſim adſtruit, civilem annum Græciæ ad Solem directum fuiſſe; pro eo quòd annos καθ' ἥλιον ἄγειν, reſponſo Apollinis admonitos Græcos eſſe teſtetur. Fruſtrà quoque tricenarios menſes populari uſu receptos ex eodem auctore colligit; uti cap. IV ſuprà docuimus. Poſtremò de civili anno loqui Geminum probant illa, quæ in fine ſuperioris capitis adduximus. Nam quòd eumdem Scriptorem affirmare putat, vel annos, vel menſes feſtis ac ludis aptatos eſſe; quaſi iiſdem annis, ac menſibus, & diebus inſtaurari non potuerint, fugit illum ratio. Quippe Geminus eadem feſta in eoſdem ſimul annos, ac menſes incidiſſe refert. Neque id factu difficile fuit. Nam intercalatione menſium Lunarium, annus, ut idem ſcribit, intra metas continebatur: ſic ut æſtivi perpetuò idem eſſent, hiberníque menſes. Unde quæ feſta, ſacráve ex inſtituto erant æſtiva, vel hiberna; iiſdem tempeſtatibus hærebant. Exempli cauſſâ; Myſteria magna, quæ quotannis autumno, ac Boëdromione celebrabantur, atque à plenilunio circiter inibant; in idem anni tempus, & menſem, ac dies eoſdem annis ſingulis cadebant. dies, inquam, eoſdem non Solaris anni, vel menſis; ſed Lunaris, hoc eſt Boëdromionis. quod ipſum de pleriſque, ac præcipuis Athenienſium ludis, ac feſtis; quæ quidem ſtata erant & publica, Geminus intelligi voluit. Neque enim pauca quædam, vel publica, vel privata moratus eſt, quæ aliter ac pro communi illo more peragebantur.

Alphon. num. 121. Tertia omnium abſurdiſſima interpretandi ratio eſt, de Athenienſibus ſolis, & eorum anno loqui Geminum; non de Græcis omnibus. Quare cùm auctor ille ſcribit: πρόθεσις ἦν τοῖς ἀρχαίοις τοὺς μὲν μῆνας ἄγειν κατὰ σελήνην, τοὺς δὲ ἐνιαυτοὺς καθ' ἥλιον, nomen προθέσεως conſtitutionem, ſeu legem ſignificare dicit à Solone dumtaxat Athenis editam. Hæc verò nova, & inaudita Grammatica eſt. Excutiantur vocabularia omnia. nuſquam ſignificationis tam abſonæ veſtigium occurret ullum. Enimverò πρόθεσις apud Geminum propoſitum eſt, & inſtitutum; non lex; non conſtitutio aliqua. Sic infrà de Ægyptiis loquens. οἱ μὲν γὰρ Αἰγύπτιοι τὴν ἐναντίαν προαίρεσιν, καὶ πρόθεσιν ἐσχήκασι τοῖς Ἕλλησιν. οὔτε γὰρ τοὺς ἐνιαυτοὺς ἄγουσι καθ' ἥλιον, οὔτε τοὺς μῆνας, καὶ τὰς ἡμέρας κατὰ τὴν σελήνην· ἀλλ' ἰδίᾳ τινὶ ἐπιβολῇ κεχρημένοι εἰσί. *Nam Ægyptii contrarium ac Græci propoſitum, & inſtitutum habuerunt. Non enim aut annos ad Solem, aut menſes, ac dies ad Lunam accommodant. Sed peculiarem quamdam, & propriam rationem inierunt.* Hic προαίρεσις, πρόθεσις, & ἐπιβολὴ promiſcuè uſurpantur à Gemino, ſic ut legis, vel edicti notio quadrare nullo modo poſſit. Nam πρόθεσιν illam τῶν ἀρχαίων ad ſolos Athenienſes reſtringere: Ἑλλήνων item vocabulo in illis verbis, quæ proximè deſcripſimus, eoſdem ſolos Athenienſes intelligere; imò verò quod disertè Geminus ipſe ἅπαντας τοὺς Ἕλληνας nominat, ad unicam Athenarum civitatem, ac rempublicam transferre, quid aliud eſt quàm & communibus iiſce litteris, & patientiæ lectoris, atque otio intemperanter illudere? *Atenim lex*, inquit, *nulla tunc eſſe potuit, quæ omnes Græcos ligaret.* Hæc argumentatio ſumit id, quod perabſurdum eſt, πρόθεσιν idem eſſe, quod νόμον. cujus obſervationis pudere jam auctorem ipſum debet.

Tandem verò, poſtquam de Gemino diu fidiculis quæſtionem habuit, nec ab eo, quod volebat, exprimere potuit, miſerum ablegavit ab ſeſe, ac cum teſtimonio ſuo valere juſſit. *Quòd ſi nec latum, inquit, unguem recedere datur à Gemino: tunc Geminum hujus dicterii,* μῆνας κατὰ σελήνην, ἐνιαυτοὺς καθ' ἥλιον ἄγειν, *primum adſertorem inſuper habendum ducimus.* Iſtud verò demum eſt ſapere, tantam ab ſe moleſtiam una, ac breviſſima voce depellere. *Geminum*, ait, *hujus dicterii primum adſertorem inſuper habendum ducimus.* Quod amabo dicterium illud eſt? aut quid hìc facetiis opus Gemino fuit, qui ſeriò, non joco; neque quo irrideret aliquem, menſes ad Lunam agi dixit, annos ad Solem? Nam *dicterium* Latinè, niſi fallor, iſtud eſt, urbanè, ac facetè dictum in quempiam. Reſtat igitur, quoniam Geminum Scriptorem Græcum de anno Græco, hoc eſt patrio, ac populari ſuo, quem præ oculis habebat, falſa prodidiſſe, Alphonſus à Caranza Juriſconſultus Hiſpanus dejerat; utrius major fides, atque auctoritas eſſe debeat, prudens uti lector apud ſe ſtatuat. Num. 122.

Sequitur alterum in eodem interpretando Gemino Juriſconſulti facinus. Cùm enim de Lunaribus menſibus agens ita ſcripſiſſet. ἔστι δὲ ὁ μὲν ἀκριβὴς μηνιαῖος χρόνος, καθάπερ εἴρηται, ἡμερῶν κθ' $\frac{α}{β}$ $\frac{α}{λγ}$· οἱ δὲ πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγὴν ὁλοσχερέστερον λαμβανόμενοι μηνιαῖοι χρόνοι εἰσὶν ἡμερῶν κθ' $\frac{α}{β}$ ὥστε τὸν δίμηνον χρόνον γίνεσθαι ἡμερῶν νθ'. ὅθεν διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οἱ κατὰ πόλιν μῆνες ἐναλλὰξ ἄγονται πλήρεις, καὶ κοῖλοι. *Eſt autem menſtruum Lunæ tempus exactam dierum* $29\frac{1}{2}\frac{1}{33}$, *ut dictum eſt. at quæ civilem in uſum pinguiore Minerva deſcribuntur intervalla menſtrua, diebus conſtans* $29\frac{1}{2}$. *adeò ut bimeſtre ſpatium dies colligat 59. Ideò populares menſes alternis pleni cavique tranſiguntur.* Alphonſus πολιτικὴν ἀγωγὴν civile Athenienſium inſtitutum; & πόλιν Athenas interpretatur. Sic enim iſta reddit, οἱ δὲ πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγήν, &c. *At menſes civiles Athenienſibus lege inditi captu faciliores dierum tantùm ſunt* $29\frac{1}{2}\frac{1}{33}$. Ex quo colligit, ſolos ex omnibus Græcis Athenienſes Lunares menſes ex inſtituto Solonis admiſiſſe. Hujus conjecturæ duo affert argumenta. alterum, quia πόλεως vocabulum, ut ex Meurſio didicit, primitus Athenarum arci inditum fuit. unde ad civitatem poſtea tranſlatum eſt: tum ad cives; ac demum ad Reipubl. moderatores, ac principes. Alterum argumentum: quia Geminus Athenis tum degebat, cùm iſta ſcripſit, *ac par eſt credere*, ait, *de Scriptore idiomate Attico.* Ideò menſes illius civitatis lege Solonis inſtitutos, non alterius cujuſcumque ſignificavit. Verùm an fingi quicquam poteſt alienius, quàm, cùm Geminus, nulla neque Athenarum, neque Solonis mentione facta, de Lunaribus menſibus agens, aſtronomicos à politicis, ſeu civilibus diſtinguit, politicos affirmare idem quod Atticos, vel Soloneos eſſe? Ergo ubicumque πόλεως, & τῆς πολιτικῆς vox occurret, Athenas, & Athenienſem rempublicam intelligemus? Ergo Ariſtotelei illi de politicis libri, ut de Platonicis taceam, unius Athenienſium civitatis inſtituta continebunt? Apage verò portentum iſtud, οἱ πρὸς τὴν πολιτικὴν ἀγωγὴν μῆνες, *menſes civiles*

Alphonſus cap. III, num. 55.

Gem. p. 18.

Pag. 55.

Geminum Athenis ſcripſiſſe ineptè docet Alphonſus.

Argumen. imperitè ab Alphonſo excerpta.

civiles Athenienſibus lege indita. Ubi enim legis iis in verbis, aut Athenarum veſtigium? Geminum porrò Athenis iſta ſcripſiſſe unde conjectura ducitur? Nam quòd Scriptorem idiomate Atticum vocat, divinare illud eſt, & quid Atticiſmus, imò verò quid helleniſmus ſit, funditus neſcire. Obſecro te, Alphonſe, quod tu tandem Atticum idioma in illo Scriptore deprehendiſti? Nos enim nihil præter communem ſermonis Græci proprietatem, quam κοινὴν διάλεκτον appellant, in eodem obſervavimus; facilem illam quidem, & ſatis commodam; ſed profectò non Atticam.

Gem. p. 10. Ego verò alibi, quàm Athenis Geminum tum fuiſſe cùm ſcriberet, teſtem tibi ipſummet Geminum dabo. Hic enim de ſphæræ circulis agens, ac de ſectione Tropici æſtivi, qui pro vario ſitu regionum, inæqualiter ab horizonte dividitur, loci illius, in quo tum degebat, clima ita deſcribit. ἐνταῦθα δὲ τέμνεται οὕτως, ὥστε δὲ ὅλον κύκλον διαιρεθέντα εἰς η' μέρη, πέντε μὲν τμήματα ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεσθαι, τρία δὲ ὑπὸ γῆν. *Hic autem ita ſecatur, ut circulo toto in octo partes diviſo, quinque ex iis ſupra terram abſcindantur; reliqua tres ſub terra condantur.* Quem ad ſitum Aratus quoque, ut idem obſervat, φαινόμενα ſua direxit. quod his verſibus declarat:

> Τοῦ μὲν ὅσον τε μάλιστα δι' ὀκτὼ μετρηθέντος,
> Πέντε μὲν ἔνδια στρέφεται, καθ' ὑπέρτερα γαίης·
> Τὰ τρία δ' ἐν περάτῃ.

> *Hujus in octo circiter portiones diſſecti*
> *Quinque diurna volvuntur ſupra terram;*
> *Tres verò in inferiore.*

Ex eo verò concludit Geminus, maximum diem æſtivum horarum æquinoctialium eſſe XV; noctem verò minimam, IX. At in Rhodo longiſſimus dies horarum eſt XIV$\frac{1}{2}$.

Theo caſtigatus. Eruditiſſimus Theo in Scholiis ad Aratum, verſus illos enarrans, notat ad Helleſponti clima Phænomena ſua Poëtam applicaſſe. πρὸς τὸ κλίμα τοῦ Ἑλλησπόντου, καὶ Λακεδαίμονος δοκεῖ τὴν τῶν φαινομένων πραγματείαν συνθεῖναι. καὶ ἔστι πιθανὸν ἐκεῖσε διατρίβειν, ἔνθα καὶ τοὺς λόγους ἐποίησεν. *Ad Helleſponti, & Lacedæmonis clima videtur phænomena ſua Aratus accommodaſſe. Ac veriſimile eſt ibi illum vixiſſe, ubi & libros ſuos conſcripſit.* Corrigenda vox Λακεδαίμονος. Neque enim Lacedæmon in eodem cum Helleſponto climate fuit, videlicet in V, ſed in IV potius. Lege itaque, καὶ Μακεδονίας. Quippe Macedonia in V climate, qui eſt Helleſponti, poſita eſt. ubi & Aratus vixit, Antigoni Gonatæ Demetrii Poliorcetæ filii amicitia florens, ibidemque mortuus eſt. ut teſtatur ejus vita, tam Achillis Tatii prolegomenis ſubjecta, quàm quæ Theoni præfixa eſt: unde & Suidas hauſit. Quin & Achilles idem Arateæ ſphæræ θέσιν collocat κατὰ τὸ Ἑλλησποντιακὸν, καὶ τῆς Μακεδονίας κλίμα, cap. XXV ad Phænomena. Igitur cùm Tropicus Cancri, ut & alius quilibet Æquinoctiali circulo parallelus, horis XXIV orbem ſuum conficiat, octava quælibet pars tres horas poſtulat. adeóque partes quinque horas quindecim exigunt. Tantus dies eſt, cùm Sol circulum illum deſcribit, in climate quinto. Ita Theo. Jam verò Athenæ ſitæ ſunt in IV climate. Diem quippe longiſſimum habent horarum 14, 35'. Quare non Athenis, ſed in alio climate degebat Geminus. ac Romæ fortaſſe. Nam Cap. V, pag. 22 de diebus ac noctibus diſputans, maximum diem in Rhodo dierum ait eſſe 14$\frac{1}{2}$. περὶ δὲ τὴν Ῥώμην ἡ μεγίστη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ιε'. *Circa Romam longiſſimus dies horarum eſt æquinoctialium* 15. Circa Romam dixit. Nam Romæ paullò plus horarum 15, nimirum 15$\frac{1}{12}$. Etenim ex horis 15 longiſſimæ diei, colligitur ἔξαρμα polare graduum ferè 41. ut Leontius Mechanicus obſervat. Romæ verò polus gradibus ferè 42 attollitur. Sed cùm clima quintum, cujus parallelus medius horis XV præciſè circumſcribitur, διὰ Ῥώμης appelletur; fieri poteſt, ut Geminus Romæ ſcribens, non tam ad urbis ipſius poſitum, quàm climatis, reſpectum habuerit. Utcumque res habet, inanis eſt illa divinatio de Gemino; de quo tam fidenter pronunciare non debuit, antequam librum illius vidiſſet.

Num. 129. pag. 97. At etiam inſultare nobis voluit, quòd quid menſes eſſent κατ' ἀγωγὴν apud Geminum neſciſſe videamur. Ita enim loquitur. *Tertiò, Petavius profeſſione Theologus quid ſibi vellent ea annis, & menſibus Athenienſium, de quibus Geminus loquitur, illa κατ' ἀγωγὴν, & inſuper illa, οἱ κατὰ πλῆν μῆνες, callere non potuit.* Et paullò antea, *menſem Lunarem, ſeu κατ' ἀγωγὴν* nominat. Equidem hujus Atticiſmi rudem me eſſe fateor; neque ſciſſe hactenus, quid ſit menſis κατ' ἀγωγήν. *Menſem* quidem κατὰ τὴν πλατικὴν ἀγωγὴν apud Geminum, vel κατὰ πλατικὴν διαγωγὴν, apud Theonem lego, & intellexiſſe videor. κατ' ἀγωγὴν verò quid ſit, neque ſcio, neque ſcire mortalem ullum arbitror.

CAPUT VII.

Pergitur in anno Lunari Græcorum: cujuſmodi variis ex auctoribus aſſeveratur. ac primùm de anno Attico.

GRÆCOS ſecundùm priſca illa tempora ad annum Lunarem adhæſiſſe, eóque civilia intervalla dimenſos eſſe, præter Geminum, innumeri alii tam Græci, quàm Latini Scriptores haud obſcurè ſignificant. Nos ex tanta copia paucos ſeligemus, qui partim de anno Attico; partim univerſè de Græco locuti, ratum iſtud ipſum vel auctoritate ſua, vel conſenſione fecerunt.

Primus, & antiquiſſimus eſt Ariſtophanes; apud quem in Nubibus Strepſiades ſenex grandi ære alieno facto, menſtruis uſuris perſolvendis dictum diem ab Luna repræſentari queritur. Annum Atticum Lunarem fuiſſe probatur ex Ariſtophane, ejúſque Interprete.

> ——— ——— Ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι
> Ὁρῶν ἄγουσαν τὴν σελήνην εἰκάδας.
> Οἱ γὰρ τόκοι χωροῦσιν.

> ——— ——— *Ego verò pereo*
> *Videns adducentem Lunam viceſimas.*
> *Nam uſuræ procedunt.*

Quem ad locum Scholiaſtes. Ἐπεὶ ἡ σελήνη ἐν ἡμέραις εἰκοσιεννέα τελοῦται. τὸ δὲ κ' τῆς εἰκοσιεννέας ἐγγύς. ἐδίδοντο δὲ ἐν τῷ τέλει τῆς σελήνης οἱ τόκοι. *Quoniam luna diebus novem, & viginti curſum conficit. At viginti vicenis novenis proximi ſunt. Uſuræ porrò luna exeunte penſitabantur.* Quod dicit lunam diebus XXIX curſum abſolvere, id de plenis diebus intelligendum. Quod enim excurrit, horæ ſunt, non dies ſolidus. Vel quoniam alternis, totidem diebus luna defungitur. Nam & τριακάδα eodem loco memoravit, Rurſus idem ſenex cum Socrate deliberans, qua ratione creditores circumſcriberet, tale ſe commentum excogitaſſe dicit; ut venefica muliere empta, Lunam, quæ fœnebres illos dies refert, de cœlo deriperet:

> Γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος Θετταλήν,
> Καθέλοιμι νύκτωρ τὴν σελήνην.

> *Mulierem veneficam ſi redimens Theſſalam;*
> *Deducerem noctu Lunam.*

Cauſſam mox ita ſubjicit, ὅτι

> Εἰ μηκέτ' ἀνατέλλοι σελήνη μηδαμοῦ,
> Οὐκ ἂν γ' ἀποδοίην τοὺς τόκους. Σω. ὁτιὴ τί δή;
> Στρ. Ὁτιὴ κατὰ μῆνα τἀργύριον δανείζεται.

> *Si non ampliùs oriretur luna ullo modo,*
> *Non utique uſuras ſolverem. Socr. Quid ita?*
> *Str. Quoniam in menſem pecunia mutua datur.*

Schol. πληρουμένης γὰρ σελήνης οἱ τόκοι ἐδίδοντο. εἰ γοῦν οὐκ ἀνατέλλοι, πῶς ἂν οἱ δανεισταὶ γνόντες τὸν μῆνα πληρούμενον ἀπαιτήσειαν τοὺς τόκους; *Nam confecta luna uſuræ pendebantur. Si igitur ea non oriretur; quomodo creditores ex eo, quòd vertentem menſem cognoſcerent, uſuras repeterent?* Sic in eadem fabula paullò pòſt idem ſenex φθίνοντος μηνὸς dies enumerat;

> Πέμπτη, τετράς. τρίτη μετὰ ταύτην δευτέρα.
> mox Εὐθὺς μετὰ ταύτην ἔσθ' ἔνη τε, καὶ νέα.

> *Quinta, quarta, tertia poſt hanc: ſecunda:*
> *Statim ab iſta eſt intermeſtris.*

Quem

Quem ad locum fuſè Scholiaſtes de diebus & menſibus Atticis. quorum hæc eſt ſumma; Athenienſes à Neomenia ad viceſimam recto ordine putare dies: à viceſima prima ad triceſimam, ἀναλύοντας, id eſt retrogradis appellationibus. putà decimam, nonam, octavam, &c. numeraſſe, Σόλωνος ἡγησαμένου πρὸς τὰ τῆς σελήνης φῶτα οὕτω μειούμενα: *auctore Solone, ut ſic lunare lumen imitarentur, quod progrediendo minuitur.* Subjicit ἕνην καὶ νέαν ideo vocari, ἐπεὶ μετέχει τοῦ τε παλαιοῦ, καὶ τοῦ νέου φωτός. *quòd tam vetus, quàm novum lumen participet.* Vel, ἐπεὶ ἐν αὐτῇ συντελεῖται ὁ μὴν, καὶ ἀρχὴν ἔχει τοῦ ἑτέρου μηνὸς τῆς σελήνης. *Quòd illa die menſis abſolvitur, & initium datur alteri menſi lunæ.* Item, ἐπειδὴ συμβαίνει ἐν αὐτῇ καταλήγειν τὴν σελήνην, καὶ φύεσθαι. *Quoniam accidit ut in illa deſinat luna, & rurſus oriatur.* Denique Scholiaſtes idem poſteà: ἡ γὰρ τοῦ μηνὸς πρώτη, ἀρχή ἐστι τῶν ἐπιλοίπων, καὶ νέα· ἐκ ταύτης γὰρ τὰ τῆς σελήνης χωρεῖ πρὸς αὔξησιν. *Prima dies menſis initium eſt reliquarum, & nova: quoniam poſt illam luna incrementum capit.*

In his Ariſtophanis, ejúſque Scholiaſtæ teſtimoniis paullò fortaſſe longiores fuimus, quàm neceſſe ſit. Sed id à nobis expreſſit Alphonſi gloriatio: (Alphonſus Cap. III. N. 83.) qui utriuſque nos auctoritate conſtringi, teneríque putat, & ἰὴ παιὰν ante victoriam canit. De quo nos quidem poſtea. Interim, quod amborum verba certiſſimè perſuadent, iſtud efficitur; Athenienſes populares menſes ad lunam applicaſſe: populares dico; qui in uſu communi populi, ac civitatis erant: quibus civiles contractus & publica, privatáque populi acta committebantur, cujuſmodi ſunt ſtipulationes, ſyngraphæ; forenſia denique omnia, quæque judiciariam ad rem pertinent. (Mos Athenienſium in mutuis faciendis.) Qua in re nec illud Ariſtophanei Interpretis omittendum eſt, qui in eâdem Comœdia ſcribit, morem Athenis fuiſſe, ut in illis menſtruorum fœnorum ſtipulationibus creditor in jus veniret, ibique apud Acta debitoris nomen deponeret. quod cùm Judicum actuarius perſcripſiſſet, appellandi deinceps, & cogendi jus fuiſſe. Hæc ſanè non aliis, quàm vulgaribus & popularibus temporum menſuris ac ſpatiis adminiſtrari poterant: non arcanis, opinor, ac tacitis; ſed expreſſis, vulgóque cognitis. Nam & apud Romanos Romanis utique, id eſt civilibus menſium intervallis fœnebris res tranſigebatur. Ut apud Horatium improbus ille fœnerator,

(Epodon II.)

Omnem redegit Eidibus pecuniam:
Quærit Calendis ponere.

Eidibus redactam pecuniam Kalendis ſequentibus occupabant. Ergo Romani fœneratores Romanis, id eſt popularibus civitatis ſuæ menſibus, pecuniam ſuam exercebant. Credo idem & Athenienſes faciebant; & populi ceteri. neque nos hodie iſtiuſmodi in contractibus peregrinos, aut lunares menſes adſcribimus. Sanè cùm Lunares menſes inæquales ſint, & alternis uno die; imo, uti Geminus docet, biduo quandoque, vel triduo longiores Athenis, & in Græcia forent: è contratio verò populares, uti fert opinio tua, tricenarii ſemper, & æquales eſſent; (quæ ratio ad æquabilem uſurarum deſcriptionem, quàm illa, fuit aptior) ne fingi quidem alia cauſſa poteſt, cur Lunares menſes ad fœnus exercendum potiùs, quàm tricenarios delegerint; niſi quòd populares erant illi, & in omnium uſu, ac civili tractatione poſiti: iſti non erant.

(Ex Varrone.) Huic affine, proximumque ſit Varronis teſtimonium. qui Lib. V de Lin. Lat. *novam lunam eſſe diem* ait, *quam diligentiùs Attici* ἕνην, καὶ νέαν *appellarunt ab eo, quòd ea die poteſt videri extrema, & prima luna.* Idem & in Lib. I de re Ruſtica, cap. XXXVII ſcribit, *eo die lunam eſſe extremam, & primam.* Si poſtrema menſium dies extremam, primámque lunam obtinebat, ac propterea ἕνη καὶ νέα dicebatur, quis dubitet lunares Athenis vulgò menſes fuiſſe? Niſi fortè aliod in menſium genus cadere iſtud poteſt, ut extrema die nova pariter ac vetus luna contingat.

(Ex Plutarcho.) Ex quo tertium de Attico anno argumentum oritur ex dierum appellatione petitum. Etenim Plutarchus in vita Solonis refert, illum, animadverſa lunaris menſis inæqualitate, cognitóque, Lunæ curſum neque orienti, neque occidenti reſpondere Soli; ſed eodem plerumque die conſequi, ac prætergredi Solem; hunc ipſum diem ἕνην, καὶ νέαν appellari juſſiſſe, hoc eſt veterem, novámque. Τὸ μὲν πρὸ συνόδου μόριον αὐτῆς τῷ παυομένῳ μηνί, τὸ δὲ λοιπὸν ἤδη τῷ ἀρχομένῳ προσήκειν ἡγούμενος. *ita ut partem illius diei, quæ coitum præcedit, exeunti menſi, partem alteram, ineunti tribuendam putaret.* Addit & ſequentem diem ab eodem νεομηνίαν vocatam. tum ceteros à vigeſimo dies, non augendo, ſed detrahendo, ac retexendo, id eſt ordine retrogrado nominatos eſſe, pro eo ac lunaria lumina paullatim minui videntur. Hæc Plutarchus de Solone. quæ & Ariſtophanes in Νεφέλαις de ἕνῃ καὶ νέᾳ confirmat. Cùm igitur appellationes iſtæ menſium ſic ab Athenienſibus deinceps admiſſæ ſint, ut non vocabulo tenus, ſed reipſa dies ad Lunæ φάσεις ſinguli deſcriberentur; apparet poſt Solonis tempora Lunares menſes ab iiſdem eſſe ſuſceptos; ac, quod de Solone teſtatur Laërtius, ipſum ab Athenienſibus contendiſſe, ut ad Lunam menſes exigerentur, reipſa perfeciſſe. Si quidem menſes ita, ut voluit, ordinatos poſt ſe reliquit. Nam & νεομηνία primus dies menſis vocatus eſt, non καταχρηστικῶς, aut eo modo, quo ab Ægyptiis appellatus eſt; ſed quòd in eum ex inſtituto naſcens luna conveniret. ultima verò dies eodem auctore ἕνης καὶ νέας nomen obtinuit; (quod Ægyptii, ceterique, qui alia, quàm lunari, forma menſium uſi ſunt, numquam uſurparunt:) propterea quòd extrema & prima luna die illo videri poterat, uti Varro, Plutarchus, Scholiaſtes Ariſtophanis, imo Ariſtophanes ipſe declarat. Nam apud hunc Phidippides Strepſiadem patrem de ἕνῃ καὶ νέᾳ, quæ dies diſſolvendis, uti dictum eſt, uſuris præſtituta fuit, anxium, ac ſolicitum, ea ratione confirmat, quòd nulla dies ἕνη καὶ νέα dici poſſit. Nec enim luna eadem vetus ac nova poteſt eſſe, nihilo magis quàm femina.

—— πῶς γάρ; εἰ μή περ γ' ἅμα
Αὐτὴ γένοιτο γραῦς τε, καὶ νέα γυνή;

—— *Quî enim poteſt; niſi verò ſimul*
Eadem eſſe poteſt anus, & juvenis femina?

Quamobrem qui & νεομηνίαν diem illum, qui lunam novam habet, & ἕνην καὶ νέαν illum, qui deſinentem ſimul, & ineuntem exhibet, perpetuò deinceps vocabant. qui reliquos menſium dies ἀναλόγως τοῖς φωτισμοῖς lunaribus obſervabant. quique propterea non directo ordine, ſed retrogrado, ad imitandas lunaris luminis imminutiones, poſtremos dies putabant: qui id vulgò, ac populariter faciebant; quid aliud quàm dies, ac menſes populares ad lunam inſtituebant? Quod enim non vocabulo tenus Athenienſes lunarium appellationes dierum in alio quopiam menſium genere ſervaverint: quemadmodum Romanos docuimus Idus, & alias menſium partes ex lunari forma deſumptas, eâdem abrogatâ retinuiſſe: præter auctores illos, quos attulimus; Geminus de Græcis id univerſè demonſtrat. (Ex Gemino.) Nam cum Oraculi monitu dies & menſes ad Lunam conformare vellent; ſic illos id aſſecutos ait, ut ἀκολούθως τοῖς τῆς σελήνης φωτισμοῖς, *conſentaneè lunaribus illuminationibus* dierum omnium vocabula procederent. ἐν ᾗ μὲν γὰρ ἡμέρᾳ νέα ἡ σελήνη φαίνεται, κατὰ συναλοιφὴν νεομηνίαν προσηγόρευσαν· ἐν ᾗ δὲ ἡμέρᾳ τὴν δευτέραν φάσιν ποιεῖται, δευτέραν προσηγόρευσαν. τὴν δὲ περὶ μέσον τοῦ μηνὸς γινομένην φάσιν τῆς σελήνης ἀπὸ αὐτοῦ τοῦ συμβαίνοντος διχομηνίαν ἐκάλεσαν· καὶ καθόλου δὲ πάσας τὰς ἡμέρας ἀπὸ τῶν τῆς σελήνης φωτισμῶν προσωνόμασαν. (Geminus Cap. VI.) *Nam quo die nova luna conſpicitur, hic per ſynalœphen numenia vocatus eſt. quo verò die ſecundam viſionem facit; ſecundum diem appellarunt. Sic illam lunæ viſionem, quæ in dimidiatum menſem incidit, ab eventu* διχομηνίαν *nominarunt. Et, ut uno verbo complectar, diebus omnibus à lunaribus illuminationibus nomen indiderunt.* Subjicit argumentum, quo dies ritè ad lunam gubernari conſtet: cùm Lunares defectiones in διχομηνίαν, Solares in ultimam diem menſis incurrunt. Quiſquis igitur ad hunc modum menſis cujuſlibet dies κατὰ σελήνην agere inſtituit, meris utatur lunaribus menſibus oportet: ac tantum de exacta illa dierum ſecundùm lunam obſervatione detrahat, quantum de lunarium menſium ἀκριβείᾳ remiſerit. Quod quidem Athenienſibus Metonis, & Ariſtophanis tempore accidit. Tum enim Lunaribus & popularibus menſibus vitium erat obortum; ſic ut accuratis ab noviluniis menſium Neomeniæ recederent. Qua de re apud Ariſtophanem in Nubibus Luna ipſa cum Athenienſibus expoſtulans, queritur illos

——— οὐκ ἄγειν τὰς ἡμέρας
Οὐδὲν ὀρθῶς, ἀλλ' ἄνω τε, καὶ κάτω κυδοιδοπᾶν.

——— *non agere dies*
Omninò rectè: ſed ſuſque déque omnia permiſcere.

hoc eſt *τὸ παρατηρεῖν ὑμᾶς ἀκριβῶς τὰς κατὰ σελήνην ἡμέρας. Non obſervare vos exactè dies ad Lunam*, ait Interpres. Qui locus apertè vincit, ex mente, inſtitutóque civitatis, dies ac menſes ad lunam exactè comparari potuiſſe: ſed ex popularis periodi vitio aliud agentibus, & invitis labem obrepſiſſe. Alioqui nihil erat quod ad φάσεις ſuas non occurrere popularia tempora luna quereretur. quodque Deorum inediam exprobraret, qui conturbatis ſacrorum, ac feſtorum diebus, ſtata ſacrificia fruſtrà ſæpiùs expectantes, incœnatique cubitum diſcederent,

Τῆς ἑορτῆς μὴ τυχόντες, κατὰ λόγον τῶν ἡμερῶν;

Feſto & ſacrificio non potiti, ſecundùm dierum calculum.

hæc, inquam, juſtè luna non objiceret; neque legitimorum ſibi temporum ſacrificia intercepta dolerent patellarii iſti, ac ligurritores Dii, ſi non more inſtitutóque majorum certis iſta Lunæ diebus illigarentur. Quemadmodum verò identidem labes illa contracta ſit; tum quod ei remedium adhibitum fuerit, copiosè Geminus exponit.

Alphon. N. 125. Ex iis verò fruſtra eumdem eſſe liquet: qui argumenti illius, quod ex dierum in menſibus appellatione ſumitur, vim ac robur elevat, eo quòd menſium, ut & rerum ceterarum, uſus à denominatione valdè diſcrepet. Nam etſi ſæpenumerò fit, ut à prima origine, & inſtituto paullatim mutatæ res appellationibus ſuis minùs reſpondeant: tamen quo primum tempore indita ſunt nomina; præſertim ſi ad id, quod ſignificant, in rebus ipſis declarandum adhibita fuerint; non poteſt vocabulis ipſis non eſſe appellatarum rerum proprietas, ac natura conſentanea. Atque hoc in dierum, ex quibus menſes conſtant, nominibus accidit. quæ ut Lunæ φάσεις, ac viciſſitudines exprimerent, conſultò ab Athenienſibus, ac veteribus Græcis delecta ſunt: ut Geminus, Plutarchus, aliíque vulgò teſtantur. Geminus inſuper ad ætatem uſque ſuam eamdem nominum cum rebus ipſis conſenſionem, ac concordiam perſeveraſſe dicit. (Cap. VI initio, & deinceps.)

Sed illud imperitè admodum Caranza: qui Græcos νουμηνίας ſuas pro libito diſpoſuiſſe, ex Athenæo mirè comprobari aſſerit. qui Lib. VIII refert Abderitas pene ſingulos præconem ſuum habuiſſe, qui, cùm ipſis libitum eſſet, Neomenias denunciaret. Ad quem locum Caſaubonus, *Hac fuit*, inquit, *olim anni confuſio, & perturbatio, in his præſertim civitatibus, ubi minùs litteræ florebant.* Atqui ut integer ſit Athenæi locus, certè non de Græcis omnibus; imò ne de Græcis quidem locutus eſt; ſed de Thraciæ civitate. Sed non eſt integer. Vox enim νουμηνίας (Ita pro νουμηνίαν legendum eſt) alieno loco poſita ſuo ordini reſtituenda eſt: Scribo itaque. Στρατόνικος εἰς Ἄβδηρ' ἀποδημήσας ποτὲ, ἐπὶ τὸν ἀγῶνα τὸν τεθέμενον αὐτόθι, νουμηνίας ὁρῶν ἕκαστον τῶν πολιτῶν κατ' ἰδίαν κεκτημένον κήρυκα, κηρύττοντά τε ἑκάστῳ ὅτι θέλοι σχεδὸν τε τοὺς κήρυκας ἐν τῇ χώρᾳ ὄντας πολὺ πλείους κατὰ λόγον τῶν δημοτῶν, &c. *Cùm Abdera Stratonicus aliquando veniſſet ad certamen, quod ibi Neomenia celebrabatur: videns unumquemque civium privatim ſuum habere præconem; ac quoties ei libitum eſſet, per eum publicè pronunciantem: ſic ut præcones proportione plures eſſent, quàm oppidani.* At vulgata lectio νουμηνίαν habet poſt illa, κηρύττοντά τε ἑκάστῳ αὐτῶν ὅτι θέλοι. Unde abſurda ſententia conficitur; quemlibet pro arbitrio ſuo Neomeniam indixiſſe. Non eſt ita. Verùm ad victores publicè pronunciandos ſine more, modóque præcones iſtos adhibebant in iis certaminibus, quæ Neomeniis committi ſolebant in pleriſque civitatibus.

Eſt verò, quod ad Ariſtophanem ſpectat, feſtiva Hiſpani Juriſconſulti animadverſio cap. XII de Partu humano, Sect. IV, Num. 27. Ait enim ab Ariſtophane in Nubibus facetè decideri novam hanc Solonis ſanctionem de anno lunari. Nimirum novam hanc ſanctionem appellat, quæ ante CLXX annos perlata fuerat.

Quartum lunarium menſium argumentum ex ipſis Athenienſium menſibus ducitur; quorum ita mentio veteres apud Scriptores fit, ut in eorum XV, vel XVI civilem diem plenilunium conſtanter incidat: quod evenire aliter non poteſt, quàm ſi & menſes iſti lunares, & totus anni contextus ad Lunam de induſtria ſit exactus. Sit enim exempli cauſſâ Boëdromion. Hujus ergo XV, vel XVI die quotannis plenilunium commiſſum eſt. Etenim Myſteria majora, quæ nos annua fuiſſe alibi demonſtravimus, cùm hactenus quinquennali intervallo circumſcribi ſolerent: hæc igitur Eleuſinia & à plenilunio ſemper inchoabantur, & à Boedromionis XVI die, uti poſtea docebitur. Proinde Boedromion Lunaris menſis fuit. Quod à Plenilunio myſteria cœpta ſint, aſſentitur Alphonſus; quoniam id eum Meurſius in Eleuſiniis docuit. Oſtendit verò Plutarchus imprimis, qui paullò ante victoriam ad Arbella, qua Darium vicit Alexander, Lunam defeciſſe refert, περὶ τὴν τῶν Μυστηρίων Ἀθήνησιν ἀρχὴν, *ſub illud tempus, quo Myſteria Athenis inibant.* Contigit hoc anno ſecundo Olymp. CXII, Periodi Jul. 4383, eâ nocte, quæ inter XX & XXI Septembris interceſſit. Undecimo pòſt die, nempe πέμπτῃ φθίνοντος, ſive XXVI Boëdromionis, victus eſt Darius. Quare menſis iſte ad Lunam exactè congruebat: & dies ejus κατὰ σελήνην ἤγετο, cùm & lunæ defectio in διχομηνίαν congrueret, & πέμπτῃ φθίνοντος, quinta itidem ante ἔνης, καὶ νέας fuerit. (IV. Argum. Ex menſibus Atticis.)

Rurſus Boëdromion idem lunaris fuit anno, quo Chabrias ad Naxum Perſas navali prælio ſuperavit. ut in vita Camilli teſtis eſt idem Plutarchus, & Polyænus Lib. III. Quorum ille Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν πανσέληνον viciſſe Chabriam; iſte Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα refert, in una die Myſteriorum. quæ nos amborum teſtimonia in Notis ad Themiſtium olim expendimus. Contigit autem hæc victoria anno IV Olympiadis centeſimæ.

Ad hæc Ptolemæus Lib. VII, cap. III quatuor Timocharidis obſervationes refert, quæ Atticis menſibus in Calippica periodo notantur. Prima contigit anno XXXVI primæ Periodi Calippicæ, quando Poſideonis XXV, die Paophi XVI, ſequente XVII, anno Nabonaſſari CCCCLIV, circa horam à media nocte tertiam, & eo ampliùs, Luna deprehenſa eſt juxta Scorpii ſtellam. Tempus congruit anno Per. Jul. 4419 nocte illa, quæ Decembris XXI anteceſſit. Novilunium Poſideonis Calippici ex Tabula, quam Lib. II de Doctr. Temp. Cap. XX produximus, contigit Novembris XXVI, feria 2, hora 3, 24′ à media nocte. Igitur XXV dies incidit in Decembris XX. Secunda τήρησις notatur Elapheboliónos XV, congruitque in eam noctem, quæ inter Martii IX, ac X diem media fuit. Novilunium porrò Calippicum Elapheboliónos commiſſum eſt Februarii XXII, feria 6, hora 17, 37′ hoc eſt Februarii XXIII. Proinde XV dies cadit in Martii IX. Tertia cadit in Antheſterionos VIII, & Januarii XXIX. Novilunium Calippicum accidit Januarii XXII. Ideo Antheſterionos VIII in Januarii XXIX ritè convenit. Quarta Πυανεψιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος, id eſt XXVI die contigit, nocte, quæ inter Novembris VIII, & IX diem interjecta fuit. Novilunium Pyanepſionos incurrit in Octobris XV. Quocirca Novembris IX Pyanepſionis XXVI convenit. Hæc nos exempla ſubtiliùs Lib. II de Doctr. Temp. expendimus. Quamobrem cùm menſes illi Attici in Calippica periodo Lunæ exactè reſponderint: & Boëdromion quotannis lunaris fuerit; uti Myſteria ſtatis Lunæ celebrata diebus oſtendunt: apparet menſes Athenienſium ad Lunam deſcriptos fuiſſe. Ac tametſi non ignorem eoſdem illos menſes uſu populari paullò aliter, quàm in Calippi parapegmate, diſpenſatos fuiſſe; uti Lib. II Cap. XX ſcripſimus; nihilominus haud magnum diſcrimen interceſſiſſe videtur; neque aliud, quàm quòd Calippicus abacus horas, & earum fragmenta perſequebatur: civilis autem ratio dies dumtaxat integros adhibebat. uti Geminus affirmat. quæ res minimè obſtat, quo minùs populares illi menſes Lunares cenſeri debeant. (Ptolemæi obſervationes, ex quibus annus Lunaris adſtruitur.)

Ac Geminus quidem, cùm de progreſſu civilis anni Græcanici, & caſtigatione diſputat, primùm omnium diëteridas, vel triëteridas ad Lunam ordinatas eſſe refert: ſed errorem fuiſſe manifeſtum, cùm tricenarii menſes imputarentur. quo vitio ſublato, octaëteridas ſucceſſiſſe, quæ propiùs ad Lunam accederent. Eas verò

verò deinde, quòd non penitus cum Lunâ civilem conciliarent annum, per enneadecaeteridem, & heccaehebdomecontaeteridem emendatas fuiſſe. Ex quo perſpicue colligitur popularem annum ab Aſtronomico non magno intervallo receſſiſſe. quoniam quidem ad illius caſtigationem iſte eſt aſſumptus. quemadmodum ætate noſtra Gregorianus lunaris annus non tantoperè ab Aſtronomico, & exacto lunari diſcrepat, ut propterea lunaris dici non mereatur.

Penè illud prætereram; quod & ad rem pertinet, & omitti profectò non debet; inter alia cœleſtium παρατηρήσεων exempla, Ptolemæum Lib. IV, cap. ultimo, eclipſes Lunæ commemorare tres, in quibus Atticorum menſium vocabula nominantur. (P. 109. Græ. ed.) Harum prima Phanoſtrato Archonte contigit, Poſideone menſe, anno Per. Jul. 4331, Decembris XXIII ineunte. Secunda Scirophorione menſe, & anno Per. Jul. 4332, Junii XVIII. Tertia eodem anno, Poſideone priore. de quibus accuratè Lib. II de Doct. temp. Cap. XI diſſeruimus. Atque eclipſes illæ quidem ante Calippicam Periodum annis circiter LII obſervatæ ſunt: in iiſque menſes eſſe Lunares arguit Ποσιδεῶνος πρότερος vocabulum. Eſt enim lunaris formæ ſolius propria ſolidi menſis intercalatio. Tum Archontis additum nomen civilem eſſe temporis notam admonet. Neque verò Poſideonis, aut Scirophorionis ἡ ποσαία deſignata eſt, ut in ſuperioribus obſervationibus; quòd lunaria deliquia certam, & conſtitutam habent in ſui generis menſibus ſedem, videlicet in διχομηνίᾳ: ut propterea ſupervacaneum ſit quotam diem menſis exprimere.

V Argumentum ex Cicerone. Quintum de lunaribus Athenienſium menſibus à Cicerone teſtimonium dicitur. Qui Lib. II de Finibus refert Epicurum caviſſe, ut heredes ſui darent *quod ſatis eſſet ad diem agendum natalem ſuum quotannis menſe Gamelione: itémque omnibus menſibus viceſimo die Lunæ darent ad eorum epulas, qui unà ſecum philoſophati ſint.* Græca ipſa teſtamenti verba apud Diogenem Laërtium exſtant in Epicuri vita. Ibi jubet quotannis Gamelione, in natalem ſuum, ac parentum ſuorum ſumptus fieri. tum ob aliorum natales Poſideone celebrari feſtum diem, & Metagitnione. Inter alia verò præſtari ab heredibus εἰς τὴν γινομένην σύνοδον ἑκάστου μηνὸς τῇ εἰκάδι, *ad ſolennem conventum, qui viceſima quaque die menſis fieri ſolet.* Cùm ergo εἰκάδες menſium omnium Atticorum, interprete Cicerone, viceſimi ſint Lunæ dies, conſequens eſt lunares omnes menſes exſtitiſſe: & quidem civiles. Non enim aliis, quàm popularibus menſibus, natales hominum dies adſcribuntur; ut & teſtamenta.

VI ex Plinio. Sextum argumentum è Plinio petetur, qui Epicuri εἰκάδας illas itidem ut Cicero ad lunares dies refert Lib. XXXV, Cap. II. *Natali*, inquit, *ejus viceſima Luna ſacrificant, feriaſque omni menſe cuſtodiunt, quas icadas vocant.* Viceſimam ecce Lunam cujuſlibet menſis εἰκάδας vocat. Quem diem natalem Epicuri nominat. Sed de natali die, Plinio Diogenes ex Apollodoro refragatur. Hic enim ſeptimo Gamelionis in lucem editum ſcripſit Epicurum. Sed & in teſtamento ſuo Epicurus ipſe haud ſatis exprimit, quem in diem natalis ſuus incidat. Nam parentibus ſuis, & fratribus ἐναγίσματα, id eſt parentationes fieri decernit, καὶ ἡμῶν εἰς τὴν εἰθισμένην ἀγωγὴν τῆς γενεθλίου ἡμέρας ἑκάστου ἔτους τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ Γαμηλιῶνος. Quæ ſubobſcura ſunt. Ac videtur natalem ſuum conferre in X Gamelionis. Ut hæc dubia ſunt; ſic illud certiſſimum eſt, εἰκάδας, quas Epicurei menſtruis ſodalitiis frequentabant; eſſe viceſimos Lunæ dies; adeóque menſes Atticos ad Lunam fuiſſe deſcriptos.

VII ex Diodoro Pag. 331. Septimò idem quoque ex Diodoro conficitur. Narrat is Lib. XIII, civem quemdam Athenienſem apud Senatum, contra Alcibiadem pro teſtimonio dixiſſe, νουμηνίᾳ ſe circa mediam noctem Alcibiadem vidiſſe cum aliis in ædes inquilini cujuſdam ingredi. Interrogante Senatu, qui tandem de nocte facies illorum dignoſcere potuiſſet, reſpondit ad Lunam ſe eos agnoviſſe. Quo reſponſo mentitum ſe eſſe monſtravit: ὄντως μὲν ὑπ' αὐτοῦ ἐξελέγξας, καταψευσάμενος ἐλέγχθη. *Sic igitur cùm ſe ipſe redarguiſſet, mendacii convictus eſt.* Ex eo ſolo, quòd Neomenia ſe dixiſſet ad Lunam agnoviſſe quemquam, ſuo ſe reſponſo mentitum oſtendit. Ergo Neomenia lucere Lunam ejuſmodi tum erat, ut incredibile videretur. Quare lunares erant Neomeniæ. alioqui vel ipſa plenilunia quandoque in illas caderent. ſi tricenarii menſes omnes, annus ipſe ab lunari diverſus exſtitiſſet.

VIII argumentum ex Solonis conſtitutione. Octavò, ad anni lunaris Attici fidem non leve momentum habet quod de Solonis inſtituto Plutarchus, aliíque referunt; cum Lunæ motus, ac menſium inæqualitate animadverſa, cùm menſes ipſos, tum dierum in iis appellationes ordinaſſe. ut, quoniam eodem ſæpè die vetus ac nova Luna cernebatur; ipſe ἔνη καὶ νέα poſtea vocaretur, poſtremus videlicet menſis dies. item uti primus νουμηνία diceretur, quòd in eum nova Luna caderet. tum ut à viceſimo die ad ultimum, dies non per additionem, ſed per detractionem, ac retrogrado numerorum ordine putarentur, nonus, octavus, ſeptimus, ſextus, &c. φθίνοντος. Atqui idem iſte ordo dierum, & appellatio poſt Solonem deinceps in uſu populari fuit Athenienſium; ut ex Ariſtophane paullò antè demonſtravimus. Igitur lunaris itidem annus à Solone caſtigatus ad civilia tempora gubernanda ſumptus eſt. Ridicula quippe res eſt, putare ex illa Solonis inſtitutione nihil Athenienſes uſurpaſſe præter nuda, ſine rebus, dierum vocabula; quæ falsò, & contra legiſlatoris mentem, æquabilibus, & tricenariis menſibus applicarent. in quibus neque poſtrema dies eſt ἔνη καὶ νέα, id eſt *vetus, ac nova luna*: neque prima dies, νουμηνία: neque poſt εἰκάδα retexuntur lunares φάσεις. quibus rebus ſignificandis novæ illæ nomenclaturæ ſunt ab Solone conſtitutæ.

Nonò auctor argumenti Orationis Demoſthenis κατ' Ἀνδροτίωνος idem affirmat his verbis. Ἰστέον ὅτι οὐκ ἐψήφιζον οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς μῆνας κατὰ τὸν ἡλιακὸν δρόμον, ὡς ἡμεῖς· ἀλλὰ κατὰ τὸν σεληνιακόν. *Sciendum eſt Athenienſes non ad Solis curſum, ut nos facimus, putaſſe menſes; ſed ad Lunam.* Subjicit anni diſpoſitum; & quemadmodum Magiſtratus, pro anni lunaris modo, juriſdictionis ſuæ tempora diſpenſarint. quæ, quia ſunt longiora, malo apud ipſum auctorem legi, quàm hîc deſcribere. IX argumentum.

Poſtremus à nobis teſtis Gaza citabitur: qui in libro de menſibus, populares Athenienſium menſes, annoſque lunares facit. ut in cap. VIII, περὶ ἑρμηνείας μηνῶν, quæſtionem ita proponit: Ἀπορήσειε δ' ἄν τις εἴ γε τοὺς χρόνους Ἀθηναῖοι ἦγον κατὰ τὴν σελήνης φοράν· Ῥωμαῖοι δὲ κατὰ τὴν ἡλίου λογίζονται· πῶς ἂν οἱ τῶν Ἀθηναίων ἐφαρμόζοιντο τοῖς τῶν Ῥωμαίων μησί. *Verùm dubitare poſſet aliquis, ſi quidem Athenienſes tempora ſua metiebantur ad Lunam, Romani autem ad Solem computant, quanam ratione menſes Attici Romanis congruere poſſint.* Ac ſubinde, cùm de Atticis menſibus diſſerens, docet quomodo cum Romanis, aut ſolaribus quadrent; atque ex Theophraſto, ceteriſque illorum nomina; & exempla profert, manifeſtè lunares eos eſſe declarat: quos ait emboliſmorum beneficio ſtatis anni tempeſtatibus, & cardinibus reſpondiſſe. Sic in capite IX περὶ ἐνιαυτοῦ ſcribit Atticos menſes, etſi ſæpiùs à fixis, & Julianis diſcrepent; nonnumquam tamen congruere: quemadmodum eo anno, quo iſta commentabatur, Neomenia tam Aprilis menſis Romani, quàm lunaris in eumdem diem incidit. Item Cap. X περὶ χρήσεως μηνῶν· ἐπεὶ δὲ ἄρα μὲν (ait) χρῆσθαι μησὶ καὶ κατὰ τὴν ἡλίου φοράν, ὡς Ῥωμαῖοι ἄγουσιν, ἔστι δὲ καὶ κατὰ τὴν σελήνην, ὡς Ἀθηναῖοι ἦγον. *Quoniam verò menſibus uti licet partim ſecundùm Solis curſum; ut Romani faciunt; partim ſecundùm Lunam, ut Athenienſes inſtituebant.* Hic perinde annum Athenienſium ad Lunam pertinuiſſe teſtatur; uti Romanus ad Solem deſcriptus eſt. Utrobique ergo civilem intelligit. (X ex Gaza. Pag. 159.; Pag. 162.)

Neminem adeò pervicacem arbitror fore, quin, ſi uſum aliquem litterarum, & communis judicii nonnihil afferat, tot præſtantiſſimorum Scriptorum teſtimoniis convictus veritati det manus, & civiles Athenienſium menſes, annóſque lunares fuiſſe fateatur. Quod ipſum de cetera Græcia pòſt paullò demonſtrabimus. Volo enim, antequam ab Athenienſibus diſcedo, quorum ab reliquis, ſi Alphonſo Hiſpano credimus, cauſſa ſecernitur, quid de iis iſte ſentiat, ſubinde perſequi. ut ab eorum tractatione recens adhuc lector ad ea, quæ utrimque diſputantur, capienda præparatus accedat. Verùm ego non priùs in certamen cum illo veniam, quàm eumdem cum ſe ipſo pugnantem, ac ſua ſe cruentantem manu ſpectandum præbuero.

CAPUT VIII.

Alphonſi à Caramua miru ſecum pugna, & contrarietas.

UTi veritatis in re quaque definienda propria nota eſt, priorum poſteriorúmque dictorum conſtans ſine ulla varietate concordia: ſic falſitatis perpetua comes eſt mira quædam inter ſe verborum, ſententiarúmque conflictio. Ea cùm Alphonſinæ totius Diatribæ velut forma ſit, ac per ſingula quæſtionis capita fuſus, & continens character; tum in ea parte, qua de anno Attico diſſerit, majorem exiſtit in modum, ac penè ſingulis ex ſententiis effloreſcit. Quod ne cupidiùs, aut ambitioſiùs jeciſſe videar, quàm reipſa perfici, demonſtraríque poſſit, age contraria hominis decreta, nec ea quidem longè invicem diſſita, ſed iiſdem plerumque comprehenſa paginis, adducantur in medium; ut ex hoc argumento de lucubrationis illius genere, prudentis lectoris exiſtimatio eſſe poſſit.

Sunt hæc igitur, opinor, inter ſe contraria duo: Alterum, *Lunares menſes alternis plenos, ac cavos decreto Solonis Athenis receptos fuiſſe:* alterum *nullo modo fuiſſe: nec ipſum Solonem pleni ut alternis, cavique menſes eſſent, ulla lege ſtatuiſſe.* At hæc ipſa duo iiſdem penè verbis Alphonſus noſter docuit. Cap. imptimis Diatribæ tertio N. 3. annum æquabilem dierum 360 Græcis omnibus in oſu fuiſſe dicit *uſque ad tempora Solonis, qui Athenienſibus menſes lunares 29 dierum, & dimidii indidit.* Deinde N. 17, ita ratiocinatur: Cùm Plutarchus, ac Diogenes Laertius teſtentur, primum omnium Solonem Athenienſibus uſum lunarium menſium præſcripliſſe; ex eo ſequi, tricenarios menſes, quos ante hoc tempus probaſſe Thales dicitur, nequaquam eſſe Lunares. quod nos putabamus. Sed Alphonſum ipſum qua ſolet elegantia loquentem audiamus. *Maximè conſiderantibus, Solonem omnium primum Athenienſibus menſium Lunarium uſum monuiſſe, ut diſertè enarrarunt biographi Plutarchus, ac Diogenes. Triceni ergo menſes, quos antea probaverat Thales Mileſius in eodem Diogene per nos relatus, Lunares non erant.* Mox verò: *Cùm à Solonis lego Athenienſibus tantùm rogata cetera Græciæ regiones, quæ diverſis legibus continebantur, & Athenienſium res magno potiùs proſequebantur odio: menſes civiles tricenos adhuc retinuerint.* Hic ille manifeſtò lunares illos menſes & Solonis edicto ab Athenienſibus ait admiſſos; & à tricenariis, atque æquabilibus diverſos facit. Itaque quod *monuit Athenienſibus Solon;* (verba ſunt Alphonſi fœdiſſimæ ſtribiliginis inuſta nota) hoc ſoli quidem amplexi ſunt, ſed amplexi tamen. Rurſus Num. 55. *poſt legem Solonis duplex*, inquit, *fuit menſis: primus civilis, id eſt,* πρὸς τ̀ πολιτικὴν ἀγωγὴν, *juxta politicum ductum, ſeu inſtitutum; & is quidem lunaris fuit: alius popularis, ſeu communis, & is Solaris tricenarius æqualis.* Tum paucis ioterjectis, quod Geminus ſcripſit, plenos alternis, cavóſque menſes κατὰ πόλιν ἄγεϑς, *agi in urbe*, ad præcedentes illos Lunares, & Solonios referri jubet. Idem ſentit & N. 118, & ſequentibus aliis, in illa triplici Gemini περιγραφῇ, quam nos Cap. VI confutavimus. Et, N. 77 Lunarem menſem aſſerit, qui Athenienſibus, & eorum fortean coloniis io uſu fuit, ex XXIX diebus, & dimidio compoſitum fuiſſe, qui bimeſtri intervallo 59 dies integros producebant. Qood & N. 97 repetit. Ac N. 125 ejuſdem verba ſunt: *Cùm autem Solon omnium primus, imò ſolus, legem de menſibus lunaribus 29 dierum, & dimidii Athenienſibus rogaveris.* (notet obiter lector Alphonſinam Latinitatem) *planè conſequimur Geminum de iſtis tantùm intelligendum.* Item N. 133, Demoſthenis ætate ſcribit *Athenienſes ex lege Solonis menſes egiſſe lunares: ceteris verò Græcis alios menſes, (hi erant tricenarii communes) in uſu fuiſſe.* Quinetiam N. 46, *Solonem* ait *agnoviſſe tricenarios menſes, non utique ut eos obſervaret, quin potiùs ut immutaret, & illorum vice Athenis Lunares induceret: id quod verè, ſaltem quoad civilia conſecutus fuit.* Ad hæc N. 47, *At Solaris*, ait, *annus menſéſque triceni omnibus in rebus quibuſque Græcis (Athenienſibus exceptis) ante commendationem Julianam in uſu fuere.* Hæc eſt pars ἀντιφάσεως prior; Solonem Athenienſibus auctorem fuiſſe lunarium admittendorum menſium; qui & alternis pleni eſſent, ac cavi; & à tricenariis atque æquabilibus differrent.

Jam verò Capite eodem tertio, N. 19, oegat apertè Solonem menſes lunares plenos cavóſque alternos inſtituiſſe. Ita quippe nobis inſultando ſcribit. *Nec diſſimulandus eſt obiter magnus Petavii lapſus his ſolutionibus interſertus, dum affirmat, Solonem menſes lunares plenos, cavóſque alternos inſtituiſſe. Hæc quippe ad Aſtronomos ſpectantia βιαιως ad menſes Solonis traducit; qui certè uniformes fuêre ab ejus inſtitutione: & inde ultimus cujuſvis menſis dies* ἔνη, ϗ νέα *dictus.* Non minùs diſertè N. 53, Pag. 19.
eumdem Petavium inſectans: *Secundò*, ait, *aberrat valdè Petavius, dum Solonem Athenienſibus menſis cavi, & pleni auctorem facit ad civilia. Hæc enim ad Aſtronomiæ ſcientiam tantùm accommodanda, malè traducit ad legem Solonis: In qua menſes iidem ſemper, & æquales; & inde dies triceſima* ἔνη, ϗ νέα, *& ultima, & prima dicta, ut jam ſuprà adnotavimus in num.* 19.

Redeamus ſanè ad eum ipſum numerum 19, in quem digitum oobis intendit. Scriptum eſt in ejus fioe: *Etenim Atticus Lunaris menſis Solonis numquam fuit plenus, & triginta diebus exactis conſtans.* Quid iſtuc obſecro eſt? Paullò antè numero eodem ſcripſerat Solonis meoſes nequaquam plenos alternis cavóſque, ſed uniformes fuiſſe. idque ex eo probarat, quod ſua cuique menſi τελικὰς, ſive ἔνη, καὶ νέα tribuatur. Nunc tricenos inficiatur.

Accedit ad infelicitatis cumulum & hoc quoque, ut cùm par omne contrariarum enunciationum partem habeat alteram veram; ne id ſibi quidem integrum reliquerit Alphonſus, ut quam mallet, alterutra modò damnata, poſſet eligere. Etenim ſic utrobique tumultuatur ipſe ſecum, ac tam inextricabiles ſeſe io laqueos induit, ut quocumque ſe vertat, irretitus, atque implicatus hæreat. Ridicula Alphonſi pugna ſecum.

Age nunc, faciamus ejus, quam volet, partis ex illa complexione copiam. ac primùm tricenarios, & æquabiles à Solone conſtitutos eſſe menſes affirmet omoes; imparem autem vel alternis cavum omninò nullum. Numero id quidem docuit XVIII, atque XIX, ut paullò antè diximus. At ibidem quod de Solone proditum eſt, perſuaſiſſe illum Athenienſibus, menſes ut ad Lunam agerent, ſic explicat, itáque perfectum ait; uti æquali dierum ſingulis attributo numero, menſes cum Luna, quoad fieri poterat, exæquarentur; *ſtrictiori quâ potuit, & adaptiore* (ita ſuo more noſter Num. 18.
Atticiſſat) *ſimul uſui civili forma, & dierum menſis æquali numero adhibito.* Mox autem N. 19, poſtquam Solonis menſes uniformes, & tricenarios omnes fuiſſe dixit, eoſdem nihilominus plenis caviſque Aſtronomorum menſibus verè reſpondiſſe ſcribit, ſic ut *duplex lunæ periodus ex lege Solonis 59 diebus integraretur.* Jam hæc extra omnem erroris humani modum orationis impunitas graſſatur. Nam quî tandem fieri iſta poſſunt? Quonam pacto & tricenarii menſes omnes fueruot, & cum lunaribus, alterniſque plenis, ac cavis paria fecerunt? Menſes ſunt in anno quolibet duodecim. Hi ſi triceni & æquabiles capiantur, dies ennficiunt CCCLX. ſi alternis cavi, dies CCCLIV. Differentia, dies ſex. Ut igitur priores cum poſterioribus peræquentur, ſex omninò de duodecim menſibus dies detrahendi ſunt. Id vel paullatim, & altero quoque menſe fiet. vel de uno aliquo ſimul omnes auferentur. Primum ſi ex Solonis lege uſurpatum dixerit, habemus quod ille tantoperè negat; menſes à Solone plenos alternis & cavos eſſe factos. Sin poſterius arripiat; unus ergo menſis de duodecim quatuor & viginti tantummodò dies habuerit. Quod cùm annis ſingulis repetitum ſit; falſum erit tricenarios omnes exſtitiſſe; falſum, τριακάδα ſive ἔνην καὶ νέαν omnes habuiſſe. quod paginis ferè ſingulis iſte declamat. Ut omittam menſis illud portentum ſatis omnium Veterum ſileotio damnari. Prætereà cùm eoſdem & tricenarios à Solooe ſactos eſſe velit omnes, & Lunares nihilominus, atque τῇ σελήνῃ, ut ille poſtulaverat, inſtitutos; quid nobis adeò ſuccenſet, quòd ante Solonem ab univerſa Græcia tricenarios menſes obſervatos putemus ejuſmodi, quos primi conditores pro Lunaribus habuerunt? Cur hoc abſurdum judicat, tricenarios menſes antiquiſſimis Græcis pro lunaribus obrepſiſſe; cùm idem ab Solone, ac recentiore deioceps, & eruditiore Græcia commiſſum, probatúmque defendat? Nam illos ipſos oblatos Athenienſibus à Solone

Google

lone menſes in conſequentia tempora propagatos eſſe fatetur Alphonſus, uti ſuprà ex N. præſertim 133 planum fecimus. Cur ex eo, quòd Solon lunares menſes induxerit, tricenarios à Thalete antea probatos lunares non fuiſſe contendit; ſi tricenarii non minus erant, quos Solonis decretum veteribus iiſce ſuccenturiatos, & ſuccidaneos eſſe juſſit? Age porrò quomodo iſtud excuſabit, quod N. 19 ſcribit, *duplicem lunæ periodum ex lege Solonis 59 diebus integrarit* hoc eſt, ut paullò antè loquitur, *Solonis menſes tricenarios plenis cavíſque Aſtronomorum verè reſpondiſſe?* An ſexaginta dies cum quinquaginta novem adæquantur? Opinor id fieri aliter non poteſt, quàm ſi de ſexaginta unus auferatur. At hoc ut fiat, tricenarii, & æquabiles non erunt omnes. Tot modis conſtrictus, & illaqueatus ſua ipſe confeſſione tenetur. Hanc hominis, ut eo verbo, quod leviſſimum eſt, utar, ἀσυνταξίαν neque breviùs, ut quidem minùs etiam eruditis appareret, explicare debui; neque latiniùs, hoc eſt apertiùs, potui complecti. inſectari autem, vel etiam deplorare, neque pro illius meritò potui; neque pro humanitate noſtra, ac tantæ culpæ, etiam alienæ, pudore, vehementiùs debui.

Nunc alteram τ̃ ἀντιφάσεως partem; quando in iſtâ tam malè ſucceſſum eſt; concedamus Alphonſo. Dicat alternis ex Solonis inſtituto plena caváque menſium intervalla decurriſſe. Quod ille quia ſæpiùs in diſputatione ſua poſuit; ut eò videatur ejus opinio proclivior; totam illius mentem ex tenebris erutam, planè ac perſpicuè proponamus.

Alphonſus cap. III, Num. 3. Græci, ut Alphonſi opinio fert, ante Solonis ætatem civilem annum habuerunt duplicem; alterum *Solarem vertentem, atque perfectum, 365 dies, & quadrantem integrantem.* alterum *Solarem itidem communem diebus, menſibuſque XII æqualibus tricenariis conſtantem. Et hunc quidem (communem, & æquabilem) præ ceteris in uſu omnium Græcorum exſtitiſſe uſque ad tempora Solonis,* ait: *qui Athenienſibus menſes lunares XXIX dierum, & dimidii induxit.* Itaque poſt Solonem Athenienſes annum inſuper lunarem addiderunt, quo cum ſimul annum illum æquabilem tenuerunt. Nam ſubjicit: *Et poſt legem adhuc Solonis menſes communes æquabiles tricenos iiſdem Athenienſibus in uſu ſimul fuiſſe probavimus.* Quocirca poſt Solonis edictum triplex annus civilis Athenienſibus fuit, Solaris vertens dierum $365\frac{1}{4}$, æquabilis, cujus menſes tricenarii; dierum ipſe 360; ac poſtremò lunaris. Hæc Alphonſus initio Cap. III, Numero 3. In Synopſi quoque Diatribæ præfixa, triplicem hunc annum Athenienſibus aſſignat: atque in Cap. III, Num. 140. ubi ſummam diſputationis colligit. Quod ad Græcos reliquos pertinet, minimè Solonis illa lege comprehenſos ait in pleriſque Capitis tertii locis. Velut Num. 17, *à Solonis lege Athenienſibus tantùm rogata cetera Græciæ regiones* ait, *quæ diverſis legibus continebantur, & Athenienſium res magno potiùs proſequebantur odio, menſes civiles tricenos adhuc retinuiſſe.* Vide & Numero 19. & Num. 56. ubi planiſſimè negat Græcos reliquos inductam à Solone menſium caſtigationem admiſiſſe. Quod & Numer. 71, 72. & Num 83 imprimis ſignificat. Nam ibi *annum communem, menſéſque tricenos omnibus fuiſſe Græcis, Athenienſibus exceptis;* ex Ariſtophanis Scholiaſte probat. eúmque mox *de civilibus, & populicis ceterorum Græcorum extra Athenienſes, qui lunaribus utebantur,* menſibus loqui ſcribit. Numero item 97, idem adſtruit: & clariſſimè Num. 121. ubi Gemini verba, quibus Græcos menſes ad lunam egiſſe narrat, ad ſolos Athenienſes applicat, eorúmque colonias, Græcis reliquis excluſis. quem locum ſuprà cap. VI produximus

Alphonſi ... complexio, & oſcitantia. Hæc Alphonſi tota diſputatio, cùm adverſus ſententiam noſtram de anno Græco comparata ſit; tamen, quod portenti ſimile eſt, ubi non ineptè colligendo efficit aliquid, illi ipſi, quam oppugnat, ſententiæ ſuffragatur; ſeipſam verò funditus evertit, ac deſtruit; cetera habet abſurda, atque falſa. quæ priuſquam convincimus; prius illud de doctrinæ totius conflictu, ac repugnantia videamus. Hujus primum illud caput eſt, quòd cùm Athenienſes ſolos, qui hactenus duplicem annum haberent, Solarem dierum $365\frac{1}{4}$, & æquabilem dierum 360; lunarem inſuper adjeciſſe auctore Solone dixerit; alibi tamen Græcos omnes, tam ante Solonem, quàm poſt ipſum, lunarem annum civilem adhibuiſſe ſentiat. Nam in Synopſi, quæ totius Diatribæ ſummam continet, id ſe capite tertio demonſtraturum ait. *In tertio*, inquit, *annum Græcanicum Civilem non tantùm lunarem, cum ſuis menſibus, ut perſiſtenti oratione Petavius adſerit; ſed & communem æquabilem Solarem, 360 diebus conſtantem, omnibus ante Solonem in uſu fuiſſe eliciemus. Quin & poſt Solonem (qui Athenienſibus tantùm menſes lunares induxit) ceteris Græciæ plagis communes ſolares omnium uſitatiores, ſæpéque, & ſæpiùs ab ipſis Athenienſibus uſurpatos demonſtrabimus. Et eos inſuper anno ſolari exacto, & vertente uſos.* In his Græcos omnes initio cenſet ante Solonem, lunarem annum cum ſuis menſibus habuiſſe civilem, adeóque Athenienſes ipſos. Quippe tam lunarem, quàm æquabilem civiles omnibus Græcis in uſu fuiſſe ſcribit. Poſt Solonem quoque lunares eoſdem civiles in reliqua Græcia perſeveraſſe; ſed ita, ut communes Solares uſitatiores eſſent. Ad hæc poſtquam pag. 51, Num. III docuit. *Græcos annum ad Lunam condidiſſe, ipſiſque civilem fuiſſe, ſuſtineri non poſſe,* neque id ex Gemino colligi poſſe; pagina ſequente, N. VII iſtud ipſum fatetur. *At nos*, inquit, *numquam negavimus, Græcos, & menſibus uſos lunaribus; quinimo promiſcuum tricenorum, & lunarium menſium uſum ab Hippocrate, & aliis demonſtrare curavimus. Et tunc ingenuè cum Gemino hîc à Petavio expenſo fatemur menſes lunares περὶ τ̃ πανσέληνον ἀγομένους, in uſu Civili Athenienſium, ut prædiximus, fuiſſe. Vel omnium Græcorum, ſi Petavius ita maluerit. Non tamen ideò minùs conſequens illud Petavii: Ergo nullos alios menſes in uſu habuerunt: negamus, & pernegamus.* Nondum de hac noſtra collectione contendimus. (Quam quidem haud bona fide retulit. Non enim alios in uſu, quàm lunares fuiſſe menſes καθόλου docuimus; ſed civili dumtaxat.) Sed ut illud ſeponamus interim; apparet ex illius opinione tam ante Solonem, quàm poſtea, non minùs Græcis ceteris, quàm Athenienſibus lunarem annum fuiſſe civilem. quem utrique pariter cum communi CCCLX dierum civiliter uſurparunt. Quid igitur iſtoc homine facias? aut qua tandem in doctrinæ ſuæ parte conſiſtet? Solos Athenienſes ex decreto Solonis lunares menſes cum æquabilibus conjunxiſſe dicit; Græcos excludit ceteros. Idem paullò pòſt oblitus ſui Græcos ex æquo civiles ambos adhibuiſſe putat. Item, aliàs poſt Solonem demum lunares admiſiſſe; aliàs longè ante Solonem tam Græcos reliquos, quàm Athenienſes eoſdem adſciviſſe. Quod amabo diſcrimen illud Athenienſes inter Græcoſque ceteros fuit; quod tu tot illis à me commemoratis locis tanta pertinacia defendis? Si utrique non ſolùm ante, ſed etiam poſt Solonem, lunares menſes cum æquabilibus perinde civiles obtinuerunt; cur ab illis iſtos ſeparas? Quid deinde Solon decreto ſuo novi Athenienſibus attulit; ſi id, quod illa lege ſancitum arbitraris tanto antea, te eodem aſſeverante, ſervabant? Ecce autem alterum inconſtantiæ ſpecimen. Numero 140 ſummam totius doctrinæ ſuæ, ac ſententiæ ita conficit. Græcos ait initiò ab Ægyptiis edoctos eumdem cum illis annum habuiſſe communem, dierum 360 cum duodecim menſibus tricenariis. Sed hoc interfuiſſe, quòd *Ægyptii in fine quinque tantùm dies appendices intercalabant, ut Solis curſui annus præter propter adæquaretur; Græci verò eadem mente, & quidem deviore, ut notavit Herodotus Lib. II, menſem tricenum biennio exacto, pòſt triennio interſeruerunt.* Poſtea cùm intercalationes iſtæ diſplicuiſſent, alias, atque alias excogitaſſe, ut annum ſuum 360 dierum, nec non lunarem dierum 354, *qui itidem* (ait) *uſitatus, cum Solari vertenti conſtante 365 diebus & $\frac{1}{4}$ peræquarent.* cujus rei teſtes affert Diodorum, Geminum, Theonem, ac Ciceronem in Verrem. *Poſt hæc* (pergit Alphonſus) *communis Græcia (cui menſes triceni civiles & Lunares ſubinde in uſu fuere ad varia) Thebanos, Ægyptios, & Alexandrinos imitata, & eorum intercalationes, annos 365 dierum cum $\frac{1}{4}$ obſervare cœpit.* Mox verò: *Et iſta quidem tunc contingebant, cùm Solon Athenienſium Archon legem illam de menſibus tantùm lunaribus rogavit. quæ uſu populi quoad civilia, maximè δικαῖα, judicialia, fuit recepta.* Credi vix poteſt quantum & falſitatis inſit in hac oratione, & cum omni reliqua doctrina diſſidii. Primùm cujuſmodi tandem eſt iſtud; Græcos ante Solonem ab Alexandrinis annum Solis accuratum, & intercalandi modum accepiſſe, cùm Alexandria nondum eſſet, nec niſi poſt annos à Prætura Solonis ducentos ac ſexaginta tres ab Alexandro condita ſit? Præterea anni, intercalationiſque modum illum, in quo tricenarius menſis altero quoque anno

anno ad communem CCCLX dierum accedebat, cujus auctorem citat Herodotum, diu ante Solonem oblitteratum fuiſſe refert, & commodiore mutatum. At Herodotus ipſe ſæculo adhuc ſuo hunc eumdem Græcia tota retineri ſcribit; ut Num. 26. interpretatur Alphonſus. Herodotus ergo longè ante Solonem floruit; cùm ſit eo tamen poſterior annis ampliùs centum. Quid de Cicerone porrò dicemus? An effugere poterit ille, quin Solonem ætate præceſſerit; ſi quidem annum ejuſmodi, qui ante Solonem abrogatus ab Alphonſo dicitur, apud Græcos en ipſo, quo contra Verrem ſcribebat, tempore perſereraſſe demonſtrat? Quod de Theone quoque, ac ceteris, quos anni illius veteris teſtes adhibet, eadem vis conſecutionis ac neceſſitas perſuadere debet. Nullum exitum habitura eſt oratio, ſi labes omnes, ac maculas, quibus tota eſt illius adſperſa Diatriba, perſcrutari; nedum convincere ac refutare voluero. Ac verendum arbitror, ne quam ipſe modò iis in tractandis, & excutiendis, offenſionem experior, eamdem in lectores meos trajiciam ac derivem. Quocirca diſſimulatis, & omiſſis ceteris, caput ipſum opinionis, ac doctrinæ petamus: & in triplici anno illo ſive Græcia tota recepto, ſive Athenienſium, excluſis reliquis, proprio, quæ ſint errata videamus.

C A P U T IX.

Excutitur, ac refutatur Alphonſi opinio de triplici anno civili Attico. Quid ſit civile, *præſertim in anno.*

Cap. III, num. 3, &c. TRIPLEX eodem tempore, uti capite ſuperiori diximus, ab Alphonſo civilis annus partim Græciæ toti, partim ſolis Athenienſibus poſt Solonis ſæculum tribuitur. Primus eſt Solaris vertens ex diebus compoſitus CCCLXV¼. Secundus eſt perinde Solaris, ſed ab eodem ad alterius diſcrimen, æquabilis communiſque dictus, dierum CCCLX. Tertius denique Lunaris. In quo primum eſt illud abſurdum, Solarem appellari annum eum, qui diebus non amplius conſtet trecentis & ſexaginta. Atqui ſic illum ſæpius nominavit Alphonſus, & ab altero, ac vertente ſejunxit. Velut in Synopſi, & in tertio capite, num. 3, ceteriſque locis, ex quibus verba ipſa capite antecedenti poſuimus. Quinetiam pag. 20, num. 36 diſertiſſimè annum communem dierum 360, *in ſuo genere conſtantem & perfectum vocat, etiam ante quinque dierum appendicum cum quadrante adjectionem* ac ſubinde annum iſtum, ejúſque tricenarios menſes minimè cum altero anno verè Solari permiſcendos ait: cùm ſint prioris menſes ſui generis, ac communis proprii, & ab altero liberi, atque diſtincti. Verùm ecquis umquam Solarem putavit annum, qui diebus præcisè conſtaret trecentis ac ſexaginta? Præſertim cùm eodem tempore non modò notus eſſet accuratus, ac verus illius modus; ſed etiam uſu civili cum eo pariter admiſſus. Quid hic porrò mutilus, ac decurtatus annus faciebat? aut quis uſus illius eſſe poterat; cùm alter eſſet in promptu Solaris ac vertens? Nam de utriuſque menſibus qui tandem explicare te potes? Communis atque æquabilis anni proprios menſes tricenarios facis. & eoſdem ab alterius veri Solaris ac vertentis, & quidem civilis anni menſibus diſtinguis. Hujus ergo cujuſmodi menſes fuerunt? Si, ut illi, tricenarii. duplices ergo tricenarios menſes in uſum civilem Græcia omnis admiſit. At hoc commenti genus inſulſiſſimum eſt. Sin à tricenariis diverſi; doce qui dierum in iis numerus; ſi potes; ſi auctorem habes ullum, qui civiles in Græcia menſes & Solares, & inæquales fuiſſe meminerit. Quid quod ipſemet pag. 66, num. 12, negas ante Julianam editionem, annum iſtiuſmodi ex menſibus inæqualibus conflatum ullomodo Græcos habuiſſe? Tricenarii ergo, ut fateris, utrobique menſes fuerunt. Quorſum verò bis illud repetitum in uſu civili menſium genus?

Nam illud univerſè cui tandem perſuadebitur; triplex eſſe poſſe civitati cuipiam, ac populo civilium annorum genus, ac menſium? Duos tantùm ſi diceres, ferre nemo te poſſet. Tu eodem tempore triplicem Græcis menſem civilem, tripliceſque civiles impingis annos. Age quæ ſingulorum appellationes fuerint dic ſodes, ſi alicubi legiſti. Equidem nulla menſium Atticorum civilium nomina commemorari audio, præter hæc trita, Hecatombæonem, Metagitnionem; Boëdromionem, ac deinceps ceteros. Cùm igitur Hecatombæone, verbi cauſſâ, factum aliquid aut cives inter ſe dicerent; aut Scriptores Græci memoriæ proderent: divinandum ſtatim erat, quod genus menſium eſſet expreſſum; tricenariúſne prior æquabilis anni; an vertentis alter; an poſtremò Lunaris. Omnes enim vulgò cogniti ac civiles erant, & utique certo aliquo vocabulo deſignandi fuerunt. Ut ſi triplex hodie civilis eſſet annus, ac duo Solares à me dicerentur, quorum alter triginta dierum menſes haberet, alter ad Julianam formam, vulgarémque deſcriptos. his tertii Lunares accederent. tum hi tres iiſdem nominibus appellarentur, Januarii, Februarii, Martii, &c. nihil dicam de commenti hujus inanitate. Illud certè conſequens ex eo fit; quoties Januarium nominabit quiſpiam, de quo potiſſimum loquatur, niſi expreſſerit ipſe, ſciri omnino non poſſe. Hac re ſi vel fingi quicquam poteſt obtuſius; tum tu ſanè viceris. Denique Solaris menſis cur diebus triginta circumſcribitur? Nam ut Solaris ſit, curſum Solis metiatur oportet: & quidem ſpatium illud, quo Dodecatemorion quodlibet orbis ſigniferi Sol motu ſuo percurrit. Num tu igitur cenſes triginta diebus ab Sole ſingula zodiaci ſegmenta peragrari, aut æquale tempus in unoquoque conſumere? Vehementer erras. Geminus ecce Cancrum ait à Sole percurri diebus XXXI; totidem Leonem; Virginem XXX; itidémque Libram, & Scorpium: at Sagittarium XXIX, ut & Capricornum: Tum Aquarium, & Piſces, diebus XXX; Arietem XXXI; Taurum XXXII; totidem Geminos. Ex duodenis menſibus, quinque tantùm triginta dies auferunt. Non igitur Solares menſes, tricenarii eſſe poſſunt. Qua de re legenda ſunt, quæ lib. IV de Doctrina Temporum cap. XXXVI, & XXXVII explicamus. nec non I hujus operis, cap. VIII.

At ecce in *civilis* vocabulo neſcio quid argutiarum occinit pag. 29, num. 55. Nam *Petavius*, inquit, *menſis civilis Athenienſium veri ſignificati ſeſe ignarum clarè oſtendit.* Mox civilem menſem à populari diſtinguit, ac civilis notionem ejuſmodi eſſe putat, qualis eſt apud Juriſconſultos, cùm dicunt *civilia verba*, L. Verbis, D. de vulgari, & pupillari ſubſtit. aut cùm *civile negotium, officium, auxilium*, & id genus alia nominant. Proinde Lunarem Athenis menſem civilem fuiſſe. quod ſic interpretatur denique; tamquam civilis ideo vocetur, id eſt νομιμὸς, quia lege conſtitutus eſt. At verò popularis alter, ſive communis fuit, & is Solaris tricenarius æqualis. *Primus ad ritus, ſeu ſacra & judicialia, & quævis alia civilia, velut uſuras, teſtamenta, & conſimilia, jus publicum, vel privatum reſpicientia pertinebat. Secundus ad tempora parturitionis humanæ, & annos ætatum, aliáque hujuſcemodi.* Item pag. 28, num. 47, Athenienſes ſcribit *poſt Solonem uſos eſſe tricenariis menſibus in Aſtrologicis, in medicis, in naturalibus, in ætatum deſignationibus, & quibuſvis populi rebus, extra ea, quæ leges, judicia, & alia civilia reſpiciunt.* quibus ſcilicet lex Solonis de Lunaribus menſibus competebat.

Verùm nihil ad cauſſam noſtram, & ſententiam aptius, contra ſe verò præſentius, & validius comminiſci potuit Alphonſus, definitione illa civilis menſis, quam nos quidem libenter amplectimur. Civile, inquit, id dicitur, quod lege aliqua conſtitutum eſt. Quamquam & conſuetudo ipſa civitatis abſque lege civile aliquid facere poteſt; tamen eſto uti vis. An eò minùs populare eſt, quia lege ſancitum? Imò verò populare eſt en ipſo, quòd à communi lege publicus id civitatis uſus accepit. Populare quippe ab eo, quod eſt populus; ſicut à civibus civile nominatur. Inter populum autem, ac cives intereſt nihil. Erit igitur idem populare, quod civile. Sic annus Julianus, poſtquam lege Julii Cæſaris à Romanis receptus eſt, civilis Romanis, ac popularis eſt factus. Neque verò Juriſconſulti tui aliud nos docent: adeòque muto tibi eſſe per illos licet. Nam ii *civile* definiunt quod eſt *æquum, juſtum, legitimum, ordinarium.* Sic in lege iſta, quam affers, Papinianus ita loquitur: *Verbis civilibus ſubſtitutionem poſt quartum decimum annum ætatis fruſtra fieri convenit:* verba civilia dicuntur *legitima*, hoc eſt *lege conſtituta*, ſive *directa:* quibus cives ex lege ac conſuetudine quod volunt teſtamento imperant. quibus ex adverſo παρακλητικὰ, hoc eſt precaria, & inflexa reſpondent. Sic Accurſius, Cujacius, ac ceteri Juris interpretes. Quid ſit civile ex Juriſconſultorum ſententia

pretes. Ita L. V Cod. Juſtin. de furtis, & ſer. cor. *Civile eſt quod à te adverſarius tuus exigit, ut rei, quam apud te fuiſſe fatearis, exhibeas venditorem.* Civile ibi eſt *aquum, legitimum, & ordinarium.* Ita *civile officium, munus,* & ejus generis alia. Hoc ſenſu civilis annus eſt ordinarius, ac legitimus; qun publicè, ac privatim civitas utitur. Nec minùs popularis eſt, hoc eſt publicus, ac toti populo communis. Denique Cenſorinus ipſe cap. XIX, quid ſit annus civilis explicat his verbis: *Igitur cùm tanta inter viros doctiſſimos fuerit diſſenſio; quid mirum ſi anni civiles, quos diverſæ civitates rudes etiam tum ſibi quoque ſtatuebant, tam inter ſe diſcrepent, quàm cùm illo naturali non congruunt.* Vides ut civilem appellet eumdem qui & popularis eſt; quem ſcilicet civitates rudes adhuc variis modis conformant?

Ac ſi communis, populariſque menſis aut annus qui ſit definire voluerimus; ne alius quidem cogitari à nobis poteſt, quàm publicè receptus à populo, & communi conſuetudine ſancitus. Uti *lex popularis* à Cicerone lib. II de Leg. appellatur, quam univerſus populus juſſit. Ejuſmodi porrò annus, ac menſis eſt, quem publicè, ac privatim civitas adhibet; hoc eſt in iis actionibus, quæ privatorum mutuo conſenſu, vel auctoritate publica geruntur. privatim; ut in contractibus, ſtipulationibus, emptionibus, ac venditionibus, in judiciis, in teſtamentis, & aliis, quæ longum ſit enumerando perſequi. publicè verò, ut in fœderibus, aut ſocietatibus ineundis, in actis publicis, ac decretis, & reliquis omnibus, quæ communi civitatis totius nomine, vel magiſtratuum auctoritate fiunt. quæ omnia eo menſium annorúmque genere ſubſignari, ac ſubſcribi ſolent, quod vulgò cognitum ſit; quod cives omnes etiam indocti, imperitique ſentiant; quod in uſu quotidiano populi & civili tractatione verſetur. Ne longè exempla repetamus. Duplex eſt hodie apud Francos, Italos, Hiſpanos, Europæos denique, imò Chriſtianos penè omnes, anni, ac menſium genus. Nam aliud Julianum ad modum deſcribitur; in quo dies ſunt CCCLXV, cum quadrante; menſes autem inæquali dierum numero conſtant. quorum primus eſt Januarius, tum Februarius, Martius, &c. Altera forma Lunaris eſt, cujus menſes alternis ferè pleni ſunt, & cavi; initium verò partim ab Januario; partim ab Martio, Aprilive repetitur. Menſium ipſorum appellationes propriæ ſunt nullæ; ſed prima, ſecunda, tertia Lunatio; vel in obliquo, Januarii, Februarii, Martii Lunatio dicitur, non quod Syzygia ipſa Lunaris Januarius, aut Februarius exempli gratiâ nominetur; ſed quòd in hunc illumve menſem incidat. Horum duorum generum utrum civile ſit, ac populare ſi quis interroget, undenam quæſo hac de re conjectura, exiſtimatióque ducetur? Hæc quæ paullò antè dixi, opinor, attendenda nobis erunt. quod in publicis, ac privatis actionibus, in principum edictis, in civilibus commerciis, in judiciis, ac teſtamentis adhibeatur. Is eſt autem Julianus annus, menſéſque Juliani. Eſt ergo gentium illarum civilis, & popularis hic annus: minimè verò Lunaris. tametſi & pleriſque ſit, etiam plebeiis, cognitus; & ad præcipuorum feſtorum gubernationem ſæpiùs, quàm alter ille, qua privato, qua publico uſu, ac mentione celebretur. Ecquis hodie regum, aut quæ libera civitas in edicto, decretóve ſcribendo primum, aut ſecundum, tertiúmve Lunæ Januarii, vel Martii diem ſubſcribit? Atque ut in re tam trita & facili peregrinantem uſu te tuo, factóque doceam, ac velut in domum reducam: age cùm ſis Juriſconſultus, & in foro, ac judiciis ætatem contriveris; quæro ex te, quoties actioni alicui ex formula concipiendæ, vel contractui, aut teſtamento præfuiſti; num tu annum alium, ac menſem, menſiſque diem ſubſcribi, & in acta referri juſſiſti, præter Julianum? Quidnam ergo tibi modò venit in mentem, ut vel Græcos, vel Athenienſes in ſacris, in privatis ac publicis actis, in legibus, in fœderibus, in teſtamentis, Lunari anno, ac menſibus uſos faterere, & hunc annum, ac menſes iſtos nihilominus negares populares fuiſſe? Nam quòd æquabili menſium modo, annóve Solari, medici nonnumquam, aut alii Scriptores utuntur; eò pertinet, ut alterum præter Lunare, genus anni à Græcis uſurpatum; non ut ipſis populare fuiſſe fateamur. De quo cùm ſatis multa lib. I de Doctrina Temporum cap. VI tradita ſunt, tum dicentur paullò pòſt nonnulla, cùm de operto ac recondito Græcorum anno verba faciemus. Nec illud tamen differendum eſt, Pag. 22.
quod abs te non rectè ſcriptum eſſe, ne tu quidem ipſe num. 47.
diffitebere. Ais enim Athenienſes *in Aſtrologicis* tricenarios menſes adhibuiſſe. Atqui eſt iſtud ſanè falſiſſimum. Nam Lunaribus utique menſibus in Aſtrologicis obſervationibus uſos eſſe conſtat: quarum aliquot exempla cap. VII è Ptolemæo, & aliis adduximus. Quòd ſi tu tamen uſitatas propriáſque vocum notiones invertere inſiſtis adhuc, & civilem annum à populari diſcernere, dum tu idem, quod ego, reipſa ſentias, per me quidem verbis utare licet, ut voles. Non enim alioqui verborum aut ſimplicium, aut in oratione junctorum publica re, ac Romana lege teneri velle, libera tua ab omni regularum jugo, ac fræno Latinitas oſtendit. De verbis itaque, ſublata ea, quæ rebus ineſt, ſola in medio controverſia reſtabit, quam tibi cum Nebriſſenſi tuo, ceteriſque vocabulariis antè, quàm mecum, diſceptandam relinquo.

Ad extremum fatalis homini iſti contrarietas verborum, decretorúmque in hac etiam civilis anni commemoratione cernitur. Nam cùm pag. eadem 29, num. 53 ſcripſerit, aberraſſe me, *quòd Solonem Athenienſibus menſis cavi, & pleni auctorem fecerim ad civilia. Hæc enim ad Aſtronomiæ ſcientiam tantùm accommodanda malè traduxi ad legem Solonis:* cùm his, inquam, verbis annum Lunarem Athenis ex Solonis lege ad civilia receptum neget; tamen num. 55 fatetur eumdem annum Lunarem à Solone conſtitutum civilem fuiſſe: & num. 58 idem apertiſſimè docet; hanc Lunarem formam lege Solonis invectam *in civilibus uſu inconcuſſo receptam fuiſſe.* quæ eſt prodigii ſimilis levitas, & inconſtantia.

CAPUT X.

Annum Græciæ popularem ad Lunam deſcriptum fuiſſe Veterum auctoritatibus adſtruitur; quæ & ſingillatim expenduntur, & ab Alphonſi Caranzæ falſa interpretatione vindicantur.

AB anno Attico ad communem Græciæ reliquæ; imò verò popularem utrique pariter annum longo intervallo redeamus. Quòd igitur Græcorum ceterorum annus, perinde atque Athenienſium, ad Lunam deſcriptus eſſet, ex multis antiquorum teſtimoniis argumenta ducuntur.

Imprimis autem declarat hoc ipſum Ariſtoteles libro I argumentum
II de Generat. Anim. cap. IV, ubi de menſtruorum mentum
tempore ſcribens, ait ea ſub finem menſis profluere: ex Ariſto-
quòd tum propter interlunium frigidior ſit aer. αἱ γὰρ τῶν tele.
μηνῶν σύνοδοι ψυχραὶ, διὰ τὴν τῆς σελήνης ἀπόλειψιν. Et lib. VII de Hiſt. Anim. cap. II idem narrat apertiùs. ἡ δὲ τῶν γυναικείων ὁρμὴ γίνεται περὶ φθίνοντας τοὺς μῆνας· διό φασί τινες τῶν σοφιζομένων, καὶ τὴν σελήνην εἶναι θῆλυν. *Menſtruorum profluvium definentibus menſibus accidit. Ob id nonnulli argutantes Lunam aiunt eſſe feminam.*

Ariſtotelem Theophraſtus, hoc eſt præceptorem diſ- II ex
cipulus ſequitur. qui in libro de Signis pluviarum iiſdem Theo-
ferè, quibus ille, verbis, αἱ σύνοδοι, ait, τῶν μηνῶν χει- phraſto.
μέριοί εἰσιν, ὅτι ἀπολείπει τὸ φῶς τῆς σελήνης, ἀπὸ τετράδος φθίνοντος μέχρι τετράδος ἱσταμένου. *Menſium coitus hiemales ſunt; quoniam Lunare lumen deficit à quarto die deſinentis uſque ad quartum ineuntis.* Cetera iis conſentanea Caranza
deinceps eodem libello ſubjicit. Quòd autem de civili- pag. 37,
bus, & popularibus menſibus ambo intelligendi ſunt num. 61.
Caranza ipſe nos docet; dum Ariſtotelem alibi dicit res paſſim obvias communibus, notiſque menſibus, non latentibus, & obſcuris illigaſſe.

His veterem Scriptorem adjungimus, qui de ſepti- III ex
meſtri, & octimeſtri partu libellos edidit; qui inter auctore
Hippocratis opera ejus inſcripti nomine feruntur. Sed libri de
eos Hippocratis non eſſe, meritò docti quidam viri octime-
ſuſpicantur. Sed cujuſcumque ſunt, antiquiſſimi auctoris ſtri partu.
eſſe convenit. Libro itaque de ſeptimeſtri partu ſtatim initio, ſeptimeſtres pueros ait naſci poſt dies centum octoginta duos, excurrente particula. Primùm enim de primo menſe dies capiuntur quindecim. Tum menſes quinque ſuccedunt dierum CXLVII, cum dimidio. Fiunt dies CLXII $\frac{1}{2}$. Superſunt de menſe ſeptimo dies viginti. Ita complentur dies illi CLXXXII $\frac{1}{2}$. Verba Scriptoris illius, ἐκ γὰρ δὴ πρώτου λογίζου μηνὸς πεντεκαίδεκα ἡμέρας· τῶν δὲ πέντε μηνῶν ρμ´, καὶ ζ´, καὶ ἥμισυ ἡμέρης.

Mox. *ἐν δὲ ἑξήκοντα μιῆς δεούσης ἡμέρης ἐγγίνονται δύο μῆνες ἐκπλεῶνται.* Duos ecce menſes diebus conſtare aſſerit undeſexaginta. At lib. de Octimeſtri partu ita ſcribit: *ὅτι ἡ νουμηνίη ἡμέρη μία ἐοῦσα ἐγγίνεται τριηκοστημόριόν ἐστι τοῦ μηνός· αἱ δὲ δύο ἡμέραι σχεδὸν πεντεκαιδεκατημόριον τοῦ μηνός.* *Neomenia, qui dies unus eſt, proximè triceſima pars menſis eſt, biduum autem ferè decimaquinta pars eſt menſis.* Nun eſt dubium, quin menſes iſti Lunares, & inæquales ſint. Nam Lunares menſes exacti quinque, dies efficiunt CXLVII, horas 15, 40′. & cùm diem unum ferè triceſimam partem ait eſſe menſis; biduum autem ferè decimamquintam, ſatis oſtendit non abſolutè tricenarios eſſe. alioqui non diceret *σχεδὸν*, & *ἐγγίνεται* De hoc loco quid Alphonſus Caranza ſentiat; ac quemadmodum Hippocratem, quem libellorum iſtorum facit auctorem, concilìet ſecum, nihil hìc attinet dicere. Nam neque momenti aliquid habet illius opinio: & Lunaribus menſibus uſum his in locis auctorem fatetur illum.

IV argumentum ex Diodoro. Diodori verò ſententiam quomodo idem interpretetur * Alphonſus; imò quàm abſurdè, vexet ac diſtorqueat, præterire non debeo. Scribit Diodorus lib. I Thebanos Ægyptios longè aliter ac Græcos annum ordinare ſuum. Quippe *ἐμβολίμους*, inquit, *μῆνας οὐκ ἄγουσι, οὐδὲ ἡμέρας ὑφαιροῦσι, καθάπερ οἱ πλεῖστοι τῶν Ἑλλήνων*: *Menſes intercalares non adhibent; neque dies aliquot detrahunt; quemadmodum Græcorum plerique faciunt.* Ex his verbis colligit Alphonſus Græcos anno uſos eſſe dierum CCCLXV¼. Quippe ſupra XII tricenarios menſes, dies quinque cum ſex horis intercalabant. Hæc Diodori *παρερμηνεία* fingi nihil poteſt alienius. Quis umquam intercalarem menſem legit ſex horis ſupra dies quinque conſtantem? Quorſum verò dierum *ὑφαίρεσις* pertinet, ſi plenum ac juſtum modum anni ſolaris adhiberent? Quis porrò non videt *ἐμβολίμους μῆνας* lunares eſſe, & lunaris anni proprios; exemptionem verò dierum ad eum modum intelligendam eſſe, quem Geminus Cap. de menſibus exponit? Igitur lunari Græcorum anno ſuffragatur Diodori teſtimonium.

* Alphonſ. Cap. XII. §. IV. N. 1.

V ex Gemino. Sequitur Geminus; cujus verba capite V, & VI diligenter expendimus. ut ne ipſe quidem deinceps, ut ſpero, Caranza ſentire aliter velit, poſtquam editum hunc à nobis denuò legerit. Quamquam haud magni facere præſtantiſſimum hunc Scriptorem viſus eſt. Hujus enim vi, momentòque oppreſſus, ubi diu, ac multùm cluctatus eſt, & undequaque intercluſa commenta ſua, conatúſque irritos vidit; quod extremum deſperatis eſſe perfugium ſolet, teſtimonio illius obnunciavit, ac valere illum juſſit, & faceſſere. Hic verò non de anno Attico privatim, ſed de communi Græciæ quondam totius anno diſſeruit. Nam quòd hunc aiebat & Athenis ſcripſiſſe, & de ejus, in qua degebat, urbis anno duntaxat, non reliquæ item Græciæ, iſta prodidiſſe, ex ipſomet Gemino falſum eſſe commonſtravimus.

VI ex Cicerone. Poſt Geminum Cicero proximus occurrit, qui tam Siculos, quàm ceteros Græcos, annum ſuum popularem ad Lunam direxiſſe confirmat Orat. IV contra Verrem. *Eſt* (inquit) *conſuetudo Siculorum, ceterorúmque Græcorum, quòd ſuos dies menſéſque congruere volunt cum Solis, Lunæque rationibus; ut nonnumquam, ſi quid diſcrepet, eximant aliquem diem; aut ſummum, biduum ex menſe; quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant: item nonnumquam uno die longiorem menſem faciunt, aut biduo.* Mox Verris facinus exponit; qui pretio corruptus ab Arthenione Cephalœdio menſem comitialem, quo menſe Sacerdotem maximum Cephalœdii creabant, anteverti juſſerit, exemptu menſe uno, ac dimidiato; *ut quo die, verbi cauſſâ, eſſe oporteret eidus Januarias, eo die Kalendas Martias proſcribi juberet.* Tunc Cephalœditanos refert *decreviſſe intercalarium XLV dies longum, ut reliqui menſes in ſuam rationem reverterentur.* Non eſt obſcurum hic de populari menſe Ciceronem loqui. Non enim aliu, quàm ejus generis, popularia comitia haberi ſolent, aut populares magiſtratus creantur. Ac Cicero ipſe, cùm id Romanis explicare vellet, popularium menſium ſimilitudine eſt uſus. Quamobrem cùm idem, quod ab Siculis, à ceteris quoque Græcis uſurpatum in anno ſcribat Cicero, certum eſt, annum Græciæ totius cum Sole, ac Luna conveniſſe. Hoc verò neceſſe eſt ita fieri, ut menſes omnes, annique ſimplices lunares ſint, annus verò magnus, ſive orbis annalis, intercalatione lunarium menſium, cum Sole, ac Luna congruat; ut in Octaëteride, ac reliquis periodis Geminus oſtendit. Nam quod menſes omnes Lunares, annum ipſum ſimplicem ad Solem compoſitum fuiſſe Alphonſus exiſtimavit, fidem fecit ejus, quod in Diatribæ fine ultrò de ſe confeſſus eſt, *ſe Aſtronomica vix delibaſſe*. Etenim ſi quid Luna, quid Sol, quid annus, quid menſis eſſet intelligeret, aliter de re tota judicaret. Nos contra monſtrum illud anni cap. V diſputavimus.

At Alphonſus tam evidenti Ciceronis teſtimonio convictus, mendacii Ciceronem arguit. *Quippe*, inquit, *inaudita ſunt, & omnium opinione aliena, ſimul cum intercalatione bidui, ne dicam inveroſimilia.* Nempe anni popularis rationem ignoravit Cicero; neque hæc tanto tempore, quo Athenis, & in Græcia, ac demum in Sicilia vixit, diſcernere potuit: ut poſt tot ſæcula unus ex Hiſpania Juriſconſultus exiſteret, qui illum doceret. Pag. 72. N. 134.

VII argumentum ex Solino. Septimò Solinus Cap. III Græcos ſignificat annum ſuum civilem ad Lunam direxiſſe, cùm ait ſimplices eorum annos dierum fuiſſe CCCLIV, detractis ſcilicet de ſingulis, diebus XI¼, donec ad nonaginta dies ſumma perveniret, ex quibus tres menſes confecti in fine octaëteridis inculcarentur.

VIII ex Macrobio. Idem cum Solino ſcriptum reliquit Macrobius. qui & diſertiùs, quàm ille, Græcos ad Lunæ curſum annum proprium computaſſe narrat, & eorum imitatione hoc ipſum feciſſe Romanos; ideòque neceſſariò & intercalarem menſem inſtituiſſe more Græcorum. *Nam & Græci*, inquit, *cùm animadverterent, temerè ſe trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinaſſe annum; quoniam appareret de Solis curſu, qui trecentis ſexaginta quinque diebus, & quadrante zodiacum conficit, deeſſe anno ſuo undecim dies, & quadrantem, intercalares ſtatuta ratione commenti ſunt. ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menſes tricenûm dierum compoſuerunt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quoniam erat operoſum, ac difficile omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare*, &c. Perſpicuum eſt Græcos annum Lunarem inſtituiſſe, cùm & ſinguli diebus conſtarent CCCLIV, & intercalares menſes in octaëteridem tres incurrerent. quos etſi aliter diſpenſatos eſſe perſuadet Geminus; nimirùm ut intercalatio anno tertio, quinto, & octavo fieret, ne ab annuis Solis tempeſtatibus nimium civilis annus recederet: tamen de lunari forma omnes illi mirificè conſentiunt.

Contra hæc Alphonſus opponit, Solinum & Macrobium de octaëteride veteri loqui, *qua aliquo tempore, & quidem brevi, ut apertiſſimè ait Solinus, perduravit.* Velim apertiſſima illa Solini verba proferat. Nam ne littera quidem ea de re comparet uſquam. Quin uterque rationem eam Græci anni commemorat, quæ apud illos perpetua fuit. Pag. 69. num. 132.

IX ex Cenſorino. Nonò Cenſorinus Scriptor gravis, & luculentus cap. XVIII Græcos perpetuò civilem annum ad Lunam elaboraſſe demonſtrat. Sed principiò, quòd Lunam, interim dum Sol annuum ſpatium conficit, terdecies oriri cernerent, arbitratos eſſe lunares menſes duodecim & dimidiatum ad annum naturalem convenire: atque idcirco annos civiles ſic ſtatuiſſe, ut intercalando facerent alternos duodecim menſium, alternos tridecim. quod tempus trieterida appellabant. Pòſt errore cognito, tetraëteridem condidiſſe. quam cùm ad Solis tantummodò curſum, non item Lunæ congruere deprehendiſſent; eam octaëteride mutaſſe; quæ annum civilem ad Lunam ſimul ac Solem exactiùs accommodaret. Qua in periodo Græcos, quod ad popularem attinet anni rationem, acquieviſſe ſignificat. Nam tametſi caſtigatiores poſtea periodi; ut enneadecaëteris à Metone; hebdomecontacæxaëteris à Calippo, repertæ ſint; eæ tamen ſic à Græcis adhibitæ ſunt, non ut populares eas facerent; hoc eſt civiles annos ſuos numeris iſtis annorum circumſcriberent: ſed ut illarum ex ratiociniis octaëterides ſuas dierum *ὑφαιρέσει* corrigerent. ut in I, & II de Doctrina Temporum obſervavimus.

Denique Cenſorinus hoc apertè docet, civilem à Græcis annum certis orbibus incluſum eo conſilio fuiſſe, ut & anni ſimplices ad Lunam, & annorum ſyſtema, qui magnus annus ab eodem vocatur, ad illius pariter

riter ac Solis curſum congrueret. tum quoties animadverterent in ea, quam ſibi delegerant, periodo, annum ſuum cum Sole, non item cum Luna, quadrare; ea ipſa mutata ſibi alteram quæſiſſe. quod profectò non facerent, ſi populares annos ad Solem dumtaxat, ut Alphonſo placet, exigere vellent. Nunc periodum aliquam, ſi poteſt, inveniat, qua vertente, ita cum utroque ſidere paria faciat annus, ut & menſes ſinguli lunares, & anni ſimplices ad Solem facti ſint. Hoc ſi non poteſt, uti vel mediocris annalis rei peritia perſuadet; tum ad eum, quem docuimus, modum contextos illos orbes, & compoſitos fuiſſe non neget.

Pag. 69. num. 132. Sed animadverſione digna cumprimis eſt Alphonſi paraphraſis; qua Cenſorini locum, quem à me non intellectum cauſſatur, interpretari voluit. quæ eſt ejuſmodi, ut contra Cenſorini mentem ac verba perſpicuè repugnet. Scripſerat Cenſorinus: *Veteres in Græcia civitates, cùm animadverterent, dum Sol annuo curſu orbem ſuum circuit, Lunam interdum terdecies exoriri*, &c. Iſte poſt *civitates* adſcripſit, *aliquot*: ne univerſè de Græcis loqui Cenſorinus videatur. Tum ex additamento illo in fine concludit, *annos & menſes lunares in aliquibus Græciæ civitatibus fuiſſe; in aliis verò ſolares.* At unde *in aliquibus* potiùs quàm *in omnibus* concludit? Nimirum quia vocem *aliquot* inſeri placuit.

Ridiculè Cenſorinum Alphonſus exponit. Ridiculè: quaſi hanc Cenſorinus poſuerit. Sed major etiam in ſequentibus labes, & pravitas interpretationis. Docet Cenſorinus, ut ſuprà retulimus, initio Græcos cùm viderent ſpatio illo, quo Sol annuum explet orbem, Lunam interdum terdecies exoriri, putaſſe naturalem annum, duodecim lunaribus menſibus & dimidiato confici: ideòque dieteridem, vel trieteridem inſtituiſſe, poſtea verò cognito errore, aliud tentaſſe. Hunc errorem ſic in paraphraſi ſua exponit Alphonſus: *Quippe annus naturalis dierum eſt 365¼, & duo anni 720 cum ½ integrant. qui biennium anni lunaris 354 diebus conſtantis 22 diebus & ½ excedunt. & inde menſi embolimo 22 dierum dimidiatus deerat dies.* In quo primum ineſt hoc abſurdi, quòd lunarem annum præcisè 354 diebus abſolvat. quaſi non horæ præterea ferè novem, præſertim ex Calippi rationibus imputandæ ſint: unde poſt unumquodque biennium non dies 22½, ſed 21½ in Solari anno redundant. Horis itaque octodecim ferè Alphonſi calculus aberrat. Præterea undenam embolimum menſem dierum XXII ex Cenſorini verbis expreſſit? An diebus non ampliùs XXII lunaris curſus abſolvitur? Atqui Cenſorinus lunationem integram in annos duos partitas eſſe Græciæ civitates aſſerit. Nam præter duodecim menſes lunares, quibus Lunæ duodecim ortus competunt, decimumtertium dimidiatum annis ſingulis adſcribit. Quid eſt aliud Cenſorini verba vel non capere, vel corrumpere, ſi hoc non eſt? Redeat igitur in viam, & Cenſorinum ad Herodoti, ac Gemini fidem, & hiſtoriam revocet; uti nos ſuprà capite ſecundo fecimus. Atque ut lunarem menſem non tricenarium, ſed duodecim horis minorem à Cenſorino ſignificari putet: annum item lunarem trecentorum & quinquaginta dierum, non trecentorum ſexaginta conſtitutum velit: non effugiet tamen quin hac ratione Cenſorinus dixerit, Græcos veteres vertentem & Solarem annum diebus trecentis ſexaginta novem, & horis aliquot definiiſſe: quam ſummam dimidiata ſyzygia ad lunarem annum accedens efficit.

X et Theone. Decimò de lunaribus Græcorum menſibus, & annis popularibus, luculentiſſimus eſt apud Theonem locus in eruditiſſimis ſcholiis ad Arati Phænomena, tmemate 64. ubi Arati verſus de variis Lunæ viſionibus, & incrementis explicans ita ſcribit: Ἰστέον δὲ ὅτι μῆνα κυρίως ἔλεγον οἱ Ἕλληνες τὸν χρόνον τὸν ἀπὸ τῆς σεληνιακῆς συνόδου, ἀπὸ τοῦ μένειν· ἢ ἀπὸ τῆς μήνης μῆνα ὀνομάζοντες. ἐμέτρουν γὰρ οἱ Ἕλληνες τοὺς μῆνας πρὸς τὸν τῆς σελήνης δρόμον. *Sciendum eſt autem menſem propriè à Græcis appellatum fuiſſe tempus illud, quod à lunari conjunctione deducitur; tamquam ab eo quod eſt manere; vel à Mene μῆνα, id eſt menſem nominarent. Quippe Græci menſes ad Lunæ curſum metiebantur.* Hîc de popularibus Græcorum menſibus agere Theonem ex eo conſtat, quòd Ægyptios ibidem aſſerat non itidem, ut Græcos, menſes ſuos ad Lunam putaſſe, ſed ad Solem. Atqui præter populares menſes ad Solem, ut quidem initiò creditum erat, adamuſſim exactos, Ægyptii menſes alios, ſed minimè populares, adhibebant; ut Alphonſus ipſe non dubitat. Igitur de populari menſium genere loquitur Theo; quod ut Ægyptiis detrahit, ita Græcis attribuit.

Idem Theo paullò poſt. Μῆνα δὲ λέγομεν τὸν ἀπὸ συνόδου σελήνης, καὶ ἡλίου χρόνον ἐπὶ σύνοδον, ὅς ἐστιν ἡμερῶν κθ´. Mox. τούτῳ δὲ τῷ μηνὶ ἐχρῶντο πρὸς τὸν τῶν πολιτικῶν ἡμερῶν διαρυθμισμὸν, καὶ νῦν ἔτι χρῶνται πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων. *Menſem verò dicimus, tempus illud, quod à Solis Lunæque conjunctione ad alteram conjunctionem pertinet. Hoc verò menſis genere utebantur ad civilem dierum rationem: ut & hodiéque Græci complures utuntur.*

Alphonſus ad hæc Theonis verba reſpondet, de menſibus Atticis ipſum loqui, non de communibus Græciæ. Hoc eſt non reſpondere, ſed ſortitò capere quod dicas. Quo jure ad Athenienſes ſolos τῶν Ἑλλήνων vocabulum reſtringis? Nam hoc joculare commentum Theonis verba longiùs excludunt. Quod autem Græcos ait pleroſque, non omnes, uti illo menſium genere, ad ætatem ſuam refert; quæ in Valentiniani & Valentis tempus incidit. Ex quo confici poſſit, annum Julianum non ſtatim à Græcis omnibus admiſſum eſſe. ſed nonnullas civitates lunarem adhuc retinuiſſe. Quamquam, ut opinor, paullò aliter accipiendus eſt Theo. Non enim ſimpliciter lunarem aſſerit menſem, & ab omnibus olim Græciæ populis uſu civili receptum, & à pleriſque ſuo tempore retineri. ſed lunarem ejuſmodi, qui à conjunctione Solis & Lunæ, ad eamdem conjunctionem extenditur. quod non Græci omnes obſervarint, tametſi populares ad Lunam menſes dirigerent. Quidam enim à corniculata Luna, ut Lacedæmonii; alii aliunde menſis initium capiebant. ut ex Plutarcho ſubinde docebitur. plures autem ἀπὸ τῆς συνόδου. Pag. 70.

Theoni accinit Galenus in Comment. ad lib. I Epidem. ubi de anni ac menſis diverſo genere diſputans, ait tempore ſuo ἐν πολλαῖς τῶν Ἑλληνίδων πόλεων menſes ad Lunam dirigi. XI et Galeno.

Plutarchus etiam in Ariſtide cùm dixiſſet, victoriam Platæenſem contigiſſe ſecundum Athenienſes, quarto die Boëdromionis ineuntis, ſecundùm Bœotios quarto die deſinentis Panemi; differentiam illam putandorum temporum ſic excuſat: τὴν δὲ τῶν ἡμερῶν ἀνωμαλίαν οὐ θαυμαστέον, ὅπου καὶ νῦν, διηκριβωμένων τῶν ἐν ἀστρολογίᾳ μᾶλλον, ἄλλην ἄλλοι μηνὸς ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν ἄγουσι. *Varietatem autem ejuſmodi dierum mirari non oportet: cùm hodiéque, licèt aſtrologicæ res accuratiùs cognitæ ſint, aliud ab aliis menſis initium, ac finis capiatur.* Quibus verbis tempore adhuc ſuo Lunarem in pleriſque ſaltem Græciæ civitatibus annum reſediſſe ſignificat. Nam eamdem, quæ priſcis illis Græcorum temporibus fuerat, varietatem adhuc ſuo perſeveraſſe demonſtrat: quam eo mirabiliorem videri indicat, quo cœleſtium rerum ſcientia major affluebat. Quod argumento eſt, utrobique de Lunaribus menſibus loqui Plutarchum. Alioqui ſi Julianos menſes ætate ſua receptos innueret; admirationis cauſſa ceſſaret; nec aſtrologicarum rerum ad eam augendam incrementa proferret. XII et Plutarcho.

Adjungendi ſunt ad hos omnes poſtremò Heſiodei interpretes Proclus, Moſchopulus, Joannes Tzetzes, Joannes Protoſpatharius. quorum poſteà auctoritates afferemus.

Ad eumdem lunarium menſium uſum probandum pertinent Lycophronis verſus, ubi Caſſandra patrias calamitates volventibus annis affuturas nuncians, menſtruis Lunæ circumvolutionibus hæc ipſa annorum intervalla definit:

Οἰκτρὸν γὰρ οἰκτρὸν κεῖν' ἐπόψομαι φάος,
Καὶ πημάτων ὕψιστον, ὧν κρείων χρόνος
Μήνης ἑλίσσων κύκλον αὐδηθήσεται.

Miſeram enim, miſeram illam videbo diem,
Et cladium maximam, quarum tempus moderator
Lunæ volvens orbem appellabitur.

Hîc poëtam popularem uſurpaſſe temporum menſuram; nemo prudens ambigat. ſed & Iſacius Tzetzes in commentariis ad eumdem hoc adnotat: ἐπειδὴ οἱ παλαιοὶ κατὰ σελήνην τοὺς μῆνας ἐψήφιζον. διὰ δὲ τῶν μηνῶν ὁ χρόνος ἀπαρτίζεται. *Quandoquidem Veteres menſes ad Lunam computabant. annus autem menſibus abſolvitur.*

C A P U T XI.

De anno Solari, quo Græci tacito, ac recondito ſunt uſi. cujus ratio diligenter expoſita: & Alphonſi Carançæ falſa opinatio diſcuſſa. Menſis naturaliter Lunæ proprius, ut annus Solis; & utrumque certa methodo temperatum à Græcis explicatur. τελευταῖον quomodo Græci menſes habuerint.

TERTIUM ſententiæ noſtræ, doctrinæque caput eſt de altero anni genere minimè civili, ac populari, quo Græcos præterea uſos eſſe lib. I de Doct. temp. cap. VII meminimus; quémque majore conatu, quàm operæpretio Alphonſus oppugnat.

Noſtra igitur hæc ratio fuit: Cùm ſit duplex anni Lunaris genus: alterum ſolutum, & expeditum ab anni Solaris commercio; cujuſmodi eſt Arabicus annus: alterum cum illo implicatum, & complexum; quale eſt quod certis intercalationum, ac periodorum nexibus adſtringitur; & Solaris curſus rationibus illigatur: qui priore utuntur anno, nullo præterea opus habere: qui autem poſteriorem deligunt, ab iis non modò Lunæ circuitus; ſed Solares inſuper obſervandos eſſe.

Etenim quoniam in hac poſteriore forma non id ſolùm attenditur, ut menſtrua, vel etiam annua Lunæ ſibi intervalla conſtent: ſed ut ad eoſdem Solarium tempeſtatum cardines adhæreſcant: quemadmodum egregiè Geminus exponit: id autem ſine Solaris curſus obſervatione conſequi nullo modo poſſumus: fit illud neceſſariò, ut qui civilia tempora iſtiuſmodi genere metiuntur; alterum pariter anni genus aſſumant, quod tacitum, & opertaneum, vel reconditum meritò nominamus. Quod adeò domeſtico exemplo penè oculis ſubjicitur. Nam ſi quis de Alphonſo ſciſcitetur, quod anni genus populare ſit Hiſpaniæ, qui civiles, populareſque menſes; Julianos ambos eſſe, ſtatim reſpondebit. Rurſus quoniam anni noſtri Juliani ita cum Lunaribus temperantur, ut decimonono quoque anno vertente, ad idem, unde profecti erant, initium redeant; ſi quis de Lunaribus menſibus, annóve quærat, utrum civiles ſint, negabit extemplo. Taciti ergo, & reconditi ſint oportet; id eſt ab uſu populari ſejuncti.

Sic igitur Athenienſes, Græcique reliqui, quos ad Lunam civilia tempora tranſegiſſe pluribus argumentis evicimus, quod in Lunari facimus, id in anno Solis inſtituebant. Hoc ideo perſuaderi Alphonſo non potuit, quia rerum aſtronomicarum, ac Solis, Lunæque motuum prorſus, ut ingenuè ipſe fatetur, ignarus eſt. Etſi non magna, neque ſubtili ad hoc diſcernendum peritia opus erat: ſed cujuſmodi in pleriſque opificibus, ac ruſticis animadvertimus: qui vulgarem computum, & componendarum inter ſe Solis, ac Lunæ rationum methodum utcumque callent. Cujus inſcitiâ putavit Alphonſus, quod rerum natura nullo modo patitur; ita annos ordinari poſſe, uti menſes ſinguli Lunares ſint, anni ſimplices Solares. Quo quidem remoto, facilè de anno Solari recondito nobis aſſentietur. Etenim ſi Athenienſes, ac Græci reliqui civiles menſes ad Lunam accommodarunt: id autem aliter uſurpari nequit, niſi etiam anni ſinguli Lunares ſint. iidem porrò populi menſes iſtos, & annos non minùs cum Sole, quàm cum Luna congruere voluerunt; ſi quid in nobis eſt judicii, fateamur oportet; hoc unica tantùm ratione potuiſſe perfici, quam ex Gemino antea declaravimus: nimirùm, ut repetitis, & intercalaris menſibus Lunaribus, quamvis ſinguli ſint menſes, annique Lunares; ſumma ſit ipſa menſium, annorúmque Soli non minùs, quàm Lunæ congruens. Quamobrem cùm nulli alii in populari Græcorum uſu, quàm Lunares anni menſéſque fuerint; neque, ſi ad Lunam menſes exigebant, eſſe potuerint: ſequitur proprios Solaris anni menſes, & annum ipſum Solis ſimplicem, extra civilem uſum, tacitum, ac reconditum fuiſſe.

De hoc anno Solari non ea repetam hoc loco, quæ libro I de Doctrina Temporum capite VII pleniùs expoſita ſunt. Duo tamen hîc omittenda non videntur. Alterum variam illius, ut & Lunaris, magnitudinem conſtituiſſe Græcos. Non enim ab ultima vetuſtate, ut
Alphonſ. Pag 74. num. 140. opinatur Alphonſus, Græci Solarem annum ad Julianum modum definierunt: ut ex Herodoto, Gemino, Cenſorino, aliiſque conſtat. ſed juſto majorem initio conſtituerunt; donec partim experientia perdocti; partim ab Aſtrologiæ peritis, qui in Ægypto verſati erant, prudentiores facti, exactiorem ſibi annum Solis adſciſcerent. Paullatim igitur annus uterque progreſſum habuit ad perfectum. Hinc illæ detractiones, adjectionéſque dierum, quas Cicero, aliique commemorant; quæ in Juliana quoque forma, & exactiore Lunari, qua nos utimur, evitari non poſſunt. uti Lunaris ſaltus, ac plenorum menſium continuatio demonſtrat; tum alia quædam, quæ in Gregorianam rationem neceſſariò transfuſa ſunt. Alterum eſt, videri annum illum Solis cum populari complexum ita deſcriptum fuiſſe, ut in eo trecenti, ac ſexaginta dies velut ordinarii haberentur, reliqui tamquam appendices extra numerum accederent; quemadmodum Ægyptii fecerunt; à quibus Græcos didiciſſe probabile eſt. Ex quo ſequitur menſes iſtius anni tricenarios, & æquabiles fuiſſe. Nam quod ad annum ſpectat; plerique Scriptores, cùm de anno ſimpliciter, ac per ſeſe loquuntur, CCCLX diebus eum definiunt; ut Cleobulus in ænigmate, quod de anno circumfertur; ut Plinius; ut Ariſtoteles; ut Philochorus, aliique, quos capite VII libri I de Doctrina Temporum expendimus. Sic etiam tricenarios menſes Cleobulus, ac Philochorus nominatim ſtatuunt. Utrumque Gaza complexus eſt; cujus locum primo de Doctrina Temporum attulimus. Ac cùm & iſte popularem annum, ut oſtendimus, Lunarem fuiſſe non obſcurè doceat; & antiquiores illo ceteri, ut hactenus demonſtratum eſt: alterum profectò populare non fuit; ſed cum populari implicatum, ac tacitum.

Hic verò memoria repetendum eſt, quod de anno, ac menſe eodem libro tradidimus: utrumque bifariam poſſe conſiderari: vel abſolutè ac per ſeſe, ſine ulla popularem ad uſum χρείᾳ, atque reſpectu: vel ut civiliter ordinantur. Priore modo cùm menſem dicimus, ſtatim ad tricenarium animo, & cogitatione recurrimus: de anno cùm loquimur, ad Solarem, ac vertentem reſpicimus. Itaque ambo iſta φύσει quodammodo dicuntur; reliquæ formæ θέσει, & ex civitatum inſtituto. Quod quidem apud Platonem in Timæo legitur. Μεὶς δὲ, ἐπειδὰν σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον ἥλιον ἐπικαταλάβῃ· ἐνιαυτὸς δὲ, ὁπόταν ὁ ἥλιος τὸν ἑαυτοῦ περιέλθῃ κύκλον. quem imitatus in ſomnio Scipionis Cicero, *Homines*, inquit, *populariter annum tantummodò ſolis, id eſt unius aſtri reditu metiuntur.* Populariter ait, hoc eſt vulgò, & natura quaſi duce, cùm ſimpliciter, & abſolutè ſpectatur annus. Accedit & Auguſtinus libro IV. de Trinit. capite IV, ubi annum unum ait duodecim menſibus tricenariis conſtare, eſſeque dierum CCCLX. *Sed quoniam* (ſubjicit mox) *ſicut menſis circuitus Lunæ oſtendit hominibus; ſic annus circuitu Solis animadverſus eſt: reſtant autem quinque dies, & quadrans diei, ut Sol impleat curſum ſuum, annúmque concludat*, &c. Non potuit ad inſtitutum noſtrum, ac ſententiam dici quicquam aptius. Nam & cauſſam præterea complexus eſt, quare, velut inſtinctu quodam, impulſuque naturæ, menſi triginta dies attribuantur. quam nos rationem libro I de Doctrina Temporum cap. VII probavimus. Id enim eo fieri docuimus, quòd Luna, cui peculiaris eſt menſis, triginta circiter diebus curſum ſuum expleat. Quam in rem memorabilis eſt Cleomedis locus libro II, cap. V: ubi de variis menſis acceptionibus agens ſcribit, τὸν μῆνα aliàs tempus eſſe, quod à coitu in coitum extenditur. aliàs ſimpliciter triginta dierum ſpatium. καλεῖται δὲ καὶ τὸ ἀπὸ συνόδου ἐπὶ σύνοδον χρονικὸν διάστημα· καὶ λοιπὸν ὁ τριακονθήμερος χρόνος. ὡς λέγομεν, μῆνα ἀποδεδημηκέναι, ἢ ἐπιδεδημηκέναι· οὐ πάντως τὸ ἀπὸ συνόδου ἐπὶ σύνοδον λέγοντες· ἀλλ᾽ ἁπλῶς τὸν τῶν τριάκοντα ἡμερῶν ἀριθμόν. Ac Veteres quidem initio juſtum hoc eſſe converſionis Lunaris ſpatium arbitrati, cùm menſes ipſos triginta dierum; tum annum Lunæ, trecentorum ac ſexaginta ſtatuerunt. quod ex Herodoto, Gemino, ac Cenſorino capite II ſic affirmavimus, nullus ut dubitandi locus ſit relictus. Sed cùm poſtea deprehenſus eſſet hic error, perſeverarunt in eo tamen populi; neque priſtinum anni ac menſium modum extorqueri ſibi facilè ſunt paſſi. Itaque diebus identidem, ac menſibus eximendis labantis anni ruinas utcumque ſuſtentabant: donec ægrè tandem ab aſtrologis increpiti, admonitique ceſſerunt, & ad exactiorem Lunæ calculum popularia intervalla dimenſi ſunt.

Tum

Tum verò ne iſtud quidem propterea ſublatum eſt, quò velut natura duci homines paullò antè diximus, ut cùm menſem loquendo ſimpliciter exprimerent, tricenarium cogitarent. Non me præterit aliam ab eruditis hominibus, imò verò Scriptoribus antiquis, rei hujus originem afferri, quæ ex partium ſigniferi diviſione petitur: quod dodecatemorion quodlibet in gradus triginta tribuitur. Ita Gaza libro de Menſibus, & ante hunc Theo loco illo, quem antea notavimus; in quo Græcos ait menſes ad Lunam direxiſſe, Ægyptios ad Solem. Sed, niſi nos vehementer fallimur, noſtra illa ratio & naturæ ipſi conſentanea magis eſt, & graviores habet auctores. Imò vix altera illa probari poteſt, duplici de cauſſa. Prima, quoniam diviſio ſigniferi in XII partes, & dodecatemorii cujuſque in XXX gradus, non adeo vetus eſt atque illa annorum in menſes, & menſium in XXX dies apud Ægyptios, & Græcos. Deinde quia non omnia ſigna diebus XXX Sol percurrit. ſed aliqua diebus undetriginta: alia triginta & uno, vel duobus. At Lunæ tamquam peculium quoddam menſis eſt; unde eſt mutua ambos inter appellationis communio. ſiquidem apud Hebræos eadem penitùs vox utrumque ſignificat. Hinc illud Eccleſiaſtici XLIII, 9. *μὴν κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστίν. Menſis ſecundùm nomen ejus eſt.* Græci vero aut ἀπὸ τῆς *μήνης*, id eſt *à Luna*, μῆνας deflexerunt: ut Varro V de lingua Lat. & Theo in Comment. ad Aratum docent. aut è contrario à voce μὴν, μήνην derivarunt. Quippe uti *annum obſervabilem facit Sol circumactu ſuo; ita Luna menſem minoribus ſe ſpatiis flectens*; ait Seneca lib. IV de Benef. cap. XXIII.

Jam vero licèt in civili menſium ordinatione alternis duntaxat triginta Lunæ dies aſſignentur: ipſa tamen per ſeſe perpetuò triceſimum occupat diem. Ideo qui de menſe Lunari etiam exacto loquuntur, ei τελειάδα ferè ſemper tribuunt. ut Geminus; ut Pollux; ut Ariſtophanis Schol. ut Achilles Tatius Iſagoge in Aratum. πεντεκαιδεκαταία γάρ ἐστι πληρωθεῖσα, inquit, ὅ ἐστιν ἥμισυ μηνός, διχαζομένων τῶν λ' ἡμερῶν. *Quintadecima plena eſt. quæ dimidiatus eſt menſis, ſi triginta dies biſariam partiamur.* Neque propterea verum eſt, tricenarios omnes Græcorum menſes fuiſſe, quod parum acutè colligit Alphonſus. Etenim menſem illi conſiderant abſolutè, ac per ſeſe, uti jam diximus, non ut civilium contextu, ac ſerie continetur. Nam illo modo τελειάδα ſemper obtinet. quamvis eam non impleat. Quippe triceſimo die ab eo, quo cœpit, perpetuò deſinit. Quare nullus menſis Lunæ, ſi ſeparatim ſumatur, τελειάδι ſuâ caret. Ut hæc naturalis eſt, & certiſſima cauſa, quæ tricenarium in menſibus numerum hominum uſui commendavit. ſic ad eam conciliatrix quadam opportunitas acceſſit. quod iſte numerus æquabilis, & uniformis ſit, & ad communem inter homines computandi rationem magis idoneus. Eſt enim numerus cùm per ſeſe; tum in tempore, menſura quædam. Menſura porrò ſimplex, & uniformis eſſe debet, ac ſui ſimilis. Hujuſmodi verò eſt in menſe tricenarius numerus. in quem tacita quadam conſpiratione gentes omnes conſentiunt, etiam illæ, quæ inæqualibus menſibus populariter utuntur.

Quam ob cauſſam Ægyptii primùm, tum eorum imitatione Græci videntur, cùm annuum Solis curſum in annum ſuum, illi popularem, iſti reconditum, derivare cuperent, (quod quidem accuratiùs Græci, quàm Ægyptii fecerunt) annum legitimum, ac velut ordinarium, diebus trecentis & ſexaginta definiiſſe, reliquos dies, tamquam appendices, extra ordinem arrogaſſe. Hoc, inquam, ut facerent, tricenariorum illos menſium commoditas induxit. quorum æquabilem tenorem ſuperfuſi, & in legitimam ſeriem diſtributi dies illi quinque perturbant.

Ad ſummam etſi annus abſolutè, ac naturaliter Solaris circuitus intervallo deſcribitur: menſis verò, Lunæ propriè tribuitur; non ideo conſequens eſt, utrumque populariter adhibitum fuiſſe; aut in civilem aliquam, ſimplicémque formam ita poſſe coaleſcere, ut tam anni ſinguli cum Sole, quàm ſinguli menſes cum Luna conveniant. Huic enim temporis natura ipſa reclamat, uti ſupra capite V demonſtravimus. Neque verò, ſi quem populum, civitatemve conſtet, cujus alterutro genere definitus eſſe civilis annus; alterum quoque certos ad uſus adſciviſſe, quorum æquabilis, & rata eſſe menſura debet; ambos aut putare, aut appellare civiles, popularéſve annos oportet. quippe cùm unicum tantummodò, quod antè dictum, & dicendum ſæpiùs eſt; genus anni civile eſſe poſſit: quamvis aliter juris potius, quam temporis conſultus perſuadere velit Alphonſus. Quod quidem in uno Judæorum exemplo declarabitur. Etenim civilis annus, quo utuntur hodie Judæi, unicus eſt, idemque Lunaris: ut & Rabbinorum commentarii omnes; & Latinorum, qui de Judaico computo benè multi exſtant, ad unum docent. nec ullus hactenus fuit, qui Solarem annum popularem aliquot ab hinc ſæculis Judæorum eſſe ſcriberet. Atqui idem illi Judæi, ex quo Lunarem annum, cyclúmque populariter uſurpant, alterum nihilominus genus anni Solare pariter adhibent, quo Sabbaticos annos, Jobelæos, ac longinqua poſſeſſionum intervalla circumſcribunt: ut ex R. Arama libro Hakedath Iitſak oſtendimus in ſecundo de Doctrina Temporum cap. XXXI. Minimè itaque civilis, aut popularis annus is eſt, cujus utcumque ſenſus, atque uſus ad cives pertinet. ſed ille duntaxat, quo publica, privatáque, ut jam diximus, & quidem ordinaria acta continentur.

CAPUT XII.

Quatenus Græci omnes populi, & quamdiu Lunarem annum civilem obtinuerunt. Galeni locus inſignis illuſtratur, & caſtigatur. de biſextilis diei ſitu in anno Juliano falſa ejuſdem opinio.

DUo hîc animadvertenda ſunt, ac diſtinguenda tempora: alterum, quod Julianam editionem anteceſſit; alterum, quod eam ſecutum eſt. Si de priore ſermo ſit; quænam apud Græcos anni forma tum eſſet, ſatis hactenus explicatum, demonſtratúmque eſſe confidimus. Cùm autem Scriptores illi, quorum teſtimonio freti Græcis Lunarem annum adſcribimus, ὁριστῶς, & ſine ulla reſtrictione loquantur, commune Græcorum id omnium inſtitutum fuiſſe videtur. Sed cùm Græciæ, ac Græcorum appellatio latiſſimè pertineat: ut non propriam, germanámque modò Græciam, quæ Achaia, ſive Hellas poſtea eſt dicta, contineat; ſed etiam civitates, ac colonias omnes, quæ ſermone Græco uterentur; non temerè de Græcis poſterioris hujus generis omnibus affirmari debet; civilem, perinde, ut priores illos, annum ad Lunam habuiſſe deſcriptum; niſi quatenus id de ſingulis certi auctores aſſeverant. Quamquam ea nonnullorum, quos teſtes adduximus, Scriptorum oratio fuit, uti ab hac lege, & obſervatione Græci nominis populum exciperent neminem. Verumtamen, ut ab omni temeritate ſententiam noſtram contineremus, interdum univerſè de Græcis omnibus pronunciare veriti ſumus, ac particulam *ferè* adjunximus: uti capite VI, libri IV de Doctrina Temporum ubi ita ſcripſimus: *Etenim cùm primùm epocha illa Seleucidarum, & Alexandrea condita eſt, anni Lunares erant, ut & Græcorum ferè omnium, & Judæorum.* Hanc noſtram in ſcribendo cautionem, quàm probare debuerat, fruſtrà vexat * Alphonſus: eámque ad immutatæ ſententiæ, & inconſtantiæ fidem, & invidiam trahit. Abſurdè id quidem: ut & illud importunè, quod nos concipere nominatim civitates illas jubet, quas à communi Lunaris anni lege velimus exceptas. Nos inquiſitioni iſti, ſi ſapimus, nihil reſpondebimus. Nam non eſt digna, cujus ratio habeatur.

* Pag. 16, num. 39, & 40.

Poſt Julianam formam ab Julio Cæſare, vel Auguſto publicatam, non ſtatim, nec ab omnibus transmarinis civitatibus, extorta Lunari, nova illa recepta eſt popularis anni ratio; ſed paullatim progreſſum res habuit, ac non eodem omnes tempore; verùm alii poſt alios ad victoris ſeſe populi uſum, morémque finxerunt. Neque verò unum omnes, idémque cum Romanis fixi, ac Juliani anni primordium ceperunt. ſed ab autumno citciter plerique ſunt exorſi: ut Ægyptii; ut Syromacedones; ut Athenienſes. Sic in menſium deſcriptione Juliano ab modo diſcreparunt. Nam tricenarios aliqui menſes omnes habuerunt cum appendicibus quinque, & biſextili. Quibus porrò temporibus ſingulæ nationes, ac civitates hæc apud ſe conſtituerint, difficile eſt dictu: imò dici de omnibus ab nullo poſſe mortalium arbitror. De paucis quidem exigua ſunt Veterum in ſcriptis impreſſa veſtigia, quibus inſiſtere conjectura poſſit.

Imprimis verò luculentus eſt Galeni locus Comment. in I Epidem. quem * Alphonſus ex Latino interprete deſcripſit: quòd io eo firmiſſimum ad nos oppugnandos habere ſe momentum, ac præſidium putaret. Sed cùm & in illo loco caſtiganda nonnulla ſint, & abſurdiſſimè, ne quid gravius dicam, ex eo contra nos argumentetur Alphonſus; operæpretium erit cùm ad præſentem, tum ad inſequentem diſputationem hîc illum expendere, poſtquam Græcè à nobis fuerit, Latinéque deſcriptus.

* Pag. 30.

Quòd igitur Hippocrates aëris affectiones varias annuis tempeſtatibus quatuor, vel ſiderum quorumdam ortu, occaſúque deſignarat, ſine ulla mentione civilium menſium; id quo conſilio fecerit, latiùs explicans Galenus ita ſcribit:

Atque hæc quidem ſemel à me modo dicta ſint. quæ ego ad omnia, quæ deinceps dicenda ſunt, memoria teneri velim: ut ad ſingularum nationum menſes, qui alii aliis ſunt, facilè transferri queant. Nam ſi eaſdem haberent omnes, non Arcturi, aut Vergiliarum, Caniſve, vel æquinoctiorum, ac ſolſtitiorum mentionem feciſſet Hippocrates. ſed ſatis haberet dicere, Macedonico putà menſe aliquo nominato; ineunte Dio; talem aëris conſtitutionem fuiſſe. Verùm quia Dius ſolis Macedonibus cognitus eſt, Athenienſibus verò, & aliis hominibus ignotus, Hippocrates autem de omnibus omnium nationum hominibus benè mereri cupiebat, conſultius fuit, ut ſolius æquinoctii meminiſſet, ſine ulla menſis appellatione. Eſt enim æquinoctium mundana quædam res; menſes verò uniuſcujuſque gentis proprii. Jam verò quiſquis eſt Aſtronomiæ rudis, maxime is quidem ſcire debet, ſe Hippocrati non obſequi, qui ad illius ſtudium hortatur, propter uſum eorum, quæ dicta ſunt. Sed quoniam humanitatis eſſe videtur vel eos, qui ejuſmodi ſunt, juvare velle; enitar, quoad potero, ut illis opem feram; cui ſi animum adjungant, eorum omnium, quæ ab Hippocrate dicta ſunt, utilitate non carebunt. Quoniam igitur annus omnis quadrifariam dividitur, pro æquinoctiorum, ſolſtitiorúmque ratione, ſi quis ſemel aſtronomiæ peritum aliquem interroget; quibus menſibus quatuor illæ partes competant, ubi iſta didicerit, poterit & reliquas ſingulorum ſiderum ſignificationes conſequenter agnoſcere. Ut exempli cauſſâ, ſi jam edoctus fuerit in Dii menſis initium autumnale æquinoctium cadere; ſtatim intelliget, poſt tres circiter menſes, hibernum ſolſtitium fore, ineunte, quem iidem illi Macedones vocant, Peritio menſe. vernum item æquinoctium Artemiſio; ac denique ſolſtitium æſtivum ineunte Loo. Nam hiſce menſibus ineuntibus æquinoctia, & ſolſtitia contingunt; ſi Macedonum more menſes putare, & appellare velimus. Porrò qui hæc ipſa didicerit, ſi præterea cognoſcat, Arcturum duodecim circiter diebus oriri ante æquinoctium autumnale: Vergilias autem poſt quinquaginta ferè dies occidere; ſciet idem quota in anno quolibet menſis die utrumque ſidus oriatur. ac, ſi Hippocrati auſcultare velit, obſervare poterit, cujuſmodi in aëris temperie ſit facta mutatio. Oportet autem menſes non ad lunam numerare: ut pleræque Græcæ urbes inſtituerunt: ſed ad ſolem; ut in Romanis omnibus, ac multis gentium civitatibus hodie numerantur. Nam apud Romanos annus totus duodenas in partes tribuitur. è quibus una dies habet octo, & viginti; quem alterum ab hiberno ſolſtitio menſem vocant. qui verò proximus ab ſolſtitio eſt, unum habet, & triginta; ſicut ille, qui à ſolſtitio tertius eſt. at quartus tricenarius eſt: quintus triginta, & uno conſtat. ſextus triginta. ſequentes duo, ſinguli triginta & unum habent. poſt hos qui ſequitur tricenarius eſt. quem qui excipit uno ampliùs colligit; iſque ordine decimus eſt. undecimus triginta; duodecimus unius & triginta dierum eſt. Quibus ex omnibus diebus ſi unam ſummam confeceris, conſient ex omnium menſium diebus, trecenti & ſexaginta quinque dies. Hoc modo numeratis annis quatuor, tertium à fine anni quarti menſem dierum ſtatuunt duorum & triginta. uti quilibet annus ex diebus trecentis ſexaginta quinque componatur, addito inſuper unius diei quadrante. Apud eos verò, qui Palæſtinam incolunt, duodeni menſes ſummam dierum colligunt CCCLIV. Etenim cùm ab lunæ cum ſole coïtu ad alterum ſimilem, tempus interjectum fit dierum novem & viginti, cum unius diei circiter dimidio, eo fit, ut menſes duos, qui diebus conſtant LIX, in partes inæquales dividant; quarum altera triginta, altera novem & viginti dierum conſtituitur. Itaque qui ad hunc modum menſes ſuos inſtituunt, coguntur intercalarem quemdam adhibere menſem, cùm ſuperiorum annorum reſiduum collectum ad unius menſis ſummam excreverit. Ac cùm alii nonnulli, tum Hipparchus ſcriptis prodidit quandonam intercalares menſes inferendi ſint. Quamobrem, uti jam diximus, qui hoc modo menſes computant, dies certos aſſignare nequeunt,

Ταῦτα δὲ ἅπαξ μὲν εἰρήσθω μοι νῦν· εἰς δὲ τὸν ἑξῆς ἅπαντα λόγον, μνημονευέσθω, πρὸς τὸ μετάγειν ῥᾳδίως εἰς τοὺς ἐν ἑκάστῳ τῶν ἐθνῶν μῆνας ἄλλους παρ᾽ ἄλλοις ὄντας. εἰ οἱ πάντες εἶχον τοὺς αὐτοὺς, οὐκ ἂν Ἀρκτούρου, καὶ Πλειάδος, καὶ Κυνὸς, ἰσημεριῶν τε, καὶ τροπῶν ἐμνημόνευσεν ὁ Ἱπποκράτης· ἀλλ᾽ ἤρκεσεν ἂν εἰπεῖν αὐτῷ, κατὰ Μακεδόνας, εἰ οὕτως ἔτυχεν, ὀνομάζοντι, τοῦ Δίου μηνὸς ἀρχομένου, τοιάνδε τινὰ γενέσθαι κατάστασιν ἐν τῇ * περὶ τοῦ ἔχοντος ἀέρος. νυνὶ δὲ ἐπειδὴ τὸ Δῖον Μακεδόσι μὲν μόνοις σαφὲς, Ἀθηναίοις δὲ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἀσαφὲς· Ἱπποκράτης δ᾽ ἐθέλων τοὺς ἐξ ἁπάντων τῶν ἐθνῶν ὠφελεῖν, ἄμεινον ἔδοξεν αὐτῷ γράψαι μόνην τὴν ἰσημερίαν, ἄνευ τοῦ μνημονεῦσαι τοῦ μηνός. ἡ μὲν γὰρ ἰσημερία κοσμικόν ἐστι πρᾶγμα· οἱ δὲ μῆνες ἐπιχώριοι καθ᾽ ἕκαστον ἔθνος. ὅστις γοῦν ἀστρονομίας ἀπείρως ἔχει, μάλιστα μὲν ἴστω μὴ πειθόμενος Ἱπποκράτει προτρέποντι πρὸς αὐτὴν, ἕνεκα τῆς τῶν εἰρημένων χρήσεως. ἐπεὶ δὲ φιλάνθρωπον εἶναι δοκεῖ καὶ τοὺς τοιούτους ὠφελεῖν, ἐγὼ πειράσομαι τὴν ἐνδεχομένην ὑπογράψαι βοήθειαν, ᾗ προσέχοντες τὸν νοῦν, * ἁπάντων, ὧν Ἱπποκράτης λέγει, καρπώσονται τὴν χρῆσιν. τεμνομένου γὰρ τοῦ παντὸς ἔτους εἰς τέσσαρα κατ᾽ ἰσημερίας, καὶ τροπὰς, ἅπαξ τις ἐρωτήσας ἀστρονομικὸν ἄνδρα τὰ τέσσαρα μέρη ταῦτα ἐν τίσι γίνονται μησὶν, εἶτα εἰδὼς αὐτὰ, διαγνώσεται καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἐπισημασιῶν τῶν καθ᾽ ἕκαστον ἄστρον ἀκόλουθον ἐπιστήμην· οἷον, εἰ οὕτως ἔτυχεν, ἐὰν προμάθῃ τὸ κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Δίου μηνὸς, καὶ φθινοπωρινὴν γίνεσθαι ἰσημερίαν, εἴσεται τὴν μὲν χειμερινὴν τροπὴν, ὡς μετὰ τρεῖς μῆνας ἐσομένην ἐν ἀρχῇ τοῦ * καθ᾽ ἑαυτὸν ἀπελλαίου μηνός. τοῦτο γὰρ σημαίνει κατὰ Μακεδόνας τὴν δὲ ἐαρινὴν ἰσημερίαν, Ἀρτεμισίου καθάπερ γε καὶ τὴν θερινὴν τοῦ Λώου. κατὰ γὰρ τὰς ἀρχὰς τῶν εἰρημένων μηνῶν αἵ τ᾽ ἰσημερίαι, καὶ αἱ τροπαὶ γίνονται, κατὰ Μακεδόνας ἀριθμούντων τε, καὶ ὀνομαζόντων τοὺς μῆνας. ὁ τοίνυν ταῦτα μαθὼν, εἰ προσεπιμάθῃ τὴν μὲν Ἀρκτούρου ἐπιτολὴν πρὸ ἡμερῶν ὡς ιβ' τῆς φθινοπωρινῆς ἰσημερίας· Πλειάδας δὲ * δύο μῆνας, ὡς μετὰ πεντήκοντα, γνώσεται πόσῃ τοῦ καθ᾽ ἕκαστον * αὐτῶν μηνὸς ἑκάτερον τῶν ἄστρων ἐπιτέλλει, παραφυλάξει τε, βουλόμενος ἀκολουθεῖν Ἱπποκράτει, τὴν μεταβολὴν τῆς περὶ τὴν ἀέρος κρᾶσιν, ὁποία τις ἐγένετο. χρὴ δὲ δηλονότι τοὺς μῆνας οὐ πρὸς σελήνην ἀριθμεῖσθαι, καθάπερ ἐν ταῖς πλείσταις νῦν τῶν Ἑλληνίδων πόλεων, ἀλλὰ πρὸς ἥλιον, καὶ ἐν αὐταῖς τε τῶν * ἀρχαίων, καὶ ἐν πολλαῖς τῶν ἐθνῶν ἀριθμοῦνται. καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ὁ σύμπας ἐνιαυτὸς εἰς ιβ' διῃρημένος, ἑνὸς μὲν αὐτῶν ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἡμερῶν ὄντος, ὃν δεύτερον λέγουσι μετὰ τὰς τροπὰς χειμερινάς· αὐτῷ δὲ τοῦ πρώτου μετὰ τὰς τροπὰς, ὃν καὶ πρῶτον ὅλου τοῦ ἔτους ἀριθμοῦσιν, μίαν μὲν ἐπὶ τῶν λ' προσειληφότος· ὥσπερ γε καὶ τοῦ τρίτου μετὰ τὰς τροπάς. καὶ γὰρ καὶ οὗτος αὐτοῖς ἐστι μιᾶς καὶ λ' ἡμερῶν. ὁ δὲ τέταρτος τριακονθήμερος. ὁ δὲ πέμπτος μίαν ἐπὶ ταῖς λ' προσείληφεν. ὁ δὲ ἕκτος * τριακονθήμερος. μετὰ δὲ ἕκτον δύο, μιᾶς καὶ τριάκοντα. ὁ δὲ μετὰ τούτους τριακονθήμερος. ὁ δὲ ἐφεξῆς τῷδε μιᾶς καὶ τριάκοντα δέκατος ὢν τὸν ἀριθμὸν ὅλου τοῦ ἔτους. καὶ ὁ μὲν ια' τριάκοντα ἡμερῶν. ὁ δὲ ιβ' μιᾶς ἐπὶ ταῖς λ'. συναριθμηθεῖσαι δέ σοι τὰς καθ᾽ ἕκαστον τῶν μηνῶν γινομένας ἡμέρας, αἱ πᾶσαι γίνονται τ', καὶ ξ', καὶ ε'. καὶ τεσσάρων δ᾽ οὕτως ἀριθμηθέντων τῶν ἐτῶν, ἐν τῷ δ' τὸν τρίτον ἀπὸ τοῦ δ' ποιοῦσι δυοῖν, καὶ λ' ἡμερῶν· ἵνα ἕκαστος τῶν ἐνιαυτῶν γίνηται τξε' ἡμερῶν, καὶ προσέτι * τετάρτης ἡμέρας ἡμέρας μιᾶς. τοῖς δὲ κατὰ Παλαιστίνην ἀριθμοῦσιν οἱ δώδεκα μῆνες ἀριθμὸς ἡμερῶν γίνονται τνδ'. ἐπειδὴ γὰρ ἀπὸ συνόδου τῆς πρὸς ἥλιον αὐτῆς χρόνος ἄχρι πάλιν ἄλλης συνόδου πρὸς ταῖς θ' καὶ εἴκοσιν ἡμέραις, ἔτι καὶ ἄλλο * μέρος ἥμισυ προσλαμβάνει, διὰ τοῦτο τοὺς δύο μῆνας ἡμερῶν γινομένους θ' καὶ ν', τέμνουσιν εἰς ἄνισα μέρη, τὸ μὲν ἕτερον αὐτῶν λ' ἡμερῶν ἐργαζόμενοι, τὸ δὲ ἕτερον θ' καὶ κ'. ἀναγκάζονται τοιγαροῦν οἱ οὕτως ἄγοντες τοὺς μῆνας ἐμβόλιμόν ποτε ποιεῖν, ὅταν πρῶτον ἀθροισθῇ τὸ τῶν ἔμπροσθεν ἐνιαυτῶν ἔλλειμμα, καὶ γένηται χρόνος ἑνὸς μηνός. καὶ γέγραφαί γε τῶν ἀστρονόμων καὶ ἄλλοις τισὶ, καὶ Ἱππάρχῳ, ὁπηνίκα χρὴ τοὺς ἐμβολίμους μῆνας ἐμβάλλεσθαι. διόπερ, ὡς ἔφην, ὅσοι ἐπὶ * τούτων ἀριθμοῦνται τοὺς μῆνας, οὐκ ἔστιν ὁρίσαι τὰς ἡμέρας, ἐν αἷς αἱ ἰσημερίαι τε, καὶ τροπαὶ, καὶ

τῶν ἐπι-

* Cor. τοῦ ἀέρος.
* Deeſt ἀπολαύσουσι.
* Cor. τοῦ καθ᾽ αὐτοὺς Περιτίου.
* Cor. δυσμάς.
* f. ἑκάστου.
* Cor. Ῥωμαίων.
* Cor. τριακονθήμερος.
* Cor. τετάρτου μέρος.
* for. διάλειμμα ἥμισυ.
* Cor. τῶν οὕτως ἀριθ. τοὺς μῆνας.

τῶν ἐπιφανῶν ἄστρων αἱ ἐπιτολαὶ γίνονται κατὰ τὸ τὰς περὶ ἥλιον ἄγοντας ἑορτὰς δυναμένων, ὥσπερ ἔθος ἐστί τε Ῥωμαίων, καὶ Μακεδόνων, Ἀσιανῶν τε τῶν ἡμετέρων, καὶ πολλῶν ἄλλων ἐθνῶν. quibus æquinoctia, vel ſolſtitia, vel inſignium ſiderum ortus accidant. at ex eorum inſtituto, qui annum ſuum ad ſolem accommodant, definiri poteſt. quemadmodum diximus facere Romanos, & Macedones, nec non Aſiaticos noſtrates, ac pleraſque nationes alias.

Ex hoc Galeni loco diſcimus, hujus ætate Macedonas quidem, & Aſianos Pergamenos, ac complures alias nationes anno fixo ac Juliano oſas eſſe populariter; ſed aliter ac Romæ diſtributos fuiſſe menſes. Nam Romanorum menſium ordinationem, tamquam civibus ſuis peregrinam, accuratiùs exponit; & ipſo genere ſermonis diverſam ab illis apud tranſmarinos rationem exſtitiſſe ſignificat.

Tricenarii ergo fuerint, & ad Ægyptiorum conſuetudinem exacti; cujuſmodi capite ſuperiori in opertaneo Græcorum anno conſtituimus. At idem Galenus penes quàm-plurimas Græciæ civitates Lunarem annum reſediſſe docet: & quidem uſu populari. Non enim de alio quàm populari genere loquitur. Sed mendum in illis verbis eſt: καὶ ἐν ἁπάσαις τῶν ἀρχαίων, ἢ ἐν πολλαῖς τῶν ἐθνῶν ἀριθμεῖται. quod ad eum ſenſum referri videtur, ut apud antiquas omnes civitates Solaris annus exſtiterit. Quo itidem argumento contra nos Alphonſus utitur. Verùm doceat nos imprimis neceſſe eſt, quæ tandem verbis iſtis ſubeſſe ſententia poſſit. Eſt enim abrupta præciſáque particula καὶ. Deinde cùm dixiſſet, in omnibus Græciæ civitatibus ad Lunam annos eo, quo ſcribebat, tempore comparari; quo ſenſu, obſecro, ſubjiceret; ad Solem in omnibus antiquorum, id eſt antiquis urbibus numerari? Si antiquæ illæ civitates Græciæ populi ſunt, ut interpretatur Alphonſus, quomodo à ſeipſis diſſentiunt, & Solarem modò annum obtinent, quas Lunarem paullò antè retinuiſſe dixit. Non enim valet illa tergiverſatio, ut uterque civili conſuetudine receptus apud eoſdem annus fuerit. Quippe ambo hæc inſtituta Lunaris, ac Solaris formæ opponit invicem, neque penes eoſdem civiliter fuiſſe demonſtrat. unde & diverſa utriſque præcepta tradit, ut ſciant quemadmodum in ſuis quique menſibus tempeſtatum cardines inveſtigare debeant. Quod neceſſe non fuit, ſi uniuſmodi tricenariorum menſium deſcriptio communis omnibus eſſet; ut opinatur Alphonſus. Denique barbara iſta ſunt, & ab uſu Græcitatis aliena; ἁπάσαις τῶν ἀρχαίων, & πολλαῖς τῶν ἐθνῶν πόλεις, quæ τῶν Ἑλλήνων opponantur. Mihi dubium non eſt, quin pro ἀρχαίων ſcribendum ſit Ῥωμαίων, hoc modo καθάπερ ἐν πάσαις τε τῶν Ῥωμαίων, καὶ ἐν πολλαῖς τῶν ἄλλων ἐθνῶν. Romanorum civitates vocat, quæ in Italia, viciniſque regionibus ſunt, aut Romanorum colonias. Ac neſcio an non plura iiſdem illis verbis adjungenda ſint. Nam in fine non ſolùm Romanos, ſed etiam Macedones, & Aſianos commemorat; & cùm adjicit, ὡς ἔφην, indicat antea ſe de iiſdem feciſſe mentionem.

De biſſextili die in anno Romano Galeni hallucinatio.

Jam verò in biſextilis diei aſſignanda ſede in anno Romano mirificum quiddam aſſerit Galenus. Scribit enim evoluto anno quarto, tertium menſem à Solſtitio, (nempe Martium anni quinti) dierum fieri duorum & triginta: ut unius acceſſione diei quadrantis in annis ſingulis omiſſio compenſetur. (Legendum enim eſt in Græco, ἐν τῷ ε', ὁ τρίτος ἀπὸ τῶν τροπῶν, &c.) Ex quo ſequitur, Romanos Januarium ab ingreſſu Solis in Capricornum iniiſſe; Februarium ab ingreſſu circiter in Aquarium; ac reliquos ſeptem, vel octo diebus initium, quod modò habent, antevertiſſe. Sic enim biſextilis dies in Martium inciderit, non in Februarium. Atque hoc ipſum Geneſio Sepulvedæ olim venerat in mentem, déque ea re exſtat Contareni ad illum epiſtola. ubi cùm loci illius Galeni à Sepulveda allati meminerit, non ex iis tamen verbis, quæ nos expendimus; ſed ex aliis ſuſpicionem ſuam Sepulveda firmabat, quibus Galenus ait Februarium alterum eſſe poſt ſolſtitium menſem quod ad rem valdè non pertinet. quæ nos autem attulimus, hoc, quod volebat, conficiunt. Sed hallucinatum nihilominus eſſe Galenum exiſtimo: neque Romanos umquam menſes Julianos aliunde, quàm nos facimus, inchoaſſe. Id enim ex Varronis, Columellæ, Plinii, Ovidii, ac reliquorum Veterum teſtimonio perſpicuum eſt. tum ne aliter quidem Sepulveda ſentit, cùm in libro de anni correctione; tum in epiſtola quadam ad Contarenum. Fieri poteſt ut Julianorum menſium numerum eumdem cum Romanis, initia tamen diverſa, civitates quædam adſciverint; quarum uſum ad Romanos ipſos per inſcitiam, aut imprudentiam Galenus tranſtulerit.

Lib. I. de Doct. temp. cap. XXIV.

Sed ut eò revertar, cujus gratiâ Galeni iſte locus adductus eſt, Macedones quidem, & Aſiatici Galeni populares, hujus tempore, Julianum annum, id eſt fixum, & Solari proximum, in uſum civilem acceperant. Id enim illius verba planiſſimè demonſtrant. quæ priuſquam legiſſemus, ſuſpicabamur menſes illos Macedonicos, veteres, ac Lunares, non Solares fuiſſe, Lalamantium ſecuti; apud quem pauca illius Galeniani loci verba legebamus. Sed ubi Græci codicis copiam nacti ſumus, intelleximus Macedonas per id tempus Lunaribus menſibus uti deſiiſſe: Græcos verò pleroſque retinuiſſe. quod argumento eſt, iſtos civilem quondam annum ad Lunam applicaſſe. ut mirum ſit, Alphonſum ad opinionis ſuæ patrocinium hunc Galeni locum attuliſſe. qua de ejus argumentatione poſteà. Neque verò Galeni ſolùm tempore, ſed etiam diu poſtea, Græciæ pars maxima Lunarem retinuit annum, ut ex Theone conſtat, cujus teſtimonium cap. XII poſuimus.

Epiphanius Hæreſi LI, num. XXIV natalis Dominici, ac Paſſionis tempus diverſarum civitatum popularibus annis obſignans, haud obſcurè Athenienſibus Julianum, id eſt fixum annum tribuit, menſes tricenarios. è quibus Mæmacterion Januario reſpondet; Metagitnion Novembri, cujus ſeconda die incipit. Proinde Boëdromion ſecundo die Decembris init; Hecatombæon Octobris tertio. Ita menſium ordo commutatus eſt. Nam Hecatombæon à Solſtitio ad Æquinoctium circiter tranſlatus eſt. Vide quæ & ad Epiphanium primò; & in IV de Doctrina Temporum cap. VIII, tum libro hujus operis VI, cap. V poſtea diſputavimus. ubi & de menſium Atticorum ſerie accuratè egimus.

Ex his verò fruſtra eſſe conſtat Alphonſum, qui tricenarios illos Epiphanii menſes perpetuò apud Athenienſes obſervatos eſſe credit, eoſdémque cum appendicibus quinque, & uno intercalari, non poſt Julianam demum conſtitutam in ea urbe formam adhibitos putat. Cujus erroris falſitatem ſuprà, cum ageremus de anno Lunari Attico, convicimus.

C A P U T XIII.

Expenduntur teſtimonia Veterum, & argumenta, quibus Alphonſus à Caranza Lunarem Græcorum oppugnat annum, atque æquabilem adſtruit.

QUI de Attico anno, atque Græco quæ ſunt ſuperioribus enarrata capitibus intelliget, nihil ei tam erit facile, quàm Alphonſi argumenta omnia & auctoritates explicare, quibus ſententiæ noſtræ vim ac robur infringere conatus eſt. Nam & horum pleraque ſparſim, uti ſeſe offerebant, iiſdem illis capitibus abſolvimus. Quo minùs neceſſe modò videtur, iis in diſſolvendis operam ponere, ſingillatimque perſequi. Verùm quod in quibuſdam tractandis partim graviſſimè interdum ille lapſus eſt; partim illuſtrandæ nobis doctrinæ noſtræ, ac veritatis occaſionem patefecit; non otioſum putavi præcipua quæque illius argumenta, & teſtimonia unum ac poſtremum in caput conferre: his videlicet omiſſis, quæ vel ſuprà diligentiùs pertractata ſunt; vel ad opinionis illius aſſeverandam fidem nulla re alia, quàm ordine ipſo, numeróque pertinent.

Alphonſus pag. 17, num. 12. Heſiodus III. Ἔργα καὶ ἡμέρ.

Ex his teſtimoniis primum ſit, quod ab Alphonſo ad ſatietatem uſque repetitur, Heſiodium illud, in quo τῆς τριακάδος meminit, quam & ἔνην vocavit. unde concludit, tricenarios omnes Græcorum fuiſſe menſes, ſi quidem tricesimam diem omnes habebant. Atque ut nos undique conſtrictos, intercluſóſque teneat: quod unum reſponſuros putabat, Heſiodum de menſe Lunari vetere loqui, qui triginta diebus præcisè conſtare creditus eſt, uti ſuprà cap. XI diſſeruimus. iſtud ipſum longiſſimis ambagibus non evertit quidem, ſed non ta-

euiſſe

cuiſſe videri voluit. At nos eo modo non utemur. Sed hoc unum de Alphonſo percontabimur, credátne aliud menſium genus, quàm lunare, Heſiodum intellexiſſe. Id ſi affirmet propterea quod lunaris menſis triginta diebus minor eſt; iis eum auctoribus convincemus, qui lunarem menſem diebus triginta definiunt, & quidem exactum. Ita Geminus: ita Achilles Tatius: qui menſtruum orbem Lunæ triceenûm dierum ſtatuunt; uti ſuprà vidimus. Diodorus item Siculus Lib. I, pag. 15, nonnullorum opinionem referens, qui Ægyptiorum annos olim menſtruos fuiſſe dicebant, ἀπίστου γὰρ ὄντος, inquit, τοῦ πλήθους τῶν ἐτῶν, ἐπιχειροῦσί τινες λέγειν, ὅτι τὸ παλαιὸν, οὔπω τῆς περὶ τὸν ἥλιον κινήσεως ἐπεγνωσμένης, συνέβαινε κατὰ τὴν τῆς σελήνης περίοδον ἄγεσθαι τὸν ἐνιαυτόν. διόπερ τῶν ἐτῶν τριακονθημέρων ὄντων οὐκ ἀδύνατον εἶναι βεβιωκέναι τινὰς ἔτη χίλια, καὶ διακόσια. *Sed cùm incredibilis ſit annorum illa multitudo, ſunt qui aſſerere conentur, olim, antequam ſolis motus eſſet cognitus, accidiſſe ut ad Lunæ circuitum exigeretur annus. Unde cùm anni ſinguli triginta conſtarent diebus, fieri poſſe, ut aliqui mille, ac ducentos annos vixerint.* Philo Judæus περὶ κοσμοποιίας, poſtquam docuit è Solis, Lunæque circuitibus oriri tempora; unde numerus originem habuit, ἐκ γὰρ μιᾶς ἡμέρας, ait, τὸ ἕν, καὶ ἐκ δυοῖν, τὰ δύο· καὶ ἐκ τριῶν τὰ τρία· καὶ ἐκ μηνὸς, τὰ τριάκοντα. *Ab uno die unitas: ex duobus diebus, duo: ex tribus, tria: ex menſe, triginta.* Cleomedes Lib. I Cap. III, Lunam ait συνοδεύειν τῷ ἡλίῳ διὰ λ' ἡμερῶν. Geminus Cap. VII menſi lunari perfecto τριακάδα tribuit, in eáque σύνοδον fieri dicit. Orus Apollo cap. IV, de menſe, Lunam ait ἐν τῇ ἀποκρύψει τὸν ἀριθμὸν τῶν τριάκοντα ἡμερῶν πληρώσασαν εἰς τὸ κάτω τὰ κέρατα νεύειν. *cùm decreſcit, expletis diebus triginta, deorſum cornibus vergere.* Quam ob cauſſam ait Ægyptios Lunam deorſum inclinatam pingere, cùm menſem exprimunt. Igitur Lunæ curriculo paſſim triceni dies imputantur. quod capite illo XI ſatis explicavimus. Hoc ſi ita eſt, nihil Heſiodi locus ille Juriſconſultum adjuvat. Non enim efficit, lunarem non fuiſſe menſem illum, quo de verba facit Heſiodus; ſed τριακάδα habuiſſe. cujuſmodi lunares omnes menſes habuerunt, etiam cavi. Sed vide omninò caput noſtrum XI.

Heſiodus contra Alphonſum explicatus.

Atque ut intelligant omnes, abſurdè feciſſe Juriſconſultum, qui in hoc Heſiodi carmine citando operæpretium ſe ad cauſſam ſuam ullum feciſſe putaverit; oſtendam ex conſenſu Græcorum omnium interpretum, Lunarem inde annum affirmari potius, quàm æquabilem.

Proclus auctor antiquus. (Vixit enim ſæculo quarto; utpote Syriani auditor, qui Jamblici diſcipulus fuit, ut refert Suidas) ad illa ipſa Poetæ verba de τριακάδι hæc adnotat. ἄρχεται οὖν ὁ Ἡσίοδος ἐκ τῆς τριακάδος, καθ' ἣν ἡ ἀληθής ἐστι σύνοδος· ἐπεὶ μὲν ἔστιν τριακάδα ἄνδρες ἐξαιροῦσιν ἐπὶ τῆς κθ', ὅτε καὶ ἀποξαιρεῖται ἡ πρὸ αὐτῆς. διὸ καὶ αὐτὸς αὔξων τὴν οὖσαν τριακάδα λαμβάνειν εἶπεν· εὖτ' ἂν δὴ μὲν λαοὶ κρίνοντες ἄγωσι. *Capit igitur Heſiodus à triceſima, in qua vera Lunæ cum Sole conjunctio fit. quæ interdum eſt triceſima citra exemptionem: aliàs viceſima nona, quando antecedens dies eximitur. * Ob id ſuadens ipſo veram triceſimam capere dixit: Quando ipſam populi judicantes agunt.* Docet in his Proclus non ſolùm de Lunari menſe, ejúſque triceſimâ die loqui Poëtam; ſed exemptos identidem à Græcis fuiſſe dies: ut non perpetuò menſis popularis ἀκριβὴς eſſet triceſima; quamvis nihilominus triceſima vocaretur. Ideo veram triceſimam, atque ex rei veritate ita nominatam, & agnitam obſervare jubet. Quod ipſum capite V libri I de Doct. temp. aſſeveravimus: nempe decimam Φθίνοντος in cavis menſibus nonam fuiſſe dictam: ut exinde triceſima ordine procederet. Tametſi Proclus indicat τὴν πρὸ αὐτῆς, id eſt XXIX exemptam fuiſſe. Pergit idem docere Proclus, ac ſæpè repetit: ut cùm ait τριακάδα μηνὸς ἀπομιμεῖσθαι τὴν ἀλήθειαν, imitari veritatem, quòd in ipſa cum Sole Luna conjungitur. κατὰ γὰρ ταύτην ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ συνέρχεται, καὶ συνάπτει. Quod autem de civili menſe loquatur, oſtendunt hæc Heſiodi verba ex Procli, & aliorum mente. Εὖτ' ἂν ἀληθείην λαοὶ κρίνοντες ἄγωσιν. *Cùm populi verè judicantes triceſimam agunt.* Nam alii, ait Proclus, aliter ſtatuunt. Quidam σύνοδον Lunæ diebus octo & viginti metiuntur; alii pluribus.

Moſchopuli conſentiens eſt opinio, qui τριακάδα interpretatur τὴν τελευταίαν τοῦ μηνὸς, ἢ τῆς σελήνης δηλονότι, quam κατ' ἀλήθειαν, & exactè putari vult Heſiodus, ut non ratio τῆς ἀποξαιρέσεως habeatur, hoc eſt exemptionis, quam Athenienſes adhibebant. ἔνιοι γὰρ τὴν πρὸ τῆς τριακάδος ἀποξαιροῦντες ἐνάτην, καὶ εἰκοστὴν τὴν τριακάδα καλοῦσιν. *Hi enim antecedentem diem eximentes, nonam & viceſimam vocant triceſimam.* Idem, quod Proclus, aſſerit tam de lunari menſe, quàm de exemptione viceſimæ nonæ. Tzetzes quoque τὴν τριακάδα τοῦ μηνὸς τῆς σελήνης intelligit. ἰστέον ὅτι μῆνα ἀπὸ τῆς σελήνης λέγει. διὰ τοῦτο καὶ ἕνα μῆνα τοῦτον μόνον φησὶ, καὶ τριακονθήμερον. ὁ γὰρ τῆς σελήνης μὴν τοιοῦτός ἐστι, κθ' ἥμισυ ἡμερῶν καὶ τέταρτον. *Sciendum eſt menſem ab eo Lunæ dici. Ob id etiam unum menſem iſtum memorat, & tricenarium. Nam lunaris menſis eſt ejuſmodi dierum novem & viginti cum dimidio, & quadrante.* Hæc Joannis Tzetzis verba prætermittenda non erant. Hinc enim diſcet Alphonſus cur triceſima dies Lunæ menſibus paſſim attributa ſit. nempe quòd ad triginta dies curſus illius extenditur: etſi ultimum non expleat. Ut his Scriptorum abuti teſtimoniis deſinat, ac τριακάδος illud μορμολύκειον objicere. In quo præterea ſatis inſcitè τριακάδα ab Heſiodo putat ἀρίστην abſolutè nominari, id eſt *optimam*. Atqui ſi ſequentia legiſſet, agnoviſſet optimam ad ea, quæ deinceps narrat, præſtanda cenſeri; videlicet ad menſis inſequentis recenſendam operam, & demenſum menſtruum in familiam diſpenſandum.

Alphonſi falſa interpretatio.

Ἔργα τ' ἐποπτεύειν, ἠδ' ἁρμαλιὴν δατέασθαι.

Denique Joannes Protoſpatharius ab Heſiodo non alium, quàm Lunarem menſem ſignificari adſtruit, qui & illius hæc verba,

Ὀγδοάτη τ' ἐνάτη τε, δύω γε μὲν ἤματα μηνὸς
Ἔξοχ' ἀεξομένοιο.

Octavàque, & nona, ambæ dies menſis
Egregiè creſcentis,

ad lunaria incrementa refert. tum reliqua his conſentanea ſubjicit. Haud abſimili ratione interpretandum eſt quod de Thalete ſcribit Laertius; ab eo menſis ultimum diem appellatum eſſe τριακάδα. Nam & Plutarchus in Solonis vita refert hunc ipſum diem ἕνην, καὶ νέαν ab illo nominatum fuiſſe; quòd ejuſdem priorem partem Luna vetus; poſteriorem nova ſibi vendicaret. Quod & verum eſt, ſi de menſe abſoluto, & per ſe ſpectato loqui velimus; cujuſmodi tunc Scriptores intelligunt, cùm de lunari menſe καθόλου verba faciunt. Ita menſis omnis lunaris τριακάδα obtinet. Hinc illud etiam argumentum evertitur, quod ex Ariſtophanis Scholiaſte pro anno Athenienſium ac Græcorum æquabili decimoquarto loco conficit Alphonſus. Sed tam aperta de lunari anno Scholiaſtæ hujus eſt auctoritas, ut mirum ſit ab homine iſto aliò detorqueri potuiſſe. vide quæ cap. VII ex Scholiis iiſce retulimus.

Alphonſ. pag. 28, num. 50.

Alphonſ. p. 33, no. 83.

His teſtimonia illa ſuccedunt veterum Scriptorum, quæ annum Græcum diebus partim trecentis ſexaginta; partim quinque ampliùs definiunt: Ut Cleobuli, qui non ſolùm menſes ſingulos dierum triginta facit; ſed annum integrum trecentorum, & ſexaginta. Ut Varronis, qui Demetrio Phalereo totidem Athenis ſtatuas erectas ait; *Quot luces habet annus abſolutus*: Ut Herodoti, qui Lib. I trecentis, ac ſexaginta diebus definit annum, menſes verò tricenis. Ut Hippocratis, qui annum communem dierum conſtituit CCCLX, menſem triginta. Ut Ariſtotelis, qui Lib. VI de Hiſtoria Anim. C. XX quintam anni partem vocat dies LXXII; ſextam verò, dies LX. Ex quo ſequitur annum integrum diebus conſtare CCCLX. Alii Græcorum annum dierum CCCLXV conſtituunt: cujus auctorem Thaletem facit Diogenes Laërtius in ejus vita. τάς τε ὥρας τοῦ ἐνιαυτοῦ φασιν αὐτὸν εὑρεῖν, καὶ εἰς τριακοσίας ἑξήκοντα πέντε ἡμέρας διελεῖν. *Anni tempeſtates aiunt illum inveniſſe, & in trecentos ſexaginta quinque dies diviſiſſe.*

Alphonſ. pag. 31, num. 60.

His omnibus triplex adhibuimus reſponſionis genus Lib. I. de Doct. Temp. Cap. VIII. Primum eſt, nonnullos ex iis Scriptoribus de anno vetere Græcorum capiendos eſſe: qui cùm ex illorum inſtituto lunaris eſſet, diebus conſtabat CCCLX. Hoc modo intelligendum eſſe quod Hippocrates cum Herodoto de Græcorum anno tradidit, oſtenſum eſt partim eodem illo libro primo

mo de Doct. temp. partim ſupra cap. I. II. III. ubi Juriſconſulti tricis, & captionibus occurrimus.

Eodem & Cleobuli vetus illud ænigma referri poteſt, quod ex Diogene Laërtio Lib. I de Doct. temp. attulimus. Nec non Philochori apud Suidam in voce γεννηταί. (quod eſt XVII Alphonſi teſtimonium) ubi quatuor tribus Athenis fuiſſe ſcribit: Phratrias verò XII, pro menſium numero. item in XXX γένη quamlibet φατρίαν diſtributam, quot menſis dies habebat. Hoc, inquam, ad priſcam anni lunaris, & obſoletam formam accommodari debet. Nec obſtat, quod Caranza pag. 42 Num. 86, & 87 objicit, Philochorum Solone poſteriorem eſſe. Ridiculè. quaſi non potuerit de antiquioribus Solone temporibus eo recentior ſcribere. de quibus revera ſcripſiſſe Philochorum, argumento eſt, quod tribus tum quatuor Athenis fuiſſe memoret; quot ſcilicet ante Solonem & poſt eum ad Cliſthenem uſque fuerunt. Qui Piſiſtratidis exactis primum decem Athenis tribus fecit è quatuor, ut Herodotus Lib. V prodidit. Altera interpretandi ratio eſt, de anno naturali loqui pleroſque Scriptores illos, non de civili, atque vulgari. Quamvis enim menſes ſingulos, annóſque ſimplices ad Lunam dimenſos haberent; nihilominus tacitè Solares etiam obſervabant, quos cum civilibus implicatos tenebant. De quo videndum caput hujus libri XI. Jam verò annus iſte ſolaris reconditus dies colligebat ordinatios CCCLX: ad quos quinque inſuper accedebant Ægyptiorum imitatione. Ex quo factum eſt, ut Veteres aliqui, cùm de anno abſolutè, ac φυσικῷ, hoc eſt ſolari, loquuntur, non plures ei, quàm CCCLX dies aſſignent. Sic Ariſtotelis locum illum explicare licet, in quo partem anni quintam dies vocat LXXII; ſextam verò dies LX. Quamquam aliter quoque fas eſt exponere; ut ad vulgi morem rotundè quintam, ſextámve partem anni numeret, neglectis appendicibus. quod loco citato primi de Doct. temp. docuimus.

Neutra ratio probari Caranzæ poteſt. Credo equidem. Judicio enim opus eſt ad ea diſcernenda. quod quantum homine in iſto ſit, ex ejus ſcriptis intelligi non poteſt. At utraque veriſſima eſt, & certiſſima: & cùm aliis probata viris eruditiſſimis; tum ei, qui Arundelliana marmora hoc anno publicavit, Notáſque edidit; in quibus noſtram omnem de anno Græco ſententiam complexus eſt. Quare plurimùm gaviſi ſumus. Atque hic quidem Ariſtotelis verba de partibus anni certis rotundè numeratis ſic interpretatur, ut id exemplo ſimili demonſtret, quod adverſus Hiſpanum Juriſconſultum aptiſſimum eſt. Etenim Gregorius Homilia XVI ad Evang. ut etiam refertur Diſt. V de Conſecr. Cap. XVI, anni decimam vocat dies XXXVI, quibus in Quadrageſima illo tempore jejunabant. Quod & apud S. Eligium Noviomenſem Epiſcopum Serm. XIII legimus. Rotundo, ac plebeio loquendi computandique more dictum id eſt. Ex quo ſi quis argumentari velit, annum Romanorum, Gallorúmque, ſæculo Pontificum iſtorum, diebus circumſcriptum fuiſſe CCCLX; non minori id quidem jure faciat, quàm Caranza, qui ex ſimilibus Ariſtotelis, Veterúmque reliquorum dictis idem de anno Græco, & aliarum etiam nationum proprio colligit. Sed eumdem ita temerè, abſurdéque ſentientem non verbis magis, quàm riſu, aut etiam ſtomacho, vel ipſe proſequetur Alphonſus. Credat igitur vel ſibi ipſe, non minùs inanem argumentationem eſſe, qua contra nos aſſeverat, Græcum annum trecentorum non ampliùs, & ſexaginta dierum fuiſſe, quòd ejus partem quintam duos & ſeptuaginta dies vocet Ariſtoteles. Nam ſi præfractè hunc in modum ratiocinari liceat: conſequens erit, annum eumdem Græcorum non plures, quàm CCCLX dies habuiſſe: quem tamen CCCLXV fuiſſe Caranza defendit.

Pag 25. Num. 61. Sed alia porrò teſtimonia ejuſdem Philoſophi nobis intentat: quæ & in libro de Partu propoſuit; & à nobis ignorata eſſe odioſè, & ἀλαζονικῶς prædicat. Ejuſmodi illa ſunt; quale eſt Lib. VI de Hiſt. Anim. cap. III, ubi dies XC menſes tres appellat. Tum ubicumque certam annorum ſummam complectitur; qui utique ſolaribus vertentibus adſcribi debeant. Ut cùm Cap. XIX libri ejuſdem capram vivere dicit annos octo; ovem verò decem. & ita paſſim de ceteris animalibus. Verùm ex his prius illud de diebus XC, eo modo capiendum eſt, quo paullò antè docuimus. Poſterius in hujus capitis fine declarabitur.

Penè illud omiſeram, quod de Varronis loco eruditus ille marmorum editor ſcripſit; quo in loco Demetrio tot Athenis ſtatuas poſitas eſſe Varro ſcribit, *quot luces habet annus abſolutus.* quæ ad verba reſpiciens Plinius Lib. XXXIV, Cap. VI, ait fuiſſe CCCLX ſtatuas; *nondum anno hunc numerum dierum excedente.* Nam abſolutum annum exponit ille aliter ac vulgò fit, ut ſit rotundus, & liber ab appendicibus. Quod Plinius, inquit, non intelligens, putavit annum per id tempus non pluribus, quàm CCCLX diebus conſtitiſſe; & ideo ſubjecit: nondum annum hunc numerum dierum exceſſiſſe. Nos aliter Plinianam ſententiam expoſuimus Lib. I de Doct. Temp. Cap. VIII. quod hìc neceſſe non eſt repetere. Sanè Benjamin Tudelenſis in Itinerario, de Roma ſcribens, ait ibi Palatium fuiſſe cujuſdam principis *trecenta ac ſexaginta palatiola continens ex dierum anni numero.* Neque tamen ideò prudenter colligat Alphonſus, annum Romæ tunc, hoc eſt duodecimo Chriſti ſæculo, non pluribus ex diebus fuiſſe compoſitum. Benjamin pag. 10.

Alphonſ. p. 32. num. 63. III Sequitur Julius Pollux, quem nono loco memoravit: ex quo eadem argumentandi via conficit æquabiles Athenienſium menſes, quòd & τριακάδος iſte meminerit. Huic verò eadem, quæ ſuperioribus adhibenda reſponſio. Sed animadvertenda ſunt eodem in loco verba Pollucis. Nam de poſtrema, tertiáque menſium decade loquens; τὰ ἡ ἀπὸ τέτε, ait, α' ἐπὶ εἰκάδι. ἡ δ' αὐτὴ καὶ θ' φθίνοντος. θ' γὰρ λοιπαὶ ἀπὸ τῆς καί. Quæ quidem & mendoſa eſſe vidimus, & ita caſtigavimus Lib. I de Doct. temp. cap. V. ἡ δ' αὐτὴ καὶ θ' φθίνοντος, ὅτι θ' γίνεται λοιπαὶ ἀπὸ τῆς καί. Eadem, inquit, quæ viceſima prima vocatur, dicitur & nona deſinentis, quando novem à viceſima prima dies ſuperſunt. Aut ſi mavis, ἡ ἡ αὐτὴ ι', καὶ θ' φθίνοντος, ὅτι ι', ἡ θ' γίνεται λοιπαὶ ἀπὸ τῆς καί. Nam in menſibus cavis à viceſima prima die ad ultimam, novem dies putantur; in plenis, decem. Non erat cur Hiſpano Juriſconſulto noſtra illa caſtigatio diſpliceret. Nec enim melior eſt illa, quam attulit, legendum, ἡ δ' αὐτὴ καὶ ι' φθίνοντος. ideo viceſimam primam menſis diem vocari ab Athenienſibus δεκάτην φθίνοντος, quia novem poſt illam dies reliquæ ſunt. Atqui rectà potiùs diceret; quia decem ab illa dies ſuperſunt. Sed utcumque de loci hujus emendatione ſtatuimus; qui Pollucem legerit; qui dierum appellationes ad Lunæ decreſcentis modum retextas; qui ἔνης καὶ νέας vocabulum attenderit; dubitare non poterit, quin de lunari menſe illic agatur. Quin id præterea, quod capitis initio ſcripſi, hoc loco repetendum eſt; cùm ex illo Pollucis teſtimonio colligatur, Athenienſes in cavis menſibus viceſimum primum diem putaſſe ἐνάτην φθίνοντος, quaſi viceſimus primus diſſimulatus fuerit, Proclum tamen, & Moſchopulum Heſiodi interpretes ad ἔργα καὶ ἡμέρας, tradere penultimum diem menſis exemptum. Nimirum illud eſt, quod non ſemel admonuimus; cavos etiam menſes τριακάδα nihilominus habuiſſe. quæ obſervatio omnibus Alphonſi παραλογισμοῖς opponenda eſt.

Pag. 35. Num 64, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71. IV Quartum ſit Plutarchi teſtimonium, quod Alphonſus decimo loco recenſuit, ſed adeo perplexè, & inconditè, ut pro certo habeam, ne ipſum quidem ſibi quid velit extricare poſſe. In Libro I de Doct. temp. cap. VIII pag. 10 duplicem Plutarchi locum expendimus. Prior eſt in Alexandri vita, ubi lunarem defectionem incidiſſe refert in Boëdromionem menſem, ſub initium myſteriorum. quibus ex verbis concludebat Scaliger, Boedromionem minimè lunarem fuiſſe; ſi quidem myſteria die viceſimo celebrabantur: eo verò plenilunium, & defectio contigit. Poſterior eſt ex Camilli vita. ubi viceſima ſexta die Boëdromionis plenilunium eveniſſe ſcribit his verbis: πέμπτη δὲ φθίνοντος ἐν Ἀρβήλοις Ἀθηναῖοι τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν, ἧς Χαβρίας ἐστρατήγει, τοῦ Βοηδρομιῶνος περὶ τὴν πανσέληνον. Utrobique verò inſigniter hallucinatum eſſe Scaligerum primùm in Notis ad Themiſtium; deinde illo ipſo libro de Doctr. temp. oſtendimus. Nam quod ad priorem attinet, falſum eſſe docuimus, quod ille ſumebat, myſteria uno tantummodò die, eòque XX Boëdromionis, peracta fuiſſe. Quippe ab XV circiter menſis die cœpta plures in dies eſſe propagata. At Plutarchus ſub ipſum myſteriorum initium Lunam defeciſſe refert: non utique XX, sed XV, vel XVI civili menſis die. Quod verò poſteriorem locum ſpectat, prava ex interpunctione ingentem errorem or-

tum habuiſſe diximus. Quis enim non videt poſt vocem, Ἀρβήλοις, diſtinctionem adhibendam eſſe: cùm ſint duo illa diverſiſſima prælia; quorum alterum ad Arbella cum Dario patratum eſt ab Alexandro; alterum navale fuit ad Naxum, imperatore Chabria? Jam verò Plutarchus notam illam XXVI diei Boedromionis, non ad Naxicam victoriam refert; ſed ad Arbellicam, quæ undecimo die ab lunari defectione contigit, ut ſcribit Plutarchus; hoc eſt XXVI die Boedromionos. Hæc utraque noſtra non modò probabilis; ſed etiam certiſſima ratio eſt. At Alphonſus, quaſi utrobique Scaligeri argumentatio procederet, illa ipſa nobis objicit Plutarchi teſtimonia. quo nihil jocularius fieri poteſt. Nam ut cap. VII ſuprà diſputavimus, ex iis Plutarchi locis manifeſtè docemur, Græcorum lunares fuiſſe menſes, utpote quorum in XV diem plenilunium incurrerit.

Pag. 33. Num. 65. Ad hæc, tria quædam illic ab Alphonſo commiſſa ſunt, quæ caſtigationem merentur. Primum, ex eo, quòd Plutarchus narrat in Alexandro Lunam defeciſſe ſub initium myſteriorum, apparere dicit menſem illum minimè lunarem fuiſſe. Etenim ſi menſis popularis perpetuò lunaris eſſet, *plenilunium certè in eo ſemper eâdem tempeſtate contingeret, id eſt decima quarta die & ½ alterius, & ante unum diem, & ½, quàm Eleuſina myſteria inirentur.* Ea porrò myſteria non XV die, uti nos remur, ſed XVI, ut opinatur Meurſius, celebrari cœpiſſe putat: adeòque plenilunium illud, ac deliquium Lunæ, ſi lunaris eſſet ille Boedromion, non potuiſſe περὶ τὴν ἀρχὴν τῶν μυστηρίων incurrere. Hæc Alphonſi propemodum verba ſunt. quæ ideo retulimus; ne qua in tanta abſurditate calumniæ ſit ſuſpicio. Nondum illud quàm verum ſit inquiro de myſteriorum tempore. Demus interim XVI die Boedromionos iniiſſe. Negat ergo XVI in diem, ſive noctem ab ea, quæ prima numerata ſit, plenilunium poſſe congruere. Atqui ſciat raro in XV cadere, ſæpius autem in XVI. Quod eo fit, quia ſyzygiarum momenta in ipſa dierum initia rariùs incidunt. ſed in labentes, & interdum etiam affectos dies. unde dimidia ſyzygia, quæ ſupra XIV dies, horis inſuper XVIII explicatur, cum minutis aliquot, de XVI plus minùſve delibat, pro eo ac maturiùs, vel tardius primo die illius initium eſt factum. Quam ob cauſſam Kalendarii Romani conditores, imprimiſque Clavius noſter, Neomenias lunares paullulùm infra cœleſtia, & ἀκριβῆ novilunia ſummoverunt; ut & Paſchalis terminus proximè, quoad ejus fieri poteſt, plenilunium antecederet; & Paſchalis Dominica numquam plenilunio prior eſſet. Itaque Paſchata noſtra ferè luna XVI potiùs, quàm XV celebrantur. De quo libro V de Doctr. temp. cap. XIV accuratiùs egimus, ac nonnullis id etiam exemplis oſtendimus. Nunc, ut Alphonſo ne mutire quidem liceat, hoc ipſum in eo, de quo agimus, plenilunio ecliptico declarabitur. Contigit inſignis illa ad Arbella victoria anno per. Julianæ 4383, Cyclo ſolis XV, Lunæ XIII. Novilunium Calippieum accidit Septembris die VI, feria II, hora 7, 42′ in meridiano Attico. Plenilunium medium Septembris XXI, hora 2, 4′. Defecit autem Luna Septembris XX, hora 8, 21′ à meridie. Jam cùm Athenienſes diem civilem ſtatuerent ab occaſu Solis ad occaſum, uti Cenſorinus ait cap. XXIII; prima dies menſis illius iniit ab ea nocte, quæ inter V, & VI Septembris diem interceſſit. Lunæ verò defectio decimâ ſexta nocte, quæ inter XX diem, & XXI media fuit. Non igitur decima quinta die plenilunium commiſſum eſt, ut credit Alphonſus, ſed decima ſexta. Atenim Plutarchus, ait, non adderet τὴν τῶν μυστηρίων ἀρχὴν defeciſſe Lunam, cum hoc ſatis intelligeretur ex eo, quòd Lunaris eſſet menſis. Hæc ἀθεωρία digna non eſt, cui reſpondeatur. neque verò cuiquam poteſt occurrere, qui vel mediocrem harum litterarum guſtum habeat.

Pag. 32. Num. 68. Alterum Juriſconſulti, & quidem duplex ἁμάρτημα, quòd locum illum ex Camillo Plutarchi, quem nos vitioſa interpunctione laborare diximus, ſic tueri ſe poſſe ratus eſt, ut aſſereret Plutarchum uno verborum tenore, atque contextu duas illas victorias, Arbellicam videlicet, & Naxicam eodem tempore geſtas voluiſſe complecti. Ergo, ex opinione Juriſconſulti, ſine ulla interpunctione legendum erit, τρίτῃ δ' φθίνοντος ἐν Ἀρβήλοις Ἀθηναῖοι τὴν περὶ Νάξον ἐνίκων ναυμαχίαν. Quis, obſecro, verborum iſtorum ſenſus eſſe poterit? *Quinta die deſinentis ad Arbela Athenienſes ad Naxum navali prælio vicerunt.* Itàne Athenienſes iidem & ad Arbella Darium, & ad Naxum vicerunt? aut idem locus eſt Arbella, & Naxus? Nam ſi abſque interpunctione legendum eſt, nullum inter ambo diſcrimen erit. Si eſt ullum; interpunctione utique ſeparanda ſunt. Itaque quid in animo tum habuerit, cùm hæc ſcriberet Alphonſus, ſcire nimiùm velim. Nam ejuſmodi ſunt, nulla ut excuſatione diſſimulari queant. Accedit ad erroris cumulum, quòd interpunctione ſublata, & ex Alphonſi ratione, conſequens ſit eodem die, nempe XXVI Boëdromionis utrumque certamen eſſe commiſſum. Hoc autem de Naxico planè falſum eſt. Nam XVI Boëdromionos accidit, ut Polyænus refert Lib. III. quem nos locum in notis ad Themiſtium pag. 643. adduximus, antequam Meurſius Diatribam ſuam de Myſteriis in lucem ederet. Quas quidem Notas cùm Alphonſ. Alphonſus legerit; nihilominus ita de Meurſio ſcribit. N. 69. *Cui debemus Polyænum prædicta comprobantem libro tertio ſtrategematum his verbis*, &c. Hic nimirum hic ille ſuccus loliginis. Sed cùm & iſte Polyæni locus, & alius ex Plutarcho in Phocione, quem & nos commemoravimus, diſertè Boedromionis decima ſexta die navalem ad Naxum pugnam Chabria duce, contigiſſe teſtetur, τί δὴ νέον ἐπιμέμνηται Juriſconſulto noſtro, ut cùm loci utriuſque meminiſſet, ambo interim illa certamina in eumdem diem, qui ſit viceſimus ſextus Boëdromionis, includeret?

Tertium genus hallucinationis reliquis gravius. Scripſerat Plutarchus libro de gloria Athenienſium: τὴν δ' Pag. 35. ἕκτην ἐπὶ δέκα τοῦ Μουνυχιῶνος Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ Num. 70. τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος. *Decimam-ſextam Munychionis diem Dianæ conſecrarunt, quâ Græcis ad Salaminem vincentibus Dea pleno orbe luxit.* Ex his verbis iſta colligit Alphonſus, *in ſententiæ ſuæ comprobationem. Primum à verbo ἐπέλαμψεν Lunæ tunc inſitam lucem ſplendidiorem, vivacioremque denotari, quæ certè in ipſo plenilunio invenitur, non ita in ejus defectione. Secundum, Plutarchum plenilunium 16 Munychionis die caſu tunc contingentem enarraſſe, ut clarè indicant illa* ἐν ᾗ, &c. ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος. Tertium addit, quod quia capere nullo modo poſſim, à me prætéribitur. Jam in hac tota ratiocinatione rationem, ſi poteſt, ullam eruditus lector inveniat. Pugna, quæ ad Salaminem geſta eſt, qua de Plutarchus meminit, illa ipſa eſt, quam Themiſtocle duce de Perſis reportarunt Athenienſes. Ea contigit Boëdromionis die XX, ut ex Herodoto, & Plutarcho in Camilli vita demonſtravimus in Notis ad Themiſ. & Lib. X de Doctr. temp. cap. XXV. ubi & Plutarchi errorem deteximus Pag. 640. in illo loco, ex Libro de gloria Athenienſium: qui Munychionis diem XVI valdè ἀνεπιτηδείως adſcribit. At Alphonſus hoc idem Plutarchi teſtimonium de Salaminia pugna Munychione menſe commiſſa referens, neſcio quid de Lunæ defectione occinit, quod eſt prorſus alienum. Nam nulla tunc defectio Lunæ fuit. Cetera inani μικρολογίᾳ referta ſunt. quam fœda ſtribiligine cumulavit. *Plenilunium*, ait, *contingentem.* quo illum nomine ad Nebriſſenſis tribunal qui volet vadabitur.

Denique ſupet Myſteriorum tempore leviter nos pervellit; quod cùm dies illis quinque præfinierimus, Meurſius novem poſtea compererit. Atqui nihil nos Num. 65. admodum de numero affirmare voluimus. neque Meurſius ipſe citra cunctationem novem illos dies aſſignat. &, ſi quis pugnare velit, non minùs eſt noſtra, quàm Meurſii, conjectura veriſimilis.

V Reliqua Veterum teſtimonia, quibus deinceps utitur Alphonſus, inſigne ferè aliquid ad reprehenſionem continent. Sed ea majori ex parte in ſuperioribus capitibus enucleata ſunt. Ejuſmodi eſt Gemini locus, quem ille duodecimò numerat. de quo cap. VIII. tum alter Theonis, quem decimotertiò refert. de quo ſupra cap. II. Item Galeni, Num. 73, & 74. quem nos proximè antecedenti capite pertractavimus. In quo mirum eſt hominis acumen: qui cùm Galeni Alphonſ. verba illa deſcriberet, non animadverterit iis ipſis Num. 74. effici, Græcos pleroſque illius ſæculo menſes ad Lunam deſcripſiſſe. Nam quæ ex eodem nobis opponit, frivola ſunt. Menſes, ait, Galenus alios aliis nationibus attribuit. Non erant igitur civiles omnes menſes lunares. Præclarè. Quaſi verò Galenus de antiquis Græciæ temporibus loquatur, non de ſua ætate,

te, in qua, Juliano jam exorto anno, major erat in popularibus annis, ac menſibus varietas. Deinde quod idem ſcribit alios aliis nationibus eſſe menſes, de nominibus menſium intelligit. Nam exemplum ſtatim ſubjicit: Ut ſi Dium, inquit, nominet quiſpiam, ſoli hoc Macedones capient: Athenienſibus, ceteriſque hic menſis erit ignotus. Non ergo de lunari, ſolariſque diſcrimine ſermo eſt.

VI In Epiphanio verò, (cujus locum ex Hæreſi Alogorum citans, imperitè Analogos bis Juriſconſultus nominat) non ſolùm eadem collectionis inanitas eſt; ſed
Pag. 10. etiam contrarietas ſententiarum. Nam Num. 41, ut tricenarios menſes ab Athenienſibus, etiam ante Julianam editionem, uſurpatos eſſe probet, Epiphanium adducit in medium; meque, quòd hunc Scriptorem de anno Attico poſt receptam Julianam formam acceperim, acriter redarguit. At Num. 84, oblitus ſui fate-
Pag. 41. tur Epiphanii locum illum haud adeò pro ſua cauſſa facere; *cùm loquitur de temporum computatione Græciæ, & Athenis poſt emendationem Julianam vigente.*

Alphon. p. eadem N. 85. Decimum-ſextum de anno æquabili teſtimonium ex Auguſtino petit Alphonſus. Sed quo argumentationis genere concludat, quantum hodie Dialecticorum eſt, numquam extricare poterit. *Hinc*, inquit, *ſanctiſſimo, & præſtantiſſimo Divo* (Ita Juriſconſultorum elegantiſſimus) *menſes Hebræorum antiquis temporibus tricenariis æquales fuerunt.* Hæc πρότασις eſt. Sequitur πρόσληψις: *Cùm ergo in cap. X libri XII de Civit. Dei Græcanicam annorum hiſtoriam Ægyptiacæ præferendam dixerit.* Inde concluſio; *Clarè ab iſtis elicitur: Græcis antiquioribus, de quibus loquitur capite illo X, menſes tricenos fuiſſe, ac Paleſtinis, ſive Judæis.* Quid iſta ratiocinatione firmius? Ut probet ex Auguſtino Græcorum veterum annum lunarem fuiſſe, duo ſumit; Primùm, Judæorum annum lunarem ab illo ſtatui: Alterum; Græcam hiſtoriam Ægyptiacæ præferendam. Ex iis efficit, lunarem fuiſſe Græcorum annum. Num ſeriò tandem, an dormiens iſta ſcripſit? Pudet ἀλογισίας. Enimverò ſatis otioſè lectoribus ſuis illudit Alphonſus, quos hebetes adeo credidit, ut iis non ſolùm hoc ſyllogiſmi ludibrio perſuadere vellet aliquid: ſed in Auguſtini verbis expendendis tam negligens, ac μετέωρος eſſet. Nam quid Auguſtini loco illo ad id de quo modò agitur fingi poteſt alienius? Diſputat Auguſtinus de hiſtoricis temporibus, quæ apud Ægyptios, aliòſque populos pluribus annorum millibus fabuloſè comprehenſa ſunt: cùm in Græca hiſtoria mediocri ac juſto intervallo contineantur. Ideo rejectis Ægyptiorum hiſtoriis, *Græcæ*, inquit, *potiùs fides habenda eſt; quæ veritatem non excedit annorum, qui litteris noſtris, quæ verè ſacræ ſunt, continentur.* Quid hoc ad lunarem annum, vel ſolarem Græcorum veterum? Profectò acriori caſtigatione excitandus erat hic veternus. Sed nolo eſſe vehementior.

Alphon. p. 25. N. 35, 38. & p. 42. N. 88. Decimo-octavò lunarem Græcis impingit annum, Gaza auctore fretus. qui duplicem illorum annum facit; alterum dierum CCCLX, cujus menſes tricenarii ſunt, cum appendicibus in fine quinque: alterum lunarem. Atqui civilem, & exertum annum apud illos fuiſſe lunarem evidentiſſimè docet idem: uti ſuprà Cap. VII planum fecimus. Proinde alter ille ſolaris opertaneus, ac reconditus fuit. Non enim civiles ambo eſſe poſſunt; quod contra & auctoritatem Veterum, & communem ſenſum, naturámque ipſam falſa ſibi opinione finxerat Alphonſus.

Alphon. p. 43. Num. 89. Neque verò quod de tricenariis menſibus in abdito illo, & arcano Græcorum anno comprehenſis ex Gaza diximus, ad antiquiorem, & obſoletam lunaris anni formam referre Caranza debuit: in qua menſes lunares ἀνεξαιρέτως tricenarios ſtatuebant; annum verò lunarem, dierum CCCLX. Nuſquam id à nobis uſurpatum, ac ne cogitatum quidem. Itaque frivola eſt hominis argutatio. qui ſic, tamquam ita ſenſerimus, contra nos Syllogiſticen ſuam diſtringit. Verba noſtra capite VII libri I de Doct. Temp. *Tricenarius menſium modus communi Scriptorum uſu retinetur, cùm de Græcorum menſibus verba faciunt, annóque ſolari.* Quæ quo ſenſu dicta ſint, nemo, qui quidem Latinè utcumque norit, ignorare poteſt. Nimirum qui ſolarem annum, menſéſque ſolares numerant, quibus Græci veteres cum lunaribus uſi ſunt; triginta cuique menſi dies ſolere tribuere. Hoc volui. nec erat dicti hujus ſententia altera fabricanda; contra quam ſibi certamen proponeret.

Nihilo ſucceſſu meliore; ſed doctrinæ, & orationis obſcuritate majori, contra illa nititur, quæ de Gaza eodem loco ſcripſimus in Animadverſ. ad Epiphanium. In quibus oppugnandis quid ſibi velit, quáque in re nos accuſet, tum fortaſſe ſciemus, cùm ad Diatribam ſuam commentarium aliquem ediderit. Unum tamen ægrè alterúmve reprehenſionis caput exculpſimus. Alterum, quòd Ægyptios, & Athenienſes poſt Julianam correctionem docuimus tricenarios menſes æquè in uſu habuiſſe. quod ſic interpretatur, quaſi tricenarios illos menſes ante Julianam formam receptam ab Ægyptiis uſurpatos eſſe negaverimus. Atqui tricenarii menſes, antequam Julianum annum admitterent, penès Ægyptios erant; non tamen immobiles, & fixi; ſed in anteriora laxis habenis evagantes. cujuſmodi, conſtituto Juliano apud illos anno, eſſe deſierunt. Alterum, quòd cùm Epiphanius tanto ante Gazam ſcripſerit; nos tamen illum quidem de anno Athenienſium Juliano ſcripſiſſe putemus: hunc autem de vetere; qui cum lunari pariter obſervabatur. Acutè prorſus. quaſi hîc ætatis, ac temporis interſit: aut non recentiſſimus quiſque veterum hiſtoriarum, ac temporum memoriam ſcripto perſequi poſſit. Agit in libro de menſibus Gaza de Atticis menſibus, annóque, cujuſmodi non ætate ſua, ſed florente Græcia quondam exſtiterunt. Vana eſt igitur, & imperita Juriſconſulti caſtigatio. Alph. p. 43. num. 93, 94, 95, 96.

Subjungit his Halicarnaſſenſis locum; qui tricenarios Atticorum menſes omnium certiſſimè videtur adſtruere. Pag. 46. Num. 97. Hic enim Lib. I, cladem Ilienſem contigiſſe refert XXIII die Thargelionis, ut Athenienſes tempora dinumerant. Erant autem περιττὰι ἡμέραι, *ſuperſtiti dies*, ad hunc annum explendum, viginti. Mox à capto Ilio ad finem anni dies colligit XXXVII, qui nimirum ex ſeptem Thargelionis reſiduis, & triginta Scirrhophorionis conſurgunt. Igitur duo iſti menſes tricenarii fuerunt. ex quibus & de reliquis conjectura ducitur. Hæc eſt Scaligeriana ratiocinatio. qua mirificè delectatur Alphonſus. Sed ſi ea legiſſet, intellexiſſétve, quæ Lib. IX de Doct. Temp. cap. XXX de his ipſis Dionyſii verbis copioſè diſſeruimus, non ſe adeo hoc in loco jactaſſet. Non enim, quod iſtis placet, ex eo conficitur, binos illos fuiſſe tricenarios menſes; ſed priorem plenum, cavum autem poſteriorem hac ratione colligimus. τροπὴ, ſive Solſtitii cardo civilis Atticus, poſt Metonem XXVIII Junii conſtitutus eſt. Neomenia Thargelionis incidit Maii XXI feria IV; cujus character Judaicus 4, 17, 321. Capta Troja eſt Junii XII, qui eſt XXIII dies Thargelionis. Deſiit hic Junii XIX die. Quare Scirrhophorionis Neomenia contigit Junii XX, iſque dies habuit non ampliùs novem & viginti. Nam Hecatombæon cœpit Julii XIX. A die Junii XII ad XVIII Julii, dies ſunt XXXVII, quot ab Ilio capto computat Halicarnaſſenſis ad anni exitum. περιττὰι verò μετὰ τῆς τροπῆς ἄχρι, à XXIX Junii procedunt ad Julii XVIII. Vide omninò, quæ capite illo de Ilii excidio ſcripſimus.

Ad extremum hùc illa referenda ſunt argumenta, quæ ex ſtatis quibuſdam Græcorum temporibus Caranza deducit, ut ſolarem annum apud Athenienſes, Græcóſque fuiſſe perſuadeat. Etenim Olympiades, & id genus ludi periodici certis annorum intervallis conſtabant. Pag. 46. & Sect. tota II capitis III. Tum Hiſtorici omnes, imprimiſque Thucydides, Xenophon, Diodorus, ceteri denique, qui per annos rerum geſtarum memoriam poſteris tradiderunt, non aliis, quàm vertentibus, & æquabilibus uſi ſunt. Eadem ratio in deſignandis ætatibus, vel rerum geſtarum ſpatiis adhiberi ſolet. quò illa omnia pertinent, quæ ab Hippocrate, Ariſtotele, medicis omnibus, ac Philoſophis ſimilibus temporum notis illigata traduntur. Hæc pluribus verbis, ut ſolet, Alphonſus. Quæ quidem facilè à nobis explicantur, ſi quæ toto hoc libro de utroque anno tradidimus, præſertim verò cap. XI, atque hoc ipſo XIII accuratè meminerimus. Hoc enim eſt, quod ſæpiùs admonuimus, non ſic lunarem Græcos annum obtinuiſſe, ut ab ſolari, atque æquabili ſeparatus eſſet, ejúſque nexibus abſolutus: ſed ita demum, ut etſi menſes ſinguli, annique lunares forent, certis tamen orbibus ac Periodis implicarentur, quibus evolutis ad idem caput annus uterque, Lunæ videlicet, ac Solis recurreret. Hinc annus ipſe tam Solis, quàm Lunæ fuit. ſed diverſa ratione. Quippe ſinguli lunares erant. ὁμοῦ & σύστημα, ſive collecti in unam Periodum anni omnes, non minùs ſolares, quàm

lunares fuerunt. Quocirca tetraëterides, quibus Olympiaca ludicra continebantur, quoad fieri poterat, perinde Soli, ac Lunæ congruebant.

Ad hæc ſolaris circuitus naturalis & propria menſura eſt orbis annui, ut intervalli menſtrui Luna. Quo fit, ut ad annorum fixa certáque ſpatia ſignificanda tacitus illum mortalium conſenſus adhibeat. Neque propterea neceſſe eſt popularem ubique eſſe Solis annum. Quod in Judæis, Arabibus, reliquiſque cernimus. quorum civilis annus lunaris eſt, Arabum imprimis. Et tamen quoties ætatum, & hujus generis cæterarum rerum, quæ ratas, & conſtantes habent viciſſitudines, intervalla concipiunt, naturalibus ac vertentibus annis utuntur. Vide quæ de Judæis ex R. Arama diximus lib. I de Doct. Temp. cap. VIII, & lib. II, cap. XXXI.

Alphonſ. pag. 15. num. 34. Atenim ſi naturalis annus eſt Solis; Lunæ verò dumtaxat artificialis; non eſt veriſimile, Græcos naturali anno ſpreto, alterum genus uſurpaſſe. Hoc enim Caranza nobis objicit. Verùm quod ille de annis, hoc de menſibus viciſſim retorquere poſſumus. Cùm enim naturalis menſtrui ſpatii dimenſio ex Lunæ circuitu pendeat; Sol autem nonniſi τεχνικῶς, & ex hominum inſtituto, ad menſium diſcrimen aſſumatur; conſentaneum eſt, Græcos ad Lunam potiùs, quàm ad Solem menſes exegiſſe civiles. menſium enim potiſſimùm ratio in pleriſque civilibus contractibus habita eſt; ut in re fœnebri. ſiquidem uſurarum penſitationes erant menſtruæ. In reliquis, quæ ad naturalem magis annum accommodantur, præſtò illis erat, ut & nationibus omnibus, Solaris converſio, quam cum anno civili implicatam interim, ac tacitam tenebant.

Hæc ſatis ſunt ad ea refellenda, quæ Sectione tota ſecunda Capitis tertii diſputat Alphonſus, eadem ſæpiùs, non ſine lectorum tædio, repetens. Horum enim vis eò ſpectat omnis, ut rata quædam ac deſcripta temporum intervalla penes Græcos exſtitiſſe doceat, quæ nonniſi Solis annuis orbibus metiri illi potuerint. Quod nos etiam ultrò confitemur; & quemadmodum cum anno populari ad Lunam deſcripto conſiſtere iſta queant, hactenus explicamus. In quo etiam, per ſummam ejus, quod ſcribebat, inſcitiam, & ἀπειρολεξίαν, ſuffragatorem habemus Alphonſum.

Qui inter alia civilis anni Solaris argumenta iſtud affert; quòd intercalationibus, & ſubductionibus variis lunarium menſium cum Sole popularem ſuum annum conciliaverint Græci. Id enim arguit, civiles annos ad Lunam deſcriptos eſſe. Alioqui nihil opus erat intercalationibus. Tum ex eo conſequens fit, Græcos non aliter ſolarem annum obſervaſſe, quàm in tota Periodo annorum plurium: non autem in annis ſingulis. qui utique lunares erant. Nam intercalationes lunarium menſium non in quolibet anno fieri poterant. Sed tertio, ſexto, octavo, & ita reliquis in annis. Poſtremò ex lunaribus menſibus tam ordinariis, quàm intercalaribus, anni lunares ſinguli non fiunt. ſed de anno Græco, Atticóque nimis fortaſſe multa. quam ut diſputationem longiùs opinione mea tenderem, fecit ejus, quo cum res erat mihi, Hiſpani Juriſconſulti indoles; qui ut citandis quàm-plurimis auctoribus multiplicis ſibi lectionis famam parare inſtituit. ita commovendis omnibus quæſtionis partibus, non vulgarem in ſingulis τριβὴν, ac peritiam oſtentare voluit. Pag. 49. num. 99.

DIONYSII

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU,

AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER QUINTUS.

In quo de anno Judaïco, Ægyptiaco, & Romano vetere contra Alphonſum à Caranza Hiſpanum, & Claudium Salmaſium diſſeritur.

CAPUT I.

De civili Judæorum anno ſententia noſtra proponitur. quæ & ab Alphonſi calumnia vindicatur. Hujus opinio falſa de triplici anno civili. reliqua item abſurdè ſcripta.

Diatribe cap. I. AB anno civili Judæorum initium diſputandi fecit Alphonſus. Quo in capite primùm ἀντιμαχίας nos redarguit: tum quid ipſe ſentiat, quomodo poteſt exponit. Ego eumdem ordinem ſecutus, primùm de me; tum adverſùs illius opinionem verba faciam. Ac principiò quæ mea ſit, & in libris de Doctrina Temporum fuerit ea de re ſententia, breviter attingam. Quænam eſſet olim apud Hebræos veteres popularis anni ratio, non ſolùm antequam Moyſes illorum faſtos conderet: ſed etiam ſæculis deinceps aliquot; certò neminem affirmare poſſe dixi: neque me dixiſſe modò pœnitet. Nam quod ad Lunam exactos illorum menſes, & annos, ſaltem poſt Moſem plerique ſentiunt, id nullis ſatis firmis argumentis oſtenditur. Quippe Lunaris menſis, Lunæve nulla in Moſaïcis libris occurrit mentio. Quamquam aliquot ante Chriſtum ſæculis, poſteaquam ſub Græcorum dominatu cœperunt eſſe Judæi, veriſimile eſſe docui, lunarem ipſos annum populariter habuiſſe. Quin & Moyſis tempore, ſi non civilem iis fuiſſe, certè ad ſacra, feſtóſque dies uſurpatum videri; etſi nihil hac de re ex Scripturis idoneè colligi poſſit. Hæc noſtra de priſco Hebræorum anno vel opinio, vel dubitatio fuit, expoſita ſecundo de Doctrina Temporum libro, capite XXVII, XXVIII, ac XXX, ſanè conſtanter.

Cap. I. Contra quam Alphonſus à Caranza primùm omnium de contrarietate præſcribit. Nam nos aſſerit alibi lunarem annum civilem tribuiſſe Judæis, lib. I, cap. V, & VIII. ídque poſtea mutaſſe. Sed profectò ſcribendi ac reprehendendi nimius ardor præcipitem egit hominem: neque quid argueret prorſus animadvertit. Nam cap. illo quinto verba noſtra ſunt. *Nam & Ægyptii cum æquabili ſuo anno periodos lunares implicabant: & Judæi ipſi, quibus ad Lunam deſcriptus erat annus, propter emboliſmos, & cardines, ſive Tekuphas, ſolaris anni modum aliquem ſtatuerant.* Hîc ego non Judæos veteres aſſero ad Lunam deſcripſiſſe civiles annos; ſed recentiores, qui poſt Seleucidarum exordium extiterunt. ut ex lib. II, cap. XXXI intelligi poteſt. Similiter octavo capite libri primi non de antiquiſſimis, ac Moſaïcis temporibus locutus ſum, ſed iis dumtaxat, quæ Chriſtum ſæculis aliquot anteceſſerunt; quod idem caput XXXI docet libri II, ſi cum octavo illo comparetur. Intererat ejus, qui aliorum errata caſtigare vellet, non tam graviter aditu in ipſo reprehenſionis offendere. Sed non hîc finis hallucinandi. Nam ecce num. 5, ac ſequentibus caput alterum nobis ἀντιμαχίας impingit. Etenim lib. IX, c. IX poſt nonnullam de veteris anni forma dubitationem, eò tandem delapſi ſumus, ut æquabiles menſes, ac tricenarios Patriarchis illis tribuerimus. quod ipſum erat, inquit, ab lunari typo deſciſcere. Quid hac argumentatione firmius? Agitur de anno Judæorum veterum, cujus ratio ac forma quæritur. Iſte ut inconſtantiæ nos arguat, ea nobis objicit, quæ de anno Patriarchatum veterum, ac Diluvii tempore alibi ſcripſimus. Ergo Judæi, Noëmi ac Diluvii temporibus extiterant? Potes eodem jure, & Hiſpanorum annum veterem ſimili ratiocinatione colligere. potes & Italorum. Non enim minùs Hiſpani, & Itali, quàm Judæi ſub Diluvii tempus extabant. Atqui toto illo reliquo capite, ac ſingulis penè verſibus idem repetit: me ab Hebræorum, ac Judæorum uſu *prædilectum* alioqui *mihi annum lunarem* abjudicaſſe, quod Diluvii tempori æquabilem anni formam potiùs adſcribam. At ô bone! uter noſtrum fautor eſt ardentior; ego lunaris anni, an tu Judaici nominis, atque gentis? Nam tu Noëmum, ejúſque filios Judæos omnes facis? in eóque non ſolum Apoſtolo contradicis, qui ad Romanos cap. IV præputium circumciſione, qui Judaïſmi character eſt, antiquius eſſe ſtatuit: ſed in nos etiam injurius es, quorum genus & originem ab Judæorum ſtirpe derivas. Ridicula Alphonſi ratiocinatio.

At etiam id objicere non eſt veritus, me contra Latinæ Bibliorum editionis fidem, & auctoritatem veniſſe: quod libro IX, cap. IX ſcripſerim arcam die vel Num. 17. XVII menſis ſeptimi, ut Hebræis placet; vel XXVII, ut Græci, Latinique volunt, ſuper montes reſediſſe. (Id enim nos de ſeptimo, non ſecundo menſe voluiſſe ſcribere, tota per id caput inſtituta à nobis anni illius deſcriptio demonſtrat.) Hîc verò perſpicuè nobis impoſuit. Nam initio capitis illius, poſtquam anni, quo Diluvium accidit, ancipitem rationem cùm aliis de cauſſis, tum ob Hebræorum, Latinorúmque codicum varietatem, & ἐναντιοφάνειαν, eſſe dixi; ſtatum deinde quæſtionis exponens, editionis utriuſque rationem habui. Ita enim, opinor, faciendum fuit. Ceterùm capitibus ſequentibus, & in Chronico maximè, ubi citra quæſtionem, & ambiguitatem opinionem expoſui meam, Latinorum in partes tranſii.

Nunc quid Juriſconſultus de Hebræorum anno reſpondeat audiamus. Non unum genus anni civile ipſos

Alphonſi falſa ſententia de anno triplici Judaico.

habuiſſe, ſed triplex num. 1, & 14 definit: lunarem; vertentem, ſive ſolarem, dierum $365\frac{1}{4}$, & ſolarem communem dierum 360, cum duodecim tricenariis menſibus. Quod adeò confidenter, ac ſine ulla hæſitatione pronunciat; quaſi cum Patriarchis illis, ac Judæis antiquiſſimis in colloquium venerit. *Reſolvimus*, ait initio capitis, *priſcorum Judæorum annum non tantùm lunarem, & ſolarem vertentem Juliano conſimilem ſemper cuſtodiſſe, verùm & communem ſolarem* 360 *diebus conſtantem*, &c. Id ſic ait *reſolviſſe* Juriſconſultus: nec vel latinitatis iſtius piget: quam quidem ſæpiùs tota hac Diatriba repetit. Sed ut alibi fortaſſe diſſimulari macula iſta poterat; in ipſo capitis exordio, ſic quaſi in facie, fœda illa cicatrix impreſſa non decet. Verùm ut de re ipſa potiùs agamus, cui probari illud poterit, Judæos triplicem annum civilem adhibuiſſe? Quis hoc fieri ne poſſe quidem non videt, plus ut uno genere anni in civili, ac populari uſu verſetur? Nam civilem appellamus annum, cujus partes vulgò cognitæ ſunt. qui in civilibus contractibus, & in actis publicis, privatiſque ſubſcribi ſolet. In his autem unica tantùm, & ſingularis anni forma locum habet. Ac ſi tres illos annos ad metienda tempora ſic pertinuiſſe velles, ut unus ex iis popularis, reliqui certos ad uſus, minimè tamen populariter, applicati ſint, tametſi reprehenſione non careres, quòd unus præterea ſatis eſſe videatur annus; tolerabiliùs tamen errares. Nunc & annos tres, & civiles omnes ſtatuis. Hoc ne refutatione quidem dignum arbitror. quam ſi adhibere vellem, id præcipuè ſciſcitarer, quorſum æquabilis ille 360 dierum annus à Judæis uſurpatus fuerit à ſolari vertente diſtinctus, cùm eodem tempore ſolari hoc uterentur exacto. Nonne ſatius erat unicam ſolaris anni formam tribuere; in qua ad 360 dies velut ordinarios, reliqui ad annum complendum quaſi appendices accederent? ut in anno *Ægyptiorum* uſuvenit. Sed ea res paulò antè pertractata eſt ſuperiore libro, cùm de anno Attico, Græcóque verba faceremus. in quo idem illum error tranſverſum rapuit.

Quod autem æquabiles menſes Hebræis aſſignat, & ex ſacris libris eorum exempla colligit, novam rem non facit. Plures hoc idem alii ante ipſum fecerunt. Ego verò, quod ad veteres Judæos attinet; imò etiam Patriarchas, qui Diluvii tempore vixerunt, iis æquabile hoc anni genus non gravatè conceſſerim. Etſi nulla ad id certa ratione cogi poſſumus. ut in lib. IX de Doct. Temp. cap. IX, & aliis oſtendimus. nec quæ ab aliis notata, ab Alphonſo deſcripta ſunt exempla, neceſſariò docent vel anni rationem, ac menſium ejuſmodi fuiſſe; vel popularem fuiſſe. Quàm multi dies illos, ac menſes, qui in hiſtoria Diluvii continentur, ad Lunæ curſum inſtruunt; quos refellere nemo poteſt! In ceteris, ut ex Daniele, ut ex Apocalypſi, non eſt neceſſe popularem rationem exprimi. Certè Joannis tempore civilis, quod ſciam, Hebræorum annus CCCLX dierum non fuit: ſed lunaris. Quid igitur eſt? Nimirum extra civilem uſum æquabilis iſte annus interdum à Scriptoribus aſſumitur. quod pluribus in anno Græco demonſtravimus. Vide cap. XI libri ſuperioris, & quæ de Græcis ibi dicta ſunt, ad Hebræos transfer. Sanè Danielis hebdomadas annales Africanus, & eum imitati plerique hac ætate viri graves, & eruditi ad id anni genus referunt, quod ſciunt Judæis populare non fuiſſe. Nam CCCCXC annos lunares ſimplices ſine ullis emboliſmis, cujuſmodi Arabici ſunt, à Propheta ſignificari putant. In quo etſi fautorem me non habent; tamen ex hoc intelligis, haud adeò viris prudentibus, ac doctis abſurdum videri, ut alterum, quàm civile, genus anni Prophetæ certarum ad rerum obſcurandas ſignificationes adhiberent.

Poſtremò lepida Petavii reprehenſione cap. I Alphonſi concluditur, ex qua ſpecimen ingenii illius, ac doctrinæ capere oporteat. Exiſtimaſſe Petavium ait in
Num. 15. notis ad Hæreſin LI Epiphanii, *Alexandream, ſive Græcam anni formam à Judæis admiſſam: velut clarè ſupponentem, iſtos ab Alexandrinis; ſeu Græcis annos exactos, & menſes tricenos fuiſſe mutuatos, contra ea quæ ſuprà reſolvimus*, inquit. Hæc Petavii caſtigatio quàm iniqua ſit docet illa ipſa, quam citat, Anim. pag. 153. Ibi enim non ſuam, ſed Scaligeri, opinionem explicans, illud ipſum poſuit, quod Alphonſus redarguit, Alexandream, ſive Græcam anni formam à Judæis admiſſam, ex Calippica periodo. Quod & eo loco, & in lib. II de Doct. Temp. copioſè refellitur. In reliquis valde labitur Alphonſus. Nam Alexandream illam anni formam, quam & Græcam vocamus, credidit ab Alexandria dictam, ac derivatam eſſe. Atqui ab Alexandro Magno illius vocis origo deducitur. Perſuaſum enim erat Scaligero, Calippum periodum ſuam annorum ſex & ſeptuaginta ab Alexandri victoria ad Arbella cœpiſſe, & in honorem victoriæ Alexandream appellaſſe. quod anno ſecundo Olympiadis CXII contigit, Per. Jul. 4383, paucis menſibus poſt jacta Alexandriæ fundamenta; nondum ea urbe condita; nedum eò provecta, ut inde Judæi anni ſui ordinandi rationem petere poſſent. Denique non vidit ab eo, quod eſt *Alexandria*, non poſſe deflecti, *hic Alexandreus*, ſed *Alexandrinus*.

CAPUT II.

De anno Patriarchico, quem Judaicum inſcitè vocat Alphonſus; déque Diluvii tempore, menſibus, ac diebus. Illuſtratur Moſaica deſcriptio.

VENIT in manus meas, poſtquam iſta commentatus ſum, Alphonſi Caranzæ liber *de Partu naturali, & legitimo*; cui velut anteambulonem præire voluit Diatribam illam; quam ſe contra primum Operis noſtri de Doctrina Temporum deproperaſſe, ſanctius Hiſpaniæ Concilium admonendum putavit. Capite duodecimo libri iſtius; ad quod ſingulis penè Diatribæ verſibus digitum intendit, Sect. II de anno & menſibus Hebræorum diſputat. ubi eadem occinit, quæ in Diatriba; ſed multò & faſtidioſiùs, & verborum, atque otii majore jactura. Nam & annum triplicem Hebræis aſſignat; æquabilem dierum CCCLX; vertentem dierum CCCLXV¼, & lunarem. Mox æquabilem ceteris diligentiùs adſtruit; atque ex hiſtoria Diluvii demonſtrare conatur. Utrumque ridiculè. Nam quod ad prius illud attinet; civilis eſſe plus anni formâ unâ non poteſt. ut in anno Græco, Atticóque ſuprà declaravimus. De Diluvii anno, ac dierum menſiúmque deſcriptione tantopere laborare nihil ad rem pertinet. Non enim Hebræis potiùs, quàm Græcis, aut Italis, aut Hiſpanis hic ille, cujuſquemodi fuit, annus imputandus eſt. ut capite ſuperiori ſcripſimus. Neque verò quòd Moyſes narratione ſua anni genus illud expreſſit; (ſi id tamen fecit; quod gratis, ac temerè divinat Alphonſus) argumento debet eſſe; etiam Moſis, ac Judæorum temporibus civilem exſtitiſſe; ut Hebræus, ac Judaïcus dici mereatur. Potuit enim Moyſes Diluvii tempus, hoc eſt menſes, ac dies in eam anni formam includere, quam ſciret uſurpatam illo ſæculo fuiſſe: non quam populares, gentiléſque ſui edita potiſſimùm lege tenuiſſent. Lunarem quippe deinceps veteris in locum ſucceſſiſſe plerique ſentiunt: quibus in ea ſententiâ perſeverare per Hiſpanum Juriſconſultum, ejúſque probationes hactenus licet.

Atque ut de Diluvii anno hîc agamus. (etſi ſupervacaneum id eſt; quoniam eo conceſſo, quod Caranza pugnat; non fit de anno Hebræo conſequens) Sed ut in illo ipſo conatu fruſtra hominem fuiſſe conſtet; doceamus inde confici non poſſe annum æquabilem dierum CCCLX. Totidem enim ſacra in hiſtoria conceptos, ac numeratos exiſtimat. Id autem hoc ferè epilogiſmo conſequi ſtudet. Primùm ante initium pluviarum, quæ die XVII ſecundi menſis exorſæ ſunt, dies ſex & quadraginta fluxerunt. tum centum & quinquaginta, quibus quadraginta continentur illi, quibus continuò pluit. Gen. VII, 17, & 24. Poſt dies CL minui cœptæ ſunt aquæ, requievítque arca die XXVII menſis ſeptimi; poſt dies videlicet quadraginta ab illis CL, ut eſt cap. VIII, 4. Tunc arca ſuper Armeniæ montes reſedit. Deinde aquæ ad abyſſum Oceani refluentes, uſque ad finem decimi menſis reverſæ ſunt. ita tamen ut prima die decimi ipſius cacumina montium apparere cœperint. Hoc modo conſiunt dies trecenti. Sequuntur alii quadraginta poſt exactum menſem decimum: quibus elapſis corvus emittitur, cap. VIII, 6. Tum columba poſt dies ſeptem, quæ ſtatim reverſa eſt. inde poſt alios ſeptem eadem columba rurſus mittitur, com. 10. Demum alios ſeptem dies expectavit, com. 12. Fiunt dies CCCLXI, quorum

quorum poſtremus primus eſt anni ſequentis, de quo mox com. 13.

Sed in hac deſcriptione parum illud commodè, contráque Scripturæ mentem ab Alphonſo ſumitur, verba illa com. 5, cap. VIII; *At verò aquæ ibant, & decreſcebant uſque ad decimum menſem*; ad exactum menſem decimum pertinere, quod eſt abſurdiſſimum. Neque enim dubitare poteſt, qui Hebraica utcumque cum Græcis conferre norit, quin decimus menſis excludatur illa particula, *uſque*. Sic enim in Hebræo ſcriptum eſt, והמים היו הלוך וחסור עד החדש העשירי בעשירי באחד לחדש נראו ראשי ההרים. *Et aquæ erant eundo, & decreſcendo uſque ad menſem decimum. In decimo; prima die menſis apparuerunt cacumina montium.* Hæc loquendi formula ſatis oſtendit, primam diem menſis decimi, adeoque decimum totum, extra priorem ſummam eſſe: neque per repetitionem ab exacto menſe decimo ad ejus caput Moyſem reverti. Particula *enim* Alphonſum Caranzam falſam illam io ſententiam induxit. Sed ea non incommodè ab Interprete poſita eſt; ſi ita capiatur, ut ex Hebraïco fonte interpretari neceſſe eſt. Frivola eſt itaque ratiocinatio illa dierum CCCLX. rectéque Delrius noſter aliquot illius anni dies haud expreſſos à Moyſe ſcripſit. quem eo nomine fruſtrà reprehendit Alphonſus. In quo ſanè quantus helleniſmi ſit uſus, duo quædam hoc ipſa Sectione ſecunda ab eo notata fidem faciunt.

(Alphonſus cap. XII. de Noem. Sect. II. pag. 532.) Joſephum ait perperam ſcripſiſſe, aquas imminui cœpiſſe die ipſo centeſimo quinquageſimo; cùm ſcriptura referat poſt CL dies id accidiſſe. Verba Joſephi. Παυσαμένου δὲ τοῦ ὑετοῦ, μόλις ἤρξατο ὑποβαίνειν τὸ ὕδωρ ἐφ' ἡμέρας ἑκατὸν, καὶ πεντήκοντα, εἰς μῆνα ἕβδομον ἱσαμένου δὲ τῇ ἑβδόμῃ. Atqui Græca iſta non hoc habent, die ipſo centeſimo & quinquageſimo aquas minui cœpiſſe. ſed potiùs exactis iiſdem diebus. Quin Alphonſus repudiata Rufini latinitate, ſuam haud paullò deteriorem ſubſtituit. ſic enim vertit. *Quieſcente verò pluvia, dein aqua reſidere cœpit centeſimo quinquageſimo die, in menſe ſeptimo, ſeptima ejus die inſtante.* Meliùs Ruffinus, *tandem cœperunt aquæ ſedere*, quàm *dein*. Nam μόλις eſt *vix, tandem*. Ultima verò ſanè imperitè reddita ſunt: *ſeptima ejus die inſtante*: quaſi eſſet ἱσαμένου δὲ τῇ ἑβδόμῃ. At eſt ἱσαμένου, *ineunte*, utique menſe, non die. Quid quod argumentatio illa Caranzæ vaniſſima eſt, ideo non centeſimo & quinquageſimo ipſo die, ſed poſt eum minui cœpiſſe; quia Moyſes ait, poſt centum & quinquaginta dies? Innumera ſunt Scripturæ loca, quæ hanc μακρολογίαν compeſcant. Unum inſtar erit omnium. Scribit Lucas poſt (Cap. II.) octo dies circumciſum eſſe Dominum, μεθ' ἡμέρας ὀκτώ. Ao putandum eſt, nono die, non octavo ipſo circumciſum eſſe?

Alterum helleniſmi ſpecimen: Corvum ſtatim poſt quadragenos dies emiſſum à Noëmo probat inter alia ex eo, quòd Joſephus Græcè dicat, ἐπεὶ χρηστηρίας ἤδη γέγονεν ἐλπίδος, ἡμέρας. Nam adverbium, inquit, ἤδη idem eſt quod *illicò*, *confeſtim*. Apage hanc argutiunculam. quæ nullum plane iſtîc locum reperiet. ἤδη enim eſt *jam*: non *confeſtim*.

Sed de anno, quo Diluvium incidit, accuratè & in lib. IX de Doct. Temp. & in XIII, ſive Chronico noſtro diſſeruimus. Oſtenſum eſt illîc, de anni quidem formâ, quæ per id tempus oſurpata fuerit, affirmare certò poſſe neminem. probabile tamen videri, annum ab iis æquabilem dierum circiter CCCLXV, cum tricenariis menſibus adhibitum fuiſſe. Sic ut appendices dies, aut reſervarentur in anni cujuſlibet finem; aut annis aliquot elapſis intercalarentur. Eodem verò anno, qui cœpit ab anno Per. Jul. 2385, Octobris X, feria III, Neomeniam Thoth incidiſſe in Martii XXVIII, fer. 3. Proinde Phamenoth XVII conveniſſe in Octobris X. Sed præſtat hujus anni, qui ab orbe condito numeratur à nobis 1656, deſcriptionem hîc brevi tabella complecti, adnotatis ad menſes ſingulos Ægyptiacis, & Judaïcis menſibus, ut quæ per incuriam in notas dierum incurrêre illic vitia, caſtigentur.

Annus Diluvii ſuis characteribus notatus mundi 1656. Cœpit anno Per. Jul. 2385, Cyclo Solis 5. Luna 10. Littera B A. Deſiit anno 2386, Cyclo Solis 6. Luna 11. Littera G.

Menſes Noemitici		Feria	Menſes Ægyptii		Menſes Judaici	
Primus	Octobr. x	3	Phamenoth	xvii	Tiſri	xxvi
Secundus	Nov. ix	5	Pharmuthi	xvii	Marcheſwan	xxvi
Tertius	Decemb. ix	7	Pachon	xvii	Caſleu	xxvii
Annus Per. Jul. 2386.						
Quartus	Jan. viii	2	Payni	xvii	Tebeth	xxvii
Quintus	Febr. vii	4	Epiphi	xvii	Schebath	xxviii
Sextus	Mart. ix	6	Meſori	xvii	Adar I	xxviii
Septimus	Apr. viii	1	Thoth	xii	Adar II	xxviii
Octavus	Maii viii	3	Paophi	xii	Niſan	xxix
Nonus	Junii vii	5	Athyr	xii	Iiar	xxix
Decimus	Julii vii	7	Choiac	xii	Siwan	xxx
Undecimus	Aug. vi	2	Tybi	xii	Ab	i
Duodecimus	Septemb. v	4	Mechir	xii	Elul	i
Epagomenæ	Octobr. v	6	Phamenoth	xii	Tiſri	ii
Deſiit Octobris IX, feria 3. Annus mundi 1657.						
Menſes						
Primus	Octobr. x	4	Phamenoth	xvii	Tiſri	vi
Secundus	Nov. ix	6	Pharmuthi	xvii	Marcheſwan	vii

(Gen. VII, 11.) His animadverſis Diluvium, ait Moſes, cœpit menſe ſecundo, die XVII menſis; nimirum Novemb. XXV, feria VII, Pachon III, Caſleu XIII. Tum enim pluvia cœpit; quæ totos XL dies perſeveravit uſque ad diem III Januarii anni inſequentis, quo pluere deſiit. Obtinuerunt autem aquæ totos CL dies: qui à die XVII (Gen. VII, 12.) menſis ſecundi putati deſinunt in Aprilis XXIII diem, qui fuit XVI menſis ſeptimi, Thoth XXVIII, Adar ſecundi XIV. Pòſt aquæ ſenſim imminutæ ſunt. Ac primùm die XXVII menſis ſeptimi, nempe Maii IV, feria (Gen. VIII, 4.)

VI,

VI, Paophi VIII, Adar ſecundi XXIV, arca ſuper mon-
Ib. ver. 5. tes Armeniæ reſedit. Decimo menſe, ejuſque primo
die, qui in Julii VII incidit, ſer. VII Choiac XII, Siwan
Ver. 6. ultimo, cacumina montium apparuere. Deinde cùm
tranſiiſſent XL dies, Noë corvum emiſit ex arca, die XI
Ver. 8. menſis undecimi, Auguſti XVI, Tybi XXII, Ab XI.
Poſt dies VII, Auguſti XXIII columbam emiſit, quæ ad
Ver. 11. eum reverſa eſt. Mox ſeptem aliis diebus expectatis,
Auguſti XXX iterum columbam emiſit. quæ ramum oli-
Ver. 12. væ roſtro ferens ad arcam revertit. Inde ſeptem aliis
diebus expectatis, Septembris VI, feria V columbam tertiò dimiſit. quæ non ampliùs rediit. Demum anno ineunte ſexcenteſimo primo vitæ Noëmi aquæ exſiccatæ ſunt. Hebraicè חרבו, ἐξέλιπε. Noſter *immuuta ſunt*; hoc eſt *plenè minuta* ſunt: ita tamen ut luto, & uligine obſita, nondum animantium greſſibus, nedum cultui, ac ſationi eſſet idonea. Quare ad menſem uſque ſecundum, ac diem ejus XXVII ſubſtitit Noëmus. Tum ipſo die XXVII Noëmus egreſſus eſt, Decembris V, Pachon XIII, Caſleu IV, feria IV. Sed de Diluvio plura propediem Godefridus Vendelinus noſter, vir eruditiſſimus, ac Mathematicarum artium imprimis peritus in lucem proferet, eo libro, cujus ſpem nobis jamdudum facit. Nos ut Caranzæ ſatisfaceremus, qui in anno Diluvii adſtruendo tot paginas perdidit; paucas iſtas rependimus.

CAPUT III.

De anno Ægyptiaco, & Caniculari Periodo refutatur Salmaſii diſputatio, in qua ſecum ipſe velitatur. Cenſorinus ab ejuſdem falſa reprehenſione defenditur. Geminus, Theo, Cenſorinus idem illuſtrati.

ÆGYPTIORUM civilis annus diebus conſtabat præcisè CCCLXV, ſine ulla horarum appendice. Hoc imprimis Geminus affirmat; qui Ægyptios ait Cap. VI, contrarium ac Græcos propoſitum ſecutos, annos ſuos civiles neque ad Solem, neque ad Lunam direxiſſe; ſed illud potiſſimùm ſpectaſſe, uti feſta, ſacráque popularia omnes Solaris anni tempeſtates percurrerent. atque idcirco annum ſuum diebus CCCLXV exactè definiiſſe, nullo addito quadrante. τὸ δὲ α/δ οὐκ ἐπάγουσι. Proinde in annis IV uno die, inquit, ab Sole deficiunt. in annis XL, diebus decem. Totidem ergo diebus feſta regrediuntur. Denique poſt annos CIↃCCCCLX Julianos, qui ſunt Ægyptiaci uno ampliùs CIↃCCCCLXI, feſta eadem totum anni Juliani pervagata contextum ad caput redeunt. Non potuit ſententiam ſuam clariùs explicare Geminus, ac civilis Ægyptiorum anni formam deſcribere; quæ ſine ullo quadrante ſolis diebus conſtabat, quàm illa tota narratione fecit.

Salmaſius Plinian. Exercit. pag. 552. At Salmaſius, qui nuper ad Solinum exercitationes edidit, nugari Cenſorinum dejerat, quòd ſcripſerit, quadriennium apud Ægyptios uno circiter die minùs eſſe, quàm naturale quadriennium, quia eorum civilis annus ſolos haberet dies trecentos ſexaginta quinque ſine ullo intercalari. Hæc Cenſorinus capite XVIII, & quidem veriſſimè. neque dubitandum eſt, quin imperitiſſimè ſit ab illo reprehenſus. Nihil enim Cenſorinus aliud dixit, quàm quod Geminus hoc loco; & Herodotus, & Theo, & plerique omnes de anno Ægyptiaco memoriæ tradiderunt; quódque adeo Salmaſius ipſe, per imprudentiam agnoſcit.

Geminus ecce annum civilem Ægyptiacum, cui popularia feſta illigabantur, diebus dumtaxat trecentis ſexaginta quinque definit, citra horarum appendicem. eámque cauſſam fuiſſe refert, cur Ægyptiaci anni Neomenia uno die poſt annos quatuor anteverteret. Quid aliud Cenſorinus docuit? Herodotus quoque libro ſecundo ſub initium, de Ægyptiis loquens, *τριηκοντημέρους ἄγοντες τοὺς δυώδεκα μῆνας, ἐπάγουσι ἀνὰ πᾶν ἔτος πέντε ἡμέρας πάρεξ τοῦ ἀριθμοῦ, tricenarios menſes habentes, quotannis quinque dies præter numerum appendunt.* Theo Mathematicus eruditiſſimus libro, qui inſcribitur εἰς τοὺς προχείρους κανόνας, qui nondum editus penes nos ſcriptus eſt, & in Bibliotheca Regia reperitur, annum Græcum, ſive Alexandrinum Julianum cum Ægyptiaco comparans, in eo differre ambos illos aſſerit, quòd Græcus ſit dierum CCCLXV, & quadrantis; Ægyptiacus verò dierum præciſè CCCLXV, ſine horis appendicibus. Verba Theonis hic neceſſariò repetenda ſunt. *ἐπεὶ γὰρ ὁ καθ' Ἕλληνας, ἤτοι κατ' Ἀλεξανδρεῖς ἀναδιδόμενος ἡμῖν ἐνιαυτὸς ἡμερῶν ἐστι τξε' α/δ, ὁ δὲ κατ' Αἰγυπτίους, ὡς ἔφαμεν, τξε' μόνον· δῆλον ὡς ἔτη κατὰ τετραετηρίδα ἡμέραν μίαν προλαμβάνει ὁ κατ' Ἀλεξανδρεῖς. κατὰ δὲ αυξ' ἔτη, ἡμέρας τξε'· τουτέστι κατ' Αἰγυπτίους ἐνιαυτὸν ἕνα.* Vide ut Ægyptiacum annum dicat præcisè diebus conſtare CCCLXV, & idcirco in annis IV uno anticipare die? quod ipſum quia Cenſorinus ſcripſit, nugari eum Salmaſius affirmat. Eodem pertinet, quod ibidem Theo refert, Ægyptios, cùm hactenus æquabili, & vago uterentur anno, tandem fixum, & Julianum adbibuiſſe. quæ res à nobis explicata eſt lib. XI de Doct. Temporum. Igitur annus Ægyptiorum civilis diurno illo quadrante caruit.

Doceo jam, quod alterum erat, ex Salmaſii confeſſione ac verbis, annum iſtum nullam appendicem habuiſſe; ſed ex diebus præcisè compoſitum fuiſſe CCCLXV. Scribit enim pag. 553, C, Periodum magnam canicularem annorum Ægyptiorum 1461 ab eo tempore cœpiſſe, *quo prima dies Thoth in caniculæ ortum inciderat, quam ſemper redire ad idem principium poſt annos mille quadringentos ſexaginta unum putabant.* Si prima dies anni Ægyptiaci ab aliquo die Solaris, & Juliani anni cœpta, non ante annos ſimplices 1461 ad eumdem diem regreditur, non poteſt annus ille, fixus eſſe, neque præter dies ſolidos quadrantem admittere. alioqui in eodem veſtigio perpetuò conſiſtens, numquam ab eo, unde primùm iniiſſet, die recederet. Inde enim canicularis illa periodus annorum 1461 conſurgit. ac disertè Geminus ait, toto illo ſpatio Neomeniam Thoth per omnes ſolaris anni dies evagari. cui Theo, & Cenſorinus adſtipulantur. quem poſtremum tamen ideò nugatorem appellat Solinianus Exercitator.

Qui adeò his in litteris rudis & imperitus eſt, ut eâdem paginâ duo contraria, & pugnantia defendat. Nam & annum Ægyptiacum fixum, immobilem facit: & eumdem nihilominus vagum, & in poſteriora regredientem eſſe definit. Salmaſii fœda conflictatio. Ægyptiorum annum fixum exſtitiſſe, demonſtrat pag. 552 A, ubi quadriennium Ægyptiotum nihil ab naturali diſcrepare contendit, hoc eſt diebus conſtari 1461. tum annos ſingulos præter dies 365. horas inſuper ſenas habuiſſe. quippe ab ortu caniculæ, ad alterum ortum annos extendi ſingulos. Addit Ægyptios, à quibus anni ſui formam Julius Cæſar accepit, non unum quidem diem quatuor annis vertentibus intercalaſſe. ſed cùm annis ſingulis horas ſex adjicerent, in fine periodi quadriennalis, quatuor quadrantes, hoc eſt diem integrum, ad numerum dierum acceſſiſſe. Ita quod intercalatione Cæſar aſſequebatur, id citra diei totius intercalationem Ægyptios obtinuiſſe. Ex his citra obſcuritatem ullam, dubitationémque conſequens eſt, annum Ægyptiorum ſtabilem, & fixum fuiſſe; multò etiam Juliano magis. nam cum Sole ὁμαλῶς anni ſinguli paria faciebant; quod Julianus nonniſi vertente anno quarto præſtare poteſt. Fingamus hoc anno Neomeniam Thoth à Kalendis Januariis incipere, à media nocte. Annus ſequens ab iiſdem Calendis inibit, hora ſexta poſt mediam noctem annus tertius hora duodecima: annus quartus hora ſexta pomeridiana. idemque deſinet in mediam noctem ſecundi diei Januarii. Quare ne peſſum eat annus Ægyptius, quartus tetraeteridis annus dies habebit CCCLXVI, ut annus quintus ineat à media nocte Kalendarum Januariarum. atque ita deinceps ad eumdem diem Neomenia Thoth adhæreſcet. Non igitur ſitum mutat in anno Solari, ac Juliano; neque per omnes dies retrò funditur. quod tamen & Scriptorum conſenſus omnium, ac vulgaris anni Ægyptiaci doctrina perhibet: &, quod mirum eſt, Salmaſius ipſe paullò poſt aſſeverat. quæ eſt pars τῆς ἀντιφάσεως altera, quam ab eodem propugnari paullò antè planum fecimus.

Hoc igitur uno, ac brevi dilemmate dicti illius falſitas convincitur. Aut enim annus Ægyptiorum fixus & immobilis fuit; aut non fuit. Si prius verum eſt; falſum id eſt, quod de reditu Neomeniæ Thoth poſt annos demum 1461, pag. 553 colligit. Sin poſterius mavult; falſum eſt alterum, quod itidem ſcripſit; quadriennium Ægyptiacum nihil ab naturali differre, ac diebus conſtare 1461. Horum utrum elegerit, altero implicetur, ac teneatur neceſſe eſt.

Sed

Digitized by Google

Sed ut in tota illa anni Ægyptiaci deſcriptione planè quid diceret neſciſſe iſtum intelligant, qui paullulùm judicii ad horum lectionem afferent, age quàm ſit in reliquis ſibi conſentaneus porrò videamus. Ægyptios ait annis ſingulis horas ſupra dies imputaſſe ſex; ſic ut ſequens à primo, verbi cauſsâ, horis ſex tardiùs inciperet; tertius horis duodecim, & ita reliqui, uti paullò antè diximus. Hoc modo primus anni cujuſque dies fixum initium non habuit; ſed aliàs à media nocte; aliàs à meridie; aliàs ab occaſo Sole ducebatur. qua ratione paullatim, ac tacitè quaſi furtivus dies inſerebatur, qui naturale quadriennium abſolveret, quod Juliana intercalatio ſemel faciebat. Hoc pacto neque intercalaſſe putat Ægyptios; & idem tamen conſecutos, quod intercalatione ceteri obtinere ſtudebant. Ego verò neque civilem annorum rationem ejuſmodi unquam apud Ægyptios fuiſſe contendo: & ut fuerit, non ſine intercalatione eſſe potuiſſe. Hujus porrò commenti non auctor eſt Criticus iſte; ſed à Scaligero acceptum peſſimè tractavit.

Etenim Scaliger libro III Iſag Can. idipſum ex Ammiani libro XXVI confici putavit. non tamen id in civili, ac populari anno factum credidit; ſed arcano, & hierophantico. Nam Sacerdotes Ægyptios ait naturale quadriennium obſervaſſe, adeo ut Neomeniam Thoth in eodem die perpetuò retinerent, ac fixum, & Julianum annum taciti foverent. Nos in libro III de Doctrina Temporum, capite II demonſtravimus nihil ex Ammiano tale colligi; ſed refelli potiùs. tum, ut Juliani modum anni Sacerdotes intelligerent, ac ſervarent; non tamen ullum ad uſum, ac rerum notationem tranſtuliſſe. Quocirca abditus, & opertaneus apud Ægyptios Sacerdotes Julianus annus fuit; non ut uſum illius exercerent; quod falsò docuerat eo à nobis nomine reprehenſus Scaliger: ſed ut ejus ſcientiam apud ſe retinerent. Tantum abeſt, ut civilem hanc anni formam habuerint. quod Salmaſius affirmat. Ecquis unquam legit in anno populari ſic horas intercalatas fuiſſe; ut ab aliis, atque aliis τοῦ νυχθημέρου partibus primus dies inciperet? Satin' ridiculum eſt annum primum à media nocte; ſequentem ab ortu ſolis: tertium à meridie; quartum ab occaſo Sole civili uſu, ac ratione deducere?

Plinius libro II, capite LXXVII Ægyptios ait à media nocte in mediam noctem computare civilem diem. Ptolemæus in obſervationibus pleriſque ab ortu ſolis populari ratione incipit: uti alibi demonſtravimus. Nam aſtronomicè idem ille diem à meridie incipit. Cedo ullum abrupti illius, & inconſtantis initii veſtigium, quod nova ſibi opinione iſte finxit. Volo enim mihi reſpondeat, cùm annus civilis ex diebus conſtet; dies ex horis; primus anni ſecundi, tertii, quartique dies quot horas colligat. Tertius exempli cauſsâ annus à meridie proficiſcitur. Primus ergo dies ejus à meridie cœptus ubi tandem deſinet? Alteram in meridiem? Igitur totius anni dies ceteri indidem orientur. anni verò quarti dies omnes trecenti ſexaginta quinque ab occaſu Solis incipient. uti & anni primi dies omnes à media nocte, & ſecundi anni omnes ab diluculo propagantur. Ita quadruplex diei civilis exordium apud Ægyptios fuerit. ut ſic tamquam ἐπώνυμοι Magiſtratus annum ſuum quælibet initia tenuerint, ac per vices ſibi ſucceſſerint. quod ſine riſu ne cogitare quidem poſſumus. Sin primus duntaxat cujuſlibet anni dies deſultorio hoc initio functus ſit; ceteri ſtatum ac perpetuum exordium tenuerint; ergo primus annorum ſingulorum dies horarum inæquali numero conſtabat; ſic ut tertii anni primus dies horarum eſſet duodecim: quartus, ſex. Hæc ſunt portenti ſimilia.

In anno Ægyptiaco nullam intercalationem fuiſſe.

Hoc verò prodigioſum magis, quod quadriennium Ægyptiacum, cujus anni ſinguli ſex horas appendebant, ſine intercalatione ita diſpenſari fingitur. quódque nullum annum ſimplicem plures habuiſſe dies, quàm trecentos ſexaginta quinque ſolidos, ac ſenas inſuper horas arbitratur. *Non erat* (inquit pag. 552, C) *intercalaris quartus annus Ægyptiacæ periodi. nihil enim plus dierum habebat, quàm reliqui tres anni: ſed quadrantem ſuum excurrentem, ut illi, ſolùm obtinebat; qui ceteris tribus præcedentium annorum additus, diem ſolidam faciebat in fine periodi integrari, & numerari ſolitam.* Hæc quàm rectè ſint ſcripta videamus. Annus Ægyptiacus menſibus ex duodenis componitur, quorum quilibet triginta dies habet: conſiuntque CCCLX dies. Adduntur epagomenæ quinque; ut CCCLXV numerus expleatur. Accedat præterea quadrans diurnus, ex Salmaſii ſententia. Repetatur deinde quod paullò ſuperiùs expoſuimus, de annorum ſingulorum exordio; ac primus, verbi cauſsâ, à media nocte Kalendarum Januariarum ineat. quartum igitur ab occidente Sole Kalendarum earumdem auſpicabimur. Hic dies ſuos CCCLXV, & horas explicans deſinet in mediam noctem ſecundæ diei Januarii. atque hoc modo τῆς μεταπτώσεως Neomenia Thoth peſſum in conſequentia præcipitabitur. Quod ut evitetur, ne fingi quidem alia ratio poteſt, quàm ut ad epagomenas dies unus accreſcat, ac ſex anno quarto, non, ut aliàs, quinque numerentur. At hoc ipſum intercalatio eſt. Quid eſt intercalaris dies? Opinor ille, qui præter communem, & uſitatum dierum in anno numerum extraordinarius accreſcit, quam ἐμβόλιμον ἡμέραν Horus appellat libro I, capite V. Anni priores ſolidos dies trecentos, & ſexaginta quinque retinent. quartus trecentos, & ſexaginta ſex. Dubitabimus quin intercalaris dies iſte ſit, quamlibet ex antecedentium annorum quadrantibus in fine collectus? Niſi fortè extra anni, menſium, & epagomenon metas relegatus iſte dies, ac ſolitarius conſiſtit. Vana eſt itaque cautio illa de vitata ab Ægyptiis intercalatione; cùm nulla ratione fieri poſſit, ut ad eumdem diem quadriennio vertente civilis annus redeat, hoc eſt diebus, ut Salmaſio placet, 1461 conſtet, niſi quartus integros ac ſolidos numeret 366; adeóque intercalaris ſit, cùm reliqui non plures quàm 365 ſibi vendicent. Proinde verum non eſt, eumdem annum nihilo plus dierum habuiſſe, quàm reliquos tres. Quippe uno amplius habuit. aut certè quadriennium dies 1461 non habuit. Anni quatuor ſimplices dies colligunt 1460. Unus igitur addendus eſt, ut 1461 compleantur. Hic autem non primo, non ſecundo, non tertio accedit anno: quia ſinguli ſolidos dies accipiunt 365. quarto itaque tribuendus eſt; qui eſſe debet dierum 366, & intercalaris. Quamobrem ex Salmaſii diſputatione illud abſtulimus; annos quatuor Ægyptiacos civiles cum Juliano quadriennio paria feciſſe. Unde ſequitur, quod omnem abſurditatem ſuperat, Neomeniam Thoth in eodem ſitu immobilem, fixámque perſeveraſſe. Huic verò Geminus, Ptolemæus, Theo, Cenſorinus, veteres omnes, ac recentiores, qui de anno Ægyptiaco ſcripſerunt; ac poſtremò Salmaſius ipſemet paucis poſtea verſibus reclamat. Cujus verba illa pag. 553 C, inextricabilia ſunt: *Atque hic circuitus* (annorum 1461) *à canicula ſemper ortu incipiebat; ut & minor ille annorum quatuor; & ſinguli anni vertentes apud Ægyptios: ſed quocumque menſe anni, & quacumque die menſis tum annus vertens; tum periodus parva poterat incipere, dum ab ortu caniculæ initium duceret. Verùm periodus illa major ex centuriis annorum compoſita, non aliud principium habebat, quàm ubi prima menſis Thoth in caniculæ ortum inciderat, quam ſemper redire ad idem principium poſt annos mille quadringentos ſexaginta unum putabant.* Hæc ſi vel ipſe qui ſcripſit, intelligere potuerit, ego quantivis pretii hominem judicabo. Etenim tam annos ſingulos, quàm quadriennia quælibet, ac periodum ipſam majorem ab eodem ortu caniculæ ſemper incepiſſe docet. Eſt autem caniculæ ortus certo in anno Solari, ac Juliano die defixus; à quo ſecundùm octavæ ſphæræ motum in conſequentia tardiſſimè recedit. Veteres, qui anni Tropici & Juliani diſcrimen ignorabant non dubitabant, quin eodem perpetuo die Juliano caniculæ ortus incideret. Sumatur menſis Juliani Quintilis dies XXI, in quem ortus caniculæ competat unà cum Neomenia Thoth Ægyptii. Si, quod hoc loco ſciſcit Salmaſius, annus quilibet ab ortu caniculæ incipit, etiam à die Julii XXI ſemper inchoabitur. nec ab eo die Neomenia Thoth recedet. Atqui contrà ſeſe res habet. Siquidem anno primo Nabonaſſari, qui eſt 747 ante Chriſtum, Neomenia Thoth die ſexto & viceſimo Februarii contigit. anno verò Chriſti CCXXXVIII fuit a. d. VII Kalendas Julias, ut Cenſorinus aſſerit capite XXI. Intervallum annorum 985. quo ſpatio Neomenia Thoth diebus 291 retroacta pervenit ad XXV Junii. Quare ex novo egregii Mathematici decreto, caniculæ ſidus eodem modo Julianum perambulavit annum, atque à Februario, ubi Nabonaſſari initio verſari debuit, per Januarium, ac Decembrem ad Junium

eſt regreſſa. Quî enim facere aliter potuit, ſi Neomenia Thoth à caniculæ ortu ſemper incipiat? Poteſt verò docere nos quid iſta ſibi velint: *Quocumque menſe anni, & quacumque die menſis tum annus vertens; tum periodus parva poterat incipere, dum ab ortu caniculæ initium duceret?* Igitur quocumque menſe, ac die, anni, & quadriennii caput incidere potuit, & ab ortu caniculæ nihilominus inchoari. Ex quo neceſſariò conſequitur ortum caniculæ quocumque menſe anni, & quacumque die menſis incurriſſe. Sanè quantum ex hac tota diſputatione colligi poteſt, acutiſſimi hominis hæc opinio fuit; caniculæ ſidus eâdem, qua Neomeniam Thoth, progreſſione in antecedentia ferri, ac poſt annos 1461 priſtinam ad ſtationem reverti: ut propterea canicularis illa periodus appelletur. Nam niſi ita perſuaſum haberet, non diceret annos omnes Ægyptiacos, & quadriennia ſingula numquam ab ortu caniculæ divelli; nec referre quocumque menſe, ac die ineant anni, dum in caniculæ ortum incidant.

Uno verbo, Neomenia Thoth, ſi cum ortu caniculæ perpetuò conjuncta ſit, ad eumdem diem adhæreſcit; aut cum illa pariter canicula ipſa in antecedentia recurrit. Quæ duo cùm abſurdiſſima ſint, ab eodem tamen Salmaſio ponuntur. Ex his verò poſterius longè altero eſt abſurdius: quod tamen ſenſiſſe Salmaſium illa præterea declarant, quæ de caniculari periodo magna ſubjicit. *Quam ſemper redire ad idem principium poſt annos mille quadringentos ſexaginta unum putabant.* Nam ſi pronomen relativum *quam* ad caniculam pertineat; manifeſtum eſt, caniculam ex ejus opinione εἰς τὸ περιγεγραμμένον nisi cum Neomenia Thoth. Sin ad primam diem menſis referatur, quæ vertente periodo majori, eò, unde erat profecta, revertitur; quoniam, ut non ſemel docuit, ab ortu caniculæ annorum, & quadrienniorum initia minimè ſeparantur; pari volubilitate, ac Neomenia Thoth, eadem retrò canicula progreſſionem faciet. Quin idem pag. 550 E, de hac magna periodo agens ita ſcribit: *Hæc magna periodus annorum Ægyptiorum, qua caniculæ ortus, à quo annum ſuum auſpicabantur, ad idem principium devolvebatur.* Hinc igitur apparet iſto quidem loco, ac verbis illis fuiſſe Salmaſii ſententiam de mobili utriuſque, hoc eſt Neomeniæ Thoth, & caniculæ ſitu in anno Solari, ac Juliano. quam eâdem pagina damnat nihilominus, ac revincit, dum quadriennium Ægyptiacum, itidem ut Julianum, diebus circumſcribit 1461: nec non Eudoxi tetraeteridem hac una re ab Ægyptiacâ diſcrepaſſe vult; quòd hæc à canis ortu; à brumâ altera ducebat initium. Ex quo perſpicuum eſt, non minùs Ægyptiaci quadriennii fixum & immobile fuiſſe principium, quàm Eudoxeæ tetraeteridos. ut quemadmodum hæc in bruma; ſic illa in æſtate, & ortu caniculæ conſiſteret.

C A P U T IV.

De anno Ægyptiaco contra Alphonſum Caranzam diſputatur. explicata Diodori & Strabonis loca, quibus abutitur. Theonis verba perperam ab eo accepta declarantur.

QUÆ de vago, & inconſtanti civilis apud Ægyptios anni primordio dicta ſunt, extra controverſiam eſſe debent. Tam enim gravibus, tam apertis veterum, recentiorúmque teſtimoniis approbantur; nullus ut hæſitandi locus cuiquam ſit relictus. Nunc illa Scriptorum loca proferenda, expendendáque ſunt, quæ adverſus communem ſententiam non minùs ab Alphonſo Caranza, quàm à Calviniſta Exercitatore ſunt objecta.

Pag. 32. Diodorus imprimis de Thebanis Ægyptiis loquens, peculiare hoc illis eſſet refert, ut annos ad Solem accommodent. τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι κατὰ σελήνην, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἥλιον, τριακονθημέρους μὲν τιθέμενοι τοὺς μῆνας, πέντε δ' ἡμέρας, καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἐνιαύσιον κύκλον ἀναπληροῦσιν. *Dies enim non ad Lunam tranſigunt, ſed ad Solem: dum menſes tricenarios faciunt, ad eóſque dies addunt quinque cum quadrante: atque hoc pacto orbem annuum explent.* Eadem fere Strabo libro XVII. τούτων δ' ἐστὶ καὶ τὸ τὰς ἡμέρας μὴ κατὰ σελήνην ἄγειν, ἀλλὰ κατὰ ἥλιον, τοῖς τριακονθημέροις δώδεκα μησὶν ἐπαγόντων πέντε ἡμέρας κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον· εἰς δὲ τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ ἐπιτρέχοντος μορίου τινὸς τῆς ἡμέρας, περίοδόν τινα συντιθέασιν ἐξ ὅλων ἡμερῶν, καὶ ὅλων ἐνιαυτῶν τοσούτων ὅσα μόρια τὰ ἐπιτρέχοντα ποιεῖ ἡμέραν. *Horum & inſtitutum hoc eſt, dies non ad Lunam exigere, ſed ad Solem: ita ut tricenariis duodecim menſibus appendices addant quotannis dies quinque. Porrò cùm ad totius anni complementum particula diei quædam excurrat, certam periodum componunt tot ex integris diebus, & annis integris; quot portiones ſingulorum annorum reſiduæ diem abſolvunt.* Loquitur autem de Thebanis Sacerdotibus, quibus exquiſitam Aſtronomiæ, ac Philoſophiæ peritiam omnium opinione tribuit. Sic paullò antè de Heliopolitanis loquens, ὅτι δὲ τὰ ἐπιτρέχοντα τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς νυκτὸς μόρια ταῖς τριακονθημέροις ἐξήκοντα πέντε ἡμέραις εἰς τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ἐνιαυσίου χρόνου παρέδοσαν. *Iis excurrentes diei, noctiſque particulas ſupra CCCLXV dies ad complendum annum tradiderunt.* His teſtimoniis fretus Alphonſus civilem Thebanorum dumtaxat annum eumdem cum Juliano conſtituit, dierum 365 ¼, cùm Ægyptii ceteri quadrantem prætermitterent. At Salmaſius univerſè ad Ægyptios extendit omnes, quos ait quadrantem annis ſingulis adjeciſſe; ita tamen ut non propterea diem intercalarent. Utriuſque porrò falſa ratio; ſed Juriſconſulti tolerabilior. Nam Salmaſius quid ſcriberet omninò neſcivit. de quo quidem paullò poſt.

Ut Hiſpanum Juriſconſultum abſolvam; non erat quod de Thebanis potius ex Diodoro contenderet, aut Heliopolitanis, quàm de Ægyptiis omnibus; de quibus idipſum teſtatur Horus Apollo, quod de Thebanis ceteri prodiderunt. Nam lib. I, capite V, βουλόμενοί τε ἔτος αὐτὸ (inquit) τέταρτον λέγουσιν. ἐπειδή φασι κατὰ τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἄστρου τῆς Σώθεως, μέχρι τῆς ἄλλης ἀνατολῆς, τέταρτον ἡμέρας προστίθεσθαι· ὡς εἶναι τὸ ἔτος τοῦ Θεοῦ τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμερῶν. ὅθεν καὶ διὰ τετραετηρίδος περισσὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύπτιοι. τὰ δὲ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει. *Annum volentes dicere, quadrantem nominant: propterea quòd ab uno ſideris illius ortu; cui Sothis nomen eſt, ad alterum, quarta diei pars adjiciatur. ut annus Dei conſtet diebus CCCLXV. Unde & quarto quoque anno vertente ſupervacuum diem computant Ægyptii. Nam quatuor quadrantes diem perficiunt.* Non minùs apertè de Ægyptiorum omnium intercalatione loquitur, quàm de Thebanorum, aut Heliopolitanorum ceteri. Verùm adjuvanda hæc interpretatione ſunt; ut Ægyptiorum antiſtites, & Sacerdotes veri curſus ſolaris periti ſcirent, quotannis uno die ſolarem annum antevertere, eúmque diem taciti notarent; etſi penes populum nullus iſtius intercalaris diei ſenſus exſtaret. Hunc, inquam, diei quadrantem Solis rationibus imputabant Sacerdotes, non civiliter, ſed quatenus Thoth ſui περιηγήσεως animadvertebant. Quo in *imputandi* vocabulo conflictatur Alphonſus; nóſque, quòd Latinè quæ non capit, dicimus; penè obtorto collo rapit.

Quòd penes Sacerdotes arcani iſtius anni citra uſum notitia reſederit, Strabonis verba ſignificant. Nam Sacerdotum doctrinæ, ac rerum cœleſtium peritiæ tribuit, quòd annum ita conforment; ut appareat exquiſitum quiddam, ac ſingulare, neque vulgo cognitum & uſurpatum fuiſſe. Ita nos tametſi lunari anno civili non utimur; hujus tamen rationes peritis conſtant; eæque cum ſolaribus in gubernando Paſchatis, ac ſolennium reliquorum negotio ab Eccleſiæ moderatoribus adhibentur.

Atqui non Thebanos ſolùm, ſed etiam Alexandrinos civili conſuetudine diem intercalaſſe, Alphonſus exiſtimat, ídque ante Cæſaris tempus, & inſtitutum ab eo Julianum annum, & in Ægypto receptum. Verba illius ex Cap. II, Numero 7 operæ pretium ſit adſcribere. *Ut inde valdè miremur inſignem alterum Petavii lapſum, exiſtimantis in libro III, cap. II, Alexandrinum annum, de quo Theon teſtatur, Julianum, aut Auguſteum fuiſſe poſt victoriam Actiacam Alexandriæ inductum, & diverſum ab anno vetere Ægyptiorum.* Mox ita concludit; Theonem aſſerere, Alexandrinum annum ex antiquo ab Ægyptiaco ſola quadrantis adjectione diſcrepaſſe. Accedit & argumentum illud, quòd cùm Julius Cæſar à ſolis Alexandrinis anni ſui rationem didicerit, conſequens ſit, magiſtros ipſos Alexandrinos ante Julianam caſtigationem non, ut reliqui Ægyptii faciebant, annum dierum CCCLXV; ſed quadrante majorem adhibuiſſe. Hæc ille. quæ & cap. III, Numero 8 accuratiùs explicat adductis Theonis verbis, quæ ex Libro

bro noſtro ſecundo de Doctr. Temp. pag 131 deſcripſit. Ea nos verba, ne jucundiſſimo ſpectaculo lectorem fruſtremur, hoc loco reponemus. Ἑξῆς λαμβάνεται ὅ, τι μηνὶ κατ' Αἰγυπτίους τίνος πόλιν (?) τρόπον. ἐπεὶ γὰρ ὁ καθ' Ἕλληνας, ἤτοι κατ' Ἀλεξανδρεῖς ἀναδιδόμενος ἡμῖν ἐνιαυτὸς ἡμερῶν ἐστι τξε' $\frac{a}{\delta}$, ὁ δὲ κατ' Αἰγυπτίους, ὡς ἔφαμεν, τξε' μόνων δῆλον ὡς ὅτι κατὰ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν προσλαμβάνει ὁ κατ' Ἀλεξανδρεῖς. *Deinceps uſurpatur menſis, ac dies ſecundùm Ægyptios ad hunc modum. Quòd enim Græcorum, hoc eſt Alexandrinorum, datus nobis annus diebus conſtat 365 $\frac{1}{4}$. Ægyptiacus verò ut diximus, diebus tantummodò 365. perſpicuum eſt quarto quoque anno diem unum ad Alexandrinum accreſcere.* Ex hoc Theonis loco concludit Alphonſus Alexandrinos etiam ante annum Julianum receptum intercalaſſe quarto quoque anno civiliter unum diem. Nam προσλαμβάνειν ἡμέραν μίαν eſt unum diem adjicere.

Alphonſi judicium. Sed cùm in tota ſua Diatriba nimiùm calidi, ac ſubiti judicii multa, & maxima ſigna dederit Alphonſus, hoc quidem loco luculentum ejus rei monimentum & inſigne ſtatuit. Nam Theonis librum illum omninò non vidit. neque enim editus eſt ὁ εἰς τοὺς προχείρους κανόνας, unde ille locus ſumptus eſt. Itaque non aliunde, quàm à nobis exſcripſit. cujus rei argumento poteſt eſſe, quod idem mendum expreſſit, quo cum à nobis publicatus eſt. Neque enim Theonem ipſum adhuc videram; ſed ab alio deſcripta illius verba libro noſtro mandaveram. Nunc ſciat Alphonſus poſtrema Theonis verba ſic eſſe ſcribenda; προλαμβάνει τὸν κατ' Ἀλεξανδρεῖς. *Ægyptiacus*, ait, *annus in annis quatuor uno die Alexandrinum antevertit.* Sed hoc leve illud ad Alphonſinarum divinationum refrænandam licentiam plane ſingulare,

Alexandrini anni epocha ex Theone. quod eodem in loco Theo de Alexandrinorum anno iſto verba faciens, hujus epocham conſtituit in anno V Auguſti Cæſaris; Actiaco nimirum: quod Auguſti primordium ab aſtronomis uſurpari vulgo ſolet; & in canone Ptolemaico ponitur. Thoth Auguſteus Actiacus eſt Nabonaſſari 719 iniens. Annis quinque exactis, ſextus Auguſteus incipit anno Nabonaſſari 724. quo primùm Thoth vagus ad Auguſti menſis XXIX diem pervenit, quæ erat epocha Actiaca. Hinc fixus annus Alexandrinorum, ſive Græcorum apud Theonem, & aſtronomos reliquos ab illo capite deſcendit. Itaque Theo ab anno primo Philippi Aridæi ad initium Diocletiani numerat annos 607. ab initio Diocletiani ad ætatem ſuam annos 77. fiunt anni 684. Ab Auguſti verò anno primo ad Diocletianum annos putat 313. deductis quinque, reſtant anni τῆς ἐπιπαγομένης. Age itaque calculos ponamus. Thoth Diocletiani incidit in annum Nabonaſſari 1032. Demptis inde 424, reliqui ſunt anni 607 abſoluti ab epocha Philippi ad Thoth Diocletiani. Ad hunc ſi annos 77 adjicias, conſurget annus ab epocha Philippi 684, qui eſt Nabonaſſari 1108. Ita Theo anno Chriſti CCCLXI, Juliani Imperatoris primo iſta ſcribebat. Rurſus ſi de annis 1108 abſolutis ab initio Nabonaſſari deducas annos 313, ſuperſunt anni 718. Igitur anno Nabonaſſari 719 congruit primus Thoth Auguſti, & anno quinto vertente Nabonaſſari 724, cœpit ἡ ἐπιπαγομένη, & epocha anni Alexandrini. Sed hæc niſi pluribus explicentur obſcura ſunt. neque id agendi locus hìc eſt. quod Lib. X. cap. LXXIII de Doctr. Tempor. abunde præſtitimus. Unum illud ad id, quod inſtituimus modò, ſatis eſt,

Pag. 4. Num. 82. vehementer Alphonſum opinione eſſe falſum, dum ex Theonis fragmento illo de anno Alexandrino præpropera feſtinatione ſententiam tulit. Cujus nec illud excuſari poteſt, quòd Theonem aſſerit Alexandrinorum ritus ignoraſſe. Itàne Theo patriæ ſuæ ritum, & conſuetudinem ignoravit? Uodenam verò conjectura iſta ducitur? Quid quod Alphonſus ipſemet cap. II. Num. 7, eumdem illum Theonem, qui Alexandrinus eſſet, cùm *Ægypti totius veteres annos, tum Alexandriæ patria ſuæ definiſſe ſcribit?* Verùm contraria ſibi & pugnantia loqui, adeo hac in Diatriba Juriſconſulto familiare eſt, ut id impunè, ac ſuo quodammodo jure faciat.

CAPUT V.

De anno Ægyptiorum civili contra Salmaſium agitur. explicatus Strabo, & Horus Apollo. Canicularis annus qui fuerit. Plinius à Salmaſio depravatus exponitur. triplex annus Ægyptiorum.

REDEO jam ad Plinianas Exercitationes; in quibus Strabonis primùm locus adducitur, quem quidem vulgò malè interpretari, & diſtingui neſcio qua fronte queritur. Nam nec aliter ipſe, quàm Xylander Interpres, expoſuit; neque quicquam in eum novi præter hallucinationem contulit. Etenim quorſum tandem Strabonis locus ad illius commentum pertinet? Ait Strabo Ægyptios annorum ſingulorum quadrantes in unum colligere, quando diem integrum faciunt; ac propterea orbem inſtituiſſe quatuor annorum. Salmaſius verò ſingulis annis quadrantem intercalaſſe dicit; diem ſolidum negat. quod eſt ἀδύνατον: uti jam oſtendimus. nec in rerum natura eſſe poteſt. Expenderet ſaltem Hori Apollinis verba, qui diſertè ſcribit Ægyptios περιττὴν ἡμέραν διὰ τετραετηρίδος annumerare. diem ſupervacuum, hoc eſt intercalarem, adjunctum ait. quod Salmaſius inficiatur. nos quemadmodum capiendum, & ad communem de anno Ægyptiaco προλῆψιν accommodandum foret ſuperiori capite docuimus. Nam quòd Diodorus quadrantem ait annis ſingulis adjectum; argumento eſſe debet, non de populari annorum uſu, & adminiſtratione, ſed de artificioſa illorum methodo tractationéque ſermonem fieri: cujuſmodi penes Sacerdotes extitit. quemadmodum Judæi, Arabes, & ante hos Græci Mathematici civiles annos ordinantes τὰ ἐπιτρέχοντα μέρη, hoc eſt horas, horarúmque fragmenta computare ſolebant, ex eorumque ratiociniis popularium menſium & annorum diſpenſare curricula. neque propterea pronunciari poteſt, populos iſtos horas aliquot, & ſcrupula civilibus annis emetiri. Sed neque nos hodie annis ſingulis horas ſex adjungimus; quas non ignoramus ex anno communi reſiduas fieri. Pag. 551.

Sic illud accipiendum eſt, quod de epocha anni Ægyptiaci Horus, aliique prodiderunt; annum ab ortu caniculæ ad ortum alterum explicari. Hoc, inquam, ad arcanum, & hierophanticum annum referri debet; non popularem. In quo ridiculè Salmaſius, qui ſex illas horas quotannis inculcatas, non reſervatas aſſerit; quo fit ut ad eumdem diem conſiſtere Thoth neceſſe ſit, non in anteriora reflecti. Verùm de tacito anno, & λόγῳ θεωρητῷ, cujus erant ſacerdotes conſcii, Horum intelligi, non ſimile veri eſt, ſed veriſſimum. Horus explicatur.

Sequitur alter Salmaſii error in anno Ægyptiaco civili, & quidem duplex. quod & annum quemlibet ſimplicem κυνικὸν ideo vocatum ait, quia ab ortu caniculæ eum auſpicarentur: & Plinii verba ad eamdem ſententiam prorſus ineptè, imperitéque depravat. Annus popularis Cynicus, vel canicularis, non alius apud Ægyptios fuit, quàm major ille ſimplicibus ex annis contextus 1461. Ita Cenſorinus ejus rei longè Salmaſio peritior, Cap. XVIII. ubi magnum Ægyptiorum annum κυνικὸν, id eſt canicularem vocari teſtis eſt; *propterea quòd initium illius ſumitur, cùm primo die ejus menſis, quem vocant Ægyptii Θωὺθ, caniculæ ſidus exoritur.* Et Cap. XXI eumdem annum magnum nominat *ſolarem, & canicularem, & dei annum.* Cùm igitur canicularis idcirco vocetur, quòd, ut ait Cenſorinus, primo die illius caniculæ ſidus exortum faciat, non poteſt annus quilibet ſimplex, aut etiam tetraëteris civilis, canicularis annus vocari. quippe cum utriuſque caput in ortum caniculæ dumtaxat periodi majoris initio concurrat; reliquo omni tempore ad alios atque alios anni dies retrò commeet. Quocirca fruſtrà eſt Salmaſius, qui annum ſimplicem, quem τέταρτον à quadrante Horus Apollo nominat etiam κυνικὸν appellari dicit; *quòd ab ortu caniculæ eum auſpicarentur.* De anno Caniculari error Salmaſii. Pag. 39. Pag. 553. A.

At etiam Plinii locum interpolare auſus eſt, & ſincerum vas incruſtare. Plinius enim Lib. II cap. XLVII, de Eudoxi tetraëteride agens, hujus luſtri principium eſſe dicit *ſemper intercalari anno, caniculæ ortu.* Criticus noſter integrum locum eſſe pernegat: & *in canario anno*, ex conjecturâ reponit. Quod non ſolum falſum, ſed etiam ridiculum eſt. Primùm quia canarius annus, vel Plinius illuſtratur.

canicularis nec eſt, nec appellari poteſt annus popularis ſimplex; ſed periodus tantummodò magna 1461 annorum: quæ ſola ab ortu caniculæ profecta, ad eumdem poſt annos totidem revertitur. Deinde quia planiſſima mens eſt Pliniani illius loci, in quo, tamquam in pice mus, iſte Criticus implicatus hæſit. Sed illius rationes auſcultemus. Nulla, inquit, apud Ægyptios intercalatio fuit. tum, ut aliqua fuerit, ea non in ortu caniculæ fiebat, ſed in fine periodi, ante ortum caniculæ, qui initium præbebat ſequenti periodo. nec intercalaris ille annus principium ejus luſtri, ſed finis. His de cauſſis voces illas, *intercalari anno*, mutat, legitque *in canario anno*. Verùm & *intercalari anno* ſcripſit omninò Plinius, vel *intercalario*; ut in ſcriptis quibuſdam exſtat, atque ex vetuſtiſſimo codice adnotarat Guil. Peliſerius Epiſcopus Montiſpeſſulani: & quæ à Salmaſio ſunt objecta facilè diſſolvimus. Non enim animadvertit, loqui Plinium de Eudoxi quadriennio, in quo annus unus intercalaris eſt; qua ratione ab Ægyptiorum tetraeteride diſcrepat. Hujus ergo luſtri, in quo ſemper unus intercalaris eſt annus, principium ab ortu caniculæ ducitur. Quare hæc verba, *ſemper intercalari anno*, parentheſi includenda ſunt. Ac neſcio an non pro *anno* legendum ſit *uno*, ut in eo loco citando ſciens an imprudens edidit Salmaſius. aut etiam utraque admitti dictio debeat; ut ita concipiatur, *ſemper uno intercalari anno*. Alioqui ſubaudienda vox eſt, *uno*. Ex quo inſuper efficitur, Octaëteridem Eudoxi non à bruma, ut Scaligerum ſecutus opinatur Salmaſius: ſed ab ortu Caniculæ, aliquantò poſt Solſtitium, incidiſſe. Eat nunc, & *egregiam ſuam conjecturam* vocet: in qua perpetuum *ἀκρασίας* ſuæ monimentum conſtituit.

Poſtremò nec illud prætereundum eſt, annum apud Ægyptios triplici ratione nuncupari. Nam eſt annus parvus, ſive ſimplex, & mediocris annorum quatuor, & magnus annorum 1460. De primo, & tertio perſpicua res eſt. Secundi uſus & appellatio non ita frequens. Unus, quod meminerim Horus Apollo monuit. cujus verba cùm ex Lib. II, cap. LXXXIX citarit Scaliger Iſag. Can. pag. 244; nos in editione Pariſienſi noviſſima Hori Apollinis fruſtra capite illo requirebamus. Sed in Hœſcheliana iſto ipſo capite reperimus. Ibi Horus ait Ægyptios hominem ſignificare volentes, qui plenam ætatem exegerit, cornicem pingere. *αὕτη γὰρ ζῇ ἑκατὸν ἔτη κατ' Αἰγυπτίους. ὁ δὲ ἔτος κατ' Αἰγυπτίους τεττάρων ἐνιαυτῶν. Centum annos, ut aiunt Ægyptii, vivit cornix. annus autem apud illos quadriennium eſt.* Sed hunc annum *ἐνιαυτὸν μικρὸν* eſſe dictum, falsò ex verbis arbitratus eſt Scaliger: uti nos Lib. III de Doct. temp. cap. II diſputamus.

CAPUT VI.

De anno Ægyptiaco, & caniculari. Cenſorinus illuſtratur: ac falſa de anno magno Salmaſii conjectura diſcutitur. Plinii locus malè ab eodem acceptus.

QUAMVIS anni Ægyptiaci caput laxatis in anteriora frænis liberè vagaretur, nec in Solaris anni ac Juliani ulla parte conſiſteret: huic tamen limes velut aliquis terminúſque præſtitutus eſt, à quo tamquam à carceribus emiſſus, ad eumdem poſt longum errorem rediret. Fuit hic Ægyptiorum veterum uſu & inſtituto Sothios exortus (Eſt id caniculæ ſidus;) à quo magna, uti diximus, annorum 1461 periodus inibat, quæ propterea *Sothiaca*, vel *canicularis* dicitur. Ea tum igitur incipere putabatur, cùm in eum diem, quo ſidus illud oritur, Neomenia primi menſis incidebat. Hoc verò non eodem perpetuo tempore contingit: propter octavæ ſphæræ, in quo ſtella iſta defixa tenetur, continuum *εἰς τὰ ἑπόμενα* progreſſum: qui annorum circiter LXXII ſpatio triceſimam dodecatemorii unius partem conficit. Ita fit ut quæ ſtella, exempli cauſſâ, ante plures annos certo in ſigniferi ſitu collocata fuit, paullatim ab eo digreſſa longiùs receſſerit; atque aliis deinceps, & aliis temporibus oriatur. Lucida Pleiadum hoc ſæculo, id eſt anno Chriſti CIƆIƆC in gradu Tauri conſtitit 24, 24', ex Tychonis abaco. At Virgilii ſæculo, nimirum anno primo Juliano, Tauri circiter gradum ſecundum obtinebat. Ita Sirius, ſive Canicula, quæ hoc tempore in gradu Cancri circiter 9 ſtatuitur; cùm ſitum ſuum in Zodiaco; tum in anno Juliano ortus ſui tempora commutavit. Annis, ut jam dictum eſt, duobus & ſeptuaginta ſtellæ uno gradu promoventur. Igitur in annis 1461, quæ eſt Sothiaca periodus, gradibus viginti, ac triente circiter tranſitum in ſequentia faciunt. Quod cùm minùs olim eſſet animadverſum, in eodem hærere veſtigio inerrantium ſiderum ortus, occaſúſque credebant; ac quibus illa locis & temporibus ætate ſua deprehenderant, iiſdem & inſtitiſſe perpetuò, & ab iis nullo umquam tempore diſceſſura eſſe perſuaſum habebant. Quòd ſi quæ majorum obſervationes ad eos pervenerant, quibus diverſus ſtellarum ſitus ab eo, quem uſurpabant oculis, deſcriptus eſſet; id obſervantium errori, ac vitio malebant, quàm ulli cœleſtium orbium varietati tribuere.

Ægyptiorum itaque periti, qui antiquitus ortum caniculæ notabant, ad eúmque canicularis orbis initium accommodabant, hoc illi ſine dubio definivêre tempus, quo eam ſtellam oriri conſpexerant. Id cujuſmodi fuerit, & quamdiu in eorum opinione reſederit; non eſt facile dictu. Nam prout ortum illius animadverterant; ita variis diebus aſſignare conſueverant. ex quo ingens illa, & inextricabilis de ortu Caniculæ Scriptorum diverſitas, quam in Plinianis Exercitationibus ex Grammaticis ſuis ſcriniis Salmaſius deprompſit. Cenſorinus quidem cap. XXI teſtis eſt ſæculo ſuo caniculam a. d. XII Cal. Aug. exortum in Ægypto facere ſolere. Quod ſi quis perpetuum fuiſſe putet; vehementer is erret. Verùm olim Ægyptii, maximéque plebs, *μετάπτωσιν* illam minimè diſcernebant. Ideo cùm in certo die inſigniter notatus eſſet ortus Caniculæ, eumdem conſtanter ad multa ſæcula retinebant.

Cenſorinus loco proximè citato refert ante annos centum, quàm ſcriberet, Antonino Pio II, & Bruttio Coſſ. cœpiſſe Canicularem periodum magnam, cujus annus agebatur centeſimus eo ipſo, quo ſcribebat, Chriſti CCXXXVIII, ut alibi declaratum eſt. Ideo verò periodum inde Cenſorinus incepit, quòd eo anno Neomenia Thoth in eumdem diem incurrit cum exortu Caniculæ; nempe in XII Cal. Aug. ſive diem Julii XXI, quo Canicula in Ægypto facere ſolet exortum. Quo in loco Cenſorini, vel Librarii, vel auctoris ipſius errore, XII Cal. Neomenia Thoth iniiſſe ponitur, pro XIII. Nam Chriſti anno CXXXVIII, quo Coſſ. illi fuerunt, Neomenia Thoth incidit in Julii XX, qui eſt XIII Kal. Aug. quo die Caniculæ ortus heliacus ſæculo Julii Cæſaris, & inſequente ono, alteróve, præter propter accidit. Nam Alexandriæ ortus Heliacus Sirii factus eſt in gradu Cancri 26, 9', anno primo Juliano. At Carcinonis viceſima ſexta dies cecidit in Julii XX. Hoc verò *πλατικῶς*, & *ὁλοσχερῶς* intelligendum eſt; ſi diebus ſingulis ſinguli gradus imputentur. Verum anno ipſo Chriſti CXXXVIII, Antonino Pio II, & Bruttio Coſſ ortus heliacus Sirii accuratiſſimè convenit in Julii XX diem matutino tempore, Sole circa gradum Cancri 25, 33' poſito. idque Heliopoli in Ægypto. Stella Sirii tum in gradu Geminorum fuit 18, 16'; & ortus ejuſdem Coſmicus fiebat Heliopoli in Cancri 12, 9', quinto circiter, aut quinto Julii. Ante annos mille quadringentos, & ſexaginta, quàm ambo iſti Conſulatum caperent, admirabiliter contigit, ut in eumdem diem heliacus ejuſdem Sirii ortus competeret, nimirum anno periodi Julianæ 3393, annis ante Trojanum excidium 137. Solſtitium tunc verum commiſſum eſt Julii V, quo die inſuper oriebatur ferè cum Sole Canicula in gradu Geminorum ultimo. Heliacè verò die Julii viceſimo ineunte, in gradu Cancri 14, 5'. quorum omnium calculos ex tabulis noſtris exactè ſubduximus. Ita periodus magna Canicularis ab eodem Juliano die, & exortu Caniculæ, ad eumdem diem, ortúmque pervenit. Sed hoc *κατὰ συμβεβηκὸς* factum eſt. Non enim poteſt eſſe perpetuum. Itaque anno Chriſti 1598, evoluto annorum pari numero, Canicula nequaquam heliacum ortum habuit Julii XX in Ægypto, & Heliopoli; ſed in gradu Leonis IX, & Auguſti ferè XIX, vel XX die in anno Juliano vetere.

Cenſorinus de anno Ægyptiaco magno.

Hujus rei cauſſa tam ex æquinoctiorum anticipatione, quàm ex octavæ ſphæræ progreſſione petenda eſt. Nam poſt annos circiter CXXXII annui cardines Solis antevertunt in anno Juliano: Stellæ verò poſt annos LXXII uno gradu in conſequentia promotæ uno die deſcendunt in eodem anno. quo fit ut duplo celerior

ferè

Digitized by Google

…rè ſit μετάπτωσις ſtellarum, quàm Solis anticipatio; neque plena compenſatio fiat. Verum quoniam anni Juliani inſtitutio inſignem apud Ægyptios civilium temporum mutationem, & obſervationem attulit; quæcumque in illius deſcriptione notata, & certis illigata temporibus cum eo pariter acceperunt, ea vulgò pro ratis, ac ſempiternis habita ſunt; velut ſtellarum ortus, & occaſus; imprimiſque Caniculæ. quam XIII Cal. ſemper exoriri complures arbitrati ſunt, quòd ſub illud tempus, ac deinceps circa diem illum exortum faceret. Quocirca Cenſorinus ab eo tempore κυνικὸν ἔτος majus auſpicatus eſt; quod ab antiquioribus eodem inſtitutum modo fuiſſe probari non poteſt. Erant enim arbitrariæ, ac mutabiles periodorum illarum epochæ in anno vago. quemadmodum in ejuſdem generis Caniculari orbe Perſico factum eſſe docuimus Lib. VII de Doct. temp. Cap. XIII. Nunc ad ea, quorum gratiâ neceſſariò iſta diſputata ſunt, convertamus orationem, & quæ in Plinianis commentationibus de hoc anno reliqua ſunt expendamus.

Plin. Exerc. pag. 553. B. Ut annus communis Ægyptiacus conſtabat diebus trecentis ſexaginta quinque & uno quadrante; & idem quadrans erat tetraëteridos Ægyptiacæ; ita annum apud eoſdem Ægyptios fuiſſe majorem ait Salmaſius; qui annis communibus conſtabat totidem, quot diebus alter; hoc eſt trecentis ſexaginta quinque cum menſibus tribus; & pars erat quarta anni maximi, ſive canicularis periodi, quæ ex annis communibus componebatur mille quadringentis ſexaginta Julianis. Addit hunc Plin. Lib. X, Cap. II. annum magnum à Plinio ſignificari, cùm ex Mamilio Senatore ſcribit *cum Phœnicis vita magni converſionem anni fieri. & fuiſſe ejus converſionis annum prodente ſe, P. Licinio, M. Cornelio Coſſ. ducenteſimum decimum quintum.* quos annos CCXV repetit ab anno XVIII Ptolemæi Evergetæ, qui regnare cœpit anno Urbis DVII. Nam ad Conſulatum Licinii & Cornelii ab anno XVIII Ptolemæi, interſunt anni CCXV, ab his verò Coſſ. ad Conſulatum Antonini Pii II, & Bruttii Præſentis, anni centum & unus. Fiunt ab anno XVIII Ptolemæi ad Antoninum, & Bruttium Conſules, anni trecenti ſexaginta ſex. Ex quo ſequi putat, annum magnum utrumque, tam Canicularem videlicet annorum 1460, quàm ejus quadrantem, deſiiſſe, Conſulibus Antonino Pio, & Bruttio Præſente. Quod autem à Ptolemæi Evergetæ tempore initium duxerit annus magnus, qui quadrans eſt Cynicæ periodi, Tacitum eſſe credit auctorem, qui Phœnicem in Ægypto viſum eſſe ſcribit Ptolemæo tertio regnante.

Refellitur annus magnus Salmaſii. Sed hæc anni magni definitio nugatoria prorſus eſt, ac ſine ullius idonei Scriptoris teſtimonio conficta. Annum magnum dici apud Ægyptios, qui communibus conſtet 1460 Julianis, Ægyptiacis verò 1461, Cenſorinus, Firmicus aliique nos docent. Præter hunc appellari magnum annum, qui minores contineat trecentos ſexaginta quinque, cum menſibus tribus, probandum erat illi, qui egregiam obſervationem ſuper hoc fundamento ſtruere vellet. Annus magnus Phœnicis, ejúſque ducenteſimus decimus quintus annus, cujus meminit Plinius, cum Ægyptiorum anno magno & Caniculari commune nihil habuit. Ut ea conjectura non inepta cenſeretur, Plinium oporteret totidem annos Phœnici tribuere, quot Salmaſius imputat anno ſuo magno commentitio, nimirùm CCCLXV¼. At eodem loco, & auctore eodem, qui iſta prodebat, Mamilio, Phœnicem ait vivere annos DCLX. quod unum magni anni genus appellat; non utique Ægyptiaci; non canicularis; non Salmaſiani, qui ſit hujus quadrans; ſed alterius, quem Phœnicis vita metitur. Quid igitur jocularius eſt commento illo Soliniani conjectoris? quod tamen ad anni Ægyptiaci rationes inveſtigandas, & explicandas quantivis pretii eſſe prædicat. Nullum apud Ægyptios anni magni fuit initium, niſi quod Neomeniam Thoth eodem die præſtaret cum exortu Caniculæ. hoc anno XVIII Ptolemæi Evergetæ non congruit; quo Neomenia Thoth viceſimo Octobris iniit.

Salmaſ. pag. 551. E. Poſtremò quod in illis Plinii verbis, quæ produximus, ex codice veteri ſupplere, ac reponere ſe dicit, *annum ducenteſimum decimum-quintum*, diu eſt quod in editis legitur; ut in Baſileenſibus: Dalecampius autem ex contextu in marginem illa tranſtulit.

CAPUT VII.

De Romano anno vetere controverſia vetus expenditur adverſus Alphonſum à Caranza.

De Romanò anno vetere ac Romuleo antiquiſſima controverſia inter Romanos ipſos auctores extitit, utrum decem, an duodecim menſibus conſtaret; ut ſcribit Cenſorinus lib. XX. Nam Junius Gracchanus, & Fulvius vetuſtiſſimi Scriptores decem menſium fuiſſe prodiderunt. quos Varro, Ovidius, Suetonius; aliique ſecuti ſunt. At Licinius Macer; qui Ciceronis ætate vixit, & Feneſtella, qui ſub Auguſto floruit, ab initio duodecim menſium extitiſſe volebant. quæ ſententia nonnullis hac ætate placuit. Ea tametſi minùs eſt quàm illa probabilis, ut & viſa nobis eſt lib. II de Doct. temp. cap. LXXIV, tamen operæ pretium ſit cognoſcere, quàm ſolidè Hiſpanus Juriſconſultus hanc everterit cap. XII libri de Partu, & in IV Diatribæ: ac contrariam adſtruxerit.

Primùm novitatis eam accuſat, quæ ante mille ac ſeptingentos circiter annos auctores habuit. Deinde firmiſſimo argumento utitur; quia Macrobius aliter ſentit. nec non Ovidius, Livius, ac demum Joannes Roſinus. Hæc vis eſt demonſtrationis contra duodecimeſtrem annum capite illo propoſitæ, quam in Diatriba nobis intendit Alphonſus. Præter hæc argumentorum nihil, neque reconditioris copiæ, cujus oſtenſione lectorem inducit hiantem. Sed hoc familiare eſt illi, qui hoc ſe doctiorem videri putat, quò plures auctores magnos, ac minutos ſingillatim appellaverit. Ex quo & illa ſanè magnifica vox: *Sed & aliis ultra captum Scaligeri, & Lydiati, per nos adductis.* Quaſi ac re ſupra ceteros caput efferre debeat, quòd Joannem Roſinum, quòd Joannem Scapulam, quòd alios partim doctos, partim gregarios nominatim citaverit. Cap. XII de Partu p. 554.

Verùm nonnihil tamen in antiquioribus aliis præſidii habet ad cauſſam. Nam ecce Cicero in Orat. pro Cluentio, & Seneca lib. de Conſol. ad Helviam, cap. XVI; & Epiſt. LXIII, decem menſes, & annum luctus promiſcuè habent: ut & Cod. Theod. L. II de ſecundis nuptiis. Ergo Ciceronis, Senecæ, & Valentiniani temporibus in uſu erat annus ille Romuli: ſi quid eſt in iſta ratione ponderis. & quia Valentinianus & Theodoſius huic anno decimeſtri menſes addunt duos, ad hos Imperatores annus civilis Romanorum ejuſmodi fuit. Atque hæc eo diſputo, non ut opinioni iſti ſuffragari velim. ſed ut Hiſpani Juriſconſulti leviorem, quàm pro tantis ſpiritibus, copiam eſſe monſtrarem.

Qui poſt Numam annorum Romæ civilium genus Cap. XII; p. 555. non unum fuiſſe contendit. ſed præter uſitatum illum, ac vulgò notum, alterum dierum CCCLX iis adſcribit. *ut*, inquit, *clarè percipitur ex Ciceronis Lib. V Epiſt. ad Att. Epiſt. I.* Verba Ciceronis: *Pompeius autem, cùm ob ceteras cauſſas plus poteſt unus, quàm ceteri omnes: tum quòd putatur ad bellum Parthicum eſſe venturus. & tamen ſic nunc ſolvitur: triceſimo quoque die talenta Attica XXXIII, & hoc ex tributis: nec id ſatis efficitur in uſuram menſtruam.* Si triginta dierum uſura menſtrua eſt, nemo negare poterit, inquit, menſtruum ſpatium hoc dierum numero definiri ex ejus ſententia. Sed irrita eſt hæc collectio. Non enim Romæ, aut de Romano menſe iſta ſcripſit Cicero. Sed in Aſia tum erat, & de pecunia ab Ariobarzane Cappadociæ rege Pompeio perſoluta loquitur, & uſura menſtrua. quam ad Romanorum modum menſium exactam fuiſſe, ejus interfuit monſtrare, qui probare aliquid inde vellet. Ad hæc tametſi uſurarum menſtrua penſitatio tricenis diebus æſtimata ſit, non ſtatim fit inde conſequens civiles menſes omnes tricenarios fuiſſe. Hic enim dierum numerus, propter æquabilitatem, & quòd Lunari proximus eſt, ab iis aſſumitur interdum, qui lunarem alioquin, & inæqualem uſu publico ſanxerunt: uti ſuprà non ſemel oſtendimus. Alterum, quod ex Plutarcho petitur, argumentum joculare eſt. Quia Plutarchus in Numa ſcribit, regnante Romulo abnormem fuiſſe menſium modum; quod Lunæ ac Solis ἀνωμαλίαν per id tempus ignorarent: ſed hoc unum dumtaxat obſervarent,

ut diebus trecentis & ſexaginta conſtaret annus; inde concludit Alphonſus, annum CCCLX dierum ad ætatem Cæſaris Romæ civilem fuiſſe. Quis *ἄνοιαν* non videt? Attenderet ſaltem verba illa Plutarchi, cùm ea perſcriberet. Nam de anno Romuli loquitur, quem Numa caſtigavit. Jam quòd Juriſconſulti ſæpè, vel poſt annum Julianum inſtitutum, tricenarios menſes uſurpant, non ideo civilem hunc menſium Romanorum exſtitiſſe modum efficitur: ut Alphonſus exiſtimat. Non enim plus uno genere anni civilis poteſt eſſe, quod non ſemel repetendum fuit. Et ille numerus propter æquabilitatem, ac facilitatem, menſtruis deſignandis intervallis adhiberi ſolet.

CAPUT VIII.

De æra Hiſpanienſi refellitur Alphonſi ſententia. Ea vox barbara eſſe docetur, & ignota puriori latinitati. tum quæ illius origo.

HISPANIENSEM æram in gentis ſuæ gratiam illuſtrare demùm aggreſſus eſt Hiſpanus Alphonſus: in qua non ſolum à *Chronolographis* (Hæ ſunt Latinitatis Alphonſinæ veneres, ac delitiæ) ſed à ceteris aliarum artium peritis commiſceri multa queritur. Ac nos adeo in Diatribæ ultimo capite potiſſimùm appellat. Sed neque meritò reprehenſi ab illo ſumus: & quæ de æra ſua variis, ut ſolet idem, ex auctoribus recenſuit, pleraque falſa ipſa per ſeſe, depravatiora, quàm erant, reddidit.

Alphonſ. Cirtu. CXII lib. de Partu § 25.

Æræ vocabulum puriori jam exoleſcente Latinitate uſurpari cœpiſſe, quod in L. X, cap. LXX de Doct. temp. diximus, extra controverſiam eſſe debet. Non enim ab eo, quod eſt *æs* femininum nomen *hæc æra* derivavit antiquitas. Lucilii locus, quem ex Biſciola noſtro corrogavit, ut & cetera argumenti hujus, Alphonſus, nihil ad rem ſpectat. Ibi enim *τὰ æra*, non *hæc æra, æræ*, legendum eſt: ut pridem eruditi homines animadverterunt. quibus Biſciola ſubſcribit. *Hæc eſt ratio, perverſa æra, ſumma & ſubducta improbè.* ait Lucilius. Fruſtra æram ſuam in iſtis quæritat. Neminem dixi legiſſe me antiquiorem Idacio, qui *hanc æram* pro ſumma, & numero ſumeret. Nam apud Seatum Ruſum pro *æris brevioribus*, legunt docti, *ære breviori*.

De Nicæno Concilio vana ſuſpicio eſt. Recentioris manus eſt iſta ſubſcriptio: nec ulla, præſertim Græca, Concilia illius ſæculi Hiſpanicam hanc notam agnoſcunt. Aut Iſidorus Mercator; aut alius popularem hanc temporis putationem addidit. Idem de Carthaginenſibus Conciliis judicium eſſe debet: & Leonis epiſtolis. Qui in Almageſto primam omnium æræ mentionem exſtare Alphonſo Caranzæ perſuaſerunt, ſi Græca potiùs, quàm Latina conſuluiſſent, longè aliter exiſtimaſſent. Æræ quippe nomen Græcis illis inauditum fuit. Nullum eſt igitur vetuſtatis tantæ, quantam Alphonſus æræ vocabulo tribuit, idoneum teſtimonium. ut appareat degenerante jam in barbariem Latino ſermone primum audiri cœpiſſe. Duo ſunt nobis reliqua. alterum de interpretatione: alterum de origine, & inſtitutione Hiſpanienſis æræ. Ortum illius referunt aliqui, quos ſequitur Alphonſus Caranza, in Domitii Calvini victoriam, & triumphum: quem de Cerretanis Vaſconiæ populis inſignem reportavit: ut ſcribit Dio lib. XLVIII. Tum enim Hiſpanicæ civitates magnam pecuniæ vim contribuerunt: quæ & ad impendia triumphi, & ad palatii inſtaurationem largè ſuppeditavit. Ex quo fluxiſſe nomen æræ auctores illi crediderunt: ut ab ære collato, æræ nomen originem traxerit.

Sed, quod illorum pace dictum ſit, nullo modo probari conjectura iſta poteſt. Primùm quia ſi hæc eſſet vera, anno nono & triceſimo ante Chriſtum, Hiſpanienſis æra procederet. Si quidem Domitii victoria, & contributio civitatum ab eodem Dione conjicitur in annum U. C. DCCXV, quo Coſſ. fuere Martius Cenſorinus, & Calviſius Sabinus. At certum eſt æram ſequente anno cœpiſſe, Coſſ. Claudio, & Norbano, U. C. DCCXVI. Deinde quòd, ut proximè dicebam, ab *ære*, femininum nomen *æra* deflecti, illius ætatis Latinitas non patitur.

At Caranza, ut in æram cum popularibus ſuis ex ingenio conſerret aliquid, eam negat ab ære ſibi videri dictam. ſed à Calvini victoria mavult: *tamquam effectu notabilis bonitatis, vel malitiæ* In quo quid ſibi velit, neſcire me fateor, niſi fortè nomen æræ putavit aut *victoriam*, aut *notabilem bonitatem*, vel *malitiam* ſignificare. quod hactenus ignorabam. Et is ille eſt, qui propterea nos arguit, *quòd cùm æræ etymologiam eruere, & deducere propoſuiſſemus, id omnino non præſtitimus.* Præclaram verò in hac re navavit operam Cenſor ille noſter; qui nos docuit *à victoria*, vel *à bonitate, & malitia* æram eſſe nuncupatam. Atqui ſatis apertè unde æra nata foret expoſuimus lib. X de Doct. temp. nimirum ab ære non collatitio; ſed à putandis ſimpliciter æris, ac pecuniæ ſummis, *æram* barbara, ſed recepta tandem appellatione dictam videri: ac deinceps quaſlibet ad rerum ſummas, ac numerorum ſubductiones eſſe tranſlatam, præſertim annorum, ac temporum. ſic æra ſimpliciter idem erit ac ſumma. quæ proba ac legitima eſt originatio. Jam cur anno potiſſimùm octavo & triceſimo ante Chriſtum inierit, nulla fingi cauſſa probabilior poteſt, quàm quæ ibidem à nobis tradita eſt. quod illo demum anno Julianus annus ab Hiſpaniis admiſſus fuerit. Neque verò ſtatim æræ nomen huic annorum titulo eſt inſcriptum. Sed id poſt aliquot ſæcula apparet eſſe factum, quando æra feminino genere parum uſurpari Latinè cœpit.

Quòd autem viri quidam docti, æras ab antiquis appellatas volunt certas numis impreſſas notas, quibus illorum valor exprimeretur; id mihi quidem non probant. Multò minus audiendus Caranza: qui ante argenteam, & auream monetam, in æria numis notas illas exaratas aſſerit. Beaſſet nos ſi quàm multos iſtiuſmodi numos in ſcriniis haberet, aut vidiſſet olim, docere voluiſſet. Nam ex Lucilii verbis nihil tale colligitur: cùm apud hunc æra neutrius eſſe generis, illi ipſi fateantur, à quibus hæc quæ de æra diſputat, univerſa deſcripſit.

Riſimus & Alphonſinum illud *ἀλαζόνευμα*. qui *ſtrenuam Hiſpanorum virtutem, & tenaciorem adprehenſionem, & ſuperiores animos* ex eo prædicat, *quòd ritum, & rationem anni novè ab Romanis inducti ſeriùs admiſerint, & æræ ſimul nomen tanto tempore retinuerint.* Ita conceptum hoc elogium eſt, ut dignum ſit, quod ad perenne gentis decus ſaxis, & marmoribus incidatur. Cap. XII de Partu § V. Num. 39.

CAPUT IX.

De anni Romani caſtigatione Juliana falſa in Epiphanianas Animadverſiones Salmaſii diſputatio refellitur: ac Solinus malè ab eodem explicatus, & correctus exponitur.

ECCE iterum Criſpinus, & eſt mihi ſæpè vocandus Ad partes.

Salmaſius in Plinianis Exercitationibus, quarum negotium eſt conviciari, & maledicere omnibus, de anno Romano tam vetere, quàm qui *Confuſionis ultimus* à Macrobio, vulgò *Confuſionis* ſimpliciter dicitur; ſtrenuè hallucinatur, ut ſolet. cujus fracti impetus in Animadverſiones Epiphanianas imprimis retundendi ſunt. In Plin. Exercit. pag. 23.

Solinus (inde enim profecta lis eſt) caſtigationis Julianæ modum explicans capite ſecundo, ac ſive ſuo, ſive librariorum vitio depravatus, rem dicit abſurdam; Cæſarem, ut ſuperioris temporis turbationem incideret, dies XXI, & quadrantem intercalaſſe. Verba Solini; *Itaque C. Cæſar univerſam hanc inconſtantiam inciſa temporum turbatione compoſuit. & ut ſtatum certum præteritus acciperet error, dies XXI, & quadrantem ſimul intercalavit. Quo pacto regradati menſes de cetero ſtatuta ordinis ſui tempora detinerent. Ille ergo annus ſolus trecentos quadraginta quatuor dies habuit. alii deinceps trecentos ſexagenos quinos & quadrantem.* Hæc ſunt inextricabilia. Res ita ſe habuit. Cùm annus Romanus dies haberet CCCLV, menſes XII, curtum menſem admittebat intercalarem tertius iniens quiſque, dierum alternis XXII, & XXIII, qui Mercedinus appellatus eſt. Hic Februario menſe, Terminalia inter & Regiſugium intercalabatur. quorum illa XXIII Februarii diem occupabant, hoc XXIV. ut vetus Calendarium docet. Itaque VI Cal. Martias erat Regifugium. Ex quo, ut id obiter dicam, Ovidius per imprudentiam Regiſugium

Ovidius caſtigatur. gium eo die collocaſſe videtur; qui eſt ſextus à poſtremo. Sic enim hæc illius verba II Faſt. interpretor.

Nunc mihi dicenda eſt regis fuga. traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina menſe dies.

Regifugii diem ſextum vocat ab extremo menſe, id eſt ab ultimo die. Non enim Martium appellat extremum menſem. quod ſi faceret, tum ſextus ab eo dies Februarii in VI Cal. incideret. Verùm extremum utique Februarium intelligit. ac proinde Regiſugium in VII Calend. conjicit; aliud agens, ut apparet. hallucinationis anſam præbuit appellatio ipſe diei, quo ſextus Calendas diceretur. Eum ſic Ovidius accepit, quaſi ſextus eſſet à poſtremo dies.

Cæſar annum ordinaturus primùm Merkedinum ex more in Februarium inſerciit diebus conſtantem tribus & viginti, ut teſtis eſt Cenſorinus. deinde LXVII dies inter Novembrem ac Decembrem interpoſuit. *Fuitque is annus* (verba ſunt Suetonii) *quo hæc conſtituebantur, quindecim menſium cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum numum inciderat.* Nam LXVII illi dies in menſes duos diſtributi ſunt, & decimus quintus menſis fuit Merkedinus. qui quia ordinàrius erat altero quoque anno, ideo non plures quàm LXVII illo anno intercalatos eſſe contendit Dio lib. LXIII. nimirum extraordinarios, neque hactenus inſertos. Eadem tradit Cenſorinus cap. XX. Vide lib. IV de Doct. temp. cap. I.

Hos omnes auctores laudat quidem Salmaſius cùm de correctione Juliana diſputat: ſed ita illis utitur, eos ut neque legiſſe, neque intellexiſſe; neque quid ſcriberet, ac quid ſibi omninò vellet ſciſſe videatur. Fidem vix ille ſtupor inveniret, niſi hoc in genere credibilia de ſe omnia feciſſet. Primùm Suetonii ſententiam refert, qui tres menſes illo anno à Cæſare intercalatos ait. tum Dionis, qui præter LXVII dies negat ullos additos à Cæſare. deinde Cenſorini, qui præterea dies tres & viginti Februario intercalatos aſſerit. *Cenſorinus*, inquit, *præter illos ſexaginta ſeptem in menſem Novembrem, & Decembrem à Cæſare interpoſitos, tradit eumdem Cæſarem menſe Februario ejuſdem anni, dies tres & viginti intercalaſſe, quod miror. Ut ut ſit certum eſt non fuiſſe ordinariam intercalationem illo tempore, ſed à Cæſare tum renovatam, meditanti reformationem. Certè Dio ſeptem & ſexaginta dies tantùm additos memorat, licèt quidam plures adjectos fuiſſe velint. Nulli dies igitur intercalati menſe Februario. Nugatur itaque more ſuo N. qui Merkedonium in eum annum commodum incidiſſe ſcribit.* Quid hoc homine facias? Ait, negat. Suetonio concedit decimum-quintum menſem interpoſitum eſſe. Idem aſſentitur & Cenſorino, qui hunc eumdem menſem Februario intercalatum refert. ac tametſi id miretur, tamen ea lege admittit, ut non ordinaria per illud tempus intercalatio iſta fuerit, ſed olim quidem recepta, poſtea verò deſita, & à Julio Cæſare repetita. Quæ cùm faſſus ſit, quo judicio ſtatim pronunciat, *nullos omninò intercalatos eſſe Februario dies:* aut, *nugari qui Merkedonium in eum annum commodùm incidiſſe ſcribat?* Hæccine prudentis, ac cogitantis quid ſcriberet hominis verba ſunt? Atqui iſtud ipſum, quod qui ſcribit nugari eum aſſerit, Suetonius, ac Cenſorinus diſertiſſimè narrant. quorum ille decimum-quintum vocat *menſem intercularium, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat.* iſte *menſe Februario dies tres & viginti intercalaſſe* Cæſarem ait. Falsò itaque Salmaſius putat vel nullos omninò dies præter LXVII intercalatos eſſe: ac non dies illos tres & viginti in Februarium inſertos: vel præter conſuetudinem id eſſe factum. Nam horum poſterius à Suetonio refellitur. qui *ex conſuetudine* incidiſſe ſcribit. prius tum à Cenſorino, tum ab ipſomet Salmaſio. De quo ſciſcitari velim quî tandem duo iſta cohæreant, quæ eodem loco poſuit; annum Confuſionis dies habuiſſe quadringentos quadraginta quinque: & tamen præter ordinarios anni Romani dies non plures intercalatos eſſe, quàm ſeptem & ſexaginta. Etenim Romanus annus diebus conſtabat revera CCCLV, vel, ut imperitiſſimè Salmaſius aſſerit, CCCXLIV, de quo paullò pòſt. Accedant LXVII dies: fient aut CCCCXXII dies, aut CCCCXL non CCCCXLV. Ac ſi cum Dione Suetonii, ut de Cenſorino taceam, ſic verba pugnarent, ut alterutrum ſequi, repudiato altero, oporteret; ambos non liceret; erat vel mediocris judicii diſcernere, utri fides habenda potiùs eſſet: præſertim cùm in illa ipſa caſtigatione anni Juliana referenda graviſſimè ſit lapſus Dio. ut cùm Canicularia Periodi annorum 1460 ratiocinio temerè Julianæ implicet. Verùm Suetonio non repugnat: ut paullo antè docuimus; & LXVII dies ſolos intercalaſſe Cæſarem meritò aſſerit: quia ſolos iſtos extra ordinem intexuit, ceteros *ex conſuetudine* jam adjecerat, ut ait Suetonius. Neque verò contra Suetonium, ac Cenſorinum facit Macrobius, aut Solinus; & qui permiſſam arbitrio ſacerdotum intercalationem ferunt; ab iiſque vitiosè, perturbatéque factam. Non enim, quamlibet depravata eſt, ſublata penitus ab illis intercalatio fuit. Sed quamvis aut alieno tempore uſurpata, aut interdum etiam omiſſe ſit; non tamen intercalandi conſuetudo periit. ut prorſus ἀκρίτως Salmaſius judicat. Qui quidem alterum quoque portentum eâdem pagina peperit, ubi & Solinum ſuum infeliciſſimè caſtigavit. Nam de Confuſionis anno loquens ille his verbis utitur. *Ille ergo annus ſolus trecentos quadraginta quatuor dies habuit. alii deinceps trecentos ſexagenos quinos, & quadrantem.* Ad ea Salmaſius. *Vulgò legitur: Ille ergo annus ſolus, quod falſum eſt. Nam hic anni Romani modus erat, cui dies unus adjectus ex ſuperſtitione vitandi parilis numeri.* Ergóne modus anni Romani dierum fuit trecentorum & quadraginta quatuor, vel quinque? Atqui trecentorum & quinquaginta quinque fuit. Quantum hoc prodigium eſt? Neque verò librarii culpæ, aut Scriptoris propemodum rationi error iſte tribui poteſt; ſed illius tum mentem penitus occuperat. Alioqui corrigendam minimè dixiſſet vulgatam Solini lectionem, quæ anno illi non plures imputat dies, quàm trecentos & quadraginta quatuor: neque *ſolos* pro *ſolus* reponi juſſiſſet. Deinde pag. ſequenti eamdem anni formam Athenienſibus impingit dierum CCCXLIV. Eat nunc & Delrio, eiſque inſultet, & errores exprobret, cujus pagina nulla turpiſſimis hallucinationibus vacat. Pag. 11. D. Pag. 12. B.

Sed illùc revertor. In illo Solini loco pleraque ἐκ παραπτωμάτων ab eo Scriptore tradita ſunt. Itaque veritatis in illis ſpecies aliqua tralucet. Nam revera conſtabat annus ille Confuſionis poſtremus diebus CCCCXLIV, aut uno ampliùs. pro his Solinus CCCXLIV per imprudentiam ſcripſit. Menſis Merkedinus ex conſuetudine intercalatus eſt Februario, dierum XXII, aut XXIII. pro quo dies XXI ¼ ſcripſit idem. Quare in Epiphanianis Animadverſionibus obſervaveram, videri Solinum ſcripſiſſe CCCCXLIV, & quod ad dies illos XXI ¼ attinet, ad Mercedonium reſpicere potuiſſe. Non dixi Merkedonium dies habuiſſe XXI ¼. ut calumniatur Salmaſius. ſed aliud agentem Solinum, cùm ad Merkedonium reſpiceret, eum dierum numerum ſcripſiſſe. Nam quod de hoc Solini loco poſtremò dixi ampliùs eſſe cogitandum, non id inconſtantiæ eſt, quaſi quod de diebus CCCCXLIV dixeram retractare voluerim. verùm de quadrante iſto inſititio dixi; de quo meritò dubitaveram. Solinus illuſtratur.

At iſte, qui inconſtantiam nobis opinionis objicit, quî tam creſſa ἀκατανοημάτων portenta tueri, vel excuſare poterit, quæ in ejus ſcriptis perpetue ſunt? Age quid cauſſari poterit, quo minùs ſibi ipſi turpiſſimè contradicat in eadem de anno Romano Diatriba? Quod enim Solinus ſcripſit, præter dies XXI etiam quadrantem intercalatum fuiſſe, de hoc ita loquitur: *Præterea nova iſta eſt, atque inaudita ratio intercalandi, quæ quadrantem adjicit.* Et antecedente pagina: *Et quando enim umquam habita ratio quadrantis in intercalationibus? Hoc profectò ineptum, & ἄλογον, falſúmque.* Atqui in Exercitatione de anno Ægyptiaco putat Ægyptios annum civilem obſervaſſe dierum CCCLXV cum quadrante, quem etiam quadrantem quotannis explicare ſolitos refert, ſic ut annos quadriennii ſingulos ab diverſis ἐκ τοῦ χρήματος partibus auſpicati ſint. Si res inaudita eſt, quadrantis ad integros dies adjectio, quonam pacto id Ægyptios tenuiſſe defendit? Sed de hac re ſuo loco pluribus. Jam verò correctio illa, quam ad Solini locum adhibet Salmaſius, inſulſiſſima eſt. Credit ita ſcripſiſſe Solinum: *dies XXI & quadrantem ſimul intercedit*, pro illo *intercalavit.* Annus enim Romanus, inquie, dierum fuit CCCLV. Annum illum Confuſionis Cæſar voluit eſſe dierum CCCXLIV. Ergo dies detraxit ex anno Romano undecim. Sed annum, eis ſolarem ſibi fingit Solinus, ex quo Cæſar detractis diebus XXI ¼ Confuſionis annum fecit dierum CCCXLIV. Salm. pag. 11. C. P. 67. b. P. 552. C. & 553. E.

Hac

Hæc conjectura præter temeritatem nihil admodum habet. Annum Romanum ait dierum fuiſſe CCCLV, Cæſarem verò Confuſionis annum diebus undecim minorem eſſe voluiſſe. Ridiculè. neque adeo deſipuit Solinus ut hoc ſcriberet. Deinde ſi annus Romanus ordinarius dies habebat CCCLV; ergo annus Confuſionis præter ordinem undecim decurtatus eſt. Atqui paullò ante vulgatam Solini lectionem reprehenderat, quòd in
Pag. 21. D. ea eſſet: *Ille ergo annus ſolus trecenſos quadraginta quatuor dies habuit.* atque ibidem *ſolos* legendum aſſerit; quoniam non ſolus annus Confuſionis dies habuit CCCXLIV, ſed Romani omnes anni. Hoccine eſt conſiderare quid dicas? Unum, ſi poteſt, reſpondeat. Si Romani anni modus fuit dierum CCCXLIV ut pag. 21, D disertè aſſerit, quomodo fuit dierum CCCLV, ut fatetur pag. 22. A. Item, ſi annus ordinarius dierum fuit CCCLV, eòque minor fuit Confuſionis annus diebus undecim; cur falſum eſſe credit, quod ait Solinus, ſolum hunc Confuſionis annum dies habuiſſe CCCXLIV. His ſe laqueis expedire ſi potuerit, aliquanti pretii hominem eſſe judicabo.

Poſtremò neque Solinum ſe ſuum; neque correctionis Julianæ modum intellexiſſe demonſtrat, cùm hæc illius verba ſiniſtrè accipit: *quo pacto regradati menſes de cetero ſtatuta ſui ordinis tempora detinerent.* Mirari ſe dicit quomodo intercalatione dierum XXI; regradari menſes potuerint, *cùm diminutioni potiùs, quàm additioni id verbi conveniat, quod ὑπόβασιν ſignificat, non ὑπέρβασιν.* Hinc apparet, ut dixi, nihil minùs quàm id, de quo ſcribebat, intellexiſſe Salmaſium. Etenim ſola dierum additione, non XXI, ſed longè plurium regradati menſes Romani fuerunt. Paullò antè docuit Solinus, quod eſt veriſſimum, ante correctionem Julianam, Sacerdotum culpa ſic annum Romanum eſſe corruptum, *ut menſes, qui fuerant tranſacti hieme, modò æſtivum, modò autumnale tempus inciderent.* Hoc in lib. II de Doct. Temp. cap. LXXVIII confirmavimus, & ibidem exemplis aliquot oſtendimus, quo tempore C. Julius Cæſar ad annum ordinandum animum adjecit, Januarium Romanum in Octobrem Julianum incurriſſe. Quamobrem regradari menſes oportuit, hoc eſt ab aliena ſtatione dejici, ac retrò in antiquum ſitum redigi. Hoc verò non detractis diebus, ſed inculcatis, & inſertis, uti factum eſt, ita fieri debuit. Anno Confuſionis ineunte, id eſt Per. Jul. 4667, Januarius Romanus iniit Octobris XIII, ut illo loco probavimus. Deſinere ergo debuit in diem Octobris ſecundum, quia Romanus annus diebus conſtabat CCCLV. ita ut ſequens annus inciperet ab Octobris III anni Per. Jul. 4668. Ut igitur initium anni ab Octobris tertio diebus nonaginta reflectatur in Kalendas Januarias, hoc eſt circiter τροπὰς brumales, quid tandem opus eſt facto? An, ut Salmaſius jubet, totidem dies ſubducendi ſunt? Hoc ut fiat, anni ſequentis initium Aprilis Romanus erit, iſque in Octobris tertio vel quarto Kalendas habebit. At ea ratione Januarius Romanus in Julium aſcendet, non deſcendet in Januarium hodiernum. Quis ergo præter iſtum non videt, dies aliquot intercalandos eſſe inter antecedentis anni finem & initium ſequentis, ut hujus Kalendæ in Kalendas Januarii in anno Juliano recidant, adeòque, quod rectè Solinus ait, regradentur?

C A P U T X.

De anno Attico nuperi cujuſdam Scriptoris conjectura refellitur. Herodoti & Halicarnaſſenſis locus non rectè ab illo acceptus. Ejuſdem pugna ſecum.

COMMOOUM in edendis Diſſertationibus iſtis eram occupatus, cùm novus ecce commentarius de anno Attico, & Romano prodiit; in quo de utroque conjecturæ promuntur ejuſmodi; quæ ſi veræ ſunt; tum illa falſa ſint oportet, quæ de iiſdem annis primùm in Opere de Doctrina Temporum; deinde hoc, & ſuperiore libro tradidimus.

Illam ergo Diatribam cùm in manus ſumpſiſſem, ac ſedulò, & diligenter evolviſſem, quæ de annis iſtis in ea continebantur, parum dicta probabiliter animadverti; ac ne cohærere quidem ſecum; nedum cum rei veritate congruere. Hujus inquiſitionis, animadverſioniſque ſummam debere me hoc loco lectoribus meis arbitror; ne ſi ea, cujuſquemodi ſunt, penitus omittantur; ad præjudicium aliquod opinionis noſtræ, doctrinæque trahant minùs aut attenti, aut iſtarum rerum periti: magiſque, quòd erant difficilia, diſſimulata hæc à nobis, quàm quod momenti nihil haberent, neglecta videantur. Duo ſunt libri; quorum in priore, qui eſt Operis totius octavus, annus Atticus nova ratione declaratur. poſterior annum Romanum complectitur novæ periodi nexibus obligatum. In utroque quid improbem ita breviter exponam, ut de auctore nihil, de reipſa, & opinione tantummodò diſputem: quod nemo prudens vel non licere nobis; vel reprehenſione dignum judicare poterit.

Anni Attici, qualem nova conjectura comminiſcitur, capita ſunt duo; alterum, epocha, ſive cardo; alterum, dierum modus, qui huic imputatur. Annum fuiſſe dierum trecentorum ſexaginta, non plurium, non pauciorum, in exordio libri ſtatim aſſeritur: caput autem illius in VIII die Julii conſtitiſſe. quæ ambo ex Scaligeri doctrina mutuatus eſt. quibus alia quædam deinceps adjicit, quæ paullò pòſt expendemus. Ad hæc lunarem præterea tribuit annum; ſed eum abnormem initio, utpote dierum non ampliùs quàm CCCXLVII; pòſt CCCLIV; ac tam hunc, quàm priorem nonnullis periodis obſtrictum, quas ex ingenio ille ſuo concinnat.

Atticum annum haud pluribus quàm CCCLX diebus olim conſtitiſſe, duobus probat argumentis; uno ex Herodoti verbis petito: qui libro I annis LXX dies aſſignat 25200, abſque intercalari menſe. ſecundum ex Varrone petit, qui Demetrio Phalereo tot ſtatuas Athenis ait erectas,

Quot luces habet annus abſolutus.

Quæ duo firmamenta Scaligerianæ ſententiæ diſcuſſa ſunt à nobis lib. I de Doct. Temporum cap. VIII. & in Operis hujus quarto, cap. XIII. quo minùs hìc illa repetere oportet. Sed in Herodoti loco ad uſum ſuum Herodoti locus.
accommodando quàm parum conſtet ſibi, ex eo cognoſcitur. Nam capire primo annum Atticum non pluribus, nec paucioribus, quàm CCCLX annis comprehenſum eſſe docet inde, quòd Herodotus affirmat annos humanæ vitæ LXX, dies colligere 25200, ſi menſis embolimus omittatur. Ita neceſſe eſt anoos ſingulos ex diebus exactè componi CCCLX. Nam 25200 per 70 diſtributa totidem efficiunt. Atqui capite VIII de anno agens lunari Græcorum, Herodotum exiſtimat de anno lunari intellexiſſe, cùm ſcripſit, menſes Græcorum fuiſſe tricenarios, ac tertio quoque anno menſem intercalari τῶν ὡρέων εἵνεκεν. Nam falſum ideo cenſet Herodotum, quòd cum menſes Græcorum omnes, uno excepto, dies haberent novem & viginti; & nihilominus ſingulis uſu loquendi ſua τριακὰς imputaretur; hiſtoricus ille per imprudentiam omnes tamquam verè tricenarios acceperit. Qua ratione totum illod Herodotei loci præſidium abjudicat ab ſeſe. Etenim ſi Herodotus de anno lunari interpretandus eſt; non ergo Græcorum æquabilis annus poteſt ex illius verbis aſtrui. Similem ἀπροσεξίαν videre licet apud Scaligerum: qui cùm libro I de Emend. cap. de anno æquabili minore Græcorum, Herodotum teſtem adduxiſſet anni Græcanici ex diebus CCCLX compoſiti; ultimo libri capite eumdem Scriptorem de anno lunari maluit exponere; qui cùm dies haberet CCCLIV, tamen CCCLX dierum putabatur, quia menſes omnes habebant τριακάδα, quamvis non omnes eſſent τριακονθήμεροι, quia ἐξαίρεσιμος alternis interveniebat.

De octavo die Julii, quam epocham facit anni Attici, hauſit è Scaligero nuperus Scriptor. ſed ſi ratione qua ſit in eam inductus opinionem requiras, nullam ab eo vel leviſſimè ſignificatam reperies. Nos ſcimus rem eſſe commentitiam, & ex ſola animi libidine excogitatam à Scaligero: veteres Græcos Olympiadum initio τροπὰς in octavis partibus ab contactu circulorum; & octavo itidem die ab ſolſtitio vero civiles conſtituiſſe cardines. Hoc cùm ſæpè, tum validiſſimè refellimus in Opere de Doctrina Temporum. nec non libro tertio hujus Operis; ubi longè aliter de octavis illis partibus ſentiendum eſſe demonſtravimus. Neque verò conſentaneum eſt, ut id detur, quod eſt falſiſſimum, Olympiadum initio τροπὰς in octavo Julii collocatas eſſe;

eumdem

Digitized by Google

eumdem cardinem inſequentibus deinde ſervatum eſſe temporibus; neque ex tam crebra civilis anni caſtigatione, ac Mathematicorum obſervatione didiciſſe Græcos aliò ſedem illius cardinis eſſe tranſlatam. Verùm hæc de octava parte ſignorum divinatio Scaligeri prorſus explodenda eſt. qua ſublata, tota anni Attici, ejúſque periodorum ſtructura ab nupero Scriptore fabricata concidit. quæ illi velut fundamento prorſus innititur.

At ecce novus dogmatum conflictus. Cùm enim duplicem Athenienſibus impingat annum; æquabilem, quem dixi; & lunarem; hujus quidem Neomeniam tam ante ſolſtitialem cardinem, qui eſt VIII Julii, quàm poſt ipſum iniiſſe fatetur, idque eſſe nemini dubium ait. non lunaris autem, atque æquabilis anni caput Julii VIII diem exſtitiſſe. quod ipſum tamen ſic explicat, nihil ut ab lunari hac ex parte diſtaret. quippe qui ſolſtitium, itidem ut lunaris, anteverteret aliquando. Nam Scaligerum redarguit, qui caput anni poſtridie ſolſtitii, hoc eſt IX Julii ſtatuit. contra quem probat interdum ante ſolſtitium cœpiſſe. Hæc verò ſunt ἀσύςατα. Caput anni non aliud eſt, quàm initium anni. Hoc autem terminus eſſe debet, in quo conſiſtit annus, nec eum antevertit. In anno ſolari caput eſt certus aliquis dies, ad quem adhæreſcit, hoc eſt citra quem, vel ante quem non incipit. In lunari, quia id obtineri non poteſt, caput erit dies aliquis, quem numquam prævenit Neomenia lunaris, vel plenilunium: licèt interdum poſtea contingat. Sic anni lunaris Eccleſiaſtici caput eſt, vel VIII Martii dies, ſi annum auſpicemur ab Neomenia. vel XXI, ſi ab decimaquarta computemus. Numquam enim metas iſtas antegreditur primus, ac Paſchalis menſis. Quamobrem qui caput anni Attici octavum facit Julii diem, ſi eumdem Neomeniâ, non plenilunio, metitur; numquam committere debet, ut ante Julii octavum Neomenia incidat. Nos, qui canonem anni civilis, ac lunaris Attici plenilunium fuiſſe ſuſpicamur, id accuratè in Metonica, & Calippica periodo noſtra tenuimus; quam utramque lib. II de Doctrina Temporum exhibemus. Ibi enim numquam plenilunium epocham antevertit, qui fuit XXVIII Junii dies: cùm Neomeniæ laxis habenis ultrò citróque commeent. Idem & Scaliger utraque in periodo ſervavit; ſed hoc in Neomenia inſtituit: quod in plenilunio fecimus. Meritò id quidem. Nam non aliter caput anni conſtare poterit; niſi quod capitis proprium eſt, obtinebit; nihil ut eo ſit anterius. Nec illud ſatis videri debet, quòd in longiore annorum periodo primus annus in ipſo cardine defixum habet initium. ſiquidem periodos annorum iſtas popularis ſenſus minimè conſequitur. Unde ſi in annis XL ſemel dumtaxat octavum Julii diem Neomenia civilis occuparit, non potuit civilis hæc anni epocha cenſeri. Certè in ipſa periodo quadragenaria, quam ſibi nuperus auctor effinxit, Hecatombæonis Neomenia in uno anno Julii octavo die incidit, qui periodum ducit. in ceteris longo intervallo tam præcedit, quàm ſequitur. In XXIX, integro ferè menſe caput anticipat. Cadit enim Neomenia in XI Junii. Quæro igitur, quid illis viris maximis ſuccenſeat, qui caput anni dixerunt fuiſſe poſtridie ſolſtitii. Cur enim octavo potiùs Julii, quàm nono, periodi totius epocha defigitur?

Sed ut in arcem quæſtionis involemus; cùm hæc illi conferendi in VIII illum Julii diem cardinis unica cauſa fuerit, quòd Neomenia lunaris Hecatombæonis primi anni Olympici illo die contigerit; hoc ſi everti poteſt, alterum quoque corruat neceſſe eſt. Atqui certiſſimum eſt non VIII Julii die, ſed IX tam medium, quàm verum novilunium, præſertim Athenis, incidiſſe. Medium quippe commiſſum eſt hora 9, 6′, 25″ à meridie diei VIII Julii, ex Pariſinis tabulis. Proinde ſequenti diei, & aſtrologorum, & Athenienſium more tribuitur. Verum autem contigit Julii IX, hora 3, 5′, 35″ poſt mediam noctem. quod vel epilogiſmi Calviſiani, ad quos, velut ad Cynoſuram, curſum ſuum Scriptor ille dirigit, docere ipſum poterant. ſi quidem ex Sethi Calviſii tabulis novilunium anno illo comperit Julii VIII, feria 2, hora 20, 21′, 32″ poſt mediam noctem, in meridiano Prutenico. hoc eſt hora 8, 21′, 32″ à meridie. Quocirca tam πολιτικῶς, quàm ἀςρονομικῶς in ſequentem diem rejicitur.

Jam illa qui tandem conſentanea ſunt? Ait cap. I pag. 191; non ſolùm *caput anni Græcorum fuiſſe ſolſtitium*; ſed etiam *ne Hecatombæon anteverteret ſolſtitium, menſem interkalaſſe.* Idem tamen paullò pòſt cap III, periodum Atticam annorum XL ſic ordinat, ut in ea octavo Julii primus dumtaxat annus auſpicetur: quod Græcorum fuiſſe ſolſtitium exiſtimat: ceteri novem & triginta ante illum diem incipiant. Quid tergiverſamur autem? Sexto ecce capite pag. 214, ita ſcribit: *Nam quia Neomeniam menſis Hecatombæonis in Junium Julianum incidiſſe utplurimùm, conſtat ex iis, quæ in ſuperioribus diſputavimus: Neomenia enim Hecatombæonis numquam remotior fuit die octavo Julii.* Sive de annò lunari loquitur, contrarium id eſt ei, quod ex capite I ejuſdem Diatribæ retulimus, *quod ad lunarem annum attinet, nemini dubium eſſe poteſt, Neomeniam Hecatombæonis modò anteverteſſe, modò poſteriorem fuiſſe τῆς θερινῆς τροπῆς.* Sive de æquabili anno iſta dicit; cùm iis nequaquam congruunt, quæ I capite memoravit: *ne Hecatombæon ſolſtitium anteverteret, menſem intercalatum fuiſſe.* Quomodo eadem Neomenia, & numquam antevertit ſolſtitium, & ſæpiùs antevertit? & in Junium utplurimùm incidit; & numquam ultra octavum Julii diem propagata fuit? Hæc qui poteſt ſimul eſſe vera demonſtret.

Quòd Neomenia non lunaris Hecatombæonis ſolſtitium anteverterit, probare ſe putat eodem primo capite ex eo, quod Tarrutius aſſeverat apud Plutarchum Romulum anno primo Olympiadis eſſe genitum, XXIII die Choeac, hora tertia, quando & Sol defecit. qui dies cadit in XXIV Junii. Quòd eo die Sol defecit, hunc annum primum Olympiadis cœptum eſſe colligit, adeóque Hecatombæonem hunc fuiſſe; qui, contrà quàm magnis viris placuit, ante ſolſtitium, hoc eſt octavum Julii initium habuerit. Verùm quàm bellè ratiocinatio iſta procedat, equidem non video. Primùm cùm de Neomenia Hecatombæonis non lunaris concludi oporteat, de lunari ſolo argumentatio ducitur. Tum ne ſatis quidem de lunari firma videtur. Negabit enim Scaliger, cum viris illis magnis, contra quos ille diſputat: Neomeniam iſtam Hecatombæonis fuiſſe, non ſolùm lunaris, ſed etiam æquabilis. atque eam potiùs fuiſſe contendet, quæ proximè eſt Julio menſe conſecuta. Nam quòd primo anno ineunte Olympiadis contigiſſe iſtud affirmabat Tarrutius; vel eumdem anni contextum Elidenſibus fuiſſe, qui Athenienſibus, Græciſque ceteris, inficiari poterunt; vel, quia menſis unicus ad Olympiadicum menſem ſupererat, poſtremum menſem anni quarti primæ Olympiadis, ſecundæ imputatum eſſe defendent, quemadmodum haud rarò apud auctores uſurpari ſolet.

Poſtremò fruſtrà capite ſecundo Dionyſii Halicarnaſſenſis locum illum mendi ſuſpectum habet, qui ſit Originum libro primo, ubi captum Ilium dicit, ὀγδόῃ φθίνοντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, *octavo deſinentis Thargelionis, ἑπτακαιδεκάτῃ πρότερον ἡμέρᾳ τῆς θερινῆς τροπῆς, ſeptimodecimo ante æſtivum ſolſtitium die.* Perperam, inquam, legendum putat, εἰκοσι πρότερον ἡμέρᾳ τῆς θερινῆς τροπῆς. Nam rectè habet hic locus, uti lib. IX de Doctrina Temporum cap. XXXI, & capite tertiodecimo libri quarti operis hujus oſtendimus.

CAPUT XI.

De periodo Attica recentioris auctoris; cujus contextus diſſolvitur. Epiphanii locus perperam ab eo emendatus; & expoſitus illuſtratur. Dies natalis Christi ex ejuſdem, & aliorum ſententia. Lunaris defectio ab auctore nupero ſub initium lunaris menſis conjecta.

PERIODUS Attica ab auctore nupero concinnata capite tertio, non minùs, quàm Scaligeriana, commentitia eſt. Imò verò ex iis, quæ ſuperiori capite demonſtrata ſunt; nullam ſibi ſpeciem probabilitatis reliquam facit. Nam nec anni modus dierum tantummodò CCCLX apud Athenienſes exſtitit. neque τροπαὶ Julii menſis octavo potiùs quàm nono, ſive potiùs quàm Junio menſe conſtiterunt. neque porrò vera ſunt cetera, quæ ad illius contextum aſſumpta ſunt. Tetraëteris apud Athenienſes ejuſmodi fuit, nempe lunaris aut vera; aut quam veræ proximam arbitrati ſunt, cùm ſolis rationibus implicata. De qua nos abundè diſputavimus in lib. I, & II de Doct. Temp. & in IV hu-

jus operis adverſus Hiſpanum Juriſconſultum. ἐξαίρεσις porrò tum fiebat, cùm ab Solis, Lunæve curſu annus διαυθέντος exorbitarat, ut ex Gemino docuimus. At Boedromion alia de cauſſa; nimirum ob ſuperſtitionem, uno die multabatur: ut pro ſecunda tertia putaretur. Verùm ſequenti menſe, vel alio quopiam, qui plenus ex cavo fieret, compenſatum diem illum haud vana ſuſpicio eſt. de quo videnda quæ in fine cap. V, lib. I de Doct. Temp. ſcripſimus. Ita ſub octavi capitis finem Ciceronis locum expoſuimus ex Act. II in Verrem, ubi de uoius diei, vel bidui ἐξαιρεῖν apod Græcos loquitur. quem locum ad fulciendum quadragenariæ periodi commentum minimè transferri patimur. Innumerabiles periodos fingere licet annorum, ſtructuráſque varias, & ad eas utcumque Veterum accommodare teſtimonia: ſi quis inutili in re levem otii, ac temporis jacturam duxerit.

Cap. VIII. Lunarem Græciæ veteris annum Scriptor idem diebus CCCXLVII pari licentia circumſcribit. cujus menſes ſinguli XXIX, unus XXVIII fuerit. Quod anni portentum omnibus retrò ſæculis inauditum, fidem ut mereretur, affirmari validiùs debuit. Non enim Cenſorini locus eò pertinet, cùm ait Veteres, animadverſo lunam tredecies oriri in ſolis annuo curſu, arbitratos eſſe lunares menſes duodecim, ac dimidiatum ad annum naturalem convenire. & ideo civiles annos ſic ſtatuiſſe, ut intercalando facerent alternos duodecim menſium, alternos tridecim. Quippe de tricenario menſium modo intelligendus eſt, ut nos fecimus lib. I de Doct. Temp cap. III, & hujus Operis quarto, cap. IV. ídque ex Herodoti, ac Gemini comparatis cum illo teſtimoniis evidens eſt. quos quidem poſteriores duos mirum eſt ab illo Scriptore ſic exponi potuiſſe, ut de cavis tantummodò menſibus interpretaretur, qui XXIX dies haberent; ita tamen ut ἡ τελευταία ſingulis imputata ſit. Nam non ſolùm id precariò ſumit, quod nemo illi conceſſerit: verùm apertè contra mentem illorum, ac verba ſic explicat. Sanè tricenarius dierum numerus in juſtum menſis lunaris modum initio proceſſit, quòd ipſum præter horas perpaucas circuitu ſuo Luna perficere videtur. Ideo triginta dies rotundo, ac minùs exacto ſermone pro menſe vel abſolutè, vel lunari ſæpiùs accipi ſolent. ut lib. IV hujus operis, cap. XI ſignificamus.

At nuperus Scriptor ad periclitandam ſuam periodum, poſtulatitiam alteram periodum arceſſit, Metonicam à Scaligero deformatam: quam in ſecundo de Doct. Temp. libro confutavimus. Qua quidem extorta, jam nec exempla quadragenariæ periodo, nec argumenta ſuppetent.

Nec eſt ſolidioribus fulta machinis altera periodus, quam ſexto capite ex annis CXX ſolaribus contexuit: quibus vertentibus integro menſe Neomenia reflectitur. qualem in anno Perſico, Hebræóque vetere Scaliger excogitavit, de qua nos tertio lib. de Doct. Temp.

Epiphanii locus. Sed eſt mirifica Scriptoris ejuſdem animadverſio cap. VII libri ejuſdem octavi ſuper Epiphanii loco, ex hæreſi LI τῶν Ἀλόγων, num. XXIV, ubi natalem Chriſti diem variorum populorum menſibus, ac diebus circumſcribit. ac baptizatum ait eſſe anno XXX ætatis, a. d. VI Eid. Nov. Metagitnionis ſeptimo, cùm natus eſſet ante VIII Eid. Jan. hoc eſt Januarii VII, Mæmacterionis VI. Hæc Epiphanii verba Scriptor ille obſcuriora dicit eſſe Sibyllæ foliis. *Itaque viri*, inquit, *undecumque doctiſſimi tamquam conclamata deponunt.* Quinam hæc adeo deſpetaverint, equidem neſcio. Illud ſcio; nihil in illo loco tam difficile eſſe, ut ignotus aliquis de via medicus adhibendus ſit: ſed qualem tandem medicinam iſte ipſe de via medicus faciat, paullulùm animadvertamus. Cùm ſe ex Periodo ſua rem explicaturum eſſe denunciaſſet, eò demum labitur, ut κατ' Ἀθηναίους Μαιμακτηριῶνι, ſimpliciter legendum aſſerat, non autem Μαιμακτηριῶνος ς΄. Hoc modo nullus tam deploratus, tam obſcurus Scriptoris ullius locus erit, è quo me non explicem. uti ſi medicus, quod ſanare non poteſt, membrum avellat ac reſecet. Atqui neque emendato iſtic opus eſt. & ut ſit opus, longè id alia, quam illâ, ratione tentandum hoc fuerit. ſed non eſt neceſſe. Chriſtum ait Epiphanius natum eſſe a. d. VIII Eid. Jan. hoc eſt ſexto Januarii. Hunc eumdem diem Mæmacterionis ſextum numerat. Nimirùm mutatus jam erat menſium ſitus; & annus Atticus ſolaris factus ea lunari; ut & in Animadverſionibus ad illum Epiphanii locum; & in IV de Doct. Temp. cap. VIII docuimus. Baptizatus quoque Chriſtus eſt eodem auctore a. d. VI Eid. Nov. quem ait Metagitnionis eſſe ſeptimum.

De die natali Chriſti. Non eſt igitur ab ea parte difficilis locus, qua nuperus Scriptor exiſtimat. ſed alia eſt θέσιμος, quæ non indiligenti lectori moram, & cunctationem poſſit afferre. Hoc enim movere nos poteſt; cur Epiphanius diem illum, qui eſt ante VIII Eid. Januarias, appellet quintum Januarii. Eſt enim utique ſextus. Nam ſexto Januarii natalis Chriſti dies apud Ægyptios celebrari conſueverat. Mendoſam numeri notam eſſe, ſuſpicari poſſit aliquis, ac pro πέμπτῃ Ἰανουαρίου, ſubſtituendum ἕκτῃ. ſed occurrit modò conjecturæ genus aliud, quod ſit fortaſſe probabilius. Epiphanium equidem arbitror loquendi formulas iſtas, *ante diem ſextum, vel octavum Eidus*, ſic intellexiſſe, non ut ille ipſe dies eſſet, qui ſextus Eidus, vel octavus dicitur; ſed qui pridie ſit illius diei. Sextus dies Eidnum Novembris eſt ejuſdem menſis octavus. at octavus Eid. Januar. eſt Januarii ſextus. Pro iis Latini nominant, *ante ſextum, vel octavum Eidus*. Epiphanius verò præpoſitionem *ante* præcedentem diem ſignificare credidit. Ideo πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίου interpretatus eſt de Nonis, quæ VIII Eidus antecedunt. Natum ergo Chriſtum arbitratus eſt ea nocte, quæ inter V, & VI Januarii diem intercedit. Verùm Athenienſes diem civilem auſpicabantur à veſpera. Hinc Epiphanius idem Mæmacterionis non quintam, ſed ſextam computat, & cùm Januarii quinta, id eſt ejus ſubſequente nocte componit.

Eſt apud Photium, num. CCXXXII, Excerptum Stephani cujuſdam Gobari Tritheitæ, capita nonnulla quæſtionum continens, quæ ab illo problematicè in utramque partem diſputantur. In his de nativitate Chriſti ſcriptum eſt ad hunc modum: τέτοκε δὲ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν μηνῶν πληρωθέντων θ΄, τουτέστι Ἰανουαρίου ε΄, κατὰ τὸ μέσον τῆς νυκτὸς, ἥτις ἐστὶ πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Ἰανουαρίων. *Peperit autem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum expletis menſibus novem; videlicet Januarii quinto, media nocte, quæ eſt ante VIII Eid. Januarias.* Quintum Januarii ſcripſit itidem ut Epiphanius: & *ante* ſimiliter accepit. Utrum autem Epiphanius perinde Novembris ſeptimam appellarit diem, quæ eſt πρὸ ἓξ εἰδῶν, non conſtat; quia quotum diem menſis non expreſſit, ut in Januario fecerat. Tum autem de die utique baptizatus ſit, non de nocte, Chriſtus. Metagitnionis ſeptima, Novembris item ſeptima eſt; ſi à Kalendis Novembris Atticus menſis incipiat. Sed cùm eumdem diem, qui eſt ante VI Eid. Novembris, numeret Dii Syromacedonum menſis octavum; Dius verò à Kal. Novemb. inchoëtur: non ſatis extricari res iſta poteſt. & apparet πρὸ ἓξ εἰδῶν rectè ab illo, & Latinorum conſuetudine hic quidem uſurpari: qua ratione Neomenia Metagitnionis ſecundo Novembris inierit. ut illa conjectura locum habeat, quam in lib. IV de Doctrina Temporum cap VIII propoſuimus, ſuper ordinatione anni Attici.

Rurſus alia Periodus lunaris ab eodem conſtituta eſt in VIII cap. in qua refellenda tempus non conteram. De Plutarchi loco, quem ad confirmandam Periodum adjungit, unum illud admonebo: falli Plutarchum, qui in Camillo ſcribit, ſexto Boëdromionis Perſas apud Marathonem eſſe ſuperatos. quod ex Herodoto libro VI redarguitur. Ibi enim ingruentibus Perſarum copiis Athenienſes refert legatos miſiſſe Lacedæmonem, qui ἐνάτῃ ἱσταμένου μηνὸς eo pervenerunt. Verùm Lacedæmonios ante plenilunium egredi noluiſſe, ſecundùm quod tertio die in Atticam venerunt. Si ἐνάτῃ μηνὸς ἱσταμένου nondum commiſſum erat prælium, erroris Plutarchus, ejúſve librarius convincitur, qui id ſexto die factum aſſerit. (Herodotus lib. VI, pag. 420 edit. Græcolat. Henr. Steph.)

Demum Cleoſtrati, & Harpali octaëteridas eadem illa Diatriba falſis, & hactenus confutatis ex elementis, ac principiis nonniſi falſò compoſuit. Quas quidem ambas ex lunaribus annis inſtituit. Harpaleam quidem dierum 2925. cujus anni ſinguli lunares dies colligebant CCCLV. Quæ cùm abſurda ſunt omnia; tum illud mirificum cap. X, quòd eclipſin lunarem ſub ipſum novilunium accidiſſe ratiocinando conficit. Etenim quo anno imperator eſt factus Cleo, Boëdromione menſe Lunam defeciſſe indicat Ariſtophanes, ejuſque Scholiaſtes. Id accidit *Stratocle Prætore, anno IV Olympiadis LXXXVIII, tertio undecima octaëteridis Cleoſtrati, cujus* (Mira abſurditas opinionis, qua lunarem eclipſin in novilunio conſtituit.)

Gamelion

Gamelion cœpit die ſextodecimo Januarii: Boëdromion nono Septembris. Sed promovenda eſt Neomenia per triduum ex Harpali emendatione. Ergo Boëdromion cœpit die duodecimo Septembris. Quare τελευτὰς Boëdromionis (erat autem cavus menſis) cadit in diem decimum Octobris. Luna verò defecit veſpere dies præcedentis, noni Octobris. Hæc auctoris illius verba deſcripſimus. quibus præclara continetur obſervatio lunaris deſectionis, quæ ſub initium lunaris menſis incurrit. Nam lunares erant Cleoſtrati Harpalique menſes, non æquabiles. Et quamvis paullatim vitium fecerint; non eò tamen progredi potuit, ut cum Neomenia plena Luna concurreret. quod ne priſcis quidem ſæculis, nondum intellecto Lunæ circuitu, evenire facilè potuit; quin dierum aliquot expunctione remedium afferrent, ac tantam labem occuparent.

C A P U T XII.

De anno Romano vetere contra nuperi Scriptoris opinionem diſſeritur. Falſa ejuſdem Periodus. Alienſis cladis annus malè à Polybio traditus. Merkedonii originatio falſa. Calviſii error in annis Urbis.

ANNI Romani veteris ab Numa caſtigati rationem expoſuit accuratè Livius in lib. I quo cum & Macrobius lib. I, cap. XIII concordat. Erat modus anni Romani dierum CCCLV. ad quos alternis XXII, vel XXIII accedebant, qui erat menſis intercalaris Merkedonius dictus. Anni XXIV cum intercalaribus ſuis, dies efficiunt 8790. Totidem anni Juliani, dies 8766. Differentia, dies 24. Proinde anno viceſimo quarto, Merkedonius diebus conſtans XXIII omittebatur, unà cum ſuperfluo die ordinario: (ſiquidem annus erat dierum CCCLV, cùm CCCLIV eſſe debuerit.) Ita *viceſimo quarto quoque anno ad metam eamdem ſolis, unde orſi eſſent, plenis annorum omnium ſpatiis dies congruebant;* ut ait Livius. Quare Periodus Romana colligebat annos XXIV, non XXII, ut Scaligero; non X, aut XX, ut nupero Scriptori viſum eſt; qui libro IX operis totius de Romano anno diſputans Livianum illum locum haud meritò mendi ſuſpectum habet: ac pro *viceſimo quarto*, ſubſtituit *viceſimo*. In quo primùm editionum penè omnium conſenſione refellitur. Deinde levi in eam conjecturam argumento ducitur: quòd videlicet Livius plena fuiſſe dicat annorum ſpatia; hoc eſt nullo Merkedonio defecta. quaſi *plena ſpatia* Merkedonios ipſos appellet, qui inania intervalla complerent. Sed non ita eſt. *Plena* quippe *ſpatia* nominat totam annorum XXIV ὁμάδα, quæ παραφαιρέσεις dierum, hoc eſt additis intercalaribus, & uno, cùm opus eſt, deducto, curſum ſolis exæquat. Quippe ſinguli anni non ſunt pleni, nec cum anno Solis adæquantur: ſed ab eo diebus X ½ deficiunt. at ſyſtema viginti quatuor annorum paria facit cum totidem ſolaribus. Ideo non *plenis annorum ſpatiis* ſimpliciter dixit: ſed plenis *annorum omnium ſpatiis*.

Quòd ſi *plena annorum ſpatia* appellare non licet, niſi Merkedoniis omnibus ſit in illis locus, exempto nullo: ne plena quidem appellari poterunt ea deſcriptione, quam recens auctor excogitavit; qui in anno nono dies ſubductos eſſe decem exiſtimat è menſibus tribus. Ita enim pleni omnes anni non fuerint, decurtati diebus aliquot. Sed conficta eſt iſta periodus annorum X, aut XX; nec non ἐξαιρεσίμους dierum decem. quam ſanè Macrobius haud perſuadet, cùm in publicanorum gratiam modò auctionem, modò retractionem dierum provenisse refert. Nam de intercalario menſe Merkedonio apertè loquitur: nec de denario numero, vel littera ullâ ſignificat.

Merkedonius. Sed lepida eſt origo Merkedonii, quam ab eo quod eſt μὴν, & Æolicè μεὶς, veteri autem Latio *Mer*; & à verbo κήδω repetit; quod eſt *ſolicitum eſſe*. unde κηδόνιος. Quod portentum originationis referre, confutare eſt. Præterea cur Merkedonios dies exemptiles ex Idibus potiùs quàm Nonis, aut Kalendis detrahit? Quod enim Macrobium ait ſcribere definitum fuiſſe Nonarum, & Kalendarum numerum; non Eiduum; id eſt falſiſſimum. ſiquidem lib. I cap. XV, Nonas ex quorumdam ſententia ita dictas memorat, *quòd ab eo die ſemper ad Idus novem dies putentur*. Sanè conſtantior erat Iduum, quàm Nonarum, Kalendarùmve numerus; utpote qui octavum excederet numquam; cùm variaret in ceteris.

De Alienſi clade Polybii error. Poſtremò commentitiam periodum nihil exemplum adjuvat ex Alienſis cladis anno petitum. quem quidem annum falsò numerat Urbis conditæ CCCLXVI, ſecundùm verò Olympiadis XCVIII, quo Theodotus Archon fuit. In quo triennii metachroniſmo peccat. Nam accidit illa pugna Urbis anno, ſecundùm Faſtos Capitolinos, quos ibi ſequitur, CCCLXIII; ſecundùm Varronianos, CCCLXIV. cùm Theodotus Archon fuerit anno, ex Varronis calculo, CCCLXVII. Quòd anno eo, quem dixi, pugnatum ſit ad Aliam, Livius lib. V, nec non Faſti omnes ſine controverſia teſtantur. Etenim illo anno certiſſimum eſt Alienſem cladem, & Urbis ἅλωσιν incidiſſe, quo Fabii tres fratres, quorum cauſſâ repentina illa Gallorum impreſſio facta eſt, Tribuni militum Conſulari poteſtate fuere: nec non Q. Sulpicius: de quo nominatim meminit Verrius Flaccus apud Gellium lib. V, cap. XVII. At Polybius lib. I Romanæ urbis ἅλωσιν confert in eum annum, qui XIX eſt à victis Athenienſibus ad Ægos potamon, & XVI ante Leuctricam pugnam. qua ratione cadet in annum, quo Prætor fuit Theodotus. ſed Polybiana putatio minùs eſt exacta; eique cùm Romanorum annalium conditores omnes adverſantur; tum hiſtoria ipſa reclamat. Vide caput XXXI libri X de Doctrina Temporum. Pag. 95 Græcolat. edit.

Quod autem eamdem periodum Romanam auſpicatur ab anno Urbis CLXXXV. quo primum luſtrum à Servio conditum aſſerit, id è Scaligero quidem Calviſius, ex hoc verò Scriptor nuperus expreſſit. ſed precariò, ac citra firmam argumenti ullius fidem primum in eo anno luſtrum figitur. ut in II de Doct. Temp. cap. LXXVII demonſtratum eſt. Labat itaque periodi novæ ſtructura, cujus contextus ab illo capite propagatur. Quoniam verò Calviſianis ex rationibus in digerenda Romana periodo, ac reliqua omni Chronologia pendere ſe Scriptor ille profitetur, libet magiſtri ipſius, ac ducis errorem in putandis Urbis annis obiter exponere. Quod igitur Calviſius in ordinandis annis ab Urbe condita rationes conturbet; poteſt iis argumentis haud dubiè colligi.

Capite XXI Apparatus Chronologici, qui eſt de characteribus; annorum U. C. characteriſmos, hoc eſt cyclos Solis ac Lunæ definit ejuſmodi, ut annus primus Solis XIV, Lunæ X cyclum habuerit. unde perpetua methodo additis ad annos Urbis tredecim, cyclum Solis conſequemur. cyclum verò Lunæ, additis novem. Exemplum affert anni U. C. 797, quo Coſſ. fuere M. Vinitius Criſpinus, & M. Statilius Corvinus; quando Sol defecit Kalendas Auguſt. anno quinto Tiberii. Diviſis 797 per 19, reſtant 18. Atqui cyclo VIII contigit defectio. Ut igitur proveniant 8, addenda ſunt 9. Proinde cyclo Lunæ X annus U. C. primus affectus eſt. Divide 797 per 28, reliqua ſunt 13. At eſſe cyclum Solis oportet 26. Addenda ſunt itaque 13, ut primus Urbis annus cyclo Solis præditus ſit 14. Sic anno U. C. 766 mortuus eſt Auguſtus, cyclo Solis 23, Lunæ 15. quo defecit Luna Septemb. XXVII, fer. V. Si 766 per 28 partiare, relinques 10. Ut ergo fiant 23, adjiciendi ſunt 13. Item additis 9, & diviſa ſumma per 19, relinquitur cyclus Lunæ 15. Cùm hæc tam bellè Calviſius aſſeveret; ſubinde tamen eodem capite, octo tantùm addenda ſciſcit ad methodum cycli lunaris: ad cyclum verò Solis, duodecim: ita ut cyclo Solis XIII, Lunæ IX primus conditæ Urbis inciderit. In Chronico verò priorem ad ſententiam redit, & primum conditæ Urbis ſtatuit anno mundi 3198, cyclo Lunæ X, Solis XIV, littera D. quo eodem anno celebratam ponit Olympiadem ſeptimam. Ita Calviſius in editione ſecunda Operis Chronologici. Nam in priore, anno mundi 3197, cyclo Solis XIII, Lunæ IX conditum Urbis aſſignarat. Annus primus æræ Chriſtianæ ab eodem putatur orbis conditi 3950. Proinde mundum conditum cenſet anno per. Jul. 764. Autumni tempore. Verùm ut cum anno Juliano concordet epilogiſmus annorum mundi; tam primum à Kal. Januariis proximis ab rerum conditu; quàm ſingulos deinceps iiſdem à Kalendis proficiſci voluit. Quare ad annos mundi Calviſianos adjectis annis 764; exiſtet annus Julianæ periodi; qui proprios illius cyclos offeret; quo à ceteris facilè dignoſcetur. Annus mundi 3198, additis 764 efficitur Calviſii in annis Urbis hallucinatio.

ficitur Per. Jul. 3962, cyclo Solis XIV, Lunæ X, quo annus Iphiti XXIV deſiit, eoque Roma condita ponitur Apr. XXI. Eodem anno, Jul. XXVII, fer. a celebratam putat Olympiadem VII. Hæc eſt Calviſiana epocha conditæ Urbis in editione poſteriori. Nam in priore conditum illius ſtatuit anno antecedente, qui eſt Per. Jul. 3961, cyclo Solis XIII, Lunæ IX. Harum prima ſententia Varroni placuit: & Varroniana vulgò nominatur. altera Capitolinorum Faſtorum eſt; quæ & Catoniana perperam à Scaligero dicitur. Utraque ſectatores habet & multos, & eruditos Chronologos. quos inter unius tantùm anni diſcrimen eſt. ſic ut poſteriores uno pauciores Urbis annos putare ſoleant, quàm primi, & Varroniani. De quo vide quæ in IX de Doct. Temp. cap. LV ſcripſimus.

Ex his priorem, ac Varronianam Dio, & Cenſorinus ſecuti ſunt. Etenim Dio initio lib. XL annum eum, qui Coſſ. habet L. Domitium, & Appium Claudium, vocat Urbis ſeptingenteſimum. quotus eſt in æra Varronis, & in Onufrianis Faſtis, qui hanc adhibent. at in Capitolinis, & Sigonianis uno minùs numeratur undeſeptingenteſimus. Cenſorinus verò cap. XXI cum anno Iphiti 1014 componit annum Urbis 991. Paliliorum dies, à quo annorum Urbis exordium capitur, Olympiadum initia præcedit. Quare annus iſte 991 cœpit labente adhuc Iphiti 1013. Unde ſi de 1013 ſubtrahas annos 991, reliqui erunt 22. Ergo deſinente Iphiti anno XXIII condita eſt Urbs ex Varronis, & Cenſorini ſententia. Hinc apparet, haud mediocriter falli Calviſium, qui illum ipſum Cenſorini locum ad opinionem ſuam invitiſſimum trahit, ac ſecum mirificè digladiatur. Quippe ad annum Chriſti CCXXXVIII pertinere Cenſorini characteriſmos omnes exiſtimat, qui cyclos habuit, Solis XXIII, Lunæ XI. quod & certiſſimum eſt. ſed quid ex eo conſequens ſit, nequaquam animadvertit. Nam ſi annus Urbis 991 cyclum habet Solis XXIII, Lunæ XI, neceſſe eſt primum iniiſſe cyclo Solis XIII, Lunæ IX. Dividantur anni 991 per 28. reſidui erunt XI ut ergo fiant XXIII, ad ſummam addendi ſunt XII; ut primus cœperit cyclo Solis XIII. ſic iiſdem annis 991 per 19 partitis, reſtant 3. quare ut undecim reliqui fiant, octo adjiciendi ſunt. Cyclo ergo Lunæ nono primus iniit annus Urbis conditæ. Sed vide hominis ἀσυνεσίαν. Annum illum Chriſti CCXXXVIII, quo Ulpianus & Pontianus Coſſ. fuerunt, nonniſi nongenteſimum nonageſimum ordine locat in Chronologia ſua: & tamen cum hac ipſa convenire Cenſorinum multis verbis prædicat; qui uno ampliùs eum numerat. Sed de tam manifeſta hallucinatione nimiùm multa. quam ad Romanam periodum à nupero Scriptore concinnatam, totámque de anno Romano Diatribam illius examinandam, operæpretium fuit animadvertere.

C A P U T XIII.

De anno, quem Confuſionis vocant, falſa nuperi Scriptoris divinatio rejecta. Cenſorini, & aliorum ſententia defenſa. Ciceronis, ac Cæſaris loca nonnulla declarantur. De nundinis nupera, ac præpoſtera opinio refellitur.

ANNUM ultimum Confuſionis, quem vulgò *Confuſionis annum* abſolutè nominant, haud ſcio quàm rectè; Cenſorinus cap. X dierum fuiſſe refert quadringentorum quadraginta quinque. quòd in eum, præter ordinarios anni Romani trecentos quinquaginta quinque, Merkedonius dierum XXIII ex more concurrerit. extraordinarii verò menſes duo, qui dies colligebant ſexaginta ſeptem, inter Novembrem, ac Decembrem inculcati, caſtigandi vitii cauſſâ, quod paullatim obrepſerat. Etenim per illud tempus, Januarius in Octobrem, ejúſque diem XIII inciderat. à quo ad finem Decembris dies ſunt LXXX; qui cum anno integro Juliano, dies abſolvunt CCCCXLV. Vide lib. IV de Doct. Temp. cap. I.

Hunc annum nuperus auctor negat totidem fuiſſe dierum: neque plures, quàm CCCCXXII eidem imputat; hoc eſt LXVII ſuprà ordinarios CCCLV. Quam conjecturam ſuadere primùm conatur teſtimonio Dionis. qui falli pronunciat eos, qui plures quàm LXVII dies anno illo intercalatos putant. Sed Dionis locus jam à nobis explicatus eſt cap. illo I lib. IV de Doct. Temp. Nam & verum dicit; & Cenſorino non repugnat. Quippe LXVII ſolos dies extraordinarios adjecit Cæſar: quoniam reliqui tres & viginti uſitati erant, & ex antiquo intercalari ſolebant. ut ſi, quod res eſt, fateri libeat, Romani modus anni non minùs diebus CCCLXXVII, vel CCCLXXVIII, quàm CCCLV finiendus eſſet. Non enim ſæpiùs hoc, quàm illo numero conſtabat, ſi culpa deeſſet, ac negligentia; quæ utique conſtituendi anni regula eſſe non debet. Nam alternis numerus uterque proceſſit anni civilis ex more inſtitutóque majorum. Nec illud opponi jure poteſt; abnormem, & inſolentem videri modum menſium duorum, qui dies colligant LXVII. Hoc enim certè nihilo mirabilius eſt, quam annum unum dies ſupra quadringentos habuiſſe.

Alterum probationis genus communis oppugnator opinionis ex eo ſumit, quòd non pluribus, quàm LXVII diebus ad annum Romanum caſtigandum opus fuerit, ut omni perturbatione ſublata, deinceps à Kal. Jan. novus annus initium haberet. Ad hoc verò demonſtrandum aliquot Julianæ correctioni proximos adducit annos; in quibus Januarius Decembri ferè, poſtremò verò, Novembri, non Octobri Juliano cœpiſſe videtur. Sed in annis iſtis, áuctorúmque teſtimoniis ad ſuum negotium applicandis ſolam ferè conjecturam, nec eam ſanè firmam & probabilem advocat; ut ſingillatim oſtendam. Valet enim ea quæſtio ad illuſtrandum annum Romanum veterem; & Ciceronis, aliorúmque Sciptorum interpretanda loca. quæ res ab eo, quod inſtituimus in hoc libro, & opere, non abhorret.

Primus locus eſt Ciceronis ex lib. IV Epiſt. ad Att. Epi. XVII; qui ſe ſcribit a. d. IX Kal. Nov. litteras accepiſſe ab Q. fratre, & à Cæſare; quibus ſignificabant a. d. VI Kal. Octob. exercitum è Britannia reportatum. Cæſar autem ipſe lib. V de bello Gallico proximum ei tempori fuiſſe refert æquinoctium. *Quas cùm aliquamdiu Cæſar fruſtrà exſpectaſſet, ne anni tempore navigatione excluderetur, quòd æquinoctium ſuberat, neceſſariò anguſtiùs milites collocavit. ac ſummam tranquillitatem conſecutus, ſecunda inita cùm ſolviſſet vigilia, prima luce terram attigit, omnéſque incolumes naves perduxit.* Æquinoctium ibi diem Octob. Jul. ſeptimum fuiſſe fingit. ſed perperam. Hoc enim Scaligerianum commentum, cùm alibi refutatum eſt; tum hujus operis Lib. II Cap. IV, & V. Ergo æquinoctii tempus accipio, quod circiter Juliani Sept. XXIV poſtea reſpondit. Cùm autem ſubeſſe dicitur æquinoctium, non ſic intelligendum eſt, ut pauci tantummodò dies ad id uſque ſuperfuerint. Quare ſub Auguſti finem potuit id conſilii capere Cæſar; ne ſi longiùs exſpectaret, adverſa ipſum anni tempeſtas intercluderet. Unde October Septembri ferè Juliano contigit; Januarius Decembri.

Ciceronis locus illuſtratur.

Alter annus eſt Urbis conditæ DCCI, qui Coſſ. initio nullos habuit, donec ex interregno Conſul factus eſt ſolus Pompeius, menſe intercalario, V Kal. Mart. ut ad Milonianam Pedianus adnotat. Hunc annum cœpiſſe vult Decembris Juliani die XXIII; quod eo probat argumento, quoniam Dio in Kal. Jan. anni illius incidiſſe nundinas refert: ídque in religionem vertiſſe. Nundinas tum in Decemb. XXIII cum Kal. Jan. concurriſſe, quod erat ſuadendum; nulla re alia, quàm divinatione meta, nec ea tamen veriſimili conficit. Nundinarum orbes, & epilogiſmos ait non ab anni capite, Kalendíſve Januariis, ſed à Lunæ φάσει, biduo poſt commiſſum novilunium, menſe Martio proceſſiſſe. Contigit autem novilunium anno iſto Prid. Kal. Martii Juliani. Ideo Martius Romanus cœpit Prid. Kal. Mart. Julianas. quæ in φάσιν inciderunt. Ab hoc die nundinarum curſus incipit. ita ut dies ſecundus Martii Romani, qui primus erat Juliani, initium illarum orbi dederit; ac primæ nundinæ in decimum Martii veteris; nonum autem Juliani, convenerint. Sequentis anni Romani, hoc eſt DCCI, Kal. in Decembris Juliani diem XXIII inciderunt, unà cum nundinis. Verùm quis illi concedat, nundinarum ſeriem aliunde, quàm à civili capite progreſſum habuiſſe? Saltem à Kal. Martiis Romani menſis inciperet; non ab ſecundo die. Nam illius figmenti ne tolerabilem quidem rationem afferre potuit. Non procedunt, inquit, à Kal. Januariis nundinarum orbes. Quid ita? Quoniam in ipſas Kal. inciderunt nundinæ. At id ratum, & perpetuum

Item alter.

De nundinis.

non

non fuit, propter ἀνωμαλίαν anni Romani. ut nec in anno Juliano eadem ſemper Kal. Januariis feria contingit. in quas ſi fortè ſeptima incidat; non licet ex eo concludere; feriarum orbem ab eo die minimè proficiſci. Præterea non videt ex eo, quòd nundinæ cadant in decimum diem Romani, ac veteris Martii, nonum Juliani, in anno ſeptingenteſimo ab U. C. quem ille dierum conſtituit CCCLV; non poſſe nundinas eaſdem competere in Kal. Januarias anni ſeptingenteſimi primi. Etenim ſi de diebus 355 auferas 58, hoc eſt Januarium dierum XXIX, & Februarium dierum XXVIII, cum Kal. Martii Romani; ſive dies qui à tertio Januarii, ad ultimum Februarii, intercedunt in anno biſextili; reliqui erunt dies 297 à ſecundo Martii Romani, qui in Kal. Martias Juliani anni incidit, ad finem anni Romani ſeptingenteſimi, qui Decembris XXII deſiit. Ea ſumma per 9 diviſa nihil relinquit. Quare dies ipſa Decembris XXII in nundinas incurrit, ſequens verò, quæ ſunt Kal. Januariæ, proxima fuit à nundinis, non in ipſas nundinas cecidit. Ad hæc Dio lib. XLVIII refert in anni Juliani ſeptimi, qui Coſſ. habuit L. Marcium Cenſorinum, & C. Calviſium Sabinum, nundinas incidiſſe; ejúſque vitandi gratiâ unum diem extra ordinem intercalatum anno antecedente, ac deinde ſubtractum. Subducamus modò dierum omnium ſummam tam veterum ante caſtigationem, quàm Julianorum ſex, initio facto ab anno ſeptingenteſimo primo, ejúſque Martii die ſecunda; à qua nundinarum orbis incœpit ex nuperi Scriptoris opinione. quæ res in ſequenti tabella proponetur: in qua annis ſingulis adjungemus dierum numerum, quem ille tribuit.

Tabella annorum aliquot veterum Romanorum.

Anni Romani veteres	Numerus dierum in ſingulis	Numerus dierum collectus
DCCI	378	378
DCCII	355	733
DCCIII	355	1088
DCCIV	355	1443
DCCV	355	1798
DCCVI	345	2143
DCCVII	422	2565

Adde jam 2192 dies Julianorum ſex cum biſextis duobus, colliguntur dies 4757. quo numero per 9 diviſo, fiunt enneades 528 integræ cum diebus 5. Quare ſequentis anni Juliani ſeptimi Kalendæ nequaquam in nundinas cadebant; ſed in ſextum diem enneadis, aut in quintum, ſi unum tantùm biſextilem primis ſex annis Julianis adſcribas.

Cicero Epiſtola penultima lib. X ad Attic. quæ XVII Kal. Jun. data eſt; æquinoctium imminere ſignificat his verbis: *Nunc quidem æquinoctium nos moratur. Id ſcilicet cras erit.* Legunt alii; *id ſi ἀνεγὶς erit.* Non pœnitenda eſt illa, quæ vulgò recepta eſt, lectio. quæ quidem pridie ejus diei, quo vernum æquinoctium futurum erat, ſcriptam epiſtolam eſſe ſignificat. Itaque Maius Martio Juliano; Januarius Octobri reſpondebat. At in iſto loco, quæ & quanta portenta ſunt nuperi Scriptoris? pro vocabulo *æquinoctium*, αἰγὸς νότος reſcribit. ut ſit αἰγὸς *procella*; νότον, *notus ventus*. tum pro ἀνεγὶς vel *cras*, ἐγγὺς, id eſt ἐγγύτης. quæ miror in mentem, ac ſtylum etiam hodie cujuſquam ſubire potuiſſe.

Quòd autem anno ultimo Confuſionis, Octobri circiter Juliano, Januarius veteris anni congruerit, unicè demonſtrat auctor libri de bello Africano. qui ſub initium Februarii Vergiliarum ſidus docet eſſe confectum. quod ineunte Novembri ætate illa contigit. *Per id tempus,* inquit, *ferè Cæſaris exercitui res accidit incredibilis auditu. Namque Vergiliarum ſigno confecto, circiter vigilia ſecunda noctis, nimbus cum ſaxorum grandine ſubitò eſt exortus ingens.*

Finem huic capiti, ac diſputationi dabit præclara nuperi ejuſdem Scriptoris animadverſio. qui in calce Operis, de conditu agens Urbis, ex Varronis ſententia accidiſſe definit anno Per. Jul. 3961, cyclo Solis XIII, Lunæ IX, quo Palilibus ipſis Sol defecit ſed ea defectio (inquit) in Aſia tantummodò conſpecta fuit; non in Italia. quam & Antimachus Teius obſervavit. Nobis conſtat nullam eo anno Solis eclipſin accidiſſe illo in Aſiæ tractu. quod in VIII de Doct. Temp. δωδεκαετηρίδι evicimus. Cùm de eclipſi Mullerius affirmet in Examine Temporum; tempus illius confert in Maii Juliani XXVI diem; cùm luminaria in gradu eſſent Tauri XXVI. quod & tabulæ noſtræ referunt. At Scriptor nuperus rem mirificam narrat: Ait eclipſin iſtam incurriſſe in diem Juliani Februarii viceſimum ſeptimum. ac Lunam in Scorpione conſtitutam: Solem verò Piſces ingreſſum: quomodo apud Solinum reponendum judicat. Amabo quæ iſtæc aſtronomia eſt; Lunam in Scorpione poſitam, Solem in Piſcibus tempore conjunctionis veræ, & eclipſis fuiſſe? Ut illud omittam, quod latitudinem auſtralem ad novilunium illud accommodat; & inde concludit non in Europa, ſed in Aſia eſſe viſum deliquium. quaſi, cùm auſtralis eſt latitudo, videri eclipſis in Aſia poſſit, & in boreali hemiſphærio. Nam apparens latitudo; hoc eſt vera, parallaxi aucta, auſtralis exſtitit tempore ecliptici illius novilunii. Non potuit igitur toto in boreali hemiſphærio, id eſt citra eclipticam cerni. Lib. VIII. pag. 476.

CAPUT XIV.

Illuſtratur inſignis Euripidis locus ex Tragœdia Rheſo. in eóque recens hallucinatio convincitur.

SED piaculo proximum eſſet illuſtrem locum ex Euripidis fabula prætermittere, quæ Rheſus inſcribitur; in quo depravando nuperus ille Scriptor aliud erroris portentum peperit. Nam & ad commendandam methodum noſtram, quæ lib. I tradita eſt; præclarum id erit ſpecimen: & documentum ſtatuetur Criticis noſtris; ne ad Veterum ſcripta caſtiganda temerarias, ac præcipites conjecturas adhibeant.

Igitur nocturnorum vigilum chorus in illo Dramate per noctem excubias agens, notationem temporis adjicit è ſtellarum ortu, ac ſitu; quam hîc deſcribemus,

Τίνος ἁ φυλακά; τίς ἀμείβει
Τὰν ἐμὰν πρώτας;
Δύεται σημεῖα, καὶ ἑπτάποροι
Πλειάδες αἰθέριαι.
Μέσα δ' αἰετὸς οὐρανοῦ ποτᾶται.
Ἐγείρεσθε· τί μέλλετε; κοιτᾶν·
Ἐγείρεσθε πρὸς φυλακάν.
Οὐ λεύσσετε μηνάδος αἴγλαν;
Ἀὼς δὴ πέλας, ἀώς.

Cujus eſt cuſtodia? quis alternat
Meam imprimis?
Occidunt ſigna; & ſeptenæ
Pleiades æthereæ, i. oriuntur.
Medium verò Aquila cœli pervolat.
Surgite: quid cunctamini? è ſtratis.
Surgite ad excubias.
Non videtis Lunæ ſplendorem?
Aurora inſtat, aurora.

His verſibus matutinum tempus indicat, quo imminentem Solis ortum Vergiliæ ortu ſuo præveniunt; Aquila culminante; ac commodùm emergente Luna. quod in quadrante ultimo contingit. Quiſquis Tragœdiæ illius auctor fuit: (Nam de eo controverſia eſt:) tempus affecti veris, vel ineuntis æſtatis ſignificare voluit; & ad ſtellarum poſitum; cujuſmodi erat ætate ſua; non ad Trojana tempora, reſpectum habuit. Sæculo Metonis, quo Euripides floruit, hoc eſt circa annum per. Jul. 4283. quo bellum Peloponneſiacum cœpit, lucida Pleïadum erat in gradu Arietis 26, 12'. Oriebatur coſmicè cum ejuſdem gradu 19. heliacum verò faciebat ortum cùm Sol erat in gradu Tauri 19, Maii circiter decimoquinto, vel ſexto. Nam Sol vero motu Taurum ingreſſus eſt anno illo Apr. XXVI, hora poſt meridiem 5, 57' Athenis. quare XXVII dies

πολιτικῶς Tauronos Neomeniam babuit. qua cum Thargelionis Attici Neomenia cœpit anno ſecundo primæ periodi Metonicæ, qui eſt ille ipſe Julianæ periodi 4283. ut ex ejus Diagrammate liquet, quod eſt in II de Doct. Temp. cap. XIII. Proinde Thargelionos Metonici viceſimo circiter die; ac ſub quadrantem ultimum Lunæ; heliacus ortus Pleïadum accidit. Quamobrem Thargelione menſe geſta res ponitur ab Euripide; aliquot ante captum Ilium diebus, quod menſe illo expugnatum eſſe Veteres arbitrati ſunt. Oriebatur, ut dictum eſt, lucida Vergiliarum cum gradu Arietis 19. Aſcenſio ejus obliqua in Attica fuit grad. 11, 47′. Aſcendente Pleïade, culminabat gradus Capricorni undecimus circiter. Jam verò ex aſteriſmo Aquilæ ea, quæ eſt in collo, ultima omnium ad orientem, aſcenſionem rectam habebat grad. 268, 49′, & cum Sagittarii gradu ferè 29 culminabat. Proinde ultra meridianum gradibus aliquot evecta jam erat Aquila, cùm Pleiades oriebantur, nimirum circiter tredecim, ac propemodum unius horæ ſpatio. ſed nihilominus cœli τὰ μέσα perambulabat.

Veris jam adulti, vel ineuntis æſtatis id eſſe tempus declarat idem poeta, cùm paullò pòſt ita loquentem chorum introducit.

Καὶ μὴν ἀΐω Σιμόεντ@
Ἡμένας κοίτας
Φονίας· ὑμνεῖ πολυχορδοτάτᾳ
Γήρυϊ παιδολέτωρ
Μελοποιὸς ἀηδονὶς μέριμνα.

Atqui audio Simoentis
Inſidentem cubilia
Cruenta: canit variarum chordarum æmulatrice
Voce, prolis ſuæ necatrix,
Modulatrix luſciniola cura.

Pag. 187. Nunc Scriptorem nuperum audiamus. Lib. III, cap. XXII tempus νυκτεγερσίας illius confert in novam hiemem, ac Poſideonem ſecundum, cujus Neomenia convenit in ultimum Decembris. Novilunium porrò commiſſum ait tertio die Poſideonis, ſive ſecundo Januarii. Quare tempus iſtud competit extremo Poſideoni, adeóque Januario. Eo tempore, inquit, occidunt mane Vergiliæ, ſive Pleïades. Quod ex Arati Græco interprete probat; qui Athyr menſe Vergilias ait occaſum matutinum facere. Quod autem Aquila tunc cœli media pervolare dicitur, ſic intelligit, ut cum ſole pariter ab horizonte ſe efferat. quod idem eſt, ac ſi diceret; Sol eſt in Capricorno. quemadmodum in re non diſſimili dixit Cicero,

—— ſe pariter cum Sole in luminis auras
Effert.

Nam & Aratus cum Capricorno Aquilam ſcribit aſcendere. Hæc ille, in quibus non plura verba ſunt, quàm errata; nec ea ſanè mediocria. Mane occidere Vergilias, id eſt paullò ante Solis exortum; id verò falſiſſimum eſt. Annus Metonis decimus cœpit Julianæ Periodi 4291. Proinde Januarius ille, de quo nuperus Scriptor, ſequentem inchoat, 4292. Novilunium incidit Decembris XXX anni 4291, feria 2, hora 15, 6′ à media nocte in horizonte Attico, ex Pariſinis tabulis, ſive potiùs Decemb XXXI feria 3. Erat annus Judaicus 3339, cujus Tiſri character 3, 19, 89, feria 4, propter Adu, Septembris IV, feria IV, Cyclo Solis Romano VII, littera F. Annus erat embolimæus, utpote Cyclo Judaïco XIV, Romano XVI. Neomeniæ Schebath character 2, 22, 21. feria 3, Decembris XXXI. ut mirum ſit novilunium ab auctore nupero conferri in Januarii ſecundum. Sumatur Januarii XXIII dies, hoc eſt Poſideon δεύτερ@ extremus, ut ſit quadrans Lunæ quartus, quo manè oriri ante Solem incipit. Anno itaque Per. Jul. 4392, Januarii die XXIII Sol occidit Athenis hora æquabili poſt meridiem 4, 55′. qui erat arcus ſemidiurnus. Deſcenſio ejus obliqua fuit grad. 285, 39′. Obliqua deſcenſio lucidæ Pleiadum graduum circiter 33, 37′. Differentia 252, 2′. quæ ſunt horæ 16, 48′. Eæ detractæ de horis 16, 55′. quæ à nocte media antecedente ad occaſum Solis elapſæ ſunt, per canonem XVIII libri primi hujus Operis, relinquunt horam 0, 7′ poſt mediam noctem. Quocirca media nocte, horíſque ſeptem ante Solis exortum, Pleiades occiderunt. quod ſub auroram accidiſſe ab auctore nupero ponitur.

Nam quòd Arati Scholiaſteu citat; mira eſt ἀσυνεξία. Athyr enim, non utique Januarius eſt, ſed November; quo Vergilias occidiſſe manè per illa tempora certiſſimum eſt: ac ſub ipſum adeo hiemis initium, quod ab occaſu Pleiadum ab antiquis repetitur. de qua re ſuprà lib. II, cap. IX. ac rurſus libro ſequente ſeptimo. Januarius autem non initium eſt hiberni temporis, ſed clauſula. Jam de Aquila non minùs abſurda res eſt. Hanc Euripideus ille locus adſtruit ſub auroram media cœli permeaſſe. Ut non ſumma ipſa cœli ſpatia, & ab horizonte propè ex æquo diſtantia ſignificari putemus; certè talem fuiſſe ſitum illius ſideris oportet, ut diſcerni oculis potuerit. Nam niſi Aquilam vigil iſte cerneret, non eam utique deſignaret. Atqui ſic illius verba nuperus Scriptor accipit; quaſi cum Sole in Capricorno pariter aſcendiſſe velit. qui eſt coſmicus exortus, non apparens. Aquilæ ſtella, quæ eſt in collo, quæque totius aſteriſmi ad Capricornum accedebat proximè, ut quæ in Sagittarii gradu 29 collocata tum erat, aſcenſionem habuit obliquam grad. 270, 57′. Aſcenſio Solis obliqua die XXIII Januarii diluculo, 316, 56′, cùm eſſet in gradu Capricorni 28, 23′. Differentia ambarum aſcenſionum grad. 45, 59′, horæ 3, 4′. Totidem horis ante Solem exorta eſt Aquila. qui neque matutinus ortus; neque coſmicus eſt. Cùm enim duabus vel tribus horis Solem præcedit oriens ſtella; ortus iſte matutinus appellari non debet, ut ſcribit Tatius Iſagoges cap. XXXIX. Hinc etiam apparet, falsò ab auctore nupero ſcriptum eſſe, cum Sole in Capricorno ſito pariter Aquilam conſcendere. Si quidem poſtrema illius cum gradu Sagittarii XIV circiter emergit. Nec Aratus, qui cum Capricorno aſcendere ſcribit Aquilam, de dodecatemorio, ſive Signo cœleſti loquitur; quod tum intelligunt, cùm Solem dicunt in Capricorno verſari. ſed de aſteriſmo. Hipparchus lib. II, Num. XIII, quod Aratus aſſerit, oriri cum Capricorno Aquilam, conſentaneum eſſe ait obſervationibus: & idem tamen Num. XXI Signorum συνανατολὰς explicans, cum Aquila oriente Sagittarii gradus componit quinque, à nono ſcilicet ad decimum quartum. Non igitur cum dodecatemorio Capricorni per illod tempus ortum faciebat Aquila. Sed hæc nuperi Scriptoris utcumque tolerabilia mihi videntur, præut ejuſdem eſt conjectura ſuper Euripidis poſterioribus verſibus, in quibus inſtante aurora cantillantem luſciniam deſcribit. Etenim de erodio, non de luſcinia poëtam ſcribere ait; ac verba illius quaſi depravata corrigit; tum eam adhibet interpretationem, quæ haud ſcio an alteri mortalium, quotquot hodie ſpirant, in mentem venire potuerit. Eam neque confutabo; nec ulterius tam illepido commento patientiæ eruditi lectoris illudam.

DIONYSII

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU,

AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER SEXTUS.

In quo contra Plinianarum ad Solinum Exercitationum Claudii Salmaſii varia capita diſputatur.

CAPUT I.

Mira Salmaſii à ſeipſo diſſenſio, ejuſdémque de ſeipſo judicium.

Hær. XXII. SCORPIOS narrant vexatos ab hominibus, & interclusos, cùm ſe ulciſci nequeunt, aculeos in ſe vertere, ac ſeſe conficere. Sic aſpidem ſcribit Epiphanius inopia paſtus efferatam in ſua membra ſævire, & ea paullatim mandere. atque ita complures in Ægypto, trunco, ac ſemeſo corpore, è templorum fundamentis ait effoſſas. Simillimè fecit in commentariis ſuis Solinianus Exercitator: qui cùm maledictis & conviciis vivos ac mortuos appeteret, ne ſibi quidem poſtremò pepercit ipſi; & ea in ſe dixit, quibus audire ne ab infenſiſſimis quidem graviora, ac veriora potuiſſet. Feſtiva res, & eruditi lectoris ſpectaculo non indigna; quæ ut in aliis propemodum incredibilis eſſet; ſic in iſto propter talium rerum aſſiduitatem admirationem habere deſiit. Ea ut intelligi poſſit, quæ ad hanc explicandam neceſſaria ſunt, breviter exponam.

Mihi cum Scaligero controverſia ſuper Atticis menſibus fuit, ac Mæmacterione præſertim: quem Gaza proximum à Boëdromione, ante Pyanepſionem collocandum cenſuit, ut eſſet menſium ordine quartus. Scaliger contrà Boëdromioni Pyanepſionem; huic Mæmacterionem ſubjecit. Ego Gazæ ſententiam Scaligerianæ anteponendam eſſe docui in Epiphanianis Animadver. ad Hær. LI, & lib. I de Doct. temp. cap. X, idque argumentis pluribus oſtendi: quæ quantam vim habeant, pòſt paullò declarabitur. At Solinianus Exercitator, cùm de menſibus iſtis fortè ſermo ei incidiſſet, repudiata Scaligeri opinione, meam, & Gazæ complexus eſt, quam his verbis propoſuit: *Boëdromion, & Mæmacterion menſes Attici ita ſe ſubſequuntur, ut Romani September, & October. nam Boedromion circa æquinoctium autumnale, quando oritur arcturus. uno menſe antè migrant coturnices, quàm grues: illæ Boëdromione, qui Septembri reſpondet; hæ Mæmacterione, qui Octobri. utræque eodem tempore faciunt migrationem* ἐν τῷ ψυχρῶν. In his & Gazæ, ac mihi pariter aſſentitur; & idem, quo uſi ſumus, argumentum adjicit, de coturnicibus, quæ uno menſe ante grues avolare cernuntur.

Plinian. Exercit. pag. 181. D. At idem poſtea, velut Circæo poculo repentè mutatus, patronum illius ipſius, quam defenderat, opinionis ſtolidum, barbarum, imperitum, quidvis denique ob id unum, quòd ita ſentiret, appellavit. Verba illius. *Hoc unico argumento retundi poteſt ſtolidum pectus pecoris N. qui Pyanepſionem menſem ſubjungit Mæmacterioni, Mæmacterionem Boedromioni. quæ Gazæ fuit ſententia jampridem à Scaligero exploſa. Sed odium Scaligeri barbaræ menti inſitum, & litterarum omnium imperitia rationi, ſcientiæque prævaluerunt apud eum.* Plin. Exercit. p. 735. D.

Hæc illius totidem verba ſunt: quæ ſi inter ſe componantur, apparet cujuſmodi ſe hominem & eſſe judicaverit, & haberi à nobis, appellarique voluerit. Atque hoc eo nobis perſuadère faciliùs debet, quòd neque certiùs eum noſſe quiſquam illo ipſo poteſt; nec amore in eumdem, ac voluntate eſſe majore, quàm in ſe eſt ipſe: ut quæ tam ingenuè de ſe profitetur, ea quàm ſunt ab odio procul, ac malevolentiâ; tam ex veritate profecta videantur.

Sed ſit illud vel ſtuporis, vel inconſtantiæ. At ſententiam mutavit. at agnovit errorem. novi denique vidit aliquid, quod eum contrariam in partem traheret. Nihil ab eo dico argumentotum eſſe productum, quod non à Scaligero primùm allatum, à me verò confutatum, explicatúmque ſit. nihil item propemodum, quod non illi ipſi, cujus adhibetur gratiâ, evertendæ potiùs opinioni, quàm adjuvandæ ac perſuadendæ ſervire debeat.

Quoniam igitur de Atticorum menſium ordine, ac ſitu primùm ille pro me, deinde contra me ſentire voluit; ego miro quodam pugnandi genere, non tam meam adverſus illum, quàm ipſius contra ſe cauſſam, opinionémque defendam. ac veriora ſe priùs ſenſiſſe mecum, iiſdem ferè, quibus ad oppugnandum uſus eſt, argumentis faciam ut ipſemet agnoſcat. Sed antè pauca de Attico anno, ac menſibus præfari neceſſe eſt, ſine quibus ea capi à tardioribus, quæ dicenda ſunt, vel ſic exponi ut intelligantur, facilè nequeunt.

CAPUT II.

Diſputatur contra Salmaſium de cardine anni Attici ſitúque menſium. ac primùm aſtronomica quædam ad diremendam controverſiam utiles explicantur.

VETERE Græciæ memoria, præſertim in Attica, civilis annus ut ad Lunæ curſum inſtitutus, ita minimè ad eam exactè comparatus fuit. Nam ut rudes erant diſciplinæ cœleſtis homines, menſtrua Lunæ ſpatia tricenis diebus, annum lunarem CCCLX metiebantur. quod ex Herodoto, Gemino, Cenſorino, lib. I. de

de Doct. temp. & hujus operis libro toto quarto probatum eſt contra Hiſpanum Juriſconſultum. Quare frequens, ac mira tunc erat anni, menſiúmque turbatio: cui dierum exemptione, vel additione identidem mederi cogebantur. ut in aureo ſuo libello Geminus noſter nos docuit. Paullatim deinde, ubi aſtronomia cum aliarum doctrinarum ſtudiis caput erexit, ſæpiùs emendati ſunt faſti; atque ad certiora Lunæ curricula popularis applicatus eſt annus. Id ut progreſſum habuerit, idem auctor egregie declarat capite VI de menſibus. Conſtituto jam anno, ac certis orbium intervallis adſtricto, menſes ſinguli non eumdem in Juliano, ac Solari anno ſitum obtinebant: ſed in diverſos illius menſes incidentes, priſtinas in ſedes intercalationis fræno revocabantur. quod in omni anno, ac periodo lunari uſuvenire neceſſe eſt. Intercalarius menſis fuit Ποσειδεών. Id ex
Pag. 105. Gr. ed.
Ptolemæo primùm cognoſcitur: qui lib. IV, cap. ult. meminit *Ποσειδεῶνος α΄, primi.* ex quo ſequitur poſteriorem fuiſſe alterum. fuit autem annus ille, quo lunaris obſervata defectio eſt Poſideone priore, Nabon. CCCLXVII, anno ſecundo Olymp. XCIX, Per. Jul. 4332, Decemb XII, ante Calippicam periodum. Deinde ex Halicarnaſſenſis auctoritate idipſum concluditur. qui annum eum, quo capta Troja eſt, intercalarem facit: utpote in quo Scirophorion ultra ſolſtitialem cardinem viginti diebus excurreret. Neque tamen intercalatus eſt in eo Scirophorion. quoniam captam refert eſſe Trojam Thargelionis XXIII, cùm ad annum complendum ſeptem & triginta dies reſtarent, comprehenſo ſcilicet ipſo die viceſimo tertio. Tum addit eam ſe computationem inſtituere, *ὡς Ἀθηναῖοι τοὺς χρόνους ἄγουσι, ad eum modum, quo Athenienſes tempora ſua digerunt.* Igitur Athenienſes non Scirophorionem, quamvis poſtremus menſis eſſet: ſed Poſideonem ubi opus erat, intercalabant.

Anni Attici cardo.
Annus Atticus ab æſtivo Solſtitio circiter inibat; hoc eſt, quantum conjectari licet, ab eo lunari menſe, cujus Neomenia Solſtitio citima erat. quod in ſequentibus oſtendetur. Ex eo factum eſt, ut Hecatombæon Junio menſe nonnumquam inciperet; aliàs verò Julio. Sic Metagitnion Julii & Auguſti partes occuparet. Boëdromion Auguſti & Septembris; & ita reliqui; velut Gamelion ſæpè in Januario poſt τροπὰς incipiens, interdum eas antevertebat.

Huic eſt contraria Scaligeri ratio, qui Hecatombæonis Neomeniam perpetuò poſt Solſtitium cœpiſſe pugnat. ac de ceteris menſibus parum, ut poſtea dicetur, commodè ſentit. Scaligerianum ad tripodem in his, quorum prorſus eſt rudis, Solinianus Exercitator ſententiam ſuam accommodat. Quare & de Mæmacterione, reliquiſque menſibus aſſentitur: & ad id, quod non intelligit, probandum ex eo argumenta deſcribit. quorum partem maximam non eum aſſecutum eſſe, fit ex eo conjectura, quòd ex iiſdem illis contrarium ejus, quod probare ſtudebat, neceſſariò conficitur. At ille non ſic eſt hebes aut exiſtimationis adeò contemptor ſuæ, ut, ſi id quod dicit capere poſſet, contra ſe teſtimonia iſta proferret. Duo ſunt capita controverſiæ noſtræ. alterum de anni Attici cardine, ſive de Hecatombæonis initio: alterum de reliquorum menſium ordine pariter & initio. De priore placet idem Soliniano commentatori quod Scaligero; numquam ante τροπὰς Hecatombæonem cœpiſſe. Τροπὰς autem ejuſmodi, quales apud Scaligerum legit, in anno ſtatuit: nempe octavum diem Julii menſis. Hæc enim iſtius verba ſunt:
Salmaſii de Hecatombæonis epocha ſententia. Plin. Exerc. p. 429. B. Pag. 314. B.
Græci veteres, ut rectè notat Scaliger, θερινὰς τροπὰς, id eſt τὰ κέντρα, VIII Julii menſis ſtatuebant, hoc eſt undecim tantùm dies ante exortum canis. Item alibi: *Hibernum ſolſtitium veterum Græcorum VII Januarii fuit. ut rectè obſervavit ſummus Scaliger.* Ad ordinem ceterorum, ſitúmque quod ſpectat, Mæmacterionem, ut paullò antè ſcripſi, Pyanepſioni ſubjicit; quem partem Novembris, ac Decembris, occupaſſe putat: Poſideonem quoque Decembris, ac Januarii: *Elaphebolionem Martium & Aprilem dividuos habuiſſe, & primum fuiſſe menſem poſt æquinoctium vernum.* Hoc vero adeo perpetuò contigiſſe Ib. cenſet; ut quemadmodum Hecatombæonis Neomenia numquam IX Julii anteverterit; ita Metagitnionis Neomenia numquam Auguſti VIII anteceſſerit; Boëdromionis, ſextum Septembris; Pyanepſionis VI Octobris; Mæmacterionis IV Novembris; Poſideonis IV Decembris. & ſic in reliquis. quod ſubinde declarabitur. Atque hoc ex iis, quæ cum Scaligero ſentit, neceſſariò conſequens eſt. Nam ſi ante τροπὰς Hecatombæon numquam penitus inchoatus eſt; τροπαὶ verò ſunt VIII Julii dies: hinc velut catena quadam apta ſunt reliquorum menſium initia, ut numquam ante illos, quos notavi, dies inchoari potuerint.

Hæc ab illo poſita ſic me everſurum eſſe polliceor, Refutatur opinio Salmaſii.
ut & certiſſimis demonſtrationibus, & iis, quibus illa probavit, argumentis, ac ſuamet ipſum voce convincam. Ad hunc porrò ſermonem, ac diſputationem aditum illa nobis argumentatio præbebit, quam à Scaligero mutuatus, contra opinionem priſtinam de Mæmacterione ſuam, ac noſtram valere plurimùm exiſtimat. Salmaſ. in Plin. Exerc. p. 752. D.
Ea verò ſic habet. Ptolemæus conjunctionem Lunæ cum ſpica Virginis obſervatam refert à Timocharide anno Nabon. CCCCLXVI, Pyanepſionis ſexta. πλάγιος, id eſt XXV, anno XLVIII Periodi Calippicæ. Scribit hoc Ptolemæus lib. VII, cap. III. Id autem tempus cadit in eam noctem, quæ inter VIII diem Decembris, ac nonum interceſſit. Unde ſequitur Neomeniam Pyanepſionis circiter Octobris XV contigiſſe: ac proinde Boedromioni proximum eſſe Pyanepſionem; cùm ille Septembri ferè reſponderit. Quoniam igitur in aſtronomicis obſervationibus tantum ad nos convincendos adjumenti ſibi eſſe perſuaſum habet, tam ex hac ipſa, quàm ex aliis ab eodem Ptolemæo traditis, pertinaciæ illius os obſtruemus.

Extant apud Ptolemæum Timocharidis τηρήσεις quatuor capite illo III libri VII. quas temporum ordine referam. Timocharidis obſervationes.
Prima docet anno primæ periodi Calippicæ triceſimo ſexto, Poſideonos XXV, Lunam juxta Scorpii ſtellam fuiſſe conſpectam. Tempus convenit anno Per. Jul. 4419, ea nocte, quæ in Decembris XXI deſiit, Poſideonis XXV Decembris diem XX tenuit. qua finita, cum ortu Solis poſtridie XXVI Poſid. XXI Decembris iniit. uti lib. II de Doct. temp. cap. XX mon- Pag. 76.
ſtravimus. Ideo Poſideonis Neomenia cadit in Novembris XXVI.

Secunda τήρησις anno eodem Calippico, ſed Jul. Per. 4420 facta eſt: quando Elaphebolionis XV die deſinente, ſequente XVI, animadverſa eſt Lunæ conjunctio cum Spica Virginis, anno Nabon. CCCCLIV, Tybi V. fuit hic Martii dies IX; ut Elaphebolion cœperit Februarii XXII.

Tertiò: anno Periodi Calippicæ XLVII, octavo die Antheſterionis deprehenſa eſt Luna cum Vergiliis anno Nabon. CCCLXV Athyr XXIX. Annus erat Per. Jul. 4431. Januarii porrò XXIX id accidit. Igitur Antheſterionis Neomenia incurrit in Januarii XXII.

Quarta τήρησις eſt illa, quam è Scaligero Solini commentator expreſſit. De his omnibus aſtronomicis obſervationibus videndum eſt planè caput XX lib. II de Doct. temp. In his verò animadvertendum eſt, anno XXXVI periodi primæ Calippicæ, & XLVII, minimè intercalatum fuiſſe. Cùm enim Poſideon embolimus menſis fuerit, ut paullò antè ſignificavi, hic annis illis duobus minimè intercalatus eſt. Non XXXVI: quoniam inter Poſideonem, qui Novembris XXVI cœpit, & Elaphebolionem, qui iniit XXII Februarii, ſoli Gamelioni & Antheſterioni locus eſt. Non XLVII. quippe Antheſterion Januarii XXII iniens arguit Gamelionem Decembris XXV cœpiſſe ante τροπάς. Ut autem evidentiora ſint omnia, ſubjiciam eruditi lectoris oculis quatuor annorum typum; in quo menſes iis ex aſtronomicis obſervationibus ordinantur.

Tabula

Tabula annorum quatuor primæ periodi Calippi, cum Neomeniis menſium Atticorum Julianis menſibus attributis.

	Menſes Attici	Annus Calippi 36 Per. Jul. 4419	Annus Calippi 37. P. J. 4420	Annus Calippi 47 Per. Jul. 4430	Annus Calippi 48. Per. Jul. 4431
1	Ἑκατομβαιών	Julii I	Junii XXI	Junii XXIX	Junii XIX
2	Μεταγειτνιών	Julii XXXI	Julii XXI	Julii XXIX	Julii XIX
3	Βοηδρομιών	Auguſti XXIX	Aug. XIX	Aug. XXVIII	Aug. XVII
4	Μαιμακτηριών	Septem. XXVIII	Sep. XVIII	Sept. XXVI	Sept. XV
5	Πυανεψιών	Octob. XXVII	Octob. XVII	Octob. XXV	* Octo. XV
0	Ποσειδεών α	0	Nov. XVI	0	Nov. XIV
6	Ποσειδεών β	* Novemb. XXVI	Decemb. XVI	Novem. XXIV	Decem. XIII
			Per. Jul. 4421		*Per. Jul.* 4432
7	Γαμηλιών	Decemb. XXV	Januar. XIV	Decemb. XXIII	Jan. XI
		Per. Jul. 4420		*Per. Jul.* 4431	
8	Ἀνθεστηριών	Januarii XXIV	Februa. XIII	* Janua. XXII	Feb. X
9	Ἐλαφηβολιών	* Februarii XXII	Martii XIII	Febr. XX	Mar. XII
10	Μουνυχιών	Martii XXIV	Apr. XII	Martii XXII	April. XI
11	Θαργηλιών	Aprilis XXII	Maii XI	Apr. XX	Maii X
12	Σκιρροφοριών	Maii XXII	Junii X	Maii XX	Junii IX

Hæc tabella annorum quatuor deſcriptionem exhibet. in quibus Hecatombæonis Neomeniæ, ceterorúmque menſium ex obſervationibus aſtronomicis partim χονδρικῶς conſtitutæ ſunt; partim ex certiſſima anni Attici ratione. Poſideon intercalaris eſt menſis; uti paullò antea probatum eſt. Sed in duobus tantùm Calippicæ periodi, nempe 37, & 48, fit intercalatio. In reliquis ad Poſideonem β′ Neomeniam adſcripſimus. quia ex ambobus iſte ordinarius eſt: Poſideon autem α′ intercalaris, & extraordinarius. ideo locum in annis ſimplicibus non habet. atque hoc nota ο′ demonſtrat. Hecatombæonis Neomeniæ ferè cum Calippicæ periodi tabula congruunt, quam lib. II de Doct. temp. cap. XX propoſuimus: præterquàm in anno XLVII Calippi. Nam hîc Junii XXIX, illìc XXX, Neomeniam Hecatombæonis attribuimus. quoniam hoc loco civilem ordinationem, iſtîc verò aſtronomicam tenemus. Aſteriſci porrò ad eos menſes poſiti ſunt, quibus obſervationes competunt.

CAPUT III.

De Mæmacterione menſe, ubi Pliniani Exercitatoris deſultoria levitas ex eo ipſo, quod attulit, argumento miro modo convincitur. tum in reliquis menſibus error ejuſdem.

SUPEREST ut è ſuperiore tabella, quod polliciti ſumus, Solinianum commentatorem doceamus illo ipſo, quod contra ſe, nóſque attulit, argumento, contrariæ opinioni patrocinari. Anno, ait, Calippicæ periodi XLVIII, Pyanepſionos XXV, Luna cum Spica conjuncta fuit ante Solis ortum, die Decembris IX, anni Per. Jul. 4431. Hic eſt annus in tabella ſuperiore quartus. quo Pyanepſionis Neomenia conjicitur in Octobris XV. uti poſtulat ejus XXV dies in VIII Decembris, & XXVI in nonum incidens. Non fuit hic annus embolimæus, uti cap. ſuperiori demonſtravimus ex eo, quòd Antheſterion anni antecedentis, qui menſis octavus erat, Neomeniam habuit Januarii XXII. Itaque Gamelion cœpit Decembris XXIII; Poſideon Novembris XXIV. Non igitur intercalatio facta eſt. quod cùm accidit tum Gamelion poſt τροπὰς incidit. Proinde neceſſe eſt Hecatombæonis Neomeniam incurriſſe in Junii XIX diem. A die Junii XIX ad Octobris XV, qua Pyanepſion iniit, interjecti ſunt dies 118, quæ ſunt lunares ſyzygiæ integræ quatuor. Si Pyanepſion quartus eſt, ab Hecatombæonis Neomenia ad illius initium, ſive ad finem Boedromionis, dies ſunt completi 89. qui deſinunt Septembris XIV. Quid ergo fiet diebus reliquis XXX, qui à XV Septem. ad XIV Octobris, ſive initium Pyanepſionis extenduntur? Quid ais Criticorum columen? Dic ſodes aliquem, dic Quintiliane colorem. & huic argumento reſponde, ſi potes. Antheſterionis Neomenia anno Calippi XLVII, Per. Jul. 4431 cœpit Januarii XXII. ſi Pyanepſion quartus eſt ab Hecatombæone, octo lunares menſes ab initio Antheſterionis ad initium Pyanepſionis evoluti ſunt. Sunt autem dies 236. A ſecundo & viceſimo Januarii ad XIV Octobris, qui proximus eſt ante Neomeniam Pyanepſionis, dies ſunt 266, hoc eſt triginta ampliùs, quàm ratio poſtulat. Aut igitur novus aliquis fabricandus eſt menſis, qui in vacuos iſtos dies inferciatur; aut ad priorem tuam, hoc eſt meam cum Gaza ſententiam recipere te debes; quam inconſultè poſteà damnaſti.

Viderat hanc labem doctrinæ ſuæ, opinioníſque, quam ex eo mutuatus es, *ſummus tuus* Scaliger: & ut illi ſuccurreret, certam rationem excogitarat, quæ nec illi commodè ſucceſſit; & tu eam tibi argumentatione tua præcluſiſti. Duplex enim genus anni Athenienſibus tribuit, unum populare, ac neque ad Lunam, neque ad Solem deſcriptum, dierum CCCLXII: alterum lunare, quod πρυτανείας vocavit, quo magiſtratuum tempora diſpenſabantur. ad hoc genus anni pertinere credit Octaëteridas, Enneadecaëteridas, ac Metonis, & Calippi periodos lunares. In anno populari, & in Octaëteride, ac Metonis periodo intercalarium menſem fuiſſe Poſideonem aſſerit. in Calippica verò Scirrophorionem. Tu iſto qualicumque præſidio uti non potes; niſi nugas iſtas anni Attici æquabilis amplectèris; cujus etiam patronum te fore promiſiſti; & nos promiſſi tui fidem olim expectamus. Atqui ne hoc tibi quidem integrum feciſti, ut eò poſſes confugere. Cùm enim de menſium Atticorum civilium ordine argumentum ex anno lunari Calippico πρυτανείας contra te meque ſumpſeris; hunc eumdem civilem fuiſſe fateri cogeris. alioqui nihil argumentatione tua proficeres: neque conſequens foret quod tu vis, Pyanepſionem Atticum Octobri menſe cœpiſſe, quoniam in Calippi periodo hunc ſitum habebat. Agitur enim civilis annus non aſtronomicus. Sed cùm validiſſimum inde telum pro tua poſteriore ſententia confici credideris; id civile genus anni debes agnoſcere; atque hoc pacto in eas te ſalebras impoſuiſti, ex quibus explicare te nulla tua Vocabularia poterunt. Quæ iisdem ratio contra Scaligerum valet: qui ex Calippica periodo de civilium ordine menſium argumenta tranſtulit.

Opinio Scaligeri de anno duplici refutata.

Sed abſurdiſſimam præterea hanc eſſe conjecturam, neque alterum, quàm Poſideonem intercalarem fuiſſe,

Poſideon ſolus intercalaris fuit.

præter ea, quæ capite ſuperiori commemorata ſunt, id unicè perſuadet. Geminus quippe cap. VI ſcribit Calippum in embolimorum ratione nihil omnino mutaſſe. τῇ ἢ τάξει τῶν ἐμβολίμων ὁμοίως κέχρηται. *eodem ordine embolimorum eſt uſus.* Hoc verò in Scaligeriana, ad quam transfugis, ordinatione Calippicæ periodi fieri non poteſt: ſi & Scirophorion embolimus eſt; & anni Attici metæ ſunt octavus Julii dies, quod peræquè aſſeris. Unde in Scaligeri deſcriptione Metonica periodus intercalares annos à Calippica diverſos habuit. quod quidem ex hoc Gemini loco redarguimus in ſecundo de Doctrina temporum. Nam Metonem ποσειδεῶνα intercalaſſe Scaliger fatetur. Proinde ſi nihil in embolimorum ratione mutavit Calippus, eumdem prorſus intercalavit.

Plin. Exerc. p. 313. C. & 314. B.

Ut à Mæmacterione deinceps tranſeamus ad reliquos, in quibus infinitè patet hic error: ſcribit Solinianus Exercitator Hecatombæonem numquam τροπὰς æſtivas anteceſſiſſe, ut neque Gamelion hibernas. eas verò τροπὰς non Solſtitia eſſe, ſed VIII Julii diem, & Januarii VII. Quod adeo verum illi videtur, ut ex eo de Poſideone contra nos firmiſſimè argumentari ſe putet; quem etiam poſt τροπὰς ſæpè incepiſſe non dubitat. Sed annorum quatuor tabella vanitatem opinationis illius aperit. Nam Hecatombæon in tribus annis Junio menſe initium habuit; in primo, Calendis Juliis ante τροπὰς commentitias. quod quidem in anno ipſo, ex quo Solinianus Exercitator argumentatus eſt, inſigniter contigit. Nam Junii XIX cœpit Hecatombæon viginti ante τροπὰς illas diebus. Sic in anno Nabonaſſari CCCLXVII, Archonte Evandro, quo Poſideone priore Luna defecit, Decembris XII, quoniam Poſideon cœpit Novembris XXVII, Hecatombæon ſecundo Juliis iniit. Quippe Scirophorione antecedente alia defectio incidit Junii XVIII die. quod utplurimùm XVI die à Neomenia contingit.

Pag. 313. D.

Ptolem. lib. IV, cap. ult. pag. 106. Gr. edit.

Jam in Gamelione non minùs tenetur. Hic enim anno XLVII Calippi, quo Antheſterion inchoatus eſt Januarii XXII, cœpit Decembris XXIII. & anno XXXVI Calippi Decembris XXV. longè ante VII Januarii, hoc eſt illorum τροπὰς. Sic in Metagitnione, ac ceteris omnibus menſibus par eſt hallucinationis, reprehenſioniſque materia. De Elaphebolione verò, ac Poſideone quid dicam, in quibus præcipuè Salmaſium harum litterarum ſenſus, & ratio ipſa defecit? Ac de Poſideone paullò pòſt. Elaphebolionem ait *Martium & Aprilem dividuos habere, & primum fuiſſe menſem poſt æquinoctium vernum.* Atqui plerumque ne Aprilem quidem attigit. poſt æquinoctium verò numquam cœpit omninò, ſi primus poſt Solſtitium fuit Hecatombeon. Certè tabella bis Februario initium Elaphebolionis exhibet, idque die XX, ac XXII. bis in Martio, nimirum XII, ac XIII. Poſt æquinoctium cœpiſſe numquam oſtendes; maximè poſt æquinoctialem tuum cardinem, quem itidem, ut in Solſtitialibus facis, ab veris æquinoctiis removere, & Aprilis Cal. ſtatuere debes.

Plin. Exerc. pag. 314. A.

C A P U T IV.

De Poſideone menſe multiplex, & incredibilis hallucinatio Salmaſii. Propugnantur quæ in Epiphanianis Animadverſionibus de eo menſe tradita ſunt contra Scaligerum.

POSIDEONEM menſem Scaliger lib. I de Emend. ſemper poſt brumam incipere ſcribit, ac Januario reſpondere. Hunc errorem ſine controverſia maximum in Animadverſ. ad Epiphanium, & in lib. I de Doctrina temporum abundè confutavimus. Qui inſuper ex tabella capite II hujus libri propoſita, atque ex Aſtronomicis obſervationibus pleniſſimè refellitur. Nam in annis omnibus Poſideon ſemper ante τροπὰς incipit: in duobus etiam Novembri cœptus ante medium Decembrem abſolvitur. Quocirca tantum abeſt, ut poſt Solſtitium brumale ſemper Poſideon inierit; numquam ut niſi ante id tempus inceperit. Hoc minimè quidem dubium eſt, ſæpè in Januario deſiiſſe, póſtque brumam. Sed eam numquam antevertit. Itaque menſis ille πρὸ τροπῶν ponitur propter initium. Gamelion verò μετὰ τροπὰς: quia ſæpiùs poſt eas inchoatus eſt; tametſi paucis diebus nonnumquam anteverteret.

Hæc; ſi inſcitia, vel pervicacia deſit; facilè perſuadebunt argumenta omnia, quæ duobus illis in locis, atque hoc ipſo libro diſputavimus. Sed utraque illa veritatis inimica labes ita Soliniani Exercitatoris occæcavit animum, ut neque quid ſcriberet, neque contra quæ diceret; neque quid ratio, communiſque ſenſus eſſet, prorſus intelligeret. Ejus verba; quia credibile vix erit tantum ab ullo capite erroris eſſe commiſſum, hîc primùm deſcribam. *Multis*, inquit de me loquens, *contendit ad Epiphanium ſuum*, Ποσειδεῶνα *incidere ante Solſtitium hibernum*, Γαμηλιῶνα *verò poſt Solſtitium. quo nihil falſius*, &c. Id ut deinceps arguat age videamus. *Si primus*, ait, *menſis Hecatombæon poſt ſolſtitium æſtivum incipit, neceſſe eſt, ut* Ποσειδεὼν, *qui ſextus eſt, poſt hibernum ſolſtitium incipiat, aut ſaltem in id ſolſtitium incidat, ſi menſes lunares intelligimus. Hoc niſi eſſet, ſequeretur ſex menſes integros, & exactos inter utraſque* τροπὰς *intercedere. Quod an fieri poſſit ipſe viderit.* Hunc illius in locum fortè cùm incidiſſem, fateor bis térve intentis animis, oculiſque repetiſſe; dubitantem quid iſtuc rei tandem eſſet; ac verentem ne quid altioris ineſſet ſenſus, quod me inter legendum fortè præteriſſet. Non enim rebar abnormem, & abhorrentem adeo ſententiam venire cuiquam in mentem, aut inter ſcribendum excidere potuiſſe. Nam quid tandem iſtud obſecro eſt? Quia poſt τροπὰς Hecatombæon incidit, Poſideon, qui ab eo ſextus eſt, poſt hibernum Solſtitium incipiet, aut ſaltem in id Solſtitium incidet. Fac me ſentire tecum, & cum Scaligero; ac numquam ante τροπὰς Hecatombæonem inchoatum eſſe credere. quod tamen acerrimè negamus. Sed detur hoc interim. Num tu inde colliges umquam, eum menſem, qui ſextus ſit poſt hibernas τροπὰς incepiſſe? Cadere quidem in τροπὰς illius partem, & ultra ipſas etiam effundi poſſe, neque negatum eſt aliquando, & omnibus in locis affirmavimus. quod tu tamen nobis parùm pudenter affingis. Relege quæ in Animadverſionibus ad Epiphanium: quæ in lib. I de Doctrina temporum ea de re ſcripſimus. bellè à nobis ac conſtanter id eſſe dictum animadvertes. Potes eodem tu modo illa præſtare, quæ adeo nos ob id unum miratos eſſe diximus, quòd ſint non litterati dicam hominis, ſed hominis ſenſu propemodum indigna? *Niſi*, inquit, *Poſideon poſt τροπὰς, aut in eas incideret, ſequeretur ſex menſes integros & exactos inter utraſque τροπὰς intercedere.* Quid? túne aliter ſentis? Computa ſi potes per digitos tuos, ac vide quod inter τροπὰς utraſque interjectum ſit ſpatium. Ab æſtivo Solſtitio dies ſunt ex Alphonſinis ad hibernum 182, horæ 14, 55′. Ex Tychone totidem. Sex menſes integri Lunæ dies colligunt 162, horas 10, 2′. Diſcrimen amborum dies 20. horæ 4, 53′. Satin' igitur apud te eras cum pro magno abſurdo nobis objiceres, ſequi ex opinione noſtra ſex inter utraſque τροπὰς menſes intereſſe? Atqui dies etiam ſupra ſex menſes viceni redundant, & eo ampliùs. Quid hoc ænigmatis ſit, ſodes explica.

Plin. Exercit. p. 113. D.

Salmaſii inuſitatus error.

Similis huic tota reliqua Exercitatione æſtus hominis in id unum intenti, ut jure, an injuria reprehendat alios, cùm quid reprehendere velit omninò neſciat. Nam quò tandem illius omnis contra nos de Poſideone diſputatio? Ait, negat, negatur, ac ſecum tota oratione pugnat.

Dixeram ex Ariſtotele planum eſſe Poſideonem ante τροπὰς incidere: quia de Thynnide ſcripſit lib. V, cap. IX, primùm illius partum circa Poſideonem ante τροπὰς contingere. Contrà Exercitator excipit; *non inde colligi totum* Ποσειδεῶνα *ante τροπὰς fuiſſe.* Quis enim hoc dicit? Nuncubi ſcripſi *totum ſemper ante τροπὰς incidiſſe?* Hoc remoto, quid tibi vis? Partem dico Poſideonis interdum ante τροπὰς, partem poſt eas incurriſſe. Diceres ſaltem; ſignificare me Poſideonem integrum ante τροπὰς deſiiſſe nonnumquam. Hoc enim diſtamus uno. Tu numquam citra τροπὰς terminatum ais; ſed Januarii optimam etiam occupaſſe partem. ego interdum τροπὰς antevertiſſe totum aſſero. Utrius opinio verior ſit, judicem te hominem aſtronomiæ peritiſſimum, cum ſummis aſtronomis facio, ac tibi è capite ſecundo antecedente tabellam offero.

Atenim ita ſcribo: *Poſideon ante Solſtitium, Gamelion poſt Solſtitium. ergo Solſtitium inter Poſideonem & Gamelionem. Peream*, addis, *ſi ſciam quid velit.* Noli tibi imprecari,

Plin. Exerc. 314. A.

precari, quo fortaſſe dignus es. Sed heus tu! cujus verba iſta ſunt? Non enim noſtra ſunt. neque dixiſſe me umquam memini, inter Poſideonem & Gamelionem medias τροπὰς aut perpetuò fuiſſe, aut ſic fuiſſe, ut utrumque ſepararent. Hoc unum in Animadverſionibus leges? Cùm Scaliger Poſideonem poſt τροπὰς perpetuò cœpiſſe vellet; Ariſtotelis, ac Theophraſti teſtimonia retuli duo: quorum ille, περὶ τὸν Ποσειδεῶνα περὶ τροπῶν parere aiebat Thynnidem: iſte ſementis tempus alterum Gamelione eſſe dicebat μετὰ τὰς τροπάς. Ex iis ita conclusi: *Incidit igitur Poſideon ante ſolſtitium hibernum, Gamelion poſt Solſtitium.* Si Dialecticus eſſes, non quæreres quæ vis ſit illius conſequentiæ. Etſi non Dialectica; ſed ratione, ne ea quidem ſumma, ad id eſt opus. Quis enim præter te non videt, ex iis ambobus locis neceſſariò ſequi Poſideonem ante τροπὰς initium habuiſſe, Gamelionem poſt τροπάς; Id néone fuerit; atque utrum nullo interjecto medio Gamelion τροπαῖς ſucceſſerit, quod tu ſcripſiſſe me facis, ne littera quidem attigi. Imò ante τροπὰς interdum cœpiſſe; Poſideonem numquam poſt τροπὰς iniiſſe, repeto iterum, ac te contra ſentientem errare defendo.

[Anim. in pag. 137.]

[Theophr. lib. VII, cap. I.]

Scaligeri autem verba, quibus illud de Poſideone refert, iſta ſunt ex lib. I de Emend. Temp. *Quòd ſi Poſideon eſt Januarius, ut ſanè omninò verum eſt, cùm Poſideon ſemper poſt brumam inciperet.* Vides cur ego Poſideonem ante τροπὰς cœpiſſe ſemper meritò ex Ariſtotele probaverim; ac non ipſum, ſed Gamelionem eſſe, cui poſt τροπὰς ſæpè locus eſſet ineunti.

CAPUT V.

Occurritur argumentis omnibus, quæ Salmaſius contra noſtram, ac ſuam adeo priorem ſententiam attulit. Procli locus malè ab ipſo tractatus exponitur. Mæmacterion quomodo hibernus fuerit. Harpocration illuſtratur.

NUNC quibus argumentis ſententiam noſtram; imo ſeipſum, Solinianus Exercitator oppugnet, age videamus. tametſi ad omnia jam alibi reſpondimus. Nihil enim ille novi contulit in cauſſam: ſed à Scaligero univerſa deſcripſit. Verùm erit in iis repetendis uberiùs iſta declarandi non inutilis labor.

[Argumenta, quibus nititur Plin. Exercit. p. 735. B.]

Primùm ex occaſu Vergiliarum concludit Pyanepſionem proximè Boëdromioni ſuccedere. Nam Plutarchus auctor eſt illo menſe Vergilias occaſum matutinum facere. Porrò Boëdromion in Libram, & circa æquinoctium ſæpè incidebat. at Vergiliæ occidebant paullò poſt æquinoctium. Quòd ſi Julius Cæſar, inquit, occaſum earum contulit in tertium Eidus Nov. nihil hoc obſtat. Nam & Pyanepſion Novembris partem occupabat. Ad hæc Pyanepſion menſis à Plutarcho σπόριμος appellatur; & in eo τὰ προηρόσια celebrabant, hoc eſt ſacra, quæ ante ſationem fiebant. Locus eſt Plutarchi in Tract. de Iſide, & Oſiride. Ἐν ᾗ δὲ μηνὶ ὁ ἥλιος περὶ Πλειάδα σπόριμος ὃν Ἀθὺρ Αἰγύπτιοι, Πυανεψιῶνα δ' Ἀθηναῖοι, Βοιωτοὶ δὲ Δαμάτριον καλοῦσι. *Eſt hic menſis circa Vergilias ſationi dictus, quem Athyr vocant Ægyptii, Athenienſes Pyanepſionem, Bœoti Damatrium, id eſt Cerealem.* Ad hæc facilis eſt, atque expedita defenſio. Nam cùm Boëdromion ſæpenumerò Auguſto menſe initium haberet, atque in Septembri deſineret; inde ad occaſum Vergiliarum locus erat integro menſi, & eo etiam amplius. Geminus auctor eſt ex Calippi definitione Vergilias occaſum facere in parte Scorpii XVI; ex Eudoxo verò in XIX: Euctemonem in XV ſtatuiſſe. Itaque dies, ut minimùm XLV, aut etiam XLVI, vel XLIX ab æquinoctio ad Vergiliarum exortum intercepti ſunt. in quibus Mæmacterion collocari poteſt. Etenim ſi, ut argumentatur Exercitator, ante Vergiliarum occaſum ſationem, & arationem non attigère Veteres; neque priùs, quàm προηρόσια ſacrificaſſent, hoc eſt antequam Pyanepſion veniſſet, in quem feſtum illud cadebat: evidens eſt hunc ipſum in Novembrem circiter incurriſſe menſem. quod & Plutarchus affirmat, cùm ait hunc menſem eumdem eſſe cum Athyr. Eſt autem menſis hic Athyr Actiacus, & fixus; qui totus ferè Novembrem occupat. Nam XXVIII Octobris incipit. Cùm autem Actiacum aliquem menſem cum Romano Plutarchus, aliique componunt, cum eo conferre ſolent, in quem majori parte congruit. Sic enim Thoth aiunt eſſe Septembrem; Paophi Octobrem, & ita reliquos. Hinc apparet Pyanepſionem præcipua ſui parte Novembri competere. Quare cùm Boedromion Septembri potiſſimùm aſſignetur, inter hunc, & Pyanepſionem medius aliquis inſerendus eſt. Is erit Mæmacterion. Adeatur tabella menſium Atticorum ὑποδειγματικῶς digeſta. Boëdromion Auguſto menſe in annis omnibus incipit, ejúſque XVII, XIX, XXVII, & XXIX. Qui procul dubio in Septembri terminabitur ante æquinoctium, aut in ipſo cardine. At Vergiliarum occaſus, ut tum Græcia putabat; ad dies poſt æquinoctium XLIX, ſeu XLVIII pertinebat, nondum adventante Pyanepſione. Neceſſe eſt ergo Mæmacterionem intercedere, & litteratorem ſilere. cujus tantum eſt acumen, ut quæ ſibi vehementer obſunt, ea pro ſe commemoret. Profectò enim, ſi Pyanepſione menſe Vergiliæ occidunt, non poteſt is Boedromioni proximè ſubjici, neque quartus eſſe menſis ab Hecatombæone: quia quartus menſis ſæpiùs ante Vergiliarum occaſum deſinit. quintus erit: quod in eum ſemper earumdem occaſus incurrat.

[Solvuntur.]

Atque hoc inſuper ex anno illo, quo ad Arbella Darium vicit Alexander, firmiſſimè demonſtratur. Hoc enim anno Lunæ defectio memorabilis accidit circa Myſteriorum initium, undecim diebus ante victoriam, ut auctor eſt Plutarchus, oriente in Sicilia Luna, ait Plinius lib. II, cap. LXX. Tempus extra controverſiam fuit Septembris XX, feria II, ſequente III, anno Periodi Jul. 4383. Hic menſis Boëdromion erat: cujus XVI die myſteria celebrabantur, ut aliàs oſtendimus. Quocirca Boedromion iniit Septembris VI: quem ſi proximè Pyanepſion excepit, ejus Neomenia convenit in Octobris VI; ac deſiit Novembris tertio, ante Vergiliarum popularem occaſum, cui Exercitator ipſe ſuffragatur. Falſo itaque Pyanepſionem, quem & eſſe σπόριμον μηνῶν, & Vergiliarum occaſum exhibere putat, ante utrumque repræſentat. Sed in Ptolemaicis exemplis, & ſuperiore menſium tabella eadem abſurditas, atque Exercitatoris ἀκρασία vehementiùs apparet. Nam quoties Boedromion in Septembri finiebatur; quod non raro contigit; Pyanepſion in Octobri longè ante Vergiliarum occaſum, & ſationis tempus deſinebat.

Ex hoc verò Plutarchi loco, & hiſtoria Lunæ circa myſteria deficientis, Scaligeri, ac Soliniani Exercitatoris hallucinatio detegitur: qui Boëdromionis XX die myſteria definiunt. Hoc enim ſibi, & aliis pleriſque prior ille perſuaſerat: adeóque, ut videtur, iſti. Nam non ſemel hæc repetit; Eleuſinia ſacra Boëdromionis viceſima celebraſſe Atticos. quaſi ſolus hic dies ei celebritati dicatus eſſet. neque indidem errorem iſtum corrigere potuit, unde pro quinquennalibus, quod eum Scaliger docuerat; annua fuiſſe didicit; tametſi id, ut reliqua omnia φώρια ſua, ſtrenuè diſſimulet.

[Plin. Exercit. p. 735. A. & 750. A.]

Alterum litteratoris argumentum: Scribit Proclus Comment. in Heſiodum, Veteres temporiùs ſerere conſueviſſe, quàm poſteà factum ſit: idque apparere ex Eleuſiniis ſacris, quæ ob frugum ſationem inſtituta ſunt. ut propterea illo ipſo tempore terra obſeri ſolita ſit. Hinc Dialecticus noſter ita ratiocinatur. Si olim Boëdromione ſerebant; poſteà tardiùs id fecerunt: igitur Pyanepſione. íſque adeo à Boëdromione proximus eſt? Futilis & vana ratio. Diceret potiùs; ergo in tertium menſem rejecta ſatio. Nam cùm myſteria circiter viceſimam Boedromionis deſinerent, aut etiam tardiùs, ſi, ut quidam opinati ſunt, novem id feſtum diebus agebatur; nulla omninò poſterioribus ſæculis tarditas ſationis major eſſet, ſi non ultra proximum menſem rejecta fuiſſet. Nam & olim, ſi poſt Eleuſinia ſtatim opus aggrederentur, non tam Boedromione, cujus pauci dies ſupererant; quàm ſequenti menſi imputanda fuit ſatio. Vel hoc igitur argumento vincimus, inter Boëdromionem, & Pyanepſionem, in quem ſatio tranſlata eſt, medium aliquem exſtitiſſe. Quid infelicius hoc Critico, qui quid ex argumentatione ſua conſequens eſſet, non viderit?

[P. 749. E.]

Nihilo commodioris indolis fuit illa Procli caſtigatio. Cujus cùm teſtimonium de ſationis maturitate apud Veteres citaſſet, idipſum ſubinde refutavit; nec enim probabile eſſe dixit mutatum ab Atticis poſterioribus tempus ſationis, quod tanta ſacrorum religione dedicatum eſſet. Ob id hallucinatum ait eſſe Proclum, qui Theſmophoria pro Eleuſiniis acceperit. Nam illa Pyanepſione

[Pag. 750.]

peracta ſunt, hoc eſt proximo à Boëdromione menſe. Huic conjecturæ proximè antecedens diſputatio præſcribit. Non enim proximo à Boëdromione menſi tributa ſatio tardior ac dudum exiſtimari potuit.

Proclus explicatur.

Quamobrem aliter de Procli ſententia, déque omni feſtorum Atticorum ratione pronunciandum videtur. Etenim, ut capite II diximus, vetuſtiſſimis ſæculis in Attica, Græciâque non eadem anni menſiúmque diſpoſitio, quæ poſteriori tempore fuit. Nam ut imperiti erant accuratioris aſtronomiæ plerique, menſem Lunæ tricenis diebus, annum lunarem CCCLX circumſcribebant. Itaque magna tunc anni, ac menſium perturbatio fuit; cui dierum exemptione, vel additione identidem occurrebant. Ex quo conjectura facilis eſt, feſta Græcorum, quæ quidem certis erant illigata menſibus, ab iis, in quas conjecta erant, anni tempeſtatibus paullatim aberraſſe.

Cujus rei ex Romanorum exemplo capi ſimilitudo poteſt. Primùm enim Februarius apud illos menſium ultimus fuit; in eóque Terminalia celebrabantur, Paullò pòſt Februarius in ſecundum rejectus ordinem: Terminalia ultima eſſe deſierunt. Poſt hæc mira quædam, ac diuturna menſium reciprocatio fuit, & confuſio. donec longo intervallo Cæſar animum ad caſtigationem adjecit. Utrobique feſta vetera ad eoſdem, in quibus erant inſtituta, menſes adhæſerunt: non eaſdem tamen anni tempeſtates. Sic apud Atticos olim Boëdromion, quando inſtituta primùm Eleuſinia ſunt, ad ſementivum tempus deſcenderat. Inde paullatim in anteriora ſummotus extra priſcos cardines hæſit cum ſolennibus ſuis. Dici hæc longè probabiliùs, quàm quæ ipſe falſò ſuſpicatus eſt, ne Solinianos quidem Exercitator inficiari poterit. Nam quòd in menſe Pyanepſione τὰ σπερμεῖα, ac ſementiva ſacra poſtea defixa ſunt, cùm ultrò citróque decurreret; ea videtur cauſſa fuiſſe, quoniam in eum perpetuò Vergiliarum occaſus, & arationis tempus incidebat. Mæmacterion verò, licèt interdum in eamdem ſerendi, & arandi tempeſtatem deſineret, ſæpè tamen antevertebat. Quòd ſi proximè poſt Boëdromionem Pyanepſion ſuccederet, ob eam ipſam cauſſam delectus ad illa ſacra, & arationis initia non fuiſſet. Ex illa priori obſervatione veteris anni Attici, ac menſium trajectione, poteſt illud explicari, quod ex Plutarcho in vita Theſei lib. I de Doct. Temp. nobis objecimus. Nam refert ille Pyanepſione menſe τὰ ὠσχοφόρια celebrari, ob eam rem, quòd Theſeus è Creta rediens *συγκομιζομένης τῆς ὀπώρας ἐπανῆλθεν, cùm autumnales fructus comportarentur.* Unde menſem hunc autumnalem fuiſſe conjectura non levis eſt. Verùm & in anno priſco, & abnormi ſæpè de ſua ſtatione menſes eſſe dimotos veriſimile eſt: & alioquin ordinato jam anno, atque ex aſtronomica ſcientia conſtituto, nihilominus Pyanepſion autumnalis eſſe potuit: ut cùm medium circiter Octobrem ineundo detinebat. Atenim Mæmacterion hibernus menſis erat, & in eo principium erat hiemis, ut ait Harpocratio. Quòd ſi quartus erat, hiems autumno cœpiſſet. Verùm ut mihi viciſſim reſpondeat hoc unum rogabo. Theſmophoria decimo ſexto die Pyanepſionis obiri mos fuit: ut Plutarchus in vita Demoſthenis refert. Ea verò hieme celebrata eſſe teſtatur Ariſtophanes in Θεσμοφοριαζούσαις. Nam ibi ſervus Agathonis de Theſmophoriorum tempore loquens ait:

——— αὐτὸς γὰρ ἔξεισι τάχα.
Καὶ γὰρ μελοποιεῖν ἄρχεται. χειμῶνος οὖν
Ὄντος κατακάμπτειν τὰς στροφὰς οὐ ῥᾴδιον
Ἢν μὴ προΐῃ θύραζε πρὸς τὸν ἥλιον.

Agathonem poëtam hymnos ſcripturientem foras ad Solem prodire dicit, quòd cùm hiems eſſet, non alibi, quàm ad Solem meditari iſta poſſet. Quæro, ſi Pyanepſion Septembri menſe Athenis incipiebat, quî tum hiems eſſet, ut Solis calore corpuſculum fovere opus habuerit poëta? In quo mirifica eſt, & ſanè pudenda Salmaſii conflictio. Qui cùm id mihi tamquam abſurdum oppoſuiſſet, ſi proximè à Boëdromione ſitus eſſet Mæmacterion, ſequi ex eo hibernum hunc fuiſſe menſem, propterea quòd Harpocration id Mæmacterioni tribuat; idem tamen pag 753 de hoc Ariſtophanis loco diſſerens, in quo Pyanepſionem facit hibernum, minimè id eſſe mirum ait, quoniam *Pyanepſion poſt Boëdromionem, & æquinoctium, quo menſe & Vergiliæ occidebant, & ſatio fiebat, & hiems incipiebat.* Quid de hoc homine ſtatuas qui cùm hiemem proximè ab æquinoctio menſe cœpiſſe ſentiat, *infrunitum* tamen eum vocet pag. 315, qui eum menſem Mæmacterionem eſſe dicat, quòd alioqui autumnalis menſis eſſet hibernus. *quo nihil*, inquit, *abſurdius fingi poteſt?*

Sed de Harpocratione faciliùs, ut ſpero, tibi, quàm de Ariſtophane tu mihi reſpondebis. Quod antequam facio, alia Grammatici ejuſdem verba conjungam, quæ Salmaſius è Scaligero produxit. Nam docet Harpocratio Mæmacterionem eſſe πέμπτον μῆνα. Nos cum Harpocratione primùm conferemus Epiphanium, qui Mæmacterionem quartum ab Hecatombæone ſecundùm Athenienſes collocat Hær. LI, Num. XXIV. Ibi enim Chriſtum ait natum eſſe Januarii VI, Mæmacterionis ſecundùm Athenienſes, VI. baptizatum verò Novembris VIII, Metagitnionis VII. Quare Mæmacterion erat Januarius, Metagitnion November. Igitur Hecatombæon Octobri, Boëdromion Decembri reſpondebat. Mira proinde in Attico anno mutatio facta eſt, quod anni cardinem ſpectat. Nam Hecatombæon à Solſtitio in æquinoctium deſcendit. Non dubium eſt, quod ad Epiphanium pluribus explicavimus, & in libro IV de Doctrina temporum, capite VIII, quin id acciderit poſtquam Athenienſes annum lunarem hactenus civilem Juliano, fixóque mutarunt. Tum enim Hæcatombæon tranſiit in Octobrem, cœpítque die illius tertio. quod initium ferè Antiochenorum fuit, quorum epocham pleræque deinde Græciæ civitates amplexæ ſunt. Hieronymus in cap. I Ezech. *Apud orientales enim populos, poſt collectionem frugum, & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus menſis, & Januarius quartus.* At Alexandrini annum ſuum ordiebantur à Septembri circiter, hoc eſt à XXIX Auguſti. quorum menſis quintus incidebat in Januarium. Suidas Harpocrationis verba deſcribens, ὁ Μαιμακτηριὼν, inquit, ὁ πέμπτος μὴν παρ' Ἀθηναίοις, ὁ Ἰανουάριος. mox appellationis originem exponit, ἀπὸ τοῦ μαιμάσσεσθαι, quòd aër turbidus fit. ἀρχὴν δὲ λαμβάνοντος τοῦ χειμῶνος ἐν τῷδε τῷ μηνὶ ὁ ἀὴρ ταράττεται. Eadem ſunt verba, quæ apud Harpocrationem leguntur, & mirificè conjecturam noſtram adjuvant, quam libro illo IV de Doctrina Temporum expoſuimus. Alexandrinus aliquis interrogatus quotus menſis eſſet Januarius, quintum utique reſponderet; quòd quintus ipſorum menſis Tybi cum Januario totus ferè conveniat. Ita nos Tiſri Judæorum, menſem appellabimus nonum; quòd is nonum à Januario ferè incidat. Sic poſtquam Hecatombæon in Octobrem derivatus eſt; Mæmacterion in Januarium: hic ab Alexandrinis, reſpectu ad populares ſuos menſes habito, quintus dicebatur. Fuit autem Harpocratio patria Alexandrinus. qui propterea videri poſſet quintum appellaſſe Memacterionem. Verùm quia præter Mæmacterionem, duorum inſuper aliorum menſium ordinem commemorans, Metagitnionis, & Anteſtherionis, rectè, atque ex Athenienſium veterum inſtituto eos collocat, poteſt id conjecturæ illius noſtræ fidem minuere. Tametſi cogitandum illud eſt, in Vocabularia iſta plerumque aliena multa, ac diverſa ſuper eâdem re velut in miſcellam confluere. quod in hoc loco eſſe factum, ex ſimili Suidæ ſuprà à nobis allato non vana fortaſſe ſuſpicio ſit. Jam quòd initium hiemis in eum menſem confertur, licet hoc biſariam accipere. Aut enim de vetuſtiſſimo ſtatu Attici anni id intelligendum eſt, eodem modo, quo paullò antè de Pyanepſione dictum eſt, déque Græcorum feriis. ut tum ἀπὸ τοῦ μαιμάσσεσθαι nomen ſortitus ſit, cùm in hiemis exordium caderet. unde poſtea revocatus eſt, anno lunari, civilique correcto. Aut ſi de recentiore, & ad Julianum modum defixo id interpretari libeat: quoniam plerique quatuor anni tempeſtates ab æquinoctialibus, & ſolſtitialibus cardinibus inchoant, poteſt eo ſenſo hiemis principium in Januario, & Mæmacterione collocari.

Poſtremò utcumque ſe Grammatici iſtius locus habeat, nos cum hoc uno, præter Epiphanium disertè quartum locum Mæmacterioni tribuentem, tot illa, quæ hactenus propoſita ſunt, argumenta, teſtimoniáque compenſabimus; præſertim quæ aſtronomica obſervatione, & demonſtratione conſtant. quæ ſunt ἀναντίῤῥητα.

ut ea prætermittam interim, quæ Gaza cap. V libri de menſibus, & nos ex eo lib. I de Doctrina Temporum adduximus. è quibus illud eſt, quod Solinianum quoque Exercitatorem in Gazæ ſententiam traxit. Etenim Ariſtoteles lib. VI Hiſt. cap. XII ſcribit coturnices uno menſe priùs migrare quàm grues, illas Boëdromione, iſtas Mæmacterione. Atqui grues proximo à coturnicibus menſe migrant. Idem Ariſtoteles lib. VI, cap. XI γαλεοὺς piſces ait ἄρχεσθαι ὀχεύεσθαι menſe Mæmacterione. quod ſtatim ab æquinoctio fieri à piſcatoribus didiciſſe ſe Gaza confirmat. Ad hæc Theophraſtus lib. IV Hiſt. Plan. cap. III refert κοκκυμηλέαν, prunum Ægyptiacam florere incipere μηνὸς Πυανεψιῶνος: fructum verò circa brumam perficere. Hoc idem Gaza dici narrat ab Ægyptiis circa ſecundum ab æquinoctio menſem incidere. At quartus ab Hecatombæone menſis numquam ſecundus poſt æquinoctium poteſt eſſe quoniam Boëdromion ſemper ante æquinoctium incipit: ut & lib. II de Doct. Temp. cap. XX monſtravimus. ubi Calippicam periodum ex Gemini auctoritate, & obſervationibus aſtronomicis ordinamus. Nam remotiſſima Neomenia Hecatombæonis circiter Julii XVII contigit. Itaque Boëdromionis ultimus dies ultra XIII Octobris non excurrit. Proinde Pyanepſion ſecundus eſt poſt æquinoctium: primus verò Mæmacterion.

Cùm hæc Gaza libro de menſibus aſſeveret, idem tamen Latinè Theophraſtum interpretans Pyanepſionem Julium reddit. quem errorem ceteri deinceps in ſuos commentarios tranſtulerunt; ut Ruellius, Mathiolus. Sed Octobrem deſinentem, & ineuntem Novembrem, par eſt intelligere. Hæc, & id genus alia etiam atque etiam conſideranda eſſe cenſui, antequam rejecta Gazæ opinione temerè ſecundùm Scaligerum de Mæmacterione pronunciemus. quorum pleraque diſſimulata ſunt à Scaligero: cui unicum dixi Harpocrationis locum verbis, ac ſpecie ipſa planè, ac disertè ſuffragari. cùm Gazæ ſententia longè pluribus, ac certioribus firmamentis innixa ſit.

CAPUT VI.

Agatharchidæ locus inſignis expenditur: in eòque Salmaſii error graviſſimus.

Pho. Excerpt. pag. 314.

RESTAT unus promemodum Agatharchidæ locus, ex eòque Diodori. in quo valdè ſe jactat Solinianus Exercitator; & quaſi confecta re gloriatur. Exſtat Agatharchidæ Cnidii fragmentum apud Photium, num. CCL, cujus in cap. LII, mira quædam de rubri maris, & Arabiæ felicis incolis narrantur. Inter alia, ſeptem urſæ ſtellas à menſe Mæmacterione, ad primam uſque noctis vigiliam non videri: Poſideone verò, uſque ad ſecundam. ἀπὸ γὰρ Μαιμακτηριῶνος, ὅς ἐστι κατ' Ἀθηναίους, οὐδεὶς ἀστὴρ τῶν ἑπτὰ φαίνεται μέχρι φυλακῆς πρώτης· ἐν δὲ Ποσειδεῶνι, μέχρι δευτέρας· ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς τῶν μηνῶν, κατὰ λόγον. *A Mæmacterione, quem Athenienſes agunt, nulla ſtella de ſeptem Urſæ apparet uſque ad vigiliam primam. Poſideone verò uſque ad ſecundam. In ſequentibus menſibus pro portione.* Diodorus hunc locum exſcripſit. Ex hoc Salmaſius convinci ait audaciſſimi reprehenſoris impudentiam, qui contra Scaligerum pertendere eſt auſus Mæmacterionem ante Pyanepſionem fuiſſe. Cujus in caput hæc convicia recidant, cap. I monſtravimus. Nam ipſemet in eadem eſt cauſſa Solinianus Exercitator. quippe non aliter pag. 181 de hoc menſe judicavit. Verùm ut impunè per nos ſtet illi deſultoria iſta levitas, cauſſæ nihil fuiſſe cur ἐν Πανὶ iſtic caneret; ac nihil hoc in doctrinarum genere homine iſto fieri imperitius poſſe, planiſſimè demonſtrabimus.

Fingamus primùm vera eſſe quæ de Arabici illius tractus miraculis refert Agatharchides; ac Mæmacterione menſe ſeptem Urſæ ſtellas *uſque ad vigiliam primam* non videri, hoc eſt non ante initium ſecundæ; Poſideone verò *uſque ad ſecundam*, utique deſitam, & ineunte tertia. quid ex eo tandem contra nos Solinianus commentator efficiet? Ait Poſideonem inde colligi ſtatim, & ἀμέσως Mæmacterionem ſubſequi, ſicut vigilia ſecunda proxima eſt à prima. Ego verò vel ex hoc ipſo loco contrarium evincam, inter Mæmacterionem, Poſideonémque tertium aliquem interjectum fuiſſe. Noctis, ut & diei vigiliæ ſunt quatuor. eæ ſingulæ ternas habent horas. Agatharchides in Arabia felice non apparêre ullam è ſeptenis Urſæ ſtellis ait uſque ad primam vigiliam, videlicet confectam. Non poteſt hoc de minore Urſa, quæ Cynoſura dicitur, accipi. Hæc enim in circulo Arctico, vel ἀειφανεῖ Arabiæ continetur. Quamobrem de ſeptem Helices ſtellis, ſive plauſtro intelligendum eſt, idque in extremo Arabiæ receſſu: ubi gradibus tredecim polus attollitur. Sumatur ex iis ſeptem ſtellis ea, quæ occidentalis maximè eſt, & prima omnium ſupra finitorem exerit ſeſe. Hanc Arabes *Dubben* nominant. Vixit Agatharchides Ptolemæi Philometoris ſæculo, qui regnare cœpit anno Per. Jul. 4533. Deligamus annum ejuſdem periodi 4550, ad quem ratiocinia dirigantur. Hoc anno ſita erat ſtella iſta in Cancri gradu 15, 4′. declinatio ejus grad. 71, 48′, ut lib. I hujus operis Canone XVIII, capitis III docuimus. Si Mæmacterione ineunte ſtella hæc orta demum eſt hora noctis circiter tertia, & interpoſitis diebus XXX, hoc eſt menſe proximè ſequente, orta eſt hora noctis ſexta, neceſſe eſt Mæmacterionis initio, gradibus aſcenſionalibus à Sole diſtiterit 135. Nam horæ ſingulæ, quas methodi cauſſâ æquinoctiales modò capimus, gradus 15 poſtulant. Ortus porrò illius horis novem Solis anteceſſit ortum. At Poſideonis initio, cùm hora noctis ſexta finitorem conſcenderit, gradibus Solis ortum præceſſit 90, quæ ſunt horæ ſex. Sequenti menſe κατὰ λόγον, ut ait Agatharchides, hoc eſt eadem proportione, tribus horis maturans exortum, gradibus tantummodò 45, ſive horis tribus ante Solem conſpecta fuerit. Quocirca ex mente, & interpretatione Salmaſii viri doctiſſimi, diebus triginta Sol gradus aſcenſionales abſolvit quinque & quadraginta in eo tractu, ubi polus gradibus 13 ſupra horizontem eminet, quod eſt portenti ſimile. Unum igitur interponi menſem neceſſe foret, ſi, quod Agatharchides ſcripſit, verum eſſet, à ſecunda ineunte vigilia noctis ad tertiam, ortum illius ſtellæ tranſitum feciſſe. Ac revera uno interjecto menſe, trium illud horarum ſpatium ſtella conficiens, ab una vigilia migravit in aliam: ſed id contrà atque Agatharchides putavit omninò contigit. Nam poſterior menſis non tardiorem, quàm prior, ſed celeriorem ſtellæ repræſentavit ortum. adeo quidem ut, duobus ſolidis menſibus inſumptis, tribus horis citiùs ineunte tertio menſe, quàm primo, ſtella ſupra horizontem conſcenderet. quod ex methodo Canonis XVIII cap. VI lib. I tradita paucis explicabimus.

Anno Per. Jul. 4550 Kalendis Septembris, Sol vero motu in gradu 4, 40′ Virginis ſitus erat hora ſexta matutina in meridiano Lutetiæ. Declinatio ejuſdem graduum 9, 50′. Differentia aſcenſionalis ad elevationem poli graduum 13, fuit 2, 18′. Aſcenſio recta Solis fuit grad. 156, 32′. obliqua 154, 14′. Porrò ſtellæ primæ τῆς ἁμάξης, id eſt *Dubben*, aſcenſio obliqua fuit grad. 78, 1′, eáque Solem antecedebat. Igitur ex Canone illo XVIII, differentia utriuſque aſcenſionis obliquæ, hoc eſt 76, 13′, in tempus converſa horarum 5, 5′, detrahenda eſt de arcu ſeminocturno 5, 53′, & relinquet horam 0, 48′ ab media nocte, ſive ab initio noctis, 6, 41′. quæ eſt à meridie diei ultimæ Auguſti hora 12, 48′. Quare tertia noctis ineunte cuſtodia ſtella iſta conſpecta eſt.

Eodem anno Kalendis Octobris Sol in grad. 5, 1′ Libræ verſabatur hora itidem ſexta poſt noctem mediam in Pariſino meridiano. Declinatio ejuſdem grad. 1, 54′, 2″. Aſcenſio recta 6, 4, 22′. Obliqua 6, 4, 49′. ſive grad. 184, 49′. Differentia hujus & obliquæ aſcenſionis ſtellæ, grad. 106, 48′, quæ ſunt horæ 7, 7′. Eæ verò ſubductæ de horis 12 nocturnis relinquunt horam 4, 53′ ab ineunte nocte, ſive horam 10, 53′ à meridie antecedente. Proinde dimidia vigilia ſecunda jam elapſa ſtella hæc apparuit.

Item anno eodem Kalendis Novembris ortum fecit hora 3, 9′ ab initio noctis. Kal. Decemb. hora 1, 25′ ab eodem noctis initio. uti lib. I, cap. III Canone XVIII jam expoſuimus. Igitur ſingulis menſibus exactis hora dumtaxat una, & minutis minùs 50′ oriendi tempus antevertit. quod in ſubjecto diagrammate liquet.

Diagramma ortus ſtellæ primæ in plauſtro Helices, quæ Dubben *vocatur, anno Per. Jul.* 4550, *in extremis Arabiæ Felicis finibus.*

	Horæ à meridie antecedente	Horæ ab initio noctis	Anticipatio ortus
Kalendis Septembris orta eſt	12, 48′	6, 41′	
Kalendis Octobris	10, 53	4, 53	1, 48′
Kalendis Novembris	8, 57	3, 10	1, 43
Kalendis Decembris	7, 5	1, 25	1, 45

Vides in hac deſcriptione ſtellam iſtam non, ut Agatharchides falsò prodidit, in poſterioribus menſibus tardiùs oriri, quàm in antecedentibus; ſed celeriùs. neque verò ab una φυλακῇ ad alteram menſtruo intervallo migrare, ſed uno interpoſito menſe; hoc eſt non à primo ad ſecundum, ſed à primo ad tertium, horas tres de ortus tempore decedere. contrà quàm Salmaſius harum rerum peritiſſimus opinatur. Sic Agatharchides ἄνω ποταμῶν, quod aiunt, pro ſequentibus menſibus antecedentes uſurpavit.

Ac ſi nihilominus fingeremus ita rem habuiſſe, ut Agatharchides ex Salmaſii interpretatione docet, hoc eſt proximè ſequenti menſe ſtellam tribus horis tardiùs ortam eſſe; nec non Solem diebus XXX aſcenſionalia tempora 45 obiiſſe: quod divini Critici commentum eſt: ne ſic quidem cauſſam ſuam obtineret, ut propterea Mæmacterioni proximè ſubjiciendus eſſet Poſideon. Nam Agatharchidæ verba ἀπὸ Μαιμακτηριῶνος, ſic explicare fas eſſet, ut ſit *poſt Mæmacterionem*, eóque finito: nempe Pyanepſione labente. Etenim particula ἀπὸ excludendi plerumque vim habet. Ut apud Galenum in illo loco, quem libro hujus operis IV, cap. XII deſcripſimus ex Comment. ad I Epidem. καὶ ποσούμενον τοῦ ἔτους ἀριθμηθέντων τῶν ἐτῶν, ἐν τῷ δ΄ τὸ τρίτον ἀπὸ τοῦ δ΄ μηνῶν δυοῖν, καὶ τελοῦντι ἡμερῶν. Tertium menſem ait in anno Juliano, à quarto Juliani luſtri die uno biſextili auctum conſtare diebus XXXII. *Ab anno*, hoc eſt *poſt annum*, eo abſoluto, & excluſo. Ita quocumque ſe vertat Solinianus commentator, convictus, atque interclusus tenetur.

CAPUT VII.

De urſorum latebris, earúmque tempore. Ariſtotelis locus correctus, & explicatus: cumque eo conciliatus Plinius. Salmaſii in utroque error & imperitia.

IN eadem Exercitatione dum Ariſtotelis, ac Plinii loca quædam recenſet, atque huic errorem etiam, & inſcitiam penè puerilem adſcribit, inſigniter ſuam ipſe nobilitavit. Ariſtoteles libro VI Hiſt. Animal. capite XXX de urſis agens, ait illos coire menſe Elaphebolione. τὴν δ' ὀχείαν ποιοῦνται τοῦ μηνὸς τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος· τίκτει δὲ περὶ τὴν ὥραν τοῦ φωλεύειν. Mox: ἐπειδὰν δ' ἐκθρέψῃ, τρίτῳ μηνὶ, ἐκφαίνουσιν ἤδη τοῦ ἔαρος. *Coit menſe Februario* (verba ſunt Gazæ) *parit eo tempore, quo latet.* Tum: *Cùm prolem enutrierit, exit à menſe jam veris tertio.* In his Ἐλαφηβολιὼν Februarius à Gaza redditur. Hoc verò menſe urſos coire falſum eſt. nec difficile eſt errorem animadvertere, ſi quis caput XVIII libri VIII ejuſdem Ariſtotelis conſerat. Ibi enim urſas parere dicit eo tempore, quo latent. feminam verò, cùm pepererit non priùs egredi, quàm fœtus educere tempeſtivum ſit. ἡ δ' θήλεια καὶ τίκτει περὶ τοῦτον τὸν καιρόν· καὶ φωλεῖ ἕως ἂν ἐξάγειν ὥρα ᾖ τοὺς σκύμνους. τοῦτο δὲ ποιεῖ τοῦ ἔαρος, περὶ τρίτον μῆνα ἀπὸ τῶν τροπῶν. ὁ δ' ἐλάχιστον, φωλεῖ περὶ τετταράκοντα ἡμέρας. Ex his proclive fuit mendum loci ſuperioris agnoſcere. Nam tertius menſis ἀπὸ τροπῶν eſt Elaphebolion, quo exeunt adultis jam catulis. Non igitur eo menſe coeunt; cùm triginta diebus uterum gerant, ut idem Philoſophus altero in loco ſcripſit. Plinius libro VIII, capite XXXVI, *Eorum coitus*, inquit, *hiemis initio.* Mox: *Deinde ſeceſſus in ſpecus ſeparatim, in quibus pariunt trigeſimo die.* Item: *Ideo mares quadragenis diebus latent, feminæ quaternis menſibus.*

Non eſt contrarius Ariſtoteli Plinius, ut Exercitator ſomniat. Sed apud illum ita omninò legendum: τὴν δ' ὀχείαν ποιοῦνται τοῦ Ποσιδεῶνος καὶ φωλεύει μέχρι τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος. Coïre incipiunt, inquit, circa Poſideonem, hoc eſt Decembri. & circa τροπὰς in latebras ſe recipiunt, quibus ſe continent ad Elaphebolionem uſque. quod de feminis potiſſimùm intellige. quaſi diceret; ſummum huic generi deliteſcendi ſpatium ad Elaphebolionem uſque porrigi. Nam etſi mares citius prodeunt, feminæ tamen catulos educantes adhuc in latibulis degunt. Quare ſubjicit, τίκτει δὲ περὶ τὴν ὥραν τοῦ φωλεύειν. ut appareat ad feminas potiſſimùm ſpectare quæ de latebra dixit uſque ad Elaphebolionem inſeſſa. Femina itaque quatuor ferè menſes occultatur, non tamen integros. Nam ante τροπὰς coeunt, quod Poſideoni menſi tribuitur. Poſt τροπὰς, circa Gamelionem latere incipiunt. à quibus die circiter triceſimo parit femina. Id Antheſterione ferè accidit. qui menſis, ut & ſequens Elaphebolion, in formandis, atque educandis catulis conſumitur. Finito Elaphebolione, quarto demum menſe prodit è ſpecu femina, & grandiores jam fœtus educit ad Solem. Hinc Plinius quaternis menſibus latere dicit feminas; hoc eſt ad quartum menſem: niſi etiam ὀχείας tempore latere incipiat. ut plenis quatuor menſibus occultetur. quod fortaſſe verum eſt. Quod autem Ariſtoteles ſcribit, urſam catulos jam grandiores educere circa tertium menſem ἀπὸ τῶν τροπῶν, de finito Elaphebolione utplurimùm capi oportere ſuadet Ælianus lib. VI. de Hiſt. Animal. cap. III. χειμῶνος μὲν, inquit, ἀποτίκτει, καὶ φωλεύει πιέζουσα καὶ ὑφορωμένη τὰς κρυμοὺς, τὴν ἐπιδημίαν δὲ ἦρος περιμένει. οὐδ' ἂν πρὶν ἢ πληρωθῆναι τρεῖς μῆνας ἐξαγάγοι ποτὲ τὰ βρέφη. *Hieme parit, cùm peperit, latibulis ſe tegit. nam frigoris vim reformidat, & veris adventum manet, nec ante tres menſes expletos catulos educit.* Tres menſes plenos intercedere ait à partu. quod non dicit Ariſtoteles: neque Plinius. Hoc ſi eſſet, tum Munychione, non Elaphebolione progredi diceretur. Quare poſt finitum coitus tempus, nempe poſt τροπὰς quarto ineunte menſe feminæ cum catulis egrediuntur. mares verò maturiùs abſcedunt. Plinius quadraginta dies latere mares aſſerit. Mox: *Procedunt vere, ſed mares præpingues.* Non hoc legit apud Ariſtotelem, ut ejus hodie verba ſunt. Sed fieri poteſt ut pro iis. τὸ δ' ἐλάχιστον φωλεῖ περὶ τετταράκοντα ἡμέρας, ſcriptum fuerit, τὸ δ' ἄῤῥεν. & Plinius ita legiſſe videtur. & Ariſtotelem aliter interpretari difficile eſt. Quî enim iſta conſentiunt? Feminas refert in latebris degere donec catulos educaverint, ut jam egredi poſſint. Pariunt autem in ipſis latebris die triceſimo. Si quadragenos dies nonnumquam laterent feminæ, conſequens eſſet decimo à partu die foras ſuos catulos educere. quod fieri non poteſt; præſertim cùm, ut idem Philoſophus narrat, informes fœtus, & tantùm non carnis offas pariant. quas deinde lambendo perpoliunt. Non poteſt igitur de feminis hoc accipi, τὸ δ' ἐλάχιστον φωλεῖ περὶ τετταράκοντα ἡμέρας. ſed de maribus; ut rectè Plinius animadvertit. Jam quod ait vere progredi; ne id quidem poſt quadragenos dies abſurdum eſt fieri. Ver enim VI, vel VII Eid. Februar. cum Favonio incipit: ut paullò pòſt dicetur. Sic initio hiemis coire narrat urſos. quod viris quibuſdam doctis ſuſpectum fuit. qui cùm apud Ariſtotelem legerent, Elaphebolione, id eſt Februario, coire, deſinentem hiemem apud Plinium pro ineunte repoſuerunt. Nihil hoc neceſſe fuit. Sed neque commentum illud Soliniani interpretis locum habet, initium hiemis ab hiberno ſolſtitio ſumere Plinium.

Plinius cum Ariſtotele conciliatur, & emendatur Ariſtoteles.

Ariſtoteles emendatur.

quod

quod ineptum eſt, & poſtea refelletur. Verùm hiemem auſpicatur Plinius ab occaſu Pleïadum, ſive Novembris XI. Ergo initium hiemis inde uſque ad τροπάς. quod & Galenus indicat Comment. in libro I Epidem. ubi hiemem dividi trifariam ait; & medium ejus eſſe περὶ τὰς τροπάς. Hoc intervallo coïre incipiunt urſi. Meritò proinde ineunte hieme id accidere Plinius affirmat. Hoc modo bellè Plinio cum Ariſtotele congruit. quod Salmaſius non intelligens Plinium miſerè imperitéque traducit, ac fœdiſſimum huic impingit errorem. quem quidem ipſius in caput retorquebimus.

CAPUT VIII.

Plinius à falſa Salmaſii reprehenſione defenditur. Initia tempeſtatum itidem ut à Græcis, à Plinio conſtituta. Apuleius explicatus. Salmaſii fœda ſecum velitatio.

Plin. Exercit. pag. 315.

ROMANI, ait Exercitator, *initium hiemis ducebant à bruma, ſive ſolſtitio hiberno: ut tempus æſtivum à ſolſtitio æſtivo auſpicabantur. Attici verò initia hiemis & æſtatis menſe uno, & dimidiato altero ante ſolſtitia numerabant. Plinius cùm ignoraret quo in tempore initium hiemis conſtituerent Græci: ex Romanorum inſtituto à bruma id initium auſpicatus eſt, quùm Græci τὸ μέσον ibi ſtatuerent.* Hinc hieme ineunte coïre dixit urſos. hoc eſt poſt ſolſtitium. cùm Ariſtoteles ad mediam jam hiemem tempus illud retulerit. Hæc Solinianus Exercitator. quæ niſi falſiſſima, & omni judicio, atque uſu litterarum alieniſſima monſtravero; neque mihi fidem in ceteris, & huic ſummam haberi deinceps volo.

Plinium ait ignorantem hiemis apud Atticos initium ſuſquimenſe brumam antevertere, populare apud Romanos illius exordium uſurpaſſe. Duo hîc ſatis pro merito caſtigari non poſſunt: alterum quòd Romanos hiemem à bruma auſpicatos ait: alterum quòd ante brumam neſciſſe Plinium aſſerit hiemem inchoari. utrumque mendaciſſimum eſſe defendo. Varro libro I de re Ruſt. capite XXVIII quatuor tempeſtatum exordia ſic definit: Veris initium ſtatuit ex a. d. VII Eid. Febr. æſtatis ex a. d. VII Eid. Maii. autumni ex a. d. VII Eid. Sept. hiemis ex a. d. IV Eid. Nov. Hic eſt decimus Novembris dies. quod & ſequentibus capitibus illuſtrat. Columella lib. XI, cap. II hiemis initium conjicit in V Eid. Nov. Hic eſt nonus dies. Idem lib. IX, cap. XIV à bruma ad ortum Arcturi, quem in Eid. Febr. collocat, & hirundinis adventum, dies XL numerat; hoc eſt ad veris initium. Idem VII Eid. Febr. Favonios incipere ſcribit. quod veris initium Romani putabant. Horatius,

Cardines a non à Romanis obſervati.

Solvitur acris hiems grata vice veris, & Favoni.

Plinius lib. XV, cap. III Favonii afflatum ponit a. d. VI Eid. Febr. & libro II, capite XLVII: *Ver ergo aperit navigantibus maria. cujus in principio Favonii hibernum molliunt cœlum, Sole Aquarii XXV obtinente partem. Is dies ſextus eſt ante Februarias Eidus.* idemque cap. XXXIV, lib. XVIII perhibet. Eodem capite hiemis initium ſtatuit Vergiliarum occaſu, III Eid. Nov. idque libro XVIII, capite XXXI repetit. Ovidius Februarii nono die veris exordium ponit Faſt. II. æſtatis vero III Eid. Jun. in Libro V. Liber de inerrantium ſignificatione Ptolemæo tributus veris initium confert in VII Eid. Febr. æſtatis in VIII Eid Maias. autumni III Eid. Aug. hiemis denique IV Eid. Nov. Manilius lib. II,

Temporibus quoque ſunt propriis pollentia Signa.
Æſtas à Geminis: autumnus Virgine ſurgit.
Bruma Sagittifero. ver Piſcibus incipit eſſe.

Hinc puerilis Exercitatoris hallucinatio convincitur. qui Romanos non aliud hiemis, ceterarúmque tempeſtatum initium noſſe putavit, quàm æquinoctiales, ac ſolſtitiales cardines: itáque ſenſiſſe Plinium.

Unicum citat auctorem conjectationis ſuæ Apuleium in medicinalibus, qui incipere tempus æſtivum aſſerit VIII Kalendas Jul. At ego viciſſim Græcos reponam, qui cùm in ipſis cardinibus tempeſtatum primordia conſtituant, ex eo pari, ac litterator, jure concludam, apud Græcos idem illis fuiſſe principium. Achilles Tatius in Prolegomenis ad Arati Phænomena; ἐν καρκίνῳ γὰρ γινόμενος, ait, ἡμῖν ὁ ἥλιος ἡμῖν μὲν θέρος, θερμοτέρους ὄντας ποιεῖ· τοῖς δὲ νοτιωτέροις, χειμῶνα. ὅταν δὲ ἐν αἰγοκέρωτι γένηται, ἡμῖν μὲν χειμῶνα θερμοτέροις οὖσι. In Cancro Solem ait æſtatem facere, in Capricorno hiemem. quod & ſtatim repetit. Hoc non præciſè dici putandum eſt: ſed eo ſenſu quo antè dixit, χειμερινὴν τροπὴν vocari, ὅτι ἐν αὐτῷ γινόμενος ὁ ἥλιος ἐν αἰγοκέρωτι χειμῶνα ποιεῖ ἀκρότατον. *quod in eo Sol Capricornum obtinens ſummam hiemem faciat.* Sic Theo interpres Arati: ἀρχὴ χειμῶνος, ait, ὅταν ἐν τῷ αἰγοκέρωτι γένηται ὁ ἥλιος. Ptolemæus in Tetrabiblo lib. I, cap. IX ait Solem in Cancro æſtatem facere; hiemem in Capricorno. Geminus quoque capite I initium veris ponit in Ariete: finem in Geminis, & ita reliquarum anni tempeſtatum. quod ἀφορισμένως capiendum eſſe conſtat. Nec non Paulus Alexandrinus Iſag. in apoteleſmata. Non aliter Apuleii locus explicandus eſt; nec idoneus eſt, qui homini non hebeti perſuadeat, Romanos, Pliniúmve tempeſtates putaſſe aliter, ac Varro, Columella, Ovidius, Plinius ipſe denique factum eſſe teſtentur. Inde præterea conſtat cur Plinius quadragenis poſt brumam diebus veris initium eſſe ſentiat. Quo nomine ſi reprehendendus Exercitatori videtur, eadem erit in cauſſa Scriptor eximius Columella, qui libro IX, cap. XIV, *poſt confectam brumam dies ferè quadraginta* numerat *uſque in ortum Arcturi, qui eſt ab Idibus Februariis.* quo tempore vernum tempus ab eodem, & aliis Romanis Scriptoribus inchoari demonſtravimus.

Quamquam quid ex Romanis ipſis veteribus contra Solinianum Exercitatorem teſtimonia repetimus, ut probemus Romanos olim hiemem, æſtatem, aliáſque tempeſtates non ab ipſis æquinoctiorum, ſolſtitiorúmque momentis incepiſſe; ſed menſe ante hæc integro ac dimidiato: idque adeo Plinium eſſe ſecutum, quod Atticos ſolos tenuiſſe, Romanos ac Plinium ignoraſſe falsò iſte defendit? Dabimus enim teſtem contra ſe Solinianum ipſum Grammaticum: qui aliter atque hoc loco ſcripſit, Romanos ac Plinium inſtituiſſe memorat.

Salmaſii conflictus ſecum.

Pag. 742 Plinianarum Exercitationum ex Plinio confirmat exortu Pleiadum, qui fit die XLVIII ab æquinoctio verno, æſtatis initium eſſe. ac Plinii verba ipſa refert lib. XVIII, cap. XXV. *ab æquinoctio verno initium æſtatis die quadrageſimo octavo Vergiliarum exortu matutino.* Mox de hiemis & æſtatis initio eumdem citat auctorem capite XXIX. *Namque Vergiliæ privatim attinent ad fructus, ut quarum exortu æſtas incipiat, occaſu hiems.* Quinetiam pag. 735 Plinii alterum locum deſcribit ex lib. II, cap. XLVII, ubi poſt æquinoctium autumni diebus quatuor, & quadraginta Pleiadum occaſu hiemem ait inchoari. Quis tantam in hoc homine cæcitatem, & μωρολογίαν miretur magis, quàm irrideat?

Poſtremò quod apud Ariſtotelem pro eo, quod vulgò legitur, urſos Elaphebolione τὴν ὀχείαν ποιεῖν, ipſe Gamelionem ſubſtituit, minùs eſt ejus, quàm noſtra ſuperior opinio probabilis. Nam ſi coïtum incipiunt poſt τροπάς, non poſſunt tertio inde menſe editos in lucem catulos, & educatos foràs emittere. Non enim ſpatii ſatis erit; quòd & veneris tempus bonam Gamelionis partem occupet: accedant triceni dies, quibus fœta mater eſt. reliquum deinde, quo informes maſſas lingua fingere atque educare feruntur. Quocirca noſtra ſine dubio conjectura præſtat. præſertim cùm ex ea commodè Plinius cum Ariſtotele conciliari poſſit. quos inter diſſidium eſſe vel maximum ex errore ſibi Plinianus Exercitator haud impunè finxiſſe debuit.

CAPUT IX.

Salmaſii vana conjectura notatur, ac falſa ſententia, qui Philippum aſtronomum fuiſſe nullum putavit. Hujus mentio ex multis auctoribus repræſentata. Ejuſdem ætas, ac patria proditur. Proclus inſigniter emendatur. Salmaſii error negantis ex Eudoxo Phænomena ſua Aratum expreſſiſſe.

ARATUS in Phænomenis enneadecaëteridem ita deſcribit:

Γνώσεαι

Γινώσκεις τάδε καὶ σύ· τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη
Ἐννεακαίδεκα κύκλα φαεινοῦ ἠελίοιο·
Ὅσσα τ' ἀπὸ ζώνης εἰς ἔσχατον Ὠρίωνα
Νὺξ ἐπιδινεῖται, κύνα τε θρασὺν Ὠρίωνος.

Salm. Plin. Exercit. p. 737. D. In his verbis mendum eſſe vetuſtiſſimum Solinianus interpres dejerat; ac certiſſimè ita ſcribendum, Φαεινοῦ Ἠλείοιο. Nam de Phaino quodam aſtrologo intelligendum Aratum: quem Theophraſtus in libello de ſignificationibus tempeſtatum ex Lycabetto monte ſolſtitium obſervaſſe refert. à quo deinde Meton accepit. καὶ Φαεινὸς Ἀθήνῃσιν ἀπὸ Λυκαβηττοῦ τὰ περὶ τὰς τροπὰς συνεῖδε. παρ' οὗ Μέτων ἀκούσας τὸν τοῦ ἑνὸς δέοντα εἴκοσιν ἐνιαυτῶν συνέταξεν. ἦν δὲ ὁ μὲν Φαεινὸς μέτοικος Ἀθήνῃσιν· ὁ δὲ Μέτων Ἀθηναῖος. Sed non tam locus iſte emendatione opus habet, quàm caſtigatoris importunitas, & hallucinatio. Non enim de ſententia dubitari poteſt, quin ſua illi conſtet integritas. quod vel conjectator ipſe non diffitetur. At eum ſola vocabuli ſimilitudo in eam hariolationem impegit, ſanè non feſtivam, neque verò tolerabilem. Phainum aſtrologum Theophraſtus non dicit enneadecaëteridis inventorem fuiſſe; ſed Metonem ab eo didiciſſe ſolſtitii rationem, ac cetera, quæ eodem pertinent. enneadecaëteridis illum auctorem eſſe non ſignificat. Præterea Phainum Eleum fuiſſe unde tandem iſte comperit? quis hoc illi perſuaſit auctor? Gerræ itaque ſunt, ac perſolæ nugæ; in quibus non erat, cur ſibi adeo placeret, ac ſeſe circumſpiceret.

Plin. Exercit. p. 718. D. Ac vide quæſo, quò tandem erumpat. *Hujus*, inquit, *Phaini mentionem etiam invenio apud Vitruvium, ſed vitio librariorum interceptam, conjectura ſimiliter eruendam.* Vitruvii verba ſunt lib. IX, cap. VII. *Quorum inventa ſequuti, ſiderum ortus, & occaſus; tempeſtatumque ſignificatus, Eudoxus, Euctemon, Calippus, Meton, Philippus, Hipparchus, Aratus, ceterique ex aſtrologia parapegmatorum diſciplinas invenerunt.* Ad hæc Exercitator: *Nullus ex illa antiquitate nobis, nec puto cuiquam notus eſt, qui parapegmata aſtronomica compoſuerit. vetus habuit ſcriptura Philinus. ex quo fecerunt Philippus. omninò ſcribendum, Meton, Phainus, Hipparchus.* Lib. I de nat. Deor. Hìc verò Ciceronianum illud uſurpare meritò licet: *Quid eſt enim temeritate fortius? aut quid tam temerarium, tàmque indignum ſapientis gravitate, atque conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere?* Hæſitaret ſaltem, & cunctando conjecturam ſuam exprομeret. nec *omninò ſcribendum* id aſſereret, quod multis modis falſum eſſe, vel ipſomet judice, qui finxit, obtinebimus. Cujus enim nullibi mentionem aſſerit exſtare Philippi, hujus complures antiqui meminerunt.

Hipparchus lib. I, Philippi auctoritate Attalum redarguit, qui diem in Græcia longiſſimum ſcripſerat eam ad breviſſimum habere rationem, quæ eſt quinque ad tria: cùm tamen Eudoxus, & Philippus aſſeverent ejuſmodi eſſe, qualis eſt duodecim ad ſeptem. Nam cum Eudoxo conſentiens Philippus docuerat Tropici ſegmentum, quod ſupra terram eſt, eam habere rationem ad alterum, quod ſub terra eſt, quæ eſt duodecim ad ſeptem. ὁμοίως δὲ τούτῳ καὶ τῶν περὶ Φίλιππον ἀναγραφόντων. quem & συγκατανεύσεις, & συνανατολὰς τῶν ἄστρων, quaſi ad ſitum Græciæ conſcripſiſſe dicit: cùm tamen in eo ſint hallucinati. Igitur ortus ſiderum, & occaſus propoſuit in parapegmate Philippus. Geminus cap. VI de Menſibus ſub finem ait Euctemonem, PHILIPPUM, & Calippum aſtrologos enneadecaëteridem excogitaſſe: ὑπέργε περίοδον συνεστήσαντο τὴν ἐννεακαιδεκαετηρίδα οἱ περὶ Εὐκτήμονα, καὶ ΦΙΛΙΠΠΟΝ, καὶ Κάλλιππον ἀστρολόγοι. Plutarchus in Tract. ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, ejuſdem Philippi inventum eſſe ſcribit, demonſtrationem ſchematis Lunæ. τίνας οἰόμεθα, καὶ πηλίκας ἡδονὰς ἀπὸ γεωμετρίας δρέπεσθαι, καὶ ἀστρολογίας, Εὐκλείδην γράφοντα τὰ διοπτικά, καὶ Φίλιππον ἀποδεικνύοντα περὶ τοῦ σχήματος τῆς σελήνης; *Quas, & quantas voluptates credimus è Geometria, & Aſtrologia decerpſiſſe Euclidem, cùm ſcriberet Dioptica; PHILIPPUM demonſtratione de figura Lunæ litteris mandata?* Plinius lib. XVIII, cap. XXXI Philippum laudat parapegmatis auctorem, in quo ſtellarum ortus occaſúſque deſcripſerat, perinde ac Calippum, Doſitheum, Eudoxum, & alios, qui paſſim ab antiquis eo nomine citantur. *Deinde conſentiunt (quod eſt rarum)* PHILIPPUS, *Calippus, Doſitheus, Parmeniſcus, Conon, Criton, Democritus, Eudoxus, Ion, IV Kal. Octob. Capellam matutinò exoriri, & III Kalend. Hædos.* Tum lib. I in catalogo Scriptorum externorum lib. XVIII cum Thalete, Eudoxo, Calippo, Doſitheo, &c. nominatur Philippus. Ptolemæus in libro de ſignificat. fixarum Græcè à nobis edito, Philippi parapegma non ſemel laudat. Thoth XXX ὁ κοινὸς ἵππος, καὶ Ἀνδρομέδας ἑῷος δύει Εὐκτήμονι, ΦΙΛΙΠΠΩι, καὶ Κόνωνι ἐπισημαίνει. Item XIV die Athyr, & XXI die Mechir. nec non XXIX. Phamenoth XVI. Pharmuthi XXI. Pachon V. Epiphi XIV. In calce verò Scholiaſtes loca percenſens, in quibus obſervationes ab iis, quorum uſus erat teſtimoniis, factæ ſunt, Philippum ait in Peloponneſo, & Locride verſatum eſſe. Stephanus de Urbibus in Μέδμη, quæ eſt Medama Bruttiorum oppidum. ὁ πολίτης Μεδμαῖος. ὅθεν ἦν Φίλιππος ὁ ἀστρολόγος ἀνήρ, ὁ περὶ ἀνέμων γεγραφώς. Italus ergo, atque è Bruttiis oriundus fuit eximius ille aſtronomus; qui de ventis ſcripſerat. Proclus lib. II in Euclidis elementa, pag. 19 ejuſdem meminit. Φίλιππος δὲ ὁ Μενδαῖος Πλάτωνος ὢν μαθητής, καὶ ὑπ' ἐκείνου προτραπεὶς εἰς τὰ μαθήματα. *Philippus Medmæus* (ita leg. non *Metæus*) *Platonis diſcipulus, & ab eodem incitatus ad Mathematicas artes.* Tot modis Solinianus Exercitator arguitur. qui cujus auctoris in Vocabulariis ſuis mentionem nullam legerat, eum exſtare nuſquam non dubitavit aſſerere.

Accipe nunc ſuper eodem Phaino & Arato capitaliorem etiam illius ἀκρισίας. Pag. 822 D, reprehendit antiquos, qui Aratum dicunt in iis, quæ de ortu ſiderum, & occaſu tradidit, Eudoxi obſervationes potiſſimùm ſecutum. cùm tamen *Aratus ipſe manifeſtè fateatur*, inquit, *ex Metonis, ſive Phaini parapegmate ea omnia hauſiſſe, quæ de ſiderum ortu & occaſu ſcripſit.* Mox Arati verſus citat, in quibus Φαεινοῦ Ἠλείοιο, pro φαεινοῦ ἠελίοιο, reponit. Unde ita concludit: *Ex quibus cognoſcas licet quàm vetuſta ſit menda, quæ hodie in illo verſu legitur,* φαεινοῦ ἠελίοιο. *Nam ſi Veteres illi ita legiſſent, ut Poëta ſcripſit, nemini eorum incidiſſet in mentem tradere,* ὅτι τὰ Εὐδόξου κάλλιστα ἠκολούθησεν Ἄρατος, *quùm tam disertè ipſe teſtetur è Phaini, ſive Metonis tabulis ſumpſiſſe, quas & aliis videndas, & cognoſcendas remittit.* Si vel hæc una labes Plinianis in Exercitationibus foret; cùm ea compenſari quantalibet in ceteris ἁμαρτία non poſſet. Antiquos ait opinione falſos eſſe, qui Aratum dixerunt imitatione Eudoxi Phænomena ſua ſcripſiſſe. Atqui veriſſimè ita ſenſerunt. Hipparchus enim, qui minùs ſæculo poſt Aratum floruit, iſtud ipſum in libro primo copioſè demonſtrat, comparatis invicem Eudoxi, Aratique verbis. Vide num. I, II, III, & IV. Quin idem ſparſim toto ferè libro repetit; nec non in ſecundo. In quo, num. IX concludit Aratum οἱονεὶ μεταγέγραφεν τὰ ὑπὸ Εὐδόξου εἰρημένα: *mutatis tantummodò verbis eadem cum Eudoxo ſcribere.* Præterea nulla Phaini, vel Metonis ab Arato fit mentio. Quam enim affingit ei Salmaſius, ex his, quæ paullò antè ſunt dicta, refellitur. Poſtremò quamvis Phaino locum daremus in illis Arati verſibus, non tamen conſequens eſſet, quæ de ortu, occaſúque ſiderum Aratus cecinit, ea ex Phaino potiùs expreſſiſſe, quàm ex Eudoxo. Nam ne littera quidem eſt ulla, quæ vel levem ſignificationem rei iſtius præbeat. Ex parapegmatibus publicè per civitates propoſitis conſtare docet, quæ quibus temporibus oriantur, occidántve ſidera; quarúmve rerum ſignificationes, & ἐπισημασίας offerant. ut, exempli gratiâ, Hecatombæonos, aut Metagitnionos tali, vel tali die hæc, & illa ſtella ortum facit, aut occaſum; ac pluviam, aut ſerenitatem portendit. cujuſmodi in Gemini, ac Ptolemæi ἐπισημασίαι ex illis tabulis aſtronomorum veterum deſcripta leguntur. Quid hoc ad Aratum? Non enim ſingulorum φάσεις, ac tempora deſcribit: nec eorum ſignificationes diebus ſingulis accommodat. ſed univerſè de illis diſſerit; ſine ulla menſium, dierúmque notatione. qualis in Theoricis, octavæ ſphæræ, ac fixarum enarratio proponitur. à qua longiſſimè abeſt parapegmatum ratio; quæ ad popularem uſum tota comparatur.

CAPUT

Google

C A P U T X.

De cardinibus annuis Græcorum veterum Salmaſii pugna ſecum: item abſurda ſententia. Qua ratione octavis partibus cardines attributi ſint. Varii ejuſdem Salmaſii errores.

Salm. pag. 314. B.

IN Exercitatione illa, qua de Urſorum latebris ex Plinio, & Ariſtotele agit Salmaſius, opinionem probat Scaligeri de æquinoctiis, & ſolſtitiis; quæ eſt ejuſmodi: veteres Græcos non in ipſis initiis ſignorum cardines locaſſe; neque in interſectionibus circulorum, & contactibus; ſed in octavis inde partibus. ac ne iis quidem veris; ſed illis potiùs diebus attribuiſſe, in quos ante multa ſæcula octavæ partes incidebant. Ita Scaliger in Prolegomenis operis de Emendatione temporum: & libro primo, capite de Anno: capite de Periodo Olympica. Item libro ſecundo, capite de octaëteride Cleoſtrati. & fuſiſſimè libro quarto, capite de anno τετραετηρικῷ ἰσημερινῷ. & libro quinto, capite de pugna Alienſi. Sed & libro tertio Iſag. Can. capite VII. Cùm enim Iphiti ſæculo ingreſſus Solis in Cancrum circà Kal. Jul. fieret; in octavo menſis ejuſdem ſolſtitium, ſive τροπὰς fixerunt. citra quas numquam Neomenia Hecatombæonis inibat. Annum quippe Attici quadrifariam dividebant (ait Scaliger in libro III Iſag. Can. cap. VII) & quadrantes ſinguli dierum erant XCI, horarum 7, 30'. Eas τροπὰς nominabant. Primus quadrans VII Januarii: ſecundus VIII Aprilis: tertius VIII Julii: quartus VII Octobris. Hoc igitur in anno Græco perpetuum fuiſſe putat, etiam longè poſt Iphiti ſæculum.

Scaligeri ſententiam probat Salmaſius Plin. Exercit. p. 314. B.

Quam Scaligeri conjecturam Solinianus Exercitator non ſolùm ſecutus eſt; ſed etiam ſuo præconio commendavit. Primùm enim ita ſcribit: *Hibernum ſolſtitium veterum Græcorum VII Januarii fuit*, UT RECTÈ OBSERVAVIT SUMMUS SCALIGER. Et alibi: *Græci veteres*, UT RECTÈ NOTAT SCALIGER, *θερινὰς τροπὰς*, id eſt, τὸ θέρος, *VIII Julii menſe ſtatuebant, hoc eſt undecim tantùm diee ante exortum caniculæ.*

Eandem Scaligeri ſententiam improbat Salmaſius. Ib. p. 429. B.

Idem tamen poſtea iſtam ipſam Scaligeri ſententiam refellit; & τροπὰς Græcorum, præſertim quas Ariſtoteles, ac Theophraſtus commemorant, de quibus disertè Scaliger loquebatur, vera dicit eſſe ſolſtitia, ſive Metonica, ex tabulis & parapegmatibus propoſitis publicè petita. *Ariſtoteles itaque* (verba ſunt hominis) *in libris περὶ ζώων, & Theophraſtus περὶ φυτῶν ἱστορίας, ubicumque mentionem faciunt τῶν τροπῶν, aut ἰσημερίας, aut Ἀρκτούρου ἐπιτολῆς, aut Πλειάδων δύσεως de aliis ſolſtitiis, & æquinoctiis, nec de alio ortu, & occaſu intelligi debent, quàm qui proſcriptus erat in tabulis, & columnis aſtronomicis Metonis: quas populus quotidie in publico poſitas conſiderabat.* VEREOR IGITUR UT SATIS VERUM SIT QUOD ADSTRUIT VIR MAGNUS, *τροπὰς illas, quarum creberrima occurrit apud Ariſtotelem, & Theophraſtum mentio, non veras fuiſſe. Profectò aut Metonicæ non veræ, aut illas veritati conſentaneas eſſe oportet, utpote quæ ſint eædem cum Metonicis.* VIDERIT ITAQUE SCALIGER, QUI VETERUM GRÆCORUM τροπὰς ARISTOTELIS, AC THEOPHRASTI, PUTAT FUISSE VII JANUARII, VIII APRILIS, VIII JULII, VII OCTOBRIS. Idem & ſequenti pagina repetit. Neminem arbitror eſſe, qui hæc, & alia multa, quæ hoc libro demonſtrantur, tam inauditæ levitatis exempla legerit, qui non rideat; neminem, qui, ſi hominis ingenium norit, indolémque, miretur.

Nam de priore illo Scaligeri commento quid dicam? Eſt id quidem in Libris de Doctrina Temporum præſertim II, cap. III, ita convictum, ut defendi ampliùs nequeat. Sed ad illud obterendum penitus, ac profligandum hoc adjungam modò, quod ex iis conſequens eſt, quæ cap. IV, & V, libri II hujus operis tradidimus. Quamvis enim veteres olim aſtronomi τροπὰς, & æquinoctia in octavis ſignorum partibus collocarint, nemo tamen umquam octavas partes alibi, quàm in contactu ipſo τοῦ διὰ μέσων, & tropici ſtatuendas putavit. æquinoctia item in mutuis illius, & æquinoctialis interſectionibus. Nullus octavo poſt ſectiones die æquinoctia fieri dixit, qui quidem in octavis partibus illa poſuiſſet. Itaque SUMMI VIRI ſummus iſte fuit error; nec in ejus ſecutore, ac pediſſequo minùs notandus. Etenim, ut de ſolſtitiis taceam, quorum eſt obſervatio difficilior; certè in æquinoctiis tanta ſubinde fit umbrarum differentia, vix ut hominis oculis ac ſenſu præditi, nedum aſtronomi ſit, octavo ab ſectionum cardinibus die fieri æquinoctia putare. Sed hujus decreti vanitatem acriùs non inſequor; quoniam & hoc alio loco factum eſt; & ſe, qui in eo duce altero peccarat, imprudens ipſe damnavit.

Plin. Exercit. p. 736. D. 737.

Ecce autem rurſus abſurditas major, ibi ubi de Pleiadum ortu & occaſu, déque cardinibus à veteribus aſtronomis conſtitutis quanto potuit maximo conatu diſſerens, in hoc ipſum argumentum univerſam collectaneorum ſuorum copiam effudit. Antiquos enim aſtronomos, Thaletem, Anaximandrum, Euctemonem, non minùs ſuper ſolſtitiorum, & æquinoctiorum ordinibus diſſediſſe ſcribit, *quàm ſuper occaſu matutino Pleiadum, quot diebus ab æquinoctio adveniret. alterum quippe ab altero pendet. Etenim Thales, qui viceſimo quinto die ab æquinoctio Vergilias occidere tradidit, non de æquinoctio communi fortaſſe ſenſit, ſed de eo æquinoctio, quod ipſe propria obſervatione conſtituit, de quo & ſcripſit. Idem de Anaximandro, & Euctemone ſentiendum.* Subjicit his Heſiodi ſententiam, *qui in aſtrologicis Vergiliarum occaſum fieri tradidit, quum æquinoctium autumni conficeretur.* Quod non ſic intelligendum eſſe vult, *ut auctor ille voluerit Vergilias occaſum facere circa æquinoctium autumni, & quum æquinoctium conficeretur, ſed è converſo quùm Vergiliæ matutinò occiderent, æquinoctium confici putaverit.* Quippe ut Vergiliarum obſervatio facilis, ſic æquinoctiorum, & ſolſtitiorum moroſa eſt, & difficilis. unde Heſiodus Vergiliarum occaſum, quem certò tenebat, in æquinoctio autumnali poſuit, cujus verum punctum ignorabat. Idem de Thalete, Anaximandro, Euctemone, ac Metone judicium facit. *Eâdem*, inquit, *ratione poſſumus colligere quæ ſententia Thaletis, & Anaximandri fuerit in ſuis ἰσημερίαις conſtituendis. Sciendum eſt tantùm quo die matutinum occaſum facere ſolitæ fuerint eorum ætate Vergiliæ. Thales viceſimo quinto die poſt æquinoctium Vergilias occidere matutino ſcripſit. Ergo æquinoctium autumnale Thaletis viginti quinque diebus præcedebat Vergiliarum occaſum matutinum. Anaximandri, novem, & viginti: Euctemonis, octo & quadraginta.* Hæc ferè Plinianus Exercitator.

Ridicula Salmaſii ratio.

Quocirca ex novi Hipparchi decreto, ad indagandam antiquorum de æquinoctiis, ac ſolſtitiis opinionem, unica illa, certiſſimáque ratio eſt, uti quod tempus occaſui matutino Vergiliarum præfixerint, cognitum habeamus. hinc enim retrò dies putando, ad ipſum cardinem æquinoctii pervenitur, quem illi ſtatuerint. Age faciamus quod magiſtri regula præcipit: & Æquinoctii autumnalis tempus ab Heſiodo præfinitum inveſtigemus, ſi poſſumus. *Sciendum eſt tantùm*, ait, *quo die matutinum occaſum facere ſolitæ ſint illius ætate Vergiliæ.* Unde autem de die ſcire poterimus? Opinor unica illa via ac methodo, qua res iſta ſciri poteſt. nimirum ex Tabulis Directionum, & Aſtronomicis calculis. Hos igitur ſodes expedi, & inquire quandonam occidere Vergiliæ ſolebant Heſiodi ſæculo. Ex Arcturi ortu veſpertino, quem poſt ſexaginta dies ab hiberno ſolſtitio ætate ſua contingere ſcripſit, colligitur Heſiodum annis poſt excidium Trojanum circiter CXL vixiſſe. hoc eſt Per. Jul. ferè 3670. Demus Homeri σύγχρονον fuiſſe, qui natus eſt anno Per. Jul. 3688. & ſumamus annum ejuſdem Periodi 3713, ut rotundus numerus ſit intervalli ad natalem Chriſti communem annorum mille. Hoc igitur anno, ſi rectè calculos ſubduxeris, occaſum matutinum lucidæ Pleiadum reperies in gradu Libræ 17. ut & occaſum acronychum in gradu 17 Arietis, cùm eſſet in gradu Arietis 17, 34', ad altitudinem poli graduum 37. qui Græciæ ſitus eſt, ut ait Hipparchus libro I. Quoniam igitur Heſiodus æquinoctium autumnale verum ignoravit, & in eodem die collocavit, quo ſcire poſſumus Vergilias tempore illius occidiſſe: occiderunt porrò Vergiliæ in gradu Libræ 17, quem Sol Octobris circiter XVIII tenebat: hunc ipſum in diem æquinoctium autumnale Heſiodus aſtronomus contulit, nempe ſeptemdecim circiter diebus poſt æquinoctium verum, quod Octobris I hora 17, 18' Athenis commiſſum eſt anno Periodi Jul. 3714. Vix in bubulco tanta ἀμαθία tolerabilis ſit, nedum in eruditiſſimo poeta, & eodem aſtronomiæ principe, qui de ortu ſiderum, & occaſu,

& aſtrologia ipſa poſteris etiam præcepta ſcripſerit. Hoc divinum Critici Exercitatoris acumen eſt; Heſiodum aſtronomum putare poſt dies XVII, quàm confectum erat, æquinoctium autumnale ſtatuiſſe. Rurſus Thaletis Mileſii tempore æquinoctium autumnale præcedebat occaſum Vergiliarum diebus XXV. Tabulæ occaſum eumdem matutinum exhibent in gradu Libræ 24, aut 25. quem Sol Octobris circiter XXII obtinebat. Igitur Thaletis æquinoctium, Septembris XXVIII contigit. quem in diem revera congruit ex aſtronomicis tabulis. Quippe anno Periodi Jul. 4114. biſextili incurrit in Septembris XXVIII, hora 19, 52′ Athenis. Porrò Anaximander, qui Thaleti σύγχρονος fuit. (Erat enim eo anno, quo mortuus eſt Thales, annos natus quatuor & ſexaginta, ut ait Laertius) Pleiadas occidere ſcivit die ab æquinoctio nono & viceſimo. Quare æquinoctium ab eo conjectum fuerit in Septembris XXIV, quatriduo toto ante ipſum Thaletis. Io ceteris piacularis hallucinatio eſt. Euctemon occidere Vergilias pronunciavit XLVIII diebus ab æquinoctio verno, ut auctor eſt Plinius: vel, ut Gemino placet, XLV. Tabulæ matutinum hunc occaſum præbent in gradu Libræ 28 quem Sol adibat Octobris circiter XXVI. Non dubitabit Hipparchus noſter, quin Metonis, & Euctemonis æquinoctium ante dies XLVIII fuerit in Septembris VIII, vel IX die. Eudoxi ſimiliter, qui in Scorpii gradum 19 Vergiliarum conferebat occaſum, contigit Septembris VII, vel VIII. Non enim aliter Pliniani Grammatici divinus canon poſtulat. Quippe qui priùs inquirendum cenſet diem, quo Pleïades ortum matutinum facerent illorum ſæculo; ut inde numeratis diebus, quos Plinius refert, ad eorum æquinoctium retrò calculus agatur. Nam de occaſus Pleiadum die, quem explorari jubet, quid aliud ſciri poteſt, quàm quod aſtronomicæ tabulæ demonſtrant? Ac vide quantopere fallatur. Tantum enim abeſt ut ex tempore occaſus matutini Vergiliarum, colligendum ſit æquinoctium, quod Veteres illi ſtatuerunt: ut è contrario quodnam illi tempus Vergiliarum occaſui præſtituerint, intelligi aliter nequeat, quàm ſi de æquinoctio conſtiterit. Etenim ut exemplis ſuperioribus inſiſtam, propoſitum ſit quærere, quo die Meton Vergilias occidere pronunciarit. Cùm ex aſtronomico abaco gradum Libræ 28 ioveſtigaveris, non potes certum ei in Juliano anno deſignare diem; niſi aditum Solis ad Libram, & æquinoctiale punctum priùs inveneris. Quid igitur canone illo futilius, qui priùs indagari præcipit occaſus Vergiliarum diem, ut ex eo æquinoctii tempus eruatur?

Præterea cùm occaſus ſiderum matutinus non uniuſmodi ſit; ſed alius verus: quam *συγκαταδύνουσαν ἢ φαινομένην, non apparentem* Ptolemæus appellat: alius apparens, cui varii præfiniuntur ab antiquis dies: ac viginti, & eò pluribus interdum à priori diſtat; ſcire velim quo de occaſus genere cautio illa Exercitatoris accipienda ſit. Nam ſi de priore intelligat, qui ſolus, uti dictum eſt, explorari à nobis poteſt; redit illud abſurdum, quod paullò ſuperiùs attigi; ut in VII, vel VIII Septembris diem Metonis, & Euctemonis æquinoctium relegetur. Sin poſteriorem occaſum eligat; nulla hic certa ratione definiri ab ullo mortalium poteſt: quoniam pro diverſo regionum ſitu, ac pro eo atque purior, & limpidior; aut contrà denſior, & concretior eſt aër, eò citiùs aut tardiùs occidentes Vergiliæ in contuentium oculos incurrunt. Hinc illa in occaſu pariter atque ortu ſiderum finiendo opinionum varietas. Ac Thales quidem verum occaſum Vergiliarum, non apparentem ſignificavit. Euctemon autem de apparente, non de vero capiendus eſt. de neutro quantum ſuſpicari licet, Heſiodus. ſed de occaſu veſpertino, & heliaco. cujus loco matutinus per errorem ſubſtitutus eſt. quod ſuprà demonſtravimus. Quæ omnia Solinianus Exercitator ſcire antè, ac diſcernere debuit, quàm infinitè, ac confuſè ex occaſus Vergiliarum die æquinoctiorum tempus colligi præciperet.

Salmaſii error. Eſt ejuſdem inſuper ἰδιωτικὸν illud, quod ſolſtitia, & æquinoctia in octavis fieri ſignorum partibus putet. Quæ opinio quatenus apud antiquos citra reprehenſionem extiterit: utque poſt Hipparchi tempora paullatim obſoleſcens penes rude tantummodò vulgus, aut eos qui ad imperitiorum ſe captum ſcribendo demitterent, aliquamdiu reſederit, fuſè libro II diſſeruimus. Ea verò hoc tempore, in tanta luce Mathematicarum artium, nonniſi ridiculè defendi poteſt. ut qui ea ſe implicari patiatur, cum valdè in ſphæricis elementis tyronem eſſe oporteat. Atqui Solinianus interpres ſeriò, & ex animi ſui ſententia idipſum in commentariis ſuis non uno loco poſuit, cardines in octavis eſſe ſignorum partibus. Tum ſic eos accepit, quaſi iiſdem perpetuò locis immobiles, fixique conſiſterent; nec ulla προήγησις eſſet in anteriora recedentium.

In Exercitatione ad pag. Solini 59, quæ eſt de ortu caniculæ, ita ſcribit: *Sed promptius rem factam habebimus, ſi Scaligerum audiamus. Is caniculam tempore Manilii in ſeptima Cancri parte oriri ſolitam ſcribit in ſinatore Barbarico, vel Ægyptiaco.* SOLSTITIUM TUM COMMITTEBATUR APUD ROMANOS IN OCTAVA PARTE CANCRI. *Ergo uno die præcedebat ortus caniculæ Ægyptiacus Solſtitium.* Neque Scaligerum intellexit; & imperitè prorſus ſolſtitium in octava fieri parte credidit. Scaliger ſeptimam Cancri partem eam vocat, quæ punctum contactus circulorum, hoc eſt veras τροπὰς in conſequentia ſignorum excipit, non quæ illas antecedit. At iſte putavit Scaligerum Columellæ, Plinii, ac ceterorum locutum more, qui ingreſſum Solis in ſigna ante cardines ponunt, ante mutuas circulorum ſectiones, & contactus ſeptimam Cancri partem ſtatuere. Jam illa cujuſmodi ſunt? *Solſtitium tum committebatur apud Romanos in octava parte Cancri:* quaſi alia modò ſit ſolſtitiorum ratio, quàm temporibus illis fuit: aut ab octava parte ad primam retrogreſſa ſint. Non magis tum in octava fiebant parte, quàm fiunt hodie. ſed cùm in æquinoctiali circulo, ejúſque partibus olim cardines computarent aſtronomi, ſignorum initium ab illuſtri aliqua ſtella duxerunt; cujus aſcenſio recta cardines antecedebat. Poſtquam autem ſtellæ iſtæ in conſequentia progreſſæ ſunt, ſignorum in illis collocari capita deſierunt; & in cardines tranſlata ſunt. Plin. Exer. in. p. 429. D.

Ejuſdem indolis eſt tota illa μωρολογία ſuper Leonis initio, ortúque Sirii. *Miror, inquit, Solinum heic ſcribere ſacerdotes Ægyptios natalem mundi judicaſſe inter tertiumdecimum, & undecimum diem Kalendas Auguſti, quo tempore Solem in Leonem ingredi dicit, & Sirium oriri. Atqui certum eſt ex his, quæ antè attulimus, non duodecimo Kalendas Auguſti, ſed tredecimo Solem introitum facere in Leonem.* Mirandum potiùs extare quemquam hodie, qui Solem in Leonem ingredi XIII Kalendas Aug. putet. & de iſtis ſcribere, ac docere, quæ neſcit, alios audeat. Nam neque Sol in Leonem Manilii ſæculo illo die, aut etiam XII Kal. ingreſſum faciebat, quod hic noſter, ut ejus eſt oratio, non ex illius ætatis errore; ſed ex ſuapte ſententia profert. Quod cum viros doctos non probare ſcripſerit alio loco; qui id probet, virum ſe non doctum eſſe, haud obſcuris verbis fatetur. Pag. 431. D. Pag. 735. D.

Poteſt indidem & alterum erroris caput oſtendi. Etenim Solinum redarguit, qui XII Kalendas Aug. Solem in Leonem ſubire ſcripſit; quoniam, inquit, certum eſt non XII Kalend. ſed XIII Solem introitum in Leonem facere. Itáne certum eſt illo die Solem in Leonem tranſite? Quonam id quæſo tempore? Nam hoc eſſe perpetuum non poteſt ob προήγησιν cardinum. At hic ἀορίστως, & infinitè loquitur. Quinetiam alibi: *Timæus, ait, apud Plinium per introitum Solis in Leonem poſt canis ortum Nilum augeſcere dicit apud Plinium, hoc eſt tredecimo Kalendas Auguſti.* TUNC ENIM INGREDITUR SOL IN LEONEM. Refert hoc Plinius lib. V, cap. IX neque XIII Cal. Auguſt. Solem io Leonem ingredi dicit ex Timæi ſententia. Si Plinii, ac Columellæ ſæculo Solis tranſitus in Leonem incidit XIII Cal. Auguſt. Timæi mathematici tempore triduo ferè poſtea contingere debuit. Inſcitè ergo ſcriptum eſt; *tunc enim ingreditur Sol in Leonem.* non ſolum quia neutro ſæculo id accidit: ſed etiam quia ſi alterutro factum eſt, in altero verum eſſe non poteſt. Vixit Timæus Agathocle regnante circa annum Per. Jul. 4400, Calippi ſæculo. hinc ad Plinii & Columellæ tempus anni ſunt ferè trecenti & ſexaginta. quibus triduū προήγησις conflatur. Pag. 428. C.

Rurſus Exercitator Metonem & Euctemonem æquinoctium autumnale fieri cenſuiſſe narrat XXVI Septemb. *in octava parte Libræ, non tamen octavo Kalendas Octobris, ſed ſexto.* quod ita probat: *Nam ſol, auctore Columella & Ptolemæo, tranſitum facit in Libram tredecimo Kalendas Octobris. ita in octava parte Libræ, hoc eſt ſexto* Pag. 737. E.

Kalendas

Kalendas Octobris, æquinoctium peragitur, die vigeſimo ſexto Septembris. Pergit verò: *Columella: Octavo Kalendas Octobris, & ſeptimo, & ſexto æquinoctium autumnale ſignificat. ſexto Kalendas perfici neceſſe eſt æquinoctium, ut in octava parte ſigni perficiatur.* Non poteſt pro eo ac meretur hæc inſcitia caſtigari. Quid enim? an quia in octava parte fieri debet æquinoctium, ideo in XXVI Septembris neceſſariò fit? aut ad hunc diem ſæculis omnibus adhæreſcit? patrum denique noſtrorum memoria ante Calendarii recenſionem in XXVI Septembris conſtiterat? Ubi judicium hominis eſt? Ex eo probat Metonis æquinoctium autumnale Septembris vigeſimum ſextum diem occupaſſe, quia Columella tranſitum in Libram XIII Cal. Octob. conſtituit, & ſexto Calendas æquinoctium locavit. A Metone ad Columellam quingenti propemodum anni numerantur. Nullane hoc intervallo æquinoctiorum facta præceſſio eſt?

Colum. lib. XI. cap. II. Sic paullò pòſt, ubi Metonis Solſtitium ex Ptolemæo, & Scaligero conveniſſe docuit in XXVII Junii, mox iſta ſubjicit: *At ſi Columella auctore ſolſtitium Metonis in octava parte Cancri ſtatuimus, tum vigeſima ſexta ei ſolſtitio obſervabitur.* Quid ita? quòd ſcilicet Columella ingreſſum Solis in Cancrum ponit XIII Cal. Julii: Solſtitium verò in octava parte, quæ cadit in diem Junii XXVI. Ergo à Metonis tempore ad Columellam ne minima quidem facta mutatio eſt? Solſtitium Julianum à Soſigene non XXVI Junii, ſed XXIV defixum eſſe ſuprà declaravimus. quem in diem medium Solſtitium aſtronomicæ tabulæ conferunt. Columella, qui vetera parapegmata complura diverſis edita temporibus legerat, in quibus Solſtitium variis itidem diebus attributum erat, non unum diem præſtituit: ſed propter ἐπισημασίας, quas artifices illi ad ſuum quique Solſtitium adſcripſerant, *octavo, & ſeptimo, & ſexto Calendas Julii Solſtitium fieri* ſcripſit lib. XI, cap. II. Atque hoc poſtremum Solſtitium, quod Junii XXVI Columella notat, Hipparcheum eſt, non Metonicum imo ambo illa Hipparchea ſunt, tam quod VII Cal. Julias competit, quàm quod ſexto. Sed illud medium eſt, hoc verum. Nam Hipparchi tempore Solſtitium medium cadebat in diem Junii XXV, verum autem in XXVI. Itaque ex tribus illis Solſtitiis Columellæ, primum eſt Soſigenis medium; ſextum medium Hipparchi: tertium ejuſdem Hipparchi verum. Non enim dubium eſt, aſtronomos veteres præter medium Solſtitium, quod, ut opinor, populare eſſe jubebant, atque in parapegmatibus deſcribebant, verum inſuper adnotaſſe. quæ duo promiſcuè nonnumquam ab imperitis habita ſunt. Hinc juſta ſuſpicio eſt Solſtitium illud, quod à Metone, & Euctemone obſervatum dicitur anno Nabonaſſari CCCXVI, Phamenoth XXI, ſive Junii XXVII, manè, medium eſſe Solſtitium. Nam duo Solſtitia Meto deſcripſerat: unum verum; quod ex obſervatione didicit. alterum medium; quod ex veri illius ratione conſtituit. Ita ex obſervatione utrumque definitum eſt. Etenim anno illo Per. Jul. 4282 medium Solſtitium Athenis incurrit in diem Junii XXVII, manè hora 10, 43′. verum autem Junii XXVIII, hora 10, 13′. At Junii XXVI Metonicæ τροπαὶ nullo pacto conveniunt. Sed nec autumnale eorumdem æquinoctium rectè in Septemb. XXVI ab Exercitatore confertur, ſi de vero ſermo ſit. Nam medium cadere in illum diem potuit. verum autem biduo ferè diſtabat. Anno quippe Per. Jul. 4282 medium æquinoctium Athenis commiſſum eſt Septembris XXVI, hora 18, 3′. Verum, Septembris XXVIII, hora 14, 20′. Hipparchi porrò verum æquinoctium Septembris XXVII. medium XXV competebat. Hoc verorum, ac mediorum cardinum diſcrimen diligenter obſervandum eſt. Plin. Exerc. p. 742. C. cujus ignoratione Solinianus Exercitator haud leviter offendit. qui Metonis, Euctemonis, Calippi, & Hipparchi æquinoctia, & Solſtitia non multum differre putat: idque alibi ſe probaturum oſtendit. Ita trecentis circiter annis Sol in eodem penè veſtigio conſtitit. Sed auctorum media cum veris æquinoctia Solſtitiáque permiſcentium uſus impoſuit homini harum rerum minimè perito.

CAPUT XI.

Salmaſii ridicula Arateorum carminum expoſitio. tùm vana Theophraſti caſtigatio.

ARATUS de hiberno menſe loquens, in quo mare clauſum eſt, quando Sagittarium Sol tenet; quod tempus in Decembrem incidit, his illum verſibus deſcribit.

> Σῆμα δέ τοι κείνης ὥρης, καὶ μηνὸς ἐκείνου
> Σκορπίος ἀντέλλων εἴη πυμάτης ἐπὶ νυκτός.
> Ἤτοι γὰρ μέγα τόξον ἀνέλκεται ἐγγύθι κέντρου
> Τοξευτής· ὀλίγον δὲ παροίτερος ἵσταται αὐτοῦ
> Σκορπίος ἀντέλλων· ὁ δ' ἀνέρχεται αὐτίκα μᾶλλον.
> Τῆμος καὶ κεφαλὴ Κυνοσουρίδος ἀκρόθι νυκτὸς
> Ὕψι μάλα τροχάει· ὁ δὲ δύεται ἠῶθι πρὸ
> Ἀθρόος Ὠρίων· Κηφεὺς δ' ἀπὸ χειρὸς ἐπ' ἰξύν.

Quæ ſic Avienus vertit:

> *Menſis at infauſti, vel clari ſideris index*
> *Scorpius exoriens jam tempore noctis adultæ.*
> *Hic matutino veniens procul æquore cælum*
> *Exigit è pelago: telum trahit ultima cauda.*
> *Cunctatur pigri poſt tergum ſidere juxta*
> *Arcitenens, tardos & gurgite liberat artus.*
> *Tunc Cynoſura, & jam maturæ in tempore noctis*
> *Altiùs in boream ſuſtollitur, abditus autem*
> *Orion redeunte die. tum brachia Cepheus,*
> *Protentáſque manus, mediámque immergitur alvum.*

Non eſt ambigua carminum illorum ſententia. Cùm enim Sol Sagittarium obtinet, oritur ante eum manè Scorpius circa undecimam noctis horam, vel duodecimam (ait Theo.) Parvo quippe ſpatio orientem Solem præcedit: cum eóque Sagittarii cuſpis, quæ Scorpii aculeo proxima eſt. Tunc Orion totus ante lucem occidit, unà cum Cephei parte. Hæc circumſcriptio temporis nulli alteri, quàm matutino convenit, hoc eſt una alteráve hora circiter ante Solis exortum.

At Solinianus Exercitator vix credibili ſtupore, de initio noctis interpretari maluit. *Videndum* (ait) *an non falſi ſint veteres omnes Interpretes, qui* ἀκρόθι νυκτὸς *in Arato de noctis fine expoſuerunt, quum de principio fuerit exponendum. Certè* ἀκρόθι νυκτὸς, & ἠῶθι πρὸ *videtur ipſe diſtinxiſſe. quum tamen antiqui interpretes pro eodem utrumque ſumant. Et ſanè quum* ἄκρης νυκτὸς *alio loco manifeſtè dixerit de primore noctis parte, neutiquam cenſendum eſt alia ſignificatione illud* ἀκρόθι νυκτὸς *uſurpaſſe.* Plin. Exerc. pag. 720. A. Non majori abſurditate Solem tunc occidere dixiſſet, cùm oritur, aut oriri cùm occidit. Nam paullò ante Solis ortum ea neceſſariò fiunt, quæ Poëta cecinit: Orionis occaſus; ortus Scorpii: tum Cynoſuræ, ſive urſæ minoris ad ſummum cœli culmen evectio. Sub occaſum Solis contraria eveniunt omnia. Scorpius jam occidit; Orion exortus eſt; Cynoſura ad imum circuli ſui progreditur. Vide omninò Hipparchum lib. I, ubi hunc Arati locum explicat Numero XV, & XVI. Jocularis eſt igitur hallucinatio Critici, & ejuſdemmodi, qualis illa fuit, quum nocte contra Solem meiere ex Heſiodi interdicto vetuit.

Idem Theophraſti locum falſò mendi ſuſpectum habet, Salmaſ. pag. 753. E. in quo genera occaſuum ſtellarum itidem ut ortuum diſtinguit duo, lib. de Signis pluviarum, &c. αἱ δὲ δύσεις διτταί. οἷ, τὸ γὰρ ἀφανισμοὶ δύσεις εἰσί. τοῦτο δὲ ἐστιν, ὅταν ἅμα συνδύῃ τῷ ἡλίῳ τὸ ἄστρον, καὶ ὅταν ἀνατέλλοντος δύῃ. Qui locus expoſitus eſt cap. I, lib. I. Salmaſius ſolita confidentia corrigendum cenſet, ὅτι γὰρ ἀφανισμοὶ, &c. quaſi neget Theophraſtus ἀφανισμὸς, id eſt *occultationes* occaſus eſſe. Nihil pote verius contra auctoris mentem. Nam Theophraſtus occaſum heliacum his verbis concipit, qui eſt ἀφανισμὸς ſtellæ. quia incipit ἀφανίζεσθαι, id eſt poſtremùm apparet. unde & δύσις, & occaſus heliacus vocatur; non quòd non adhuc videatur: ſed quod ultrà non appareat. Sicut mori dicuntur, non qui jam mortui ſunt; ſed qui poſtremùm vivunt. Sic ἀφανισμὸς *extinctio* eſt, ut ita dicam, ſtellæ. quæ deinceps non lucet, quæque συνδυὼς τῷ ἡλίῳ, id eſt paullò poſt Solem occidit. Vanitatem Salmaſianæ hariolationis arguit,

quod de ortu ſequitur apud eumdem Theophraſtum. Nam ortum alterum heliacum exponit; alterum acronyhum. utrique ergo reſpondet occaſus heliacus, & coſmicus.

CAPUT XII.

Firmici locus inſignis imperitiſſimè à Salmaſio corruptus vindicatur, & exponitur. Ortus & occaſus matutini ac veſpertini Veneris & Mercurii. Plinius illuſtratus. Alia ejuſdem Salmaſii peccata.

Salmaſius pag. 721. ENIMVERO nimis otioſè Salmaſius in Solinianis iſtis commentariis & patientiæ lectorum, & chartis illudit ac litteris. Firmici locus eſt de planetis quinque, quem ſic interpretatur & caſtigat, ut ad ſummam imperitiam reliqui nibil fecerit. Verba auctoris illius ſunt libro II, cap. VIII, quæ à nobis expoſita meminimus cap. I. libri I hujus operis. quæ ſunt hîc neceſſariò repetenda: *Stellæ autem quinque, ſcilicet Saturni, Jovis, Martis, Veneris, & Mercurii, matutinæ fiunt, aut veſpertinæ, aut occidentales, ſeu abſconſæ, quæ à Græcis* ἀφανεῖς τε, καὶ συνοδικαὶ *dicuntur, aut* ἀκρόνυχοι. *Quâ autem ratione tales fiant, vel quâ ex cauſſâ hæc accipiant nomina, nunc explicemus. Matutinæ ſunt in ortu, quæ præcedentes Solis orbem oriuntur. veſpertinæ verò in ortu, quæ orientem Solem ſequuntur. abſconſæ autem; quas Solis orbis tegit.* ἀκρόνυχοι, *quæ tunc oriuntur, cùm Sol occidit.* In his verbis Firmicus quadruplicem σχηματισμὸν planetarum quinque deſcribit, ortus nimirum triplices, & occaſus genus unum. Matutinus ortus eſt heliacus communis omnibus: etſi diſſimili ratione duobus inferioribus, ac ſuperioribus tribus accidit. Nam tres iſti, quia tardiores ſunt Sole, itidem ut fixæ ſtellæ, appropinquantis Solis radiis abſconſi, ejuſdem receſſu ſub ipſum diei crepuſculum emergere incipiunt ab oriente. at inferiores duo, quia velociores ſunt, & ultrò citroque commeant, Solem tranſgrediuntur, & matutinum ortum faciunt. Veſpertinus ortus iiſdem duobus ſolis convenit: qui quidem occaſu matutino Solem aſſecuti, & ultra ipſum in conſequentia nitentes, manè poſt eumdem ſupra horizontem aſſurgunt, ac poſt ejus occaſum apparere rurſus incipiunt. Quare duplex iis ortus heliacus accidit, matutinus, & veſpertinus: occaſúſque duplex. Quod eleganter accuratéque Plinius lib. II, cap. VIII, & XV declarat. *Inferiores*, ait, *duæ occultantur in coitu veſpertino ſimili modo: relictóque Sole totidem in partibus faciunt exortus matutinos, atque à longiſſimis diſtantiæ ſuæ metis Solem inſequuntur: adeptæque occaſu matutino conduntur, ac prætereunt. Mox eodem intervallo veſperi exoriuntur uſque ad quos diximus terminos. Ab his retrograduntur ad Solem, & occaſu matutino deliteſcunt.* Hîc duplicem illum ortum, occaſúmque Veneris, ac Mercurii graphicè deſcribit. nec non coitum eorumdem, & ἀφανισμὸν συνοδικὸν, quem cum ſuperioribus communem habent. Porrò ſchematiſmum quartum Firmici, hoc eſt ἀκρόνυχον exortum trium ſuperiorum antea ſignificavit, cùm eos dixit *à partibus centum octoginta exortus facere veſpertinos.* At Firmicus ortus veſpertini duorum inferiorum rurſus meminit capite eodem VIII verbis his: *Inefficaces verò ſtellæ fiunt, quoties Solis orbem, veſpertino ortu fuerint ſubſecutæ.* & capite ſequenti: *Veſpertinæ verò ſunt, cùm in iſta parte numero conſtitutæ, Solem ſubſecutæ fuerunt.* Utrobique de ſolis duobus intelligendus eſt ortus iſte veſpertinus, Mercurio, & Venere, & non de ſuperioribus tribus.

Mirus error Salmaſii. Cùm hæc tam plana ſint, ut vel tyrunculos non lateant: tam apertè, & copioſè à Plinio, Ptolemæo, ceteriſque tradita, ut nihil ſit hodie vulgarius, tamen ea Salmaſius ignoravit, & in illo Firmici loco vehementiùs aberravit. Primùm ad iſta Firmici; *Veſpertinæ verò in ortu, quæ orientem Solem ſequuntur;* ita ille loquitur: *Hæc prorſus non intelligo.* Credo equidem. nec tam eo te nomine reprehendendum judico, quàm quod neſciebas, de eo ſcribere auſum eſſe te. id verò minimè tolerandum. Pergit porrò, ac tam ex illis Firmici, quàm ex his, in quibus ἀκρονύχους ait dici, *quæ tunc oriuntur, cùm Sol occidit;* duplicem ortum veſpertinum errantium ſtellarum à Firmico deſcriptum eſſe colligit, quùm & Solem habent oppoſitum ex diametro; & quum Solem ſequuntur orientem. *quod eſt*, inquit, *falſiſſimum.* Imò veriſſimum eſt, mi homo, non in omnibus quinque, ſed in duobus inferioribus: quod ipſum Ptolemæus, ut de Plinio taceam, lib. XII, ac XIII, Theo, ac Theorica omnia Planetarum plenis paginis explicant. Subjicit deinde quod legentes riſimus: *Atqui tantum abeſt, ut veſpertino ortu Solem ſubſequantur, ut tùm longiſſimè à Sole diſtent, totis ſex Signis interjacentibus, vel dimidia circuli parte. veſpero ſiquidem oriuntur, cùm Sol occidit.* Itáne Venus & Mercurius dimidia circuli parte diſtant à Sole? Quid imperitius? Atqui hoc ipſum ſæpiùs repetit: ut in fine paginæ ejuſdem: *Sanè quùm veſpertinum ortum faciunt illæ ſtellæ, non duodenis partibus à Sole tum diſtant, ſed centum, & octoginta, vel circuli totius ſemiſſe.* Sed audaciam vide: *Mendum eſſe in illis verbis plus quàm certa fides eſt*, inquit. *legendum itaque in priore loco, veſpertinæ verò in coitu, quæ occidentem Solem ſequuntur: vel etiam veſpertinæ verò in occaſu.* Sic in poſterioribus verbis corrigit: *inefficaces verò ſtellæ fiunt, quoties Solis orbem veſpertino coitu fuerint ſubſecutæ.* Hæc conjectura, & caſtigatio vaniſſima eſt. quam ſic tamen tueri ſatagit: *Emendationem noſtram unicè confirmat Firmicus ipſe capite ſequenti: ubi explicat quot partibus à Sole recedere debeant ſingulæ erraticæ, ut matutinæ dicantur, & quo partium numero ad Solem accedere, ut fiant veſpertinæ.* Falſum eſt. Emendationem iſtam præter ea, quæ hactenus expoſui, caput ſequens Firmici redarguit, ac novum inſcitiæ genus oſtendit. Nam Firmicus ibi explicat quot partibus à Sole diſtantes erraticæ quinque manè ante ortum, vel poſt occaſum illius apparent. *Saturni*, inquit, *ſtella cùm à Sole XII receſſerit partibus, id eſt cùm præcedens orta fuerit, matutina erit. Simili modo etiam Juppiter XI partibus recedens matutinum ſe facit præcedens. Venus autem VIII. Mars etiam præcedens, & in VIII parte conſtitutus matutinus efficitur. Mercurius quoque præcedens, & in VIII parte conſtitutus matutinus eſt.* Quibus iſta ſubjicit, quæ duorum inferiorum propria ſunt. *Veſpertinæ verò ſunt, cùm in iſto partis numero conſtitutæ Solem ſubſecutæ fuerint.* Partes illæ duodenæ, vel undenæ, vel octonæ, quibus à Sole ſtella removetur, admonent, non eam Synodicam tunc eſſe, nec in coïtu, nec radiis Solis contegi, ſed extra illos eſſe. Nam hi ſunt termini, citra quos abſconditur. Quare cùm in iis partibus eſt ſtella, heliacum facit ortum, vel occaſum. In ortu præcedit; in occaſu ſequitur Solem. At cùm Synodica eſt, neque præcedere eam neceſſe eſt, neque ſubſequi. Itaque Firmicus de συνόδῳ ſtellarum intelligi non poteſt in illis verbis, quæ invita Criticâ Salmaſius interpolat. quia tam ut veſpertinæ ſint in ortu ſtellæ, ſubſequi eas Solem aſſerit, quàm ut ſint matutinæ, præcedere. quod de Synodico Schematiſmo minimè dicitur. Plinius lib. II, cap. XV de tribus ſuperioribus Planetis: *Exoriuntur matutinè diſcedentes partibus numquam ampliùs undenis.* Idem cap. XIV Lunam *intra quatuordecim partes Solis ſemper occultam eſſe* ſcribit, & eo argumento ampliorem ceterarum eſſe, quàm Lunæ magnitudinem; *quando illæ & à ſeptenis interdum partibus emergant.* Emerſus ſtellarum non eſt coïtus, neque συνοδικὴ φάσις, & ἀφανής. ſicut partibus à Sole diſtans Luna XIV συνοδικὴ non vocatur.

Ad ſummam fruſtrà eſt Salmaſius, dum cap. VIII Firmici legendum docet: *Stellæ autem quinque matutinæ fiunt, aut veſpertinæ occidentales, ſeu abſconſæ:* quaſi abſconſæ & occidentales eædem ſint quæ veſpertinæ. Atqui Firmicus nullas alias veſpertinas, quàm quæ ſunt in ortu veſpertino, ſignificat, hoc eſt è radiis Solis expeditæ. Tum idem ſubinde abſconſas ab matutinis, & veſpertinis ita diſcernit: *Abſconſæ autem, quas Solis orbis tegit.* Ad hæc in ſequenti capite, quas veſpertinas appellarat, eas partibus XII, vel XI, vel VIII Solem ait ſubſequi: quod in coitum quadrare non poteſt. Atque ut levitatis omninò correctorem pudeat, auctorem dabo, qui eadem planè cum Firmico, & ad eam, quam expoſuimus, ſententiam Græcè docuit. Is eſt Paulus Alexandrinus, cujus liber εἰσαγωγὴ εἰς τὴν ἀποτελεσματικὴν Græcè, ac Latinè prodiit. Ibi capite de Apparitionibus Planetarum ad Solem, totidem φάσεις eorum recenſet, quot Firmicus. ποιοῦνται δὲ φάσεις πρὸς τὸν ἥλιον οἱ πεντεπλανῶντες

ἀστέρες

ἀστέρες ἐπὶ μὲν ἑῴας ἀνατολάς, καὶ ἑσπερίας δύσεις· ἐπὶ δὲ ἑσπερίας ἀνατολάς, καὶ ἑῴας δύσεις, &c. *Faciunt autem apparitiones ad Solem errantes ſtellæ, nunc quidem matutinos ortus, & veſpertinos occaſus; nunc verò veſpertinos ortus, & occaſus matutinos.* Mox ἑῷοι δὲ ἀνατολικοὶ οἱ ἀστέρες γίνονται, ὅταν ἀποδιαστῶσι τοῦ ἡλίου μοίρας ιε΄, ἐν ταῖς προηγουμέναις μοίραις, ἢ ἐν τοῖς προηγουμένοις ζῳδίοις, &c. ἑσπέριοι δὲ, ὅταν ἐν ταῖς ἑπομέναις μοίραις, ἢ ἐν τοῖς ἑπομένοις ζῳδίοις τοῦ ἡλίου ἀποδιαστῶσι τὰς προειρημένας ιε΄ μοίρας. Item συνοδικοὶ δὲ γίνονται ὅταν κατὰ τὸ αὐτὸ ζῴδιον ἰσόμοιροι τῷ ἡλίῳ τύχωσι, μὴ ἀπέχοντες ἀπ᾽ αὐτοῦ πλεῖον, ἢ ἔλασσον, λεπτῶν νθ΄. Matutinos ait in ortu eſſe planetas, cùm in antecedentia XV partibus abſunt à Sole. Veſpertinos in ortu, cùm in conſequentia diſtant à Sole totidem partibus. Synodicos verò, cùm in eodem Signo partiliter cum Sole verſantur, ſic ut minutis 59′ non ampliùs diſtent. Prorſus idem, quod Firmicus, hoc loco dixit. quemadmodum verò intelligenda iſta ſint, docent Scholia Græca: nimirùm ad tres ſuperiores planetas pertinere matutinum ortum, & occaſum veſpertinum. ortum verò veſpertinum, & occaſum matutinum ſolis duobus congruere, Veneri, & Mercurio. Ceterùm cùm Firmicus, aliique inæquales arcus τῆς φάσεως, pro ſideris magnitudine, Planetis conſtituant, ut videri à Sole diſſitæ queant, Paulus quindecim gradus definit omnibus: quem & Tzetzes in Comment. ad II Heſiodi librum ſecutus videtur. Nam & iiſdem verbis antecedentia & conſequentia Signorum, quibus Paulus, appellat: illa quidem μοίρας δεξιὰς, καὶ ἀνατολικάς: hæc verò ἀριστεράς, καὶ δυτικάς. Sed quod Planetis duobus tantummodò tribuitur à Paulo, Firmico, & Plinio, ac ceteris omnibus; id universè Tzetzes de aſtris aſſerit. quod minimè procedit.

Hæc ſunt Soliniani commentatoris in his litteris non peccata, ſed flagitia; qui in planetarum explicando motu tam ſe aſtronomiæ ſcientem eſſe demonſtrat, quàm Grammaticæ, cùm planetam feminino genere ibidem uſurpat. *Ubi ad Solem*, inquit, *regreſſa eſt planeta.* Et mox: *efficiaturque matutina.* cujuſmodi in Scholis quotidie tyrones luunt. Salmaſii pag. 741. A.

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU,

AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER SEPTIMUS.

In quo contra Plinianas Salmaſii Exercitationes diſſeritur.

CAPUT I.

De Caniculæ ortu Veterum diſſidia fruſtrà à Salmaſio conciliata. Ejus triplex ratio confutatur.

DE duorum ſiderum exortu, occaſúque, Sirii, ac Vergiliarum, quaſi per ſaturam diſſerit Salmaſius in Exercitationibus totidem. in quas è nartheciis Grammaticarum obſervationum crudam & indigeſtam locorum congetiem effudit. Satis animadvertet, qui commentarios iſtius legerit, non ipſum eorum, de quibus explicabat, vel mediocrem intelligentiam habuiſſe: id unum verò curaſſe, ut quàm confertiſſima auctorum ac teſtimoniorum copia epulum ſuum inſtrueret; atque hac arte rudi, vel aliis in ſtudiis occupato lectori fucum faceret. Itaque nihilo fit, quod ſuſceperat, argumentum tam longo ſermone clarius, atque ad intelligendum facilius. Nihil enim ad liquidum ibi definitum, ac deciſum: nihil certa ratione patefactum: nihil quod arbitrari te poſſis meliùs ac dudum, pleniùſque percipere. Patum hoc eſſet, niſi etiam falſa, abſona, &, quod homini iſti fatale eſt, prioribus poſteriora contraria paſſim multa jactaret. Quod ut in omnium defigatur oculis ac ſenſibus, age ab iis ordiamur, quæ de Sirio, ſive canicula primo loco diſputavit.

Plin. Exerc. pag. 427. & ſeq. Principiò quæſtionem commovet ſanè difficilem, & acuti Critici ingenio dignam: quemadmodum veteres Scriptores ſecum, & cum Hephæſtione Thebæo conveniat. Nam is ſcribit, Ægyptios ex aſpectu Sothios, id eſt caniculæ, & ejus habitu, ac colore, conjecturam de aſcenſu Nili feciſſe: eam porrò ſtellam refert idem quinta & viceſima die menſis Epiphi ortum habuiſſe. qui eſt Julii XIX. Timæus quoque Nilum cenſebat incrementa capere Sole in Leonem ſubeunte. quo tempore Sirius oritur, ut & Aratus, Plinius, aliique narrant. Atqui Nilus idem, ut antiquis placet, aſſurgere incipit à Solſtitio, & Leonem ineunte Sole totus erumpit. *Quomodo ergo hæc conciliabimus?* (inquit) *nam circa ſolſtitium alii exordia aſcenſus Nili collocant: alii circa ortum Sirii.* Hic ſtatus eſt controverſiæ. cujus quidem componendæ triplex ab illo ratio proponitur.

Plin. Exerc. pag. 428. D. Prima eſt: Plinius ſolſtitium confici dicit in octava parte Cancri, octavo Calendas Julii. alii tradunt ſexto. Nam octava pars Cancri incidit in ſextum Cal. Julii. Idem caniculam Ægypto exoriri ſcribit IV Non. Jul. Italiæ verò XVI Calend. Auguſt. Nilum verò creſcere incipere Luna nova quæcumque poſt ſolſtitium eſt. A ſexto Kalend. Julii, id eſt à Solſtitio, ad IV Non. Julii, dies ſunt octo. Quocirca ſive nova tantùm Luna poſt ſolſtitium creſcere incipiebat Nilus, accidebat ſæpe ut auſpicia incrementorum ejus inciderent in canis exortum. ſive ab ipſo Solſtitio ſemper Nilus ἀνάβασιν inchoabat, quum ſeptimo tantùm, aut octavo die poſt Solſtitium Ægypto Sirius exoriretur, adhuc ejus ex ortu conjectura capi poterat, qualis futura eſſet illius ἀναβάσεως. Hæc prima conciliandorum Veterum ratio: in qua verborum plurimùm; rerum ac judicii admodum nihil. Etenim quiſquis diſſidentes ſpecie ipſa ſententias duas neque falſas eſſe putat, & concordes invicem facere ſtudet, tertium aliquid eligat oportet; in quod pars utraque conſpiret, ac conſentiat. Duo in hoc negotio ſunt, quæ diſcrepare videntur, antiquorum placita. Alii Nilum ab ipſo Solſtitio ἀνάβασιν inchoare volunt. alii circa ortum Sirii. quod poſterius à priori non diſtat, ſi in ipſo quoque Solſtitio Sirius oriatur. Proinde qui ita ſentiunt, aliquantò poſt Solſtitium oriri caniculam putant. Medius inter hos, ac mutuæ concordiæ ſequeſter Plinius interponitur. Dicat igitur neceſſe eſt aliquid, quod ex æquo placeat utriſque. Eſt id autem, Sirium IV Non. Julii ortum facere, hoc eſt diebus octo poſt Solſtitium. Hoc ſi pars alterutra non probat, pax eſſe nulla poteſt. At id nulla omninò pars admittit. imo ambæ ex æquo reclamant. Sirium enim oriri circa primam Leonis partem aſſerunt. Docet hoc Hephæſtio, qui Julii XIX id aſſignat. Timæus, Lucanus, Manilius, Plinius, Firmicus non aliter ſentiunt; ut Salmaſius ipſe prædicat, nec vel unum ſaltem nominat, qui cum arbitro controverſiæ Plinio Sirium octavo poſt τροπὰς oriri die ſtatuat. Quamquam quid alienis teſtimoniis hominem ſtudemus convincere? Dicat ipſe contra ſe teſtimonium potiùs, ac falſò Plinium ſe interpretatum eſſe demonſtret. Quod enim ex illo Scriptore attulit, Sirium IV No- Pag. 427. nas ortum facere; hoc idem ipſe Salmaſius pag. 430 non de Sirio, ſed de Procyne dixiſſe Plinium apertè ſcribit. Potéſtne firmius & conciliationis iſtius, & anctoris inanitas, quàm ipſiuſmet decreto ac ſententia refutari?

Quid quod imperitè coſmicum ortum cum heliaco confundit? Nam Hephæſtio, ac ceteri, qui circa XIX Julii oriri caniculam adſtruunt, de heliaco loquuntur, quippe ex aſpectu Sothios de ἀναβάσει conjectura non aliter petitur, quàm ſi ſtella iſta videatur. At Plinius, qui IV Non. Jul. oriri ait in Ægypto caniculam, de coſmico capiendus eſt. Hæc diſcernere Criticus iſte non potuit. Ideo minimè cohærentem interpretationem attulit. Non enim conciliari inter ſe diſcrepantes illi Veteres poterunt ex eo, quòd Sirius in Ægypto quarto Nonas Julias ortum faciat; cùm hic ortus ἀληθινός, non apparens ſit: de hoc verò dumtaxat, non de priore nata ſit

ta ſit quæſtio. Sed de ortu Sirii, & Salmaſii errore poſtea dicetur.

Plin. Exerc. p. 429. B. Altera conciliandi via ex Scaligero ſumitur: qui rectè notat, ϑερινὰς τροπὰς, id eſt, τὰ αὔτεα VIII Julii menſis à Græcis eſſe conſtituta. hoc eſt undecim tantùm dies ante canis exortum. Ita Nili incrementum haud multis diebus ortum canis anticipabat. Eſt id quoque frivolum, & inane perfugium. Etenim ſi Veteres VIII Julii ſolſtitium locabant; non igitur in VIII Calendas, ſextòve ponebant; neque ortum Sirii IV Non. ut paullò antè dixit. Ita miſerè ſeipſum elidit, evertitque Salmaſius. Quin hoc poſterius de Solſtitio in octavum Julii à Veteribus collato, quod nunc approbat, alibi reſpuit. uti nos ſuprà lib. VI, cap. X docuimus.

Tertiò denique reſpondet Salmaſius; promptiùs rem eſſe confectam, ſi Scaligerum audiamus. *Hinc enim caniculam ſæculo Manilii in ſeptima Cancri parte oriri ſolitam ſcribit in ſinnore barbarico. Solſtitium tunc committebatur apud Romanos in octava parte Cancri. Ergo uno die præcedebat ortus caniculæ Ægyptiacus Solſtitium. ut non mirum ſit alios tradere Nilum à Solſtitio creſcere; alios verò non ante caniculæ exortum auſpicari incrementa ſua.* Ne hæc quidem conciliandi ratio ad rem pertinet. quin omnium abſurdiſſima eſt, inſcitiæque pleniſſima. Nam veteres Romani, qui in octava parte Cancri Solſtitium fieri putabant, non alium diem, quàm VIII Calendas, aut VI deſignabant; cardinem ipſum in contactu Tropici & τοῦ διὰ μέσων, ſive eclipticæ ſtatuebant. Quippe aditum Solis in Cancrum in octavum antè diem rejiciebant. At Scaliger cùm in ſeptima Cancri parte ortum Sirii collocat, ſeptimam numerat non ab ingreſſu Solis in Cancrum, qui tum putabatur; hoc eſt ex a. d. XV Cal. Jul. ſed ab VIII Cal. ut in Cal. ipſas Julias ſeptima iſta pars inciderit. Quocirca ſi vera eſt obſervatio Salmaſii, oportet antiquos ortum Sirii in XXIII Junii diem contuliſſe. Præterea in idem, quod paullò antè commemoravimus, ἄτοπον incurrit. Nam Veteres illi, quorum pacando diſſidio quaſi ſequeſter intervenit Salmaſius, de Heliaco Caniculæ exortu, non de Coſmico loquuntur. At Scaliger de nullo alio, quàm Coſmico poteſt accipi. etſi ne Coſmicus quidem Manilii tempore in Cancri parte ſeptima fiebat.

CAPUT II.

Salmaſii multiplex hallucinatio. Imprimis quòd Procynem ante Caniculam occidere putat. Oſtenditur falsò ab ipſo credi Plinium Procynem ſumpſiſſe perpetuò pro Canicula. Plinius illuſtratur.

Salm. in Plin. Exerc. p. 429. E. & 430. B. 431. A. & D. OPINIÓ Salmaſii eſt Plinium ubique Procynem accepiſſe pro canicula, nec alium προκύνα dictum agnoviſſe, præter eum, qui Sirius dicitur. *Non dubitavit igitur* (verba ſunt illius ex pag. 431 D) *ut vir magnus putat, an Antecanem vocare deberet caniculam. ſed planè ubique ſic vocavit. Immò non alium προκύνα dictum agnovit, præter eum, qui Sirius dicitur, & in ipſo ore canis poſitus, ante canem oritur.* Verùm uno tantùm in loco Plinius Procynem apertè Caniculam appellaſſe videtur. Poſtquam enim lib. XVIII, capite XXVIII de Zona Orionis, & Procynis ortu ita ſcripſit, *Zona autem ejus IV Nonas Aſſyriæ: Ægypto verò Procyon matutino æſtuoſus. quod ſidus apud Romanos non habet nomen, niſi caniculam hunc velimus intelligi, hoc eſt minorem canem.* capite ſequenti hæc habet: *Rurſus plenilunium nocet a. d. IV nonas Julii, cùm Ægypto canicula exoritur.* Cùm in priore loco dubitaſſet, an ὁ προκύων Latinè nominari caniculam oporteret, in poſteriori, quaſi ita ſibi perſuaſiſſet, appellavit. Sed illa ſuperior cunctatio ſatis oſtendit, non abſolutè putaſſe Plinium quem Græci προκύνα vocant, nihil à canicula, Siriòve diſcrepare. Alioqui nullus eſſet hæſitandi locus: cùm Latinum vocabulum ſciret eſſet caniculam, ac certo ſignificando ſideri tributum.

Salmaſ. p. 430. B. Reliqua omnia, quæ ex eodem Plinio ad id probandum adducta ſunt à Salmaſio loca; teſtimonia magis hujus oſcitantiæ ſunt, quàm conjecturæ illius argumenta. Eorum eſt hoc unum ad eruditorum memoriam, & Salmaſiani nominis decus illuſtre, quod ex lib. XVIII, capite XXIX petitur *Quarto Kalendas Maii canis occidit, ſidus & per ſe vehemens, & cui præoccidere caniculam neceſſe ſit.* ad quem iſta Salmaſius obſervat: *ubi caniculam evidentiſſimè vocat ὁ προκύων:* QUI UT PRÆOCCIDIT CANI, ITA ET PRÆORITUR. Quod ne per imprudentiam, uti fit, excidiſſe putemus homini ceteroquin harum rerum haud imperito; ecce tibi rurſus alio loco: *Canicula,* inquit, *ut diximus, Plinio eſt προκύων,* QUÆ ANTE CANEM ORITUR, ET OCCIDIT. Quid hac hallucinatione fœdius? *Procyon,* ait, *ante canem oritur & occidit.* Nullis ad hanc cæcitatem revincendam argumentis eſt opus. Quiſquis ad pictam ſphæram, & globum oculos adjecerit, quamvis hebes ac plumbeus ſit, errorem intelliget. Etenim quæ ad boream declinant ſtellæ, earum, quæ ad auſtrum vergunt, uti ortus antecedunt, ſic occaſus ſequuntur. præſertim ſi boreales ſitu poſteriores ſunt. ut in Procyne, & Cane contingit. Canicula quippe hoc tempore poſita eſt in gradu circiter nono Cancri, & ad auſtrum declinat, Procyon ad boream ſitus eſt in gradu ferè 21 Cancri. Ergo ille priùs oritur, quàm Canis, occidit autem poſt ipſum. Anno primo Juliano Procyon hærebat in Geminorum gradu 27, 27′. Romæ autem occidebat acronychè in Geminorum 13, 24′. Coſmicè occidebat in gradu Sagittarii 13, 24′. cùm ortum heliacum faceret in gradu Cancri 29, 0′. At Sirius heliacè oriebatur in gradu Leonis 7, 43′. occaſus ejuſdem heliacus contingebat in gradu Tauri 5, 31′. acronychus in Tauri 19, 14′. Igitur occaſus heliacus Procynis caniculæ occaſu poſterior erat gradibus 23, 31′. hoc eſt diebus ampliùs tribus & viginti. acronychus, & Coſmicus quatuor & viginti, cùm tamen heliacè Procyon oriretur ante caniculam diebus circiter decem. Quòd autem Plinius ait canis ſideri præoccidere caniculam; quod acumen Critici fugit; nos ad Julianum rectiſſimè ſumus interpretati de canario ſacrificio. in quo, ad placandum caniculæ ſidus, rufæ canes immolabantur. unde & *catularia porta* nomen accepit; ut auctor eſt Feſtus.

Pag 435. B.

Procyon occidit poſt caniculam.

Plinius explicatur.

Salm. pag. 430. A. & B. Alter Plinii locus, quo conjectura nititur, ex libro XVIII, cap. XXVIII ſumptus eſt: *XVII Calend. Auguſti Aſſyria Procyon exoritur. Dein poſtridie ferè ubique confeſſum inter omnes ſidus indicans, quod canis ortum vocamus, Sole partem primam Leonis ingreſſo. Hoc fit poſt Solſtitium XXIII die.* Quibus ex verbis concludit προκύνα vocari à Plinio caniculam, & decimo ſexto Calendas Auguſti ortum ejus poni, in prima Leonis parte. Sed ex collectio prorſus ἀσυλλόγιστος eſt. Nam ut integer locus ille ſit, hoc ſolùm efficere poteſt, ut Procyon XVII Cal. Auguſt. oriatur in Aſſyria; poſtridie verò canis, nempe XVI Calend. Auguſt. in principio Leonis. Ubi duo illa ſidera perſpicuè diſcernit: neque Procynem ait oriri XVI Calendas; ſed illud ipſum ſidus, quod antecedit Procyon, ac prænunciat. Verùm mendoſa illa eſſe verba Plinii nemo non videt, qui in hiſce litteris aliquid videt. Quàm enim miſerè in his explicandis verſatus eſt Criticus noſter! Credit hoc ſibi velle Plinium; ὁ προκύων *decimo ſeptimo Calendas Auguſti exoriri Aſſyriis; dein poſtridie, hoc eſt decimo ſexto Calendas ferè ubique.* Qua ex ſententia ſequitur; altero die, quàm in Aſſyria heliacum fecit ortum Procyon, ubivis oriri. Huic verò & natura rerum omnis, & communis ſenſus reclamat. Nam quò minus eſt poli ἔξαρμα, eò citiùs illa ſtella à Sole digreſſa conſpicitur. Procyon anno primo Juliano Romæ, ubi polus XLII gradibus attollitur, heliacè oriebatur in gradu 29 Geminorum; Alexandriæ in 21; Diſcrimen graduum, dierúmque octo. in Aſſyria ad elevationem poli graduum 36; in Cancri gradu 24. Geminus quoque Caniculam ait oriri in Inſula Rhodo triceſimo die poſt Solſtitium. alibi quadrageſimo, & quinquageſimo.

Salmaſii mira conſtrictio in Plinii loco.

Atque ut preſſius cum hoc hallucinationis monſtro pedem conferamus, age quid Pliniana illa vox, *ubique,* ſuperioribus in verbis valeat, ex eodem auctore conſideremus. Capite XXV libri XVIII, priuſquam ortus ſtellarum & occaſus ex aſtronomorum obſervationibus, & parapegmatibus excerperet, præcipuas regiones percenſuit, in quibus obſervationes editæ ſunt: quarum etiam ille paſſim meminit. Ex his præcipuæ ſunt, Italia, Macedonia, Thracia, Ægyptus, Helleſpontus, Aſſyria, & Babylonia. Africam, Hiſpanias, & Gallias omittit, quòd nemo in iis ſtellarum prodidiſſet exortus. Facilè tamen ait etiam in illis terris poſſe dignoſci ex ea circulorum ratione, quam in ſexto volumine digeſſit. Quocirca cùm Plinius ex Salmaſii opinione poſtridie,

Salmaſii imperitiæ plena ſententia refutatur.

ſtridie, quàm in Aſſyria Procyon ortus eſt, eumdem *ubique* dicit oriri; de illis ſaltem tractibus intelligendus erit. Ergo poſtridie, quàm in Aſſyria ortus eſt; qua cum Babylonia conjungitur, in Thracia, & Italia conſpicietur. Babylon, quæ caput eſt Chaldææ, & in qua Aſſyrium parapegma confectum eſt, quo Plinius utitur; gradibus 35 polum aſſurgentem habet. Byzantium in Thracia gradibus ampliùs 43. Italiæ ad boream poſtrema gradibus 45. qui ſitus eſt Venetiarum. Procyon anno primo Juliano Babylone oriebatur heliacè cum gradu Cancri 24, 27'. quem Sol adibat Julii XIX, ſive XIV Cal. Aug. Byzantii autem oriebatur in gradu Geminorum 29, 52'. ſive in primo Leonis, Julii XXVI. Intervallum dies ſeptem. Venetiis porrò idem ortus accidebat in Leonis 1, 27'. Julii XXVII, vel XXVIII. diebus VIII vel IX poſtquam ortum fecit in Babylonia. At ex Hipparchi noſtri decreto poſtridie oriri debuit. Adjice nunc Galliam, ejúſque boreales provincias, in quibus gradibus XLIV, vel L polus attollitur; multò tardiùs idem ſidus exorietur. Venuſtus eſt itaque noſter, dum Plinii verba in eum ſenſum explicat, ex quo tam immania ἀλογία naſcitur. Atqui ſi paullulùm ejus, quam in illa Exercitatione adeò præfert, ſideralis ſcientiæ haberet; non valdè in illo loco conflictaretur, qui ex vetere Germanici Interprete ad Aratum caſtigandus eſt, apud quem ita legitur; ut & Salmaſius retulit.
Plin. Exerc. p. 432. E. *Deinde poſt triduum ferè ubique, confeſſum inter omnes ſidus indicans, quod Canis ortum vocamus.* Levis interpunctionis mutatio lucem his verbis afferet. Scribo: *Deinde poſt triduum ferè; ubique confeſſum inter omnes*, &c. Procyon ſidus duas ſtellas habet, unam anteriorem in collo; alteram in femore. Plinius de aſteriſmi totius exortu loquitur, cujus prior ſtella Babylone oriebatur heliacè in gradu Cancri 21, 27'. poſterior in gradu 24, 27'. diſcrimen graduum trium, ac dierum totidem. Solſtitium æſtivum contigit anno primo Juliano, Junii XXV. Igitur die Julii circiter XVI ſive XVII Calend. Auguſti Procyon oriri cœpit. At poſterior ejuſdem ſtella poſt triduum; nempe Julii XX. Hoc verò ſidus ubique; in noſtro videlicet orbe, ac præſertim in his regionibus, quæ à Plinio commemoratæ ſunt; Canis ortum indicat: qui poſt ſex circiter dies in Babylonia contigit. Nam ortus heliacus Sirii, anno primo Juliano, Babylone præciſè in ipſum punctum ingreſſus Solis in Leonem incidit, Julii XXVI. Hanc eſſe Pliniani loci ſententiam; illam autem Exercitatoris abſonam; non rationibus, ſed ſola lectione perſuaderi debet.

Quocirca de Procynis ortu heliaco, hoc eſt utriuſque ſtellæ, accipiendus eſt Plinius, cùm ei quatriduum circiter imputat: quemadmodum paullò antè Orionis ortui plures aſſignavit dies. Quod autem capite XXIX a. d. IV Nonas Julias oriri Caniculam in Ægypto aſſerit; Italiæ verò XVI Calend. Auguſtas; de ortu Sirii coſmico verum eſt: ut capite ſuperiori demonſtravimus. Nam paullò pòſt IV Nonas coſmicè in Ægypto Sirius oriebatur. in Italia verò circa Julii XVII, qui eſt XVI Calend. Auguſt. Nam Coſmicos ortus interdum cum heliacis confundit: dum ex variis parapegmatibus properanter omnia colligit. Ergo in capite XXVIII, ubi IV Nonas Julias oriri in Ægypto Procynem refert, Sirium per imprudentiam ſumpſit pro Antecane. In XXIX verò capite, revera Sirium intellexit, ejúſque coſmicum ortum. Ita plurimùm opinione falſus eſt Salmaſius: qui tam levi argumento, imò nullo, Plinium affirmare auſus eſt, numquam Sirium à Procyne diſtinguere. cùm tamen illo ipſo loco tam disertè Procynem ſeparet à canis ortu, qui in prima parte Leonis accidit. quem nemo alium eſſe, quàm Sirium, ſuſpicari poteſt. In quo ſingularis eſt ἀβλεψία. Nam, ut ejus eſt interpretatio, *confeſſum illud inter omnes ſidus, quod canis ortum vocamus;* quod *ſentiunt maria, & terræ, multa verò & feræ;* quod *accendit Solem, & magnam æſtus obtinet cauſſam*, non Sirium oportet eſſe, ſed reliquas eo excepto Canis ſtellas, quarum prodromus eſt Sirius. At id abſurdum eſt. Neque Plinius de altero, quàm de Sirio illa ſcripſit. Quippe præter Sirium, ſive lucidam in ore canis, reliquæ aſteriſmi illius ſtellæ, ἐλαφροὶ, καὶ ἀνεπαχθεῖς οἶον ἡμῖν: *leviores, nec moleſtæ ſunt.* ut poſt Aratum Theo ſcribit. Quinetiam pag. 431 Exercitat. B. fatetur Salmaſius Plinium lib. II, capite XLVII, caniculam vocare non Procynem, ſed κυνὸς ἄστρον, quod in prima Leonis parte Sol ingreditur. idque pag. 435, C repetit. Non igitur ubique Procynem cum canicula confundit, neque caniculam pro Antecane perpetuò uſurpat; ut ſecum ipſe pugnans Salmaſius aſſerit.

Sed omnem inſcitiæ modum ſuperant, quæ ad eamdem Exercitationem retulit. Primùm enim ex Cenſori- Plin. Exerc. pag. 431. B, C.
no docet caniculam XII Cal. Auguſt. exortum in Ægypto facere. tum ex multorum Græcorum, Latinorumque conſenſu eamdem oriri XIII Cal. Auguſt. in Leonis ingreſſu. Ex quo ita concludit: *Ergo tridecimo die aliis; in Ægypto verò duodecimo Calendas Auguſti canicula exoriebatur.* Ridiculè. quaſi in Ægypto poſteriùs uno die oriatur, quàm in Italia, vel ibi, ubi multi illi Græci, Latinique ortum caniculæ prodiderunt. Anno primo Juliano, ut jam dictum eſt, in Ægypto canicula ortum faciebat heliacum in gradu Cancri 26. hoc eſt XII Cal. Aug. quò Cenſorinus reſpexit. Romæ eodem tempore oriebatur in gradu Leonis circiter octavo, ineunte Au- Salmaſii graviſſimus error.
guſto; diebus ferè XII, poſtquam orta erat in Ægypto. Quomodo priùs in Italia, quàm in Ægypto orietur uno die? quid jocularius? quid abſurdius afferri potuit? Nam ut penitus ſe imbutum hac opinione monſtraret, ita ſubjicit: *Manilius, qui in prima Leonis parte canicula exortum conſtituit, non ſphæram barbaricam, id eſt Ægyptiacam ſequitur, ſed vulgarem, & Græcanicam.* Quid ita? nempe quòd (ingreſſus in Leonem incidit in XIII Cal. Aug. ac proinde Manilius, qui in aditu Leonis ortum Caniculæ ponit, hunc eodem illo die circumſcribit: cùm tamen non XIII Cal. ſed XII ortum in Ægypto, id eſt barbarica ſphæra fecerit. Hoc modo ſequitur poſtridie, quàm in Græcia, & Italia ortus erat Sirius, ortum in Ægypto feciſſe. quod in fine pag. lit. E disertè adſtruit. Et tamen vide ἀλογίαν. Pag. 429 D, Caniculam in Ægypto, id eſt in Finitore barbarico, oriri in ſeptima Cancri parte definit ex auctoritate Scaligeri; Idem pag. 432 C, Manilium ait vulgarem, & Græcanicam ſecutum ſphæram, non barbaricam, in prima parte Leonis ortum caniculæ collocaſſe. Ex quo directè ſequitur ſeptimo pòſt die oriri in Ægypto caniculam, quàm in Græcia, aut Italia orta ſit. Jam hæc à nobis reprehenſa ratio eſt, quòd bona fide, ac feriò putet in Leonem ingreſſum fuiſſe Solem illo ſæculo XIII Cal. Aug. cùm id VI circiter acciderit. Sed & illud imperitè facit, quòd ſic de ortu Caniculæ loquitur, quaſi perpetuò, ac ſæculis omnibus in primo gradu Leonis ortum habuerit. ac neque tempora diſcernit: neque de ortu heliaco, an Coſmico Scriptores illi interpretandi ſint, aut animadvertit, aut lectores ſuos admonet. quod ejus intererat facere, qui Plinium, ac reliquos auctores caſtigare, aut explicare vellet.

Quid illud? Multorum ſe Græcorum, ac Latinorum teſtimonio probaſſe dicit, caniculam oriri XIII Cal. Aug. Hoc ſi ulli auctores aſſerunt, id alibi, quàm in Ægypto fieri affirment neceſſe eſt; ut verum ſit, quod Salmaſius concludit, ex horum, & Cenſorini comparatione, in Ægypto poſtridie, quàm alibi, caniculam oriri. Cedo igitur Græcos, & Latinos illos. Qui ſuper ortu Caniculæ citati à Salmaſio fuerunt, ii ferè ſunt: Timæus Mathematicus à Plinio laudatus lib. V, cap. IX; Plinius, Manilius, Ptolemæus, Aratus, & ejus Scholiaſtes, Lucanus, Hephæſtio, Palladius, Firmicus. Ex his Palladius XIV Cal. Auguſt. Caniculam oriri ſcribit, non XIII, lib. VII, Tit. IX. Ptolemæus, ſive potiùs Rhapſodus iſte, qui de inerrantium Significat. ſcripſit, non ſolùm XIII Cal. ſed etiam Eidibus Jul. & XV Cal. Aug. ortum ponit Caniculæ. Plinius partim XV Cal. ortum aſſignat Caniculæ, ut lib. II, cap. XLVII. partim XVI Cal. ut in lib. XVIII, cap. XXIX. Hephæſtio XXV Epiphi, id eſt XIV Cal. Aug. eumdem ortum tribuit. Ceteri Leonem ſubeunte Sole Caniculam aiunt oriri. Non dicunt, quod Salmaſius aſſerit, XIII Cal. id accidere. Quod de Timæo præſertim, & Arato fingere alieniſſimum eſt. ut Salmaſius facit. Qui nec ſibi conſtat. Nam pag. 428, E. *Inter omnes*, ait, *ferè convenit etiam vetuſtiſſimos, canem exoriri duodecimo Calendas Auguſti principio Leonis; Aratus, Timæus Mathematicus apud Plinium, omnes alii.* At pag. 432 C, omnes ait in eo conſentire, Solem XIII Calendas Leonem ingredi, ac tum exoriri caniculam. Ac ne quia fortè leve unius eſſe diei diſcrimen exiſtimet; ſciat ab hoc Critico tanti id fieri, ut hoc uno præclara illius obſervatio nitatur, quam ſuprà confutavimus, Caniculam poſtridie oriri in Ægypto, quàm in

in aliis terræ tractibus. Tum ex eodem Solinum ab eo notari, quod XII. Cal. Aug. Solem in Leonem ingredi, & Sirium oriri ſcripſerit. *Atqui certum eſt*, inquit, *ex his, quæ antè attulimus, non duodecimo Cal. Auguſti, ſed tredecimo Solem introitum facere in Leonem, quo tempore & canem exoriri aiunt: poſtridie, hoc eſt duodecimo apud Ægyptios Cenſorinus.* Vides inconſtantiam. Nam aliàs XII Cal. & principium Leonis, & ortum Caniculæ tribuit. aliàs XIII. Ac rurſus eâdem pag. neutro die, ſed XIV Cal. cum Palladio. Sic enim loquitur. *At ſi a. d. XII. Cal. Aug. in Ægypto canicula oritur, non in prima, ſed in tertia Leonis parte ibi oritur, nec decimo nono Julii, ſed viceſimo primo.* Hæc omnia ſunt ἀσύστατα.

C A P U T III.

Super Virgilii verſibus diſputatum. Salmaſii errores graviſſimi in interpretando Virgilio. Plinius ab eo non intellectus illuſtratur: itidémque Ptolemæus, & Hipparchus. Quid ſint ἑωανατολικῶν, & μεσανατολικῶν ſtellarum. Manilius, & Firmicus explicati.

VIRGILIUS lib. I Georg. veris jam provecti tempus ita circumſcribit:

> *Candidus auratis aperit cum cornibus annum*
> *Taurus, & adverſo cedens canis occidit aſtro.*

Non eſt obſcurum indicari tempus illud, quo Sol in principio Tauri eſt, quando & Sirius occidit heliacè. quod Virgilii ſæculo fiebat in gradu Tauri 6 Romæ. Eum Sol adibat Aprilis circiter XXVII, hoc eſt IV Cal. Maias; quo die decimam partem Tauri Solem ingredi vulgaris erat opinio, de qua Plinius lib. XVIII, cap. XXIX. Cùm autem aſteriſmus Canis ſtellas plures habeat, una eſt tamen inſignior ceteris in illius adverſa parte, nimirum in maxilla. cujus ratio potiſſimùm habetur. Ideo per id tempus occidere canem ait, non abſolutè, ac ſecundùm ſtellas omnes, ſed propter Sirium, quod adverſum vocat aſtrum. Hæc optima interpretatio eſt vulgatæ lectionis. Servius monet in quibuſdam exemplaribus *averſo*, pro *adverſo* reperiri. ut *averſum aſtrum* ſit Argo navis, cui locum dat occidens Canicula. quod peræquè probari poteſt. Neque tamen damnanda funditùs altera lectio, ut putat Salmaſius. cujus ad hunc locum, ac ſuper eo Servii verba, errata ſunt immania tria.

Plin. Exercit. pag. 433. E.

Error primus Salmaſii. p. 434. A.

Primum κοσμικὸν Canis occaſum à Virgilio deſcribi cenſet. *Occidit tunc canis veſperi* (ait) *& κοσμικὸς hic occaſus ejus cenſeri debet.* Mox: *De vero igitur ejus occaſu, & mundano loquitur Poëta.* Item: *De veſpertino igitur & mundano occaſu canis accipiendum in Poëta.* Falsò id quidem. Nam de heliaco, & veſpertino occaſu Poëta loquitur, qui diebus ampliùs XIV acronychum, ac verum præcedit. Hoc vel Salmaſius ipſe fateri cogetur, ſi ſibi conſtare velit. Etenim de hoc occaſu Poëtam accipit, qui IV Cal. Maias in X parte Tauri fieri à Varrone dicitur apud Plinium lib. XVIII, cap. XXIX. At iſte heliacus eſt, non mundanus, id eſt acronychus. Siquidem acronychus in Tauri parte 19, 14′ contigit; hoc eſt in 26, ut tum numerare mos fuit. At heliacus in IV Cal. Maias, & decimam Tauri partem incidit, ab ingreſſu, quem putabant, dodecatemorii. Quocirca ἡλιακὸν & κοσμικὸν occaſum non intellexit Salmaſius, quod objicit Servio. ac veſpertinum omnem ſtellarum occaſum mundanum eſſe credidit. unde quod legerat Canem occidere tunc veſperi, ad verum ac mundanum ut falsò vocat, occaſum retulit. Atqui Coſmicus occaſus non ſolet appellari, ſed ἀκρόνυχος, quando ſtella cum Sole occidit. Et tunc coſmicè occidit ſtella, quando oriente Sole ſub terram conditur. quod Novembri tum menſe fiebat. Quamobrem ſi divinum Critici acumen ſequimur, Virgilius non vernum tempus, ſed hiemis initium deſcripſit. eodemque tempore Sol Taurum ingreditur. Nam coſmicus, ſeu mundanus occaſus hoc ipſum eſt, quod docui.

Nota Salmaſium acronychum occaſum appellare coſmicum.

Alium error Salmaſii in Plinio interpretando.

Alterum ἀνδραγάθημα Salmaſii in Pliniani loci interpretatione conſiſtit, in quo miserè ſeipſum collidit, & implicat. Plinii verba libro XVIII, cap. XXV, ubi varios ſtellarum ortus, & occaſus aperit; *Exortus, occaſuſque binis modis intelliguntur. Aut enim adventu Solis occultantur ſtellæ, & conſpici deſinunt; aut ejuſdem abſceſſu proferunt ſe. Emerſum hoc meliùs, quàm exortum, conſuetudo dixiſſet: & illud occultationem potiùs, quàm occaſum. Alio modo, quo die incipiunt apparêre, vel deſinunt; oriente Sole, vel occidente, matutini, veſpertinive cognominati; prout alterutris eorum mane, vel crepuſculo contingit. Dodrantes horarum, cùm minimùm, intervalla ea deſiderant ante Solis ortum, vel poſt occaſum, ut aſpici poſſint. Præterea bis quædam exoriuntur, & occidunt. Omniſque ſermo de his eſt ſtellis, quas adhærere cælo diximus.*

Plin. Exercit. p. 434. C.

Salmaſius in prioribus verbis, quibus occultationem, emerſumque ſtellæ ſolaribus è radiis exprimit, heliacum ortum, & occaſum contineri putat. In iis autem, *Alio modo, quo die incipiunt apparêre, vel deſinunt*, &c. coſmicum ortum, & occaſum. Nam ita præfatur: *Sequitur de alio genere ortus, & occaſus, quem κοσμικὸν appellant.* Inde Plinii poſteriora illa ſubjicit. Hæc ideo, ut Servium redarguat, doceátque non intellexiſſe quid eſſet ἡλιακὸς, & κοσμικὸς ortus, occaſuſve. Quod multò ipſe profectò minùs intelligit. Coſmicus ortus in ſphæricis definitur, *quando ſignum, vel ſtella ſuper horizontem* (verba ſunt Sacroboſcani) *ex parte orientis de die conſurgit.* Propriè autem, quòd unà cum Sole matutino tempore conſcendit; & quidem ſic ut oculis diſcerni nequeat; ut ab heliaco diſtinguatur. Et eſt ἑσπερινὴ ἑῴα μὴ φαινομένη, vel ἀληθινὴ Gemini. vel ἑῴα ἐπανατολὴ ἀληθινή, aut etiam ἐπιτολὴ μὴ φαινομένη, qui ſunt duo modi primi ſchematiſmi è novem Ptolemaicis. de quibus lib. I hujus operis, cap. I.

Sal. p. 791. D.

Ad ortum Coſmicum accommodari poſteriora illa Plinii verba nequeunt, ſi verum eſt, quod Salmaſius alio loco diſſerit; Plinium intervallum definire dodrantis horarum, ut matutinò ſtella oriens videri poſſit. Sic enim ille ſcribit: *Quot igitur partibus abeſſe debet à Sole ſtella, ut matutinò exoriatur?* Mox Pliniana iſta profert de dodrantibus horariis, quibus decem partes circuli, ſive gradus aſſignat. *Ergo denis*, inquit, *partibus cùm minimùm, debet à Sole diſtare ſtella, ut ante ortum Solis aſpici queat, & poſt occaſum.* Intervallum illud partium, quod eò neceſſarium eſſe Plinius aſſerit, ut ante Solis ortum, occaſúmve ſtella conſpiciatur, non poteſt ad Coſmicum ejus ortum reſtringi, vel acronychum occaſum. (quem occaſum Coſmici nomine intellexit Salmaſius.) Nam nullum Coſmicus ortus intervallum deſiderat. eùm in eo videri ſtella nequeat. imo propriè, perfectéque Coſmicus tum dicitur, cùm ſine ulla diſtantia directè amborum ſibi centra reſpondent. Apparere, inquit Plinius, incipiunt, vel deſinunt oriente Sole, vel occidente; mane, vel ſub veſperam. quod ut faciant, & ante Solis ortum, vel occaſum appareant; dodrantis horæ intervallum requiritur. Hæc de Coſmico ortu, id eſt matutino non poſſunt accipi; ſi illud intervallum neceſſarium eſt, ut matutinò exoriantur. quia matutinus ortus Coſmicus nullum intervallum poſtulat. Malè itaque Plinium ſuum Exercitator exponit.

Nos in libro hujus Operis primo, capite I eumdem locum ſic enarravimus, uti ſtellarum ortus, & occaſus bifariam ſpectaret. primò abſolutè, & ad Solem tantummodò comparatos; qua ratione non tam ortus, & occaſus, quàm emerſio, & occultatio dici meretur. Secundò, reſpectu ad utrumque, hoc eſt ad Solem, & horizontem habito. Priore modo ſtella oritur, cùm ſe Solis radiis primùm expedit. occidit, cùm luce illius abſorbetur. Poſteriore modo tunc oritur, cùm à nobis paullò ante Solis ortum; vel poſt occaſum in oriente conſpicitur ſupra horizontem emergens. quorum alter heliacus ortus; alter acronychus appellatur, vel ἑσπερινὴ ἑσπερία φαινομένη. Occidit autem, cùm vel paullò poſt occaſum Solem adhuc cernitur, antequam ſub horizontem deſcendat: vel paullò ante ortum Solis infra terram conditur. quorum ille occaſus heliacus; hic acronychus apparens, ſive δύσις ἑσπερία φαινομένη vocatur. Utrobique porrò, hoc eſt tam ad heliacos ortus, & occaſus, quàm ad occaſus Coſmicos, & ortus acronychos apparentes, intervallo eſt opus, uti ſtella proſpiciatur. In heliacis quidem res eſt perſpicua. In ceteris non minùs deſiderari teſtis eſt Geminus cap. XI, qui in ortu veſpertino ἀληθινῷ, nequaquam aſpici ſtellam ait; ſed inſequentibus diebus; poſtquam gradibus aliquot abjunctus ab ea Sol eſſe cœpit. Sic etiam in

Vide Geminum p. 27.

matutinis occaſibus veris non videri ſtellam in ipſo puncto deſcenſionis, ſed tunc demum, cùm ab diametro Sol aliquantulùm receſſerit. Ut ad eum ſenſum Plinii verba transferantur, quod ait, *alio modo dici ortus & occaſus, quo die incipiunt apparere, vel deſinunt oriente Sole, vel occidente;* ita temperari debet; ut *apparendi* verbum non, ut putat Salmaſius, ad *orientem Solem;* ſed ad *occidentem* referatur; *deſinendi* verò vox ad *orientem Solem*, non ad *occidentem* pertineat. Nam apparere incipere ſtellam oriente Sole, ſive paullò ante ortum, eſt heliacè oriri. deſinere autem apparere ſub occaſum Solis, eſt heliacum occaſum facere. At verò de ſolo heliaco ſtellarum ortu, & occaſu meminiſſe Plinium idcirco non arbitror, quòd præter hos aliorum quoque mentionem ſæpè faciat, præſertim occaſus matutini; ut in Vergiliis. tum etiam quod Theophraſtus, cujus locum cap. I, lib. I retulimus; ac ceteri, qui ea de re commemorarunt; non ſolos heliacos; ſed etiam coſmicos, & acronychos in medium adducant. Omninò verò de apparenti ortu, & occaſu interpretandus eſt Plinius, qualiſcumque tandem ille ſit. de ortu verò coſmico, vel occaſu acronycho nullo modo poteſt; in eóque immane quantum Salmaſius aberrat. Quocirca ut Plinii locus ille, qui nonnihil obſcuritatis habet, clariùs, ac liquidiùs explicetur, noſtra hæc opinio eſt; duplex in eo genus ortuum, & occaſuum afferri; alterum quod ex ſtellæ cum Sole tantummodò comparatione petitur: qua ratione non tam ortus, quàm emerſio: nec tam occaſus, quàm occultatio vocari meruit. Alterum, quod ad aſpectum noſtrum pariter, & ad horizontem refertur. quando ſcilicet ſupra horizontem emergere, aut infra eumdem cadere ſtellam conſpicimus, oriente, vel occidente Sole. & utrobique genus hoc poſterius bifariam dividitur. Nam ortus vel eſt heliacus, cùm apparere incipit ſtella paullò ante ſolis ortum horizontem ſuperans. vel eſt acronychus apparens, ſive ἀκρωνυχὶ ἑσπερία φαινομένη, quando paullò poſt occaſum Solis ab oriente conſurgit. Ita Pliniana iſta verba, *quo die incipiunt apparere oriente Sole, vel occidente*, ſic interpretabimur, ut quatenus heliacus ortus intelligitur, apparere oriente ſole dicatur, hoc eſt paullò ante Solis ortum, ab ortiva cœli parte. quatenus verò ad veſpertinum ortum ſtellæ verba eadem referuntur; apparere ſtellam dicat occidente ſole, non oriente: hoc eſt paullò poſt Solis occaſum. Similiter occaſus alter heliacus indicatur à Plinio; cùm poſt occaſum Solis in horizonte occiduo præcipitantem ſtellam poſtremùm aſpicimus: & hac ratione deſinit apparere occidente Sole. alter matutinus eſt apparens: cùm ortum Solis intervallo aliquo ſtella præveniens in occaſum intuentibus nobis demergitur. Sic enim apparere deſinit, hoc eſt ſupra horizontem proſpici, Sole oriente; nempe paullò antequam oriatur. Itaque qua parte de heliaco, quem vulgò nominant, ortu Plinius loquitur, non tam diverſa genera ortuum, & occaſuum in illis verbis complexus eſt Plinius; quàm diverſas eorumdem comparationes, & habitudines. ſiqnidem ortus heliacus, exempli gratiâ, emerſio eſt ſtellæ, quatenus ad Solem tantummodò comparatur. apparens verò eſt ortus, & ad poſteriora verba pertinet; quatenus ad Solem pariter & horizontem, ſive intuentium oculos refertur.

Sal. p. 321. D. Hæc non animadvertit Solinianus Exercitator. quem etiam fugit ratio, dum Plinianum illum dodrantem horæ declarans, primùm ait, ipſum quadraginta quinque horarum habere ſcrupula. quod eſt verum. Deinde ſubjicit: *Decem partes circuli quadraginta quatuor ſcrupula faciunt horæ. Ergo denis partibus cùm minimùm, debet à Sole diſtare ſtella, ut ante ortum Solis aſpici queat, & poſt occaſum.* Nugæ meræ. Decem partes circuli beſſem faciunt horarii intervalli, ſive τὸ δίμοιρον. Nam quindecim gradus uni imputantur horæ. Proinde ſcrupula horaria tantùm auferunt quadraginta. Dodrans autem horæ, quæ ſunt ſexagenæ horarum 45, non decem gradus, partéſve circuli, ſed undecim, & quadrantem inſuper exigit, Quare quid iſtic ſibi velit, equidem neſcio.

Tertius error Salmaſii Plin. Exercit. p. 413. C. Tertius in eadem Exercitatione error eſt. Cùm de Canis occaſu diſputat, quem eo fieri tempore notat, quo Sol in Tauro eſt, hunc ſcribit opponi ejuſdem ortui, *quem in Cancro quidam, in Leone plures conſtituunt. Ita cum Cancro oritur, occidit cum Tauro.* Hoc in loco ſermo illi eſt de occaſu ortúque Canis heliaco, quorum alterum Sole Tauri decimam partem obtinente circa IV Kalendas Maias ex Plinio confici refert ibidem: alterum, in Leonis ingreſſu, & hunc quidem heliacum. De utroque verò ſtatim iſta ſubtexit. *Etenim quæ ſidera in certa parte ſignorum zodiaci oriuntur, aut occidunt, cum eo ſigno oriri, aut occidere dicuntur, & συνανατέλλοντα illius ſigni vocantur, & συγκαταδύοντα.* Ac pagina ſequenti: *Ceterùm*, inquit, *Canis συνανατέλλων Cancri dicitur, quia cum Cancro oritur, ſed eo ſenſu quem ſuprà diximus idem eſt, & συνανατέλλων. Quod enim in certa Cancri parte oritur, συνανατέλλων, & παρανατέλλων Cancri vocatur.* Pag. 434. D. Hoc eſt, quod toties repetere cogimur: Salmaſium ne primis quidem rudimentis afflatum eſſe doctrinæ illius, cujus ſcientiam præ ſe ferre non erubuit, cùm tam multa de ortu ſiderum occaſúque garriret. Cujus imperitiæ vel unus hic locus ab eo confeſſionem extorquebit. Quid amabo jocularius eſt, quàm συνανατέλλοντα dici ſtellæ cujuſpiam eas zodiaci partes, in quibus heliacè ſtella oritur, occidítve? συνανατέλλον dicitur cum ſtella punctum illud zodiaci, quod cum ea ſcandit horizontem. quódqne aſcenſio illius obliqua deſignat, ubicumque polus ſupra finitorem aſſurgit. At ſideris totius, ſive aſteriſmi τὰ παρανατέλλοντα, vel συνανατέλλοντα dicuntur ea ſigna, ſignorúmve ſegmenta quæ cum ſidere ipſo horizontem ſuperant: ita ut primum ultimúmque punctum arcus zodiaci cum prima & ultima aſteriſmi ſtella in horizonte verſetur. Sic in libro IX, capite V Ptolemæus συνανατολὰς, συμμεσουρανήσεις, & συγκαταδύσεις ſtellarum nominat, Aſcenſiones earum obliquas, Aſcenſiones rectas, Deſcenſiones obliquas in ſphæra inclinationem habente. Eæ deſinunt in σημεῖα τὰ ἀπὸ μέσου τοῦ ζῳδίου, οἷς ἕκαστος τῶν ἀπλανῶν συμμεσουρανεῖ, ἢ συνανατέλλει, ἢ συγκαταδύει. *Puncta ecliptica, quibus cum qualibet fixarum culminat, aut in orientali horizonte, vel occidentali ſita eſt.* Hipparchus libro II latiſſimè περὶ τῶν συνανατελλόντων, συμμεσουρανούντων, & συγκαταδυνόντων τοῖς ἀπλανέσι differit. Ubique ſegmenta illa zodiaci definit, quæ coſmicè cum toto ſidere conſcendunt, aut ſub terras deſcendunt. Ac tantum abeſt uti zodiaci punctum illud, in quo emergere ſtella incipit, & ἡλιακῶς oriri, συνανατέλλον ejus appellari poſſit, ut ab hoc perpetuò diſtet intervallo tanto, quantus eſt arcus eclipticæ, qui recto illi angulo ſubtenditur, quem verticalis cum horizonte facit. Atque hic arcus interdum integro dodecatemorio major eſt. Ut in Vergiliarum ortu cernere licet. Nam lucida Pleiadum anno primo Juliano in Tauri gradu 1, 24′ ſita cum Arietis 22, 8′ ſupra Romanum horizontem emergebat. Heliacus ejuſdem ortus incidebat in grad. Tauri 29, 33′. Diſcrimen puncti συνανατέλλοντος, & ejus, in quo ortum faciebat, graduum 37, 25′. Poteſt idem ex Hipparcho demonſtrari. cujus verba cùm juxta cum ignariſſimis caperet Salmaſius, in medium adduxit, ac videlicet explicare voluit. Ergo lib. II εἰς τὰ Φαινόμενα, ſiderum plurimorum συνανατολὰς, & συγκαταδύσεις declarans nihil aliud eſſe ſignificat, niſi zodiaci ſegmenta, quæ cum totis aſteriſmis adæquantur illo intervallo, quo ſupra horizontem erepunt, aut ſub terras deſcendunt. quorum arcuum extrema diſtant à punctis, in quibus poſtrema τῶν μορφώσεων heliacè oriuntur, aut occidunt. Ut non aliena exempla requiramus, τὸ συνανατέλλον τῷ κυνὶ, ſic ille deſcribit, ὅταν ὁ κύων ἀνατέλλῃ, συνανατέλλει μὲν αὐτῷ ὁ ζῳδιακὸς ἀπὸ καρκίνου μοίρας ιε΄ ἕως λέοντος μοίρας ε΄ μέσης. *Quando Canis oritur, unà cum eo oritur arcus zodiaci à Cancri parte XV ad quintam Leonis mediam.* Hipparchi ſæculo, id eſt anno Per. Jul. 4560, ſtella prima Canis, quæ eſt in anteriori crure, ex tabulis noſtris cum parte Cancri 14 Rhodiacum ſcandebat horizontem. poſtrema ſtella caudæ cum Leonis 4, 31′. At heliacus ortus prioris ſtellæ in Cancri 29, 11′: poſtremæ caudæ in Leonis 17, 18′ fiebat. Manifeſtum eſt Hipparchum τὰ συνανατέλλοντα Canis non ea zodiaci intellexiſſe puncta, in quibus oritur heliacè; ſed quibus cum coſmicè ſtella prima, ac poſtrema τῶν μορφώσεων horizontem orientalem obtinet. Nam neutra cum Cancri gradu 15 heliacè oritur, aut cum Leonis 5. Sic de Procyne auctor idem ait oriente ipſo ſimul oriri arcum zodiaci à parte Cancri quarta media, ad nonam; atque horæ trientem in ortum inſumere. Nos ex tabulis noſtris anno eodem 4560 deprehendimus ortum coſmicum ſtellæ prioris Procynis Rhodi factum eſſe cum gradu Cancri 3, 9′. poſterioris in crure, cum Cancri 8.

Quid ſit συνανατέλλον.

cujus

cujus in eâdem elevatione heliacus ortus accidebat in grado Cancri 25.

Ad ſummam, quæcumque zodiaci ſegmenta ſingulis aſteriſmis Hipparchus attribuit, in iis ortum, vel occaſum heliacum limitaneæ ſtellæ non habent. utpote quæ hora ampliùs ſæpè cum συνανατέλλοντι, vel συναναφερομένῳ zodiaci puncto contingant horizontem antè, poſtve quàm Sol ad eum pervenerit, aut ab eodem deſcenderit. Ac vel ipſa vocabula συνανατέλλει, συναναφέρεται, συγκαταδύνει, quibus Hipparchus utitur; tum ipſa ſegmentorum zodiaci partitio, nec non horaria intervalla, quibus ortus ſiderum, occaſúſque metitur; perſpicuè nos docent, Aſcenſionum, Deſcenſionúmque puncta; non apparentium ortuum, vel occaſuum ibidem exprimi. Ad hunc modum Servius: *Canis*, inquit, *paranatellon eſt Cancri, id eſt cum eo oritur.* Ac ſubinde: *Oritur enim canicula cum Cancro: in columen venit cum Geminis: occidit cum Tauro.* Canis nomine totum aſteriſmum intelligit: cujus majori ex parte paranatellon erat Cancer. at caniculam de ſtella Sirii videtur accipere. cujus coſmicum ortum, & acronychum occaſum in Cancro, atque Tauro contigiſſe ſcribit. Nam heliacum ortum non in Cancro, ſed in Leonis octavo gradu per id tempus Italia proſpexit.

Manilius libro V, & Firmicus libro VIII ſidera inſignia cum zodiaci dodecatemoriis orientia, vel occidentia deſcribunt. & ut permiſcere, ac perturbare ſolent omnia, neque συνανατέλλοντα zodiaci puncta, vel συγκαταδύνοντα, nec ea, in quibus ortus vel occaſus apparentes exiſtunt fideliter adſcribunt. ac cùm ambo promiſcuè ſumant, neutrum ſæpiùs aſſequuntur. Procynem uterque cenſet oriri,

—— quum jam viceſima Cancri,
Septimaque ex undis pars ſeſe emergit in aſtra.

Pag. 434. Salmaſius inſcitè ſeptimam & viceſimam Cancri partem παρανατέλλειν Cancro facit: oblitus ſe ex Hipparcho retuliſſe, Procyne oriente συνανατέλλειν arcum zodiaci, qui à quarta Cancri ad nonam pertinet. Legeret Scaligerum, qui ad illa Manilii, hujus ſæculo ſcribit Procyni συνανατέλλειν ſolitam zodiaci portionem à XXX parte Geminorum ad quotam Cancri in ſphæra barbarica. Rectè quid eſſet συνανατέλλειν animadvertit. etſi perperam puncta ipſa definiit; neque quo de ortu Manilius explicandus eſſet, intellexit. Ut Auguſto imperante vixerit hic Poeta, quod Scaligero videtur: ſtella prior Procynis in ſphæra barbarica oriebatur cum Cancri gradu 2, 39′. poſterior cum ejuſdem 7, 41′. Sed ad ortum heliacum reſpexit Manilius, non ad verum. Ita Sirium uterque ponit oriri in Leone, ejúſque prima parte, ut disertè Firmicus aſſerit. Ergo συνανατέλλειν, vel παρανατέλλειν Sirii fuerit primus gradus Leonis, ſi Salmaſio credimus. Atqui ſæculo Julii Cæſaris, neque coſmicus ortus Sirii, nec apparens in Leone contigit in ſphæra barbarica, ſed uterque in Cancro. Ejuſdemmodi pleraque ſunt à duobus illis auctoribus imperitè ſuper hac re prodita, quæ partim ex comparatione τῶν συνανατολῶν Hipparchi; partim ex calculo, & aſtronomica methodo convinci, emendarique poſſunt.

CAPUT IV.

Salmaſii multiplex hallucinatio. Omnia ab illo ſurſque déque habita. Theo prodigioſo errore ab eodem expoſitus, ex quo conſequens fit Theonem, qui CCC ampliùs poſt Chriſtum annis floruit, orbis initio vixiſſe.

GERMANISSIMUS Salmaſii fœtus eſt Diatriba de ortu & occaſu Vergiliarum, & ad propriam illius ſcribendi formam, & characterem graphicè imprimis expreſſus. Nam eſt incondita, moroſa, & odioſè loquax. quæ nihil definit uſquam; nihil concludit; nihil ratiocinando conficit. dum id auctor ejus ſpectavit unum, ut quàm-plurimis variorum Scriptorum teſtimoniis refertum, ac ſuffarcinatum commentarium expromeret: perinde quaſi locorum communium ſilvam; non certæ rei inquirendæ gratiâ elaboratam, & confectam diſputationem texeret. In hac primùm capitale illud eſt, quod in ſtellarum iſtarum ortu, & occaſu pertractando promiſcuè habet omnia; nec ullum temporis, ac loci diſcrimen obſervat. Itaque Heſiodi, Thaletis, Metonis, Euctemonis, Julii Cæſaris, Ptolemæi, Theonis, Aëtii placita, velut ad idem ſæculum, & eamdem regionem pertineant, imperitiſſimè confundit. Nam ex aliorum decretis alios aut erroris arguit, aut explicat, & illuſtrat. Ejus rei ſpecimen ex hac ipſa de Vergiliis Exercitatione præbuimus ſuprà, ubi de annuis cardinibus egimus. His alterum modò adjungemus exemplum.

Democritus, ait, *tradidit pridie Nonas Apriles Pleiadas occultari mane, oriente Sole, & XL noctibus latere. Si ab a. d. pridie Nonas XL dies numeres, quibus latent Vergiliæ, nec noctibus videntur, incides in diem tertium, aut quartum Eidus Maias, quo die Vergilias apparere, & exoriri etiam notavit Ptolemæus.* Subjicit Theonis ſententiam, qui Vergilias exortum matutinum facere ſcribit vigeſimo quinto Pharmuthi, qui reſpondet vigeſimo Aprilis. Sal. p. 147. A. In his lepidum ſanè eſt, quòd Democritum ait pridie Non. Apriles κρύψιν Vergiliarum ponere. quaſi de Nonis Aprilibus cogitare potuerit. Sed nimirum auctor ille, unde hanc periochen Salmaſius excerpſit, intervallum ab æquinoctio ad occaſum Pleiadum, ad ætatem ſuam, ac Julianum accommodavit annum. cùm jam & æquinoctialis cardo longiùs in anteriora, & Vergiliarum occaſus in conſequentia progreſſionem feciſſent. Hinc & inanis ratio eſt, ex Democriti ſententia ortum heliacum tertio, vel quarto Eid. Maias ſtatuere. quem in diem Rhapſodus ille, qui Ptolemæi nomine editus eſt à Leonico, ortum Vergiliarum contulit. Hoc verò Democriti ſæculo minimè convenit.

Ad Theonem quod attinet, de ortu coſmico ille loquitur, non de heliaco, quem Veteres quidam octo & quadraginta poſt æquinoctium diebus accidere putarunt. In Theone gravis error Salmaſii. Fiebat enim tunc ortus coſmicus in gradu Tauri primo. Ac vel Theonis hoc verba docere poterant. Ait enim ὑπὸ τὸ ὄρθρον ἀνατέλλουσι σὺν ἡλίῳ, *cum Sole oriuntur.* Sed eumdem Theonem Salmaſius peſſimè habuit. Cùm enim in Arateis adnotaſſet, Vergilias oriri quinquageſimo ſecundo poſt æquinoctium vernum die, totidémque poſt autumnale diebus ortum veſpertinum facere in Sagittario: contrà Hipparchus noſter velle Theonem aſſerit in ipſis æquinoctiorum cardinibus oriri, & occidere primùm Vergilias, ac deinde LII diebus id continuò facere. Quæ interpretatio multis modis eſt abſurda. Verba Theonis: ὥσπερ ἡ ἐπιτολὴ ποιεῖται ἐφ' ἡμέρας πεντήκοντα δύο τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας, καὶ ὁ ἥλιος ἐστι μοιρῶν ιζ´ ἐν ταύρῳ. καὶ τὴν ἑσπερίαν ἣ, ἐφ' ἡμέρας τοσαύτας τῆς φθινοπωρινῆς ἰσημερίας, ἡλίου ὄντος ἐν τοξότῃ. *Quæ verba*, inquit Salmaſius, *non ſic accipienda ſunt, ut dicat mane & veſpere eas oriri poſt dies quinquaginta duos ab utroque æquinoctio: ſed oriri ait circa ipſa æquinoctia per dies duos & quinquaginta.* Salmaſ. pag. 145. A. Ex quo Theonem ſenſiſſe colligit ortum heliacum Vergiliarum incidere in vernum æquinoctium: ortum veſpertinum in autumnale. quam & Heſiodi ſententiam fuiſſe contendit.

Hanc ſententiam Theoni plus vice ſimplici Salmaſius adſcribit. quod ut immeritò fecit; ſic non impunè per nos feret. Plin. Exercit. p. 744. C, 745. B, 746. E. Igitur verba illa, ἐφ' ἡμέρας πεντήκοντα δύο τῆς ἰσημερίας non ſunt, quod ille cenſet, *diebus ab æquinoctio continuis duobus & quinquaginta:* ſed, *poſt dies LII ab eodem æquinoctio.* Et Græcis pariter, & Latinis familiaris hic idiotiſmus eſt: ut cùm dicimus, oriri Vergilias poſt æquinoctium diebus LII, vel XLVIII. Plinius lib. II, cap. XLVII. *Poſt id æquinoctium diebus ferè quatuor & quadraginta, Vergiliarum occaſus hiemem inchoat.* Idem eſt, ac die quarto & quadrageſimo. Docet hoc Solis eo tempore ſitus, quem Theo definit Tauri parte 17. quod antiquis parapegmatibus conſentaneum eſt. quæ heliacum ortum in parte Tauri XVII, vel XVIII collocant. In æquinoctio verò nonniſi multis ante Heſiodum, & Homerum ſæculis contingere potuit. Etenim Heſiodi tempore, circa annum mundi 2983, Per. Jul. 3713. lucida Pleïadum ſita erat in gradu Arietis 18. Circa diluvium in æquinoctio ipſo. Ut autem heliacus ortus in eodem æquinoctio accidat, longiore adhuc opus erit ſpatio. Siquidem inter heliacum ortum, & verum plures dies interjecti ſunt. Unde ſub initium orbis conditi eveniſſe neceſſe eſt, quod Salmaſius à Theone, qui poſt Chriſtum trecentis ampliùs annis floruit, aſſeveratum exiſtimat. Multa multorum errata ſunt. ſed qui graviùs offenderit, quàm hac in re

fecit Solinianus iſte, mortalium hactenus dico fuiſſe neminem. Ad hæc quo ſenſu obſecro diceret Theo Pleïadas oriri diebus LII continuis ab æquinoctio? Si enim oriri indidem incipiant, ante horam noctis decimam, id eſt tribus circiter ante Solis ortum de nocte Pleïades orientur quinquageſimo pòſt die. Quippe gradus 15 in horam unam competunt. Quare cùm heliacus ortus hora ferè integra ante ortum Solis incidat; ſi ad hoc momentum aſcenſionem addas obliquam, quæ gradibus circiter zodiaci LII competit, hoc eſt in Alexandrina poli elevatione partes æquinoctialis ferè 38, horas duas ac dimidiam efficies. Hoc modo Solis ortum horis tribus, ac dimidia orientes antevertent Vergiliæ. At hic ortus eſſe jam deſinit; cujuſmodi ſtellarum ortus ab auctoribus intelliguntur, cùm eos trifariam dividunt. quippe nimio intervallo Solem antecedunt. Aut ſi oriri ſtella nihilominus dicitur, etſi quatuor horis priùs quàm Sol aſſurgat; cur non poſt quinque? cur non poſt ſex horas ortus eadem appellatio procedet? Non magis ergo poſt LII dies, quàm poſt LX, vel LXX, Vergiliarum conſtabit ortus.

Alius error Salmaſii de Theone p. 743. A, & 744. E. Jam in ortu veſpertino, ſive acronycho Pleïadum longè manifeſtiùs tenetur, dum à Theone cenſet in æquinoctium autumnale conferri Pleiadum ἀληθινὴν ἀκρόνυχον, quæ deinceps diebus duobus & quinquaginta continuò fiat. Docet Geminus, quod & ſuprà retulimus, ortus & occaſus matutinos apparentes ſtellarum poſteriores eſſe veris. Nam & ante ortum heliacum coſmicus, id eſt verus exiſtit. & ſtella priùs ſita in occidentali horizonte ſurgentem Solem oppoſita reſpicit, (qui verus eſt matutinus occaſus) quàm ortum ejuſdem occaſu ſuo apparente præcedat; quod deinceps accidit. At ortus & occaſus veſpertinos apparentes priores eſſe veris idem Geminus eſt auctor. Quippe occidit ἡλιακῶς ante ſtella ſub veſperam, quàm cum Sole jungatur. & priuſquam cadenti Soli oriens ipſa ex adverſo ſit objecta (qui eſt ortus ἀκρόνυχος ἀληθινὸς) diebus aliquot occaſum Solis conſecuta prima nocte ſurrexit. Quamobrem ante ortum heliacum, vel occaſum coſmicum oriens ſtella, vel occidens non videtur. itidémque poſt occaſum heliacum, & ortum acronychum. Hæc ſi certiſſima ſunt, ut eſſe nemo dubitat: Salmaſius Theonis mentem inſcitè prorſus explicat. Vult enim dici ab illo, Pleiadum ortum veſpertinum verum in autumni æquinoctio fieri; ac deinceps eumdem continuari diebus quinquaginta duobus. Atqui verus ortus veſpertinus limes eſt, & clauſula apparentium ortuum generis ejuſdem. Præterea lib. I, cap. III ad Canonem XIX oſtendimus, anno circiter Per. Jul. 2435 lucidam Pleiadum ortum coſmicum habuiſſe cum æquinoctii verni puncto; adeóque veſpertinum ortum cum autumnali æquinoctio. Is eſt annus ante Trojanum excidium 1095. Hæc Theonis ætas fuerit, ſi verum eſt, quod ab eo Salmaſius ſcriptum putat.

Quid hîc autem diutiùs immoramur? Nam ecce Theo in iiſdem commentariis interpretamentum illud Salmaſii apertiſſimæ falſitatis arguit. Paullò enim ante verba illa, de quibus hæc nata diſputatio eſt, ſic ſcribit: *Ἰτέον δ' ὡς ἡ ἑῴα ἀνατολὴ τῶν πλειάδων γίνεται ἀπὸ Μαΐου ἕως κγ' τοῦ Ἰουνίου. ἡ δ' ἑσπερία ἀνατολὴ ἀπὸ Ὀκτωβρίου μέχρι Δεκεμβρίου.* Ortum matutinum Pleiadum incipere ait à Maio menſe, & pertingere ad Junii XXIII. ſiquidem ortus matutini nomine coſmicum & ſynodicum cum heliaco complectitur; eúmque latiùs extendit ad horas aliquot, quibus φαινομένη προανατολὴ ἑῴα perſeverat; quæ eſt tertia ſpecies primi ſchematiſmi Ptolemaici. Sed ſi ortus matutinus à Maio demum incipit ex Theonis ſententia; non utique ab æquinoctio verno. Sic idem ortum veſpertinum inchoat ab Octobri, atque ad Decembrem porrigit. Scribendum fuit occidere matutinò Pleiadas eo intervallo, non oriri. ſed ut aliud agenti hoc exciderit: certè qui hoc ſcripſit, non poteſt in eam opinionem trahi, ut ab æquinoctio autumnali Pleiadas ortum acronychum facere crediderit, itidem ut à verno matutinum ortum. Ut hic Theonis locus caſtigatione dignus eſt; qui veſpertinum exortum Pleïadum ad duos menſes propagat. (Non enim ad ἀληθινὴν προανατολὴν referre libet, quæ eſt tertia ſpecies ſeptimi ſchematiſmi. quòd hic ortus neque in ſenſus incurrat; nec ullum habere poſſit uſum) Sic in aliis ejuſdem verbis, quæ ſtupore defixum & attonitum habent Salmaſium, non erat hæſitationi tantæ locus. Miratur à Theone ortui matutino ortum opponi veſpertinum; cùm ceteri occaſum potiùs matutinum objiciant, atque ita bipertitam anni diviſionem fieri cenſeant. Verum acronychus ortus occaſum matutinum paucis diebus antecedebat; puta 8, vel 9. Ideo quis horum heliaco opponatur ortui, non valdè refert. Etſi Theoni, vel miſcellis potiùs Arati ſcholiis non aſſentior, quæ ἑσπερίας Pleiadas exponunt de ortu veſpertino, cùm occaſum matutinum Aratus intellexerit, ac ne ipſum quidem verum. hoc eſt ἑῴαν συγκαταδύνουσαν ἀληθινὴν, ſed apparentem: quæ eſt ἑῴα πρόδυσις φαινομένη, ſchematiſmi tertii apud Ptolemæum tertia ſpecies. Ea verò ad dies aliquot extenditur, & latiùs in Novembrem ſeſe diffundit: cùm tamen verus occaſus Octobri exeunte, vel ineunte Novembri Theonis ætate contingeret, ſeptimo, vel octavò poſt ortum acronychum die. In farragine pſeudepigrapha Ptolemæi à Leonico edita Vergiliarum exortus ultimò ponitur Prid. Eid. Octobr. id eſt duodecimo die. Hic eſt ortus veſpertinus verus: qui Julii Cæſaris tempore fiebat in gradu Libræ circiter 22. Ingreſſum libræ ſtatuit idem libellus XIII Kalendas Octobr. æquinoctium autem XI Kalend. Ab hoc æquinoctio dies XXII incurrit in ortum acronychum Vergiliarum. Proinde cùm ex Veterum προλήψει antevertiſſet Solis in Libram introitum, conſentaneè Vergiliarum collocavit exortum. à quo deinde nono die occaſum earumdem matutinum verum poſuit. Nam apparentes reliqui ſunt ex hac, quam dixi, ratione; qui in Eid. Novemb. terminantur. Quemadmodum è contrario ante veſpertinum ortum verum Prid. Eid. Octobr. ſæpius apparentes adnotantur, non ſolùm Kal. Octob. & ſecundo ejuſdem die; ſed etiam III Kal. Octobr. & V, adeóque Prid. Eid. Septemb. qui ſunt apparentes ortus Pleiadum priores vero. Hæc non diſtinguuntur in Solinianis commentationibus: nec apparentis ac veri ſchematiſmi diſcrimen ibi eſt ullum. quia judicium & ἀκρίβεια minimum loci habet in iſta congerie Grammaticarum obſervationum. ubi ex ſola copia, & varietate eruditioni pretium ponitur.

C A P U T V.

Salmaſii de Heſiodio æquinoctio abſurda ſententia. Error ejuſdem de bipartito anni ſectione. Item alius; ex quo ſequitur Heſiodum orbis initio floruiſſe. Ptolemæi libellus à Leonico editus miſcella tumultuaria eſt. Idem illuſtratus.

HESIODUM olim in æquinoctio verno conſtituiſſe Vergiliarum ortum heliacum conjectura Salmaſii eſt: quam eo ſibi argumento peperit, quòd cùm occaſum earum veſpertinum in æquinoctium autumnale contulerit, neceſſe ſit huic in altero æquinoctio reſpondere matutinum ortum, ut annus juſta diviſione bipertitò ſecetur. Nam Vergiliæ ortu matutino & occaſu æquales in partes annum dividunt. Pag. 743. E. & 746. C.

Verùm tam hæc temeraria divinatio eſt, quàm argumentatio falſa. Oſtendimus capite ſuperiori numquam ab orbe condito potuiſſe Pleïadum ortum heliacum cum æquinoctio verno concurrere: nedum hoc Heſiodi ſæculo contigiſſe. quo heliacus ortus in gradu Tauri 10 factus eſt; cùm in Ariet. 10 ferè coſmicus fieret. At occaſus matutinus verus in Libræ 19. Hîc igitur ἐπικαταδύνουσα ἑῴα μὴ φαινομένη locum habere potuit. qui eſt tertius σχηματισμὸς Ptolemæi. Atqui hoc ſenſu vir quidam eruditus Heſiodum explicabat: qui, ut refert Plin. lib. XVIII, cap. XXV, aſſerebat *occaſum Vergiliarum matutinum fieri, cùm æquinoctium autumni conficeretur.* Plinii locus illuſtratur. Sed mihi ſimile veri non videtur hunc occaſum ab Heſiodo notatum eſſe, qui neque diſcerni poſſet oculis, nec agriculturæ, vel alteri cuipiam humanæ vitæ parti uſum præſtaret aliquem. Quòd ſi verum occaſum in parapegmate ſuo deſignare utcumque vellet, συγκαταδύνουσαν ἀληθινὴν potiùs obſervaret; quando in oppoſito puncto ſtella verſatur, quàm ἐπικαταδύνουσαν. Quocirca nondum ab illa ſuſpicione dimoveor, quam ſuprà poſui, videri Plinium occaſum matutinum pro veſpertino & heliaco ſumpſiſſe. Etenim occidentalis ultima Pleïadum Heſiodi tempore occaſum heliacum faciebat in Ariet. 1 gradu. Quamobrem potuit Heſiodus initium occaſus aſteriſmi totius ſcripto tradere. pro quo matutinum, & autumnalem Plinius, aut alius quiſpiam uſurparit.

Sal. p. 744. A, & E.

patit. Ortum verò Pleïadis ullius heliacum in æquinoctio verno Heſiodum ſtatuiſſe, nemo niſi expers harum litterarum, planeque rudis audebit aſſerere.

Salmaſii graviſſimus error. Sed eſt operæpretium rationem illam expendere, quæ Hipparchum noſtrum tam abſurdam in ſententiam impulit. Eſt enim cetera illius eruditione digna. Non enim aliter, inquit, juſta anni partitio fieri poteſt, quàm ſi ortus apparens & matutinus in æquinoctio verno, occaſus matutinus in autumnali conſtituatur. Nam *Vergiliæ*, ait ille, *ortu & occaſu ſuo totum* IN DUAS PARTES ÆQUALES *dividunt, ac ſecant annum.* Ac vide μικρολογίαν. Plinium redarguit, quod lib. II, cap. XLVII, & lib. XVIII, cap. XXV ſcripſerit matutinum occaſum Vergiliarum fieri quarto & quadrageſimo poſt æquinoctium autumni die. quoniam *neceſſe eſt ut æquali ſpatio annum dividat exortus Vergiliarum, & occaſus, æquè ac ſolſtitia, & æquinoctia.* Unde *par numerus ab æquinoctio verno ad exortum matutinum Vergiliarum, & ab æquinoctio autumnali ad earumdem occaſum matutinum.* Ergo ſcribere Plinius debuit octavo & quadrageſimo. Enimverò ferri ultrà Scriptor iſte vix poteſt. Itáne annum in partes æquales dividunt Vergiliæ ortu occaſúque matutino, ut æquinoctia, & ſolſtitia? Ut de cardinibus priore loco diſputem: quis præter iſtum neſcit hodie, quod in ſphæricis elementis pueri diſcunt; propter apſidem ſummam, quod apogeum vocant; æqualem anni partitionem non eſſe, ſi per æquinoctia dividatur? Intervallum ab æquinoctio verno ad autumnale, ex Tychonis ſententia, dierum eſt 186, horarum 18, 30′. Ab autumnali ad vernum dierum 178, horarum 11, 19′. Diſcrimen dierum 8, horarum 7, 11′. En præciſa Hipparchi noſtri διχοτομία. Rurſus Heſiodi ſæculo, id eſt anno 3714 Per. Jul. cardinum hic ſitus fuit ex calculo verorum motuum ad meridianum Atticum; ſic ut horæ à media nocte procedant.

P 743, E. Pag 742, D, E.

Cardines annui tempore Heſiodi.		
		H.
Æquinoctium vernum	Martii XXXI,	1, 24′
Solſtitium æſtivum	Julii III,	0, 59
Æquinoctium autumni	Octobr. II,	17, 33
Solſtitium hibernum	Decemb. XXX,	1, 23

Intervallum ab æquinoctio verno ad autumnale dierum exſtitit 185, 16′, 9″. ab autumnali ad vernum, dierum 179, 13′, 51″. Differentia dierum 6, hor. 2, 18′. Rurſus à ſolſtitio æſtivo ad hibernum dies intercedunt 185, 5′, 36″. ab hiberno ad æſtivum, dies 180, 0′, 13″. Diſcrimen dierum 5, 5′, 23″. Apogeum tunc erat in Tauri gradu 21, 9′. hodie in Cancri 6 deprehenditur. quæ cauſſa eſt inæqualitatis hodiernorum, ac veterum intervallorum. Nam hoc tempore ſolſtitia bipartitò ferè ſecant annum. non item æquinoctia. neutra quondam bifariam dividebant. Hæc priùs diſcere illum oportuit, quàm doceret alios

Omnia qui magni diſpexit lumina mundi,
Qui ſtellarum ortus comperit atque obitus.

Sed hæc de cardinibus ignoſcamus homini non ſanè callido: etſi propter μικρολογίαν caſtigationis Pliniani quatridui, admonendus is fuit. Verùm haud paullò abſurdior illius ratio eſt, cùm ad Vergiliarum ortum, occaſúmque transfertur. Etenim non poteſt æqualis ab iis anni partitio fieri. uti cap. IX, lib. II demonſtravimus, tam Heſiodi, quàm Metonis, Cæſaris, hodiernóque ſæculo. Heſiodi tempore intervallum ab ortu heliaco Vergiliarum qui Maii X contigit, ad occaſum matutinum Octob. XX, fuit CLXIII dierum. alterum autem ab occaſu matutino ad exortum matutinum dierum CCII. En Salmaſii διχοτομία. Metonis item ſæculo diſtabat ortu heliaco matutinus occaſus diebus CLXV. Alterum igitur intervallum dierum fuit ducentorum, dimidio certè majus anno. Vide omninò caput noſtrum IX. Itaque plebeia, nec polito viro digna eſt hæc opinio Soliniani commentatoris, annum per æquinoctia dividi in partes æquales: nedum ortu & occaſu Vergiliarum; in quo probando tot fruſtrà paginas inſumpſit.

Salmaſii At etiam de illo Heſiodi loco conjecturam ſuam nobis attulit. Putat hunc dixiſſe ἑσπερίας φαίνεσθαι τὰς Πλειάδας, non quæ veſpertinæ oriantur, ſed quæ in occidentali horizonte cernuntur, paullò antequam Sol oriatur, & occidant ipſæ. Nam hæ ἑσπέριαι φαίνεσθαι, καὶ τὴν ἑῴαν δύσιν ποιεῖσθαι rectè dicuntur, id eſt *occiduæ apparere, & matutinum occaſum facere.* Siquidem, addit, ἑῴα δύσις ἡ πρὸ τῆς ἀνατολῆς τοῦ ἡλίου εἰς τὸν δυτικὸν ὁρίζοντα ἄφιξις dicitur. *Matutinus occaſus eſt ante Solis ortum ad occidentalem horizontem ſtellæ progreſſio.* O acutum hominem, & in paucis aſtronomiæ peritum, qui in autumni æquinoctio cenſet Heſiodi tempore Vergilias occidentalem horizontem tenuiſſe, antequam Sol oriretur! Occaſus matutinus apparens Pleïadum, ſive ἑῴα δύσις φαινομένη, non potuit in æquinoctium cadere, niſi ſub ipſum orbis initium, quando coſmicus occaſus verus incidebat in gradum Virginis 8. Duorum igitur alterum neceſſe ſit ex Hipparchi noſtri placito. Aut enim Heſiodus Adami tempore vixit. aut contra ſignorum ordinem Solis eſt retrò facta progreſſio. Etenim occaſus matutinus apparens Pleïadum diebus aliquot coſmicum, ſeu verum conſequitur. Ut autem eſt Soliniani artificis obſervatio, verum occaſum, qui in gradu Libræ 19 Heſiodi tempore commiſſus eſt; apparens anteceſſit in ipſo Libræ principio. Horum utrum malit, optare debet, ut acutum illud inventum adſtruat, Heſiodi ſæculo ἑῴαν δύσιν, & Vergiliarum in horizonte occidentali poſitum autumnali æquinoctio contigiſſe. pag. 744. D.

Parum eſt iis anguſtiis ſuapte culpa circumcluſum hominem teneri, ut commovere ſe nequeat, quin horum alterum fateatur, quæ ſanus ac ſobrius nemo conceſſerit. Rurſus ènim poſt aliquot paginas, cùm illud idem monſtrum tuetur, ac repetit; tum novo altero cumulat; ex quo longè abſurdiora, incredibilioráque naſcuntur. Verba Salmaſii, quia fidem vix haberet oratio noſtra, juvat hic deſcribere. *Cùm igitur*, inquit, *αἰγυπτίας βίβλου idem auctor fuerit Heſiodus, qui & ἔργων, καὶ ἡμερῶν, haud credibile eſt aliter in hoc atque in illo opere de Vergiliarum ortu, & occaſu ſenſiſſe, ac tradidiſſe. Quare cùm in aſtronomico libro Vergilias circa æquinoctium autumni matutino occidere dixit, non idem occaſus tempus, nec eumdem occaſum intellexit, de quo in ruſticis præceptis agit, ubi ſementem incipere debere ait* Πλειάδων δυομένων. CIRCA ÆQUINOCTIUM INCIPIUNT MATUTINO OCCIDERE, SED PARVAM TUNC HABENT SIGNIFICATIONEM. *Certè matutinè tum & veſpere apparere etiam Ptolemæus memorat. Idem dicendum eſt & de earum exortu matutino.* CIRCA ÆQUINOCTIUM VERNUM INCIPIUNT MANE EXERERE SE, ET PRÆSIGNIFICARE, *ut Ptolemæo notatur: ſed ortus earum matutinus plenus, ac φανερὸς, qui ſolidam & ἀκριβῆ ſignificat διάφορον ἀνατολήν, quarto & quadrageſimo tantùm die poſt æquinoctium, vel, ut aliis etiam placet, quadrageſimo octavo ſervatur.* In his Vergilias primò circa æquinoctium occidere matutinò ſolitas Heſiodi ſæculo fatetur; cui quæ ſint conſentanea paullò antè vidimus. Addit verò præterea, etiam circa vernum æquinoctium exerere ſe cœpiſſe, & ortum facere matutinum; qui eſt ortus heliacus; ut ille matutinus occaſus apparens: quæ duo ambo in æquinoctia tum incidiſſe itidem hoc loco confirmat, uti pag. 743, & 746 jam aſſeveraverat. Quare primo ipſo conditi orbis ſæculo vixit Heſiodus: quoniam ortus Vergiliarum heliacus anno primo mundi factus eſt in gradu Piſcium 28. Atenim Ptolemæus matutinò, & veſperi apparere circa autumnum Vergilias refert. Primùm non Ptolemæus, ſed Rhapſodus ille neſcio quis hoc dixit, qui centonem iſtum conſuit, quem Salmaſius aureolum vocat libellum. Credo quòd ad ejus genium eſt factus. Nam eſt tumultuaria quædam miſcella variis ex parapegmatibus ſine ordine, ac judicio confecta: &, quod caput eſt, nulla neque temporis, neque ſcriptorum, unde iſta ſuffuratus eſt, addita mentione. quam Græcè à nobis primùm editus alter Ptolemæi libellus utiliter adjecit. Hoc quia ſcribendi genus Salmaſium delectat, ideo librum hunc aureolum vocat; ac totus ex eo dependet. Deinde nec iſtum aureoli libri concinnatorem intellexit Salmaſius: nec apparentes ortus, & occaſus ſecernere invicem potuit. Sub æquinoctium autumnale eâdem nocte & apparentem ortum veſpertinum aliquantò poſt occaſum Solem facere ſtella; & ante Solis ortum in occidentali parte cœli conſpici poterat: non tamen in horizonte occiduo; neque ut occaſus hic matutinus eſſet; aut occidens ſtel- Sal. pag. 748. C. D.

la videretur. Nam hic erat ἑῴα ἐπικαταδύνοντος μὴ φαινομένη. Metonis ſæculo, cùm Sol in Libram ſubibat, lucida Pleïadum oriebatur cum gradu Ariet. 19, occaſo jam Sole, poſt horam 0, 48′. occidebat manè poſt ortum Solem hora 2, 15′ cum gradu Arietis 28 circiter. Itaque poſt mediam noctem ἐν δυσμαῖς μέρεσι ſub ortum Solis conſpecta eſt, oon tamen in horizonte occiduo, ut Hipparcho noſtro placuit. Idem & Julii Cæſaris ætate contigit. Nam Romæ ortus eſt poſt initium noctis hora 0, 51′. occidit poſt ortum Solis hora 2, 51′. Sic utcumque auctor libelli iſtius excuſari poteſt. Nam quòd Vergilias idem oriri adnotat Kal. Apr. niſi mendoſa ſunt, non heliacum ortum, ſed coſmicum ea verba ſignificant, quem ille ex veteri aliquo parapegmate deſcriptum perperam ad Julianos menſes accommodavit. Atque idem biduo pòſt Vergiliarum occaſum veſpertinum notat. qui profectò heliacum antecedit ortum. Non poſſunt igitur, ut Salmaſius exiſtimat, ad ortum heliacum priora illa pertinere.

C A P U T VI.

Salmaſii abſurdiſſima de Ovidii; item de Aëtii, & aliorum locis ſententia.

MAONAM injuriam Delrio noſtro facere eos, qui illum Criticum fuiſſe putent, ait obtrectator optimi viri, ac de ſacris, profaniſque litteris egregiè meriti. Sed quanto juſtiùs hæc in auctorem ipſum convicia redundent, tum illa faciunt fidem, quæ de infinitis illius erratis hactenus dicta ſunt; tum ex hoc ipſo capite conſtabit. Critici vocabulum à judicio deductum eſt. Hoc qui caret, vix eum hominis loco, nedum Critici, Sal. p. 746. A. ac docti hominis habendum cenſeo. Quantum judicii Salmaſius ad ſcribendum conferat, teſtis erit imprimis Ovidii locus, quem ex IV Faſtorum enarrare, immò reprehendere inſtituit. Ait Poëta,

Nox ubi tranſierit, cœlúmque rubeſcere primò
Cœperit, & tactæ rore querentur aves;
Semuſtámque facem vigilata nocte viator
Ponet, & ad ſolitum ruſticus ibit opus;
Pleiades incipient humeros relevare paternos
Quæ ſeptem dici, ſeu tamen eſſe ſolent.

Hìc Pleïadum occaſus heliacus deſcribitur IV Non. Apr. quas poëtico more ait cœlo decedere, & Atlantis patris humeris tanto levius onus facere. Cùm tam diſerta, tam plana, tam expedita iſta ſint de occaſu Vergiliarum heliaco, tamen neſcio qua vertigine tactus Criticus noſter Ovidium ait iis ipſis verbis matutinum ortum Pleïadum intellexiſſe. Vix in elementario tirone condonanda iſta cæcitas foret. *Relevare paternos humeros*, eſt de onere, quo premuntur Atlantis humeri, detrahere aliquid, ac ſeſe ſubducere. Ut in omnia ſe vertat, numquam matutinum ortum ex iſtis verſibus exſculpet.

Similis in Aëtii verbis explicandis indoles cernitur. μηνὶ Ἀπριλλίῳ α′ Πλειάδες ἀκρόνυχοι φαίνονται. Hoc eſt: *Calendis Aprilis Vergiliæ ſub initium noctis apparent.* ubi de oceaſn acronyeho & veſpertino, vel potiùs de ἐπικαταδύνεως φαινομένης loquitur. quando poſt occaſum Solis Pag. 746. A. occidit ſtella. Vertit tamen Salmaſius, *oriuntur veſpere.* Oriuotur Vergiliæ veſpere poſt æquinoctium autumnale: ut ex capite ſuperioti pleniſſimè conſtat. Itaque vernum tempus in autumnale trajecit. Nemo ad hanc inſcitiam majorem addet, niſi qui eam peperit. Nam ecce ſtatim unde Ovidio nata ſit ea ſententia, ridiculè quærit, quam illius verbis abſurdiſſima παρερμηνείᾳ tribuit. Ut, inquam, approbet non temerè ab Ovidio ſcribi Vergilias IV Non. Apr. oriri matutinò, putat alicubi legiſſe ipſum, Πλειάδες ἀκρόνυχοι φαίνονται. ac τὸ ἀκρόνυχον pro extrema noctis parte ſumpſiſſe. Quòd autem vox illa præcipitantem, ac penè confectam noctem ſignificet interdum, ex Democrito, & Eudoxo inter ſe collatis adſtruit. Scripſit enim Eudoxus Pri. Non. Apr. Πλειάδας ἀκρωνύχως δυόμεν. Democritus, Πλειάδες κρύπτονται ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι. Quocirca Salmaſius utriuſque dictum ſic accipit, ut Vergilias Prid. Non. Apr. voluerint occidiſſe manè, paullò ante Solis exortum. Pulchra & elegans animadverſio, quæ eodem jure, quo prior illa, ver in autumnum tranſportat. Matutinus occaſus Pleïadum multis poſt æquinoctium autumnale diebus accidit, ut ſuprà declaravimus. Ergo Aprilis menſis autumnalis eſt poſt æquinoctium. Ne multa. ἀκρόνυχοι ab Eudoxo Vergiliæ dicuntur *veſpertinæ*, non *matutinæ*. Itaque de occaſu heliaco capiendus eſt, quem in XIII parte Arietis collocabat, ut auctor eſt Geminus. Vide cap. IX, lib. II operis hujus. Democriti porrò verba apud eumdem Geminum, Πλειάδες κρύπτονται ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι, non occaſum matutinum, ſed heliacum jam confectum indicant, hoc eſt κρύψιν παντελῆ, quæ ad ortum coſmicum pertinet. Eſt enim ἑῴα ἐπανατολὴ μὴ φαινομένη, ejuſdem ſchematiſmi, ſub quo continetur ortus coſmicus. κρύπτεσθαι ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι eſt orientis Solis radiis occultari, & ὕπαυγον eſſe, vel συνοδικόν. Heliacus occaſus tum fit cùm ſtella circa horizontem occiduum ſita ab Sole jam occaſo intervallo diſtat graduum aliquot pro ſtellæ magnitudine. Ut in lucida Pleiadum, quæ eſt magnitudinis tertiæ, arcus τοῦ φάσεως grad. eſt 14. Anno primo Juliano, arcus zodiaci angulum rectum, qui ex verticali & horizonte fit in rectangulo LTV ſchematis quod eſt Can. XIV, lib. I, ſubtendens partium erat 15, 31′. Oecidebat eadem ſtella cum gradu Tauri 3, 17′. de quo detractis grad. 15, 31′, reliquus eſt Ariet. 17, 46′. Io hoc heliacus fiebat occaſus, hoc eſt cùm ad illum Sol pervenerat, occultari primum incipiebat. Fingamus occidentem Solem in gradu Ariet. 17, 17′ fuiſſe. adhuc conſpici ſtella poterit, eo jam condito. quoniam nondum occultationis limitem contigit. Tranſacta nocte, cùm Sol ad Arietis 17, 46′ pervenerit, erit ὕπαυγος ſtella. hoc eſt κρύπτεσθαι ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι, in ipſo puncto orientis Solis intra metas occultationis ſtellam conſiſtere: ſic ut poſtera nocte ineunte non cernatur ampliùs, quæ antecedente eſt viſa poſtremò. Non alia mens auctorum iſtorum fuit. Salmaſio verò ſequentia ſaltem apud Geminum verba ex illo Democriti parapegmate aurem vellicare debuerant. Sic enim legitur: Δημοκρίτῳ Πλειάδες κρύπτονται ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι, καὶ ἀφανεῖς γίνονται νύκτας μ′. Ab occultatione noctes quadraginta latent. Non fuit igitur matutinus occaſus: ſecundùm quem magis, ac de nocte apparere pergunt. ſed ejuſmodi qualem deſcribit Heſiodus initio lib. II. ubi extra controverſiam poſt heliacum occaſum latere Vergilias aſſerit diebus XL. Hùc enim reſpexiſſe Democritum pluſquàm veriſimile eſt.

In eâdem Diatriba Thaletem, qui *viceſimo quinto die ab autumnali æquinoctio Vergilias occidere ſcripſerat, de eo æquinoctio id intellexiſſe ſentit, quod ipſe obſervarat. Auctores tamen ſunt, qui Thaletis ſententiam de occaſu Vergiliarum æquinoctio communi adaptent; quos puto errare.* Pag. 748. B. Velim nobis decreti ſui rationem dignetur exponere. Nam Thaletis tempore lucidæ Pleïadum occaſus matutinus verus in gradum Libræ 25 cadebat. Ergo ab æquinoctio dies illi numerantur. Sed veri ſunt occaſus, non apparentis. cujus differentiæ fruſtra vel ſcientiam, vel notationem ab iſtis Salmaſii Exercitationibus exigas.

Cujus poſtremò præclara eſt animadverſio, in quam obiter incurrimus. Cauſſas enim complures varietatis ejus afferens, quam in ortu, & occaſu ſtellarum pronunciando Veteres exhibeot, inter alias hanc refert: Salmaſ. Plin. Exercit. pag. 748. C. *Ex monte, & ex planitie factæ τηρήσεις differunt, licèt in eâdem regione.* Ergo plurium dierum diverſitas in ſtellarum ortibus & occaſibus ex eo poteſt incidere, quòd alius è montis vertice; alius in planitie illos obſervat? Poterat & altera commemorari varietatis cauſſa, & quidem longiotis haud paullò temporis; ſi alter ex monte, vel plano; alter ex imo puteo, vel ciſterna proſpectum habeat. Item ſi alter ſobrius; alter benè potus ad obſervandum acceſſerit. Hinc enim διαιρέσεων diſcrimen orietur. Ex eo verò, quòd in monte, aut planitie fit τήρησις, nulla differentia naſcitur, quæ momenti ſit ullius.

C A P U T VII.

De horologiis Veterum, & umbrarum menſura, abſurda Salmaſii conjectura. Palladii ratio in umbris menſtruis ſiniendis inextricabilis.

DE horologiis, & gnomonica longiſſimam Exercitationem explicat Salmaſius. Hic enim mos eſt hominis,

minis, ut quò rem quamque minùs intelligit, eò moroſiùs illam ambitioſiùſque pertractet. Non intellexiſſe porrò idipſum, in quo diſputando non tam ingenium ſuum, quàm patientiam noſtram exercuit, cuivis me deinceps confido probaturum.

Eſt apud Grammaticos veteres, Græcóſque Scriptores alios, non rara pedum mentio in metiendis umbris; ut δεκάποδα, vel δωδεκάποδα σκιὰν, aut στοιχεῖον potiùs δεκάπουν, vel δωδεκάπουν, id eſt *decem*, vel *duodecim pedum umbram* nominent. Tritus eſt Ariſtophanis, ejúſque Scholiaſtæ locus in Ἐκκλησιαζούσαις: ubi in Semiramica illa republica, quam mulieres inſtituunt, Praxagora ſecuras eſſe jubet ſocias, ac nullam aliam, niſi curandi genii ſolicitudinem admittere.


— — — σοὶ δὲ μελήσει
Ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον λιπαρῷ χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον.

— — — tibi verò cura erit
Quando decempedalis erit horologii umbra, unctum ad cœnam proficiſci.

Interpres ad hæc verba primùm ita ſcribit: ἡ τοῦ ἡλίου σκιά, ὅταν ᾖ δέκα ποδῶν. θέλει οὖν εἰπεῖν ὅτι γίνεται ὀψέ. *Cùm umbra Solis decem pedum eſt. Vult ergo dicere, quando jam ſerò eſt.* Hæc Grammatici verba diligenter notanda ſunt. Nam ad Critici noſtri convincendam ἀσοφίαν utilia mox erunt. qui quidem cùm hunc locum citaret, omiſit ideo, quòd apud Caſaubonum ea non legerat, ex cujus animadverſionibus illa tranſcripſit. Pergit adnotare Scholiaſtes; olim, cùm ad cœnam condixiſſent, obſervare umbram ſolitos; nondum alia dignoſcendarum horarum ratione tradita; & cùm decempedalis umbra eſſet; ad condictum adfuiſſe. Alii δωδεκάποδα σκιὰν, *duodecim pedum umbram* ad cœnæ tempus accommodant: ut Menander in Ὀργῇ, apud Athenæum lib. VI, & Heſychium. Fit & pedum ſex, ſeptemque mentio, imo viginti nonnumquam. De quibus omnibus peremptorium eſt Salmaſii decretum; umbrarum modulos iſtos ad humana corpora, non ad horologia, vel ſtylos, aut gnomones ſciotherorum eſſe referendos. Enimverò falli viros eruditos aſſerit, qui ſecus ſentiunt. quod penè omnibus paginis benè longæ Diatribæ ad uſque faſtidium oggerit. Verba Salmaſii, ne quis ambigere poſſit, adſcribam. CORPORIS QUISQUE SUI UMBRAM PROPRIIS PEDIBUS METIEBATUR, *& ex ejus menſura colligebat, quota diei pars eſſet, & quantum Sol vel ad meridiem, vel ad occaſum progreſſus feciſſet: quantum à ſummo mane abeſſet, vel à veſpera. Poſt horarum, & horologiorum uſum repertum, hæc eadem ratio manſit. ex qua obſervatum eſt, qua diei hora quo menſe quot pedes umbra jacularetur*, AD MODULUM CORPORIS MENSURATA PROPRIIS CUJUSQUE PEDIBUS. Mox: *Fallitur ſi quis exiſtimat hunc modum umbræ metiendæ ad gnomonem ſciotherici organi colligi ſolitum.* Ex hac Salmaſii doctrina quid ſequatur, hoc modo colligemus. Canone poſtremo lib. I hujus Operis demonſtratum eſt, quemadmodum ex umbræ ratione, & altitudine poli, atque Solis, umbroſi corporis, hoc eſt gnomonis, ejúſve, quod gnomonis inſtar ſit, magnitudo capiatur. Repetatur hîc igitur idem ſchema, atque ex Ptolemæi methodo quæramus quanta ex Salmaſii noſtri ratiocinatione humanorum corporum magnitudo tum fuerit. Igitur ad Athenienſium tractum, ubi Scriptores illi floruerunt, quorum de teſtimoniis agitur; hanc ἀπόδειξιν exigemus. Ibi grad. 37 polus attollitur. Eligatur deinde anni tempeſtas aliqua. eáque ſit æſtas, in qua breviores umbræ ſunt. ut eò ſit abſurditas, inſcitiáque manifeſtior. Nam & alioqui æſtivo menſe Scirophorione, concio illa muliebris ab Ariſtophane facta ponitur, ſub Scirorum feſtum, à quo menſi nomen impoſitum. Ergo illo menſe, hoc eſt ſolſtitio ipſo, fuerit umbra corporis humani pedum decem, ut interpretatur Salmaſius, ſerotino tempore, id eſt ὀψέ; quod è Scholiaſte obſervandum eſſe docui.

Caſaub. lib VI animad. in Athen. cap. X.

In triangulo ADB rectangulo ad D, eſto DB umbra ſerotina pedum decem. ABD altitudo Solis, quæ ex canone penultimo lib. I, Cap. VII inveſtigari debet. Maxima dies Athenis eſt horarum 14, 45′. Arcus ſemidiurnus grad. 110, 37′½, quæ ſi per ſex horas diſtribuantur, unicuique competent gradus circiter 18, 26′, 15″. quæ quidem æquinoctialem horam efficiunt



1, 13′, 45″ circiter. Ea eſt καιρικὴ hora; cujúſmodi arcus ſemidiurnus ſex habet. Sol igitur Athenis occidit horâ poſt meridiem æquabili 7, 22′, 30″ circiter, cùm eſt in æſtivo ſolſtitio. Itaque ut horâ integrâ diurna, vel æquabili 1, 13′, 42″, ante ſupremam tempeſtatem, id eſt occaſum Solem, ad cœnam lotos atque unctos accurriſſe putemus Atticos, (quod Ariſtophaneus ille verſus indicat) etſi id fortaſſe tempeſtivum nimis eſt. ſed ut hora circiter diei undecima cœnatum iſſe velimus eſurientes Græculos, Solis altitudo tum fuerit grad. 12, 16′ qui eſt angulus ABD. Proinde latus DA inveſtigabitur pedum paullò plus duorum, hoc eſt 2, 12′. Hæc erit humana ſtatura temporum illorum ex ſolerti Salmaſii conjectura, qua corporis quemque ſui umbram eſſe dimenſum exiſtimat. Quòd ſi duodecim pedum umbram ad idem tempus accommodemus, hoc eſt latus DB totidem pedum faciamus; invenietur latus DA pedum ferè 2, 39′.

Palladius in fine Julianorum menſium, ſingulorum umbras expoſuit; ac quot pedum ſint hora quaque, accuratè deſcripſit. Hanc umbrarum rationem ad humani modum corporis, non ad gnomonem exigit Archimedes noſter. aut ut ad gnomonem referendæ ſint, ita componi jubet, ut ad hominis juſtam altitudinem erigatur. Hinc etiam argumentum repetit, ut communem illam περίληψιν evertat de modico aliquo gnomone ſciotheris impacto; cujus ex umbrarum menſura dierum particulas caperent. Imo verò quod Lucianus de ἑξάπουν στοιχεῖον dixit, non poſſe intelligi de linea ſciotherica amuſſi, vel umbra gnomonis, ex eo pugnat, quòd Decembri menſe, quo Saturnalia fiebant, de quibus Lucianus loquitur; hora nulla ſex umbræ pedes colligat. Quoniam igitur gnomonices tantam peritiam oſtentat, ut etiam commentarii ſuper hac re neſcio quid minetur; volo mihi de Palladio ſuo, & illo ipſo, quem attulit, loco reſpondeat; quam demum ſtaturam corporis humani in iis deſcriptionibus ille ſumpſerit; ex qua modulos umbrarum certa menſura definitos ederet. Intro in rem magis. Nego vel Palladio, vel Soliniano commentatori conſtare rationem umbrarum illarum; quæ apud Palladium ſingulis menſibus adſcriptæ ſunt.

Salm. p. 646. G. 648. B.

Maximam illîc umbram meridianam, Sole Capricornum obtinente, pedum novem; minimam duorum conſtituit. Repetatur ex canone ultimo cap. VII, libri I, diagramma, in quo meridianus eſt FGH; ſolſtitium æſtivum F; hibernum G; Horizon HA. umbra æſtiva DB, in triangulo DAB: hiberna umbra DC, differentia ambarum BC. Igitur ex methodo illo canone tradita, erit ut BC differentia umbrarum, pedum 7 ad ſinum anguli BAC diſtantiæ tropicorum, qui eſt gradum 47, 42′; ita CE, ſumma umbrarum pedum XI ad ſinum EAC. qui nullius anguli ſinus eſſe poteſt. excedit enim radium.

Logarith. gr. 47. 42	98690151
Logar. pedum XI	10413926
Summa	109104077
Subtrahe Logarith. pedum 7	8450980
Reſtat EAC	100653097

Fingamus deinde ſtylum, ſive latus DA, eſſe pedum 6. Quadratum lateris DA eſt 36; quadratum lateris

DB

DB pedum 2; eſt 4. ambo quadrata pedum 40. cujus radix eſt 6¼ ferè. Si fiat igitur ut AB pedum 6¼ ferè ad radium; ita AD pedum 6 ad ſinum ABD; reperietur hic quartus, graduum 72, 15′.

Logarith. pedum 6 cum radio	107781512
Sub. Logarith. 6¼	7993510
Reſtat ſinus	99788002 qui eſt gr. 72, 15′

Itaque tropicus æſtivus gradibus 72, 15′ ſupra horizontem attollitur. De quo deducta ejuſdem circuli declinatione graduum 23, 51′, relinquitur æquinoctialis elevatio graduum 47, 24′. cujus complementum eſt altitudo poli graduum 42, 36′.

Logarith. pedum 6, 48′ & Radius	107781512
Sinus pedum 10, 48′	10331141 Sub.
Sinus graduum circiter 33. 46	97450371

Jam ſumatur in triangulo DAC. latus DC hiemalis umbra pedum 9. hujus quadratum 81 cum quadrato gnomonis 36, dat pedes 117. cujus numeri quadrata radix 10, 48′ eſt ſubtenſa AC. Si fiat igitur uti ſinus ſubtenſæ pedum 10, 48′ ad ſinum totum, ita ſinus pedum 6 ad quartum; quod orietur, erit graduum 33, 46′. Hic eſt angulus ACD, quem metitur arcus GH, diſtantiæ tropici hiberni ab horizonte. ad quam ſi accedat declinatio ab æquinoctiali grad. 23, 51′; conſiet elevatio ejuſdem æquinoctialis grad. 57, 37′. cujus complementum eſt grad. 32, 23′. Hæc erit altitudo poli, quæ paullò antè gradibus conſtabat ampliùs 42. Falſa eſt itaque Palladii tota illa deſcriptio. quam quemadmodum præſtare poſſit Archimedes noſter, qui ex ea ſibi patrocinium petit, illius intereſt docere.

In veteri codice exſtat umbrarum diſtributio per menſes ſingulos, & horas, ab auctore Græco deſcripta, prorſus ad exemplum Palladii, niſi quòd una hora plerumque minor eſt umbrarum modus. Maxima umbra meridiana pedum 8, minima duorum ibi definitur. Sed nihilo magis ratio convenit. Et tamen ad humani corporis menſuram dimenſionem illam accommodat umbrarum anonymus iſte Scriptor. verùm nihilo, ut dixi, feliciùs ei, quàm Palladio calculus procedit.

CAPUT VIII.

Confutatur opinio Salmaſii, qui diem apud antiquos negat in horas tributum fuiſſe. Tum falsò heliotropia ad ſola monſtranda ſolſtitia, & æquinoctia conſtituta credit. Babylonii horarum inventores, ſive duodenarum diei partium. quod & penes Ægyptios fuit. Umbra in horologiis pedum modulo dimenſa. Cur στοιχεῖα *dicta. Hinc* δεκάπουν, δωδεκάπουν στοιχεῖον. *Ridicula de Cynocephalo ratiocinatio Salmaſii, cui Ælurus opponitur. Victorini locus perperam ab illo acceptus exponitur.*

UT reliqua Salmaſianæ Exercitationis abſolvam; etſi ea infinita, & prolixè odioſa eſt, quòd exilibus, ac nullius bonæ frugis obſervatiunculis, & ἀπειροκαλίαις inſtructa ſit, hujus tamen caput hoc eſſe videtur; nulla apud antiquiores Græcos, & ante Alexandri M. tempus horologia fuiſſe; quæ quidem ad uſum popularem in partes duodecim diem quemque tribuerent. Sed neque diviſionem illam diei in horas, partéſve totidem ab Veteribus adhibitam fuiſſe. quicquid autem apud antiquos de horoſcopiis, vel heliotropiis, & hujus generis ſciothericis legitur, nullum ad alium uſum referri, quàm captandorum ex umbris ſolſtitiorum; aut, ſi fortè, æquinoctialium, & æquabilium diei partium, non autem inæqualium, ac civilium. ut ea res non tam vulgi uſibus ac negotiis, quàm aſtronomorum, ac genethliacorum inſtituto ſervierit. Ad hanc ſummam revocari inextricabilis Exercitationis illius loquacitas poteſt. quam ut reprehendendo non imitemur, age quibus id, quod vult, argumentis efficere ſe putet, paucis explicemus, ſi poſſumus. Sed antè inſignis Herodoti commemorandus eſt locus; tum pauci quidam adjungendi; qui ad diſceptandam controverſiam non utiles, ſed neceſſarii ſunt.

Herodotus lib. II, Geometriam ab Ægyptiis ad Græcos perveniſſe ſcribit: gnomonicen autem, & dierum in partes duodecim ſractionem à Babyloniis ad eoſdem manaſſe. πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. *Nam polum, & gnomonem, & duodecim diei partes à Babyloniis Græci didicerunt.* Eæ verò non ſtatim *horarum* nomine proceſſerunt; ſed aut *partium*, ut indicat Herodotus; aut σημείων, *ſignorum*; ut Julius Pollux lib. I, capite VIII refert ex Menandro. ὥρας ἢ καὶ ἡμερινὰς σημεῖον, ὡς Μένανδρος, ὀνομάζειν παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Primus Anaximenes Anaximandri diſcipulus horologium, quod appellant ſciothericon, Lacedæmone oſtendit; ut teſtis eſt Plinius lib. II, cap. LXXVI. Addit Laertius in eodem ſciotherico gnomonem panxiſſe, qui & ſolſtitia, æquinoctiáque monſtraret. Idem horologium & πόλον ab antiquis vocatum eſſe, docet Julius Pollux lib. VI, cap. V. Hæc omnia perſuadent, horarum indices machinas; hoc eſt duodenarum diei partium, in antiqua Græcia fuiſſe. nec Alexandri M. demum ætate cœpiſſe tam partium illarum notationem; quàm, quibus eæ diſcernerentur, ad uſúmque communem aptarentur, ſciotherica, & horologia. Pag. 145. vel 81. edit. Henr. St.

Contra hæc pertendit Salmaſius, hoc uno argumenti genere fretus, quòd horæ nondum repertæ eſſent. non eſſe autem repertas, eo probat, quòd ὥρας vocabulum ea notione nondum illo ſæculo percrebuerat. Futilis argumentatio. quaſi illud in quæſtione ſit; utrum ὥρας Veteres diei partes appellaverint; aut ea de re dubitet quiſpiam; quam nemo non illorum, quos oppugnat Salmaſius, aſſeverat; ὥρας videlicet *anni tempeſtates*, aut alia potiùs, quàm diei particulas, florente Græcia, ſignificaſſe. Ergo & diem in partes duodecim ſectum; & partes eaſdem alio nomine, quàm horarum, affectas eſſe, nihil prohibet. imò veriſſimum eſt; ſi pluris apud nos ſit Herodoti, ac Veterum aliorum, quàm Soliniani Exercitatoris auctoritas. Argumentum Salmaſii diſcutitur.

Cujus eſt illud ſanè frigidum commentum; partes illas diei, quarum uſum à Babyloniis propagatum in Græciam teſtatur Herodotus, horas æquinoctiales, & æquabiles fuiſſe, non καιρικὰς & populares; quæ in omni die, ac nocte ſunt duodecim. Hoc enim vaticinari eſt, ac ἀυλῳδίαν τῷ ἰατρεῖν, non explorati aliquid afferre.

Mathematici illi, qui horoſcopia, vel heliotropia publicè, & in propatulo collocabant, non ſolis eruditis, & aſtronomiæ peritis, ſed vulgo ea proponebant. Ergo non ad ſola diſcernenda ſolſtitia ex umbrarum ratione, ſed ad civiles diei partes, & ad quotidiana gubernanda negotia pertinebant. Quid enim intererat plebeiorum hominum, ac civium, ſcire quo momento exactè ſolſtitia commiſſa ſint? Ut ejuſmodi obſervationis uſus ad ruſticorum quorumdam operum procurationem utcumque ſpectaret; non tam limata ſubtilitate opus fuit: ſed pinguiore Minerva diſcerni hæc facilè potuit. ut ex menſibus civilibus annuos cardines æſtimarent. Quis porrò credat, unius in anno diei, vel paucorum, quibus cardines illi accidunt, machinas illas fuiſſe proprias? Præclara verò, & publica commendatione digna hæc opportunitas; noſſe, diebus abhinc centum, aut ducentis, æſtivum incidiſſe Solſtitium; vel poſthac futurum. Imo verò heliotropia Veterum, machinæ erant ad diſtinguendas diei partes duodecim, quæ ab Solis converſione ita ſunt dictæ. Horum alia æſtiva fuerunt, alia hiberna. Æſtiva quid eſſent ſi de Soliniano commentatore quæras, rem ridiculam audies: fuiſſe *quæ ſolſtitium tantùm; non etiam brumam ſignarent.* Igitur uni tantùm tempori; aut etiam diei tanta illa moles ſerviebat. Quid abſurdius? Nos heliotropia iſta ſcimus aliud fuiſſe, aliundéque nomen accepiſſe, ut θερινά, aut χειμερινὰ vocarentur. Nimirum æquinoctialia erant horologia. cujuſmodi notum eſt alia æſtiva, alia hiberna fieri. Nam qua parte meridiem reſpiciunt, quæ ſupra planum æquinoctii conſiſtunt, hiberno tempori conveniunt. qua verò Septentrionibus obvertuntur; ad æſtivos dies pertinent. θέρος, & χειμῶνα ſic in iſto negotio Salmaſ. p. 635. D.

Græci

Græci veteres uſurparunt; quomodo Thucydides, & alii nonnulli; qui æſtatem ab æquinoctio verno ad autumnale; hiemem ab autumnali ad vernum circiter extendunt. Meton Athenis ἐν πυκνὶ locum aliquem nactus eſt idoneum, in quo heliotropium ſuum θερινὸν poneret. Potuit ibidem, aut alibi poſtea brumale aliud erigi. Sed illud primùm, ac viſendum propterea fuit ob inventi novitatem: ſi quidem primus hoc Athenis oſtendit; ac non potiùs perfectius aliquid, exactiúſque reperit.

De Metonis ſolſtitio falſa ſententia Salmaſ. p.635. D.

Ac de Metone conſideranda eſt obiter Critici noſtri ſententia. *Solſtitii*, inquit, *Metonici paſſim Veteres meminerunt, & ſententiam ejus refutarunt.* Qui ſunt obſecro Veteres illi, qui Metonis ſententiam de Solſtitio refutarunt? aut quænam iſta ſententia eſt? Exſtat enim obſervatio ſola ſolſtitii, quod ille Archonte Apſeude deprehendiſſe fertur, die XXI Phamenoth. Hanc ὁλοσχερέστερον captam eſſe docet Ptolemæus libro tertio. at non propterea refellit. imo ſuas ipſemet obſervationes ad illam exigit, & convenire demonſtrat. Ac ſi ob id refutata dicitur ab omnibus Metonis ſententia de ſolſtitio, quòd non exactiùs momentum illius adnotarit, ſed tantummodò πρωΐας, *manè* ſcripſerit; eodem jure confutatam ab omnibus Hipparchi ſententiam cauſſari poteſt; qui eodem prorſus modo, hoc eſt παχυμερῶς, & ὁλοσχερῶς, obſervationum ſuarum tempora deſignavit.

Explicatur umbrarum modus in horologiis.

In horologiis iſtis umbræ gnomonum certo pedum numero diſtinctæ fuerunt; quo ex numero partes dierum cognoſcebant, quas poſteri ὥρας appellarunt. & ut majora, minoráve erant horologia, eorúmque ſtyli; ſic pluribus, aut paucioribus pedibus umbræ conſtabant, ac τὸ ἡμέρας μέρος ſignificabant. Ita varietas illa pedum in horologiis, ſi ad eamdem horam accommodetur, ad diverſa pertinet horologia, inæqualéſque gnomones. aut ſi eidem horologio, gnomonique tribuatur, diverſas horas indicat; quibus competentes umbræ pedationes prudenter applicandæ ſunt. Hinc illæ locutiones ortæ ſunt, δωδεκάπουν ςοιχεῖον, δεκάπουν, & ceteræ. in quibus ςοιχεῖον Julius Pollux interpretatur umbram. An quia ςοιχείοις, id eſt litteris, & elementis, notata erat in Solariis menſura pedum, quæ cuique horæ congruebat? Non eſt vana conjectura. Neque enim veriſimile eſt decempedam ad manum ſemper illos habuiſſe; ut in ſolariis metirentur umbram. Quocirca umbrarum ac diei partium intervalla per pedes obſervata eſſe potuerunt; eadémque litterarum deſignata notis, quouſque certis momentis umbra perveniret. donec inclinante jam die umbrarum, pedúmque jam nullus modus eſſet. Ita ςοιχεῖον non umbra quælibet, & καθόλου, ſed ea tantùm appellatur, quæ in ſciothericis & horologiis certis notis, elementiſque diſtinguitur. Hæc mea ſuſpicio eſt. à qua ſi quis abhorret; non valdè me repugnantem habebit. Non enim κυρίας δόξας, aut baſilica, id eſt Salmaſiana edicta ſcribimus.

Ariſtophanes illuſtratur.

Ex his Ariſtophanei Scholiaſtæ verba licet interpretari; quæ Salmaſius animadverti jubet. τὸ παλαιὸν, inquit ad Ἐκκλησιαζούσας, κληθέντες ἐπὶ δεῖπνον, ἢ καλούμενοι, παρατηρούμενοι τὴν σκιάν· καὶ οὕτως οἱ μὲν ἤρχοντο τοὺς κληθέντας· οἱ δὲ ἀπήεσαν ἐπὶ τοὺς ἑταίρους· οὐδέπω πρῴϊστος ἕως ἐπέρας, ἀφ' ἧς οἷόν τι ἦν τεκμήρασθαι εἰς πόσας ὥρας πρόεισι. Olim ait vocatos ad cœnam, umbram obſervaſſe; cùm nondum notatio eſſet altera, ex qua conjicere poſſent, quam in horam Sol diéſve procederet. Quibus verbis indicat, partes jam diei, quæ ſunt horæ poſtea dictæ, deſignatas, cognitáſque fuiſſe; ſed non alia ratione, quàm pedum menſura, modóque diſtingui ſolitas; non ea, quæ poſtmodum commodior, expeditiórque reperta eſt: ut contactu ſolùm umbræ, non menſura, partes eædem notarentur. Sic enim breviora deinceps ſolaria facta ſunt; quæ ampliſſima eſſe hactenùs oportuerat. Itaque nihil hic Scholiaſtæ locus Solinianum adjuvat; quia id, quod minimè vult iſte, demonſtrat; & ὥρας, id eſt diei partes, jam in uſu publico verſatas eſſe; & earum πέρατα diverſa ratione conſtitiſſe.

Item alius ejuſdem Comici locus.

Apud Ariſtophanem in Γηρυτάδῃ neſcio quis interrogat πόςλω ἥλιος τέτραπται. *quotam Sol obeat converſione ſua.* Hîc ſubaudiri poteſt, σκιάν. Nam & in orbem in ſolariis umbra convertitur; & quot umbras, ut ita dixerim, limitaneas & cardinales, id eſt notis deſignatas, circumeundo confecerat, totidem τέτραπται dicebatur. Ut ſit plena locutio ἐξ, vel εἰς πόςλω. At Salmaſius riſum tollit expoſitione ſua. putat enim ſciſcitari quempiam, quot dies exacti ſint poſt τροπάς. Frigida, & aliena nimis argutia. Non enim communi vitæ, ac popularibus negotiis, ex quibus Comœdiis fabulæ feruntur; ſed Mathematicorum cœtibus percontatio iſta convenit.

Exploditur argumentatio Salmaſii pag. 643. & 644.

Atenim horas illas, qualeſcumque cum uſu gnomonis tranſvectæ ſunt in Græciam; non civiles, & καιρικάς, ſed perpetuas, & æquinoctiales, neque vulgò utiles fuiſſe firmiſſimè probat Salmaſius ex Cynocephali vetetillo, quo duodecies æquinoctiali die meiebat. Hunc enim ſcribit Orus Apollo per æquinoctia duo toties meiendo horarum deſignaſſe ſpatia. Ex quo mirificè concludit; *hanc diei in duodecim partes diviſionem de die tantùm æquinoctiali tam apud Babylonios, quàm Ægyptios accipiendam eſſe.* Nugæ. Quis illum Babylonios implicare docuit Ægyptiorum ritibus? Non enim apud illos Cynocephalus iſte meiebat. à quibus, non ab Ægyptiis, gnomonem, καὶ τὰ δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης, Græci tranſtulerunt. Deinde quis non intelligit, Cynocephali exemplo ſic Ægyptios uti potuiſſe, ut quemadmodum æquinoctialium dierum, ac noctium intervalla duodecies ab illo partita viderant; ita ceterorum quoque pari numero ſpatia tribuerent? Satis erat in uno die diviſionis illius exemplum animadvertiſſe, quod ad ceteros proportione transferrent.

Atque ut levitatem argumentationis illius intelligas; opponam Cynocephalo iſti binis per annum diebus duodecies meienti beſtiam alteram, quæ diebus ſingulis duodecies nocte ac die meiens, totidem in Ægypto horas indicabat.

Inſignis locus Damaſcii.

Damaſcius in vita Iſidori apud Photium Cod. CCXLII, τὰς δώδεκα ὥρας, inquit, ὁ αἴλουρος διαγγέλλει, νύκτας καὶ ἡμέρας οὐρῶν καθ' ἑκάστην, ἀεὶ δίκην ὀργάνου τινὸς ὡρογνωμονοῦντος. *Duodecim horas felis diſtinguit, noctes ac dies ſingulis horis urinam reddens; ac ſemper horologii inſtar horas deſignans.* Si de horis æquinoctialibus clariſſimè Cynocephalus evincit; quòd eum æquinoctialibus tantùm diebus ſingulis horis meiere apud Horum Apollinem legitur; certè cùm ælurus per omnes dies horis ſingulis idem faciat; vincimus inæquales horas Ægyptiis hac obſervatione cognitas fuiſſe. neque quid hiſcere contrà poſſit habet Solinianus Exercitator; qui ſibi adverſus hoc genus argumentandi nihil, quod probabiliter reſpondere auderet, excepit.

Salm. pag. 644.

Sed vide inſuper hominis peritiam. Cùm apud Victorinum in Commentariis ad Rhetoricos Ciceronis libros ſcriptum eſſe reperiſſet; ſacrum quoddam animal in Ægypto Serapi dedicatum in toto die duodecies urinam facere, per totidem horas dimenſo tempore; & exinde numerum hunc horarum cuſtodiri: Scriptorem hunc falſi non dubitavit arguere, qui quod in ſolo biduo æquinoctiali fiebat, ad omnes anni dies extendit. In quo dupliciter & Victorinus defendi; & convinci caſtigatoris inſcitia poteſt. Nam vel de æluro ſacro apud Ægyptios animali Victorini capiendus eſt locus. vel ſi de Cynocephalo placet exponere; quod in uno alteróve die factum ab eo viderant; ad ceterorum, ut paullò antè dictum eſt, dierum partitionem facilè traxerunt.

CAPUT IX.

De ſolario Achaz contra Salmaſium diſſeritur. diei partes ab illo monſtratas eſſe. vana Salmaſii conjectura refellitur. Neemiæ locus malè ab eodem acceptus. vulgatus Interpres defenditur.

LIBRO IV Reg. cap. XX, & Eſaiæ XXXVIII Scriptura meminit horologii vel ſolarii Achaz, quod ab eo ſcilicet rege collocatum Hieroſolymis fuit. in quo decem gradibus retrò umbra ceſſit Ezechia poſtulante, ac jubente Propheta. Hos gradus talium diei partium indices fuiſſe, quas horas poſtea vocarunt, nemo hactenus dubitavit. R. Sel. ad Eſaiam paucis, ac diſtinctè rem explicat; ubi vocabulum מעלות ſic interpretatur, כמין סודגות עשויות כנגד החמה לבחון בהם שעות היום בעין אורלוגין שעושין האומני. *Quaſi ſpecies graduum, qui è regione Solis collocantur; ut per eos probentur horæ diei. cujuſmodi ſunt horologia, quæ moliuntur artifices.* Salm. p. 657. C. Salmaſius de hoc horologio perinde ſentit, ac de Babyloniorum, & Ægyptiorum ſolariis: nempe ad ſolos genethliacos, & Chaldæos, ac Mathematicas rationes pertinuiſſe, ac diem in illo duodecim in partes æquales, ſive horas æquinoctia-

les eſſe tributum, non in populares, ac *καιρικάς*. Sed adverſus inſulſum commentum non ea tantum ratio valet, quam pro Græcorum heliotropiis attulimus ſuperiori capite: nimirum haud eſſe conſuetudinis, publicè, & in foris civitatum eas proponi machinas diſcernendorum temporum, quæ ſolis aſtrologis, ac genethliacis ad uſum pateant. ſed eſt peculiare inſuper argumentum, quod ex Judæorum populo ſumitur: cui ſeveriſſimè genethliaces, & aſtrologiæ uſus interdictus eſt. Quare tametſi Achaz illaudatus princeps, & in nationum ritus, atque inſtituta propenſus, horoſcopicum inſtrumentum ac genethliacum Babyloniorum imitatione uſurpare potuit, & in propatulo ponere: numquam tamen id Ezechias ſiviſſet; ſed unà cum reliquis idololatriæ ac ſuperſtitionis veſtigiis celebre hoc, & inſigne ſuſtuliſſet. nec eo ſaltem Deus per prophetam uti voluiſſet ad illuſtre poteſtatis ſuæ præbendum ſpecimen; ne illicitis artibus pretium addere eo miraculo videretur. Levitici XIX, 26 vetantur divinationes, & obſervationes temporum לא תנחשו ולא תעוננו. hoc eſt, ut Hebræorum magiſtri, & iis addicti gregales Salmaſii ſolent exponere: *non augurabimini, & non obſervabitis tempora.* R. Sel. ad ea verba: לשון עונות ושעות שאומר יום פלוני יפה להתחיל מלאכה שעה פלונית קשה לצאת. *Dictio illa tempora ſignificat, & horas: ut cùm dicit aliquis; hic dies bonus eſt ad inchoandum opus: hæc hora infauſta eſt ad egrediendum.* Itaque עונן eſt ex dierum, & horarum obſervationibus eventa prædicere. quod genethliacorum proprium eſt. Horum inſtumentum ſi erat Achazi ſolarium; ſi uſum habebat alium nullum; auſerri ab Ezechia, aboleríque debuit; non ipſius, non Prophetæ; non Dei auctoritate comprobari. Atenim cùm ſolius Achazi memoretur horologium in ſacris litteris: *Hinc patet*, inquit, *ne tum quidem apud Judæos in promiſcuo, & communi uſu ſolaria fuiſſe, & diei conciſionem per particulas.* Ludicrum argumentum. Etenim inſigne præ ceteris & magnitudine, & ſtructura potuit eſſe, quod publicè dedicaretur in foro. neque propterea nulla privatim erant alia.

Inſtat rurſus ex Neemiæ cap. XIII. *unde conſtat*, ait, *eos tempus obſervandi Sabbati notare ſibi ſolitos ex umbris jam inclinatis, quum Sol receſſiſſet à portis templi: quod tempus vocatur inter duas veſperas Exodi XXX. idque reſpondet ſupremæ tempeſtati veterum Romanorum.* quam ſupremam tempeſtatem mox, ait, ſequebatur veſpera. *Hæc eadem tempeſtas*, addit, *congruit nonæ eorum Romanorum, qui horas obſervarunt, & horologiis uſi ſunt. Nam poſt nonam ingruebat veſpera.* Hic ἄνω, καὶ κάτω miſcet omnia; & imperitè tumultuatur. Si vera eſſent, quæ ex Neemia refert, eſſet judicii videre, quod in tempus iſta conveniant; nimirum quo recens inſtaurata urbe, temploque, de ſolario publico, ac ceteris ornamentis cogitare nondum otium erat. Sed locum Neemiæ non legit Salmaſius. Non enim portas templi inumbratas illîc eſſe ſcribit, cùm iniret Sabbatum; ſed urbis ipſius: ויהי כאשר צללו שערי ירושלם לפני השבת. *Et factum eſt cùm obtenebratæ eſſent portæ Hieruſalem ante Sabbatum.* Nulla ibi templi portarum mentio. Perit igitur tota hæc obſervatiuncula de notata umbrarum inclinatione. *Obtenebrari portas* eſt occaſum jam eſſe Solem, neque radiis ejus affici portas. quo tempore Sabbati dies inibat Judaica conſuetudine: nempe initio noctis, & veſpera ſecunda. Et valdè hallucinatus eſt Salmaſius, qui hanc tempeſtatem nonæ horæ Romanorum reſpondere vult, ídque eſſe tempus, quod inter veſperas duas Scriptura definit. Si quidem quod Exodi XXX ita circumſcribitur, בין ערבים *inter duas* veſperas, ab hora diei nona ad ultimam deſitam extenditur. quod inſtante Sabbato, vel Paſchate, aliiſve feſtis προεόρτιον dicebatur. quo tempore cibaria coquebant, & opera ſervilia, quæ in Sabbatum ſequens opus erant, antevertebant. Nondum igitur Sabbatum erat illud *inter duas veſperas*, ut putat Salmaſius: qui *tempus obſervandi Sabbati tum* fuiſſe ſignificat. ſed προεόρτιον, & προσάββατον, & paraſceve, quæ ab hora nona propriè auſpicabatur, ut jam diximus. De quo Scaliger lib. VI de Emend. Temp. Abſurda res eſt; putare Sabbatum ab hora nona cœpiſſe; & ex Evangelico teſtimonio redarguitur. Quippe Joan. XIX, cùm Chriſtus hora nona exſpiraſſet, de cruce depoſitus eſt cum duobus latronibus, *ut ne remanerent in cruce corpora Sabbato.* Neemias porrò cùm ait לפני השבת, πρὸ τοῦ σαββάτου, obtenebratas eſſe portas, momentum ipſum indicat ineuntis Sabbati, ſeu veſperæ poſterioris.

Scalig. pag. 569.

quod occaſum jam Solem proximè ſequitur. Ideo rectè noſter Interpres: *quum quieviſſent portæ Jeruſalem in die Sabbati.* ne quis ante Solis occaſum cœpiſſe Sabbatum exiſtimet, aut προεορτίου tempus à Neemia demonſtrari.

CAPUT X.


De horizonte duplici, ac præſertim ſenſili. déque hujus intervallo ἀποδεικτικῶς ſtatuendo. quæ ſit altitudo ſumma montium. de Siculo illo ſpeculatore Carthaginenſium è Lilybæo navium.

HAUD multis deinde paginis interjectis, de horizonte, meridiano, ac parallelis circulis longam Exercitationem inſtruit Salmaſius: in qua id unum apud earum rerum intelligentes aſſecutus eſt, ut ſe non magis ſphæricorum elementorum, & iſtiuſmodi artium peritum, quàm in Critica verſatum eſſe; & in utroque ſupra vires audere monſtraret. Rem non priùs aperiam, quàm de Gemini noſtri quodam loco diſſeruero, in quo iiſdem de circulis agens ea dicit, à quibus diſputatio noſtra proficiſcetur. Ita enim quod volumus obtinebimus, ut ad illuſtrandos, & explicandos hujus Auctarii Scriptores commentationes iſtæ referantur. Salmaſ. pag. 638. & deinceps.

Horizontem Geminus, & exſcriptor Gemini Proclus faciunt duplicem: unum *αἰσθητόν*, *ſenſilem;* alium *λόγῳ θεωρητόν*, non ſenſu, ſed *ratione conſtantem.* Prior definitur ut ſit ambitus viſu noſtro circumſcriptus κτ̃ τ *ἀποπερατωσμὸν τῆς ὄψεως*, *ſecundùm proſpectus noſtri determinationem:* qui quidem oculorum circumactu, quàm longiſſimè tendere poſſunt, in terra deſcribitur. Poſterior & *λόγῳ θεωρητὸς* dicitur, qui ad octavam ſphæram uſque porrectus aſpectabilem cœli partem, & ſuperiorem ab inferiore dirimit, ac ſphæram totam tranſverſam biſariam ſecat. Ille ſenſilis ideo nominatur, quòd tota ejus area, & ſuperficies patet aſpectui. Ea porrò non plana eſt, ſed convexa, itidem ut terra, cujus ad figuram applicatur. Alterius horizontis plana ſuperficies eſt, cujus centrum idem eſt, ac terræ; ambitus extremus ad cœlum uſque pertinet. idcircò *λόγῳ θεωρητὸς* appellatur; quòd cùm minimè ſit ſubjectus oculis, ratione tamen, ac judicio ſtatuitur. Geminus pag. 12.

Senſilis horizontis quanta dimetiens ſit, variè ab auctoribus traditum eſt. Nam Geminus haud majorem ſtadiorum millibus duobus eſſe ſcribit. quæ ſunt millia paſſuum CCL. Ita ſemidiameter horizontis *αἰσθητοῦ*, & quouſque videntis acies exporrigi poteſt, paſſuum erunt CXXV M. Sed alii diametrum eamdem ſtadiorum non ampliùs CCCLX definiunt. ut Macrobius lib. I. in Som. Scip. *Hic horizon*, inquit, *quem ſibi uniuſcujuſque circumſcribit aſpectus, ultra trecentos & ſexaginta ſtadios longitudinem intra ſe continere non poterit. Centum enim & octoginta ſtadios non excedit acies contrà videntis.* Hoc modo ſemidiametrus horizontis ſenſilis erit ſtadiorum CLXXX, quæ ſunt millia paſſuum 22½. Alii majorem vulgò concipiunt. Sed in hac horizontis ſemidiametro, ac longiſſima viſus exporrectione finienda, majorem in veteribus, ac recentioribus pleriſque diligentiam, & *ἀκρίβειαν* deſiderare ſoleo. qui, quod caput erat quæſtionis hujus, omittunt ferè, ſitum proſpicientis oculi; utrum videlicet in plano, an in edito loco conſtituatur. tum ut in monte aliquo conſiſtat; quanta hujus eſſe debeat altitudo. Hæc enim ad horizontis, ac longiſſimi aſpectus metiendos terminos aſſumenda neceſſariò ſunt. quæ ideo accuratiùs hîc à nobis explicanda videntur.

Ac primùm ſchema conſtituatur, in quo ſit BDC terræ globus; cujus diameter BEC, ex Eratoſthenis opinione ſit ſtadiorum 80214. Conſtat autem ſtadium, ait Plinius lib. II, c. XXIII, paſſibus CXXV; pedibus ſexcentis viginti quinque. Nam paſſus pedes habet quinque. Stadia octo, mille paſſus efficiunt. Quare diameter terræ milliaria colligit 10026¾. Semidiameter terræ, id eſt EB, vel ED ſtadia 40107, ſive milliaria 5013⅜. His animadverſis, eſto AB juſta primùm hominis ſtatura, quæ ſit pedum Romanorum ſex. tum ab A ducatur linea AD, quæ terræ globum tanget in puncto D, & angulum rectum faciet cum ejuſdem ſemidiametro ED per 18 libri tertii. Erit illa linea ſemidiameter horizontis *αἰσθητοῦ*. Non enim ultra punctum D proſpectus



ſpectus terræ tenditur. Ejuſdem porrò quantitas hac ratione deprehenditur. Quoniam enim extra circulum BDC producta eſt CB uſque ad A, ſecans circulum; & altera ab eodem puncto A ad circulum videlicet AD, eúmque contingens in D, erit rectangulum, quod ſub tota ſecante, & parte illa, quæ extra circulum eſt, continetur inter punctum A & circumferentiam; æquale quadrato tangentis AD per 36 libri tertii. Sit ergo AB pedum ſex, quæ cum diametro terræ ſtadiorum 80214, hoc eſt pedum 50133750 conjuncta, dat CA pedum 50133756. Ea ſi per 6 multiplicetur colligentur pedum 300802536. quod eſt quadratum tangentis AD. Quare radix hujus quadrata pedum erit paullò plus 17314, ſive ſtadiorum 57½. quæ ſunt milliaria 3⅓ ferè.

Rurſus ſemidiameter horizontis ſenſilis AD ſumatur ſtadiorum 180, ex eáque loci, unde proſpectus eſt, altitudo capiatur, hoc eſt lineæ AB. Quoniam ergo AD tangens circulum BDC, angulum rectum facit cum ſemidiametro ED per 18 tertii, qui eſt angulus ADE, ideo in rectangulo EDA, quadratum lateris EA æquale eſt quadratis duobus laterum DA, & DE ſimul ſumptis. Eſt autem DA quod eſt paſſuum 22500, quadratum paſſuum 506250000. porrò lateris ED, quæ eſt terræ ſemidiameter, paſſuum 5013375, quadratum eſt, 25133, 92889, 0625. Ambo conjuncta conficiunt 25134, 42514, 0625. quod eſt quadratum lateris EA. cujus radix eſt 5013425⅓ ferè. de qua detracta ſemidiametro terræ EB, reſtat BA paſſuum 50⅓ circiter, qui ſunt pedes ferè 251. Quocirca vulgaris illa ſenſilis horizontis ſemidiameter, quæ ſtadiorum eſt 180, ejus aſpectum terminat, qui in clivo aliquo ſit alto pedes 251. In his Eratoſthenium modum diametri terræ ſumpſimus, quòd eum plerique illius ævi Scriptores adhibuerint. Ex diverſa autem, & accuratiore menſura, horizontis alia finitio conſequetur.

De ſumma montium altitudine lis eſt inter geometras. Ac Veteres quidem aliqui modum hac in re minimè tenuerunt. Plinius lib. II, capite LXV, Dicæarchum refert montes permenſum, ex iis altiſſimum prodidiſſe Pelion, MCCL paſſ. ratione perpendiculi. cujus rei fidem elevat ideo, quòd exploratum haberet quoſdam Alpium vertices longo tractu, nec breviore quinquaginta millibus paſſuum aſſurgere. Hæc Pliniana dimenſio, ſi ad perpendiculum exigatur; prorſus abſurda eſt, & fabuloſa. Nam quis credat ad LM. paſſuum ullius in terris verticem montis aſſurgere? Tantum abeſt ut hoc perſuadere de Alpibus Plinius poſſit; ut ne de Hæmi quidem minùs incredibili altitudine fidem faciat: quam lib. IV., cap. XI, ad VI M. paſſuum attolli ſcribit.

Geminus pag. 32. Sed de Dicæarcho, quod narrat Plinius, refelli ex Gemino videtur; qui cap. XIV Cyllenen Arcadiæ montem ad XV propemodum ſtadia πρὸς κάθετον attolli refert menſore Dicæarcho; Atabyrium verò Rhodi Inſulæ, ſtadia XIV. Cleomedes item lib. I, cap. X modum eumdem ſummæ montium altitudinis definit, qui eſt ſtadiorum XV, ex Dicæarchi auctoritate, quantum quidem arbitror. At Plutarchus in Æmylio ex Geometrarum decretis adſtruit, neque montis ullius altitudinem; neque maris profunditatem ultra ſtadia decem πρὸς κάθετον extendi. cujuſmodi Olympi montis excelſitatem is, qui menſus eſt, Xenagoras à ſe deprehenſam epigrammate teſtatur. Ita Pelion & Olympus æqualiter aſſurgent. Nam decem ſtadia ſunt mille ducenti quinquaginta paſſus. Sed fieri potuit, ut qui Pelion ſtadiis decem metiebatur, paullò minorem Olympum Dicæarchus faceret: ut hac ratione videatur, non ex omnibus, qui ubique terrarum ſunt; ſed ex ſolis dumtaxat montibus Theſſaliæ primas altitudinis dediſſe Pelio. quod per imprudentiam, quaſi universè pronunciatum ab illo, Plinius accepit.

Jam ut montis altitudo ſumma ponatur ſtadiorum 15, hoc eſt AB; inveſtigabitur latus AD ſtadiorum paullò plus 1097, quæ ſunt milliaria 137½. Quod ſi ſemidiameter horizontis ſenſilis AD conſtituatur ſtadiorum mille; invenietur latus AB ſtadiorum 15; ferè. Sanè nonnullis Geometriæ conſultiſſimis placet, modum altitudinis montium maximæ ſeſquimilliare eſſe, quod eſt ſtadiorum 12. qua ex opinione Geminus videri poteſt ſemidiametrum ſenſilis horizontis ſtadiorum mille ſtatuiſſe. Nam quouſque longiſſimè poteſt hominis acies devexam terræ ſuperficiem undiquaque circumſcribere, hunc ſenſilem appellavit horizontem.

Ex iis verò dijudicanda illa ſunt, quæ ab graviſſimis Scriptoribus memoriæ produntur de longinquis ex alto terrarum proſpectibus. Quo in genere pervagatum illud eſt, quod de Strabone quodam Cicero libro IV Academ. ſcribit, *qui mille & octoginta ſtadia quod abeſſet videbat.* Ea ſunt paſſuum CCXXV M. Quod ex Cicerone ac Varrone memorans Plinius lib. VII. cap. XXI, cùm illius nomen, quod dixi, ex hoc poſteriore retulit; tum eumdem ait Punico bello ſolitum à Lilybæo promontorio Siciliæ exeunte claſſe Carthaginis portu, etiam numerum navium dicere. Verùm Plinius nonniſi CXXXV M. paſſ. à Cicerone nominata prodidit, quæ ſunt ſtadia MLXXX. quem numerum Solinianus Exercitator in illo Ciceronis loco citando contra & emendatiſſimorum codicum fidem, & hiſtoriam ſecutus eſt. Etenim Strabo libro VI, ubi oculatiſſimi illius meminit, qui ex Lilybætana ſpecula ſolventes è portu Carthaginis naves aſpiciebat; ut minimùm ſtadiorum MD intervallum eſſe ſcribit; nec non libro XVII. Ea ſunt millia paſſuum CLXXXVII½. His Cicero trecentos ſtadios emetitur: quæ ſunt millia paſſuum octo & triginta circiter. Unde caſtigandus potiùs eſt Plinii locus, ac pro CXXXXV millibus legendum CCXXV; quàm ut apud Ciceronem *octoginta* pro *octingentis* prorſus ἀκρίτως legatur. tametſi Solinus, itidem ut apud Plinium occurrit, CXXXV millia paſſuum habeat. quod utrique fortè per hallucinationem excidit.

Polybius verò lib. I trajectum è Lilybæo in Africam ὡς χιλίων σταδίων facit, *quaſi mille ſtadiorum*, quæ ſunt CXXV M. paſſ. Sed non eſt tanta promontorii illius altitudo, ut tam longinquus inde pateat aſpectus. niſi quid ex refractione inſuper accedere velimus. qua de re accuratè diſſerit Willebrodus Snellius in Eratoſthene Batavo ſub finem. ubi illud explicat quemadmodum ex refractione multò longiùs diſſita cernantur, quàm alioqui ſenſilis horizontis amplitudo capiat.

CAPUT XI.

Gemini ac Procli locus perperam interpretatus à Salmaſio. cujus opinio de horizonte ſenſili refellitur, qui nonniſi in CCCC ſtadiis mutari illum aſſerit.

HIs ad ſenſilis horizontis, ac veterum Scriptorum, præſertímque Gemini notitiam neceſſariò diſputatis, ac cognitis, expendamus illa modò, quæ longa Exercitationis ambage, nullo fructu, Solinianus commentator effudit.

Ex his citra controverſiam illud obtuſiſſimum eſt, quòd Geminum, ex eóque Proclum exiſtimat ſenſilis horizontis diametrum quadringentis definire ſtadiis, quam proximè ante duûm millium eſſe dixerant. Ut autem error iſte ſanè graviſſimus animadvertatur, Gemini primùm verba declaranda ſunt.

Capite quarto Geminus, poſtquam duplicem horizontem eſſe docuit, αἰσθητὸν, & λόγῳ θεωρητὸν, quorum ille viſu circumſcribitur; hic ratione, ac mentis contemplatione notatus ad octavam uſque ſphæram porrigitur; de hoc horizonte poſteriori ſubjicit, eum poſt ſtadia quadringenta ὡς πρὸς αἴσθησιν, ad *ſenſum* variari; adeo ut tam magnitudines dierum, quàm climata, Geminus p. 12.

 ſpatio

ſpatio illo mutentur. quod quidem verſus ſeptentriones, aut meridiem progredientibus nobis intelligi debere, idem admonet, non ad ortum occaſúmve; hoc eſt κατὰ πλάτος, non κατὰ μῆκος. At verò meridianorum ſenſilem accidere mutationem ait poſt trecenta ſtadia.

Salm. Plin. Exercit. p.667, E.

Salmaſius ſupet his Gemini verbis inquirit, quæ ſit ratio diverſitatis illius; cúrve diſpari intervallo fiat amborum circulorum mutatio; horizontis, in quadringentis, meridiani, in trecentis dumtaxat ſtadiis. Quo in explicando problemate tam craſſi ſoot, támque multiplices hominis errores, me quidem ut illius vicem pudeat; qui cùm aliis juveniliter inſultet; traducendi ipſe ſui eopiam adeo liberalitet, ac benignè præbuerit.


Multiplex error Salmaſii.

Horum primus ille, quem dixi, veniat in medium; quòd ibi de horizonte αἰσθητοῦ loqui Geminum aſſerit. horizontem, inquam, ſenſilem in quadringentis mutari ſtadiis, cùm in trecentis meridianus varietur, dici ab Gemino & Proclo Salmaſius exiſtimat. Nam cauſſam diverſitatis affert ejuſmodi: quòd horizontes αἰσθητοὶ ſunt, meridiani λόγῳ θεωρητοί. *De horizontibus oculi judicant. nam ibi finiuntur, & incipiunt ubi viſus terminatur. meridiani alia ratione deprehenduntur, & mente ſola notantur.* Addit ioſuper, Geminum propterea quadringentis ſtadiis horizontem terminare; quòd totam diametrum aſſumpſerit; qua exhauſta novus de integro finitor exiſtat. Nam viſus ultra CLXXX ſtadia non extenditur. unde fit tota diameter ſtadiorum CCCLX, hoc eſt ferè quadringentorum. Hæc ille.

Atqui tam eſt evidens non de horizonte ſenſili; ſed de λόγῳ θεωρητῷ, maximóque, qui ſphæram ſecat bifariam, verba iſtic facere Geminum; ut hoc negare, qui auctorem illum legerit, nemo poſſit. Primùm horizontem ſenſilem paucis antè verſibus ſcripſerat Geminus diametrum habere ſtadiorum bis mille. Non igitur ſubinde quadringentorum tantummodò ſtadiorum eamdem diametrum ſtatuir. Deinde nullam, ubi de mutatione diſſetit, diametri, vel ſemidiametri mentionem facit; ſed παραλλαγῆς dumtaxat αἰσθητῆς, id eſt ſenſilis mutationis, quæ tam horizonti, quàm meridiano accidit. Ut igitur ex eo, quod αἰσθητὴν παραλλαγὴν meridiano tribuit, non poteſt effici, de meridiano ſenſili loqui Geminum; qui nullus eſt ſenſilis: ita neque ſenſilis ex eo intelligendus eſt horizon, quòd de ejus ſenſili varietate meminerit. Præterea varietas illa, quam in ſtadiis fieri quadringentis ait Geminus, talis eſt, ut & dierum magnitudinem, & climata, & apparentias immutet. (Nam de illa Finitorum viciſſitudine ſcribit, quæ ad auſtrum, aut ſeptentriones incidit, ut paullò pòſt aperiam.) At iſtarum rerum mutatio non ex ſenſili horizonte, ſed ex λόγῳ θεωρητῷ ac majore petitur. Etenim ortus ſolis, & occaſus, quos pro Finitorum illa varietate citiùs tardiúſve fieri cùm pag. 12, tum 30, diſputat; nequaquam in horizonte αἰσθητῷ, ſed in λόγῳ θεωρητῷ conſiderantur.

Cum eſt igitur abſurdiſſima res, quam hoc loco Criticus iſte commiſit; tum profectò inſcitiſſimè ſenſilis horizontis παραλλαγὴν poſt quadringenta demum fieri ſtadia pronunciavit. Etenim tum fit alius horizon ex alio, cùm novus proſpectui ſeſe campus aperit: & quæ ptopter longinquitatem hactenus diſcerni non poterant, quòd extremo ambitu Finitoris excluſa extra ejus aream conſtiterant, eminus apparêre incipiunt. Id autem longè citra CCCC, vel CCC, vel centum etiam ſtadia contingit. nimirum ſimulatque, progrediente quaquaverſum homine, novæ rerum aſpectabilium ſpecies objiciuntur oculis, ac Finitoris orbe comprehenduntur. Etenim ſenſilem horizontem ſenſu metimur oculorum. Quocirca cùm primùm novæ res io ſenſus incurrunt, & ab iis percipi deſinunt, quæ antea videbantur; nemo niſi ſenſus expers eumdem manere ſenſilem dixerit horizontem.

Sed argutè Criticus noſter, ut nihil ſuprà, de totius diametri mutatione loqui putat Geminum: ac tum demum velle mutari horizontem, cùm totus ipſe circulus immutatur: nihil ut ampliùs cernatur eorum, quæ videbantur antea; nihil, quod deinceps videtur, oculis fuerit antè ſubjectum. quod hoc ſchemate egregiè demonſtrat. Sint horizontes citculi duo, quorum diameter ſit ſtadiorum 360; ſemidiameter 180, ac primùm mutuo ſe in centro ſecent. Hoc quamdiu fit, pars veteris horizontis novi ambitu continetur. cùm progreſſus factus eſt ab centro unius, ad extremum ambitum ejuſdem horizontis, intervallo centum & octogin-



ta ſtadiorum. Tum autem totius fit horizontis μετάπτωσις, cùm extra ſe invicem penitus eſſe circuli cœperunt, ac ſe in puncto contingere. ut in altero ſchemate iidem illi circuli duo tangunt invicem, videlicet cùm à centro unius ad alterius centrum totius intervalli diametro facta progreſſio eſt. quod intervallum ſtadiorum 360. Hoc modo Geminum, ac Proclum, & eos omnes Veteres exponit, qui horizontis mutationem, ac μεταπίπτειν aſſerunt fieri poſt 400 ſtadia. nam 360 propè accedunt ad 400. Optici porrò oculorum aciem non ultra 180 ſtadia patere cenſent, quanta circulorum eſt ſemidiametrus: quæ geminata totam efficit diametrum ſtadiorum eſt 360.

Nihil inſulſius hoc commento; neque ab mente Gemini magis abſonum excogitari potuit. Hic enim de ea mutatione loquitur, quæ eſt πρὸς τὴν αἴσθησιν, quæ ſenſu percipitur. quam ſic ſpatio illo quadringentorum ſtadiorum definit; ut citra hoc nulla varietas ſenſu capiatur; ſed idem atque immutatus horizon maneat. μεταπίπτειν horizontis nemo fieri tum demum exiſtimat, cùm novus ex integro orbis exiſtit, nullam prioris partem retinens. quod in λόγῳ θεωρητῷ ac majore perſpicuè cernitur. Nam ſi tunc ſolum μεταπίπτειν, ac mutari iſte dicendus eſt, cùm poſterior totus extra priorem eſt; ſic ut nulla invicem earum rerum, quas coercent, parte communicent; nulla umquam accidet horizontis mutatio. Cùm enim horizontes maximi ſint circuli, ac ſphæram bifariam dividant; bifariam ſe itidem partiantur in centro neceſſe eſt; niſi ubi plana eorum coëunt. quod in oppoſitis dumtaxat terræ partibus evenit. Verùm mutari tunc εἰς πρὸς αἴσθησιν dicuntur, cùm apparentium in iis varietas animadverti incipit. Mira eſt igitur Salmaſianæ interpretationis abſurditas; qui Geminum affirmare vult, unum & eumdem αἰσθητὸν manere finitorem circulum intra qoadringenta ſtadia. Ea ſunt milliaria quinquaginta. Igitur quæ civitates minùs invicem diſtant millibus paſſuum quinquaginta; eumdem ſenſilem habent horizontem: hoc eſt nullum inter ambarum proſpectus diſcrimen oculis notatur. Sic Lutetiæ Pariſiorum ac Gennabi, ſive Aureliæ horizon idem fuerit. qui tum demum αἰσθητῶς variabitur, hoc eſt *planè manifeſtaria, quoad ſenſum, deprehendetur hac horizontis variatio; quum omnia alia videbuntur, & ſitus locorum in totum mutabitur.* idque qoadringenteſimo circiter ſtadio continget. Hoc, niſi pecudem fuiſſe putemus Geminum, numquam ab eo dictum fatebimur, ac ne cogitatum quidem. Non enim de ſenſili horizonte loquitur, cùm intra quadringenta ferè ſtadia mutari negat, ſed de majore, ac λόγῳ θεωρητῷ. quod iovictis rationibus ſuprà demonſtravimus, præſertim ex eo, quòd ſenſilis horizontis diametrum paucis antè verbis duobus ſtadiorum millibus, non quadringentis circumſcribi docuerit. unde minimè conſentaneum ſit eamdem diametrum tanto minorem in gyrum ſubinde reſtringi. Ex illa verò priore diametri finitione Salmaſianæ collectionis error inſigniùs elucet. Nam ſi nulla, quæ quidem diſcerni ſenſibus poſſit, hoc eſt *planè manifeſtaria*, fit horizontis variatio, niſi tota horizontis αἰσθητοῦ peragrata diametro, cùm eadem duobus ſtadiorum millibus conſtare dicatur à Gemino, ex hujus opinione ſequitur, civitates eas, quæ citra duo ſtadiorum millia diſtant iovicem, eumdem circumquaque proſpectum, & horizontem habere ſenſilem. Sunt autem millia ſtadiorum duo, ducenta, & quinquaginta paſſuum millia. Quare civitates illæ, quæ ducentis millibus paſſuum ſeparantur, ſive leucis noſtratibus centum, ſenſilem

Salmaſius p. 668, D.

lem eumdem habent horizontem ex ſententia Gemini, ac Procli, quam utrique Salmaſius attribuit. Hic fœtus eſt eruditæ illius Exercitationis, quam de horizon-
Salm. p. 668. E. tibus, meridianis, & parallelis Salmaſius ad hoc explicavit, *at pleraque non intellectu viris maximis promeret.*

CAPUT XII.

De Gemini loco illo diſputatur iterum, ejuſque vera ratio traditur, exploſis Salmaſii commentis. Ejuſdem errata varia.

PRÆTER hæc verò, non pauca ſunt in eâdem Exercitatione opinionis, interpretationiſque flagitia. quæ ut mecum auctor ipſe recognoſcat, ejus hîc aliquot
Salm. p. 667. E. verba referemus. *Jam ſupereſt*, inquit, *ut expendamus, fortean & ſolvamus aliam quæſtionem, quæ Scaligerum habuit ſolicitum. Quæſtionis hoc caput eſt. Geminus, & Proclus meridianum ὡς πρὸς αἴσθησιν, eumdem conſiſtere per trecenta ſtadia ſcripſêre: horizontem verò eumdem perſeverare in quadringenta. Quæ ratio diverſitatis? Totidem ſtadiis mutatio eſſe debebat in meridiano. alter ſine altero eſſe non poteſt. Quæ de uno dicuntur, & de altero dici neceſſe eſt. Si παραλλαγὴ horizontis non percipitur, niſi κατὰ μέγεθος ſtadiorum quadringentorum; ſequitur ut παραλλαγὴ meridianorum in totidem ſtadiis aſſerenda ſit.* Hæc ſunt mini-
Geminus p. 32. mè quid dicat intelligentis hominis. Etenim Geminus illo loco non agit de qualibet horizontis mutatione; ſed de ea ſola, quæ fit κατὰ πλάτος, ac verſus polum alterutrum. quod ipſemet expreſſè declarat Geminus. δεῖ μέντοι γε, ait, τὴν παραλλαγὴν τῆς οἰκήσεως τὴν ὑπὲρ υ' ϛάδια λαμβάνεσθαι κατὰ τὴν πρὸς ἄρκτον, ἢ πρὸς μεσημβρίαν πρόοδον. *Oportet verò diverſitatem habitationis, quæ ultra quadringenta ſtadia ſit,* (de qua proximè dixerat) *accipi ſecundùm progreſſum ad ſeptentrionem, aut meridiem.* Tum eo conſtat, quòd, ut ſuprà demonſtravi, ex illa mutatione horizontis, quam in CCCC ſtadiis accidere vult Geminus; variari magnitudines dierum, & climata, nec non apparentias aſſerit. quam mutationem ſola, quæ fit ad polos, horizontis παραλλαγὴ poteſt efficere.

Salm. p. 667. A. Hinc verò Salmaſianæ collectionis firmitas apparet. *Quæ de uno dicuntur*, inquit, *& de altero dici neceſſe eſt.* quaſi ad horizontis mutationem variari meridianos oporteat. Atqui ſub eodem meridiano infiniti horizontes eſſe poſſunt. Quamobrem aliena eſt ab illo Gemini loco Salmaſii dubitatio: quandoquidem ad meridianorum variantiam non eſt conſequens horizontum mutatio; quæ quidem eo modo fit, quem Geminus oſtendit, verſus auſtrum, aut aquilonem.

Ridicula Salmaſii diſputatio. Sed eſt operæpretium qualicumque illi quæſtioni quemadmodum reſpondeat animadvertere. Intereſſe, ait, inter horizontem, & meridianum. *Nam horizontes αἰσθητοὶ ſunt: meridiani λόγῳ θεωρητοί. De horizontibus oculi judicant, nam ibi finiuntur, & incipiunt, ubi viſus terminatur. meridiani alia ratione deprehenduntur, & mente ſola notantur. ipſi certè αἰσθητοὶ non ſunt: ſed eorum αἰσθητὸν παράλλαγμα in tot ſtadiis fieri dicitur. Nihil itaque ſimile.* Hactenus reſponſio. cujus hæc eſt ſumma: Differre horizontes à meridianis, quòd illi viſu diſcernantur: hi mente, & ratione, non ſenſu. Quid hoc ad quæſtionem? aut quæ iſta conſequentia eſt: Differt horizon à meridiano: Ergo horizon in CCCC ſtadiis mutatur: meridianus in trecentis? Hujus enim rationem reddere propoſitum fuerat: quòd argumentatio iſta nihilo plus facit; quàm ſi cauſſam percontanti, cur breviores æſtate ſint noctes, hieme longiores; id unum reſpondeat, intereſſe inter æſtatem, & hiemem; quòd æſtas calida ſit, hiems frigida. Nam quòd viſu diſcernatur horizon; meridianus verò ſola ratione; vel nihil ad hoc pertinet, ut alter altero breviore ſpatio mutetur. vel ſi quid refert, non ut minore intervallo meridianus ſit alius, quàm horizon, efficiet. ſed è contrario ut minore mutetur horizon, quàm meridianus. Quippe viſus haud adeo longum in ſpatium extenditur; præſertim ſi de plano, aut non valdè eminenti loco ſpectetur. Quare intra pauciora multò ſtadia, quàm CCCC, aut etiam CCC variari neceſſe eſt. At meridianorum diverſitas non tam facilè diſcernitur oculis: utpote quæ ex umbrarum varietate, & ad gnomonas ratione colligitur: quæ in totidem vel pluribus etiam ſtadiis perexiguam habet viciſſitudinem. Proinde ſi de αἰσθητῷ horizonte intellexit Geminus, ut eum falsò Salmaſius interpretatur; multò breviore intervallo fit horizontis, quàm meridiani circuli mutatio.

Sed illud de horizonte αἰσθητῷ feſtivè Salmaſius: Salm. p. 669. D.
Quùm ab oculis pendeat, ac viſa horizontis finitio, modus ejus ab Optica peritis petendus eſt. Hi dicunt directam ab oculis aciem contrà tueatibus per planitiem ultra centum octoginta ſtadia non poſſe penetrare. Ergo in quamcumque oculos partem verteris, ſi in plano aſpicias, non ultra hoc ſpatium viſus perges. Scire velim quos ille Opticos in conſilium adhibuerit: aut quis ei perſuaſerit, hominis in planitie contrà tuentis oculum ad CLXXX ſtadia pertingere. Nam Geometrica & Optica ratio, neceſſariâ, uti X capite oſtendimus, ἀποδείξει conficit, ſtantem hominem in plano non ultra ſtadia 27 ½, quamlibet acuta ſit oculorum acie, poſſe pertingere: ſi de terræ, vel maris ſuperficie ſola ſermo ſit. à qua αἰσθητοῦ finitoris ἀπογραμματισμὸς petitur. Nam alioqui mons, aut ſublime quippiam è longinquiore ſpatio conſpici poteſt etiam in plano ſtantibus. Sed cùm de horizontis ſenſilis circumſcriptione agitur; nudum ex adverſo terræ globum, aut aquæ conſtituimus: in quo viſum terminans circulus finitoris imprimitur: non arduum aliquid, ac ſupra terram eminens. Hoc enim ut adhibeatur, non poteſt certus eſſe limes horizontis; quia quò celſius id erit, quod eminus intuemur, eò longiore ex intervallo cernitur. unde nec CLXXX ſtadiis circumſcribi poteſt horizontis ambitus. Dicat igitur doctor ille *maximorum virorum*, qui *ab iis non intellecta depromit*, unde ſcitum illud expreſſerit, ſtantis in planitie hominis aciem ad ſtadia CLXXX penetrare poſſe. Cùm enim ſuprà demonſtratum ſit, ad 50 circiter paſſus, ſive pedes 251, erigi oculum oportere, ut ad ſtadia totidem pertingat; tam enormis ſtaturæ homines ab Salmaſio fingi neceſſe eſt, quorum ex aſpectu ſuum ſibi ſenſilem horizontem finierit.

Poteſt verò & illa nobis explicare, quæ de meridia- Salm. p. 668, D.
nis ſcripſit, *cum parallelis potiùs reciprocam eſſe eorum rationem, quàm cum horizontibus?* Siquidem reciproca hîc quidem ea ſignificantur, quæ mutua conſequentia pendent invicem. quemadmodum Cicero reciprocari dicit iſta: *Si divinatio ſit, eſſe Deos: & ſi Dii ſint, eſſe divinationem.* Itaque ex illa Salmaſii oratione ſequitur, reciprocari cum parallelis meridianos in eo ipſo, de quo ſermo nobis eſt; nimirum in παραλλαγῇ, ac mutatione. Igitur quoties meridiani mutabuntur, paralleli itidem erunt alii: & contrà mutatis his, mutari iſtos oportebit. Atqui paralleli circuli ſunt, quorum & meridianorum mutua ſectio eſt κατὰ πλάτος τῆς σφαίρας. Plures autem ſub eodem meridiano eſſe poſſunt. quemadmodum ad meridianos plures idem parallelus extenditur.

Poſtremò ut illum Gemini, ex eóque Procli locum, Illuſtratur Gemini locus.
in quo tantum laboris, exercitationiſque perdidit Salmaſius, accuratiùs, quàm ille fecit, expendamus, ſiquidem nihil in eo caſtigatione ſit opus, nulla reddi illius alia ratio poteſt, quàm quæ ab Clavio noſtro eſt allata in commentariis ad cap. II ſphæræ. nimirum ab ortu verſus occaſum in trecentis ſtadiis meridianorum παραλλαγὴν incidere; quæ ortus, & occaſus Solis, ac dierum initiis varietatem affert. horizontes autem ad auſtrum, aut ſeptentrionem alios, atque alios effici in CCCC ſtadiis. horizontes, inquam, non αἰσθητοὺς, ſed maximos; in quibus poſt ſtadia tondem, climatum, & umbrarum ſit ſenſilis diverſitas. Quocirca mutationem horizontis maximi, quæ κατὰ πλάτος accidit, cum meridiani mutatione, quæ eſt κατὰ μῆκος, confert Geminus, ac Proclus illo loco, quem unicum; idque obiter, ut ſolet, & perfunctoriè legit Exercitator. Nam ſi Gemini cetera vidiſſet, majus ad illam ipſam tractandam quæſtionem operæpretium haberet.

Etenim Geminus noſter cap. XIII, de horizontium Gem. p. 30.
mutatione non ſolùm κατὰ πλάτος, uti cap. III fecerat, ſed etiam κατὰ μῆκος, differens, utramque in CCCC ſtadiis evenire docet: ſic ut ortus, occaſúſque Solis ſpatio illo varientur. Ex quo juſtior hæſitandi cauſſa ſuppetit, quàm inde, unde Salmaſius eam arripuit; quam profectò, ſi Geminum intelligeret, nullam ex illo loco caperet omninò. ex hoc verò, quem adduximus, graviſſima naſcitur; cur eùm horizontes ab ortu ad occaſum ſenſilem varietatem non accipiant ante ſtadia CCCC, meridiani CCC tantummodò mutentur. Sanè trecentis ſtadiis horizontes quoque αἰσθητοὺς variari nonnulli

Veteres arbitrati ſunt. Cleomedes lib. I, cap. X ex Eratoſthene refert gnomonem apud Syenem, ſole in æſtivo tropico ſito, nullas umbras jaculari meridie; idque trecentorum ſtadiorum intervallo perſeverare. περὶ τοῦτο γίνεσθαι λόγον ἐπὶ σαδίους τριακοσίους τῆς διαμέτρου. Plinius item lib. II, cap. LXXII, *ut trecentis ſtadiis, aut, ut longiſſimè, in quingentis, mutare ſe umbras Solis*, aſſerit. Verùm cùm Geminus quadringenta ſtadia mutationi horizontis tam ad ortum occaſumve, quàm verſus polos imputet; perinde meridianorum varietati quadringenta ſtadia debet adſcribere. Quo magis adducor ut in cap. III, ubi meridianum dicit in trecentis mutari ſtadiis, pro ἐπὶ σαδίους τ', ſcribendum cenſeam σαδίους υ', id eſt *quadringenta ſtadia*. ut rectè *eruditus ille ætatis hujus Geographus* ſentiebat, quem nominat Salmaſius; cuique adeò nihil præter ſuam auctoritatem oppoſuit; quæ quanti apud nos eſſe debeat, cùm in omnibus commentariis ſuis; tum hac ipſa de cœleſtibus circulis Exercitatione patefecit: in qua minus aliquantò verborum, quàm hallucinationum, errorúmque cernitur: è quibus nonnullos præterea capita ſequentia demonſtrant.

Salm. p. 667. A.

C A P U T XIII.

De ſenſili horizonte, quem non eſſe planum circulum, ut Salmaſius putat, oſtenditur, ejuſdem ἀλογισία de parallelorum inter ſe ratione.

Salm. p. 658. E.

DUo *ex maximis circulis*, ait Salmaſius, *totum mundum in tetrantem dividunt, ſeſéque invicem ad rectos angulos ſecant, Horizon, & Meridianus: quorum horizon per puncta orientis, & occidentis tranſit; meridianus per polos mundi.* Mirifica deſcriptio: quaſi non etiam per polos mundi rectus horizon tranſeat, ut & meridianus.

Salm. p. 660, D.

Rurſus idem Salmaſius horizontem illum maximum circulum, *quo præcingitur mundus, & octava ſphæra in duo ἴσα dividitur, quique meridianum ad rectos angulos ſecat*; & ſenſilem alterum horizontem *invicem ſibi reſpondere, & alterum altero incluſum eſſe*, dicit, *ut minor circulus majore* clauditur. Item, *utriuſque idem eſſe centrum, ac ſimul mutari.* Utrumque falſum. Neque ſenſilis horizon, tamquam minor circulus, altero illo, qui ſphæram æqualiter dividit, velut majore clauditur: neque eſt idem utriuſque centrum. Horizon αἰσθητὸς planam ſuperficiem non habet; ſed turbinatam ac conicam. Quando circuli duo ſic ſe habent, ut minor includatur majore, idem debet amborum eſſe planum: nec ſe invicem ſecant, quamlibet minor exporrigatur. At ſenſilis horizon planus, ut dixi, non eſt; & ſi producatur, maximum illum ſecat horizontem. Centrum porrò ſenſilis horizontis propriè nullum eſt; ſed polus in eo puncto eſt, cui ſtantis pedes inſiſtunt. Prætereà centrum extra planum circuli ſui conſiſtere non poteſt. atqui centrum majoris illius horizontis; quod idem eſt ac terræ, prorſus extra aream eſt minoris & ſenſilis iſtius. Centrum hujus ergo non erit. Denique ſimul ambos mutari dicere, hoc eſt rem funditus neſcire. Horizontis αἰσθητοῦ definitio ab oculorum pendet aſpectu. quare tamdiu perſeverat idem, dum eædem res ad viſum accidunt; neque novi aliquid apparet. Non magno verò ſpatio opus eſt, ut & novus uſquequaque proſpectus ſit; & diverſus horizon αἰσθητὸς ſuccedat. Neque enim eouſque manet idem, donec tota prioris diametrus exhauſta fuerit; uti capite ſuperiori demonſtravimus. At horizon maximus longiore intervallo variatur, ſi de ſenſili mutatione ſermo ſit. quia tunc ſolùm mutari dicitur, cùm aut ortus occaſúſque Solis momenta, ὡς πρὸς αἴσθησιν, varia ſunt; ſi κατὰ τὸ μῆκος conſiderentur. vel, ſi polum verſus capiantur, quando varietas umbrarum, aliorúmque φαινομένων apparere ſenſibus incipit. Quòd ſi non ad ſenſum exigatur illa diverſitas horizontis veri, vel minima progreſſione novus exiſtit: ut Geminus obſervat, ἅμα τῇ σημειώδει παρόδῳ γίνεται καθ' ὁποιονοῦν μέρος τοῦ κόσμου, μεταπίπτει ὁ ὁρίζων. Itaque falſiſſimum eſt ambos horizontes ſimul mutari. quandoquidem σχέσις ad ſenſum illa, quæ in ſenſilis horizontis ἰδίᾳ, ac definitione locum habet, neque quovis in παρόδῳ puncto mutatur; ut in ἀκριβεῖ horizonte fit, & multo breviore ſpatio variatur, quàm majoris horizontis illa ὡς πρὸς αἴσθησιν habitudo & ratio, quam Geminus κατὰ πλάτος τοῦ κόσμου eodem loco ſpectavit.

Gem p. 22.

Sed quid de ἀλογισίᾳ altera dicam, quam in eâdem Diatriba commiſit? Ptolemæus lib. I Geographiæ, cap. XX, ac XXI ſcribit rationem maximi in ſphæra circuli, putà æquinoctialis, ad parallelum Rhodi propemodum eſſe ſeſquiquartam, nimirum ut 5 ad 4. Proportionis hujus facillima eſt ἀπόδειξις. Cùm enim ſit ea circulorum inter ſe ratio, quæ eſt ſemidiametrorum, erit ut ſemidiameter circuli maximi, hoc eſt ut ſinus totus, vel radius, ad ſemidiametrum circuli minoris, qui æquatori parallelus eſt; ita circulus maximus ad parallelum. Eſt autem ſemidiameter paralleli cujuſlibet ſinus rectus complementi diſtantiæ paralleli ejuſdem ab æquatore. Eadem ergo proportio erit æquatoris ad parallelum, quæ eſt ſinus totius ad ſinum complementi diſtantiæ paralleli iſtius. Parallelus Rhodi ab æquatore diſtat gradibus 36. hujus complementum eſt graduum 54. cujus ſinus eſt 80902. Proinde ratio ſinus totius, id eſt 100000 ad 80902 eadem eſt, quæ maximi circuli ad parallelum Rhodi. Rurſus fiat ut 100000 ad 80902 ita 5 ad aliud, exiſtet ratio 5 ad 4 $\frac{4510}{100000}$ hoc eſt ἔγγιστα ἐπιτέταρτος λόγος, ferè ſeſquiquarta proportio. Eamdem quoque proportionem circuli maximi ad Rhodi parallelum talem ait eſſe, qualis eſt 115 ad 93. quod veriſſimum eſt. Nam ſi fiat ut 100000 ad 80902, ita 115 ad aliud, quotiens dabit 93. $\frac{1730}{100000}$ hoc eſt 93, & paullò plus, Salmaſius ἐπιτέταρτον illum λόγον, *ſeſquiquartam rationem*, quam æquinoctialis ad parallelum Rhodium habet ex Marini, & Ptolemæi ſententia, poſtulare dicit, ut quadringenta & quinquaginta ſtadia dentur uni gradui paralleli iſtius, cujuſmodi quingenta imputantur gradui uni circuli maximi. *Nam qualium eſt æquinoctialis quinque, talium eſt Rhodi parallelus quatuor & ſemiſſis. Ratio quidem τῆς ἐπιτετάρτου poſtulabat, ut quadringenta, & quinquaginta ſtadia darentur.* Hæccine ſunt hominis ejus, qui docere ſe illa profiteatur, quæ maximis viris intellecta non fuerint? Nam quid hoc amabo eſt? Ptolemæus diſertis verbis aſſerit Marinum in uno Rhodi parallelo rationem, quam habet ad eum æquinoctialis, adhibuiſſe; in ceteris inſuper habuiſſe. illam porrò rationem ferè ſeſquiquartam eſſe confirmat, approbátque Ptolemæus. Quid eſt ἐπιτέταρτος λόγος; Opinor cujuſmodi eſt 5 ad 4. At illa quinque ad quatuor & ſemiſſem proportio non ſeſquiquarta, ſed ſeſquinona eſt, qualis eſt 10 ad 9, quæ priore minor eſt. Rurſus proportio 115 ad 93, quam habere ad Rhodiacum parallelum æquatorem, Ptolemæus adſtruit, eſt ut 5 ad 4. Si eſſet ut 5 ad 4½, reſponderet huic proportio 115 ad 103½. Quocirca uti maximi circuli gradus unus quingentis in terra ſtadiis reſpondet; ita gradus unus paralleli Rhodi quadringenta, & paullò pluſculum exigit; non utique 450. hic error neque mediocris eſt; neque in tam odioſo aliorum reprehenſore, & obtrectatore venia dignus.

Salm. p. 665.

C A P U T XIV.

Manilii locus illuſtratur, à Scaligero, multóque magis à Salmaſio depravatus, & perperam acceptus. Ejuſdem Salmaſii errores varii, & graviſſimi.

MANILII locus eſt de meridiano & horizonte lib. I. cujus in interpretatione tam valdè ſibi Salmaſius placet, ut præ ſe doctos omnes, ac Scaligerum imprimis, virum, ut ſæpè vocat, incomparabilem, nihili faciat, ac contemnat. Nam nec ipſum, neque quemquam præter ſe mortalium aſſecutum eſſe Maniliana iſta prædicat. *Eum locum*, inquit, *eò lubentiùs afferam, quòd nec à Scaligero intellectus eſt, nec quiſquam puto illo ceſſante hodie intelligit.* At ego nihil eum feliciùs iſtic operam navaſſe, quàm Scaligerum, imò turpiùs etiam impegiſſe non adeo difficilem ad locum, hoc ipſo capite monſtrabo. ac Manilii primùm verſus in medium afferam. De meridiano igitur hæc Manilius:

Salm. p. 662. B.

Hic mutans per ſigna vices: ſeu ſi quis Eoos,
Seu petis Heſperios; ſupra ſe circinat orbem
Verticibus ſuperaſtantem, mediúmque ſecantem
Cœlum, & diverſo ſignantem culmine mundum:
Quando alius aliud medium eſt, volat hora per orbem;

Cumque

Cúmque loco terræ cœlúmque, ac temporu mutat.
Atque ubi ſe primis extollit Phœbus ab undis,
Illis ſexta manet, quos tum premit aureus orbis.
Rurſus ad Heſperios ſexta eſt, ubi cedit in umbras.
Nos primam, ac ſummam, ſextam numeramus utramque,
Et gelidum extremo lumen ſentimus ab igne.

Meridianum, ait Manilius, ſi quis ad ortum, occaſúmve progrediatur, identidem mutari, ac novum circulum ſupra verticem deſcribere, qui cœlum bifariam partiatur, & culmen, hoc eſt ſupremam imminentémque vertici partem mundi, diviſione ſua ſignet. Ita culmen accipimus, non pro σημείῳ, ac puncto verticali. Neque enim punctum dividi poteſt. Quare non audiendus Exercitator, qui *diverſo*, pro *diviſo* ob id reponit, quia culmen τὸ τῆς κορυφῆς σημεῖον exponit. Apage hanc licentiam. Culmen pro faſtigio ſumitur: ut cum domorum culmina dicimus. Ergo culmen ſuperius hemiſphærium appellat, quod utique meridianus bipartitò ſecat. Pergit Manilius, & meridianum ex eo colligit eſſe mutabilem, quòd non eodem tempore ſexta hora, ſeu meridies eſt ubique terrarum. Nam hæc ipſa hora meridiana volatica eſt, & alibi alio tempore accidit, pro varietate τῶν οἰκήσεων, tam cœli ratione, quàm terræ. De ſexta potiſſimùm hora loqui Manilium, non de ortus, occaſuſve tempore, ut putat Exercitator, ſequentia demonſtrant. Quippe ſolius ſextæ meminit; ut quam ſolam meridianus efficit, de quo ſermo eſt. Ut autem quæ ſequuntur capere poſſimus, ſciendum eſt, Manilium tractum illum terrarum, & οἴκησιν, ubi tum degebat, velut in medio ponere; & quæ utrimque diſtant ab eo loco gradibus longitudinis 90, ſive horarum ſex intervallo, cum habitatione ſua conferre, qui ad ortum ſiti ſunt, hos Eoos appellare: qui ad occaſum, Heſperios, ſive Romæ; ſive alibi tum iſta ſcriberet. Igitur cùm primùm Sol nobis oritur, inquit, Eois illis, qui nonaginta gradibus diſtant orientem verſus à meridiano noſtro, meridies eſt; quòd eorum meridiano Sol incubat. Rurſus circa Heſperios; qui tantumdem à nobis occidentem verſus diſſiti ſunt, ſexta eſt hora, quando Sol nobis conditur, & infra horizontem noſtrum cadit. Nos duplicem hanc ſextam non ſextam habemus, nec appellamus; ſed priorem vocamus primam horam diei: poſteriorem, ſummam, & ultimam. Hæc non difficilis ſanè loci vera, & ſimpliciſſima ſententia eſt: à qua non minùs aberravit Salmaſius, quàm Scaliger, cujus hallucinationem iſte caſtigat. In nono verſu pravam interpunctionem cauſſatur Salmaſius; itáque diſtinguit:

Rurſus ad Heſperios, ſexta eſt ubi, cedit in umbras.

ut non mirum ſit, addit idem, *ſi nihil boni ex ea interpunctione potuit vir ſummus exſculpere.* Ergo ſenſum ita concinnat: *Ubi nobis Sol oritur, tum Indis meridies eſt. At ubi nobis ſexta eſt hora, rurſus illis Sol in umbras cedit, & Heſperios petit, id eſt occidit. Heſperii enim ſunt, ubicumque Sol occidit. Egregia certè ex leviculu interpunctione emendatio.* Verùm *nihil alienius à mente Manilii, quàm hæc eſt expoſitio*, ut iiſdem in eum verbis utar, quibus ipſe Scaligerum arguit. Etenim duplicem tantummodò ſextam recenſet Manilius. quarum alteram nos, inquit, primam; alteram ſummam, id eſt ultimam dicimus. Denique Geminus cap. XIII, pag. 30, eodem planè modo, quo Manilius, uſurpat: καὶ ἔστιν ἡ πρώτη πᾶσιν αἱ ὧραι παρ' ἄλλοις μόνοις ἡμέρας ὥρα, παρ' οἷς ἡ δύσις ὥρα. Ex Salmaſii interpretatione conſequens erit, à Manilio ſextam horam, id eſt meridiem, ultimam appellari, ſi ita, uti jubet, concipias, exponáſque, *ſexta eſt ubi*, hoc eſt, *ubi nobis eſt ſexta.* quod quàm à ratione ſit alienum, vel ipſum ſibi amantiſſimum ſui judicem fero.

Sequitur de horizonte, in quo majores nugas egit Salmaſius:

Alterius fines ſi vis cognoſcere gyri,
Circumfer faciles oculos, vultúmque per orbem:
Quicquid erit cœlíque imum, terræque ſupremum,
Quâ, coit ipſe ſibi nullo diſcrimine mundus,
Reddítque, aut recipit fulgentia ſidera ponto,
Præcingit tenui tranſverſum limite mundum.
Hæc quoque per totum volitabit linea mundum,
Nunc tantum ad medium vergens, mediúmque repentè
Orbem, nunc ſeptem ad ſtellas, nunc mota ſub aſtra.
Sed quocumque vagæ tulerint veſtigia plantæ,
Has modò terrarum, nunc has gradientis in oras;
Semper erit novus, & terris mutabitur arcus.
Quippe aliud cœlum oſtendens, aliúdque relinquens
Dimidium teget, & referet, varióque notabit
Fine, & cum viſu pariter ſua fila moventem.
Hic terreſtris erit, quia terram amplectitur, orbis.
Et mundum plano præcingit limite gyrus.
Atque à fine trahens titulum memoratur Orizon.

Scal. legit, *Fini cum viſu.* nos retenta veteri lectione, *moveare* pro *moventem* tantummodò ſubſtituimus.

His in verſibus exponendis non parum quidem falſus eſt Scaliger. ſed ſi cum ejus erratis Salmaſiana comparentur, parva illa erunt, ac tolerabilia. Nos primùm, ut in ſuperiore fecimus, totius loci ſenſum explicabimus: deinde Pliniano Exercitatori operam dabimus.

Ex duobus mutabilibus circulis, priorem, id eſt meridianum expoſuit. alterum nunc ſubjicit, horizontem; qui ita deſignabitur, ſi oculos circumquaque per orbem, ac mundum feramus. Nam in extrema finitione, una pars hemiſphærii cœleſtis cum extima terræ ſuperficie coire videtur; ac lineam quamdam in orbem facere, qua tranſverſus mundus præcingitur; unde orientia primùm apparent, aut ſub eamdem labentia ſidera videri deſinunt. Ea porrò linea mutabilis eſt, & volatica; quæ in omnes mundi partes movetur. Nunc enim ad meridiem alius, atque alius fit circulus; nunc ad ſeptentriones; nunc ad ortum, vel occaſum. Ceterùm ita volat, ac movetur circulus iſte, quamcumque gradiaris in partem, ut novam ſemper mundi partem aſpectabilem faciat, ac retegat: & dimidium cœli perpetuò ſub oculos referat. Itaque varia circumſcriptione cœlum notabit, ac deſignabit; quæ finitionis varietas cum aſpectus mutatione pariter accidit. ſiquidem progreſſione facta, ac nova cœli parte, quæ latebat anteà, retecta, fit αἰσθητῇ μεταβάσει, ſenſilis horizontis mutatio. unde cum viſu movente, ac mutante ſua fila, diverſus exiſtit. Denique circulus iſte terreſtris erit; quia terram ſic amplectitur, ut in ea planus recumbat. Solus enim iſte circulus eſt, qui, reſpectu ad terræ incolas, & οἰκήσεως habito, planus, ac dejectus eſt. neque ſupra nos attollitur, ſed in imam mundi partem, hoc eſt terram, depreſſus ac ſubſidens jacet. Adde ἰδιωτικῶς id dixiſſe Manilium, & ad eum ſenſum, quem ſuprà poſuit. nimirum quia circulus hic ex ima parte hemiſphærii ſuperioris cum terra coëunte naſcitur. Vulgus enim cœlum cum extrema terra committi credit oculis ſuis. & ad popularem iſtam ſermonis conſuetudinem interdum ſe Scriptura ſacra demittit. Hæc noſtra ratio eſt. quid Plinianus Exercitator?

Primùm ſcribit;

Non tantùm ad medium vergens, mediúmque repentè
Orbem; nec ſeptem ad ſtellas, nec muta ſub aſtra.

nullo, vel ineptiſſimo ſenſu. *Planè dicit*, inquit, *horizontis circulum per totum mundum volitare, ac ſubinde mutari, non tantùm, quàm vergit ad medium orbem, id eſt æquinoctialem: nec quàm ad ſeptem ſtellas, id eſt ſeptentriones: nec muta ſub aſtra: ad polum ſcilicet antarcticum; ſed quamcumque in partem mundi, & quaſcumque in terrarum oras tranſeat quis, diverſos fieri horizontes.* Hìc verò nimiùm peregrinatur, & ab veri regione avius ducitur Criticus noſter. Medium orbem æquinoctialem exponit; ergo meridionalis hæc plaga eſt. Verſus eam partem ſi quis progreditur num aliò tendere poteſt, quàm ad polum antarcticum? Quorſum igitur Poëta, poſtquam tractum illum ſignificavit, ac mutari dixit horizontem, quoties meridiem verſus procedimus; de antarctico polo meminiſſet? Satin' ſobrius eſſet, ſi ita conciperet; Non tantùm mutatur horizon, cùm ad æquinoctialem, æquinoctialémque proceditur; neque cùm ad ſeptentriones; neque cùm ad polum antarcticum? Quid enim ταυτολογίᾳ iſta opus erat; cùm præſertim partem illam geminata dictione, *medium, mediúmque*, tam inſigniter notaſſet? Omitto cetera, quibus tam abſurda ſententia cum auctore ſuo contundi poteſt.

Illud extra controverſiam inſulſiſſimum eſt, quod eleganter à ſe dicit excogitatum; *muta aſtra* ſignificare, *quæ ſunt in polo antarctico.* Notetur proprietas ſermonis,

monis, quo aſtra in polo antarctico, id eſt in puncto, collocata dicuntur. Sed hoc leve ſit. quid tum præterea? *Significationes, ac divinationes ex motu aſtrorum, obitu, atque exortu aſtrologis, atque aſtronomis petî ſatis notum eſt.* unde *quæ nec oriuntur nobis, nec occidunt, nec umquam conſpiciuntur, muta planè cenſentur. ex quibus nihil ſignificationis, aut divinationis elici poſſit, quæ nihil prædicunt. Sic muta exta vocabant aruſpices, ex quibus nihil divinationis animadvertebant. ita & muta aſtra,* τὰ ἄφωνα. Mutum eſſe præſtat, quàm talia dicere. Non enim muta vocantur hoc ſenſu, quæ non videntur omninò; ſed quæ ita videntur, ut aſpectu ipſo nullam ſignificationem præbeant. ſic exta ea muta nominabant, non profectò, quæ nuſquam apparerent, ſed ex quorum aſpectu nihil divinationis colligere poterant. Alioqui muta quoque dicerent, quæ vivis adhuc pecudibus in earum incluſa corporibus latent. quod eſt ridiculum. Sic ergo muta oportuit illo ſenſu vocari ſidera, quæ nihil aſpectu ſuo portenderent. Nos *ſidera mota* ab Manilio dicta credimus, quæ ſupra horizontem, vel infra eumdem ſe movent. Nihil exemplis eſt opus. Fatetur Salmaſius, Latinè dici *mota ſidera*, vel *aſtra*, quæ ſunt *exorta*, ut *motum caniculæ ſidus*, *mota Luna*, & id genus alia. Ea ſolùm moventur aſtra, εἰς πρὸς τὸν ὁρίζοντα, quæ oriuntur, & occidunt. Quare ſeptem ſtellis, id eſt trionibus opponit *mota aſtra*; & orientem, atque occidentem breviter elegantèrque deſignat. Et apparet quatuor ab illo mundi cardines exprimi; ut, quocumque gradiatur aliquis, mutari ſignificet horizontem; non ut meridianus circulus uniuſmodi tantùm varietatem accipit, quæ eſt τοῦ μήκους, ortum verſus, aut occaſum. Nihil hac interpretatione verius.

Cùm autem, ut ſuprà docuimus, duplex ſit horizon, αἰσθητὸς, & λόγῳ θεωρητὸς non eſt difficilis conjectura, de quo Manilius loquatur. Talem enim deſcribit, ut dubitare non liceat, λόγῳ θεωρητὸν, ac maximum indicari circulum. Primùm quia cum meridiano componit, & cum aliis, qui in ſphæra determinati ſunt, circulis confert. At ſenſilis horizon inter ſphæricos circulos non ponitur. Deinde quia αἰσθητὸς iſte perbrevis eſt, neque mundum ex æquo dividit, hoc eſt *dimidium tegit*, *ac refert*; neque *terram amplectitur*, nec *mundum plano limite præcingit*: quæ omnia horizonti ſuo Manilius attribuit. Quæ ſi vera ſunt, potéſtne pro merito caſtigari Exercitatoris oſcitantia, qui illis ipſis verſibus unum genus horizontis αἰσθητοῦ ab Manilio putat oſtendi? Jam ejuſdem exploſa ſunt illa, quæ in hunc locum digeſſit: *Utrumque ab Manilio confuſum horizontem, quia invicem ſibi reſpondent, & alter altero incluſus eſt, ut minor circulus majore.* Quid iſtud? planum ait eſſe *de terreſtri & αἰσθητῷ horizonte intellexiſſe Manilium, qui terras amplectitur. Nam uſque ad λόγῳ θεωρητὸν illum, quo præcingitur mundus, & octava ſphæra in duo ἴσα dividitur, oculorum acies non penetrat, ideo ſola mente notatur.* Ergo neque cœlum ipſum intuemur, neque orientes, cadentéſve ſtellas; quæ utique non terra, ſed octava ſphæra, & extremo horizontis ambitu continentur. An quicquam dici poteſt obtuſius? Atenim *cum acie oculorum lineas ſuas in orbem movet*, ut ſit αἰσθητὸς intelligendus. Qui hoc objicit credit omninò, λόγῳ θεωρητὸν horizontem non deſignari oculorum acie, aliquid in cœlo circumſpectantis. Atqui ea eſt horizontis iſtius definitio, ut aſpectabilem mundi partem deſignet, oculiſque ſubjiciat. neque λόγῳ θεωρητὸς ita vocatur, quaſi nulla pars ejus, ne extremitas quidem, uſurpetur oculis. Nam nihilo minùs, quàm alterius, extrema circinatio videtur: ſed quòd tota ejus ſuperficies, & quicquid in ipſius plano continetur, non patet aſpectui. Nam orbem terræ dimidium, cùm per centrum illius tranſeat, complectitur: qui quidem ſenſibus minimè diſcernitur. Ideo λόγῳ θεωρητὸς dicitur. De horizonte porrò loquimur; qui maximus in ſphæra circulus eſt, & ſphæram cum meridiano in tetrantem dividit. de quo & Salmaſius intellexit. Quamquam alius vulgò paullò iſto minor in terræ ſuperficie ſtatuitur, eam in puncto contingens. qui rationalis paſſim vocatur. ac ne iſte quidem totus viſu diſcernitur. Ideo λόγῳ θεωρητὸς, unde & *rationalis* appellatio profluxit, perinde nominatur. Sed de horizonte, circuliſque ceteris contra Solinianum Exercitatorem hactenus. Reliquæ labes earumdem Exercitationum, quæ ſunt innumerabiles, alteri otio, ac tempori reſervandæ ſunt. Salm. p. 660.

DIONYSII

Digitized by Google

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU,

AD AUCTARIUM OPERIS DE DOCTRINA TEMPORUM VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBER OCTAVUS.

Qui eſt de Græcorum æris, ac computis.

CAPUT I.

De triplici Græcorum æra, quæ ad duas redigitur. Illuſtratur Panodori Chronologia. Maximus, Georgius Syncellus, Theophanes, aliique notantur.

GRæcorum computos, æráſque præcipuas eſſe tres, inter eruditos convenit. Nam aliam eſſe dicunt, quæ ab initio rerum ad Chriſti in uterum Virginis adventum, aut natalem annos computat 5493. aliam, quæ annos numerat 5501. tertiam quæ 5509. conſtituit. Primam Antiochenam appellant aliqui. ſecundam, Æthiopicam. tertiam, Alexandrinam. Scaliger ad Excerpta Maximi primam nominat lunarem. mediam, orientalem. poſtremam Paſchalem. quarum appellationum origines diſputat initio libri V de Emend. Temp. Sed eas à nobis confutatas habes, penitúſque convictas in nono de Doctrina Temporum capite V. ubi nihil in computis iſtis vidiſſe; neque quid ſcriberet intellexiſſe hominem pleniſſimè demonſtravimus. ac multa in eam rem congeſſimus & ignota vulgò; & ſcitu digniſſima; & ad id, quod modò agitur, apprimè neceſſaria; quæ minimè hoc loco repetenda ſunt. Non pauca tamen illîc omiſimus propria magis inſtituti hujus, & Paſchalis Græcorum methodi; quàm ad illuſtrandos Maximi, Iſaaci, aliorúmque computos, qui in Auctarium relati ſunt, enarrandam ſuſcepimus. cujus initium diſputationis ab æra illa triplici, & communi de iis opinione doctorum, atque errore ducetur. ut ab illis fruſtra doceamus tres eſſe diſtinctas hactenus; cùm ſint revera tantummodò duæ.

Etenim computorum, ſive τῶν ὁμάδων annalium diverſitas in eo ponitur, ut in unum, & eumdem annum, ceu communem terminum, diſpares ſummæ deſinant. Quòd ſi aliis, atque aliis annis iidem inſcribantur tituli, non debet propterea diverſus appellari computus; quòd ad longinquiores annos major numerus; minor autem ad propinquiores ab eodem capite ductus extenditur. Ut enim exemplo fiat quod dico clarius: ſumatur ab orbe condito ad annum æræ Chriſtianæ primum certus aliquis computus: velut ille noſter annorum 3983. in eóque diverſis annis eadem illigetur epocha: nimirum Urbis conditæ. quam alius in eo anno defigat, qui eſt ante æram Chriſtianam 754: alter tredecim annis poſtea; Pictorem, aut neſcio quem alterum ex Veteribus auctorem ſecutus putà in eo, qui ſit ante Chriſtum 743. Duo igitur illi in eâdem ad ortum Chriſti ſumma conſentientes, in annis autem diverſis ejuſdem epochæ diſſidentes; ſic ut prior ab eodem mundi initio ad Urbem conditam numeret annos 3230; alter, annos 3243, non utique diverſos ab Adamo computos inſtituere dicuntur. quod tum demum facerent, ſi ad eumdem annum, qui ſit ante Chriſtianam æram 754, Periodi verò Julianæ 3960, alter ab Adamo numeraret annos 3230, alter 3243; & quod conſequens eſt, ille ad Chriſtum annos 3983, iſte 3996.

Sic igitur tres illos Græcorum computos, ut à ſe diſtincti invicem, diverſique ſint; in unum aliquem conſpirare terminum oportet, ad eúmque non eodem à capite, & exordio deſcendere. Talis eſt autem Incarnationis annus, natalíſve Chriſti; ad quem ſingulorum ſumma propagatur. Hunc eumdem tribus illis æris conſtitutum eſſe docti illi ſuſpicati ſunt, qui eas à ſe mutuò ſepararunt. Sed non ita res habet. Nam ex tribus duæ ſunt, quæ diverſis annis τὴν ἐνανθρώπησιν aſſignant. videlicet illa, quæ annos 5493, & quæ 5501 colligit. Unius ergo computi ſummæ iſtæ duæ ſunt. qui cum tertio annorum 5509 natalem eumdem Chriſti reſpicit, & ab illo propterea jure diſtinguitur.

Quòd non eumdem in annum Incarnationem Domini conferant, qui ad eam numerant annos 5493, & qui 5501; iis ex auctoribus conſtat, qui utriuſque vel inventores, vel fautores exſtiterunt. Priorem computum Panodoro cuidam inſcribit Georgius Syncellus monacho erudito, & antiquo. Vixit enim Arcadio imperante, & ad exactæ Chronologiæ ſcientiam uſum inſuper attulit aſtronomicarum rerum; cujus in Georgii de illo narratione, quam ſequenti capite proponemus, non obſcura ſanè veſtigia ſuperſunt. Atque hic annum eum Chriſti ἐνανθρωπήσεως ſummæ ſuæ præſtituit; à quo vulgaris æra noſtra proficiſcitur. quod cùm in lib. IX de Doctr. Temp. cap. V obſervatum jam fuerit, pleniùs hoc loco demonſtrabitur. Scribit Georgius annum mortis Alexandri M. à quo Thoth Philippi Aridæi procedit, in æra Panodori eſſe ab Adamo 5170. annum item mortis Cleopatræ, ſive primum Actiacum, numerari 5463. à quo deinceps ad Auguſti obitum putantur anni 43: ſic ut anno ejuſdem æræ 5506 Auguſtus exceſſerit; cùm anno 5493 Chriſtus adveniſſet. Ex iis inter ſe comparatis ita, quod volumus, efficitur. Anno decimoquarto æræ Chriſtianæ mortuus eſt Auguſtus; Periodi Julianæ 4727, ut in libro de Doctrina Temporum XI, cap. VI probatum eſt. Ut igitur detractis annis XIV de 4727 reſiduus eſt is, in quem vulgaris Chriſti natalis competit: & ſequenti 4714 primus æræ Chriſtianæ incipit; cui Incarnationem & natalem computiſtæ noſtrates cum Græcis affixerunt: ſic de anno Panodori 5506 detractis XIV, exiſtet annus 5493; cui τὴν γέννησιν Salvatoris Panodorus attribuit. Rurſus Alexander M. periit anno Periodi Julianæ 4390, qui eſt trecenteſimus viceſimus quartus ante Chriſtianam

æram. Quare ſicut additis 324 ad 4389, conficitur annus natalis communis in Juliana Periodo 4713. ſic ad annum 5169 additis 324, conſurgit annus in æra Panodori 5493, qui Alexandrinorum populati exordio cœpit ab Auguſto exeunte anni 4713. Eccleſiaſtica verò conſuetudine à vere anni 4714. Denique primus annus Actiacus, ſive mortis Cleopatræ, in Juliana Periodo eſt 4684. ad quem adjuncti anni 43 deſinunt in annum 4727, quo Auguſtus fato functus eſt. Eodem modo ſi 43 adjicias ad 5463, confiet in Panodori computo annus 5506, quo item exceſſit Auguſtus. ſed exiens uterque annus habendus, ſequente 5507, & 5464. Quocirca nihil eſt certius, quàm Incarnationis annum, in quem Panodori ab Adamo æra perducitur, eumdem eſſe cum anno primo Dionyſiano. Doceo jam annis octo remotum ab eo alterum eſſe, qui quinquies milleſimum quingenteſimum primum annum occupat æræ Maximi, ac Theophanis, & Georgii Syncelli. Etenim, Lib. IX, p. 5. quod lib. IX de Doct. Temp. animadverſum eſt, character annorum iſtorum, quo diſcernuntur à nobis, Indictio eſt, quam nobiſcum illi communem obtinent. tum feria, vel lunaris ætas certis diebus attributa. Quæ ſi adhibere velimus; id eſſe verum, quod dixi, reperiemus. Duo ſunt præ ceteris auctores, qui æra utuntur iſta, Maximus, & Theophanes. Horum prior in prima parte computi, cap. XXXII, Evangeliſmum B. Virginis, ſive Incarnationem, incidiſſe vult anno mundi 5501, cyclo Solis XIII, Lunæ X, fer. II. natalem autem Chriſti eodem anno, feria IV. Quoniam igitur Εὐαγγελισμὸς, quam *Annunciationem* Latina vocat Eccleſia, tam à Græcis, quàm à noſtris, Martii XXV ponitur, neceſſe eſt Dominicalem fuiſſe litteram F. Addit cap. XXXIII Indictionem fuiſſe tunc XII. capite porrò XXXIV, χειμαπερμὸν Zachariæ Septemb. XXVII die contigiſſe narrat, feria V, cyclo Solis XII, Lunæ IX. Proinde littera Dominicalis erat G. Item natum eſſe Joannem Junii XXIV, feria II, nempe littera Dominicali F. Ex tot annorum characteriſmis efficitur, Zachariæ χειμαπερμὸν, & conceptum Joannis cadere in annum Per. Jul. 4721, qui eſt æræ communis octavus, quo littera fuit G poſt Martium. Incarnationem autem, natalémque Chriſti, & ante hunc Joannis, in annum 4722, æræ Chriſtianæ nonum, qui litteram habuit F. Sic annis octo tardior eſt natalis Dominicus in hac æra, quàm in communi. Idipſum ἀποδεικτικῶς quoque colligitur ex cap. XXXIII partis primæ computi Maximi. Quippe Auguſti imperii ſecundum annum ait eſſe mundi 6460, quo fuit Indict. I. incarnatum verò eſſe Chriſtum anno Aug. XLIII Indict. XII. Ex quo conſequens eſt anno Jul XII, Per. Jul. 4680 Auguſti imperium iniiſſe. & annum Jul. XIII, Per. Jul. 4681 ſecundum eſſe Monarchiæ. Intellige labentem utrobique. Etenim Auguſti annos à Thoth incipit. Proinde primus Thoth revera incidit in annum Jul. III, Per. Jul. 4711. at ex Maximi calculo contigit anno Jul. XI, Per. Jul. 4679. Unde anno 4681 in curſu erat adhuc ſecundus Auguſti cum Indict. I. Adde annos XLI reliquos; incurret annus Aug. XLIII, quo incarnatus eſt Chriſtus, in annum Julian. LIV, Per. Jul. 4722. ita ut anno Jul. LIII à Thoth inierit, & Martio menſe inſequentis anni tenuerit. Vides ut annis octo tardiores ſint epochæ omnes in iſto computo. Nam Thoth Auguſtei imperii eſt annus Jul. III, à Maximo verò fit XI. Eadem & in Nicephori Chronico perturbatio eſt. qui cùm anno Adami 5501, imperii Aug. XLII, ponat Incarnationem Domini; nihilominus annum Nicænæ ſynodi numerat ab Incarnatione CCCXVIII, & octo annis minùs dicit. Nos in nono de Doct. Temp. cap. IV, duos illos annos χειμαπερμῶ Zachariæ, & Incarnationis à Maximo conceptos retulimus in 4710, & 4711 Per. Jul qui iiſdem Dominicalibus litteris inſtruuntur. Sed Indictio XII, quam natali Chriſti Maximus accommodat, annum ſuadet 4722, quo Romana Indictio erat in curſu XII à Januario; vel à Martio, Aprilive, ut putat Maximus. Sic in baptiſmo Chriſti, ac paſſione labes eadem computi cernitur. ſiquidem cap. XXXII baptizatum à Joanne Chriſtum memorat anno 5530, feria III. Ergo littera Dominic. D; adjectis XXIX ad eum annum, quo incarnatus eſt. Unde eſt hic annus Per. Jul. 4752, quo ad vernum uſque menſem labebatur annus Maximi 5530; & 5531 inde ſucceſſit. Item paſſionem Chriſti conjicit in annum 5534, ac diem paraſceves; quæ quidem Martii XXIII contigit, ut ex Georgio mox probabitur. littera Dominic. G. Itaque annus fuit Per. Jul. 4755. Quæ Græcorum ſententia non magis reliqua ab hiſtoria, quàm ab Evangelica narratione diſcrepat. Nam Tiberii XV ferè baptizatus eſt Chriſtus; & eodem imperante, tertio, quartóve anno poſtea paſſus. at ex Maximi computo ſequitur, Caio imperante, & ejus anno ſecundo ad baptiſmum Joannis acceſſiſſe Dominum; & paſſum eſſe Claudii ſecundo. quæ ſunt abſurdiſſima.

Georgius Syncellus in eâdem eſt cauſſâ cum Maximo. Nam & paſſum eſſe vult Chriſtum XIII Martii; reſurrexiſſe vero XXV. ætatis expleto XXXIII, anno ab Adamo deſinente 5533, & ineunte 5534 ex a. d. VIII Kal. Apr. Præterea annum mortis Alexandri M. numerat mundi 5170, ídque in confeſſo ait apud omnes eſſe. at Auguſti Monarchiæ primum, quæ anno poſt mortem Julii altero cœpit, eſſe 5458. ejuſdem verò mortem contigiſſe inter 5514 & 5515, cùm Chriſtus propè decimumquintum ætatis annum ageret. Intervallum ab anno 5170 in quem Thoth Philippi congruit, ad 5458 Monarchiæ Auguſti, ſunt anni 288. quos ſi addideris ad annum Periodi Julianæ 4390, quo mortuus eſt Alexander M. confiet annus 4678, qui eſt octavus poſt mortem Julii Cæſaris. quæ anno 4670 incidit.

Rurſus intervallum ab anno 5458, ad 5515 mortis Auguſti, anni 57. quos ſi ad annum Per. Jul. 4678 adjicias, exiſtet annus Per. Jul. 4735, quo exceſſus Auguſti contigit. Atqui convenit hunc anno Per. Jul. 4727 obiiſſe. Igitur annis octo veram epocham moratur Georgius.

Hinc illud accidit, ut in annalibus Georgii Syncelli, & qui ejus continuavit opus, Theophanis; nec non hujus interpretis Miſcellæ, anni Chriſti octo minùs colligant, quàm æra communis. nec aliter Maximus inſtituit. Hic enim Heraclii annum XXXI cum anno Chriſti 633 componit in anno communis æræ 641; ut paulò pòſt dicetur. Georgius & Theophanes annum primum Diocletiani mundi eſſe volunt 5777, Incarnationis 277. atqui ex illorum mente is eſſe debet æræ noſtræ 285. Sic Theophanes Conſtantini obitum refert in annum mundi 5829, Incarnationis 329. quem certum eſt æræ communis anno 337 incidiſſe. Rurſus Valentiniani exordium confert in annum mundi 5857 exeuntem, ſequente mox 5858. quoniam Februario creatus eſt Imperator: Chriſti autem computat 357. itidem exeuntem. Diſcrimen annorum 7. quemadmodum & in anno Concilii Calchedonenſis; quod anno mundi 5944, Indict. V celebratum docet, anno Chriſti 444. Atqui anno 451 æræ noſtræ eſt habitum. ſic uno interdum anno ab inſtituta Chronologia Theophanes aberrat. ac ſeptem annorum tantummodò diſcrimen facit; cùm octo eſſe annorum oporteat ex illius ratiociniis. cujus ratio ex iis, quæ de annorum initiis in anno Juliano dicentur, utcumque conſtabit.

Ex his omnibus quod initiò poſuimus efficitur, trium ærarum duas Incarnationem Chriſti diverſis annis affingere. ac prioris, quæ 5501 putat, ultimum convenire Chriſti anno nono; alterius verò, quæ 5493 numerat, anno primo. adeóque non duos annales computos; ſed unum, & eumdem eſſe. Etenim annum Chriſtianæ, vel Dionyſianæ æræ primum uterque computus 5493 numerat. nec non annum ejuſdem æræ nonum uterque recenſet 5501. Quippe de anno currente mundi ad Incarnationis annum aſſequendum priores annos 5500 detrahunt; poſteriores 5492. ex quo major hujus, quàm illius, calculus efficitur. Annus exempli cauſſâ mundi apud Maximum 5133 detractis 5500, erit ab Incarnatione 633. Deductis verò 5492, putabitur 641, ad quem revera Maximus perpetuò reſpectum habuit. Itaque in annis mundi conſentiunt ambo computi; in annis Incarnationis diſſentiunt. Non debent igitur mundi æræ, vel computi cenſeri duo; ſed unus dumtaxat; cujus ad diverſos annos Chriſti ἐναλλαξίμως alligatur. Quare duæ tantum, quod dicebamus, præcipuæ ſunt æræ Græcorum. nempe una, cujus in annum 5493 primus annus æræ Dionyſianæ, vel communis congruit: & altera, quæ eumdem annum numerat ab orbe condito 5509. Poſteriore hac Iſaacus Monachus utitur; qui cap. III computi annum mundi 6881 numerat eum, qui à Septembri cœpit anni Chriſti 1372, quo anno Octob. XXVI,

XXVI, fer. III contigit. proinde littera C fuit, ac nimirum annus Chriſti 1372. Demptis 5508 de 6881, reliqui ſunt 1373. quandoquidem annus Græcorum 6881 majori ſui parte cum 1373 Chriſti concurrit; aut à verno menſe anni ejuſdem ex communi methodo illorum incipit, uti mox oſtendam. Præterea Gaza libro de menſibus, cap. XXI, annum Chriſti Romanorum calculo 1470, ait à Græcis putari mundi 6978. Deme annos 5508. reſtant 1470. Quocirca cùm, ut initio capitis hujus oſtendimus, diverſi illi computi cenſeantur, qui ad eumdem annum æræ noſtræ diverſas annorum ſummas colligunt; duo ſunt, non tres, illi Græcorum computi; quorum prior, & antiquiſſimus annum eum, qui primus eſt æræ noſtræ, numerat ab Adamo 5493. poſterior 5509. nec plures Græcorum antiqui computiſtæ memorant: qui priorem vocant τῆς Ἀλεξανδρίας. nos Alexandrinam appellemus. poſteriorem τῆς Ῥωμαίων nos Conſtantinopolitanam, à nova Roma nominemus. Ita Theophanes non uno loco. At Scaliger novas quaſdam uti rationes ærarum iſtarum, ſic appellationes excogitavit, utraſque autem alienas, & abſurdas; quas lib. IX de Doctr. Temp. cap. V refellimus, ac de iis paullò pòſt iterum agemus. Erit qui ad illas duas tertiam putet adjungendam, quæ annum Incarnationis, & natalis computat ab Adamo 5507, quam adhibent auctores aliqui; ut Alexandrinum Chronicon; uno minùs Cedrenus, qui anno 5506 id eſſe factum aſſerit; & qui anno 5500 ortum Chriſti: paſſionem 5533 aſſignant, errare contendit. (Cedrenus pag. 144.) Sed hanc æram ab illa, quæ eſt Iſaaci, diſcrepare non arbitror; ſed in eodem computo diverſum annum Incarnationi præſtituere; putà biennio æram communem antevertere.

Etſi de amborum illorum ſententia nihil certi conſequi poſſumus; propterea quòd imperitè omnia permiſcent, & eos characteriſmos adhibent, qui conciliari invicem nequeunt. De Chronici Alexandrini labe dictum eſt in XII de Doctr. Temp. cap. IV. Cedrenus paullò magis concors eſt ſecum. Natum aſſeverat Chriſtnm anno mundi 5506. Decembr. XXV, feria IV. Fuit ergo littera F, & eſſe poteſt annus Per. Jul. 4711, biennio ante communem æram. Poſteà baptizatum eſſe refert Indict. I anno mundi 5536, Januar. VI, fer. V. fuit ergo littera B, & hac ratione annus Per. Jul. 4742. ſed Indictio tunc erat à Septembri, & Januario 2. Verùm ut à verno menſe putari incipiat, prima in uſu erat Januar. VI. Sequenti anno 5037, ait Lunam decimam-quartam Martii XXVII, fer. VII. fuit ergo littera C, Cyclus Lunæ X, ac proinde Jul. Per. annus 4741. ἄνω ποταμῶν, quod aiunt. Annum denique, quo paſſus eſt Chriſtus, ait eſſe 5539, quo Martii XXIII, fer. VI fuit; & decima quarta Martii XXIV, fer. VII. Erat ergo littera G, Cyclus verò Lunæ XIII. quæ congruunt in annum Per. Jul. 4744. quo revera paſſus eſt ex Epiphanii, & aliorum Veterum opinione Chriſtus. Quamobrem Incarnationem Domini Cedrenus triennio ante vulgarem æram poſuit. paſſionem autem, anno ejuſdem æræ XXXI. Unde non eſt mirum, annum illum Incarnationis, 5506 ab illo putari in æra Conſtantinopolitana. Si enim tres annos adjicias, fiet annus 5509 Conſtantinopolitanus; Julianæ Per. 4714, qui eſt ipſiſſimus æræ communis. Non eſt igitur computus alius; ſed ejuſdem computi annos diverſos Incarnationi præfinit. Ex his facile [illegible] odorari quæ compotorum iſtorum origo fuerit. quod in ſeq. cap. declarabitur.

CAPUT II.

De computo annali Veterum, imprimis Africani methodi vinculis ſoluto. Ejuſdem Africani Chronicum opus illuſtratur. Photii obſcurus locus explicatur. Ceſti Africani.

VETERES in Græcia Chriſtiani in annis ab Adamo putandis ſola, quæ in ſacris libris exſtant, intervalla ſpectabant; nec annales computos ſuos ulla Paſchalem ad methodum χύσει, vel artificio implicatos habebant. ad quod deinceps conſequentium illos temporum formavit induſtria. Ut igitur quiſque pluribus, aut paucioribus annis ſpatia illa terminabat; ita majores, minoreſve ſummas adhibebat. qua de opinionum varietate dictum eſt in nono de Doct. Temp. cap. II.

Inter has celebris illa fuit Africani antiqui, & eruditi Chronologi, qui Chriſtum anno mundi 5501 incarnatum eſſe; paſſum verò 5531, ætatis triceſimo primo circiter aſſeruit: & originem dedit æræ illi, quam Alexandrinam appellari diximus. Quem illius computum nacti poſteri, auctoris ſui Chronologiam interpolarunt, ac fœdiſſimè conturbarunt. Nam decem circiter annis ab ejus epocha; à Dionyſiana autem, octo, Chriſti Domini Incarnationem abſtraxerunt. Id qua ratione ſit factum; & quæ ſincera illius opinio fuerit, inveſtigare non erit, opinor, alienum. imò verò Græcanicas ad æras intelligendas plurimum illius inquiſitio utilitatis afferet.

Scribit Hieronymus in caput IX Danielis, Africanum exiſtimaſſe Chriſti Domini paſſionem anno quintodecimo Tiberii Cæſaris accidiſſe. quem ab orbe condito 5531 numeraſſe, ætatis Chriſti triceſimum primum circiter, Georgius Syncellus affirmat. Photius verò num. XXXIV refert Africanum opus hiſtoricum ediddiſſe diviſum in libros quinque; quibus tempora omnia complexus eſt, à prima rerum origine ad Chriſti παϱουσίαν, hoc eſt Incarnationem; nihil ut rerum neceſſariarum omitteret, ſummatim cuncta perſcribens. Inde verò ad Macrini imperium reliqua perſtrinxiſſe. atque hoc in opere teſtatum ſe annos ab Adamo comprehendiſſe 5723. Idem teſtatur & Georgius Syncellus in Excerptis Scaligeri. (Pag. 39. Euſebii Græci.) ubi ex Africano refert ad Olympiadem uſque CCL Archontas ab Athenienſibus numerari 903. à Creonte, qui Olympiade XIX præfuit. poſtremum verò fuiſſe Philinum ea, quam dixi, Olympiade, Conſulibus Grato Sabiniano, & Seleuco; qui à Bruto Conſules fuere 725. Demum colligi annos 5723 ad tertium annum, Ἀντωνίνου, τοῦ Αὐγούστου. (Pag. 37.) Marcum Antoninum Alagabalum intelligit. In iiſdem Scaligerianis Excerptis Fragmentum Africani legitur de Olympiadibus: (Scal. p. 317.) in quo apud Athenienſes in Olympiadum deſcriptione Stadionicas ait percenſeri 248, annos 989. Sed in Ὀλυμπιάδων ἀναγϱαφῇ etiam 249 Olympiadis Stadionicam recenſet Scaliger. Si de annis ab Adamo 5723 auferas 5500; reſidui erunt 223 ab Incarnatione Domini ſecundùm Africanum. Sed annus tertius Alagabali æræ communis eſt 221, in quem & 250 Olympias incurrit. Biennio itaque Dionyſianam epocham antevertit Africanus, & Incarnationem Domini contulit in annum Per. Jul. 4712. Quod inſuper ex anno Paſſionis ab eodem Africano conſtituto colligitur. Nam ſi decimo quinto Tiberii, nempe Geminis duobus Coſſ. paſſus eſt. (quæ fuit plurimorum Veterum ſententia) & is annus mundi 5531 ab Africano numeratus eſt, cùm Incarnationem anno 5501 tribuiſſet: ut auctor eſt Georgius Syncellus: cùm in annum æræ Chriſtianæ 29, ſive Per. Jul. 4742, Conſulatus Geminorum competat; deductis annis 30 de 4742, reliquus erit Incarnationis annus 4712 in Juliana Periodo. Verùm apud Euſebium VIII de Demonſtr. (Euſeb. Pag. 443.) Fragmentum aliud occurrit Africani de Paſſione Domini, & Danielis hebdomadibus; in quo Paſſio conjicitur in annum ſecundum Olympiadis 202, Tiberii XVI.

Hunc ipſum Africani locum penè ad verbum exſcripſit Hieronymus in Comment. ad caput IX Dan. & tamen decimum-quintum Tiberii poſuit; non, ut eſt in Græco, decimum-ſextum. Quamquam niſi Olympiadis annus appoſitus eſſet, conciliare iſta facilè poſſemus. quippe annus XV Tiberii ſi ab Auguſto menſe putetur, quo imperare cœpit; iniit anno Chriſti 28, quarto labente Olympiadis 201, & ad Auguſtum menſem anni Chriſti 29 continuatus eſt, quo duo Gemini Coſſ. erant. Ita XV Tiberii paſſus erit Chriſtus, ſi his Conſulibus acciderit. Sin eſt, ut Chriſtianorum veterum, aliorúmque more, annos Tiberii à Paſchali menſe antecedente cœperit Africanus; idem annus XVI Tiberii cenſeri potuit. Sed cùm Olympiadis 202 annus ſecundus inchoatus ſit anno Chriſti 30, & ad æſtatem uſque ſequentis anni propagatus fuerit; neceſſe eſt anno æræ communis 30, vel 31 paſſum dici ab Africano Chriſtum; prout annum Tiberii XVI, aut labentem adhibuerit, aut à Paſchali menſe præverterit. Si anno Dionyſiano 30 Chriſtum voluit eſſe paſſum; Incarnationem neceſſe eſt ab eodem locatam eſſe in anno Per. Jul. 4713, uno anno ante communem æram, ut hodiéque ponitur. Sin anno Chriſti 31 paſſionem aſſignavit, Tiberio V, & Sejano Coſſ. planè ut Epiphanius, aliique Veteres arbitrati ſunt, Incarnatio congruet in annum primum

æræ Chriſtianæ; itidem ut Panodoro, ac Græcis Latiniſque computiſtis placuiſſe novimus. Sed hac ratione annus mundi 5723; qui ab Incarnatione debet ex Africani calculo eſſe 223, erit communis æræ 223; quo annum imperii ſecundum Alexander Mammeæ filius inchoavit. cùm tamen Antonini Alagabali tertium incidiſſe in annum illum mundi diſertè ſcripſerit Africanus.

De Africani Chronologia.

Mea, ut in ancipiti, ac perplexa quæſtione, conjectura eſt, Chriſtum, ex Africani opinione, incarnatum eſſe anno Per. Jul. 4712, biennio ante communem æram; mundi 5501. baptizatum porrò Geminis duobus Coſſ. anno Tiberii XV; mundi 5530 exeunte, quem 5531 Aprili circiter excepit. paſſum denique anno mundi definente 5531, ſequente 5532 à Paſchate, vel Aprili anni Chriſti communis 30, Tiberii XVI, & Olympiadis CCII anno ſecundo nondum ab æſtivis menſibus inchoato; ſed κατὰ περίληψιν à Januario, aut alio quopiam initio popularis anni, quo uſus eſt Africanus. Scimus enim Olympiadas nonnumquam, &, quod conſequens eſt, Olympiacæ tetraëteridis annos non ab ipſo tempore agonum, ſed ab populari civitatum ſuarum exordio à pleriſque numerari: ita ut in annorum exitus ludi ipſi concurrerent. Ita annus mundi 5723, ſive ab Incarnatione 223, erit communis æræ 221, & Alagabali tertius.

Quocirca qui Africanum referunt paſſionem Domini anno Adami 5331, Incarnationis 31 attribuiſſe, de annis definentibus intelligere debuerunt. Nam baptiſmum ab eo collatum eſſe in Conſulatum Geminorum veriſimile eſt; cùm ex Luca conſtet anno XV Tiberii iſtud eveniſſe. aut ſi, ut Epiphanius, & alii quidam, Novembri menſe, non ſexto Januarii, ad baptiſmum veniſſe credidit, anno communis æræ XXVIII; certè hinc ad paſſionem ſolidus annus interpoſitus eſt, cùm annum ſaltem unum τῷ κηρύγματι Africanus imputaverit. Atqui ſi Conſulibus ipſis Geminis Martio menſe paſſus foret, tres ab Januario, vel à Novembri quinque dumtaxat menſes Chriſti prædicatio teneret. quod Africanum ſenſiſſe non arbitror.

Obſervata quædam de Africano.

Sed duo ſunt in illo Africani calculo, quem ex Photio, & Georgio retulimus, animadverſione digna. Alterum; quod Photius ſcribit, Africanum ad Macrini imperium opus ſuum perduxiſſe, annorum 5723 hiſtoriam complexum; mendoſum videri, ac pro Μακρίνου legendum M. Ἀντωνίνου. Quamquam & aliud occurrebat; Africanum Stadionicas non ultra Olympiadem 248 in archivis Athenienſium inveniſſe, quæ Olympias ad annum Chriſti 217, & Macrini imperium extenditur. tamen rerum geſtarum memoriam ad annos præterea quinque propagaſſe, id eſt ad annum Chriſti 221. Photium verò eumdem hiſtoriæ terminum putaſſe, qui Olympionicarum erat. Vide quæ XII de Doct. Temp. cap. XL diximus.

Alterum eſt; haud ſatis firmum argumentum eſſe Novæ Chronologiæ; quæ ex illo Africani loco concludit quinque annorum labem in Romanos faſtos, & annales irrepſiſſe, ac totidem ſuperfluos in iis eſſe. Vis eſt argumentationis ejuſmodi. Annus Africani 5723 eſt æræ Chriſti 221, Per. Jul. 4934, quo Coſſ. fuere Gratus, & Seleucus. Hoc verò par Conſulum ait ab exactis regibus eſſe ſeptingenteſimum viceſimum quintum. Additis ergo regum annis 243 ad 725, fiunt anni 968, è quibus deductis 221, reſtat annus Urbis 747. quo Chriſtus ex communis æræ ratiociniis ortus eſt; quinquennio priùs, quàm vulgò feratur. imo ſexennio. Natus enim ponitur anno Urbis conditæ 753. Verùm Africanus in Conſulibus, ſive Magiſtratibus annuis numerandis, eos annos excluſit, quibus nulli Conſules fuerunt: qui quidem in Faſtis inſigniter quinque notantur ab anno Urbis 378, ad annum 382; quibus continuum Interregnum, & ἀναρχία exſtitit. Mos eſt autem pleriſque Scriptoribus in annuorum Magiſtratuum, aut regum temporibus percenſendis, eos annos omittere, quibus nulli fuerunt. quod à quibuſdam Veteribus in Romanis digerendis annalibus obſervatum eſſe diſputat Onufrius, cùm de varietate computandorum Urbis annorum diſſerit.

Poſtremò nec illud omiſerim, quod ex Photio, & Euſebio conſtat in Chronico, duplex ab Africano opus elucubratum; quorum alterum hiſtoricum fuit in quinque libros partitum, & ad annum tertium Alagabali, mundi 5723, perductum: de quo hactenus locuti ſumus. alterum quod Κεστοὺς inſcripſit in libros XIV digeſtum. Euſebius verò I Chron. novem libros numerat. Cujus operis argumentum multiplex fuit. Nam de medicis rebus, phyſicis, ruſticis, chymicis etiam, iis in libris tractavit. quæ ambo ejuſdem Africani ſunt, ut teſtatur Photius; non ut Scaligero viſum eſt; qui auctores immeritò diſtinxit. Itaque κεστοὶ nihil ad Chronologiam attinebant; contrà quàm nobis exciderat lib. XII de Doct. Temp cap. XLII, ubi κεστοὺς cum χρονογραφικῇ hiſtoria confudimus.

CAPUT III.

De Græcorum æris, quatenus methodis Paſchalibus, & Cyclis implicatæ ſunt. Panodori computus illuſtratur. Ab eo propagatus eſt alter quem Maximus adhibet.

HACTENUS meras annorum ſummas ab orbe condito ſine ulla Cyclorum, uti dictum eſt, methodo ſubducebant. Poſtea, cùm jam uſus artificii iſtius fervêre in Eccleſia cœpiſſet; placuit annos mundi ſic ad eumdem aptare, ut diviſa ſumma per Cyclorum periodum, proprius anni cujuſque cyclus exiſteret. Quem in finem partim annorum aliquot detractione, vel additione, priores computos immutarunt; partim iis retentis, Incarnationem, ac Paſſionem Chriſti alios in annos, quàm quibus adſcripti erant initiò, relegarunt. Hoc ut paullatim eveniſſe conjectura noſtra fert, explicare deinceps aggrediar.

Panodorus.

Princeps, quantum ſuſpicari licet, in Ægypto Panodorus, cùm animadverteret annos ab Adamo ex Africani ſententia collectos, ſi per 19 dividerentur, nequaquam labentem Lunæ cyclum efficere, non dubitavit captandæ opportunitatis illius gratiâ, paucos annos è ſumma decerpere. Jam enim Alexandrinorum lunaris cyclus percrebuerat; qui à Paſchali ferè menſe ſumens initium, idem erat ac noſter; hoc eſt primus unius primus itidem erat alterius. quandoquidem Paſchalis omnis Romanorum methodus ab Alexandrinorum eſt fonte deducta. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus Paſchalem cyclum inſtituit annorum CCCCXXXVII, cujus centum priores annos deſcripſit, orſus à Conſulatu Gratiani V, & Theodoſii Impp. qui eſt annus æræ Chriſtianæ CCCLXXX, cyclo Lunæ I. Hic annus ex Africani calculo putabatur ab Incarnatione CCCLXXXII, ab Adamo 5882. Diviſis 5882 per 19 relinquuntur II. atqui I reſiduum eſſe methodi Paſchalis intererat. Panodorus ergo decem detractis, eumdem illum annum numeravit ab orbe condito 5872. quibus per 19 partitis, cyclus ille Lunæ primus, qui quærebatur, exiſtit. Præterea Incarnationem, ac natalem Chriſti biennio ſubduxit ab Africani epocha; & in annum redegit, qui trecenteſimus octogeſimus retrò putabatur ab exordio Cycli Theophili. Si annus 5872 mundi trecenteſimus octogeſimus ſecundus haberetur ab incarnato Domino; caderet Incarnatio in annum ab Adamo 5491. Panodorus autem eum annum putavit 5493. Igitur primus annus Cycli Theophili, æræ Incarnationis ab illo numeratus eſt trecenteſimus octogeſimus. quæ eſt inſignis obſervatio vetuſtatis æræ communis, quam Dionyſianam nominant. quamquam uno anno Incarnationem antevertimus: eo quòd æra Chriſti non Incarnationem includit ipſam; ſed à Calendis Januariis proximis ab natali incipit. Nihilominus luculenta eſt hæc notatio vulgaris æræ; quam Chronologi quidam recentiores ut minimè antiquam, & à Dionyſio primùm Exiguo repertam impunè vexant, ac ludibrio habent. Sed ejus auctorem ſaltem Panodorum fuiſſe ex eo vincimus, quòd Georgius Syncellus Incarnationem Chriſti ab illo relatam adſtruit in annum mundi 5493; quem ipſiſſimum eſſe primum æræ communis cap. ſequenti demonſtrabimus, ubi Georgii fragmentum illud exſcribemus. Annos 5493 ſi per 19 partiare, fit Lunæ cyclus 2, qui perinde anno primo Chriſti noſtrati congruit. Ex hac Panodori conformatione accidit ut computus iſte recens ab orbe condito octo annis minor eſſet priore illo, qui fuit Africani. Tametſi enim decem annos de eo Panodorus abſtulit; tamen communem terminum biennio ſummovit. Si Incarnationis priſtinum annum retinuiſſet ab Africano

Vide lib. II. de Doct. Temp. cap. LXIX.

editum;

editum; qui eſt Per. Jul. 4712, biennio ante epocham noſtram; annus primus Cycli Theophili, Chriſti 380, fuiſſet æræ Incarnationis Panodori 382; mundi 5872. Ablatis annis 382 de 5872, reſidui ſunt 5490. Ergo annus 5491 eſſet Incarnationis annus. Idem primus Theophili annus ex Africani computo erat ab Adamo 5882, à Chriſti Incarnatione 382. Subductis 382 de 5882, reliqui ſunt anni 5500. Proinde anno 5501 incarnatus eſt Chriſtus ex Africani ratiociniis. Diſcrimen computi hujus, & alterius, anni 10. Verùm Panodorus biennio, ut dictum eſt, Incarnationem deſcendere juſſit ad annum 5493. unde octo annorum duntaxat inter utrumque nata differentia eſt. Acceſſit ad eam cycli lunaris opportunitatem, & Indictionis uſus. Nam unitate addita, & ſumma per 15 partita, propria cujuſque anni habetur Indictio. Anni 5872 per 15 diſtributi relinquunt 7. Verùm anno Chriſti 380 Indictio fuit 8. unitas ergo adjungi debet ad numerum. Quòd ſi annum Africani 5882 per 15 divideres, Indictio 2 proveniret. quæ longiùs abeſt ab ea, quæ tum putabatur. Quamobrem non minùs Indictionis, quàm Cycli lunaris commoditas Panodorum impulit, ut Africani computum interpolaret. Si quidem Indictionis uſus per illa tempora vehementiùs increbeſcere cœpit, ut eſt in lib. XI de Doct. Temp. cap. XLI.

Alter Computus unde originem accepit.

Atenim perſuaſum hoc pleriſque fuit, Chriſtum Dominum & Martii XXIII, & Luna XIV, vel XV, id eſt plenilunio, eſſe paſſum, id eſt in Paſchate Judaïco, Martii verò XXV reſurrexiſſe. quorum illud feria VI, hoc autem feria I contigiſſe extra controverſiam eſt. Quòd Martii XXIII paſſum eſſe Chriſtum Græci Computiſtæ crediderint, argumento eſt, quòd Maximus, Georgius, Chronicon Alexandrinum, Cedrenus, & alii complures ita ſentiunt. Quinetiam Caſariense Concilium, quod Victore Pontifice circa annum Chriſti CXCVII celebratum eſt, hoc ipſum definiit. Quocirca tria hæc in eumdem concurriſſe diem Martii XXIII arbitrati ſunt, feriam VI, & Lunam XV; nec non legitimum ætatis modum, ut XXXIII annos circiter ætatis haberet: quoniam triceſimo anno baptizatus eſt; ac tria deinde Paſchata peregit. Quibus omnibus commodior nullus annus inveniri potuit, quàm qui æræ communis eſt XLII, & in Panodori computo 5533 exiens, iniénſque 5534. idémque ab Incarnatione, ſecundùm Panodorum, 42. Nam hoc anno Cyclus erat Solis Romanus XXIII, littera G. proindéque Martii XXIII feria VI, & Martii XXV Dominica Cyclus Lunæ Alexandrinus, & Romanus fuit V, Neomenia Nicæna Martii IX, & XXIII, Luna XV. Ergo non dubitarunt illo anno paſſionem accidiſſe. Ut igitur triceſimus hic & tertius, vel quartus ætatis eſſet annus patienti Chriſto, conſtituerunt anno computi Panodori 5501 incarnatum eſſe Chriſtum; æræ vulgaris nono, Per. Jul. 4722. De qua illorum opinione, & Chronologia ad Fragmentum Georgii Syncelli diſputabitur capite ſequenti. Huic illorum caſtigationi ſuffragari præterea vetus illa traditio videbatur; anno mundi 5501 incarnatum eſſe Chriſtum. quam Africanus auctoritate ſua commendarat. Ita prorſus admirabiliter contigit, ut ad æram priſtinam ſpretis Panodori calculis redirent. aut, ut priorem illum computum conſtanter Eccleſiæ aliquæ, civitatéſque retinuerint; deinceps nulla in eo mutatione facta, epochas Incarnationis, ac Paſſionis Chriſti tantummodò ſolicitarunt. Verùm nec in annis mundi cum Africano; nec in annis Chriſti putandis, cum Panodoro conſentiebant. Etenim annus ille æræ Chriſtianæ nonus ab Africano numeratus eſt mundi 5511; Chriſti undecimus. à Panodoro verò mundi 5501, Chriſti nonus. At illi mundi,

Vide XII de Doct. Temp. cap. XII.

ut Panodorus, 5501; Chriſti verò primum cenſebant; quod neuter illorum inſtituit. Hinc apparet rectè nos capite I docuiſſe; computum hunc annalem & Alexandrinum, nihil à Panodori computo diſcrepare, ſi ad annos Adami, vel mundi reſpicias. Tum id conſtat; multùm hunc ab æra Africani eſſe diverſum. Quocirca quod in IX de Doct. temp. cap. IV diximus; ex tribus vulgatis Græcorum computis, antiquitatis palmam ei deberi, qui ad Incarnationem Chriſti numerat abſolutos annos 5500, latè id accipiendum eſt; & ἁπλῶς, ſi annorum tantummodò ſumma ſpectetur; cujuſmodi eam Africanus inſtituit. Sin eo modo conſideretur, quo ab computandi magiſtris accommodata poſtea eſt, cum uſu methodi Paſchalis implexa; eadem eſt cum illa Panodori; ſed ejus eſt tractatio, conformatióque recentior.

Tertius computus.

Poſt hunc Panodori computum perperam, & adverſus Evangeliorum fidem à Græcis ea, quam expoſui, ratione depravatum; alter excogitatus eſt; qui hoc excluſo priore, pleraque in omni Græcia, & Oriente hac ætate receptus eſt. Hic ad Panodori epocham τῆς ἐνανθρωπήσεως annos addit ſedecim; ad Alexandrinam Maximi, & Georgii annos addit octo, ſi ſimplicem annorum numerum advertas. Nam ſi annus ipſe ſpectetur, octo iſtis, quibus Alexandrinum computum ſuperare videtur, annis eo minor eſt: hoc eſt Incarnationem Chriſti totidem annis anticipat; & cum epocha Panodori convenit. Anno itaque mundi 5509 Chriſti ἐνανθρώπησιν ortúmque tribuit. Cujus quidem inſtituendi tres omninò cauſſas exſtitiſſe perſuaſum habeo. Prima fuit, ut annis per 15 tributis, citra unitatis adjectionem, haberetur Indictio. Diviſis 5509 per 15, relinquitur Indictio IV, qualis anno primo æræ Chriſtianæ fuit: quem Incarnationi dicarunt. Altera fuit cycli Judaïci commoditas, quem & Victorinus, ac Latini & occidentales plerique ſecuti ſunt. Quamquam nihil præter cyclorum, vel aureorum numerorum ordinem expreſſiſſe Græcos exiſtimo; nec in celebrando Paſchate ad eos errores adhæſiſſe, quos in Victorini, ac Latinorum ſectam præpoſtera Judæorum imitatio transfudit. Cyclus Judaïcus, ac Latinus ab Alexandrino, & Romano, ternario diſcrepat. ut qui primus eſt Romanorum, Latinorum ſit XVIII; qui illorum tertius; horum ſit XIX. ut lib. VI de Doctrina Temporum pluribus expoſuimus; præſertim capite V, ubi numeris amborum aureis Calendarii Romani dies utrimque ſtipavimus. Ibi ad Calendas Januarias Romanus numerus adſcriptus eſt III, Latinorum XIX. Ejuſmodi Cyclorum ratio in poſtremo illo computo locum habet. Nam diviſis 5509 per 19, reſtant 18, qui Judaïcus cyclus, & Latinus erat anno Incarnationis, ſive communis æræ primo. ad quem tribus adjectis, efficitur aureus numerus Alexandrinorum 2, qui eumdem annum occupat. Sic anno Chriſti 1373 aureus numerus Alexandrinus erat VI. Hunc annum Iſaacus numerat iſtius æræ 6881. quo numero per 19 partito, ſuperſunt 3. Proinde Judaïcus iſte Cyclus fuit anni 1373. Duplicem ad hanc cauſſam poſtrema inſuper accedere potuit: ut eam labem abſtergerent, qua Panodori computum poſteriores illo artifices infecerant; & ingentem hunc anachroniſmum tollerent; quo baptiſmus, & paſſio Chriſti, ultra Tiberii obitum, in Caii, & Claudii tempora diffunditur. Hæc omnia conſecuti ſunt additis ad Panodori ſummam ſedecim. Annus Incarnationis à Panodoro habitus eſt mundi 5493. quo per 19 tributo, reſiduus eſt cyclus Lunæ XI, per 15 autem diviſus relinquit III. Adjectis 16 ad 5493; ſummáque 5509 per ambos cyclos diſtracta; fit Indictio IV, cum lunari Cyclo XVIII, quod erat propoſitum.

CAPUT IV.

Fragmentum Theophanis inſigne ad Græcorum computorum rationem explicandam. ad idque Notæ eidem pertinentes.

Ὅτι μὲν ͵εφλα´, οὐχὶ δὲ ͵εφλγ´ ὁ Ἀφρικανὸς λέγων, δύο σφάλλεται ἔτη· κατὰ τὴν ἀψευδῆ τῶν Εὐαγγελίων ὑφήγησιν * ἀπόδηλον γὰρ ὅτι τῷ λ´ ἔτει ἀρχομένῳ πε, ἢ μικρῷ πρὸς, ἢ ἔλαττον, κατὰ τὸ εἰρημένον· Ἰησοῦς δὲ ἦν ὡσεὶ ἐτῶν λ´, παρὰ τῷ μεγάλῳ Εὐαγγελιστῇ Λουκᾷ ἐπιστῆ-

* f. ἀφήγησιν ἀπόδηλον. ὅτι

QUOD Africanus annos (*ad Chriſti paſſionem*) computans 5531, non 5533, ut ſincera Evangeliorum narratio continet, duobus annis fallitur Manifeſtum eſt enim anno Chriſtum ætatis ineunte, hoc eſt paullò plus minúſve, triceſimo, ſecundùm illa Lucæ Evangeliſtæ verba; *Jeſus*

V 3 *autem*

autem erat quaſi annorum triginta: baptizatum eſſe, ac docuiſſe; & morbos omnes, languoréſque curaſſe annis tribus. adeo ut tempus omne, quod à divino illius conceptu, & ab anno mundi 5501, ac Niſan principis menſium die prima, Martii XXV, ad vivificam uſque reſurrectionem extenditur, quæ in eamdem XXV Martii diem incidit; annorum ſit XXXIII, & unius diei, quæ annum 5534 incepit. unde ad divinam cum corpore aſſumptionem illius in cœlum dies intercedunt XL. Si quis autem fidem minùs adhibet iis, quæ de die illa non uno loco memorantur, nimirum Dominum noſtrum primaria in illa die, calcata morte, vitam nobis ex mortuis effudiſſe, ad undecimam periodum cyclicorum annorum 532, & ejus annum 213 animum advertat, in eóque decimamquartam Hebræi Paſchatis attendat. Hanc enim inveniet die XXIII Martii ejuſdem, ac Paraſceve, in ſalutiferam paſſionem incidiſſe, quam pro nobis ſponte ille ſuſtinuit; & ſepultus à Joſepho, qui ex Arimathea erat oriundus, & Nicodemo, tertia ab eâdem paraſceve die reſurrexit. unâ Sabbatorum, & Niſan primi apud Hebræos menſis prima die. quæ viceſima quinta Martii una eadémque ſemper incidit.

Igitur Africanus, cùm in annum mundi 5501 divinam Incarnationem conſentaneè traditioni Apoſtolicæ conjeciſſet, in paſſione, ac ſalutifera reſurrectione conſignanda biennio aberravit, utramque conferens in annum mundi 5531. At Euſebius Pamphili annos ab Adamo ad ortum Abraami, qui Nini, ac Semiramidis regum Aſſyriæ temporibus, communi opinione congruit, in unam ſummam colligens, 3181 putavit, Hebræos codices ſecutus: & ſecundum Cainan, qui vixit annos CXXX antequam gigneret, in ſerie minimè collocavit. cujus quidem Lucas Evangeliſta meminit in genealogia ſua. quod alibi jam diximus. Noſtra porrò Chronologia ab Adamo ad ortum Abraami annos complectitur 3312. qui numerus tam Moſis hiſtoriæ, quàm Evangelicæ genealogiæ Lucæ convenit. A natali verò Abraami, uſque ad ſalutiferam crucem, & vivificam reſurrectionem, annos 2048 collegit Euſebius. cùm ex verioribus ratiociniis putentur à nobis 2221. Fiunt in totum anni ab Adamo 5533. ſecundùm Euſebium verò, anni 5232, quod ab Apoſtolica traditione penitus abhorret. Hic autem ex ejuſmodi hallucinatione illi error obrepſit, quòd præter annos Cainani 130, alios inſuper 111 omiſit Allophylorum, qui in Judicum libro continentur. nec non Interregni, & pacis, 40. item Darii, qui & Aſtyages dictus eſt, annos XI.

Panodorus verò unus ex Ægypti monachis, hiſtoricus, neque Chronologiæ accuratioris imperitus, qui Arcadii Imperatoris, ac Theophili Alexandrini Archiepiſcopi tempore floruit, cùm veritatem in pleriſque tenuiſſet, ſeptem aberravit annis, ubi ad ſalutiferam Incarnationem pervenit. Hanc enim anno mundi 5493 illigavit. Cujus ille erroris occaſionem habuit ex eo, quód in anno primo Philippi Aridæi, qui Alexandro Macedoni primus in regnum ſucceſſit; eodem videlicet, in quo & Claudius Ptolemæus expeditorum canonum ratiocinia defixit; initium ſtatuit Ægyptiaci anni, atque Græci, in prima die Thoth, primi Ægyptiorum menſis, Auguſti XXIX. quod ad eamdem epocham revolvitur. Hoc verò tempus citra controverſiam anno mundi 6170 tribuitur. Porrò ab anno primo Philippi, uſque ad victam Cleopatram, anni ſecundùm canones aſtronomicos numerantur 294. Fiunt ab orbe condito, & ab Adamo ad exitum Cleopatræ, anni 5463. Verùm ab Eccleſiaſtica traditione diſſentit in anno 43 Auguſti Cæſaris, quo Dominus noſter carnem induit. Non enim plures quàm 43 annos à victa Cleopatra & Ægypto ſubacta, apud Mathematicos imperaſſe dicitur Auguſtus. Quòd ſi conceſſum à nobis fuerit, conſequens erit anno mundi 5505 ex hac vita Auguſtum exceſſiſſe. At idem ipſe quintus erit ætatis Salvatoris annus. quod apertè falſum eſt. Quód autem circa obitum Cæſaris Auguſti, quindecim circiter annorum Dominus eſſet, ac XV Tiberii Cæſaris annorum ferè XXX, ut ſacra Scriptura docet, nemini dubium eſt. Ita contigerit Auguſti Cæſaris exitus inter annum mundi 5514, & 5515. Initium autem imperii totius anno 5458. Panodorus verò Mathematicum canonem ſecutus Auguſti imperii primordium contulit in annum mundi 5451. mortem verò in annum 5506. generationem denique Chriſti in 5493, quod ab eo perperam conſtat eſſe factum.

θη, καὶ ἐδίδαξεν, καὶ ἐθεράπευσε πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐπὶ τρία ἔτη· ὡς εἶναι τὸν ἀπὸ τῆς θείας συλλήψεως αὐτοῦ χρόνον ἀρξάμενον τῷ * ͵εφλα´ ἔτει τοῦ κόσμου, τῇ πρώτῃ τοῦ πρωτοκλίτου μηνὸς Νισὰν, Μαρτίου κε´, μέχρι τῆς ζωοποιοῦ ἀναστάσεως κατὰ τὴν αὐτὴν συμπεσοῦσαν ἡμέραν κε´ Μαρτίου, ἐτῶν λγ´, καὶ ἡμέρας μιᾶς τῷ ͵εφλδ´ ἔτει * ἀρξαμένῃ· ἀφ' ἧς ἐπὶ τὴν εἰς οὐρανοὺς μετὰ σώματος θεοπρεπῆ θείαν ἀνάληψιν, ἡμέραι μ´. εἰ δέ τις ἀπιστεῖ τοῖς λεγομένοις περὶ αὐτῆς πολλαχοῦ λεγομένης, ὅτι ἐν αὐτῇ τὸν θάνατον πατήσας ὁ Κύριος ἡμῶν πρωτοκλίτῳ ἡμέρᾳ ζωὴν ἡμῖν ἐκ νεκρῶν ἐπήγασεν· σκοπείτω εἰς τὴν ια´ περίοδον τῶν φλβ´ κυκλικῶν ἐτῶν, κατὰ τὸ σιγ´ ἔτος τῆς αὐτῆς περιόδου, τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην τοῦ παρ' Ἑβραίοις Πάσχα, καὶ * εὑρήσεις κατὰ τὴν κγ´ τοῦ αὐτοῦ Μαρτίου μηνὸς, ἐν ἡμέρᾳ παρασκευῇ καταντῶσαν ἐπὶ τὸ σωτήριον πάθος, ὃ ὑπὲρ ἡμῶν ἑκουσίως ὑπέστη· καὶ ταφεὶς ὑπὸ Ἰωσὴφ τοῦ ἐξ Ἀριμαθαίας, καὶ Νικοδήμου, ἀνέστη τῇ μετὰ τὴν αὐτὴν παρασκευὴν ἐπιφωσκούσῃ τρίτῃ ἡμέρᾳ, μιᾷ σαββάτων, πρώτῃ δὲ τοῦ παρ' Ἑβραίοις Νισὰν πρώτου μηνός· ἥ τις ἀεὶ τῇ κε´ τοῦ Μαρτίου μηνὸς μία καὶ ἡ αὐτή ἐστιν.

Ὁ μὲν οὖν Ἀφρικανὸς συμφώνως τῇ Ἀποστολικῇ παραδόσει τῷ ͵εφα´ ἔτει τὴν θείαν χρονολογήσας σάρκωσιν, περὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν σωτήριον ἀνάστασιν δυσὶν ἔτεσι διήμαρτε, κατὰ τὸ ͵εφλα´ ἔτος τοῦ κόσμου ταῦτα συναγαγών. Εὐσέβιος δὲ ὁ Παμφίλου τὰ ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως Ἀβραὰμ γενέσεως, ὃ κατὰ τοὺς χρόνους Νίνου, καὶ Σεμιράμεως τῶν Ἀσσυρίων βασιλέων ὁμολόγηται, συντεμὼν ἔτη, * γραφὰ ἐστοιχείωσεν, τῇ Ἑβραϊκῇ ἐξακολουθήσας· καὶ τὸν δεύτερον Καϊνᾶν ἔτη ρλ´ ζήσαντα πρὸ τῆς παιδοποιΐας μὴ στοιχειώσας· οὗ ὁ θεῖος Εὐαγγελιστὴς Λουκᾶς μέμνηται ἐν τῇ κατ' αὐτὸν γενεαλογίᾳ· ὡς καὶ ἀλλαχοῦ λέλεκται. τὰ δὲ καθ' ἡμᾶς τοῖς χρονογραφοῦσιν ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως γενέσεως Ἀβραὰμ ἔτη * ͵γλβ´ περιέχει συμφώνως τῇ θείᾳ Μωϋσέως γραφῇ, καὶ ταῖς γενεαῖς τοῦ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγελίου. καὶ ἀπὸ τῆς γεννήσεως Ἀβραὰμ ἕως τοῦ σωτηρίου σταυροῦ, καὶ τῆς ζωοποιοῦ ἀναστάσεως ͵βμη´ ἔτη συνῆξεν· ἅ τινα κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον ἔτη ͵βσκα´ ἡμῖν ἐπιλελόγισται. ἔτη δὲ τὰ πάντα ἐξ Ἀδὰμ ͵εφλγ´· κατὰ δὲ Εὐσέβιον ͵εσλβ´. ὅπερ ἀλλότριον πάντη τῆς Ἀποστολικῆς παραδόσεως· ὃ καὶ ἐκ παραλογισμοῦ τοιοῦδε πέπονθε, παρεὶς τὰ ρλ´ τοῦ Καϊνᾶν ἔτη, * καὶ τὰ ἐν τοῖς Κριταῖς Ἀλλοφύλων ἔτη ρια´ παραλείψας τά τε τῆς ἀναρχίας, καὶ εἰρήνης ἔτη μ´· καὶ ἔτι τοῦ Δαρείου, τοῦ καὶ Ἀστυάγους ἔτη ια´.

Πανόδωρος δέ τις τῶν κατ' Αἴγυπτον εἷς μοναχὸς ἱστορικὸς, οὐκ ἄπειρος χρονικῆς ἀκριβείας, ἐν τοῖς χρόνοις ἀκμάσας Ἀρκαδίου βασιλέως, καὶ Θεοφίλου Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπου, ἀλήθειαν ἀσπασάμενος ἐν πολλοῖς, ζ´ διήμαρτεν ἔτεσιν, ἐλθὼν εἰς τὴν σωτήριον σάρκωσιν, τῷ ͵ευϙγ´ ἔτει ταύτην συλλογισάμενος. ἡ δὲ αἰτία τοῦ σφάλματος αὐτοῦ γέγονεν οὕτως. Ἐπεὶ γὰρ τὸ α´ ἔτος Φιλίππου τοῦ Ἀριδαίου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα βασιλεύσαντος Μακεδόνων α´, καθ' ὃ ἔτος καὶ ὁ Κλαύδιος Πτολεμαῖος τὴν τῶν προχείρων κανόνων ψηφοφορίαν ἐπήξατο ἀρχὴν Αἰγυπτιακοῦ, καὶ Ἑλληνικοῦ ἔτους, κατὰ τὴν α´ τοῦ Θὼθ μηνὸς παρ' Αἰγυπτίοις λεγομένου, κθ´ τοῦ Αὐγούστου μηνὸς οὖσαν ἀποκαταστατικὴν, * ὁμόχρονον ὁμολογουμένως ὄντα τῷ ͵ερο´ ἔτει τοῦ κόσμου. ἀπὸ δὲ αὐτοῦ * α´ ἔτους Φιλίππου μέχρι τῆς καθαιρέσεως Κλεοπάτρας, ἔτη, κατὰ τοὺς Ἀστρονομικοὺς κανόνας, ἐπισυνάγεται σϟδ´. ἀπὸ δὲ αὐτοῦ ͵ερο´ κοσμικοῦ ἔτους * α´ γίνονται ͵ευξγ´ Ἀδὰμ ἕως καθαιρέσεως Κλεοπάτρας. καὶ τοῦτο οὐ σύμφωνον τῇ ἐκκλησιαστικῇ παραδόσει, ὡς τὸ περὶ τὸ μγ´ ἔτος Αὐγούστου Καίσαρος ἡνίκα ὁ Κύριος ἡμῶν ἐσαρκώθη· μόνα γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτῆς καθαιρέσεως, καὶ ὑποταγῆς Αἰγύπτου μγ´ ἔτη λέγεται βεβασιλευκέναι παρὰ τοῖς Μαθηματικοῖς ὁ Αὔγουστος. ὅπερ εἰ δῶμεν ἀληθεύειν, ἀναχθήσεται κατὰ τὸ ͵εφε´ ἔτος τοῦ κόσμου τελευτήσας ὁ Αὔγουστος. τῷ δὲ αὐτῷ ε´ ἔσται τῆς τοῦ σωτῆρος ἡλικίας. ἀλλ' ἔστι μὲν ἴσα * προδῆλον. ὅτι δὲ κατὰ τὸν Αὐγούστου Καίσαρος θάνατον ιε´ ἐγγὺς ἦγεν ἔτος ὁ Κύριος, καὶ κατὰ τὸ ιε´ Τιβερίου Καίσαρος ὡσεὶ ἐτῶν ἦν λ´, ὡς τὰ λόγια, καὶ τοῦτο προφανές. ἔσται ἄρα ὁ μὲν Αὐγούστου Καίσαρος θάνατος μεταξύ που τοῦ ͵εφιδ´ κοσμικοῦ ἔτους, καὶ τοῦ ͵εφιε´. ἡ δὲ ἀρχὴ τῆς ὅλης βασιλείας αὐτοῦ τῷ ͵ευνη´. Πανόδωρος δὲ τῇ Μαθηματικῇ ἐξακολουθῶν ἐκδόσει, τὴν μὲν ἀρχὴν τῆς Αὐγούστου βασιλείας τῷ ͵ευνα´ ἔτει τοῦ κόσμου ἐστοιχείωσεν· τὸ δὲ τέλος τῷ ͵εφϛ´· τὴν δὲ σωτήριον γέννησιν τῷ ͵ευϙγ´, οὐ καλῶς ἀπονοησάμενος.

* Cor. ͵εφα.
* f. ἀρξαμένην.
* f. εὑρήσει.
* f. γραφ.
* Cor. ͵γτιβ.
* Cor. τῶν ἀλλοφύλων.
* f. ἀρχ.
* Ἰουδαϊ.
* f. ἔτους
* Deeſt aliquid.

Digitized by Google

Ad Georgii Syncelli Fragmentum Notæ.

Ὅτι μὲν ͵ϛφλα΄.] Veterum multorum opinio fuit, Chriſtum uno tantùm anno prædicaſſe, eòque paſſum fuiſſe. Ex eorum numero fuit Africanus, ut teſtatur Hieronymus in IX Danielis. quem rectè ex auctoritate Evangelica Georgius redarguit. Vide XII de Doct. Temp. cap. IX.

Ὡς εἶναι τὸ ἔτος τῆς θείας.] Tria hîc obſervatione digna. Alterum, caput anni in computo Græco, non repetere Georgium à civili epocha, id eſt à Septembri; ſed à verno tempore; atque ab VIII Cal. Apr. quo die conditum eſſe mundum putabant. Alterum; paſſum ex illorum opinione eſſe Chriſtum Martii XXIII, feria VI: reſurrexiſſe verò die XXV. quam Epiphanii quoque ſententiam fuiſſe conſtat. Vide quæ ſuper ea partim in Animadverſ. ad Hær. LI: partim in XII de Doct. temp. expoſuimus. Cùm autem capite ſuperiori demonſtratum ſit Maximum, quem Georgius, & ceteri, qui Alexandrinam æram tenuerunt, ſecuti ſunt, Chriſti paſſionem in eum annum contuliſſe, qui eſt æræ noſtræ XLII, Periodi Julianæ 4755, eo anno admirabiliter contigit, ut in diem Martii XXIII decima quarta Paſchalis incideret. Novilunium enim ex Pariſinis tabulis commiſſum eſt Martii X, feria VII, hora 10, 21′ in horizonte Hieroſolymitano. Quare decima quarta convenit in Martii XXIII, feria VI. Plenilunium verò medium Martii XXV ineunte, hora videlicet 1, 55′ à media nocte Niczno verò tempore Neomenia cadebat in IX Martii, Cyclo V. decima-quarta, Martii XXII. quod ad Græcorum computiſtarum mentem perbellè congruebat, qui & Martii XXIII, & feria VI, & plenilunio paſſum eſſe Chriſtum aſſeverabant. Sed hæc quàm illorum rationibus conſentanea videntur; tam ſunt abſona, & ab Evangelica veritate prorſus aliena. Sed nec Epiphanii ſententiam aſſecuti illi ſunt; quam nos abundè libris illis explicavimus. Tertio denique conſtat ex Maximi, ac Theophanis decreto, Chriſtum Dominum triennio, ac menſibus circiter tribus à baptiſmo prædicaſſe. ut qui anno ætatis ineunte XXXI, Januarii VI, baptizatus ſit, mundi 5530 exeunte; ita ut 5531 proximo vere ſucceſſerit. anno Per. Jul. 4752. paſſus autem ſit anno ætatis XXXIII abſoluto, ac tribus præterea menſibus; mundi 5533 deſinente; Periodi Jul. 4755. In quo ab Epiphanii ſententia deſciſcunt. Vide Maximi cap. XXXII. Sciendum eſt porrò, Græcos ætatem Chriſti ab Incarnatione ipſa numerare; non, ut ratio poſtulat, & nos vulgo facimus, ab eo tempore, quo extra uterum prodiit. Quorum inſtitutum Romani quoque Computiſtæ complexi ſunt; Dionyſius Exiguus, Beda; & inferioris ævi propemodum omnes. Hinc Georgius annos vitæ Domini putare incipit à XXV Martii.

Συμπίπτει εἰς τὴν ια΄.] Diviſa ſumma annorum 5533 per 532, fient abſolutæ Periodi X, & annus 213 undecimæ, quo revera quartadecima Chriſti ſæculo incidit in Martii diem XXIII, ut paullò antè vidimus.

Πρώτη ἡ τοῦ παρ' Ἑβραίοις.] Mirum illud eſt, non ſolùm Neomeniam fuiſſe Niſan diem illum, quem Lunæ XVI, vel XVII eſſe dicit. ſed ejuſmodi ſemper exſtitiſſe. Nugæ iſtæ ſunt. niſi hoc fortè voluit; initio rerum primum menſem, ſive Niſan Neomeniam habuiſſe XXV die Martii.

Ὁ μὲν οὖν Ἀφρικανός.] Vide ſuperiora libri hujus noſtri capita.

Εὐσέβιος δὲ ὁ Παμφίλου.] In Chronico poſteriore, interprete S. Hieronymo, Euſebius in Procemio numerat ab Adamo ad diluvium annos 2242. à diluvio ad ortum Abraami, 941. Summa annorum 3184, itáque legendum apud Georgium. Ad hanc ſummam ſi 2215 adjeceris, quot ab Abraami natali ad ortum Chriſti interponit Euſebius, efficies annos 5199. Ac revera totidem annos ex Euſebii calculo Latini antiquiores exprimunt: & in Romano Martyrologio VIII Cal. Jan. numerus ille concipitur. Vide lib IX. de Doct. Temp. cap. II. Porrò ad Paſſionem, quæ anno Abraami 2047 ponitur, anni ſunt à conditu rerum 5231. Quæritur Georgius ab Euſebio prætermiſſum Caïnan, & ejus annos CXXX: ideo minorem juſto eſſe ſummam ad ortum Abraami; quam ipſe ait eſſe annorum 3312, quibus additi anni 2221, qui ab Abraamo ad Chriſti paſſionem interjecti ſunt, efficiunt annos 5533. cùm tamen Euſebius & annos ab Abraamo numeret ad Chriſtum 2048, & iis priorem ad numerum adjectis, ſummam inde conficiat annorum 5232. Deſunt anni 301 ad Georgii calculum: quos ipſe variis modis inculcare nititur. De Caïnano; & annis Judicum pleniſſimè habes in IX de Doct. Temp. Georgii μωρολογία iſta non eſt nauci.

Πανόδωρος δέ τις.] Nunc de altero computo, qui eſt Panodori Monachi. Is æram priorem annorum ad Chriſti ἐνανθρώπησιν 5501 octo annis, vel decem decurtavit; cujus inventi probabilis eſt à nobis ſuprà reddita ratio. quam verò Georgius affert, frivola eſt; nec jure hominem redarguit; ut mox videbitur.

Ἐπὶ τὸ τὸ α΄ ἔτος.] Quæ ſequuntur inſigniter depravata ſunt; neque vis argumentationis, qua Panodorum Syncellus oppugnat, ſatis animadvertitur. Hujus tamen hæc ſumma conficitur: Ideo ſeptem annis minùs putaſſe Panodorum, quòd cùm anno Mundi 5458 Auguſtus imperare cœperit poſt necem Julii Cæſaris, Panodorus 5451 tantummodò poſuerit, Mathematicorum calculum ſecutus. Fuit apud Aſtronomos in uſu Canon quidam, ſive laterculum regum, qui à Nabonaſſaro ad Antoninum uſque propagatur: nimirùm ad Ptolemæi tempora: qui à Chaldæis traditum Canonem Romanis Imperatoribus auxiſſe videtur. Verum in libro προχείρων κανόνων, qui tabulas aſtronomicas complectitur, Canon idem à Philippo Aridæo incipit; ut in manuſcriptis codicibus apparet. qui Theonis commentarios εἰς τοὺς προχείρους κανόνας exhibent. Igitur à morte Alexandri, & Thoth Philippi, ad mortem Cleopatræ, anni colliguntur 294. Inde Auguſti Cæſaris 43. Duplex enim initium Auguſti; alterum à morte Julii Cæſaris; alterum à nece Antonii, & Cleopatræ, quæ eſt epocha annorum Actiacorum. Intervalla porrò annorum à Neomenia Thoth, quæ principum mortem proximè conſecuta eſt, in illo Canone procedunt. Mortuus eſt Alexander M. anno primo ineunte Olympiadis CXIV, periodi Jul. 4390, anno Nabonaſſari 424, qui cœpit Novembris XII. Quare Thoth Philippi Aridæi, ſive mortis Alexandri, convenit in Novembris XII anni ejuſdem Per. Jul. 4390, & initium dedit anno Nabonaſſari 425. Hæc eſt epocha τῶν προχείρων κανόνων Ptolemæi. A qua anni ſunt Ægyptiaci 294 abſoluti ad Thoth Actiacum, ſive Neomeniam Thoth, quæ anno illo, quo mortua eſt Cleopatra, incurrit in XXXI diem Auguſti; & exordium attulit anno Nabonaſſari 719, anno Per. Jul. 4684, Urbis ſecundùm Varronem 724. Intervallum à morte Alexandri ad Thoth Actiacum, anni ſolidi 294. Rurſus Auguſti mors contigit anno Urbis 767, menſis cognominis XIX, epagomenon V, anni Nabonaſſarei 762; cujus Thoth iniit Auguſti XX, Per Jul. 4727, decimo quarto communis æræ. Sed tum annus fixus, & Actiacus erat in curſu; cujus Thoth perpetuò ab Auguſti XXIX die auſpicabantur. Itaque à Thoth Actiaco, ad Thoth mortis Auguſti, anni abſoluti ſunt 43. Hæc ſunt indubitata, & à nobis demonſtrantur in Tomo poſteriore Operis de Doct. Temp. Ex quibus intervallum aliud computari poteſt, quod inter Auguſti primum exordium, ac necem Cleopatræ numeratur, annorum 13. Nam Auguſti imperium cœpit anno Urbis 711. cujus Thoth convenit in Septembris III. Nabon. 706, Per. Jul. 4671. Inde ad Thoth Actiacum anni Urbis 724, anni confecti ſunt 13. Quare à Thoth imperii Auguſti, ad Thoth mortis ejuſdem, anni ſunt Ægyptiaci vertentes 56. Panodorus Incarnationem Chriſti conferebat in eum annum, qui Cyclum lunarem habuit 2 à Thoth Alexandrino, ſi civile initium cogites, uti lib. IX de Doct. Temp. capite IV docuimus. Erat ergo Per. Jul. 4713, in quem vulgaris quoque natalis competit, vel 4714, ſi populari epocha uſus eſt; anno Nabonaſſari 748. Proinde à Thoth anni Actiaci primi; ſive Nabonaſſari 719, ad Thoth anni 748, putantur anni ſolidi 29; ita ut triceſimo Actiaco ineunte incarnatus ſit Dominus. Igitur ab anno Nabonaſſari ineunte 425, ſive à Thoth Philippi, ad annum ineuntem 748 Nabonaſſari, quo Chriſtus incarnatus eſt, anni interjecti ſunt abſoluti 323;

ita

ita ut anno 324 ab initio Philippi Chriſti ἐνανθρώπησις inciderit. Detractis ergo annis 324 de 5493, reliqui ſunt 5169; adeóque anno 5170 ab Autumno inchoato Thoth Philippi accidit: ut ſcribit Georgius. qui & fruſtra Panodorum redarguit, quòd primum initium Auguſti Cæſaris illigavit anno mundi 5451. Id enim conſentaneè fecit conſtitutæ à ſe Chronologiæ. Etenim primum Auguſti Imperatoris exordium ab anno deduxit Per. Jul. 4671, Urbis conditæ 711, à quo plerique imperium illius auſpicari ſunt; ut paullò antè diximus. Jam verò à Thoth Philippi, ſive ab anno Nabonaſſari 425 ineunte, ad ineuntem annum Nabon. 706, anni ſunt vertentes, & integri 281. qui additi ad annum mundi 5170, cui Thoth Philippi congruit, conficiunt annum mundi 5451, primum monarchiæ Auguſti. Exinde annis adjectis 56 imperii ejuſdem, exiſtit annus mundi 5507, quo Auguſtus exceſſit. quamquam nondum inchoato 5507, ſed adhuc labente 5506 periit. Quinetiam Canon ille Mathematicus ab exordio Philippi ad Auguſti ultimum numerat annos vertentes 337; ita ut 338 ab Auguſti morte cœperit. Jam ſi annos 338 adjicias ad 424 Nabonaſſari, conflabitur annus Nabonaſſari 762. qui eſt Thoth mortis Auguſti. Adde eoſdem 338 ad annum Panodori 5169, exiſtet annus mundi 5507. Rectiſſimè itaque Panodorus non ſolùm Thoth Philippi cum anno computi ſui 5170 copulavit; ſed etiam primum annum Auguſtei imperii cum 5451; ſi quidem Incarnationem Chriſti contulit in annum 5493, ac Lunæ Cyclum 2 à populari Alexandrinorum epocha procedentem, id eſt Auguſti XXIX, à quo annum ordiebantur. vel à verno tempore, ut Computiſtæ ſolent. Quin ex iis veſtigiis Chronologiæ Panodori conjectura fieri poteſt, accuratum iis in rebus, ac diligentem hominem fuiſſe; atque haud paullò intelligentiorem ejus reprehenſore Georgio. cujus in hoc genere infinita peccata ſunt; ſed nullum majus, quam quòd ea vellicare inſtituit, quæ neque capiebat ipſe, & ab illo ipſo, quem accuſabat, fuerant ſcripta conſtanter.

ὡς τὸ αὐτὸ τὸ μγ´ ἔτος] Hæc ſunt mendoſa. Nam dicere videtur, Chriſtum in mundum veniſſe anno Auguſti XLIII. & idem tamen tres illos & quadraginta annos à morte Cleopatræ ad Auguſti obitum extendit. Utrumque verum eſt; & à primo initio Cæſaris Auguſti ad Incarnationis annum, quem Panodorus conſtituit, annos eſſe XLIII; & à nece Cleopatræ totidem ad exceſſum Auguſti. Etenim anno tertio Juliano, periodi Jul. 4671 imperare cœpit Auguſtus, ex opinione Panodori. Chriſtus incarnatus eſt anno Juliano XLVI. Demptis duobus, reliquus eſt annus XLIV ab initio Auguſti. qui à Thoth anni Juliani XLVI, Per. Jul. 4714 inchoatur. Labente itaque XLIII Cæſaris Auguſti, menſe Martio contigit ἐνανθρώπησις. Rurſus obiit Auguſtus anno Juliano LIX, Auguſti menſis XIX, Per. Jul. 4727. Intervallum ab anno Juliano XVI, quo primus Actiacus cœpit, ad LIX, ſunt anni XLIII. Obiit igitur Auguſtus exeunte anno XLIII ἀπὸ τῆς καθαιρέσεως Cleopatræ. hoc eſt Thoth mortis Auguſti fuit quadrageſimus quartus à Thoth Actiaco. Hæc vera ſunt. Sed Georgius perplexè & obſcurè loquitur.

CAPUT V.

De Græcorum computorum epocha in anno Juliano, déque cyclorum in iis methodo. Maximus illuſtratur.

Civilis Conſtantinopolitanorum annus à Calendis Septembris incipiebat unà cum Indictione. Inde igitur Solis ac Lunæ Cyclos par erat incipere. quemadmodum Alexandrini, qui triduo antè popularis anni principium habebant, indidem & Cyclos ordiebantur. Sed cùm Romani anni deſcriptione, Romaníſque menſibus uterentur; illius etiam initium Græci nonnumquam adhibuerunt. Tum quòd Paſchatis cauſſâ cycli à Chriſtianis aſſumpti ſunt: quod feſtum verno tempore celebratur; hinc plerique non modò cyclorum; ſed & anni ipſius exordium in verno menſe ſtatuerunt; Aprili videlicet, aut Martio.

Quæ tot initiorum varietas priùs Scriptores ipſos, quàm eorum lectores, admirabili perturbatione confudit. Nam duo plerumque diverſa annorum, & Cyclorum principia miſcent invicem: nec ad id, quod ſemel amplexi ſunt, conſtanter adhæreſcunt. Annum ecce alii ab Septembri, vel Octobri incipiunt; Cyclos autem Solis ac Lunæ ab Martio, vel Aprili. Quidam Cyclum Solis ab Octobri; Lunæ verò ab verno menſe cœperunt. Plures annum civilem à Septembri; Eccleſiaſticum ab Aprili proficiſci jubent; hunc etiam aliqui Martio ab menſe, & ejus certa die repetunt.

Ea methodi obſcuritas, & confuſio luce ut aliqua noſtræ diſputationis illuſtretur, de ſingulis Græcorum computis ordine dicendum erit, & qui uniuſcujuſque tradendi principes fuerunt, eorum perveſtiganda ſententia eſt; ut quemadmodum ab illis conſtituti Cycli fuerint; & quo pacto cum Romanis conſentiant; ac quod anni denique primordium ceperint, certa ratione declaretur. A Maximo igitur incipiendum erit, qui & antiquior eſt; & antiquioris obſervator æræ. cujus de anno primùm, & anni epocha ſtatuemus.

Alexandrinum computum in Paſchali ſua methodo tenere ſe Maximus oſtendit capite XXXII, cùm annum Incarnationis ac natalis Chriſti ait fuiſſe mundi 5501. ſcripſiſſe verò ſe anno 6133, Heraclii XXXI cap. XVII ſignificat; cujus anni paſſim exemplo utitur. Annus primus Heraclii cœpit Octobri menſe anni æræ Chriſtianæ ɪↄcx. triceſimus verò primus anno ɪↄcxl, Indictione Conſtantinopolitana XIV poſt Septembrem, Cyclo Lunæ XIV, Solis V, littera Domin. BA. Hanc porrò methodum anni ſui tradit capite XVII, ut diviſa ſumma per XXVIII, ſi quid reſiduum ſit, pro ſolari cyclo capiatur: aut ſi nihil reſtet, integer ipſe cyclus. Idem & in lunari, atque Indictione præcipit. Hoc modo diviſis annis 6133, cyclus relinquetur Solis, 1, Lunæ, 15, Indictio. 13. Reſtat illud inquirendum; ecquid annus ille 6133 à Septembri anni Chriſti ɪↄcxl, an à Paſchali menſe anni ɪↄcxli incipiat.

De Alexandrino computo, qui eſt Maximi.

Quòd igitur nequaquam à Septembri annos ſuos ſit exorſus, ex XXXII capite concludi poteſt. Ibi enim in eumdem annum mundi Martium ac Decembrem conjicit, nempe 5501, quo & feriam II ait fuiſſe Martii XXV, & quartam Decembris XXV. Certè Georgius Syncellus, qui eamdem æram exprimit, annos ſuos à XXV Martii incipit; nec non Alexandrinum Chronicon; etſi interdum aliter uſurpat. de quo vide cap. III lib. IX de Doct. Temp. Cyclos autem Solis ac Lunæ perſpicuè ab eodem Martio, non à Septembri inchoare ſe declarat, cap. VI, ubi laterculum enarrans, quod editum eſt pag. 315, Januarium, & Februarium anni antecedentis eſſe dicit; Paſcha verò, & ejus XIV, anni ſequentis. Præterea id ex C. X. ac XIII cognoſcitur. ubi tam lunarem annum, ac Cyclum, quàm ſolarem à verno menſe incipit; illum quidem ab iis diebus, quibus affixi ſunt aurei numeri; ſolarem autem ab æquinoctiali menſe. Item capite XXIII, cyclum Solis XXVIII, & Lunæ XIV, Aprili ac Paſchati anni ejus imputat, qui Paſcha anni 6133 anteceſſit; cujus cyclus erat ſolaris I, lunaris XV; quo etiam capite Cyclum Solis XXVIII à Cal. Aprilis orſus eſt. Unde Epactas Solis feriam illam eſſe definit, quæ eſt Martii XXXI. ſicut epactas lunares, ætatem Lunæ in eodem die. Ex quo ſequitur anni primordium in Cal. Aprilis ab illo conſtitui. Dupliciter itaque annum ſuum auſpicatur Maximus; nempe à Calendis Aprilis; & à Neomenia Paſchali. cujuſmodi in noſtris quoque, id eſt Latinis Computi Scriptoribus inconſtantiam animadvertimus libro VI de Doct. Temp. quæ quia perlevis, facilè diſſimulatur; dum illud conſtet, verno menſe, non autumnali annorum ſuorum epochas fixiſſe Maximum.

Caput computi Maximi.

Cùm hæc exploratiſſima ſint; tamen ex eodem Maximi computo difficilis nodus occurrit. Quippe annum 6133, & Indictionem XIV componit cum anno XXXI Heraclii, adeóque cum Cyclo Solis I, Lunæ XV. Atqui annus XXXI Heraclii cœptus eſt Octobri anni Chriſti ɪↄcx. mortuus eſt verò Martii XI anni ɪↄcxli. Si annus mundi 6133 ab Aprili, aut Neomenia Paſchali caperet exordium; non utique 6133 annum attigiſſet Heraclius. quandoquidem Neomenia Paſchalis anno iſto contigit Martii XIX; quartadecima Paſchalis Calendis Aprilibus, feria I. Unde Paſcha in Aprilis VIII diffunditur: Cyclo Lunæ tam Romano, quàm Conſtantinopolitano XV; Cyclo verò Solis I Conſtantinopolitano, Romano VI, littera G. quod Maximus cap. XIX disertè adſtruit.

Hoc non alia ratione diſſolvi poteſt, quàm ea, quæ

IX

IX de Doct. Temp. allata eſt, cap. III. ubi Maximum oſtendimus duplicem epocham anni civilis, & Eccleſiaſtici confudiſſe. quarum illa ab Septembri procedebat: hæc ab Aprili, aut verno menſe. Proinde 6133 annum civilem aliàs cum Heraclii anno XXXI, & Indictione XIV comparavit. aliàs eumdem annum diſtulit in Paſchalem menſem, Eccleſiaſtico uſus exordio.

Ante Maximum Panodorus annos ſuos à verno tempore inchoaſſe, videtur: etſi Georgius in eo Fragmento, quod capite ſuperiori retulimus; ubi ἐνανθρωπήσεως, & γεννήσεως ab eo illigatam refert anno mundi 5493; nullam certam ejus rei ſignificationem dederit. tamen ita Chriſtiani ferè veteres; ſaltem Eccleſiaſticis in computis, & hiſtoriis; facere conſueverant. ut de Africano cap. I hujus libri docuimus.

His animadverſis, facile jam erit Solis ac Lunæ Cyclos æræ hujus, & computi proprios inveſtigare, ac cum noſtris componere. in quo fœdiſſimè hallucinatus eſt Scaliger; uti paullò pòſt oſtendetur. Primùm enim quod ad Solis Cyclum attinet, diviſis annis ab orbe condito, reſiduus numerus Cyclus eſt Solis. aut certè totus ipſe numerus 28. Anno 6133 diviſo per 28, relinquitur I. Proinde cyclus Solis I concurrit cum anno Chriſti 641, quo Romanus Solis Cyclus erat 6, littera Dominicalis G. unde reliqui deinceps propagari poſſunt; quod in ſequentibus conſtabit. Cyclus lunaris Maximi idem prorſus eſt cum Romano. Siquidem diviſis 6133 per 19, reliqui ſunt 15. & revera anno Chriſti 641, cyclus erat Lunæ 15. Quod mirum eſſe non debet. Ex eodem quippe Alexandrinorum fonte Græci ac Latini pariter lunarem hauſere cyclum. & ab eâdem epocha, nimirum ab verno menſe, uſum illius auſpicati ſunt.

In Indictione putanda perplexus eſt Maximus. in eâque methodus fallit, quæ per cyclum integrum τ ὁμάδα dividit. Nam ſi 6133 per 15 partiare, ſupererit Indictio XIII. Atqui XIV cœpta eſt Septembri anni 640, & ſequente 641 adhuc obtinuit. nec alia cum anno mundi 6133 componi debuit. Verum ad methodum unitas additur annis mundi, ut Indictionem labentem obtineas: quemadmodum cap. XXXIII Computi admonet. Duplicem enim Indictionem ſtatuit: unam, quæ exiſtit ex annis mundi per XV diviſis; éſtque unitate minor, quàm reipſa tunc uſurpatur. alteram, quæ ab Auguſti ſecundo imperii anno eſt exorſa. quem quidem affirmat ex XV Indictione primam anno iſto feciſſe. Hæc ſunt commentitia. Vere autem origo patefacta eſt ſupre cap. III. Vide & cap. I, ubi de Indictionibus Maximi egimus.

Computus Constantinopolitanus.

In altero computo, quem τῶν Ῥωμαίων appellat Georgius; quique annum Incarnationis exhibet mundi 5509, perinde ambigua eſt annorum epocha. Iſaacus Argyrus cap. III Computi prioris, annum civilem ait à Septembri inchoari: Cyclum ſolarem, ab Octobris Kalendis. Cyclum verò lunarem cap. IV ab Januario incipit, ac diviſis annis mundi per congruentem cyclo cuivis numerum, colligi labentem anno ultimo cyclum aſſerit. Annum, quo iſta prodebat, capite III ſcribit eſſe mundi 6881, quo diviſo per 28, fit Solis cyclus 21. tum Octobris XXVI die feriam III ſcribit fuiſſe, capite ſequenti. Eſt hic annus Chriſti 1372, cyclo Romano IX, littera Dominic. DC. Idem tamen capite VI, *μέχρι τῆς ἀρχῆς τοῦ ἐρχομένου Ἰανουαρίου, uſque ad initium Januarii, qui proximè ſequitur*, annos ait eſſe 6880. quibus diviſis per 19, cyclum Lunæ 2 confici. Hæc ita conciliari poſſunt. Seribebat Iſaacus Octobri menſe anni Chtiſti 1372; cùm jam ab Septembri cœptus eſſet annus Conſtantinopolitanus 6881 cum Indictione XI. ratione verò cycli ſolaris à Kalendis Octobris. porrò ratione cycli lunaris, Kalendis Januariis ſequentibus initium habiturus erat; ſic ut annus 6880 perſeveraret anno 1372. Itaque ad Kalendas Januarii anni 1373 finxiſſe ait annos 6880. horum ultimus occupabat annum 1372: cujus adeo cyclum inveſtigat. Divide annos 6880 per 19, reſtat 2 Lunæ cyclus Judaicus, & Latinus; qui Romano 5 reſpondet. quotus erat anno 1372. Ac vel ex eo, quòd à Kalendis Januariis lunarem cyclum inchoari ſcribit, conjecturam noſtram approbat, quam capite III ſuperiùs explicavimus; Græcos in hoc genere computi Latinorum, ac Judæorum aureos numeros accepiſſe. Nam Latinorum proprium id fuit, lunarem ab Januario cyclum inchoare; cum ab Aprili, vel Paſchali menſe Romanis idem cyclus procederet. Ex his concluditur annum civilem Conſtantinopolitanum duobus reſpondere cyclis lunatibus. ut annus 6881 à Septembri anni 1372 incipiens, ad Decembris finem cyclo 2 Conſtantinopolitano, vel 5 Romano reſpondet. à Kalendis Januariis, cyclo tertio, & Romano 6, quod de Solari quoque cyclo Romano dicendum eſt. Diſtributis annis 6881 per 28, reſtat cyclus Solis 21 ab Octobri anni 1372. quo Romanus 9 adhuc in uſu erat. anno verò ſequente 1373 erat cyclus 10. Quocirca primus cyclus ſolaris Conſtantinopolitanorum erat Romanus 17 ab Octobri; Januario vero ſequente, 18. & primus cyclus Romanus Januario menſe reſpondebat cyclo Conſtantinopolitano 12. Octobri verò ſequente, cyclo 13. Lunaris cyclus idem erat ac Latinorum; & ternario minor erat Romano, & Alexandrino. Sed, ut jam monui, neque in emboliſmorum retione; nec in Paſchatis celebritate ab Alexandrinis, & Catholicis inſtitutis abhorruerunt. Indictio denique eadem erat ac Romana, ſive Imperatoria, ut vocant, à Septembri; ſive Eccleſiaſtica ab Januario. Unitate ergo major erat illa, quæ ex Alexandrino computo prodit. quod imprimis notandum venit, ut ex eo Chronologorum Græcorum, & imprimis Theophanis errata deprehendamus. Hujus obſervationis ſpecimen inſigne præbebimus.

Theophanes ait Heraclium cœpiſſe anno mundi 6102, Incarnationis 602, Octobris IV, feria II, Indict. XIV. Hic eſt annus Chriſti Dionyſianus 610, cyclo præditus Solari III, littera D. Itaque error eſt apud Theophanem. legendúmque feria I, non II. Erat Indictio Conſtantinopolitana ab Septembri XIV. Hunc igitur annum putat Theophanes ab Adamo 6102; Incarnationis 602. At Cedrenus mundi 6103, Incarnationis 609. Verùm quod ad Incarnationis annos attinet; Miſcella, quæ ex Theophanis hiſtoria conſtat, eumdem habet annum 602, ut certum ſit à Theophane ita ſcriptum fuiſſe, mundi 6102, Incarnarionis 602. Diviſis 6102 per 15, reliqui ſunt 12. Addita unitate, ex præcepto Maximi, colligitur Indictio XIII, hoc eſt Romana à Januario ad finem Decembris: Conſtantinopolitana verò à Januario, ad finem Auguſti. Quocirca Indictio computi Alexandrini, quæ ex diviſione τ ὁμάδος oritur, niſi ab Septembri annos ordiamur, à Januario ad Septembrem unitatem addi ſibi poſtulat. à Septembri, ad anni finem, binario eſt augenda, ut civilem Conſtantinopolitanam aſſequatur. Igitur anno Chriſti 610, erat annus Alexandrinæ æræ 6102 à verno menſe cœptus. A Septembri verò civilis annus 6103 putari cœpit. quod Cedrenus ſecutus eſt. prius autem, Theophanes, qui Eccleſiaſtico more, ut vidimus, annos à Paſchate ſoler incipere.

Theophanes idem narrat Leonem Iſauricum obiiſſe anno imperii ſui XXV, jam ab menſibus duobus, diebus XXII inchoato, XIV Kalend. Julii, Indict. IX. quod & hiſtoria Miſcella refert ſub finem libri XXI. ἔτος ἦν ἀπὸ μὲν κτίσεως κόσμου τῶν Ῥωμαίων ͵ϛσμη' ἀπὸ Ἀδάμ. τῶν δ' Αἰγυπτίων, ἤγουν Ἀλεξανδρέων ͵ϛσλβ'· ἀπὸ δὲ Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος ͵αξγ'. quæ ſic Paulus Diaconus vertit: *Cùm annus eſſet à conditione quidem mundi, juxta Romanos, ab Adam ſextus milleſimus ducenteſimus quadrageſimus octavus. ſecundùm Ægyptios verò, ſeu Alexandrinos, ſextus milleſimus ducenteſimus triceſimus ſecundus. à Philippo, ſecundùm Macedones, milleſimus ſexageſimus tertius.* Fuit hic annus Chriſti communis æræ 741, quo fuit Indictio 9 tam Romana, quàm Conſtantinopolitana Junio menſe. Detractis annis 5508 de 6248, reſtant 740 æræ Dionyſianæ. Uno itaque minùs anno computat Theophanes. quod & Indictio demonſtrat. Nam ſi annos 6248 per 15 diſtribuas, exiſtet Indictio 8. Atqui in æra Conſtantinopolitana, quam Paſchalem vocat Scaliger, Romanam Theophanes; diviſis annis ab Adamo, currens Indictio relinquitur. Sic anno Alexandrini computi 6232 per 15 diviſo, ſupereſt Indictio 7, binario Romana minor, cùm unitate tantùm ſuperari debeat. Item de 6232 detractis 5492, reſidui ſunt 740, cùm 741 reliquos eſſe oporteat. Denique annus Philippi per idem tempus labebatur 1064, non 1063. Itaque falſus eſt Theophanes: & ſcribendum illi fuit, mortuo Leone ſucceſſiſſe Conſtantinum anno ſecundùm Romanos 6249; Alexandrino 6233; à Philippo 1064.

CAPUT VI.

Confutantur ea quæ de Græcis computis explicavit Scaliger in VII de Emend. Temp. idémque variis exemplis illuſtriores redduntur.

NUNC ad excutienda illa veniamus, quæ de Græcis iiſce computis Joſephus Scaliger in Opere de Emend. Temp. attulit. quæ, ut nniverſè dicam, ejuſmodi ſunt; ut illorum ſcientiæ funditus expertem, ac rudem hominem fuiſſe demonſtrent. Nec ea modò re-
Scal. p. 749. edit. poſtremæ. plicabimus, quæ ab ipſo in V Emend. Temp. diſputata capitibns duobus, in nono de Doctrina Temporum capite V confutavimus. Hic ea ſolùm attingenda ſunt, quæ ad computum Maximi ſeptimo in libro diſſeruit; quæ in hunc locum, & hujus editionem computi reſervata fuerant.

Ex his primùm illud apertiſſimè falſum eſt; tres iſtos comptutos ſic habere, ut natalem Chriſti Dionyſianum habeant, orientalis quidem, in anno 5501: lunaris, in anno 5495. Paſchalis in anno 5509. (Ita enim vocari tres æras illas à Scaligero, libri hujus initio monuimus.) unde ad annum labentem cujuſque computi numerandum, præcipit addere annis Chriſti Dionyſianis annos 5494, 5508, & 5500, atque à Septembri caput anni repetere. quod hoc exemplo perſpicuum facit. Anno Chriſti 1596, cœpit ab Septembri Græcorum more annus 1597. Adde annos 55n0, habebis annum 7097 æræ orientalis. adde 5508 fiet annus æræ Paſchalis 7105. adde 5494, erit annus æræ lunaris 7091. Verùm in hoc poſtremo lunari computo duo ſubtrahi perpetua methodo jubet; ut proinde nonniſi 7089 annus ille putetur. Hæc, inquam, cautio falſiſſima eſt; nt ea demonſtrant, quæ ſuperioribus capitibus expoſui de tribus iſtis computis. Nam duæ ex his, lunaris, & orientalis, annum communis natalis, ac Dionyſiani præbent eumdem, qui eſt 5493 iniens à Septembri. Maximus, Georgius, ac Theophanes æra uſi ſunt, quam orientalem vocat Scaliger. hoc extra controverſiam eſt. Nam Chriſtum aſſerunt incarnatum, & in lucem editum anno computi ſui 5501. Igitur annus æræ Dionyſianæ 641, quo Heraclii annus XXXI Paſchali menſe currebat, computari ab illis debuit 6141, additis 55n0 ad 641. Atqui eum ipſum ſtatuunt annum mundi 6133, qnotus eſt in lunari computo; ſi ad annos 641 adjungas 5492; uti methodus exigit. Sic annum primum Heraclii, qui iniit Octobri anni Chriſti 610, numerari oportuit 6110 orientalis æræ. at ſolùm 6102 putatur à Theophane; quotus eſt in ea, quam lunarem Scaliger appellat.

Præterea Georgius, ac Theophanes, ut ſuprà meminimus, æram orientalem Scaligeri nominant τῶ Αἰγυπτίων, ſive Ἀλεξανδρέως. Paſchalem verò, τῶ Ῥωμαίων. Inſignis eſt ea de re Theophanis locus, quem capite ſuperiori retulimus, ubi annum Chriſti, qui reſpondebat XXIV Leonis Iſaurici, etátque 740, ait ſecundùm Romanos, id eſt in Paſchali, ut Scaliger eam vocat, æra eſſe 6248; τῶ Ἀλεξανδρέως 6232. Deductis annis 5508, de 6248, reſtat annus 740. de 6232 autem ſubductis 55n0, ut ſolet Theophanes, reliquus eſt annus ab Incarnatione 732, octo annis minor æra Dionyſiana: uti conſentaneum eſt. Ablatis autem annis 5492, reſiduus eſt annus Incarnationis Panodori 740. Apparet ergo computum utrumqne, quorum alterum lunarem, orientalem alterum nominavit Scaliger, ab Adamo parem, & eumdem annorum numerum colligere. Ac ſi vera eſſet Scaligeriana methodus, & ad annum æræ Dionyſianæ addendi forent 55n0, ut conſequeremur annum orientalis computi, ſive τῶ Ἀλεξανδρέως: non utique mundi 6232, ſed 6240 numerari oportuit annum 740.

Præterea falsò & illud à Scaligero ſcriptum eſt, æram, quam appellat lunarem, anno 5495 natalem exhibere Chriſti; ſed ad methodum decurtari annis 2. quod commentum ἄλογον eſt, & ridiculum. Nam neque ratione, neque auctoritate nititur. imò utraque convincitur. Siquidem computi auctor iſtius, ut quidem apparet, fuit Panodorus. at is anno 5493 Incarnationem attribuit, teſte Georgio. Tum Cyclorum, & Indictionum calculus hactenus explicatus à nobis eumdem damnat errorem.

Unus ab illo citatur fautor hujus opinionis Cedrenus; Scal. VII de Emend. Pag. 365.
quem ait æram illam ſequi, quæ natalem Chriſti componit cum anno mundi 5495. ideo perpetua methodo de illius æra deducendos eſſe 5494. Etſi futilis eſt auctor iſte, nec ad uniuſmodi computum adhæreſcit; tamen ne id quidem verè de eo prædicavit Scaliger, natalem communem in ipſius æra anno convenire 5495.

Primùm disertè hic affirmat ſe ad annos Incarnatio- Cedrenus
nis putare 5506. & paullò antè ſcribit annum Tiberii Pag. 144.
XV eſſe mundi 5536. Annus XV Tiberii eſt æræ communis XXIX. Deme annos 5494 de 5536, ut præcipit Scaliger: orietur annus XLII æræ Chriſtianæ. triceſimus autem exiſtet, ſi 5506 auferas.

Ad hæc urbem Conſtantinopolitanam exædificatam Ced. p.
refert Indict. III anno mundi 5838, Maii XI, feria II. 233.
Fuit ergo littera D, & annus Chriſti CCCXXX. Si de 5838 adimas 5494; fiet annus Chriſti CCCXLIV. Vides ἀλογισίαν.

Rurſus idem Cedrenus ait Nectarium Conſtantino- Ced. p.
politanam tenuiſſe cathedram anno mundi 5888, Incar- 269.
nationis 394. Annus quo ſedere cœpit Nectarius, eſt in æra Dionyſiana 381; mortuus eſt autem 398.. Deductis annis 5494 de 5888 reliqui ſunt 394. Verùm non ille annus eſt æræ Dionyſianæ. cujus ad methodum auferendos eſſe ſcivit annos 5494.

Quartò Synodum Epheſinam primam confert in an- Pag. 176.
num 5915. Deduc annos 5494. fiet annus Chriſti 421. Atqui erat annus 431.

Quintò Romanum Imperatorem, qui cum Conſtan- Pag. 322.
tino Porphyrogeneto imperium tenuit, à Stephano filio in ordinem redactum eſſe narrat anno 6453, Indictione III. Annus erat Chriſti 944, quo Indictio III jam uſurpabatur Decembris XVI, quando illud accidit. Jam ſi ab annis 6453 auferas 5494, relinquetur annus Chriſti 959. Subductis autem annis 5508, exiſtit annus 944. Quare non lunarem, ſed Paſchalem computum tenuit hoc loco Cedrenus.

Sextò Theophylactum Patriarcham obiiſſe ſcribit an- Pag. 326.
no 6464, Indict. XIV, Februarii XXVII. Hic annus eſt æræ communis 956. quibus detractis de 6464 annis, reſtant 5508. Proinde etiam hîc æra Paſchali Cedrenus utitur.

Denique Scriptor idem deinceps ad finem operis computo illo utitur, qui ad æram Chriſtianam apponit annos 5508. ut ex Indictinoe liquet. velut anno mundi 6468, 6471, 6497, 6508, 6518, 6524, 6526, 6527, & ſic in reliquis. Quæ poteſt igitur par huic eſſe temeritas, quæ oſcitantia major, quàm affirmare Cedrenum ita annos mundi perpetuò computaſſe, ut ad æram Chriſtianam adjiceret 5494; cùm ubique ferè 5508 adjungat; aut ſi aliter inſtituat, mendoſi perſpicuè numeri ſint? Unus, opinor, locus eſt, in quo cum æra vulgari paria facit, detractis de anno mundi 5494. nimirum in eo, qui putatur 6021, quo Juſtinianum iniiſſe refert. quique Dionyſianus fuit annus 527. Si præter hoc exempla alia ſuppetant: (neque enim ſcrutari vacat omnia) ea longè pauciſſima ſunt, nec cùm eorum, quæ produximus, numero comparari queunt. Quocirca nemo Græcorum veterum de hac æra cogitavit umquam; nemo biennio decurtavit. quod ineptum eſt, ac frivolum.

In cyclis verò Solis ac Lunæ, quos computis Græcis accommodavit in Notis ad Eclogas Maximi, quanta cæcitas! Cyclo Solis æræ lunaris primo reſpondere aſſerit cyclum Solis XVII æræ Paſchalis, & orientalis nonum; ac tribus iſtis litteras B A. ut ſit Romanus cyclus V. Cyclo verò lunari æræ, quam lunarem vocat, reſpondere ſimiliter in computo Paſchali cyclum XVII, in orientali nonum, quando XIV Paſchalis erat Aprilis V. Mirum cùm iſta ſcriberet, non illum conſuluiſſe Maximum ſuum, & exemplum ab eo deſcripti Paſchatis anidmadvertiſſe. Anno mundi 6133, cyclum Solis imputat Maximus primum, cyclum Lunæ XV. Terminum Paſchalem, ſive XIV ait incidiſſe Kalendis Aprilis, feria prima. Si quis alius orientalem, quem vocat Scaliger, computum adhibuit; is eſt profectò Maximus. Nam docet anno 5501 incarnatum eſſe Chriſtum. Igitur cyclo illius æræ primo reſpondet ex laterculo Scaligeri cyclus Solis XXI in æra lunari, & IX in Paſchali: Romanus verò cyclus XXV, hoc eſt litteræ ED. Atqui conſtat litteram G anno illo cum VI Romano cyclo Solis obtinuiſſe: nimirum anno Chriſti DCXLI, quo feria prima incidit in Kalendas Aprilis. Item ex tabella Scaligeri

Digitized by Google

Scaligeri decimaquarta Paſchalis cyclo Lunæ XV cadere debuerat in Martii XXX. ut eſſet aureus numerus VII. cùm tamen certum ſit anno eodem aureum numerum exſtitiſſe XV, & terminum Paſchalem Kalend. Apriles occupaſſe. Poſſem iſta latiùs perſequi, & inſcitiam, qua nulla hoc in argumento major poteſt accidere, pluribus exemplis traducere. Sed ex ſuperiore omni diſputatione, quam de computis iſtis, & eorum inter ſe ratione accuratam inſtituimus, licet cuivis vel mediocri uſu talium inſtructo, infinitè patentem hallucinationem convincere.

CAPUT VII.

De methodo Paſchali computorum Græcorum. ac primùm de ἡμεροδείκτου, ſive inveſtiganda feria. exponuntur elementa ejus omnia. quid ſint regulares, concurrentes, προσθεταί. Scaligeri in his error. Maximus, & Iſaacus expoſiti.

PASCHALIS methodus in duo faſtigia dividitur; pro cyclis totidem, Solis, ac Lunæ. Pars itaque prior eſt character diei, ſive feria. quod ἡμεροδείκτιον Maximus appellat. poſterior ad quattamdecimam Paſchalem; ipſúmque Paſcha Chriſtianum; & ad Lunæ, ut vocant, ætatem inveſtigandam pertinet. Utriuſque ratio à nobis explicabitur: atque à priori, quæ Solis propria eſt, capiemus initium.

Tria ſunt ad indagandam feriam in Græcorum computo neceſſaria; προσθεταί, ſive epactæ menſium; epactæ annorum; & ἡ ποσαία, ſive quota dies menſis. προσθέτας eos eſſe, qui *regulares* à computatoribus noſtris
Scal. VII de Emend. pag. 749. edit. ult. vocantur, Scaliger exiſtimat. in quo valdè fallitur. Appellatio quidem ipſa regularium τῶν προσθετῶν accommodari poteſt; uti nos in Latina verſione fecimus. ſed ita ut non eoſdem eſſe Græcorum regulares ac Latinos, intelligas. Ac de horum quidem regularibus, & concurrentibus egimus lib. VI de Doctrina Temporum cap. XXVIII. cujus doctrina capitis aſſumenda eſt ad Græci computi notitiam. eſt enim neceſſaria. ſed hoc loco minimè repetenda; cùm in promptu illic habeatur: præter pauciſſima quædam, & καιρογνώμονα, ſine quibus explicari quod propoſui non poteſt. Latinorum regulares ſunt feriæ dierum in anno cycli Solis, qui litteram habuit G, initio ab Aprili ducto; aut etiam ab Januario. Si à Januario ducatur; regulares menſis hujus, & ſequentis unitate minores ſunt; quàm ſi ab Aprili orſi fuerimus. Quando littera Dominicalis eſt G, tunc Kalendæ Aprilis feriam habent I, Kalendæ Maii III; & ita deinceps uſque ad Decembrem, quota littera eſt initialis cujuſque menſis ab A, unitate addita, tanta eſt feria. At Januario antecedente fuit feria II, Februarii Kalend. feria V. ubi & unitate addita, litteræ Kalendarum feriam exhibent. Verùm calculus poſt biſextum, Martio, vel Aprili potiùs incipit. Quare Januarii, & Februarii regulares accipi debent ex feria, quam habent eorum Calendæ anno ſequenti, quo littera eſt F. tum verò Januarius incipit à feria III, Februarius à VI. Hi ſunt regulares menſium Romanorum. qui perpetui, immotique ſunt. nec epactæ menſium propriè dici debent. Nam epactæ propriè ſunt dies antecedentes caput anni menſiſve, cujus epactæ nominantur. quemadmodum lunares epactæ dies ſunt reliqui à confecta ultima ſyzygia ad finem anni civilis; putà Decembris, vel Martii, ſi à Januario, vel Aprili annus lunaris ineat. epactæ Solis annuæ feria eſt diei ultimi totius anni; ut ait Maximus. Itaque Calendæ ipſæ menſis, cujus epactæ vocantur, in epactarum numerum nequaquam veniunt. Non ſunt igitur προσθεταί, hoc eſt epactæ menſium, idem cum Romanorum regularibus. Hinc epactæ Solis annuæ, ſive concurrentes, cum Solis regularibus Kalendarum feriam præbent. at προσθεταί cum epactis Solis non reddunt feriam, niſi addatur ἡ ποσαία. Exemplum: Eſto annus Chriſti τσχλι, & quæratur feria Calendarum Septembrium. Concurrentes illo anno fuerunt VII, ex methodo capitis XXVIII libri VI de Doct. Temp. qui ad regulares Septembris VII adjecti dant feriam VII, cujuſmodi revera anno illo fuit, cùm littera Dominicalis eſſet G, cyclo Solis Romano VI. Ita Calendis Aprilis iidem Concurrentes VII cum regularibus I dant feriam I. At, ex methodo Maximi, epactæ Solis VII anno primo cycli ſolaris Conſtantinopolitani, cum προσθέταις Septembris VI, addita ποσαίᾳ, hoc eſt uno die Septembris, exhibent feriam VII. Calendis autem Aprilis eædem epactæ Solis VII cum προσθέταις VII, & uno die Calendarum, offerunt feriam I.

Προσθεταὶ Maximi, ſunt feriæ ultimæ diei antecedentis proximè menſem eum, cujus προσθεταὶ dicuntur in anno primo cycli Conſtantinopolitani. qui reſpondet cyclo Romano VI, quando littera eſt G. tum enim Decembris præcedentis ultimus in feriam I incidit. ideò regularis Januarii anni illius, à quo proximè ſecutus eſt annus primus cycli ſolaris, Aprili ineunte, eſt I. feria

Tabella προσθετῶν in menſibus Julianis, & Conſtantinopolitano computo.

Menſes	προσθεταί	Dies menſium	Dies collecti
Januarius	1	31	31
Februarius	4	28	59
Martius	4	31	90
Aprilis	7	30	120
Maius	2	31	151
Junius	5	30	181
Julius	7	31	212
Auguſtus	3	31	243
September	6	30	273
October	1	31	304
November	4	30	334
December	6	31	365

ultimæ diei Januarii IV. Is eſt regularis Februarii; & ſic deinceps, ut ex Tabella patet. quæ quatuor verſibus conſtat. I menſes Romanos complectitur. II epactas illorum, ſive προσθέτας. III ſingulorum menſium dies. IV eoſdem dies collectos. quos addidi, ut propagandorum regularium ratio declaretur, quam cap. XXVI primæ Partis Computi Maximus exponit. Hic enim dies omnes ab Aprili ad finem proximè antecedentis menſis illius, cujus προσθέτας quærimus, per 7 dividi præcipit. reſiduum, aut ſi nihil ſuperſit, ſeptenarium ipſum epactas eſſe menſis inſequentis ait. Exempli cauſſâ: Scire libet quæ ſint epactæ Septembris. A Januario ad Auguſti finem dies ſunt 243. è quibus deductis 90, reſtant 153 à Cal. Apr. quæ ſi per 7 dividas, reſiduum eſt 6, regulares Septembris. Quòd ab Aprilis Calendis calculus incipit, non ex eo ſequitur, regulares Aprilis eſſe I. ſed potiùs VII; quæ res Scaligerum fefellit. qui προσθέτας Maximi unitate perperam auget. Itaque epactas Martii ait eſſe V, Epactas Aprilis I, Epactas Maii III. uno verbo, quota eſt littera initialis cujuſlibet menſis addita unitate, tantas eſſe προσθέτας aſſerit. Hoc modo προσθεταὶ Septembris erunt VII? Octobris II: reclamante Maximo in Laterculo duplici capitis I, cujus in ſiniſtro verſus primus continet προσθέτας Martii IV; quas Scaliger V à Maximo conſtitui falſò putavit. In verſu quarto προσθεταὶ ſunt Septembris, & Octobris, hujus I, illius VI. quas unitate producit auctiores Scaliger.

Sciendum eſt autem, licèt Maximus ab Aprili τῶν προσθετῶν ratiocinia deducat; revera tamen à Januario proficiſci. Etenim à Kalend. Aprilibus ad ultimum Decembris dies ſunt 275. quibus per 7 diſtributis reſtant 2. quæ προσθεταὶ eſſe debent Januarii, ſi ab Aprili computentur. at Januarius tantum habet I. Proinde ſic à Januario calculus propagatur. Quoniam cùm littera G eſt in uſu, Januarii Kalendis feria eſt ſecunda; epactæ Januarii ſunt I. ultima dies Januarii eſt fer. IV. Nam diviſis 32 diebus, hoc eſt 31 Januarii, & epacta ejus 1 per 7, reſtant dies 4. ſic diviſis 91, hoc eſt diebus menſium trium, addita epacta Januarii, per 7, reſiduum eſt 7 epacta menſis Aprilis. Deinceps autem ab Aprili nihil additur: quoniam epacta Aprilis eſt 7, vel 0. Hujus rei, quamlibet levis, obſervatio non mediocrem lucem affert Græcorum computo: cujus ignoratione

ratione adeò manifeſto errore implicatus eſt Scaliger.

Iſaacus Monachus prioris computi capite IV, ϖροσθήκας menſium vocat ἐπακτάς. quarum epilogiſmum incipit ab Aprili; ac ſuperiori illi rationi ſuffragator accedit. Etenim epactas cujuſlibet menſis conſtituit feriam ultimæ diei antecedentis cyclo primo, cùm littera eſt G. Oſtendimus ſuprà cap. V cyclum Solis Iſaaci reſpondere XVII Romano, cujus litteræ ſunt AG. Itaque Octobris Kalendæ in feriam ſecundam incidunt. & quia dies ultima Septembris fuit feria prima, hinc epactæ Octobris ſunt I. Epactæ Novembris IV. Epactæ Januarii II, nec interrumpitur eo menſe calculi progreſſio; ut apud Maximum. Vide caput IV Iſaaci Monachi.

Concurrentes. Sequuntur annorum epactæ, quos concurrentes Romani computatores vocant. Eſt autem reſiduus feriarum numerus ex anno antecedenti. Ut ſi annus primus à feria prima incipiat, ultimus dies erit feria prima. proinde epactæ ſecundi anni erit unitas, & ita deinceps. Cyclum ſolarem Maximus orditur ab Romano VI, cujus littera G. Primus menſis eſt Aprilis. Igitur cyclo primo Kalendis Aprilibus eſt feria prima. Epactæ ſunt VII. Nam epactæ ſunt feria ultimi diei præcedentis anni. Anni ſecundi epactæ ſunt I. tertii ſunt II. quarti ſunt IV, propter biſextilem diem. Cùm enim concurrentium epocha à Martio, vel Aprili ſumitur, ſimplex eſt epacta. ſed à Januario ineuntibus annis, duplex aſſumitur. ut in Romano computo duplex littera ſolet eſſe: quarum prior à Kalendis Januar. ad biſextum uſurpatur. poſterior inde ad vertentem annum. Epactæ per totum cyclum annis ſingulis congruentes deſcribit Maximus in rota, quam capite primo poſuimus. nec difficilis eſt methodus.

Quamvis autem Maximus annum, cyclúmque ſolarem ab Aprili incipiat, & Januarius menſis decimus ſit; in ratione tamen τῆς ἡμεροδρομεσίν in hoc menſe, & duobus ſequentibus epactas aſſumit ejus anni, qui novus ab Aprili ſuccedit: uti capite XIX ſignificat. Exemplum; annus Adami 6133 iniit à Kalendis Aprilibus anni Christi ıↄcxlı, cyclo Romano VI, littera G. Cyclus ergo Conſtantinopolitanus ei reſpondens I iiſdem Kalendis iniit. Quare Januario, Februario, ac Martio locum adhuc habebat cyclus XXVIII, cujus epactæ ſunt VI. Ad regulares itaque Februarii IV, ſi accedant epactæ VI, & ἡ ϖαναία I, fiet Kalendis Februariis feria IV. Erat autem V. Igitur non epactæ VI anni currentis, ſed VII anni ſequentis adhibendæ ſunt, ut feria V prodeat. Hujus rei cauſſa ex diſpoſitu regularium petitur. Nam ſi ab Aprili cœpta progreſſio non interpellaretur in Januario, eſſétque regularis hujus, ut par erat, II, & Februarii V, ex epactis veteris anni, & regularibus Februarii cum ϖαναίᾳ repræſentaretur feria quinta. Nunc in Januario novum exordium imprudentibus obrepſit, ut regularis competens uno deminutus fieret I. Ob id epacta unitate major, id eſt anni ſequentis, antevertitur.

Epactarum annuarum, ſive concurrentium inveſtigatio aliter à Maximo proponitur capite XXIX. Quotus eſt cyclus anni, qui quæritur, totidem dies, uno dempto, ſumi præcipit. Inde cyclorum omnium, nullo exempto, numerum per 4 partiri. quod ex diviſione provenit ad ſuperiorem ſummam additum, totóque per 7 partito; reliquum erit epacta, vel ſi ſuperſit nihil, ſeptenarius ipſe. Verbi gratiâ. quærantur epactæ anni XXVI. Ob cyclos XXV præteritos ſumo dies 25. tum divido 26 per 4. proveniunt 6. Colliguntur 3. Item cycli Solis 28 epactas ita conficies. Cape dies 27 ob tranſactos totidem cyclos. deinde 28 cyclos ipſos, nullo detracto partire per 4. & ſeptem, qui inde naſcuntur adde ad 27, ac ſummam 34 divide per 7. Exiſtent epactæ anni ultimi VI. Hujus methodi perſpicua ratio eſt. Nam epactis ultimi annorum dies accreſcunt. Ideo cùm nondum expletus eſt viceſimus octavus annus, nullam in commune ſymbolam confert. Verùm quia poſt biſextum incipit, ideo biſextilis ipſe dies cedit in ſummam. Propterea nullo detracto, fit cyclorum omnium diviſio. Hac methodo utitur Iſaacus Argyrus capite III. Poſtremò nec illud omittam; etſi Romano more biſextilis dies infindatur inter XXIV, & XXV Februarii; indéque Romano ritu nova littera ſuccedat; nihilominus Iſaacum biſextilem diem eum putare, qui eſt viceſimus nonus, & ultimus; uti quarto capite declarat. quod & alios obſervaſſe meminimus. imo ab nonnullis in Martium eſſe tranſlatum. de quo vide quæ libro IV, cap. XII ad Galeni locum ibidem deſcriptum animadvertimus.

CAPUT VIII.

Explicatur methodus Lunæ in computo Maximi, ſive Alexandrino. Epacta Lunæ, ejuſdémque regulares, & ambarum propagatio.

PRo diverſis Græcorum æris, ac computis ab orbe condito, varii itidem cycli ſunt Solis ac Lunæ; epactarúmque colligendarum varia methodus: quam ad unicam, ſimplicémque redigere potuiſſent; ſi ad labentem annum computi ſui aliquot annos adderent. nec eam commoditatem perſequi mallent, ut æræ ſuæ ſumma per cyclorum numerum diſtributa, proprius cujuſque anni cyclus exiſteret. Ut in Romano computo æræ Chriſti, ad cyclorum, epactarúmque methodum, unitatem adjicimus; neque ſolos æræ annos adhibemus. In quo Latini omnes conſentiunt. In annis verò mundi, tametſi magnum inter Chronologos diſcrimen intercedat; ac longè plures aliis alii numerent; de cyclis tamen, epactiſque omnes inter ſe conveniunt. quòd qui plurium annorum ſummam inſtituunt, ad illorum methodum competentem numerum adjiciunt. ſic ut ſumma per cyclos integros diviſa, iidem labentium anni cyclorum apud omnes oriantur. Exempli cauſſâ; nos ab orbe condito ad annum primum æræ communis putamus annos 3984; ita ut ultimus ſit ille, quem primum Chriſti facimus. Alius annos numerat 3950, ut Scaliger. Si nos opportunitas iſta delectaret, ut ea ſumma, quam ab Adamo definimus, præcisè diſtributa, cycli labentes efficerentur: annis 3984 per 28 partitis, reliquus eſſet cyclus Solis VIII; per 19 verò diviſis; cyclus Lunæ XIII. ſic ex diviſione annorum 3950, Solis eſſet cyclus II, Lunæ XVII. At erat Romanus Solis cyclus X, Lunaris II, anno primo æræ Chriſtianæ, in quem utrique conſpiramus. Igitur ad eruendos cyclos, Scaliger 8 addit ad ſummam; ut 3958 per 28 partitis cyclus Solis inveniatur X. ad lunarem verò, 4 adjicit; ut 3954 per 19 tributis, exiſtat cyclus Lunæ II. Nos ad methodum cycli ſolaris adjicimus 2. ad Lunæ cyclum, 8. Ita diviſis annis 3986 per 28, reſiduum erit 10. per 19 autem diviſis 3992; reſtant 2. Sic incommodam illam cyclorum varietatem Latinorum computi ab orbe condito, ac Chronologiæ devitant: quam Græculi nimis ambitiosè conſectati ſunt.

Cùm duo ſint Græcorum computorum divortia; ut ſæpè nobis neceſſe eſt repetere; & utriuſque principes hoc in opere à nobis editi duo, Maximus, & Iſaacus; ex utroque depromptam ſingulorum rationem paucis explicabimus. ac primùm Maximi. Is Alexandrinam æram ſequitur; in qua primus annus æræ Chriſtianæ numeratur 5493. qua ſumma per 28 diviſa cyclus efficitur Solis V. per 19 verò partita Lunæ cyclus 2. Erat autem Romanus cyclus Solis X, Lunæ II. Igitur cyclus Solis in hac æra primus, eſt Romani cycli VI. Lunaris verò utrobique unus eſt, & idem. Epocha anni, cyclíque lunaris, (nam de Solari jam diximus) à Maximo ſtatuitur in Kalendis April. Caput enneadecaeteridos eſt aureus numerus I. Neomenia prima, Martii XXIII. Itaque anno pimo cycli lunaris, Kalendis Aprilis Luna fuit decima. Hinc eſt quòd Maximus epactas anni primi lunaris IX fuiſſe ſcribit cap. XXVII. quoniam ætas Lunæ tanta fuit Martii XXXI, qui dies canon eſt epactarum Solis, ac Lunæ: ut idem ait capite XXXI. Quod non animadvertens Scaliger in Notis ad Eclogas Maximi, putavit imminui duabus unitatibus ſummam: quòd à temporibus Chriſti Luna biduum anticipaſſet, quo nihil jocularius excogitari potuit. Sed de hoc errore jam aliàs. Scal. p. 753. edit. ult.

Quòd autem in IX de Doctrina Temporum capite V credidimus Maximum lunarem ἐποχὴν olfeciſſe diei unius à Nicæni Concilii tempore, quòd canonem ætatis Lunæ, atque epactarum conſtituiſſet in XXX Martii, non in XXXI; uti æquum erat, ſi quidem epocha anni in Kalendis Aprilis ab eo defigitur; ſcito errorem eſſe, quem depravata Scaligeri lectio nobis pepetit; Lib. IX. de Doct. Temp. peg. 8.

qui

qui in Eclogis Maximi, quas ad ſuam mentem interpolavit, nec iiſdem illius verbis exprimere curavit, ſcripſerat; ἡ ἐπακτὴ τῆς σελήνης ἐν τῇ τεσσαρακάδι τοῦ Μαρτίου μηνὸς, &c. ἡ τῇ ἐπακτῇ τοῦ ἑβδομαδικοῦ καὶ τὴν τεσσαρακάδα πρώτην τοῦ αὐτοῦ μηνὸς, τοὺς τοῦ ἡλίου. Sed perperam. Nam ſcribendum τεσσαρακάδι πρώτῃ. Sumpta eſt hæc Ecloga ex capite XXXI primæ partis computi. in quo ita, ut dixi, legitur.

Scaliger in eclogis, cap. συμπαγ. ἐπὶ τῆς σελ. &c. pag. 339. lib. VII de Emend.

Hic bidui defectus per totum cyclum Lunæ ſerpit; & epactæ perpetuò duobus minores ſunt quàm Romanæ. Exempli cauſſâ, cyclo XIV epactæ communes ſunt IV, Maximo II, ut ait capite XXVII. Atque hæc epactarum progreſſio naturalis eſt, & epactarum germanam conditionem retinet. quæ eſt ejuſmodi, ut totidem quilibet annus epactas habeat, quot ſunt reſidui dies à Neomenia proximè antecedente ad anni caput. Cyclo Lunæ XIV, Kalendis Aprilis Luna Nicæna fuit tertia. Ergo epactæ meritò ſunt 2. In Romano computo vulgaris methodus 4 numerat. de qua vide lib. VI de Doctrina Temporum cap. XXIII.

Epactarum inveniendarum methodus hæc à Maximo, capite XXVII traditur. cyclum Lunæ per undecim ducito: ſummam binario minutam divide per 30. habes epactas anni, cujus cyclus multiplicatus eſt. Cyclo Lunæ XIV, ſi 14 per 11 multiplices, fient 154. Deductis 2, ac reſiduo 152 per 30 diviſo, ſuperſunt 2, epactæ cycli XIV. Ut res tota ſubjiciatur oculis, tabellam adſcribemus, in qua cyclus lunaris adjunctas habet epactas tam Romanas & communes, quàm decurtatas, & Maximi proprias.

Laterculum cycli Lunaris.		
Anni	Epactæ Romanæ	Epactæ Maximi
I	11	9
II	22	20
III	3	1
IV	14	12
V	25	23
VI	6	4
VII	17	15
VIII	28	26
IX	9	7
X	20	18
XI	1	29
XII	12	10
XIII	23	21
XIV	4	2
XV	15	13
XVI	26	24
XVII	7	5
XVIII	18	16
XIX	0	28

Ex his ætas Lunæ menſe quolibet, ac die deprehenditur. Maximus capite XXVIII, ita de hac re præcipit. Inventis epactis adde dies omnes à Kalend. Aprilis ad eum, cujus ætas inquiritur. ſummam partire per 29½; reſiduum erit ætas Lunæ. Hæc methodus moroſa eſt, nec utilis vulgò, propter adjunctos horarios epilogiſmos. Expeditior res erit, ſi regulares adhibeas. quorum propagationem Iſaacus exponit capite IX. Poſſunt autem duplici modo propagari. Prior eſt, ut regularis cujuſque menſis numerus ſit, qui cyclo primo ad epactam annuam adjectus, ætatem Lunæ complet in Kalendis ipſius. Anno primo cycli, epactæ lunares ſunt IX. deeſt unitas ad ætatem Lunæ complendam Kalendis Aprilibus. eſt enim decima. ac ſic reliquis in menſibus. Poſterior modus unum demit ex priori genere regularium. Vel, eſt numerus reſiduus poſt aureum numerum citimum Kalendis Aprilis in antecedente menſe, initio ab Aprili facto. Cyclo tertio Lunæ, Neomenia incidit in ultimum Martii. Ergo nullus eſt eo menſe reſiduus dies poſt Neomeniam. adeòque regularis Aprilis eſt 0. Aprili verò poſt Neomeniam, quæ XXIX die accidit, reſtat unus dies. Igitur regularis Maii ſequentis eſt 1. Inter ambo genera hoc intereſt, quod regulares priores cum epacta currente Lunæ ætatem exhibent, citra diei ullius adjectionem. poſteriores Kalendas ipſas adjiciunt. Utrumque genus ſequens tabella comprehendet.

Tabula Regularium duplicium Lunæ in cyclo Maximi.		
	Regul. I	Regul. II
Aprilis	1	0
Maius	2	1
Junius	3	2
Julius	4	3
Auguſtus	5	4
September	7	6
October	7	6
November	9	8
December	9	8
Januarius	11	10
Februarius	12	11
Martius	11	10

Exemplum: cyclo Lunæ XIV ſcire libet quota Luna ſit Kal. Septemb. Epactæ 2 cum regularibus prioribus 7, vel cum poſterioribus 6, ſed unitate addita, dant Lunam nonam; ut eſt revera cyclo XIV Nicæno. Rurſus quæratur ætas Lunæ cyclo Lunæ V Kal. Octobr. Epactæ 23, cum regularibus 7, vel 6, & Kal. ipſis præbent Lunam triceſimam.

CAPUT IX.

De methodo Lunæ in Conſtantinopolitano computo.

NUNC alterius æræ, ac computi, quem Conſtantinopolitanum vocant, aperienda methodus eſt, ex Iſaaci libro, qui eam diligenter exponit. In illa primùm cyclorum inveſtigandorum eadem, quæ in ſuperiore, ratio; ut diviſa ſumma per quemlibet cyclum, competens anni, qui quæritur, cyclus eruatur. Sed quoniam numerus annorum hujus æræ ſedecim priorem excedit: hinc ad cyclos illius additis 16, cycli hujus oriuntur. Annus primus æræ Chriſtianæ, Alexandrinæ eſt 5493, qui per 19 diviſus dat 2. Additis 16, fiet cyclus Lunæ 18, quem dat annus 5509 poſterioris computi, ſi per 19 tribuatur. Sic ad cyclum Solis 5 æræ prioris, adjectis 16, exiſtet cyclus Solis 21 anni 5509. Item ad 3 Indictionem, quæ ex 5493 relinquitur per 15 partitis, ſi accedant 16, reſidua erit Indictio 4 anni 5509. Caput cycli Solaris ab Octobri: lunaris, à Januario ſequente repetit Iſaacus cap. III, & VI. Igitur lunaris cyclus I Conſtantinopolitanus eſt quartus Romani; & primus Romani eſt XVII Conſtantinopolitani. Cùm enim lunaris cyclus Alexandrini computi idem ſit ac Romanus; ſi 16 ad hunc cyclum adjicias, putà ad 1, efficies 17 illius. Epactarum progreſſio planè, ut in Romano, per multiplicationem aurei numeri in undecim efficitur. neque biduo mutilatur, ut inſtituit Maximus. ſed epactæ illæ ſunt, quas ſuperiori capite in laterculo cycli lunaris Romanas appellamus. Verùm annus primus Romani cycli, vel ejus, quo Maximus utitur, quique habet epactas XI, eſt quartus Conſtantinopolitani. Epactæ ſunt reſidui dies, qui ad complendam lunationem ad dies cujuſlibet menſis adhibentur. Anno primo cycli epactæ ſunt undecim. Is eſt quartus anni Romani. cui tertius antecedens reliquos dies undecim ab ultima ſyzygia reliquit, quæ Decembris XXI cœpit. Naturalis ergo, & propria τῶν ἐπακτῶν in hoc cyclo notio eſt, & appellatio.

Regularium par eſt, atque in ſuperiore, methodus: &, ut illic, duûm generum ſunt. Alii cum epactis ætatem Lunæ perficiunt. alii unitate ſunt minores. Tum, quod à Januario, non ab Aprili epocha ducitur; nonnulla varietas incidit. Utrumque genus in ſequente laterculo deſcribemus.

Laterculum regularium Lunæ duplicium in cyclo Iſaaci.

	Regul. I	Regul. II
Januarius	1	0
Februarius	2	1
Martius	1	0
Aprilis	2	1
Maius	3	2
Junius	4	3
Julius	5	4
Auguſtus	6	5
September	8	7
October	8	7
November	10	9
December	11	10

Exempli cauſſâ: Cyclo Lunæ XIV, quæratur ætas illius Kalendis Septembris. Epactæ ſunt IV, quæ cum regularibus Septembris VIII; aut cum VII, addita unitate, dant Lunam duodecimam. quota revera eſt cyclo Romano XVII, Conſtantinopolitano XIV.

Iſaacus capite IX pro regularibus, reſiduum menſium Julianorum, detractis integris ſyzygiis, accipit. Syzygia lunaris eſt dierum XXIX½. quibus de XXXI deductis, reſtant 1½ in Februario ad epactas annuas addendi. Sed eam methodum minimè vulgò aptam eſſe ſuprà monuimus. Ideo Romani nequaquam ea ſunt uſi. Quocirca uti Græcorum epilogiſmos ad Kalendarii noſtratis uſum, ac diſpoſitum accommodemus, cum epactis regulares componimus. Unum tamen obſervandum eſt, cum cyclo Iſaaci XVII, epactas VIII, non VII, comparandas eſſe; & cum cyclo XVIII; epactas XIX, non XVIII. Cujus ratio ex ἀνωμαλίᾳ Lunæ petenda eſt; à qua Lunæ, quem vocant, ſaltus oritur. Hic enim in cyclo Romano XIX, Latinorum XVI contigit. uti lib. VI de Doct. Temp. cap. XVII diximus. Propter hanc ἀνωμαλίαν, aureus numerus XIX uno die ſitum antevertit in deſcriptione Romani Kalendarii. Ob id non XI, ſed XII addenda ſunt ad epactam anni antecedentis XXVI; ut fiant VIII epactæ anni XVII. quibus additis XI, exiſtunt epactæ XIX anni XVIII, qui eſt ſecundus cycli Romani. ac demum adjectis XI, fiunt epactæ 0 anni XIX, qui eſt tertius Romani cycli. Hoc verò locum habet in aureorum numerorum diſpoſitu; cujuſmodi eſt in noſtro Kalendario. Nam ſi aliter inſtituatur; alia quoque erit ineunda ratio.

C A P U T X.

De lunari προηγήσει, & terminorum μεταςάσει. Iſaaci Argyri ridicula ratio. Quartadecima Paſchalis cur plenilunium dicatur. Iſaaci errores varii. æquinoctium falsò ab eodem obſervatum.

Huc uſque lunarem methodum expreſſimus utriuſque computi; quæ Nicæno ſæculo, ac citra noviluniorum προήγησιν adhiberi poterat. quam cùm antiquiores computandi magiſtri; uti Maximus, Dionyſius, Beda neſcirent; perpetuum illud artificium inquirendæ lunaris ætatis eſſe crediderunt. Iſaacus verò, ut erat aſtronomiæ peritus, præſidio cœleſtium obſervationum, & aſtronomici calculi, Solis ac Lunæ anteceſſiones animadvertit in anno Juliano. Ideo tam Nicænas, vel Alexandrinas potiùs Neomenias Paſchales, quàm terminos, inutiles ætate ſua eſſe comperit; ut qui ab menſe primo ad ſecundum paullatim tranſitum feciſſent. Hanc προήγησιν in ætate Lunæ colligenda tridui prudens, an imprudens ſtatuit Iſaacus; ac vel ridiculè, vel malitiosè in ea tradenda methodo verſatus eſt. Etenim capite VII docens quemadmodum lunares epactæ inveſtigandæ ſint, ad epactas tria jubet adjici. Verbi gratiâ anno Adami 6880 cyclus erat Lunæ 2, epactæ 22. quæ cùm regularibus Januarii I, reddunt Lunam viceſimamtertiam Kalendis Januariis: ut erat Nicæno ſæculo. At Iſaaci tempore erat viceſimaquinta. Nam novilunium anno Chriſti 1371 contigit Decembris VIII, cujus character, feria 2, 3, 28′, 27″, Conſtantinopoli, cyclo Solis Romano VIII, littera E. Igitur XXV Luna incidit in Kal. Januarias anni ſequentis 1372. Ita Octobris XXVI die eodem anno Luna XXV contigit; quæ per epactam 22, regulares poſteriores 7, ac τῶν πρωϊῶν, id eſt dies 26 conficitur. Novilunium incidit Septembris XXVIII, feria III. Unde Luna viceſima nona competit Octobris XXVI. ſed Neomeniam putavit Iſaacus à XXIX die Septembris. Itaque tria adjicit epactæ 22, ut fit 25. quæ cum epactis menſium 7, & 26 diebus Octobris Lunam producunt viceſimam octavam, demptis 30. Cur tria hæc addantur, cauſſam affert jocularem; quia cùm Luna plena creata ſit à Deo die quarto, triduum oportet anteceſſiſſe. Porrò cyclo primo deprehenſa eſt Luna decima quinta Kal. Januarii; quanta erat eo momento, quo creata eſt. Quoniam ergo cyclus primus epactas habet undecim ea methodo; hac ratione fingitur novilunium incidiſſe undecim diebus ante Kalendas. quibus additi tres illi πρὸ τῶν αἰώνων, ut computatores Græci nominant; decimam quintam Lunam conferunt in Kal. Januarias. Idcirco trium ſemper ad epactas fit acceſſio.

Hæc ratio ne aſtronomiæ quidem tyrone digna, & imperitiſſima eſt. Primùm ita procedit, quaſi mundus Decembri menſe conditus ſit. quod nemo hactenùs opinatus eſt. Deinde quamvis hoc ultrò concedatur; nihilo magis expediri poteſt. Nam ſi verum dicit, oportuit omnibus retrò ſæculis, adeóque Nicæno, triduum illud adjici. quod tamen neceſſe non fuit; ſiquidem epactæ ſimplices ætatem Lunæ repræſentabant. Præterea Iſaacus ipſe capite XVI, ubi de Lunaris, ac Solaris anni anticipatione diſſerit, cenſet annis CCCIV, uno die ſyzygias ἀκριβεῖς, civiles, ac minimè ἀκριβεῖς antevertere. Unde conſequens eſt, ante annos 1047, quibus Nicæna ſynodus Iſaaci ætatem, & annum 1372 anteceſſit; diebus ampliùs tribus infra dies eos fuiſſe, quibus illius ævo commiſſæ ſunt. Tum verò ſi triduum ad epactas adderes, nequaquam Lunam aſſequerere. Abſurdiſſimè igitur Iſaacus; qui, cùm novilunia certos ad dies minimè adhæreſcere ſentiat; ita ratiocinatur interim, quaſi ſemper in eodem die conſiſtant. quod vel imperitè ab eo factum eſt; ſi id bona fide præſcripſit. vel callidè; ſi declinandæ invidiæ cauſſâ, ne plus majoribus ſuis ſapere videretur, apertè quod res erat, profiteri noluit. *Iſaaci Argyri notatur.*

Ceterùm Paſchalis computi vitium illud non primus odoratus eſt Argyrus. ſed qui eodem tempore floruit Nicephorus Gregoras. qui, ut teſtatur ille capite XVI, Paſchale laterculum à ſe emendatum obtulit Imperatori, ac Senatui; in quo termini biduo ante Nicænos collocati ſunt. Utrumque Canonem; veterem ſcilicet, ac Nicænum; & recentiorem, habes in Iſaaci computo; illum quidem ſub Damaſceni nomine, qui fortaſſe ita digeſſit, capite X. alterum in fine prioris computi. de qua Nicephori caſtigatione nonnulla dicemus obiter, quæ ad illuſtrandam Gregoriani Kalendarii deſcriptionem, atque ab Scaligeri, & Calviſii oppugnatione vindicandam, hoc eſt ad lib. V. de Doct. Temp. [illegible] accommodata ſunt. *De Paſchalibus terminis.*

Qui Paſchales Neomenias, ac terminos in eo laterculo digeſſit, quo Catholici omnes à Nicæno tempore ad ætatem noſtram Eccleſiaſtica tempora gubernarunt; accuratos, ac cœleſtes Lunæ motus in ſtatuendis Neomeniis diligenter obtinuit. quo fit ut iis ferè diebus, quibus novilunia ſecundùm ὁμαλὴν κίνησιν commiſſa ſunt, exactè congruant. termini verò Paſchales, ſive decimæ-quartæ, biduo ſæpiùs plenilunia præcedant. propterea quòd decimo-ſexto die frequentiùs ab eo, qui Neomeniam habuit, plena Luna contingat. de quo in quinto de Doct. Temp. cap. XIII. Hinc non rarò ante Gregorianam editionem accidit, ut Paſcha uno die ante plenilunium incurreret. Poſt annos inde complures, cùm unius jam diei προήγησιν Luna feciſſet; termini veteres pridie ejus diei, quo media oppoſitio fiebat, propemodùm inciderunt. ut ex cap. XIII lib. V de Doct. Temp. conſtat. Exinde poſt aliquot ſæcula, alterius diei anticipatio mediam oppoſitionem veteres in terminos provexit. ut tum Paſchales termini revera eſſent plenilunia, & decimo-ſexto die ab Neomenia contingerent. quod quidem ſub Bedæ tempus evenit.

Iſaaci

Iſaaci porrò ſæculo paullò plus dierum trium προήγησιν: Gregorii XIII ætate, quatridui eſt ferè confecta. adeo ut Nicæni termini decimam octavam Lunam redderent. Huic incommodo Neomeniarum Paſchalium, ac terminorum tranſlatio remedium attulit; quæ cùm dierum præterea decem ablatione, quam ſolaris annus exigebat, tam opportunè ſacta eſt, ut ab antiquis terminis, ac Nicænis uno tantùm die deſcenderent. Anno Chriſti CCCXXIII, Neomenia Paſchalis cyclo 3 incidit in Martii XXIII, unà cum aſtronomica ſyzygia. Terminus, Aprilis V. Anno 1577, cyclo eodem novilunium commiſſum eſt Martii XIX. decima quarta Paſchalis, Aprilis Kalendis. Expunctis decem diebus Nicæna Neomenia cadebat in Martii XXIX diem: terminus in XI Aprilis. At hoc modo biduo circiter ante plenilunia ſæpè contigiſſent. Hoc ne fieret, Gregoriana correctio tam Neomenias, quàm terminos Paſchales uno die ſummovit; quaſi tridui tantummodò anticipationem Luna collegiſſet. Ita numerus aureus I, qui ad XX Martii progreſſionem feciſſe ponitur, ad XXX Martii deſcendit; ut terminus in XII diem Aprilis congrueret. Hinc enim accidit, ut termini ſæpius in eum diem concurrant, qui eſt pridie illius, quo plenilunium accidit. De qua re pleniùs actum eſt in V de Doctrina Temporum.

Ut ad ætatem Nicephori, & Iſaaci revertatur oratio; cùm tridui tunc Luna προήγησιν haberet; ſi quis prius inſtitutum retinere in Paſchali methodo caſtiganda voluiſſet; Neomenias, ac terminos anticipaſſet triduo ſolido. Sed hac ratione termini biduo perſæpè plenilunium anteveniſſent; uti Nicæno ſæculo eveniſſe diximus. Quare biduo in anteriora promovere ſatius fuit. quod & Nicephorus præſtitit. Sed non ob id, ut illi, quod dixi, incommodo ſubveniret; ad quod Gregoriani Kalendarii conditores reſpectum habuerunt. verùm quod ita perſuaſum haberent, terminos Paſchales Nicænos concurriſſe cum pleniluniis. qui fuit error Theophili, Cyrilli, ac reliquorum deinceps computatorum, ad Bedam, & infra ejus ætatem. quem nos in V de Doct. Temp. cap. XIII convicimus. Hinc eſt, quòd plenilunium ſæpè illi terminum appellant, vel quartam decimam, ut & Iſaacus noſter. non ea quidem ratione, quam Scaliger, & Calviſius defendunt. (tametſi Scaliger à Clavio noſtro dedoctus priſtina ab ſententia receſſit, ut eodem libro monſtravimus) quaſi numquam decimo quinto die ab Neomenia Paſcha celebrare licuerit: ſed vel in XXII uſque Lunam diſtundi neceſſe fuerit. verùm ideo, quòd Neomenia uno poſt ἀκριβῶς novilunium die collocaretur. Hoc ut tyrones capere meliùs poſſint, tabulas ſubiiciam duas lunaris unius cycli ad utrumque tempus, Nicæni Concilii, & Iſaaci Argyri. ut ex ambarum comparatione Lunæ anticipatio, & Nicephori caſtigatio intellectu ſit facilior. In utraque tabula verſus erunt VII. Primus aureum numerum dabit ſecundus cyclum Solis Romanum tertius Dominicalem litteram. quartus novilunium primi menſis verni cum charactere, ad meridianum Conſtantinopoleos. quintus diem civilem Juliani menſis; in quem Neomenia competere debuit. ſextus plenilunium menſis ejuſdem. ſeptimus plenilunii civilem diem. Ac tam in Neomenia, quàm in plenilunio id obſervamus, ut quoties horarum epilogiſmus duodecim horas excedit, quæ ab nocte media computantur; ad utrumque ſequens dies civilis adſcribatur. quod laterculum Nicænum minimè tenuit. Ut in anno primo, cùm novilunium ſexta ferè poſt meridiem hora diei XXIII Martii contigerit, Neomenia tamen XXIII ipſo die conſtituta eſt, quæ aſtronomico calculo in ſequentem refunditur. Has ſyzygias ex tabula cap. X lib. VII de Doctr. Temp. excerpſimus, quæ non minùs accuratæ ſint, quàm quæ ex aſtronomicis tabulis libri octavi conficiuntur; neque multùm ab illis diſcrepant; & propter adjunctum feriæ characterem, ad negotium opportuniores videntur.

Plen... quarta-decima?

Diagramma I Noviluniorum, ac Pleniluniorum mediorum primi menſis enneadecaëteridos Nicæna ad meridianum Conſtantinopoleos. Hora & ſcrupula à media nocte putantur.

	Aurei numeri	Anni Chriſti	Cyclus Solis	Littera Domi.	Novilunium medium	Dies Novilunii.	Plenilunium medium	Dies Plenilunii
					F. H.		F. H.	
	I	323	XXIV	F	Mart. 23. 7. 17. 49'. 35"	M. 24	Apr. 7. 1. 12. 11'. 32"	Apr. 8
	II	324	XXV	E D	Mart. 12. 5. 2. 38. 13	M. 12	Mart. 26. 5. 21. 0. 15	Mart. 27
E	III	325	XXVI	C	Mart. 31. 4. 0. 10. 54	M. 31	Apr. 14. 4. 18. 32. 56	Apr. 15
	IV	326	XXVII	B	Mart. 20. 1. 8. 59. 32	M. 20	Apr. 4. 2. 3. 21. 34	Apr. 4
	V	327	XXVIII	A	Mart. 9. 5. 17. 48. 10	M. 10	Mart. 24. 6. 12. 10. 12	Mart. 25
E	VI	328	I	G F	Mart. 27. 4. 15. 20. 51	M. 28	Apr. 11. 5. 9. 42. 53	Apr. 11
	VII	329	II	E	Mart. 17. 2. 0. 9. 29	M. 17	Mart. 31. 2. 18. 31. 31	Apr. 1
E	VIII	330	III	D	Apr. 4. 7. 21. 42. 10	Ap. 5	Apr. 19. 1. 16. 4. 12	Apr. 2[illegible]
	IX	331	IV	C	Mart. 25. 5. 6. 30. 48	M. 25	Apr. 9. 6. 0. 52. 50	Apr. 9
	X	332	V	B A	Mart. 13. 2. 15. 19. 26	M. 14	Mart. 28. 3. 9. 41. 28	Mart. 28
E	XI	333	VI	G	Apr. 1. 1. 12. 52. 7	Ap. 2	Apr. 16. 2. 7. 14. 9	Apr. 16
	XII	334	VII	F	Mart. 21. 5. 21. 40. 45	M. 22	Apr. 5. 6. 16. 2. 47	Apr. 6
	XIII	335	VIII	E	Mart. 11. 3. 6. 29. 23	M. 11	Mart. 26. 4. 0. 51. 25	Mart. 26
E	XIV	336	IX	D C	Mart. 29. 2. 4. 2. 4	M. 29	Apr. 12. 2. 22. 24. 6	Apr. 13
	XV	337	X	B	Mart. 18. 6. 12. 50. 42	M. 19	Apr. 2. 7. 7. 12. 44	Apr. 2
	XVI	338	XI	A	Mart. 7. 3. 21. 39. 20	M. 8	Mart. 22. 4. 16. 1. 20	Mart. 23
E	XVII	339	XII	G	Mart. 26. 2. 19. 12. 1	M. 27	Apr. 10. 3. 13. 34. 3	Apr. 11
	XVIII	340	XIII	F E	Mart. 15. 7. 4. 0. 39	M. 15	Mart. 29. 7. 22. 22. 41	Mart. 30
E	XIX	341	XIV	D	Apr. 3. 6. 1. 33. 20	Ap. 3	Apr. 17. 6. 19. 55. 22	Apr. 1[illegible]

Diagramma II Noviluniorum, ac Pleniluniorum mediorum enneadecaëteridis unius tempore Iſaaci Argyri ad meridianum Conſtantinopolitanum. Horæ & ſcrupula à media nocte putantur.

	Aurei numeri	Anni Chriſti	Cyclus Solis	Littera Domi.	Novilunium medium	Dies Noviluniorum.	Plenilunium medium	Dies Plenilunii.
					F. H.		F. H.	
	I	1368	V	B A	Mart. 19. 1. 13. 34′. 2″	M. 20	Apr. 3. 2. 9. 36′. 4″	Apr. 3
	II	1369	VI	G	Mart. 9. 6. 0. 22. 40	M. 9	Mart. 23. 6. 18. 44. 42	Mart. 24
E	III	1370	VII	F	Mart. 27. 4. 21. 33. 21	M. 28	Apr. 11. 5. 16. 17. 23	Apr. 12
	IV	1371	VIII	E	Mart. 17. 2. 6. 43. 59	M. 17	Apr. 1. 3. 1. 6. 1	Apr. 1
	V	1372	IX	D C	Mart. 5. 6. 15. 32. 37	M. 6	Mart. 20. 7. 9. 55. 39	Mart. 20
E	VI	1373	X	B	Mart. 24. 5. 13. 5. 18	M. 25	Apr. 8. 6. 7. 27. 20	Apr. 8
	VII	1374	XI	A	Mart. 13. 2. 21. 53. 56	M. 14	Mart. 28. 3. 16. 15. 38	Mart. 29
E	VIII	1375	XII	G	Apr. 1. 1. 19. 26. 37	Apr. 2	Apr. 16. 2. 13. 48. 39	Apr. 17
	IX	1376	XIII	F E	Mart. 21. 6. 4. 13. 15	M. 21	Apr. 4. 6. 22. 37. 17	Apr. 5
	X	1377	XIV	D	Mart. 10. 3. 13. 3. 53	M. 11	Mart. 25. 4. 7. 25. 35	Mart. 23
E	XI	1378	XV	C	Mart. 29. 2. 10. 36. 34	M. 29	Apr. 13. 3. 4. 58. 36	Apr. 13
	XII	1379	XVI	B	Mart. 18. 6. 19. 25. 12	M. 19	Apr. 2. 7. 13. 47. 14	Apr. 3
	XIII	1380	XVII	A G	Mart. 7. 4. 4. 13. 50	M. 7	Mart. 21. 4. 22. 35. 52	Mart. 22
E	XIV	1381	XVIII	F	Mart. 26. 3. 1. 46. 31	M. 26	Apr. 9. 3. 20. 8. 33	Apr. 10
	XV	1382	XIX	E	Mart. 15. 7. 10. 33. 9	M. 15	Mart. 30. 1. 4. 57. 11	Mart. 30
	XVI	1383	XX	D	Mart. 4. 4. 19. 23. 41	M. 5	Mart. 19. 5. 13. 45. 43	Mart. 20
E	XVII	1384	XXI	C B	Mart. 22. 3. 16. 56. 28	M. 23	Apr. 9. 4. 11. 18. 30	Apr. 6
	XVIII	1385	XXII	A	Mart. 12. 1. 1. 45. 6	M. 12	Mart. 26. 4. 20. 7. 8	Mart. 27
E	XIX	1386	XXIII	G	Mart. 30. 6. 23. 17. 47	M. 31	Apr. 14. 7. 17. 39. 49	Apr. 15

Ex horum Diagrammatum inter ſe comparatione liquet quanta Lunæ προήγησις conflata ſit ab Nicæno tempore ad Iſaacum; nempe ampliùs tridui, & horarum 8. Sumatur enim annus CCCXXIV, quo cyclus Romanus fuit 2, Conſtantinopolitanus 18, novilunium Martii 12, hora 2, 38′ à media nocte, Conſtantinopoli. & cum eo contendatur annus 1369 iiſdem cyclis præditus; cujus novilunium incidit Martii 9, hora 0, 23′ à media nocte. Et quoniam annus prior biſextilis eſt; poſterior proximus à biſextili; ideo detractis de poſteriore horis 6, ſubducantur dies 8, 18, 23′ de priore novilunio; diſcrimen erit dierum 3, horarum 8, 16′. Tanta eſt anticipatio Lunæ à Nicæno tempore, ad ætatem Argyri.

In Iſaacum animadverſa quædam. Ut autem quod de Iſaaci ἀκρισίᾳ priùs oſtendimus, certiùs appareat, quædam ab illo, cap. XVI computi, ſcripta ſuper lunari προηγήσει ad examen vocanda ſunt. Canonem Paſchalem, quem cap. X. propoſuit, cujuſque terminos Paſchales biduo Nicephorus anticipavit, conditum eſſe ſuſpicatur ante annos 608 quàm iſta proderet: quoniam biduum Paſchata Judaica moratur. etſi nondum expletos illos eſſe duos dies aſſerit; ſed de iis ſupereſſe adhuc horas tres; quibus exhauriendis anni octo, & triginta deſiderantur. Ibi. p. 171. Si quidem cyclo ineunte 3, (hic eſt annus Chriſti Dionyſianus 1373) plenilunium Judaïcum incidit poſt horas tres æquabiles ab ortu Solis diei VIII Aprilis. Erat annus Conſtantinopolitanus 6881. Itaque poſt annos triginta octo, videlicet anno 6919, qui eſt Dionyſianus 1411, plena fiet, inquit, bidui προήγησις. Hæc Argyrus. Et quidem revera anno illo, quem dicit, Chriſti 1373, Judaïcum plenilunium contigit horis circiter tribus poſt Solis exortum. Erat annus Judaïcus 5133; cujus Tiſri iniit Auguſti XXX, feria 2, anno Chriſti 1372, cyclo Solis Romano IX, littera DC. Nam illius character erat 2, 3, 606. Niſan autem character 5, 20, 757, feria VI ob tranſlationem; Martii XXV, Cyclo Solis Romano X, littera B, anno Chriſti 1373. Plenilunium ergo commiſſum eſt Apr. VIII, fer. 6, 15, 73½. hoc eſt horis 15, 73 poſt ortum Solis. Nam epilogiſmus Judaïcus ab occaſo Solis incipit. Sed mirus hominis ſtupor; qui non animadverterit terminos Paſchales, qui in laterculo deſcripti ſunt, qui Damaſcenus auctor inſcribitur, non alios eſſe, quàm Nicænos, quibus Theophilus, Cyrillus, & Catholici deinceps uſi ſunt. At Iſaacus circa annum Chriſti 765 canonem illum conditum, ac terminos eſſe conſtitutos exiſtimat. Detractis enim 608 de 1373, exiſtit annus 763. Sanè Joannes Damaſcenus eo ſæculo vixit. qui laterculi illius artificioſi conditor eſſe potuit; non tamen Terminos inſtituit. Sed Argyrum fefellit id, de quo paullò antè monui. Putavit eo tempore, quo Paſchales fixi ſunt termini; plenam Lunam in eos incurriſſe. quod quidem S. Damaſceni ætate contigit. cùm olim Nicæno ſæculo biduo ferè plenilunia prævenirent. Hic fons erroris eſt. cui proximè ſubjiciendus eſt alter, quòd Judaïcum Paſcha perpetuò decimam quartam Paſchalem Chriſtianorum eſſe velit; nec intelligat, Judæos ante vernum æquinoctium plerumque Paſcha celebraſſe. tum verò propter varias tranſlationes, in decimum quintum vel decimum ſextum diffudiſſe diem.

Quinetiam ridiculè Argyrus idem de æquinoctio verno abs ſe deprehenſo ante diem XV Martii ſcribit ex obſervatione ſolſtitiorum. Falſa obſervatio Argyri. quaſi non multò tutius, ac facilius ſit, æquinoctia ipſa obſervare per ſeſe, quàm ex ſolſtitiorum ratione colligere. Eſt enim horum animadverſio difficilis, & lubrica propter lentiſſimam & ἀναίσθητον progreſſionem Solis à Tropicis punctis. ut mirandum magis ſit, qualemcumque aſtronomum eam cognoſcendi verni æquinoctii rationem iniviſſe, quàm hac adhibita, triduo circiter aberraſſe. Nam verum æquinoctium vernum anno Chriſti 1372 commiſſum eſt Martii XII ineunte, feria VI hora 1, 11′ poſt mediam noctem, Conſtantinopoli. Quînam autem fieri poteſt, ut Iſaaci tempore æquinoctium incurrerit in Martii XV, vel XIV diem, cùm centum ferè pòſt annis, hoc eſt anno 1488, Joannes Regiomontanus idem repererit Martii XI, hora 3, 40′ poſt mediam noctem? quod & illi ex noſtris tabulis eruto ad Iſaaci tempus accommodatum eſt. Tum Copernicus anno 1516, Martii XI, hora 4, 20′ obſervavit. Falſa igitur obſervatio illa eſt Iſaaci Argyri. velut etiam cùm Ptolemæum addit æquinoctium deprehendiſſe Martii XXI; cùm certiſſimè conſtet idipſum Martii XXII poſt meridiem notatum ab illo fuiſſe. Denique quod ſcribit ante annos quinquaginta in oppido Thraciæ Æno Judæos Paſcha celebraſſe Martii XX, cùm Chriſtianum celebratum fuerit Aprilis XXIII; littera fuit A, & annus Chriſti 1318, cyclo Solis XI, Lunæ VIII. Neomenia Tiſri anno 1317 cyclo Solis X, littera B, Septembris VII, feria 4, 8, 286. Niſan Martii III, feria 6, 12, 724, anno 1318, littera A. Sed propter *Badu*, Neomenia fuit

fuit Martii IV, feria 7, 5, 40 ½. Si Neomenia Martii IV accidit; Paſcha celebratum eſt ad veſperam diei XVII, & poſtridie fuit prima dies Azymorum. Quare cum Iſaaci deſcriptione non congruit. Chriſtianum porrò, Nicænúmque Paſcha celebratum eſt Aprilis XXIII, cùm terminus in XVIII caderet, feria tertia.

CAPUT XI.

Altera methodus Paſchalis exponitur, quæ in S. Andreæ computo cernitur.

Est Græcorum computatorum & alia methodus ad Paſchales terminos, ſive Judaica Paſchata cognoſcenda; quam Chronicon Alexandrinum ſequitur. cui non multùm diſſimilis eſt ea, quæ in computo Andreæ Hieroſolymitani legitur; cujus declaratio ad ea, quæ capitibus antecedentibus explicata ſunt, non parum conducet.

Annis ab Adamo per 19 diſtributis, cyclum Lunæ, & ei congruentes epactas invenire jubet. His deinde dies XIII addere τὰς πρὸ τῶν φωστήρων, quæ antecedunt luminaria. item *προσελήνους antelunares* VII, tum ad complendam decimam-quartam, quot opus eſt dies adjicere. Facilis eſt methodus. A Calendis Martiis ad VIII uſque diem, quæ prima eſt Neomenia Paſchalis, dies ſunt VII. Ii propterea προσέληνοι vocantur; quia primam Neomeniam præcedunt. Inde ad XX Martii, dies XIII, qui πρὸ τῶν φωστήρων appellantur, eo quòd primam, ac citimam omnium decimam-quartam proximè antecedunt; quæ eſt XXI Martii. Luminarium autem oppoſitio fieri ab illis putabatur in termino Paſchali. Itaque citra ambages, dies XX ad epactas addendas eſſe præſcribi poterat. Jam ſi conflata dierum ſumma minor ſit quàm XLIV, reliquos adjice, donec XLIV compleas: quicquid additum erit, poſt XX Martii putabitur, oſtendétque Paſchalem terminum. Sin dies XLIV, aut plures etiam numerentur, tantum adde dierum, quantum neceſſe eſt, ut diebus ablatis, quatuordecim reſideant. & idipſum quod adjeceris, poſt XXI Martii putare incipe. Etenim decima quarta quælibet citra Martii XXI incidens nondum Paſchalis eſt. ob id calculus ultrà propagandus eſt. Eſto cyclus Conſtantinopolitanus XIV, qui eſt Romanus XVII. Epactæ ſunt IV, quæ cum XX Martii, conficiunt 24. Ut autem ablata integra ſyzygia, reliqui ſint dies XIV, adde 20. Fiunt 44 dies. Porrò addititii illi 20 à XXI Martii ad IX Aprilis perveniunt; quo die XIV Paſchalis convenit, cyclo Lunæ Nicæno XVII.

Rurſus cyclo V Conſtantinop. Romano VIII, epactæ XXV, quæ cum XX diebus Martii dant XLV. ut igitur LXXIV dies exiſtant, addendi XXIX. Fient 74. Detractis 60, reſidui ſunt 14. ceterùm ad 20 dies Martii, additis 29, & ex ſumma 49, deductis 31 Martii, reſtat Aprilis 18, in quam terminus Paſchalis Nicænus congruit, cyclo VIII.

At S. Andreas Cretenſis, ut idem terminus obtineatur, labentem Lunæ cyclum per XI multiplicat. Summæ collectæ ſex dies adjicit, quas ἀπ' αἰώνων vocat. uſque ad cyclum XVI. Cyclo verò XVII, XVIII, & XIX ſeptem addit. Poſt hæc integra ſumma per 30 tributa, quod reliquum eſt à Martio putari, eíque quantum dierum opus eſt addi præcipit, ut numerus ad quinquaginta perveniat, adeo ut etiam de Aprili aliquid adjungatur. Horum dierum ultimus Paſcha Judaicum erit. Cujus decreti, ne quid diligentiam noſtram effugeret, cauſſam eſſe comperimus.

Epactæ lunares, quæ Martium antecedunt, ſunt reſidui dies poſt ultimam ſyzygiam. quorum complementum ad XXX, lunationem eam perficit, quæ nondum Paſchalis eſſe poteſt. Igitur Paſchalis erit, quæcumque poſt ipſam, decimam-quartam habet in XXI Martii, aut proximè poſt XXI. Proinde ad epactam addere oportet, ultra complementum ejus, quo integra ſyzygia perficitur; dies XIV, ad decimam-quartam ſyzygiæ inſequentis obtinendam. quæ quidem ſi ad XXI Martii pervenerit; utique Paſchalis erit. Sin minùs; toti XXX dies addendi erunt, ut Paſchalis terminus habeatur.

Quocirca ad eum modum conformari regula iſta poterat: Ad epactam adjice quantum dierum opus ad complendos XLIV, à cyclo primo ad XVI. vel ad XLIII explendos in tribus cyclis reliquis, initio facto à Calendis Martiis, ſi quod deeſt majus eſt XX. Sin minus eſt; totam præterea ſyzygiam XXX dierum accommoda. Quicquid additum eſt, ſi à Calendis Martiis putetur, in terminum Paſchalem deſinet. Hæc regula eòdem cum illa S. Andreæ recidit. Nam qui ſex dies addit ad epactam; ac reliquum deinde numerat à Cal. Martiis, donec quinquaginta compleat; idem facit ac ſi diebus illis ſex non additis, ſolos XLIV expleret. Cùm autem Lunæ ſaltus, & ἐπεμβολὴ diei unius cyclo XVI contingat, qui eſt Alexandrinus XIX, ut ſuprà demonſtravimus; ideo numeri aurei cyclorum ſequentium uno die Neomeniam citiùs offerunt. Ob id ſeptem dies ad epactas addit Andreas cyclo XVII, XVIII, & XIX. & nos ad XLIII tantummodò compleri ſummam præcipimus; ut uno die antè, quàm in reliquis, Neomenia ſiſtatur. Quæratur exempli gratià terminus Paſchalis cyclo V. Epactæ ſunt XXV, ad eas adjectis VI, fiunt XXXI; & abjectis XXX, reſtat I. Adde itaque XLIX dies. déque iis Martii dies aufer XXXI, reliqui erunt XVIII Aprilis dies. Igitur Aprilis XVIII die terminus Paſchalis incidit cyclo Conſtantinopolitano V, qui eſt Alexandrinus VIII. At ſecundùm regulam noſtram; quoniam ad XLIV, deſunt dies XIX, qui numerus minor eſt viginti; idcirco accommodata integra ſyzygia, conſiunt dies XLIX; de quibus ſubductis Martii diebus XXXI, reſtant XVIII. Rurſus inquiratur terminus cyclo Lunæ XVIII. Epactæ ſunt XVIII. ad quas accedunt VII. ut fiant XXV. quibus ad quinquaginta deſunt XXV. Ergo Martii die XXV quartadecima Paſchalis incurrit cyclo Romano XV, Conſtantinopolitano XVIII. Idem fiet, ſi epactarum XVIII complementum ad XLIII, hoc eſt XXV numeres à Calend. Martiis. Hæc methodus locum habet in Nicænis ſyzygiis. Quòd ſi προηγήσεως lunaris rationem ducere quis velit; poteſt ad epactam dies addere totidem, quot Luna priſtinam epocham antevertit; ut Iſaacus Argyrus inſtituit.

CAPUT XII.

Declaratur uſus computi ſuperioris Græcorum, & præcipuorum feſtorum exemplis adſtruitur.

Superest ut Græci computi, quem accuratè hactenus enarravimus, uſum, ac fructum experiamur in feſtis illorum præcipuis indagandis, quæ nos mobilia vulgò nuncupamus. Ea porrò deſcribuntur in illorum Horologio, quod Venetiis editum eſt anno Chriſti 1535. Cujus in calcem annorum XL ſeries deſcribitur, ab anno Mundi 7044 ad 7083. quorum in ſingulis feſtorum, ac religioſorum dierum tempora continentur.

Primo loco ἡ παραμονὴ τῆς Χριστοῦ γεννήσεως ponitur; hoc eſt Vigilia Natalis Dominici; cujus feria notatur.

Secundò Κρεωφάγια, hoc eſt dies omnes à Natali ad Dominicam Sexageſimæ; quæ Ἀπόκρεως vocatur; quibus carnium eſus indulgetur.

Tertiò τὸ Τελώνιον, quæ eſt Dominica proximè antecedens Dominicam Septuageſimæ.

Quartò ἡ Ἀπόκρεως, Dominica Carniſprivii; quam Sexageſimam appellamus. à qua Græci abſtinere carnibus incipiunt, diebus ante Paſcha LVI. quod eo faciunt, ut XL dierum jejunium in ſolidum conſtet. Cùm enim Sabbato jejunare nefas habeant, uno excepto pridie Paſchatis; ſi de hebdomadibus VIII, diebus LVI, octo Dominicas, ac Sabbata VII expungas, reliqui dies erunt XLI. Nam poſtremum ſabbatum extra ordinem jejunio dicatur.

V Legale Paſcha. VI Chriſtianum Paſcha.

VII ἡ Κυριακὴ τῶν ἁγίων πάντων, *Dominica Sanctorum omnium*; quæ Dominicæ Trinitatis reſpondet.

VIII, Jejunium Sanctorum Apoſtolorum, quod Græci obeunt à Dominica Sanctorum omnium, uſque ad XXVIII Junii. Nam XXIX Junii SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli feſtum celebrant. Poſtridie τῆς συνάξεως τῶν δώδεκα Ἀποστόλων. Hoc porrò jejunium aliàs longius, aliàs contractius eſt. Totidem enim dierum eſt, quot à Paſchate ad tertium diem Junii computantur. ut Iſaacus docet capite XV. Nam à Paſchate ad Dominicam Apoſtolorum, dies ſunt LVII. A tertio Maii

ad XXVIII Junii, dies totidem. Quare dempto intervallo à tertio Maii ad Dominicam Apoſtolorum; unum idémque ſpatium erit à Paſchate ad tertium Junii, quod eſt à Dominica τῶν Ἀποστόλων ad XXVIII Junii.

Ut hæc omnia ſuperiori methodo expediri poſſint; unius anni διαχάραξιν ex Horologio proponemus.

Ἔτος ζμδʹ Ἰνδικτιῶνος θʹ, ἡλίου κύκλος ιϛʹ· σελήνης κύκλος ιδʹ. Ἡ προσμονὴ τῆς Χριστοῦ γεννήσεως, ἡμέρᾳ ϛʹ. κρεωφαγία ἡμέραι νζʹ. τὸ τελώνιον ἄρχεται Φεβρουαρίου ιθʹ. νομικὸν φάσκα Ἀπριλίου θʹ. Χριστιανῶν Πάσχα Ἀπριλίου ιϛʹ. κυριακὴ τῶν ἁγίων πάντων Ἰουνίου ιαʹ. ἡ νηστεία τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, ἡμέραι ιζʹ.

Anno 7044, Indictione IX, Solis cycli XVI, Luna XIV. Expectatio natalis Chriſti, feria VI. carnium eſus diebus LVII. Triodium incipit Februarii XIX. legale Paſcha Aprilis IX. Chriſtianorum Paſcha Aprilis XVI. Dominica Sanctorum omnium Junii XI. Jejunium Sanctorum Apoſtolorum, dies XVII.

Eſt hic annus Chriſti 1536. ut apparet, ſi de 7044 deducantur 5508. Cyclus erat Romanus ſolaris V, litteræ BA, Lunæ XIV. Anno antecedente, 1535 cyclo Romano IV littera erat C. ideo feria VI Decembris XXIV. Diviſis 7044 per competentes cyclos, prodibit Solis XVI, Lunæ XIV. Epactæ Lunæ IV. Adde XL dies, & detractis diebus Martii, relinquetur nonus Aprilis, quo terminus Paſchalis fuit. Concurrentes erant cyclo Solis decimo-ſexto V, quæ cum regulari Aprilis 1, & 9 diebus, efficiunt 15. detractis 7 reſidua eſt feria prima, in quam terminus incidit. Ideo Paſcha prorogatum eſt io XVI Aprilis. Jam ſi de Aprilis XVI die, id eſt de 107 à Calend. Januariis (ſuit enim biſextilis annus) ſubtrahas 57, relinquentur 50, ſive Februarii XIX dies, quòd Dominica ἡ Ἀποκρέως contigit. A viceſima quinta Decembris ad XIX Februarii, dies ſunt LVII. quibus carnibus veſci licet, ante quadrageſimale jejunium. Adde LVI dies ad Paſchalem Dominicam, quæ eſt XVI Aprilis; calculus deſinet in XI Junii, quæ erit Dominica Sanctorum. Intervallum à Paſcharc ad III Maii dies XVII, quot ab XI Junii ad XXVIII. Proiode jejunium Apoſtolorum dies habuit XVII.

Præter hæc feſta, quæ mobilia vocantur, memoratur apud Græcos ἡ μεσοπεντηκοστὴ, quæ eſt viceſimus quintus dies à Paſchate, ac ſemper feria quarta contingit. Igitur additis 24 ad diem Paſchæ, μεσοπεντηκοστὴ proveniet. Sic anno illo Chriſti 1536, ſi ad XVI Aprilis accedant dies 24, incidemus in X Maii, quæ fuit μεσοπεντηκοστή. Meminit hujus feſti Chronico Alexand. ut

Notæ ad Niceph. p. 109. ad Nicephori Breviarium obſervavimus. nec non Græcorum Horologium.

Ad extremum non eſt prætereundus error Maximi, qui eſt capite VIII primæ partis Computi. Ibi enim à Dominica Ἀποκρέω, quæ & προσέλευσις τῶν ἁγίων νηστειῶν dicitur, uſque ad Πάσχα νομικὸν, ſive ad XIV Paſchalem, dies computat LVII. Hoc modo Paſcha legale idem erit cum Chriſtiano. Nam à Dominica Sexageſimæ, quæ eſt ἡ Ἀπόκρεως, ad Paſcha, dies ſunt LVII. Ad terminum verò ſive XIV Paſchalem, interdum dies ſunt ut minimum quinquaginta: ad ſummum quinquaginta ſex.

C A P U T XIII.

Methodus computi Græcorum, qui à Maximo, Iſaaco, aliiſque traditus eſt, per Tabulas, & Canones expeditiſſima traditur.

NOn erit, opinor, ingratum ſtudioſis hiſtoriæ Græcæ, & Annalium lectoribus; magno certè iis adjumento fore confido, ſi ex iis omnibus, quæ de Græcorum æris ac computis copioſè hactenus explicavimus, methodus aliqua conficiatur, certos in canones redacta; quorum præſidio celeriimè quod quæritur inveſtigari queat. Hujus rei gratiâ Tabulas condidimus VI; quarum rationem, & uſum breviter ediſſeram. Prima Græci computi annos offert cum cyclis tribus. quæ eſt prorſus eadem cum tabula Periodi Julianæ libro VII de Doctrina Temporum capite IX deſcripta. Quamvis enim Græcorum computus non ſit artificioſa Periodus, & ad ſolam cyclorum methodum inſtituta, uti Juliana. tamen non minùs ille per cyclos integros diviſus, proprios offert anni cujuſlibet. Itaque à Periodo Juliana hoc ſolo differt, quòd hæc cyclos Solis, Lunæ, & Indictionis præbet Romanorum, ac Juliani anni peculiares. Græcus verò computus ſaltem cyclum Solis diverſum exhibet. Nam Alexandrinus in Lunæ cyclo convenit, Indictionem unitate minorem habet. Conſtantinopolitanus, ſolam Indictionem cum Juliana periodo communem parit. cyclum Lunæ Judaïcum. Quocirca diſcriminis cauſſâ, Julianam periodum appellamus eam, quæ Romanis cyclis ſervit: computum verò Græcum, vel æram, non periodum nominamus. Secunda Tabula cyclum Solis complectitur cum epactis Solis, ſive Concurrentibus; qui in utroque computo locum habent. Adjecimus & Dominicales litteras, non quæ cyclo Solari Græco congruunt; ſed quæ Romano tribuuntur. quod eò fecimus, ut ad eam veluti regulam uſus methodi ſequentis exigatur. Nam ut diei cujuſvis feria per concurrentes, & regulares inventa fuerit; probari per Dominicalem litteram debebit, ne quid erroris obrepſerit. Tabula tertia epactas menſtruas Solis, ſive regulares dabit in menſibus Julianis. quos quidem regulares ita diſpoſuimus, ut eodem initio utrique computo propoſito, nimirum ab Januario; varietas illa vitetur, quæ in Maximi, & Iſaaci methodo cernitur. In quartam tabulam Cyclum Lunæ, cum Epactis Maximi, & Iſaaci conjecimus: nec non Paſchales terminos, & regulares dierum, in quos incidunt Termini. Cyclus lunaris primus in Iſaaci computo, ſive Conſtantinopolitano, quartus eſt cycli Romani, quem eumdem eſſe docuimus cum cyclo Maximi, & Alexandrini computi. Idcirco Terminorum diverſa ſeries inſtituta. Quinta tabula regulares continet accommodatos utrique computo; ſic ut idem ad initium Januarii facilitatis cauſſâ referantur. Sexta denique periodos annorum 532 collectas exhibet. cujuſmodi Maximus, aliique Græci in ſuis computis uſurpant.

Tabula

Tabula I Cyclorum. In Hecatontadibus & Chiliadibus.

Centenarii collecti.	Cyclus Solis.	Cyclus Lunæ.	Indictio.
100	XVI	V	X
200	IV	X	V
300	XX	XV	XV
400	VIII	I	X
500	XXIV	VI	V
600	XII	XI	XV
700	XXVIII	XVI	X
800	XVI	II	V
900	IV	VII	XV
1000	XX	XII	X
2000	XII	V	V
3000	IV	XVII	XV
4000	XXIV	X	X
5000	XVI	III	V
6000	VIII	XV	XV
7000	XXVII	VIII	X
8000	XX	I	V
9000	XII	XIII	XV
10000	IV	VI	X

Tabula II Cycli Solis.

Anni	Concurrentes	Romanæ litteræ.
I	7	GF
II	1	E
III	2	D
IV	4	C
V	5	BA
VI	6	G
VII	7	F
VIII	2	E
IX	3	DC
X	4	B
XI	5	A
XII	7	G
XIII	1	FE
XIV	2	D
XV	3	C
XVI	5	B
XVII	6	AG
XVIII	7	F
XIX	1	E
XX	3	D
XXI	4	CB
XXII	5	A
XXIII	6	G
XXIV	1	F
XXV	2	ED
XXVI	3	C
XXVII	4	B
XXVIII	6	A

In Decadibus.

Anni	Cycli Solis	Cycli Lunæ	Indict.
10	X	X	X
20	XX	I	V
30	II	XI	XV
40	XII	II	X
50	XXII	XII	V
60	IV	III	XV
70	XIV	XIII	X
80	XXIV	IV	V
90	VI	XIV	XV

Tabula III epactarum menſtruarum Solis, ſive regularium in utroque computo.

Menſes Romani	Epactæ Cycli Alexandrini computi.	Epactæ cycli Conſtantinop. computi.
Ianuarius	1	2
Februarius	4	5
Martius	4	5
Aprilis	7	1
Maius	2	3
Junius	5	6
Julius	7	1
Auguſtus	3	4
September	6	7
October	1	2
November	4	5
December	6	7

Tabula IV Cycli Lunaris, cum Epactis, & Terminis.

	Epactæ Maximi	Epactæ Iſaaci.	Termini Paſchales in computo Alexand.	Regulares	Termini Paſchales in computo Conſtantinopolitano.	Regulares
I	9	11	Aprilis v	5	Aprilis II	3
II	20	22	Martii xxv	1	Martii XXII	6
III	1	3	Aprilis XIII	6	Aprilis x	4
IV	12	14	Aprilis II	2	Martii xxx	7
V	23	21	Martii XXII	5	Aprilis XVIII	5
VI	4	6	Aprilis x	3	Aprilis VII	1
VII	15	17	Martii xxx	6	Martii XXVII	4
VIII	26	28	Aprilis XVIII	4	Aprilis xv	2
IX	7	9	Aprilis VII	7	Aprilis IV	5
X	18	20	Martii XXVII	3	Aprilis XXIV	1
XI	29	1	Aprilis xv	1	Aprilis XII	6
XII	10	12	Aprilis IV	4	Aprilis I	2
XIII	21	23	Martii XXIV	7	Martii XXI	4
XIV	2	4	Aprilis XII	5	Aprilis IX	3
XV	13	15	Aprilis I	1	Martii XXIX	6
XVI	24	26	Martii XXI	3	Aprilis XVII	4
XVII	5	8	Aprilis IX	2	Aprilis • v	6
XVIII	16	19	Martii XXIX	5	Aprilis XXIV	2
XIX	27	0	Aprilis XVII	3	Aprilis XIII	7

Tabula V Regularium Lunæ in utroque Cyclo.

	Regulares Maximi.	Regulares Iſaaci.
Januarius	10	0
Februarius	11	1
Martius	10	0
Aprilis	0	1
Maius	1	2
Junius	2	3
Julius	3	4
Auguſtus	4	5
September	6	7
October	6	7
November	8	9
December	8	10

Tabella VI periodorum Victorianarum.

Numerus Periodorum.	Anni collecti.
1	532
2	1064
3	1596
4	2128
5	2660
6	3192
7	3724
8	4256
9	4788
10	5320
11	5852
12	6384
13	6916
14	7448
15	7980

Canones utriuſque computi.

Canon I.

Propoſito quolibet anno Alexandrinæ æræ, vel Conſtantinopolitanæ, cyclos ejus proprios cognoſcere.

Quæratur proximè minor ex Tabula prima in centenariis, & millenariis, eíſque competentes cycli adnotentur Solis, Lunæ, & Indictionis. reliqui deinde ex decadibus ſuppleantur. Tum cycli ſinguli in ſuo quique genere colligantur. quibus addantur excurrentes, ſi qui ſuperſint, ultra decadas numeri. Ita fient cycli proprii anni illius, qui proponitur: detractis de ſumma, quoad potes, integris cyclis.

Exemplum: Eſto annus ab Adamo computi Alexandrini 7034; Conſtantinopolitani verò 7050. hoc modo colliges cyclos utriuſque.

In Alexandrino	Cycli		
	Solis	Lunæ	Indict.
7000	24	8	10
30	2	11	15
4	4	4	4
Summa	6	4	14

In Conſtantinopolitano	Cycli		
	Solis	Lunæ	Indict.
7000	28	8	10
50	22	12	5
Summa	22	1	15

Anno ergo Alexandrinæ æræ 7034 cyclus erat Solis VI, Lunæ IV, Iodictio XIV. Conſtantinopolitanus verò 7050 habuit Solis cyclum XXII; Lunæ, I, Indictionem XV.

Canon II.

Edito quolibet anno utriuſque computi, noſſe quem ſitum habeat in Juliana Periodo, vel æra Chriſti Romana, & quibus cyclis Romanis affectus ſit.

Tria imprimis obſervanda ſunt: Primum æram utramque Græcorum ab Adamo ad annum primum æræ Chriſtianæ, excedere ſummam annorum periodi Julianæ, qui ad æram eamdem putantur. Alexandrina æra Periodum Julianam ſuperabat annis 779. Conſtantinopolinana 795. Alterum, annum æræ Chriſtianæ primum in Alexandrina numerari 5493: in Conſtantinopolitana, 5509. Tertium, Conſtantinopolitanam æram ſuperare alteram annis XVI. Itaque ſi ad annum quemcumque æræ Alexandrinæ, ejúſque cyclos per I canonem collectos, addas 16, efficies annos, cyclóſque Conſtantinopolitanæ; deductis integris cyclis; aut, ſi præciſus ſit calculus, totis ipſis aſſumptis, tamquam anni illius propriis. Ex primo ſequitur, ut annos primos amborum computorum in Juliana periodo deprehendas, oportere ad Periodum currentem integram aliam accommodare annorum 7980. Annus Periodi Julianæ 4714 eſt annus I æræ Chriſtianæ. adjuncta integra periodo colliguntur anni 12694.

His animadverſis, ſi annus Græcus propoſitus major ſit 779 in æra Alexandrina, detractis de eo 779, quod reliquum eſt dabit annum Periodi Julianæ, cui reſpondet. In Conſtantinopolitana verò, prodibit detractis 795. Reſiduo itaque per 28, 19, & 15 tributo, Romanos cyclos obtinebis. Sin minor eſt annus propoſitus quàm 779, aut 795; adjice ad annum Alexandrinum 7201. ad Conſtantinopolitanum, 7185: exiſtet annus Periodi Julianæ prolepticæ, & antecedentis; quo per cyclos tres diviſo, quod voles aſſequèris.

Annum porrò Chriſti labentem efficies in utravis æra, ſi de Alexandrina ſubducas 5492; de Conſtantinopolitana, 5508.

Exemplum: Annus Alexandrinæ æræ 7034, ſubductis 779 eſt 6255. Deductis autem 5492 eſt annus Chriſti vulgaris 1542. Sic annus Conſtantinopolitanus 7050, ablatis 795, relinquit 6255. ſubtractis 5508, reliquos facit 1542 Chriſti. quibus competentes Cyclos erues, ſi annos Julianæ Periodi conferas in tabulam I, nimirum hoc modo.

	Solis	Lunæ	Indict.
6000	8	15	15
200	4	10	5.
50	22	12	5
5	5	5	5
Summa	11	4	15

Igitur anno utrique Græco reſpondet Romanus Cyclus XI Lunæ IV, Indictio XV.

Rurſus, ſcire volo quotus trium cyclorum Romanorum congruat annis primis æræ utriuſque. Aufer annos 5493 de 12694, relinquetur annus 7201. Igitur annus primus æræ Alexandrinæ eſt Julianæ Periodi 7202. cui per Canonem primum debetur cyclus Solis VI, Lunæ, I, Indictio II. Item de 12694 deductis 5509, reſtant 7185. Igitur annus Per. Jul. 7186 eſt primus æræ Conſtantinopolitanæ. quæ proinde cœpit Romano cyclo Solis XVIII, Lunæ IV, Iodict. I.

Ex his compendium canonis oritur ejuſmodi: Invento cyclo Solis æræ Alexandrinæ adde 5. cyclo Lunæ 0, Indictioni 1, obtinebis Romanos illius anni cyclos. Conſtantinopolitanæ verò cyclis adde, ſolari, 17; lunari, 3, Indictioni 0. ut hæc tabella docet. Verbi gratiâ annus Alexandrinus 7034 per primum canonem

Adde Cyclo	Alexandrino	Solis	5
		Lunæ	0
		Indict.	1
	Conſtantin.	Solis	17
		Lunæ	3
		Indict.	0

cyclum Solis obtinet 6. adde 5 efficies 11. Cyclus Lunæ 4, additis 0 eſt 4. Indictio 14, addito 1 eſt 15. Sic anni Conſtantinopolitani cyclus Solis 22 auctus 17 tranſit in Romanum 11. lunaris, additis 3, ex 1 fit 4. Indictio eadem eſt 15.

Ceterum annos illos omnes Græcorum computorum à Cal. Januariis auſpicamur. tametſi civilis annus, & Indictio ab antecedente Septembri incipiant. quòd ſi quis imitari voluerit; Romanos cyclos unitate minuet in annorum ſingulorum exordio. idémque faciet in Græcis ipſis, uti feriæ, vel Lunæ conſequatur ætatem in primis IV menſibus, ex methodo ſequentium canonum.

Canon III.

Datis cyclis Solis ac Lunæ in Græcorum computis, invenire quotus ſit annus Periodi Victorinianæ; nec non ab Adamo. Item data præter illos cyclos Indictione, annum tam æræ Græcanicæ, quàm Periodi Julianæ, in quem tres illi cycli incidunt, eruere.

Cyclum Solis editum duc in 57, ac ſummam reſerva. Deinde cyclum Lunæ aufer ex 19; aut ſi 19 ipſe ſit, ſume 19. Eum numerum multiplica per 56. Quæ inde naſcetur ſumma, eam cum ſuperiore compone, quæ ex cyclo Solis ducto in 57 oritur. Quicquid ex ambobus conflatum erit, partire per 532. reſiduum erit annus periodi Victorinianæ. Hoc ſi adjeceris ad annum quem proximè minorem anno æræ Græcæ propoſito ſuſpicari potes; in tabula VI. habebis annum Græcum, cujus proprii ſunt cycli Solis, ac Lunæ in quæſtione poſiti. quo invento, per methodum canonis

antecedentis, exquires quem in annum Julianæ periodi, vel Chriſti competat. Quòd ſi præterea data ſit Indictio: quod ſuperſuit de ultima diviſione 532, per 15 divide, accommodata, ſi ita neceſſe eſt, integra periodo 15 annorum. quod inde ſupererit, retine, & indidem, aufer propoſitam indictionem, accommodato, ſi opus eſt, integro numero 15. reliquum duc in 1064. & ad ſummam adjice quod ſuperſuit de noviſſima diviſione per 532. Quòd ſi ſumma major eſt, quàm 7980, hunc ipſum numerum ex illa detrahe. Ita fiet annus ille, qui requiritur, ex quo in Juliana periodo proprium annum illius aſſequeris.

Exemplum: Chronicon Alexandrinum migrationem Iſraelitarum ex Ægypto ſtatuit eo anno, qui cyclum habuit Solis 2, Lunæ 19, cum Indictione 13. Quæro quotus ille computi Græci fuerit, & quidem Conſtantinopolitani. hunc enim iſte auctor adhibet. Primùm editis cyclis Solis ac Lunæ, ducendus eſt cyclus Solis 2 in 57, fiunt 114. Tum cyclum Lunæ 19 de integro cyclo ejuſdem Lunæ ſubtrahens, reſiduum habeo 19. quem numerum per 56 multiplico. Conſiunt 1064. quam ſummam ad priorem adjicio 114, ut fiant 1178. quibus per 532 diviſis, reliqua ſunt 114. Proinde Chronicon Alexandrinum ἔξοδον confert in annum 114 periodi Victorinianæ. Ut autem ſcias quotus ſit idem computi Conſtantinopolitani, conjectura opus eſt. Quoniam igitur Græci ex LXX Seniorum fide annos vulgò numerant ab Adamo ad Diluvium 2242. & à Diluvio ad Abraamum 1172. ſumma colligitur ab Adamo ad ortum Abraami, annorum 3414. Hinc autem ad migrationem ex Ægypto putant annos circiter 505. Quare colliguntur anni ferè 3919 ab Adamo ad ἔξοδον. Ut accuratum annum habeas Alexandrini Chroniei, quære in tabula VI annum proximè minorem eo, quem ſuſpicaris. qui ut major eſt anno 3724; ita minor 4256. Quocirca annos periodi Victorinianæ 114, adde ad 3724, efficies annum 3838, qui diviſus per cyclum Solis, ac Lunæ reddet Solis quidem, cyclum 2, Lunæ verò, 19. quod erat propoſitum.

Rurſus ſi præter duos illos cyclos, Indictio data ſit, 13, numerum 114, qui poſtremò relictus eſt ex diviſione per 532 inſtituta; per 15 partior. reſtant 9. de quo, additis 15, ſubtraho 13. reliqua fiunt 11. quæ ſi ducantur in 1064, ſumma erit 11704. ad quam adjice 114. & ex toto 11818, quoniam 7980 excedit, his deductis, relinquitur annus 3838. à quo ablatis 795, exiſtit annus in Juliana periodo 3043, qui reſpondet anno Conſtantinopolitano 3838. Hoc ut verum eſſe cognoſcas, ex methodo canonis antecedentis, ad cyclum Solis 2 Conſtantinopolitanum, adde 17. ad lunarem 19, adde 3, & ad Indictionem 13, adde 0. conficies cyclos Julianos, Solis 19 cum littera E; Lunæ, 3, Indictionem 13. quæ omnia congruunt in annum Per. Jul. 3043. qui centeſimus & quadrageſimus eſt ante veram epocham Exodi, quam in annum Per. Jul. contulimus 3183. Et quidem Chronicon ait anno illo, quem numerat 3838, feriam I contigiſſe Aprilis XIII, eodémque die quartam-decimam Niſan incidiſſe; ut minimè dubitandum ſit, quin & aureus numerus fuerit 3, & cyclus Solis 19, litteráque Dominicalis E.

Aliud exemplum: Chronicon idem annum conceptus Joannis Præcurſoris numerat ab Adamo 5505, ſi à Martio annus inchoetur, Indict. XIV, anno imperii Auguſti XXIX. quæ eſſe falſiſſima ex methodo noſtra ita colligemus. Diviſis annis 5505 per 28, relinquitur Solis cyclus 17. per 19 autem partitis, relinquentur 14. Verùm Indictio non XIV, ſed XV conſurgit ex diviſione per 15. Quæratur annus ille, in quem Ind. XIV cum cyclo Solis XVII, & Lunæ XIV concurrat. Primùm ducto cyclo Solis 17 in 57, efficiuntur 969. tum ablatis 14 de 19, reſtant 5. quæ in 56 ducta fiunt 280. additis 969, ſumma producitur 1249, quæ per 532 diſtributa relinquit 185. Igitur annus cycli Victorini 185 ille fuit, quem Chronicon ſignificat. Verùm Indictio, quam adjungit, ratiocinia conturbat. Nam ſi reliquos illos 185 per 15 partiare, reſtant 5. de quibus ablata Indictione propoſita 14, ſuperſunt 6. quæ in 1064 ducta conficiunt 6384. Adde 185, exiſtet annus 6569, qui cyclos exhibet, Solis XVII, Lunæ XIV, Indictionem XIV. Eſt autem annus Chriſti 1856. Vides abſurditatem. Quamobrem non ſatis commendari methodus iſta poteſt, quæ ad Græcorum annalium caſtigandos errores, præſertim Theophanis, majorem opinione fructum afferet.

C a n o n IV.

Propoſiti cujuſlibet diei feriam in Græcorum computo pronunciare.

INvento cyclo Solis in utroque computo per canonem I, huic congruentes epactas menſtruas adhibe ex tabula II cycli ſolaris. tum ex tabula III epactas menſtruas require. atque ad ſui generis concurrentes appone, hoc eſt ad concurrentes cycli æræ Alexandrinæ adde regulares computi Alexandrini. ad concurrentes verò computi Conſtantinopolitani, regulares ejuſdem. Demum ad conflatam inde ſummam, τὴν ποσαίαν, hoc eſt diem menſis adjice. Quod inde conficitur, per 7 diviſum, feriam demonſtrabit.

Exempli gratiâ: Sit annus computi Alexandrini 7034, Conſtantinopolitani verò, 7050. Prioris cyclus per canonem I confectus eſt VI. Concurrentes ex tabula II, ſunt 6. Velim ſcire feriam diei IX Aprilis. Regulares Alexandrini ex tabula III colliguntur 7. quibus ad 6 additis cum 9 diebus Aprilis; ſumma eſt 15. Proinde feriam dico fuiſſe I. Rurſus cyclus anni 7050 Conſtantinopolitani per eumdem canonem deprehenſus eſt 22. Concurrentes 5. Regulares Aprilis in ſecundo verſu regularium Tabulæ III ſunt 1, qui cum 5 concurrentibus, & 9 diebus Aprilis componunt 15. adeóque feriam I.

Experiamur an rectè poſitus ſit calculus per characteriſmum annorum Chriſti, vel periodi Julianæ. Annus Alexandrinus 7034, detractis 779, invenitur periodi Julianæ 6255. qui & idem provenit ablatis 795 de anno 7050 Conſtantinopolitano ex methodo canonis II. Sed & iidem anni conſpirant in annum Chriſti 1542, ſi ex Alexandrino abjecero 5492, & è Conſtantinopolitano, 5508. At tam annus Per. Jul. 6255, quàm Chriſti 1542, obtinet cyclum Solis Romanum XI, cui ex Tabula II competit littera A. Igitur veriſſimè pronunciata eſt feria I Aprilis IX die: quemadmodum in Græcorum Horologio legitur.

C a n o n V.

Ætatem Lunæ in dato quolibet anno ac die utriuſque computi deprehendere.

POſtquam cyclum lunarem, per canonem primum repereris; cum eo adi tabulam IV; cujus in primo verſu cyclum tuum requirito; tum è directo epactam illi reſpondentem. Si Alexandrini computi proprius eſt inventus à te cyclus, epacta illi reſpondens eſt ea, quæ Maximi dicitur. Conſtantinopolitano verò tribuitur altera, quæ Iſaaci inſcribitur. Confer te deinde ad Tabulam V regularium Lunæ; & propoſiti menſis regulares computi cujuſvis proprios excerpe. Summam ex epactis, & regularibus conflatam auge dierum numero, cujus in ultimo ætas Lunæ requiritur. Collecti dies illi, ac per 30 diviſi, quota ſit illo die Luna monſtrabunt.

Exemplum; Propoſitum ſit inveſtigare quota Luna ſit Aprilis 2 anni 7034 Alexandrini computi; & 7050 Conſtantinopolitani; quorum cyclos lunares confecimus canone I; illius quidem 4; hujus I. Igitur cum cyclo Alexandrinæ æræ 4, in tabula IV, invenio epactam XII. In tabula V, regulares Aprilis 0. Proinde epacta 12, & Aprilis dies 2 Lunam decimam-quartam offerunt illo die. At annus 7050 Conſtantinopolitanus epactas in IV tabula XI obtinet. regularem in V tabula, I. fiunt XII, & cum biduo Aprilis, XIV. Sanè in Horologio Græci Lunam illo anno decimam-quartam computant Aprilis ſecundo.

C a n o n VI.

Terminum Paſchalem ſive Paſcha Judaicum, ejúſque feriam in utroque computo reperire.

CUm cyclo lunari canone primo deprehenſo adi tabulam IV. In primo verſu cyclum tuum accipe; & ex

& ex directo Paſchalem terminum, cum ejus regulari tam in Alexandrina æra, quàm in Conſtantinopolitana. Exinde concurrentes cycli Solis anni propoſiti per canonem IV inventos, cum regulari Termini compone. Summa feriam dabit, adjectis ſeptem. Ut anno eodem Alexandrino 7034, cyclus Lunæ IV in tabula reſpondentem habet Terminum Paſchalem Aprilis 2, cujus regulares ſunt 2. Cyclus Solis VI concurrentes itidem dedit 6 per canonem IV. Ambo collecti feriam I exhibent.

Sic anno Conſtantinopolitano 7050, Cyclus Lunæ I Terminum offert in Tabula IV, Aprilis II, cum regularibus 3. Cyclus Solis ex can. I fuit 22. concurrentes 5. qui cum regularibus oſtendunt feriam I. qualem Græcorum Horologium demonſtrat.

Canon VII.

Paſcha Chriſtianum, ac præcipua Græcorum feſta quovis anno definire.

PAſchali Termino per ſuperiorem canonem animadverſo, ejúſque feria; ſi Dominica ſit, in ſequentem Dominicam diffunditur. Si alteram in feriam Terminus incurrat; proximè ſequens Dominica Paſcha Chriſtianum obtinebit. Invento Paſchate; feſta reliqua nullo negotio reperies. Hæc methodus & per ſe facilis eſt, & capite ſuperiori hujus libri continetur.

Caput XIV.

De certorum hominum Paſchali computo ac methodo, quos S. Maximus πεντακλῶντας, & ἑξακλῶντας nominat, nos undecuplatores *appellamus. quorum ratio propè inextricabilis viſa Scaligero, faciliimè declaratur. De iiſdem error Scaligeri.*

MAximus Martyr primæ partis computi, cap. XI, & XII; ac tota ſecunda parte contra certos computi artifices diſputat, quos πεντακλῶντας, & ἑξακλῶντας vocat; hoc eſt quinquies, & ſexies annos cycli lunaris multiplicantes. vel, ut uno verbo id exprimatur, undecies. quorum methodum ſecunda parte proponit; ſed obſcurè, ac perplexè; ut difficile ſit quid ſibi velit aſſequi, quod & Scaliger lib. II de Emend. Temp. fatetur, cap. de falſo cyclo Paſchali. Nos tamen aſpirante Deo, & ejuſdem ſanctiſſimi martyris precibus adjuti, tricas iſtas omnes pervicimus, ac totam illam methodum exploravimus. cujus hîc ſcientiam ſtudioſis adoleſcentibus impartiemur. Nam non ſolùm ad explicandum Maximi computum hæc à nobis opera requiritur. ſed eſt etiam ad Conſtantinopolitani computi, quem ſuprà declaravimus, illuſtrandam originem aptiſſima. Primùm itaque quæ diverſis locis de illis Maximus tradiderit, in unum colligemus.

Saltus Lunæ undecuplatorum. Τὸ πήδημα σελήνης, quem *ſaltum Lunæ* vulgares computi nominant, ait capite undecimo primæ partis ab illis conferri in annum cycli XI, qui eſt XIV Græcorum, & Romanorum. cujus Neomenia cœpit Decembris ultimo. annus ipſe verò deſinit in Decembris XVIII. Unde ſequens annus, qui cyclo affectus erat illorum XII, Catholicorum XV, à die XIX Decembris inibat; ita ut Luna XIV caderet in Kalendas Januarias. Quare annus cycli undecimus apud undecuplantes iſtos. (ſic enim appellare mihi liceat:) ſive decimus quartus orthodoxorum, diebus conſtabat trecentis quinquaginta tribus; ac diei unius ſuppreſſio fiebat Decembris XIX. ſiquidem Neomenia cycli illorum XII, noſtrorum XV, à XX Decembris, cui ex Alexandrinorum præſcripto erat affixa, ad XIX transferebatur; ut unus ille diſſimularetur dies. ac tunc decimus nonus Decembris numerari bis ſolebat, ut tam antecedentis poſtremus putaretur, quàm primus ſequentis. Rurſus cap. XII refert, illos ad exemptilem diem compenſandum, ſingulis annis addere ſexagenaria ſcrupula quinque. & ſic annis duodecim diem integrum colligi. ac demum eos ipſos ad annorum Adami computum annos XVI adjicere.

In ſecunda verò parte computi methodum illorum tribus figuris explicat. hoc eſt rota una, & laterculo, vel canone duplici: quorum alter ad ſiniſtram; alter ad dextram rotæ deſcriptus erat. ſed propter anguſtias chartæ ſupra ambos tota conſtituta eſt. Ex hac porrò methodo conſtat cyclum lunarem apud iſtos ternario minorem fuiſſe Græco, vel Alexandrino, qui idem & Romanus fuit. & primum undecuplantium eſſe Alexandrinorum quartum. horum verò primum illorum decimum ſeptimum. At Solaris cyclus ita ſe habet, ut undecuplantium primus ſit Græcorum, qui Alexandrinum computum unum de duobus adhibent, quos ſuperiùs expoſui, decimus tertius. Ideo, cùm cyclus Græcorum Alexandrinus primus reſpondeat ſexto cyclo Romano, ut cap. V hujus libri demonſtravimus; primus undecuplantium erit Romanus decimus octavus.

Termini undecuplatorum. Caput illorum methodi, ac præcipua reprehenſionis ſeges apud Maximum in terminis, ſive quartis decimis Paſchalibus conſiſtit, quòd illi eaſdem dies, quæ ab Alexandrinis, & Catholicis numerabantur decimæ quartæ, ſæpiùs decimas quintas, vel ſextas decimas potabant. quod ut via, & ratione facerent, propoſitum quemlibet annum cycli ſui primùm per quinque, deinde per ſex multiplicabant; hoc eſt in totum per undecim. tum ad ſummam inde conflatam dies adjiciebant; qui à Kalendis Januariis ad terminum Paſchalem illius anni numerabantur. Rurſus quot ii dies erant à Kalendis Januariis ad terminum, tot ſexageſimas unius diei capiebant. ad quas toties quinque alias ſexageſimas diurnas adjiciebant, quotus annus cycli putabatur. ſummam ſexageſimarum per 60 partitam in dies redigebant. quos ad priorem ὁμάδα dierum accenſebant. Hoc modo dies eadem, quæ quarta decima Nicæna erat, quinta decima ſæpè, hoc eſt in annis XIII; ſemel ſexta decima numerabatur, in anno decimo ſexto cycli. in ceteris hoc eſt in I, II, III, IV, & XVIII, quarta decima putabatur. Hinc illud eveniebat, ut Paſcha ex eorum ratiociniis Luna XXII, vel XXIII celebraretur; aliàs autem cum catholica regula conveniret. Quod antequam uſu ipſo, exempliſque declaretur; ſchematum trium, quæ in II parte deſcripſit Maximus, rationem reddemus.

In cyclo Victorini, qui eſt annorum 532 (hic enim præſens ad inſtitutum aſſumitur) cycli ſunt lunares, ſive enneadecaeterides octo & viginti: ſolaris item cycli, vel εἰκοσιοκταετηρίδες, novemdecim. In tota, aonæ, vel circuli ſunt novem. Primus, & extimus cyclum ſolarem continet, qualis adhibetur à Maximo, qui eſt Alexandrini Græcorum computi proprius. Secundus orbis epactas Solis, ſive concurrentes habet. Tertius biſextiles notat. Quartus, annos cycli ſolaris undecuplantium; qui ſic prioribus reſpondent, ut primus undecuplantium ſit iſtorum decimus tertius, atque ita deinceps. Quinque orbes reliqui annos continent cyclis ſolaribus & lunaribus notatos, in quibus terminus Paſchalis, ſive quarta decima Nicæna, quinta decima, vel ſexta decima putatur ab undecuplantibus. Ita porrò diſpoſiti ſunt interiores illi quinque circuli, ut cuilibet anno cycli ſolaris in quarto circulo, cellæ duæ ſubjectæ ſint cujuſlibet è quinque circulis. Harum cellarum, quæ ad lævam eſt, cyclum Solis; quæ ad dextram, cyclum Lunæ complectitur. Cycli verò Solis in quarto circulo indices unà ſunt enneadecaëteridum, ad quas ſubjectarum cellarum cycli ſolares, lunaréſque pertinent. Exempli cauſſâ ſit A, id eſt primus cyclus ſolaris undecuplantium in quarta zona, cui reſpondet in prima cyclus ιγ' id eſt XIII Alexandrini computi. Huic in quinta zona duæ cellæ reſpondent; quarum altera ſiniſtra cyclum Solis habet θ', id eſt 9. dextra quoque cyclum lunarem 9. quo ſignificatur, in anno eo primæ enneadecaëteridis, qui cyclo Solis, & Lunæ IX præditus eſt, Lunam decimam quartam Nicænam ab undecuplantibus putari XV. Quod quidem duplici de cauſſa poterat fieri. Aut enim propter intervenientem biſextilem diem: aut propter ſexageſimarum diurnarum epilogiſmos accidit. quibus annis biſextilis id efficiebat, iis ſingulare punctum Maximus adſcripſerat. ad eos autem annos, qui propter ſcrupulariam rationem idem obtinebant, duo puncta notaverat. tria denique ad eos annos, in quibus decima quarta putabatur ſexta decima. Sed ea puncta à librariis omiſſa erant in apographo. neque nos in illis reſtituendis anxiam magis, quàm utilem operam navare voluimus. præſertim cùm ex methodo noſtra de quolibet anno conſtare poſſit, an ejus XIV ſit XV, vel XVI. Sed Maximus admonet non omnes eos annos in interioribus V orbibus adnotatos eſſe, in quibus XIV Nicæna ſit ex

undecu-

undecuplantium calculo XV, vel XVI. Id enim in cyclis ſingulis quaterdecies accidit. ſed eos tantùm, qui eumdem terminum uno die, vel biduo ampliùs putatum conferunt in Dominicam. quod in V ad ſummum annis in quavis enneadecaëteride contingit. Ex duobus laterculis rotæ ſubjectis, prius ſiniſtri verſus embolimæos annos notatos habet. ſecundum annos cycli lunaris Alexandrini: cujus quartus reſpondet anno primo cycli lunaris undecuplantium; qui in tertio verſu deſcribitur. Quartus verſus epactas lunares continet, quales Maximus adhibet. Quintus, & poſtremus, terminos Paſchales, ſive XIV, quas ſæpè XV numerant illi; ſemel autem XVI; quinquies XIV. Laterculum dextrum totum Paſchati catholico ſervit. Nam terminum Paſchalem, ejúſque diem Julianis in menſibus offert in ſecundo, ac tertio verſu; Epactas in quarto. in quinto cyclum lunarem. Regulares, ſive [illegible] in primo non integræ à librario deſcriptæ ſunt.

Explicatur undecuplatorum methodus exemplis aliquot. Nunc uſum methodi exemplo uno, alteróve doceamus. Eſto annus ille, qui e meadecaeteridi primæ, ſive anno primo cycli ſolaris in quarto limbo proximè ſubjectus eſt in limbo V, cujus cyclus Solis eſt IX, Lunaris item IX. Primum inquiramus ex canone III capitis antecedentis, quotus annus iſte ſit computi Græci. Inveniemus eſſe annum ab Adamo 5861. qui per 28, & 19 diviſus, utrobique 9 relinquit. Cyclus lunaris IX undecuplantium eſt Alexandrinus XII, cujus decima quarta Paſchalis incidit in IV Aprilis, qui eſt 94 dies à Kalend. Jan. ut laterculum dextrum exhibet. Porrò undecuplantes decimam quartam illius anni computant decimam quintam. quod in ſiniſtro laterculo videre licet. & præterea methodus ipſa demonſtrat. Etenim ſi ad dies 94 addas 99, qui oriuntur undecuplato cyclo lunari IX, efficies dies 193 ſexageſimæ verò præterea 94, (quot videlicet à Kal. Jan. intercedunt dies) cum ſexageſimis 45, quæ ex annis 9 quinquies multiplicatis exiſtunt; propterea quòd anno cuilibet cycli quinque imputantur ſcrupula diurna; omnes, inquam, illæ ſexageſimæ numero 139, diviſæ per 60 biduum ſolidum efficiunt cum ſexageſimis 19. Abjectis reſiduis ſcrupulis, ſolóque biduo ad ſuperiorem ſummam dierum addito, conſiunt dies 195. quibus per 30 diſtributis, relinquuntur dies XV. Proinde quarta dies Aprilis, quæ eſt XIV Nicæna, ex illorum ſubductione fit XV. Videamus utrum in Dominicam ille terminus incurrat. Per canonem IV ejuſdem capitis epactæ Solis in anno illo ſunt 3, quæ ad menſtruas epactas Aprilis 1 additæ, & [illegible] Aprilis 4, oſtendunt feriam primam eodem illo die IV Aprilis. quod etiam ex canonis II doctrina colligitur. Quippe cyclus Solis Romanus, additis XVII: exiſtit XXVI; lunaris verò XII. Littera Dominical. eſt C. Igitur anno illo, decima quinta Paſchalis in Dominicam apud undecuplantes incidit; ac Luna XXII Paſcha celebratur. Propterea duobus punctis notandus iſte annus fuit. quem ſi reperire velis quotus Per. Jul. vel Chriſti fuerit, per canonem II expedies. Nam detractis 795 de 5861, relinquetur annus Per. Jul. 5063, qui eſt Chriſti CCCLIII. Cur autem ad Conſtantinopolitanum computum cyclus undecuplantium à nobis referatur, ſequens caput aperiet.

Rurſus, proponatur annus ille, qui in eâdem prima enneadecaëteride cyclum tam Solis, quàm Lunæ XVI habet. Hic erit annus Conſtantinopolitani computi 5868 per canonem III capitis ſuperioris. Terminus Paſchalis eſt Aprilis XVII. quam diem ſextam decimam pro XIV computant undecuplantes: ut eſt in ſiniſtro laterculo. Experiamur per ſcrupulariam methodum. Cyclus Solis XVI in computo Conſtantinopolitano, eſt Romanus V per canonem II. Ergo annus eſt biſextilis. Ideo à Kal. Jan. numerantur dies 108, non 107. Ductis 16 in undecim fiunt dies 176, qui cum 108, dant 284. ſcrupula 108 cum 90, quæ colliguntur ductis 5 in 16, efficiunt dies 3. & præterea ſexageſimas 27. quibus neglectis, & adjecto triduo ad dies 284, ſummáque 287 per 30 diſtributa, relinquuntur dies 17. Proinde Aprilis XVII, Luna erat decima ſeptimâ. Propter biſextilem itaque diem, terminus à XVII die Aprilis, ad XVI retrahebatur. quæ cùm eſſet fer. I, Paſcha in XXIII diem diffundebatur, quæ erat Luna XXIII. de qua re nihil nos Maximus docuit. qui biſextilis diei rationem illos habere ſcripſit; & quoties propter ipſum terminus in Lunam XV incurrit feria prima, hunc annum uno puncto notari. Nam cùm Luna eſt XVI, quacumque id ex cauſſa fiat, triplici puncto deſignatur. Quare triplex punctum anno illi tribuendum erat.

Ex his evidens eſt hallucinatio Scaligeri, qui undecuplantium illum cyclum explicans, aſſerit eos, quoties decima quarta Paſchalis putabatur decima ſexta, ſi in ſecundam feriam incurreret, antecedente Dominica Paſcha celebraſſe, Luna ipſorum XV, Nicæna XIII. quod eſt falſiſſimum. & contrarium diſertè Maximus affirmat: nimirum Luna ipſos XXII, & eodem die, quo catholicos, Paſcha ſuum obiiſſe; ſed catholicos Lunam XX numeraſſe, quam iſti biduo ampliùs putabant. Cùm autem Luna XVI in Dominicam incurrebat, utrique in ſequentem Dominicam Paſcha prorogabant; quam undecuplantes Lunam eſſe volebant XXIII; catholici XXI. Scal. lib. II. de Emend. p. 164. edit. novæ.

C A P U T XV.

Undecuplatores illos, de quibus agit Maximus, uſos eſſe computo Conſtantinopolitano, & Victorini, ſeu Latinorum methodo; ita tamen ut à Catholicorum inſtituto non abhorrerent, contrà quàm Maximus, & Scaliger arbitrati ſunt.

DUM attentiùs ea perſcrutamur, quæ de undecuplatoribus iſtis Maximus refert, haud vulgaria quædam animadvertimus; neque Maximo, ut apparet, ipſi cognita; neque Scaligero, qui Maximum explicare conatus eſt: & ad Græcum computum illuſtrandum imprimis utilia. Hoc igitur obſervatione ſedula comperimus; undecuplatores illos auctores fuiſſe computi alterius è duobus, quem Conſtantinopolitanum nominavimus; qui æræ Chriſtianæ primum annum offert in eo, qui eſt ab Adamo 5509. quod partim ex cyclis Solis, & Lunæ; partim ex annorum numero certò colligitur. Scribit Maximus capite XI partis I, cyclum Lunæ, quem illi numerant XI, eum eſſe; quem ipſe computat XIV. Lunaris cyclus Maximi idem eſt cum Romano, ut ſuprà demonſtravimus. Igitur cyclus primus undecuplatorum eſt Romanus, vel Maximi quartus; & primus Maximi eſt decimus ſeptimus illorum. Igitur cyclus lunaris undecuplatorum eſt idem cum Judæorum, ac Victorini, ſeu Latinorum cyclo. quem eſſe docuimus æræ Conſtantinopolitanæ proprium. Annus primus æræ Chriſtianæ Romanum cyclum habuit, Solis X, Lunæ II. Annus 5509 dat cyclum Solis XXI, Lunæ XVIII. Annus verò 5493, Solis V, Lunæ II. Ita lunaris cyclus Conſtantinopolitani computi diſtat à Romano, & Alexandrino, quem Maximus uſurpat, ſedecim; ita ut decimus ſeptimus Conſtantinopolitanus cum Alexandrino primo concurrat. Cyclus verò ſolaris Conſtantinopolitanus Alexandrino minor eſt duodecim, hoc eſt primus illius, hujus eſt decimus tertius. Quare cùm cycli Alexandrini ſolaris primus ſit Romani ſextus Conſtantinopolitani cycli primus erit octavus decimus Romani. quæ omnia undecuplatorum cyclo competunt. ut minimè dubium ſit Conſtantinopolitanum computum illos tenuiſſe.

Præterea quod Maximus ait, ad annos Adami addidiſſe illus ſedecim, conjecturam noſtram unicè confirmat. Hoc enim Conſtantinopolitano computo congruit. Siquidem annus primus æræ Chriſtianæ in Alexandrino numeratur 5493; in Conſtantinopolitano, 5509. Intervallum anni XVI. Hinc etiam illud apparet, verum id eſſe, quod antè ſumus odorati, quàm de undecuplatorum cyclo illo cogitaremus; Conſtantinopolitanum computum ad Victorii, ſive Latinorum methodum, & Judaicum cyclum lunarem accommodatum à Græcis fuiſſe. Cùm enim lunaris hoc cyclus ipſe perſuadet: tum quòd à Januarii Kalendis ratiocinia Lunæ dedocerent, ut teſtatur Maximus. quod & Latinos inſtituiſſe Beda memorat lib. de Temp. rat. cap. LIV. & Victorius ipſe in Præfat. ad Hilarum Papam, quam in Tomo II de Doctrina Temporum edidimus. adeò ut Kalendæ Januariæ canon fuerit Paſchalis ſyzygiæ. Accedit & cyclus ipſe, quo uſi illi ſunt, annorum DXXXII, cujus inventor fuit Victorius. Unde veriſimile fit à Latinis totum illud Græcos eſſe mutuatos ſub ætatem Maximi. Ex quo & hoc πόρισμα ſequitur; rectè nos contra

tra Scaligerum pertendiſſe, Conſtantinopolitanam æram longè eſſe recentiorem, quàm aut Panodori annorum 5492 ad Chriſtum uſque: aut Africani annorum 5500. Quippe Maximus ſic de computatoribus hiſce, qui XVI ad æram Adami adjecerunt, quaſi de recentioribus, & æqualibus penè ſuis, loquitur.

Quæ cùm ita ſint, de undecuplatoribus iſtis ea in-
telligenda ſunt omnia, quæ capite tertio de æra Con-
ſtantinopolitana ſcripſimus; imprimiſque ſic illos à La-
tinis, aut Judæis lunarem cyclum mutuatos eſſe, ut eo-
rum in Paſchate celebrando nequaquam imitarentur er-
rores: ſed cum catholicis eumdem diem obtinerent:
hoc uno diſcrepantes, quòd epilogiſmos Neomenia-
rum, vel terminorum aliter inſtituerent. Ac vehemens
eſt ſuſpicio, illos methodi tantum gratiâ, & ut verio-
rem Lunæ calculum aſſequerentur, ſcrupulariam iſtam
ratiunculam adjunxiſſe. Nam cùm à Judæis, aut aſtro-
nomicis tabulis intelligerent, novilunia Paſchalibus
eſſe Neomeniis anteriora; ſic ut eæ in lunarem φάσιν,
hoc eſt ſecundam lunam inciderent; & termini, ſive
quartæ decimæ in plenilunia ferè caderent: quod Ma-
ximi ſæculo potiſſimùm animadverſum eſt: rationem
aliquam inire ſtuduerunt; quæ ætatem Lunæ accuratiùs
redderet, quæque terminos, ſive Nicænas quartas de-
cimas, in quintas decimas; cujuſmodi ferè tum erant;
commutaret. Ad id ſexageſimarum epilogiſmos com-
menti ſunt; qui uno die, vel biduo ſummam augerent.
De hac μονοπλόῃ noviluniorum, ac Neomeniarum
Paſchalium fusè diſputavimus in V de Doctrina Tem-
porum, capite I, & XIII. ubi Nicænas cum iis con-
tulimus, quæ Dionyſii Exigui tempore fuerunt. Hinc
multa diſſolvi, explicarique poſſunt; quæ adverſus un-
decuplatores à Maximo, & Scaligero diſſeruntur. Si-
quidem illos extra culpam, & reprehenſionem fuiſſe
conſtat, ſi, quæ noſtra conjectura eſt, id unum in illa
methodo ſpectarunt, ut exactum Lunæ calculum πηχι-
κῶς, ac μεθοδικῶς traderent; non ut in Paſchate aliquid
innovarent. quod eos minimè feciſſe teſtis eſſe poteſt
Maximus ipſe; qui id unum, quod diximus, oppu-
gnat, ſanè non καίριον; nec ullius ad Paſcha momenti;
quòd perperam ſcrupulariam illam rationem admini-
ſtrarent. Atque hoc ipſos elegantiùs facere potuiſſe non
nego. ſed nihil hoc tamen catholicis ritibus adverſatur.
Nam quòd moleſtè fert Maximus quinque ſcrupula an-
nis ſingulis imputari ad exemptilem compenſandum
diem; non hac ſola de cauſſa id illos inſtituiſſe puto;
ſed ut terminum cum exactiori ætate Lunæ conciliarent.
Nihilominus & propter Lunæ ſaltum πηχικῶς uſurpari
potuit. quemadmodum Beda capite XL libri de rat.
Temp. ſaltum eumdem Lunæ, ſive diem exemptitium
per XIX annos cycli lunaris dividit; ut paullatim ac
per incrementa juſtus diei modus progreſſum habeat.
Atenim magnam ſcrupulorum iſtorum partem negli-
gunt, ait Maximus. Verum eſt id quidem. Nam ſo-
los integros dies ad ſummam accommodant. quicquid
reliquum eſt de ratiunculâ, etſi ad ſexaginta propiùs
accedat, penitùs omittunt.

Exemplum: Anno cycli undecuplatorum lunaris
XVIII, qui eſt Alexandrinorum II, terminus Paſcha-
lis erat Martii XXV, die 84 à Kalend. Januar. Du-
ctis annis 18 in 11, conſiunt dies 198, qui cum 84,
efficiunt 282. Scrupula deinde diurna 84 cum 90, qui
ex 18 per 5 multiplicatis oriuntur, dies conflant 2, &
54'. quibus ad dies 282 additis, ſummaque per 30 par-
tita, reſidui ſunt dies 14, 54'. Atqui terminus Paſcha-
lis cyclo XVIII nonniſi decima quarta computatur in
laterculo ſiniſtro. Apparet ergo, quamvis ſolidum
diem quàm-proximè ſexageſimarum calculus attingat,
niſi eumdem compleat, in numerum minimè procede-
re. quod ſanè ridiculum eſt, ut & Maximo videtur.
Neque tamen gravior inde, quàm ſtoliditatis adſcri-
benda illis eſt nota. ſiquidem in Paſchate nihil à catho-
licis diſcrepabant. Quòd enim de Luna XXII &
XXIII iiſdem objicitur, quaſi nefas ſit in illis Paſchâ
peragere, nihil ad rem pertinet. Etenim aliud eſt ſo-
licitare terminos ipſos, & antiqua ſtatione depellere:
aliud iiſdem hærentes diebus, uno die vel biduo am-
pliùs numerare. quorum prius ſine publica Eccleſiæ au-
ctoritate non licebat. poſterius eruditus quiſque rerum
aſtronomicarum, ante Gregorianam emendationem,
privatim citra reprehenſionem inſtituit. Hoc enim ni-
hil erat aliud, quàm à cœleſtibus noviluniis Lunæ æta-
tem arceſſere, non à Neomeniis civilibus, quæ paulla-
tim decoxerant.

Poſtremò de majoribus, ac Victorianis cyclis, qui- Pag. 155
bus uodecuplatores; imò Græci omnes in ſuis compu-
tis uſi ſunt, ſciendum eſt, ab Adamo illos incipere. ut
ex calce computi Maximi colligitur. Ibi enim cycli
undecim explicantur ab orbis initio; annique in quos
ſinguli deſinunt notantur. Horum ultimus terminari
dicitur io anno XXIV imperii Conſtantini, qui pu-
tatur 5852. Detractis ex methodo canonis 2 capitis
XIII, 779, reliqui fiunt anni periodi Jul. 5073, qui
eſt annus Chriſti communis CCCLX. Quare pro
Κωνσταντίνου leg. Κωνσταντίου. fuit enim XXIV Conſtantii.
Igitur in æra Alexandrina, duodecimus cyclus Victo-
rii iniit anno Chriſti CCCLXI. Jam verò deductis 795
de annis 5852, reſtat 5057 Periodi Jul. qui eſt Chriſti
vulgaris CCCXLIV, quo in computo Conſtantinopoli-
tano, & undecuplatorum terminatus eſt undecimus Vi-
ctorii cyclus; & duodecimus anno ſequente CCCXLV
inchoatus eſt. Quamobrem ſi annos ſolos ærarum Græ-
carum adhibeas; iiſdem annis deſinunt, ineúntve Vi-
ctoriani cycli. Sin ad annos æræ Chriſti communis re-
feras, annis ſedecim tardiùs in Alexandrina, quàm in
Conſtantinopolitana finiuntur; quandoquidem tot an-
nis major eſt ſumma ab Adamo ad initium æræ com-
munis in poſteriore computo, quàm in Alexandrino.

F I N I S.

INDEX AUCTORUM,

QUI IN DISSERTATIONIBUS CITANTUR, ILLUSTRANTUR, EMENDANTUR.

A.

ABEN *Ezra*, 50. 56. *Caput integrum Latinè redditum*, 57
Accurſius, 88. 89
Achilles Tatius, 1. 3. 38. 40. 41. 42. 47. 93. 118. 127
Ælianus notatur, 126
Aetius illuſtratur, 142
Africanus illuſtrat. cap. II Libri VIII.
Agatharchides illuſtratur, ac refellitur toto cap. VI Libri VI.
Ammianus, 43. 105
S. Andreas Cretenſis illuſtratur, cap. XI Libri VIII.
Apuleius illuſtr. 127
R. Arama, 93
Aratus, 40. *illuſtratur*, 41. *cit.* 50. 53. *error*, 67. 82. *cit.* 118. *illuſtr. cap. IX Libri VI. & cap. XI Libri VI.*
Archilochus, 54
Ariſtophanes, 77. 82. 83. 114. 124. *illuſtr. cap. VII Lib. VII.*
Ariſtophanis Scholiaſtes, 82. 83. 114. *illuſtr. cap. VII Lib. VII.*
Ariſtoteles, 40. 50. 51. 89. *explic.* 96. 97. *citat.* 123. *illuſtr.* 125. *& cap. VII Libri VI. corr.* 126. *illuſtr.* 127. *& cap. X Libri VI.*
Arundellianorum marmorum editor, 97
Aſconius, 117
Athenæus emendatur, 84. *cit.* 143
Auguſtinus, 50. 92. 99
Avienus, 41. 50. 51. 53. 131
Auctor Libri de bello Africano, 117

B.

B*Eda*, 159, 176
Benjamin Tudelenſis, 97
Biſciola, 55. 110

C.

C*Æſar illuſtr.* 116
Qu. Calaber, 51
Calendarium Romanum, 98
Calviſii error, 115. *& ſeq.*
Caſaubonus, 84. 143. *notatur*, *ibid.*
Canon Ptolemaicus, 107. 159. 160
Cedrenus, 77. 155. 157. *illuſtratur*, *& notatur*, 162
Cenſorinus, 77. *illuſtr.* 78. 79. *cit.* 80. 89. *illuſt.* 90. 104. 107. 108. 109. *citat.* 100. 111. 114. 116. *illuſtr.* 136
Chaldæus Paraphraſtes, 50
Chronicon Alexandrinum notatur, 155. 157. 168. 169, 170
Cicero 50. 53. 67. 92. *illuſtr.* 85. *citatur*, 89. *illuſtr.* 90. *cit.* 92. *illuſtr.* 109, 114. 116. 117. *cit.* 118. 128. *illuſtr.* 147
Clavius, 65. 98. 149
Clemens Alexandrinus, 42
Cleobulus, 97
Cleomedes, 38. 92. 96. 147
Codex Theodoſii, 109
Codex Juſtiniani, 89
Columella refellitur, 42. *cit.* 43. 44. 49. 51. 52. 53. 55. 127. 130. 131
Concilia vetera, 110
Concilium Cæſarienſe, 157
Contarenus, 95
Copernicus, 64. 168
Cujacius, 88. 89
Cyrillus, 167

D.

D*Alecampius*, 109
Damaſcenus, 166. 168
Damaſcius, 145
David Kimhius, 50
Democritus, 142
Demophilus, 47
Demoſthenis interpres, 85
Delrius, 50. 103
Deuteronomium, 50
Dio Nicæus, 110. 111. 116
Diodorus Siculus, 76. *illuſtr.* 85. 90. 96. 99. 105. *cit.* 125
Diogenes Laërtius, 79. 85. *explic.* 96. *cit.* 144
Dionyſius Exiguus, 159
Dionyſius Halicarnaſſeus illuſtr. 96. 113. 120
Diſtinc. de Conſecr. 97

E.

E*Cclefiaſticus*, 93
S. Eligius, 97
Epiphanius, 95. *illuſtr.* 114. *cit.* 119. 156. *illuſtr.* 159
Eſaias illuſtr. cap. IX Lib. VII.
Eudoxus, 40. 45. *defenditur*, 62. *& ſeq. citatur*, 64. *explicatur*, 65. 66. *cit.* 142
Euclides, 146. 147
Euripides illuſtratur toto cap. XIV Libri V.
Euſebius, 155. 159
Euſtathius, 50
Exodi liber, 57. 146

F.

F*Agius*, 50
Faſti Capitolini, 115
Firmicus illuſtratur, 3. *citatur*, 46. *illuſtratur*, 47. 49. *cit.* 52. 55. *illuſtr. cap. XII Libri VI. cit.* 139
Fragmentum Eratoſthenis nomine inſcriptum, 65. 66

G.

G*Alenus*, 55. 91. *locus eximiè illuſtratur toto capite XII Libri IV. cit.* 98. 99. 126. 127
Gauricus, 45
Gaza, 85. 93. 99. 119. *error*, 125
Geminus, 1. 3. *reprehenduntur errores illius*, 4. 5. *cit.* 28. 38. 39. 42. 45. *illuſtratur*, 45. *refellitur*, 46. *& ſeq. citatur*, 48. 49. 50. 53. 54. 55. *error*, 67.

citatur,

citatur, 75.76. illuſtr. 76.78 & ſeq. item 79. & ſeq. illuſtratur, cap. VI Libri IV. citatur, 83. 90. 96. 104. 114. 122. 127. 137. 140. 142. illuſtrat. cap. X, & XI, XII, & XIII Libri VII. caſtig. 150
Geneſis, 50. illuſtratur toto cap. II Libri V.
Georgius Syncellus illuſtratur Libro VIII, cap. I, & V. citatur, 162
Germanicus Arati interpres, 64. notatur, 64. 65
Gregorius Papa, 97

H.

HArpocratio illuſtr. 124. & ſeq.
Hephæſtio, 134. 136
Herodotus illuſtratur, 76. & ſeq. explicatur, 76. & ſeq. cit. 88. explic. 96. 97. 112. 144
Heſiodus, 46. 49. 51. 54. illuſtratur, 95. 98. illuſtrat. cap. V Libri VII.
Heſychius, 54
Hieronymus, 50. 124. 155. 159
Hipparchus, 38. 39. illuſtratur, 39. bis emendatur, ibid. illuſtratur, 40. refellitur, ibid. & 41. citatur, 42. 43. 44. emendatur, 44. cit. 45. 50. 55. 62. refellitur, 62. & ſeq. cit. 64. 65. refellitur, 66. & ſeq. citatur, 66. 67. illuſtrat. 69. & ſeq. defenditur, 71. & ſeq. 128. 129. 131. 138. illuſtr. 138. 139
Hippocrates, 54. 75. 89. explic. 96
Homerus, 54
Horatius, 55. 83. 127
Horologium Græcorum illuſtratur cap. XII. Libri VIII.
Horus Apollo, 54. 96. 105. 107. 108. 145
Hyginus, 38. 50. 64. error, 67

I.

IDacius, 110
Joannes Prothoſpatharius, 91. 96
Joſephus, 57. illuſtratur, 103
Joſue, 56. 57
Iſaacus Argyrus illuſtratur toto ferè Libro VIII. ejus errata cap. X Lib. VIII.
Iſidorus Peluſiota, 56
Iſidorus Mercator, 110

L.

LEo Papa.
Leviticus, 56. 57. 146
Livius explicatur, 115
Lucanus, 124. 125. 136
Lucianus, 143
Lucilius, 110

M.

MAcrobius, 38. 42. 90. 110. 111. 115. 146
Maginus, 60. 64
Manilius, 46. 47. 52. 55. 56. 127. 134. 139. illuſtrat. cap. XIV Libri VII.
Marcus Evangeliſta illuſtratur, 57
Marinus, 64. 150
Martianus Capella, 41
Mathiolus, 125
S. Maximus illuſtratur toto Libro VIII.
Menander, 143
Mercerus, 50
Mirandulanus, 38. 48
Miſcella auctor, 154
Moſchopulus, 91. 96. 97
R. Moſes Maimonides, 56
Mullerius, 117
Munſterus, 50

N

NEemias illuſtratur, 146
S. Nicephorus, 154. 157
Nicephorus Gregoras, 166
Numeri, 57

O

ONufrius, 116
Ovidius, 43. 49. 50 52. 53. 109. errat, 111. & 127. illuſtr. cap. VI Libri VII.

P

PAlladius, 55. 136. refellitur cap. VII Libri VII.
Panodorus illuſtrat. Libro VIII cap. II. & III. IV. & V.
Papinianus, 88
Paulus Alexandrinus, 46. 47. 127. 132
Pauli Alexandrini Schol. 132. 133
Guil. Peliſerius, 108
Perrerius, 50
Philo Judæus, 96
Photius, 114. 125. 145. notatur & illuſtr. cap. II Libri VIII.
Plato, 92
Plinius, 136. illuſtrat. cap. III Libri VII. citatur, 139. error, 140. ibid. illuſtratur. citatur, 144. 146. illuſtratur, 147. notatur, ibid. caſtigatur, 147. 148. citatur, 150. illuſtratur. 3. citatur, 28. 37. 43. 44. caſtigatur, 44. citatur, 45. 49. 50. caſtig. 49. cit. 49. 50. 51. explic. 52. error, ibid. cit. 53. 54. 55. explic. & caſtig. 56. illuſtr. 85. 97. 105. 108. ubi & caſtigat. illuſtr. 109. emend. 109. 122. 126. 127. defenditur cap. VIII Libri VI. cit. 128. 130. 132. illuſtratur, cap. II Libri VII. caſt. 132. 134. 136.
Plutarchus, 75. 79. 83. 84. 91. illuſtratur, 97. 98. 109. 114. 123. 128
Pollux, 93. caſtig. 97. cit. 144
Polybius, 49. errat, 115. citatur, 147
Polyænus, 98
Porphyrius, 42
Poſidonius, 38
Proclus, 76. 91. 96. 97. illuſtratur, 123. 124. caſtig. 128. 146. illuſtratur, Libro VII cap. X, XI, XII, XIII.
Ptolemæus in magna Conſtr. 2. 5. 25. 45. 51. illuſtratur, 60. 65. 71. 84. 85. 105. 120. illuſtratur, 120. & ſeq. 130. 138. 145
Ptolemæus in Tetrabiblo, 46. 47. 127
Ptolemæus noſter de inerrantibus, 43. 45. 49. caſtigatur, 49. citatur, 49. 50. 55. 56. 128
Ptolemæi Geographia illuſtratur, 63. 64. nec non, 150
Ptolemæus de ortu inerrantium à Leonico editus, 27. 43. 49. notatur, 52. 53. 140

R

REgiomontanus, 64. 168
Regum liber, 110. illuſtratur, capite IX Libri VII.
Ruellius, 125

S.

SAcroboſcanus, 137
Scaliger refellitur, 40. & 44. refellitur 45. toto cap. VI, item 47. & 55. refellitur toto Libro III. & 115. & cap. X Libri VI. refellitur cap. XIV Libri VII. & 153. 154. 155. refellitur cap. VI Libri VIII, & cap. VII. & pag. 164. 165
R. Selomoh, 50. 145. 146
Seneca Philoſophus, 93. 109
Sepulveda, 95
Servii error, 41. & 44. citatur, 50. error, 51
Sextus Empiricus, 38. illuſtratur, ibid. & 42
Sextus Rufus, 110
Sigonius, 116
Solinus, 90. 110. illuſtratur, 111. 112. 130
Stephanus, 128
Stephanus Gobarus, 114
Strabo, 64. 106. illuſtr. 107. illuſtratur, 147
Suetonius, 109. 111
Suidas, 96. 97. 124

T

TAcitus, 109
Talmud, 56
Theo Arati Interpres, 50. 51. 52. 53. 55. 56. 66. 67. 82. *ubi & caſtig. cit.* 87. 88. *illuſtr.* 91. *cit.* 93. 118. 127. 132. *illuſtratur, cap. IV Lib. VII. caſtigatur*, 140
Theonis πρόχειροι κανόνες, 104. *emend.* 106. 107. 159
Theophanes, 154. 155. 161. *notatur*, *ibid.*
Theophilus, 156, 157. 167
Theophraſtus, 2. 48. 49. 53. 89. 123. 125. 128. 129. *illuſtratur*, 131
Thucydides, 99
Tycho Brahe, 21. 42. 141
Tzetzes emendatur, 3. 91. 96. 133

V

VArro, 43. 44. *caſtigatur*, 44. & 50. *citatur*, 51. 52. 53. 55. 83. 93. 96. *explicatur*, 97. *cit.* 109. 112. 116. 127
Godef. Vendelinus, 42. 53. 104
Victorius, 145. 176
Virgilius, 41. 50. 51. *locus obſcuriſſimus*, 51. *illuſtratur*, *capite III Libri VII.*
Vitruvius illuſtratur, 128

X

XEnophon, 99
Xylander, 64. 107

INDEX RERUM MEMORABILIUM,

QUÆ IN DISSERTATIONIBUS CONTINENTUR.

A.

ABderitarum mos in ludis, Lib. IV, cap. VII, 84
Ægyptii annum à Cancro qua ratione cœperint, Lib. II, cap. IV, 42. eorum annus illuſtratur, Lib. V, cap. III. nullam habebat appendicem horarum, *ibid.* neque intercalationem, 105. vide & caput V. annus illorum triplex, 108
Ælurus horologii monſtravit uſum. Lib. VII, cap. VII, 146
Æquinoctialis, ad eum priſci longitudines ſtellarum referebant, Lib. II, cap. I. 37. priùs, quàm Zodiacus, in duodecim ſigna diviſus eſt, 38. Æquinoctialis Eudoxi & Arati ad examen vocatus, Lib. III, cap. VI. Æquinoctialis circulus à Scaligero confictus, & Hipparcho ridiculè tributus refellitur, Cap. IX.
Æquinoctia, vide in Cardines.
Æquinoctium falsò ab Argyro notatum, Libro VIII, cap, X. 168
Æra Hiſpanienſis, Lib. V cap. VIII. ejus uſus, & origo, ac notatio nominis, 110
De Æris Græcorum, vide Computus.
Æta Chriſtiana à Panodoro videtur manaſſe, Libro VIII, tap. III, 156
Africani computus, Lib. VIII cap. II. Ceſti ejuſdem, 156. & Cap. IV.
Agatharchidæ ætas, Lib. VI cap. VI.
Alexandrini anni epocha, Lib. V cap. IV, 107
Alienſis clades perperam à Polybio notata, Lib. V cap. XII, 115
Anaximander primus obliquitatem Zodiaci reperit, Lib. I cap. I, 38
Annus Atticus inibat à ſolſtitio Lib. XI cap. II, 120
Anni Græci, & Attici ratio ſummatim tradita, Lib. IV cap. I. ad Lunam etiam initio directa fuit: ita tamen ut tricenarii primò menſes forent, ibidem, & capite II. Intercalabantur menſes tricenarii, 76. quo ſenſu dicat Geminus menſes illos ad Lunam, annos ad Solem exegiſſe, Cap. IV. Lunarem fuiſſe Atticum annum, Cap. V probatur, 78, 79. item cap. VI, & VII. De Græco universè, cap. X. De anno Attico latè diſputatur, Lib. V cap. X. ubi & nova periodus confutata.
Annus Romanos vetus explicatur, Lib. V cap. VII. & nova illius ratio confutatur, Capite XII.
Annum Romani à Capricorno, Ægyptii à Cancro cœperunt, Libro II Cap. IV, 42. caplicatur à Galeno, Lib. IV cap. XII, 94
Anno Solari opertaneo uſi ſunt Græci, Libro IV, cap. XI. hunc ab Ægyptiis didicerunt, 93
Annus, cujus menſes lunares ſint, non poteſt eſſe Solaris, ſi de ſimplici anno ſermo ſit, Libro IV cap. VI. Anni menſura Solis eſt motus, Lib. IV. cap. XI, 92, 93. de anno Græco Ariſtotelis, aliorúmque dicta, Cap. XIII, 96
Annus Judaïcus an lunaris initio fuerit, Lib. V. cap. I.
Annus Patriarchicus, ſive Diluvii tempore quis fuerit, Lib. V. cap. II.
Annus Confuſionis explicatur, Lib. V. cap. IX. menſes habuit, XV, dies CCCCXLV. aut uno minùs, 111. Vide & caput XIII.
Antiſcia ſigna quid ſint. Lib. II, cap. VII, 46, 47
Aquilæ ortus, Lib. II cap. VIII, 50. Vide & Libro V cap. XIV, 117, 118
Aratus Eudoxum ſecutus, & rudis aſtronomiæ, Libro III cap. V, 66, 67. quòd Eudoxum ſecutus ſit oſtenditur Libro VI capite IX, 128
Arbellica victoria, Lib. IV cap. VII, 84. & cap. XIII, 98. & Libro V cap. V, 123, 124
Arcticus circulus Eudoxi, & Arati ad examen vocatus, Lib. III cap. VI.
Arcturi ortus ex variis auctoribus, Lib. II cap. VIII, 48, 49
Arietis ſtella, Lib. I cap. IV, 42, 43
Aſcenſiones ſunt *συνανατολαὶ*, deſcenſiones *συγκαταδύσεις*, Lib. I cap. III.
Aſiatici uſi anno Juliano ætate Galeni, Lib. IV cap. XII, 95
Aſtrum quid à ſtella differat, Lib. II cap. III, 41
Atticus annus, vide in Annus. Epiphanii ætate Julianus erat, Lib. IV tap. XII, 95. & Libro V cap. X. ubi & nova periodus Attica refellitur, Cap. XI.
In anno Attico intercalatus Poſideon, Lib. VI cap. II.
Azymorum tempore in Judæa maturæ meſſes erant, Lib. II tap. XII, 56. Immundis etiam veſci licebat, 58, 59

B.

BIſextilis dies variè collocatus, Lib. IV cap. XII, 95

C.

CAlendarium triplex, 35
Canicula, vide Sirius.
Canicularis annus Ægyptiorum, Lib. V cap. V, & VI.
Canobus, Lib. III cap. IV, 65
Capellæ ortus, Lib. II cap. VIII, 49
Cardines antiqui ſignorum initiis attribuebant, Lib. I cap. III. Eudoxus falsò creditus ab Hipparcho in mediis eoſdem locaſſe, Lib. II cap. III, & cap. IV. ubi & Metonis cardines explicati, qua ratione alibi, quàm initiis conſtituti, 42. & deinceps. Hipparchus in initiis defixit, 43. Poſt hunc tamen vulgo in octavis partibus locati, ibid. & 44. & tap. V. per totum. ubi docetur in commiſſionibus circulorum fuiſſe poſitos. Ubinam à Julio Cæſare conſtituti quatuor cardines, ibid. 44. de octavis iiſdem partibus agi-

tur, Lib. III cap. I, *61.* & Lib. VI cap. X, 129, 130. qua ratione medii & veri notati ſint, 131
Chabriæ victoria Naxica, Lib. IV cap. VII, 84. & Cap. XIII, 98
Chaldæi in cœlo imagines notarunt, Lib. I, cap. VIII, 38
Chelæ pro Libra cur uſurpatæ, Lib. II cap. III, 41
Chriſti natalis dies apud Epiphanium, Lib. V cap. XI, 114. Incarnatio & Paſſio ex Africani ſententia, Lib. VIII cap. II, 155, 156. & Cap. III, 157. & Cap. IV, 158
Circuli in ſphæra non ſtatim in CCCLX partes diviſi, ſed priùs in LX. Lib. II cap I, 38. latitudine carent, Lib. II cap. V, 45
Civilia verba, & *συγγραμματικά*, Lib. IV cap. IX, 88
Civilis annus quid ſit, Lib. IV cap. IX, 88, 89. Unicus tantùm poteſt eſſe, *ibid.*
Cleoſtratus ſigna primus in Zodiaco reperit, Lib. I cap. I, 38
Computus Græcorum triplex, déque eo fusè, Lib. VIII cap. I, & ſeq. ex iis duo tantùm diverſi ſunt, 153. Conſtantinopolitanus, & Alexandrinus quam rationem habeant, *ibid.* & deinceps. Cap. III. Epocha eorum in anno Juliano Cap. V. De his hallucinatio Scaligeri, Cap. VI. Methodus in illis computis per canones expoſita, Cap VII, & ſeq.
Concurrentes quid ſint, Lib. VIII cap. VII, 164
Cynocephalus uſum horologii monſtravit, Lib. VII cap. VIII, 145

D.

Δεκάπου, vel *δωδεκάπου στοιχεῖον*, quid ſit, Lib. VII cap. VII, & cap. VIII, 145
Delphini ortus, Lib. II cap. VIII, 49
Deuteroproton Sabbatum quid ſit, Lib. II, cap. XII, 56
Diei initium apud Ægyptios, Lib. V cap. III, 105
Diluvii annus, & hiſtoria latè diſputatur, Lib. V, Cap. II.

E.

Ἔνη καὶ νέα quid ſit, Lib. IV cap. VII, 83
Ἐπηγωνὶς quid ſit apud Aratum, Lib. II cap. IX, 50. 51
Epicuri natalis, Lib. IV, cap. VI, 81. & Cap. VII, 85
Ἐπισημασίαι *ſignificationes* quid ſint, Lib. II, cap. XI, 54
Eratoſthenes in multis erravit, Lib. III cap. IV, *64* ejus opinio de polo, Cap. IV, & V.
Eudoxi de cardinibus ſententia malè ab Hipparcho accepta, Lib. III, cap. III. ejus opinio de polari ſtella, cap. IV & V. de ejus patria, & obſervatione, *66*

F.

FOEturæ tempus, Libro II, cap. VIII, 50

G.

GEminus obi ſcripſerit, Lib. IV cap. VI, 81
Græciæ ſitus, Lib. III, cap. V, *66.67*
Græci τῷ τρίᾳ ſacrificabanr, Lib. IV cap. V, *79*
Græcus annus. vide io Annus.
Græcorum computi tres explicantur, Lib. VIII, cap. I. Epocha illorum, Cap. IV, 159
Feſta Græcorum in recentiore computo, Capite XII.

H.

HEcatombæon quando cœperit, Lib. VI, cap. II, 120
Heliotropia, vide horologia.
Hipparchi gravis error, qui aſteriſmos cum dodecatemoriis confudit, Lib. II, cap. III. Ejuſdem error in Urſa, 41. Lib. III cap. III, *62. 63*
Horizon, de eo accurratè Lib. VII, cap. X, *& ſeq.* Duplex eſt, ſenſilis, & *λόγῳ θεωρητὸς*, *146.* Senſilis diameter quanta, 146. 147. & cap. XI. mutatio ſenſilis brevi ſpatio fit, 148. veri horizontis mutatio fit in 400 ſtadiis ex opinione Gemini, Cap. XII. Senſilem non eſſe circulum planum, ſed conicum, cap. XIII, 150
Horologia veterum. de iis Libro VII, cap. VII, & deinceps. Pedum in illis dimenſio umbrarum ratione, non ex humani ſtatura corporis, 143. 144. Palladii umbræ perperam dimenſæ, *ibid.* Heliotropia eadem dicta, quæ non ſola æquinoctia, vel ſolſtitia repræſentabant, ſed horas diurnas, Cap. VIII. Inventum illud à Babylonicis manavit, 144. quare *στοιχεῖα* vocata, 145
Horologium Achaz, Lib. VII cap. IX.
Hyadum ortus, Lib. II cap. VIII. 49

I.

INdictio in cyclo Maximi, Lib. VIII cap. V, *160.* 161
Jobelæus annus ab autumno cœpit, Lib. II cap. ult. 59
Iſaaci Argyri computus illuſtratur, Lib. VIII cap. X.

L

LAtinorum Cyclus, & periodus Victoriana à Græcis expreſſa in computo Conſtantinopolitano, Lib. VIII cap. III, 157
Leonis cor, ſive baſiliſcus, & ejus ortus, Lib. II cap. VIII, 49
Lilybæum, è quo Strabo naves è portu Carthaginis ſolventes proſpiciebat, Lib. VII cap. X, 147
Lunæ motus Judaico calculo, Lib. II cap. XIII, 57
Lunæ *φάσις*, Lib IV cap. VII, 83
Lyræ ortus, Lib. II cap. VIII, *49. 50*

M.

MAcedones uſi anno Juliano, ut ait Galenus, Lib. IV cap. XII, 95
Mæmacterion quotus menſis, Lib. VI cap. III. utrum hibernus eſſet, Cap. V. fuit autumnalis, 124. quartum fuiſſe probatur, *ibid.*
Maximi computus explicatur, Lib. VIII, præcipuè cap. V.
Menſium Judaïcorum nomina Chaldaïca ſunt, Lib. II cap. XIII, 58
Menſes Attici lunares, Lib. IV, cap. VII.
Menſis lunæ proprius eſt, Lib. IV cap. XI, *92. 93*
Menſium Nomina alia apud alios, Cap. XII, *94.* Macedonica Nomina, *ibid.* cur lunari menſi *τελείως* perpetuò detur, Cap. XIII, ubi & tricenarius numerus ferè menſibus attributus oſtenditur, *96. 98*
de Menſibus Atticis diſputatur, Lib. VI cap. I, & II, 120. 121. & cap. III, IV, V.
Meridianorum mutatio, Lib. VII cap. XII.
Merkedonius menſis, Lib. V cap. XII. ejus originatio ridicula, 115
Meſſis tempus in Ægypto & Græcia, Lib. II cap. XII, *56.* & deinceps. In Judæa matura erat tempore azymorum, 56. maturitatis duplex ratio, *ibid.* fiebat meſſis ante oblatum manipulum, *ibid.*
Metonis ſolſtitium non verum, ſed medium fuit, Lib. VI cap. X, 131. Heliotropium Athenis ſtatuit, Lib. VII cap. VIII. 144. 145
Montium altitudo maxima, Lib. VII cap. X, 147
Myſteria Boëdromione celebrata, Lib. IV cap. VII, 84. quot diebus obita, Cap. XIII, 98

N.

Nundinarum ſeries, Lib. V cap. XIII, 116. 117

O.

Octavæ ſphæræ motus explicatur, & oſtenditur fieri in conſequentia, Lib. III cap. I, 61. & refelluntur argumenta, quibus Scaliger illum oppugnat, Cap. III, & cap. IV.
Octavæ partes ſignorum qua ratione cardinibus attributæ, Lib. II cap. V, 44 & Lib. III. cap. I, 61. & cap. II, contra Scaligerum.
Olympi montis altitudo, Lib. VII, cap. X. 147
Omer quibus ex frugibus conſtaret, Lib. II, cap. XII, 57
Orionis ortus ex variis auctoribus, Lib. II, cap. VIII, 49
Ortus & occaſus ſiderum quis ſit, & quotuplex ex Gemino, Lib. I cap. I, 1. ex Theophraſto, 2. ex Ptolemæo, qui ſchematiſmos vocat; *ibid.* & 3. ex Tatio, *ibid.* ex Plinio, *ibid.* ex Firmico, 3. ex Tzetze, *ibid.* ex Theophraſto, Lib. VI cap. XI. regulæ ad ortus illos, & occaſus inveſtigandos, Lib. I Cap. II. quænam priùs oriantur & occidant, *ibid.* & 4.
Ortus Coſmicus, Heliacus, acronychus, necnon occaſus latè declarantur, Cap. I, II. & lib. I, præſertim pag. 2. & 4. Stellæ boream latitudinem babentes cum gradu antecedente oriuntur, cum ſequente occidunt, in obliqua ſphæra, 3. 4. auſtralem latitudinem habentes oriuntur cum ſequente, occidunt cum antecedente, 4
Ortus & occaſus matutini veti priores ſunt apparentibus. veſpertini ortus, & occaſus veri poſteriores apparentibus, 5. de dignoſcendis ſtellarum ortibus & occaſibus regulæ, Lib. II. cap. VIII.
Ortus & occaſus matutini ac veſpertini Veneris, & Mercurii, Lib. VI. cap. XII.
de Ortu & occaſu univerſè, Lib. VII cap. III.

P.

Palæſtini uſi anno lunari Galeni ætate, Lib. IV cap. XII. 94
Panodori computus, Lib. VIII cap. I. 153, 154. & Cap. III, & Cap. IV, 158. fuit aſtronomiæ peritus, 160
Parallelorum proportio, Lib. VII cap. XIII, 150
Parapegmata aſtronomica, ut Metonis, Lib. II. cap. IX, 51. 52. 53
Paſcha Judaïcum, Lib. II cap. XII, 56. & cap. XIII, 57. & deinceps. de lunari anno præſcriptum, 58. Ezechiæ Paſcha, *ibid.* & 59
Paſchales termini, Lib. VIII cap. X. cur plenilunia dicuntur, 167
[illegible] ἡμέραι Halicarnaſſenſis, Lib. IV. cap. XIII. 99
Phainus Aſtrologus, Lib. VI. cap. IX.
Philippus Aſtronomus, Lib. III. cap. V. de eo, & ipſius ætate actum fuſe, Lib. VI. cap. IX.
Phœnicis vita, Lib. V. cap. VI. 109. quando viſus in Ægypto, *ibid.*
Planetæ duo, Venus & Mercurius, Soli ortum veſpertinum faciunt, Lib. VI. cap. XII.
Pleiades. vide Vergiliæ.
Πλεῖον dictus eſt annus, Lib. II. cap. IX. 50
Plenilunium ferè decimo ſexto die ſit à Neomenia, Lib. IV. cap. XIII. 98
Polus mundi an in ſtella aliqua conſtitutus ſit ab Eudoxo, Lib. III. cap. IV. 64. de polari ſtella, 65. & cap. V. ad polos mundi ſuos circulos direxit Eudoxus, & Eratoſthenes, Lib. III. cap. VI. 69. déque ea te falſa Scaligeri ſententia confutatur, cap. VII. Quin & Hipparchum falſò credidit alium mundi polum ſtatuiſſe, Cap. VIII.
Poſideon intercalaris fuit, ejúſque ſitus, Lib. VI, cap. II. & III. 121. 122. vide & caput IV.
Primitiæ Judæorum quid fuerint, Lib. II. cap. XII.
Procyon ante Canem oritur, & poſt eum occidit, Lib. I. cap. II. 4. Antecanis dicitur, de ejus appellatione, Lib. II. cap. XI. 55. ante caniculam oritur, ſed poſt eam occidit, Lib. VI. cap. II. non ſemper Canicula vocatur Procyon, *ibid.* De ejus ortu, 135. 136
Προθεσμίαι quid ſint, Lib. VIII. cap. VII. 163
Ptolemæi liber de inerrantibus pſeudepigraphus, Lib. VII. cap. V.
Pyanepſion quotus menſis, Lib. V. cap. V.

R.

Regifugii tempus, Lib. V. cap. IX. 110. 111
Regulares quid ſint, Lib. VIII. cap. VII.

S.

Salaminia pugna, Lib. IV, cap. XIII. 98
Signa quomodo in cælo conſtituta, Lib I. cap. I. 37. 38. cum aſteriſmis perperam ab Hipparcho confuſa, Lib. II. cap. III.
Signorum ſyzygia, item imperantia, auſcultantia, videntia declarantur, Lib. II. cap. VII. idque ex Ptolemæi, Manilii, Pauli Alexandrini, Firmici ſententia, 47. παρανατέλλοντα, συνανατέλλοντα quæ dicantur, Lib. VII. cap. III. 138. 139
Sirius unde dictus, Lib. II. cap. XI. 54. Ita Sol vocatus, *ibid.* vis Sirii, ſive caniculæ. quam tamen ei abjudicat Geminus, *ibid.* ejus ortus Coſmicus, & Heliacus, *ibid.* Heliacum in Leonis initio plerique ſtatuunt, *ibid.* occaſu ſuo frigus excitare credebatur, 56. De ortu & occaſu Sirii accuratè, Lib. VII. cap. I & cap. III.
Solis ingreſſus in Signa Julii Cæſaris tempore, Lib. I. cap. VIII. 31
Solſtitia, vide in Cardines. Falſò Scaliger in toto ſigno Cancri putavit à Veteribus conſtituta, Lib. II. cap. VI. tam media, quàm vera notata in parapegmatibus à Metone, Soſigene, & aliis, Lib. VI. cap. X. 131
Soſigenis inconſtantia, Lib. II. cap. V. 45
Sothiaca periodus, Lib. II, cap. IV. 42
Stellarum aliquot ortus & occaſus Romæ, & Alexandriæ anno primo Juliano, Lib. I. cap. VIII. 32. Longitudo tam in Æquinoctiali, quàm in Zodiaco ſpectata, Lib. II, cap. I. 38. Sic & latitudo ad utrumque comparata, 39. quod probatur fuſè, cap. II. & Lib. III. cap. I. ſitus aliquot ſtellarum in æquinoct. ex Hipparcho. *ibid.* Nullam vim habere ad tempeſtates mutandas, Lib. II. cap. XI. 54. Non primus auctor fuit Ptolemæus latitudinum & longitudinum fixarum comparandarum ad Zodiacum, Lib. III. cap. I. pag. 60. 61. Diſtantiæ ſtellarum aliquot à polo Eudoxi, & Hipparchi tempore, Lib III, cap. VIII.
Στοιχεῖα in horologiis, Lib. VII, cap. VIII. 145
Strabo, vide Lilybæum.

T.

Tabulæ ortus, & occaſus fixarum, Lib. I, cap. III. quarum uſus canonibus explicatur, cap. VI.
Tempeſtates anni quatuor unde cœptæ apud Græcos, & Romanos, Lib. VI. cap. VIII.
Temporarius & ſerotinus imber quid ſit, Lib. II. cap. VIII. 50
Tertio anno, vel quarto fieri aliquid ſignificat ineunte, non abſoluto, Lib. IV. cap. II. 77
Tropicus circulus Eudoxi & Arati ad examen vocatus, Lib. III, cap. VI.
Thebanorum Ægyptiorum annus, Lib. V. cap. IV. 106

Veris

V.

VEris initium apud Romanos, & Græcos, Lib. VI. cap. VIII. 127
Vergiliæ quæ ſint, Lib. II, cap. IX. ubi fuſè de his agitur. ortus & occaſus earum, 51. & deinceps. Virgilii de his locus inextricabilis, *ibid.* de occaſu, 52. quomodo bifariam annum ſecare dicantur, Cap. X. 53. & deinceps. de earum ortu, Lib. VII. cap. IV. ubi ortum fecerint Heſiodi ſæculo, cap. V. non dividere annum bifariam, *ibid.* 141. de earumdem occaſu rurſus, cap. VI.
Virginis ſpica, Lib. III. cap. IV. 65
Urbis anni malè à Calviſio notati, Lib. V. cap. XII. 115. 116
Urſæ utriuſque ſtellæ ſeptem, Lib. II. cap. II. 38. earum ſitus in æquinoctiali, *ibid.* & 39. de earum aſteriſmis pro Eudoxo contra Hipparchum, Lib. III. cap. III. 63
Urſæ minoris aſteriſmi, *ibid.* & 64. poſtrema caudæ olim omnium auſtraliſſima, 64
Occidunt Urſæ majoris ſeptem ſtellæ in Arabia, Lib. VI. cap. VI.
Urſorum latebræ quo menſe, & quanto tempore, Lib. VI. cap. VII.
Uſuræ menſtruæ, Lib. IV. cap. VII. 83

Z.

ZOdiacus ſignis diſtinctus, Lib. II. cap. I. 37. 38. qua ratione in ſigna & partes diviſus, *ibid.* varia diviſio, 38. Zodiacus multiplex, *ibid.*

FINIS.

JACOBI

JACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

DIATRIBÆ SIRMITANÆ II.

DE ANNO

SYNODI SIRMIENSIS,

Cum viri docti animadverſionibus ad Epiphanium & nupera ejuſdem Diſſertatione compoſita.

LECTORI.

BIENNIUM eſt, ni fallor, cùm de Sirmienſi contra Photinum Synodo Baronii ſententiam aſſerere, contrariiſque argumentis quibus illam Epiphanianæ animadverſiones oppugnarant, brevi Diatriba reſpondere conatus ſum. Hujus copiam, nec abnuente me, animadverſionum auctor nactus cùm eſſet, atque in quæſtionem hanc univerſam attentiùs & accuratiùs incubuiſſet, prolixam nuper Diſſertationem Rationario ſuo adjecit, in qua non ſolùm priſtina illa quæ adverſus Baronium ſcripſerat, præclarè ſibi viſus eſt confirmare: ſed alia etiam haud paullò, ut ipſe ait, abſtruſiora, & digniora ſcitu, & nullius hactenus vel tenuiſſima ſuſpicione perſtricta, in medium proferre. Quo de utroque ne temerè videar à docto viro diſſentire, quàm explorata ſint quæ pro certis ratiſque vendicat, mearum opinor eſt partium inveſtigare. Quare ſicut prior Diatriba noſtra cum ejus animadverſionibus congreſſa eſt, ita nunc poſterior iſta cum Diſſertatione confliget, atque indidem unde auſpicatus eſt, ab arcanis ſcilicet nulliſque cognitis obſervationibus ordietur. Sed ante omnia priorem illam Diatribam, ex qua Diſſertatio nata eſt, latentem hactenus & paucorum notitiæ creditam, ut totius cauſæ fontem & curſum recognoſcas, oculis tuis, Lector, & arbitrio ſubjiciam.

JACOBI

JACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

DIATRIBA PRIMA SIRMITANA.

De anno Synodi Sirmienſis & fidei formulis in ea editis.

Pro Baronio adverſus viri docti Animadverſiones ad Epiphanium.

QUo anno æræ Chriſtianæ, quibúſve Conſulibus congregatum ſit Concilium Sirmienſe, quot præterea numero, & quænam in eo conditæ ſint fidei formulæ, non una eſt inter antiquos & ævi noſtri Scriptores controverſia. [Lib. 2. c. 24. Lib. 4. c. 5.] Etenim ut de anno priùs diſſeramus, Socrates & Sozomenus convocatum tradunt poſt Sergii & Nigriniani Conſulatum, qui fuit annus Chriſti CCCLI. At Baronius toto ſexennio ab his differt, celebratum docens anno CCCLVII. Conſulatu Conſtantii Auguſti nono & Juliani Cæſaris ſecundo. Socrati & Sozomeno adſtipulatur vir mågni nominis & amicus noſter in Animadverſionibus ſuis ad Epiphanium. [Petavius, pag. 306.]

Mihi cur potior Baronii ſententia videatur ratio eſt non obſcura, ejuſmodi certè, cui Socrates & Sozomenus refragari nequeant. Teſtatur enim uterque illorum Concilio Sirmienſi adfuiſſe inter ceteros Epiſcopos Hoſium Cordubenſem. At certum eſt, ſi Concilium referas ad annum CCCLI. Hoſium illi adeſſe omnino non potuiſſe. Enimverò ſi Hoſii lapſus, quo ad Arianæ perfidiæ ſubſcriptionem impulſus eſt, in ſynodo Sirmienſi contigit, ut Socrates & Sozomenus affirmant, ſynodum poſt Hoſii exilium coactam fateri neceſſe eſt. Quorſum enim, ſi præceſſerat ſynodus, in eáque ad Arianos jam tranſierat Hoſius, Hoſio exilium inſtigantibus Arianis à Conſtantio fuiſſet imperatum? Hoſii verò exilium qui accuratiùs ratiocinantur in annum Chriſti CCCLVII. incidiſſe ſtatuunt, argumento epiſtolæ [Pag. 603.] S. Athanaſii ad Solitarios, quæ Catholicorum antiſtitum exilia ordine percenſens, poſt mentionem Paulini Trevirenſis & Luciferi Sardiniæ, Euſebii Vercellenſis, Dionyſii Mediolanenſis, quorum ille à Concilio Arelatenſi anno CCCLIII. reliqui à Mediolanenſi anno CCCLV. ſedibus ſuis ſunt ejecti, & poſt Liberii Papæ relegationem, quæ aliquantò pòſt ſecuta eſt, Hoſium extremo loco adnumerat, eúmque narrat à Conſtantio primùm in aulam accitum, atque in Hiſpaniam remiſſum: tum deinde rurſus poſt datas ultrò citróque litteras iterum accerſitum, & pro exilio Sirmii anno integro detentum. Quare ſi Hoſii exilio poſterior ejus lapſus fuit, ut oſtenſum eſt, exilii autem initium anno congruit CCCLVI. non poteſt ſynodus in qua lapſus dicitur, ad annum referri CCCLI.

Sed de anno ſynodi Sirmienſis, in qua Photinus damnatus eſt, cur conjecturas quærimus, cùm de illo nobis poſt S. Hilarii profeſſionem, quam in ejus fragmentis teſtatam videmus, ambigere non liceat? *Ad tollendum*, inquit, *ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium* [Pag. 23. lib. 1.] *jam in Mediolanenſi ſynodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur ſacerdotes.* ET POST ALIA. *Inter hæc Sirmium convenitur. Photinus hæreticus deprebenſus, & à communione jam pridem unitatis abſciſſus, ne tum quidem per factionem populi potuit amoveri.* Ergo cum Mediolanenſem ſynodum Arbetione & Lolliano Conſulibus anno CCCLV. celebratam fuiſſe conſtet, & Sirmienſem biennio poſt convocatam teſtetur Hilarius, cui dubium eſſe queat, quin vera & certa ſit Baronii ſententia, qui anno CCCLVII. adſcribendam cenſuit? Quid quòd anno CCCLI. in quem ſynodum iſtam alii conjiciunt, cùm Occidentis provincias obtineret Magnentius, & bellicis motibus arderet Pannonia, vix ac ne vix quidem ſynodum in ea convocare Conſtantio licebat. quem propterea Socrates idem & Sozomenus ſecum ipſi [Lib. 2. c. 27. Lib. 4. c. 7.] pugnantes narrant non niſi exſtincto Magnentio, hoc eſt non ante annum CCCLIII. animum ad tractandas res Eccleſiaſticas revocaſſe.

De hoc igitur priori capite, hoc eſt de ſynodi noſtræ anno jam ſatis: nunc alterum de formulis in ea conditis expendamus. Socrates enim tres in hac ſynodo editas commemorat. [Lib. 3. c. 25.] Primam contra Photinum, quam à Marco Arethuſio dictatam refert: alteram Latinè ſcriptam, quæ Hoſii blaſphemia dicitur ab Hilario: tertiam quæ Conſules habuit, & à Socrate poſtea recitatur, [Ibid. c. 32.] cùm agit de Concilio Ariminenſi. Ceterùm duplex in his verbis, ut Nicolaus Faber in præfatione ſua obſervat, Socratis fuit hallucinatio. una quòd primæ formulæ auctorem Marcum facit, cùm tertiæ auctorem non primæ dicere debuerit: altera quòd hanc tertiam in ſynodo Sirmienſi editam putat, cùm ex Hypatii & Euſebii Conſulatu, quem adſcriptum habuit, ad annum CCCLIX. pertinere liqueat, & Sirmii quidem, non tamen in ſynodo, quæ ibi nulla tunc fuit, ſed in fortuito paucorum Epiſcoporum congreſſu præſente Conſtantio compoſitam fuiſſe docet epiſtola Germinii, quæ legitur in fragmentis Hilarianis. [Lib. 1. P. 42.]

Seclusa porrò rejectáque à ſynodo Sirmienſi hac tertia formula, reliquæ ſunt duæ priores, quas in ea ſynodo ſcriptas agnoſcunt Hilarius in libro de ſynodis, & Athanaſius de ſynodo Seleuciæ & Arimini. quarum alteram quæ adverſus Photinum promulgata eſt, ut

orthodoxam, vel ab orthodoxis non abhorrentem, interpretatur & commendat Hilarius: alteram quam Hoſii blaſphemiam nominat, ut impiam & Arianam, tum à Gallis meritò repudiatam oſtendit, tum ab Orientalibus poſtmodum in ſynodo Ancyrana duodecim oppoſitis capitibus accuratè confutatam. Qua in re mirum nec injuria videri poterat, tam diſcrepantes fidei regulas ab una & eadem ſynodo prodiiſſe, niſi exploratum eſſet, non ab iiſdem, ſed à diverſis diverſæque ſententiæ Epiſcopis conditas fuiſſe. Quod enim jam antè acciderat in ſynodo Sardicenſi, ut diviſi inter ſe Orientales atque Occidentales Epiſcopi ſuas utrique ſynodicas prorſus diſſimiles conſcriberent, hi pro Marcello & Athanaſio, illi contra Marcellum & Athanaſium, id ipſum contigiſſe liquet in Sirmienſi. Ad quam cùm diverſi, ut Socrates & Sozomenus tradunt, Orientis & Occidentis Epiſcopi conveniſſent, utriſque poſt damnatum communi calculo Photinum, ſuas ſeorſim fidei formulas edere placuit, quas pro germanis ſynodi placitis in varias oras tranſmiſerunt: Orientales Græcam, qua Photini dogmata confutantur, Occidentales Latinam edidere, quæ Hoſii blaſphemia nuncupata eſt, in qua rejecto homoouſio atque homœouſio, τὸ ἀνόμοιον diſſimile, hoc eſt liquidus merùſque Arianiſmus ſanciebatur.

Verùm reclamat hoc loco vehementérque obſiſtit
Pag. 310. auctor Animadverſionum, & contendit in ſynodo Sirmienſi unicam dumtaxat, id eſt primam illam contra Photinum conditam formulam fuiſſe: Hoſianam verò alteram Sirmii quidem, & anno CCCLVII. non tamen in ſynodo, quam in eum annum cadere poſſe negat, ſed à paucis Epiſcopis, qui apud Conſtantinopolim tum fortè convenerant compoſitam arbitratur, & ſententiam ſuam conjecturis adſtruere conatur. Sed conjecturis quis locus eſſe poſſit contra certam & apertam
Lib. contra Arianos p. 113. Phœbadii Epiſcopi auctoritatem, qui adverſus hanc ipſam Hoſii formulam ſcribens ex inſtituto, eam in ſynodo natam ſub libri ſui finem diſertè ſignificat. *Non ſum neſcius*, inquit, *antiquiſſimi ſacerdotis & promptæ ſemper fidei Hoſii nomen quaſi quemdam in nos arietem temperari. Sed non poteſt ejus auctoritate præſcribi, qui aut nunc errat, aut ſemper erravit. Nam ſi nonaginta ferè annis malè credidit, poſt nonaginta illum rectè ſcribere non credam. Aut ſi nunc rectè, quid de his opinandum eſt, qui ab eodem ſignati fide in qua ipſe tunc erat de ſæculo tranſierunt? Quid & de ipſo pronunciaretur, ſi ante hanc ſynodum dormiſſet?* Si hæc longo poſt tempore ſcripta eſſent à Phœbadio, tamen ſpernenda tanti viri auctoritas non eſſet. Nunc verò cùm ea ſcribat, quæ oculis ipſe cernebat, & miſſam ad Gallos Hoſii perfidiam ex ſynodo miſſam profiteatur, de ea re quænam poteſt eſſe juſta dubitatio? Quamquam ergo inſtar omnium hic unus eſſe debeat, accedat tamen teſtis alter Athanaſius, ſive Athanaſii nomine Vigilius Epiſcopus Africanus, qui Hoſium in ſynodo Sirmienſi lapſum docet his
Lib. 1. de unit. Dei. Edit. Baſil. verbis: *Sicut tu, Hoſie, jam in ætate prolixa in ſynodo Sirmienſi fidem tuam, quam in Nicæa conſcripſeras irritam feciſti, dum regiæ poteſtati famularis, ut diceres, Quis ignorat patrem majorem eſſe honore, dignitate, claritate & majeſtate?*

Reſtat nunc ut viri docti conjecturas diſcutiamus & has teſtatæ veritati officere non poſſe oſtendamus. Sir-
Pag. 311. mienſem ait formulam à ſynodo Ancyrana laudari, Hoſianam contra blaſphemiam, ut quæ Arianæ & ἀνομοίων hæreſi conſentiret, rejici penitus & explodi. Proinde conſentaneum non videri, ut à ſynodo Sirmienſi utraque prodierit. Hæc prima illius argumentatio, cui nos aliud agentes jam ſuprà occurrimus, cùm formularum iſtarum unam ab Orientalibus, alteram ab Occidentalibus in ſynodo Sirmienſi conditam fuiſſe docuimus. Itaque abſurdum non eſt, in ſynodo Ancyrana; cui Baſilius Epiſcopus præerat, idem qui præcipuas in Sirmien-
Hær. 71. ſi contra Photinum partes egerat, ut patet ex Epiphanio; approbari ab Epiſcopis Orientalibus Sirmienſem formulam priorem, quam ipſimet condiderant, reſpui autem damnarique Hoſianam ab Occidentalibus Arianis conditam, à quibus in anomœi quæſtione diſſidebant. Atque hunc in modum ſatis, opinor, factum eſt primæ objectioni.

Proxima quæ ex Synodica Ancyrani Concilii demonſtrare nititur, longo poſt Sirmienſem ſynodum intervallo Hoſianam formulam exſtitiſſe, nullius item eſt momenti. Neque enim ſcribunt in illa ſynodica Baſilius Ancyranus & ceteri Epiſcopi, ſe poſt ſynodum Sirmienſem diuturnam quietem egiſſe, ut videri vult, ſed diuturnam optaſſe. Quod verò addit de Georgii Laodiceni litteris, quas recitat Sozomenus, ex quibus confici putat inter ſynodos Sirmienſem & Ancyranam longius temporis ſpatium interceſſiſſe, nullas etiam vires habet aut contra ipſum habet; qui Hoſii lapſum, de quo uno Georgii litteræ loquuntur, anno CCCLVII. contigiſſe non inficiatur. Revera autem, cùm ſynodum Ancyranam ſub Paſchales ſequentis anni ferias celebratam ſit in confeſſo, nihil eſt incommodi, ut anni ſpatio quod inter ſynodum utramque interceptum eſt, ea omnia geſta ſint, quæ in Laodiceni litteris commemorantur. Pag. 312. Apud Epiphanium Hær. 73. Lib. 4. c. 12. Pag. 312.

Nec virium plus habet tertia ejus ratiocinatio, quam duxit ab Hilario, ut Hoſii formulam in ſynodo editam non fuiſſe concludat. Hilarius, inquit, in libro de ſynodis, poſt Hoſianæ blaſphemiæ diſcuſſionem, ſubjicit deinceps Gallorum rogatu Orientalium fides omnes diverſis & locis & temporibus conſcriptas, in quibus & priorem ſynodi Sirmienſis formulam recenſet. Alio ergo extra ſynodum tempore Hoſianam exſtitiſſe cenſuit. At quis non videt in his verbis Hilarii, non Hoſianam cum formulis Orientalibus, ad quas nihil attinebat, ſed ipſas inter ſe Orientales ſolas comparari, quas diverſis locis & temporibus conditas in unum conferebat & digerebat Hilarius? Pag. 313.

Reliqua eſt ergo poſtrema auctoris judicio validiſſima ratio ex Sulpitii Severi verbis petita, qui libro II. Hiſtoriæ ſynodum Sirmienſem antiquiorem facere videtur Arelatenſi & Mediolanenſi, quarum altera cum anno CCCLIII. habita ſit, altera CCCLV. neceſſe eſt Sirmienſem dicamus poſt illas anno CCCLVII. collocari non poſſe. Graviſque omnino & exceptione major Severi auctoritas foret, ſi hæc ab illo ſic aſſerta eſſe conſtaret. Sed Severo tribui non debent, quæ Severi revera non ſunt. Quis enim ſi mentem propius adjiciat, non ſtatim animadvertat, Sirmienſis ſynodi, aut rerum in ea geſtarum nullam apud Severum exſtare mentionem, ac titulum iſtum qui in editione Sigoniana legitur, cùm in ſuperioribus non exſtet, adſcititium atque adulterinum videri? maximè cùm ea quæ titulo mox ſubjiciuntur de Athanaſio & Marcello ad Sirmienſe Concilium nullatenus pertineant, ſed tempora illa ſpectent, in quibus Ariani vetere in Athanaſium odio flagrantes, priſtinam de illo judicii ſui, quod in Concilio Sardicenſi ſolutum fuerat, quæſtionem revolvere, Athanaſiique damnationem cum Marcello & Photino miſcere ſunt aggreſſi. Quod quidem ante Concilium Arelatenſe & Mediolanenſe facere illos cœpiſſe dubium non eſt, eámque ob rem priore loco apud Severum commemorari. cum Sirmienſi autem Concilio, ut dixi, conjunctum iſta nihil habent. Pag. 314.

Quare confutatis rejectíſque omnibus, quæ contrà obtendebantur, manet integra Baronii ſententia, Concilium Sirmienſe biennio poſt Mediolanenſe, Hilario teſte, celebratum in annum Chriſti CCCLVII. incidiſſe: Hoſii verò Sirmienſem blaſphemiam, quam refellens Phœbadius in ſynodo editam ſignificat, non in fortuito quopiam alio Epiſcoporum congreſſu, ſed in eodem ipſo, ut Vigilius teſtatur, Sirmienſi Concilio conflatam eſſe.

DE

PHOTINO HÆRETICO,

EJUSQUE DAMNATIONE

IN QUINQUE SYNODIS FACTA,

Ac de duplici Sirmienſi contra illum Synodo, & formulis in poſteriore editis,

DISSERTATIO.

In qua nova quædam, & vulgò haud ſatis comperta Eccleſiaſticæ hiſtoriæ capita produntur.

Auctore DIONYSIO PETAVIO *è Societate* JESU.

AD LECTOREM.

SCRIPSI *de Photino hæretico, dèque Sirmienſi contra eam facta Synodo, tum de variis fidei formulis per illud tempus editis, non pauca, aeque vulgò cognita, in Epiphanianis Animadverſionibus. Quæ cùm ejaſmodi eſſent, ut propter ſubtilitatem, & obſcuritatem nonniſi longa explicari diſputatione poſſent, ab Rationarii Hiſtorici, quod tertiò jam edimus, anguſtiis excludenda putaveram. Nam ulla, quod fateri neceſſe eſt, Eccleſiaſticæ pars hiſtoriæ, vel impeditior eſt, vel ignota magis, non hac ætate ſolùm, ſed duodecim abhinc fermè ſeculis. idque non falsò à me dici ſciet, qui illa legere, ac perſcrutari voluerit. Sed cùm ex eo tempore, quo Epiphanius noſter in lucem exiit, quoſdam eſſe compererim, qui ſe noſtra illa non probare dicerent, cœpi omnem hanc hiſtoriam, & quæ de ea commentatus illic eram, attentiùs relegere. Quod cùm ſæpè, & accuratè feciſſem, duo ſum aſſecutus: alterum, ut illa mihi, quæ tum ſcripſeram, non minùs quàm antè placerent: alterum, ut in iis recolendis nova etiam occurrerent alia, quæ haud paullò abſtruſiora prioribus eſſent, & digniora ſcitu; & nullius hactenus vel leviſſima ſuſpicione perſtricta. Hæc mihi juſtiſſima viſa ratio eſt, cur quæſtionem illam tam eleganti auctam acceſſione mandarem huic Opuſculo, & univerſam damnati Photini hiſtoriam, ac Sirmienſes fidei formulas exponerem. quod hoc, & altero capite quàm potero breviſſimè complectar.*

CAPUT I.

Photini hiſtoria, & Synodorum contra eum celebratarum tam à Catholicis, quàm ab hæreticis. Oſtenditur duas fuiſſe Sirmienſes: quarum prior hactenus ignota in lucem extrahitur.

Sever. lib. 2. Hiſt. Hilar. frag. Epiph. Hær. 71.

PHOTINUS Sirmii, quod Pannoniæ oppidum eſt, Epiſcopus, Marcelli Ancyræ Epiſcopi in adoleſcentia diſcipulus, & ſub eo Diaconus aliquamdiu vixit. Is de Chriſto pravè ſentiens Pauli Samoſateni inſtauravit hæreſim: ob eámque ſæpè damnatus eſt tam ab Catholicis, quàm ab ipſis Arianis.

Lib. 2. Hiſt. Primò damnatus in Synodo Conſtantinopolitana ab hæreticis. Socrat. lib. 2. cap. 30. Secundò in Sardicenſi à Catholicis.

Severus Sulpicius auctor eſt ipſum unà cum Marcello præceptore ſuo Synodi judicio condemnatum eſſe etiam ante Sardicenſem. Ac videtur ea Synodus Conſtantinopolitana fuiſſe, quæ poſt famoſum illud Tyri conciliabulum anno Chriſti CCCXXXVI, imperante adhuc Conſtantino, peracta eſt, de qua Socrates lib. 1. cap. XXXVI. & Tripart. lib. III. cap. IX. Nam Marcellus in illa depoſitus. quamquam de Photino nulla apud Socratem fit mentio. Porrò cùm Athanaſius poſt id tempus cum ambobus iſtis communicaſſet, ab iiſdem Arianis abſens condemnatus eſt, ut ait Severus. quod ad Synodum Antiochenam pertinet, in qua depoſitus eſt Athanaſius.

Lib. 2. c. 8. Tripar. 1. cap. 24. Hær. 71. n. 1.

Pòſt Sardicenſe Concilium anno CCCXLVII. celebratum eſt, in quo Athanaſius, & Marcellus priſtinum in locum reſtituti ſunt: ut ex Synodica conſtat, quæ apud Theodoretum legitur. Epiphanius refert in eadem Synodo Photinum damnatum, & gradu eſſe dejectum: cujus in Synodica nulla exſtat mentio.

Tertiò in Mediolanenſi à Catholicis. Hilar. in frag.

Exinde Mediolani Catholicorum celebrata Synodus eſt, biennio antequam Valens & Urſacius in Eccleſiam recipi ſe poſtulantes Julio, & Athanaſio ſupplices libellos obtuliſſent. *Igitur ad tollendum* (ait Hilarius) *ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur Sacerdotes, hoc magis ſoliciti, atque anxii, turbari rurſum, miſcerique omnia, quòd jampridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio judiciorum, vel communionis hæreſis Arianæ ab Eccleſia fuerant ejecti. Quam opportunitatem nacti Urſacius & Valens Romanæ plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur,* &c. Huic Synodo Romani Pontificis interfuere legati, in eáque hæreſis Ariana proſcripta eſt, & Urſacius ac Valens à communione ſuſpenſi, rogata venia in gratiam recepti ſunt. quatuor alii Epiſcopi Arianæ ſectæ cum Arii perfidiam damnare noluiſſent, irati exierunt. Cujus rei fidem faciunt imprimis epiſtolæ duæ, * altera Concilii Ariminenſis ad Conſtantium: altera Liberii Papæ, quam per Luciferum Epiſcopum ad eumdem Conſtantium Imperat. miſit, cùm ab eo ſolicitaretur, uti Athanaſii depoſitioni ſubſcriberet, paullò antequam iret in exilium. Hanc epiſtolam primo loco commemorabo. In qua Liberius Conſtantium hortantem, ut cum Arianis Epiſcopis conſentiret, ita compellat. *Quæ eſt pax, clementiſſime Imperator, cùm ſint ex partibus ipſis quatuor Epiſcopi, Demofilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cùm apud Mediolanum Arii ſententiam hæreticam noluiſſent damnare, de Concilio iratis animis exierunt.* In altera Synodi Ariminenſis epiſtola Catholici Epiſcopi de Urſacio, & Valente ſic apud eumdem Conſtantium queruntur; ut è Græco vertit Epiphanius Scholaſticus in Tripartita. *Quapropter Urſacius,*

* Exſtat in calce operum Luciferi, & in frag. Hilar.

Exſtat apud Athan. lib. de Syn. p. 676. Socrat.

Lib. 1. Theodoret 2. cap. 19. Tripar. 5. cap. 11.

Urſacius, & Valens, quoniam participes, & concordes Ariani dogmatis erant, à noſtra ſunt communione ſegregati. Quam at reciperent, cognoſcentes delicta, quibus peccaverant, pœnitentiam, atque veniam impetrare poſcebant: & reſcripta eorum hæc ita ſe habere teſtantur, per quæ criminum veniam conſecuti ſunt. Erat enim tempus, quo hæc geſta noſcuntur, quando Mediolani ſynodus celebrata eſt præſentibus Romanæ Eccleſiæ Presbyteris. Cognoſcentes verò ſimul etiam poſt mortem dignum memoria Conſtantinum, cum omni integritate, & examinatione conſcriptam expoſuiſſe fidem. qui cùm ab hac luce baptiſmate percepto diſceſſerit, & ad præmia debitæ pacis abierit, incongruum eſſe judicamus poſt illum aliquid novitatis admittere. Hanc epiſtolam Latinè conceptam retulit Hilarius in Fragmentis: ſed conciſam, & omiſſis plurimis, quæ in Græco ſunt, mutilam. Ita enim verba illa, quæ deſcripſimus, illic leguntur. *Ideo Urſacius & Valens in ſuſpicionem ejuſdem hæreſeos Arianæ venerunt aliquando, & ſuſpenſi erant à communione, & rogaverunt veniam; ſicut eorum continent ſcripta: quam meruerunt tunc temporis à Concilio Mediolanenſi; & aſſiſtentibus etiam legatis Romanæ Eccleſiæ, Conſtantino præſente. In hoc cùm magno examine fuiſſet conſcriptum, quòd tenens, baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutare.* Ex his colliguntur quatuor, quæ ad Mediolanenſem iſtam Synodum illuſtrandam pertinent.

Illuſtratur Mediolanenſis Synodus.

Primùm in ea damnatos Arianos, ac proinde celebratam eſſe ab Epiſcopis Catholicis. Deinde Romanæ Eccleſiæ Presbyteros, vel, ut habet Hilarius, legatos interfuiſſe. Quod autem Conſtantino præſente facta eſſe apud eumdem Hilarium legitur, id in Græco non exſtat: neque de Conſtantino M. verum eſt, uti neque de ejus filio juniore Conſtantino, ut ex illius Synodi tempore paullò pòſt evidens fiet. De Conſtante itaque loquuntur; cujus juſſu, utpote Catholici Principis, coacta videtur illa Synodus. Quod ſi verum eſt; tum ſanè reliqua, quibus ejus mortis & baptiſmi meminerunt, ad Conſtantem, non ad Conſtantinum pertinebunt. Sed ea res alterius eſt diſputationis ac loci. Tertiò indidem conſtat, Urſacium, & Valentem in Mediolanenſi Concilio Arianæ poſtulatos hæreſis veniam exoraſſe, & in integrum reſtitutos eſſe. Quartò annus quoque, quo illa Synodus eſt congregata, ex Liberii epiſtola conficitur. Nam dicit antè octo annos, quàm ad Conſtantium illam epiſtolam ſcriberet, Mediolani eam habitam fuiſſe. Porrò ſcripſit ad Conſtantium Liberius antequam in exilium mitteretur; adeóque anno Chriſti CCCLV. Quare octavus annus ante hunc erit annus Chriſti CCCXLVII. ut Sardicenſem Synodum brevi intervallo Mediolanenſis conſecuta ſit, eodemque anno celebrata. Biennio poſt, cùm Athanaſius Conſtantis & Conſtantii auctoritate, ac decreto ab exilio revocatus eſſet, Alexandriámque profectus; & Catholica res meliore jam loco eſſe cœpiſſet, Valens & Urſacius, qui in ditione Conſtantis erant, & ad potentiorum nutum, voluntatem ac religionem ſuam fingere jamdudum inſtituerant, ut antea cum Eccleſia Catholica, ita cum Athanaſio redire in gratiam è re ſua eſſe ſtatuerunt. Itaque libellum obtulere primum Julio Papæ: in quo & illa omnia conficta eſſe faſſi ſunt, quæ contra Athanaſium objecta fuerant; & Arianam perfidiam anathemate damnarunt: *Sicut per priorem libellum* (inquiunt) *noſtrum, quem apud Mediolanum porreximus, & nunc, & ſemper anathematizaſſe, hac manu noſtra, qua ſcripſimus, profitemur.* Hæc in Latino eorum libello apud Hilarium: cui iſta ſubjicit: *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt.* nempe in Mediolanenſi Synodo, ut ex iis patet, quæ paullò antea ſcripſit Hilarius; biennio ante Mediolanenſem Synodum, cui Romani interfuere legati, peractam eſſe, quàm Valens, & Urſacius cum Athanaſio dato libello reconciliati ſunt.

Urſacii & Valentis reconciliatio ſuo tempori reſtituta. Pag. 640.

Ceterùm Urſacii, & Valentis iſta reconciliatio perperam in Annalibus confertur in annum Chriſti CCCL. poſt mortem Conſtantis qui XV. Cal. Febr. interemptus eſt. Etenim certiſſimum eſt, ſuperſtite Conſtante ambos illos reſipuiſſe, ac libellos dediſſe. quod Athanaſius ipſe dubium eſſe non patitur in epiſtola ad ſolitarios. ubi iſtos ait poſt Conſtantis obitum ab Arianis adductos eſſe, ut ad vomitum redirent, & ab Athanaſii pariter atque Eccleſiæ Catholicæ communione deſciſcerent, cauſſantes metu ſe Conſtantis, & ingratiis ad ſimulandam hanc pœnitentiam eſſe compulſos. Hoc verò falſo illos allegaſſe dicit Athanaſius; quod neque tum ullus Palatinus, aut Notarius ad eos miſſus ſit, qui illos cogeret: quemadmodum ipſi deinceps inſtituerunt facere; ſed nec Imperator quidem adeſſet: verum ſponte ipſi Romam advolaſſent, & in medio Eccleſiæ cœtu pœnitentiæ libellos palam protuliſſent. Hæc Athanaſius: ex quibus perſpicuum eſt, Conſtante adhuc vivo Valentem, & Urſacium Julio pariter & Athanaſio ſupplicaſſe. quod anno CCCXLIX. contigit, biennio poſt Mediolanenſem Synodum, quæ antè annos octo, quàm Liberius ad Conſtantium epiſtolam daret; indicta ponitur ab eodem Liberio. Quocirca tertia Photini damnatio in Mediolanenſi Catholicorum Synodo facta eſt, ut ex his omnibus conſtat.

Quartò damnatus eſt Photinus in Sirmienſi Concilio à Catholicis.

Quartò damnatus idem eſt in Sirmienſi Synodo, non illa celebri, cui Ariani præfuerunt, Imperatore Conſtantio, ac Baſilio Ancyrano præcipuas partes illius ſuſtinente: ſed in altera, cujus ex annalium, hiſtoriarúmque monimentis hodie memoria omnis excidit. quam nos ex Hilarii Fragmentis, velut è parietinis ac ruderibus, ſepultam, ac pænè obliteratam eruimus. Synodum ergo Sirmienſem à Catholicis, & Occidentalibus in cauſſa Photini celebratam eſſe dico priorem illa, quæ in eadem urbe ab Arianis, & Orientalibus eſt habita. Quod ex verbis Hilarii colligitur, quæ hujus capitis initio poſuimus. Refert enim Hilarius ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum congregatos eſſe Epiſcopos, poſt biennium, quàm in Mediolanenſi Synodo damnatus fuerat: ac per eam occaſionem Valentem, & Urſacium, qui in Mediolanenſi Synodo cum Catholica Eccleſia in concordiam redierant, cum Athanaſio reconciliatos eſſe. Quod ſuperſtite Conſtante factum eſſe, & anno Chriſti CCCXLIX. paullò antea demonſtravimus. His iſta ſubjicit Hilarius. *Verùm inter hæc Sirmium convenitur. Photinus hæreticus comprehenſus, olim reus pronunciatus, & à communione jampridem unitatis abſciſſus, ne tunc quidem per factionem populi potuit* * *admoveri.* Hinc de loco Synodi illius conſtat: nempe Sirmii eam habitam fuiſſe; neque Photinum de ſede pelli potuiſſe, quòd populus ſeditione facta Epiſcoporum conatui reſtitiſſet.

* Cor. amoveri.

Probatur Sirmienſis prior Synodus.

Nam quòd Sirmienſis iſta Synodus diverſa ſit ab ea, quæ poſtea contra Photinum eumdem celebrata eſt ab Arianis, quæque vel unum fidei decretum, vel etiam duo condidit, de quibus mox agetur pluribus; his argumentis oſtenditur. Primùm ex tempore, quod ab Hilario ſignificatur, & à nobis illuſtratum eſt hactenus. Biennio quippe poſt Mediolanenſem Synodum, & ſex annis, antequam Liberius relegaretur, adeóque anno CCCXLIX, Sirmii congregata eſt illa Synodus. At verò famoſum illud Concilium, cui Baſilius Ancyranus interfuit, ut minimùm biennio pòſt, Chriſti CCCLI. celebratum eſt. ut autem aliis placet, nono pòſt anno, Chriſti CCCLVII. de qua re poſtea. Deinde quia Photinus in priore illa, propter populi factionem, amoveri non potuit; in poſteriore verò ab Arianis & Conſtantio habita, omnino dejectus eſt, ut Sozomenus refert libro IV, in fine capitis VI. Tertiò quòd Concilium Sirmienſe, de quo Hilarius ſcribit, Occidentales ſoli celebrarunt, decretúmque ſuum ad Orientales miſerunt Epiſcopos, ut idem teſtis eſt Hilarius; qui *decretum de Photino ab Occidentalibus* factum *ad Orientales relatum* aſſerit: Orientales verò *mente callidos, ingenio ſubtiles, malitia pertinaces occaſionem revolvendi ejus, quod Athanaſii abſolutione eſt diſſolutum, quæſiſſe judicii, & reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut inſtitutionum talium magiſtri, addidiſſe: ut mòrtuam de Athanaſio ipſo jam tempore quæſtionem, & veritatis judicio conſepultam, in publicam recordationem cauſſa novitas excitaret, & ſubrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret.* Hæc Hilarius: quorum ex antecedentibus, atque ex hiſtoria Severi, hæc ſententia eſt. Marcellus Photini magiſter, cùm ab Arianis unà cum Photino depoſitus eſſet, ut ſuprà demonſtravi, in Sardicenſi Concilio in integrum reſtitutus erat. Verùm cùm priſtinum errorem poſtea reſumpſiſſet, *Athanaſius hunc à ſua communione ſuſpendit. habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus, ſponte concederet*, ut Severus narrat. Quod Athanaſii judicium Photini damnatione, ac Sirmienſi Synodo anterius fuiſſe teſtatur Hilarius: atque *his, quæ in Photinum gerenda erant, auctoritatem præbuiſſe.* Itaque Orientales, decreto illo contra Photinum

Digitized by Google

tinum ab Occidentalibus miſſo, reſcripſerunt, non ſolùm Photini damnationem approbantes; ſed Marcelli inſuper addentes: ut hoc modo Sardicenſis acta Concilii labefactarent, & quæ ibi de Marcello & Athanaſio conſtituta erant, irrita facerent. Quippe ambo, uti diximus, à Sardicenſi Synodo ſedibus ſuis reſtituti ſunt. Hujus autem convelli auctoritas, infringíque videbatur, damnato Marcello, quem illa ſublevarat; & ad Athanaſii damnationem, quem perinde complexa Synodus erat, aditus præſtrui. Hæc ab Hilario ad eum modum geſta narrantur. Unde illud apparet, Sirmienſem hanc Synodum Occidentalium fuiſſe; & quidem Catholicorum; primùm quia Valens & Urſacius hujus occaſione Synodi cum Catholicis, & Athanaſio penitus concordiam inierunt; ut ex Hilario ſuprà docuimus. Deinde quòd idem Hilarius, paucis interjectis, Occidentales iſtos, qui Sirmii convenerant, ea re commendat, quòd decretum ſuum ad Orientales miſerint bono more, inſtitutóque, non ut eos ad aſſentiendum cogerent; *ut nunc*, inquit, *agitur*: ſed ut certiores illos facerent. *De Photino autem, ſicuti mos poſcebat, ad Orientales epiſtolæ fiunt, non injuria extorquendi, ut nunc agitur, ad ſenſum, ſed inſtruendæ univerſorum ſcientiæ conſuetudine.* Quamobrem Occidentalium iſte conſeſſus Sirmii factus non poteſt idem eſſe cum altero, in quo Baſilius cum Photino commiſſus eſt. cui ſoli Orientales propemodum interfuere. Ac videtur Conſtans Imperator Catholicæ fidei ſtudioſiſſimus princeps, ejus promovendæ, & in Occidente ſanciendæ gratiâ, primùm Mediolani Epiſcopos congregaſſe, ut de Arianis, ac præſertim Valente, & Urſacio cognoſcerent; & quæ nuper in Sardicenſi Concilio decreta erant, denuò firmarent: deinde Sirmii, ut Photinum è gradu dejicerent. quod ne fieret, populus interceſſit: Conſtans verò, antequam vim adhibere poſſet, è vita ſublatus eſt. Itáque nova deinde Synodo opus fuit ad deponendum Photinum.

Quinta Photini damnatio in Concilio Sirmienſi ab hæreticis habito.

Quinta igitur & poſtrema Photini damnatio in eadem urbe Sirmio, biennio poſt priorem, facta eſt anno CCCLI, quo depoſitus eſt iterum Photinus, & Epiſcopatu pulſus; quod obtineri hactenus non potuerat; atque etiam collatione cum Baſilio Ancyrano habita, convictus, ac proſtratus eſt. Cujus Synodi ratio quia perplexa eſt, & multis obſtructa difficultatibus, nec levis de actis illius controverſia; ſeponemus ei explicandæ caput alterum, in quo quæ ad illam pertinent brevi complectemur.

CAPUT II.

De tribus fidei formulis Sirmii editis, è quibus ſola prima in Concilio adverſus Photinum illic peracto facta eſſe monſtratur.

CUM jam quarto Epiſcopalibus ſententiis notatus, ac depoſitus Photinus, invitis omnibus, ſedem ſuam retineret, demum adverſus eumdem Sirmienſis altera Synodus eſt collecta, in qua Conſtantii Imperatoris auctoritate rurſus ille damnatus Epiſcopatu cedere cogitur. Synodum hanc celebravere Orientales potiſſimùm Epiſcopi. Nam Hilarius libro de Synodis formulam fidei cum anathematiſmis illic editam ſic inſcribit; *Exemplum [illegible] Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ*: ac proximè antè, tunc eam eſſe propoſitam refert, *cùm Photinus Epiſcopatu dejectus eſt*. unde, quod ſuperiori capite diximus, conſtat, alteram hanc Sirmienſem eſſe Synodum ab ea, quam Occidentales biennio antè in eâdem urbe fecerunt.

Duo ſunt hac de Synodo quæſtionis capita; alterum de anno, quo peracta eſt; alterum de fidei formulis, quæ in ea publicatæ feruntur. Quod primum attinet, Socrates libro 2. cap. 19. Græcæ edit. & Sozomenus lib. IV. cap. VI. teſtantur eum annum fuiſſe poſt Conſulatum Sergii, & Nigriniani, quo nulli Conſulatum geſſerunt ob bellicos tumultus. Hic eſt annus Chriſti CCCLI.
Lib. 2. c. 20. At Baronius in annum CCCLVII. illam conjicit. De fidei
formulis non minor eſt controverſia. Nam tres omnino exſtant ejus urbis inſcriptæ nomine, quæ in eadem
Lib. 4. c. 6. Lib. 9. c. 38. Sirmienſi contra Photinum collecta Synodo propoſitæ narrantur à Socrate, Sozomeno, ac Nicephoro.

Primæ auctor fuiſſe perhibetur Marcus Arethuſius, ut ſcribit Socrates, Græcéque concepta eſt cum anathematiſmis XXV. Ea Græce apud Athanaſium legitur in libro de Synodis, & Socratem loco jam citato. Latinè autem apud Hilarium libro de Synodis, & in Tripartita, libro IV. cap. VII. In ea damnantur anathemate, qui dicunt Filium *de non exſtantibus, aut ex altera hypoſtaſi eſſe: vel fuiſſe tempus, aut ſeculum, quando non erat.* Nulla porrò in illa mentio fit οὐσίας, niſi quòd damnantur, qui dicunt *πλατυσμὸν τῆς οὐσίας, collatationem ſubſtantiæ* eſſe Filium. Hujus fidei formulæ, ac Sirmienſis Synodi & Photini depoſitionis, quod ſubit mirari, nullam mentionem facit in ejus Hæreſi S. Epiphanius. ſed ſolius Sardicenſis Occidentalium Synodi meminit, in qua damnatus eſt. ſecundum quam Conſtantium adiiſſe, ac ſe injuſtè depoſitum quærentem, judices impetraſſe: ac miſſos eſſe Thalaſſium, Datianum, Cerealem, Taurum, Marcellinum, Evanthium, Olympium, Leontium. quos ex ordine Senatorio fuiſſe Socrates indicat. Coram his, & Epiſcopis pluribus deſcendiſſe illum in certamen cum Baſilio Ancyrano prodit Epiphanius, ac Socrates, & Sozomenus. Qui ambo ſignificant, finita jam Synodo Sirmienſi, & poſt depoſitum in eadem Photinum, diſputationem illam eſſe factam qua convictus Photinus, & exauctoratus eſt. Verùm apud eumdem Epiphanium in Semiarianorum hæreſi, Baſilius, aliique Epiſcopi in Synodica Ancyrani conciliabuli, meminerunt Sirmienſis Synodi, ejúſque actorum adverſus Photinum.

Prima formula Sirmienſis. Pag. 693. Lib. 2. c. 30. Anathematiſmo 6. & 7. Hær. 71. Hær. 73. n. 2.

Secunda formula.

Secunda fidei formula apud Sirmium edita eſt Latino ſermone, ut teſtantur Athanaſius, Socrates, Hilarius, qui eam deſcribunt, Sozomenus, aliique. Hujus inſcriptio eſt apud Hilarium ejuſmodi: *Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium, & Potamium conſcriptæ.* In ea prohibitum eſt fieri mentionem nominum οὐσίας, ὁμοουσίου, & ὁμοιουσίου, quia nuſquam in Scripturis leguntur. Eamdem poſteà ſupprimere conati ſunt Ariani, interpoſita auctoritate Conſtantii, ut iidem Scriptores referunt.

Tertia formula.

Tertia formula Latinè itidem Sirmii concepta eſt, notatis Coſſ. Euſebio, & Hypatio, qui annus Chriſti fuit CCCLIX. eáque à Valente, & Urſacio Ariminum perlata. quæ apud Athanaſium, & Socratem exſtat. Sed eam in Sirmienſi contra Photinum Synodo editam non fuiſſe perſpicuum eſt, idque Nicolaus Faber in Præfatione ad Hilarii Fragmenta olim animadvertit.

Nos in Animadverſionibus ad Epiphanium, ante annos quatuordecim, cùm de hoc argumento longam diſputationem faceremus, duo quædam expoſuimus: alterum, Sirmienſem illam poſtremam Synodum eo anno peractam fuiſſe, quem habet Socrates, Chriſti CCCLI; non, ut pleriſque perſuaſit Annalium Eccleſiaſticorum conditor, anno CCCLVII. Alterum; è tribus illis fidei formulis, quas paullò antè commemoravi, ſolam primam in illo Concilio ſcriptam fuiſſe: ſecundam verò non in Synodo ipſa Sirmienſi; ſed aliquot annis poſtea editam, in conſeſſu paucorum Epiſcoporum. Horum primum Veterum illorum, quos citavi, auctoritate nititur; præſertim Socratis: qui ut ſæpiùs, ita numquam temerè, aut falsò notas illas Conſulatuum adhibet; ſed ex Actis publicis, ac Faſtis haud dubiè depromptas. quo major illis habenda fides eſt, maximè ubi nulla in contrarium idonea ſunt argumenta: cujuſmodi certè hìc nulla ſunt. Nam quæ in Annalibus opponuntur, ſatis iis reſponſum eſt in Animadverſionibus ad Epiphanium; ac paullò pòſt ea prorſus irrita, & inania eſſe conſtabit; ubi quod poſterius eſt è duobus à me poſitis, oſtendero, ſecundam de tribus fidei formulam non in Sirmienſi contra Photinum Synodo, ſed alio tempore, ac diverſo cœtu præſulum in lucem exiiſſe. Quod illic diſputatum latiùs, ut in pauca contraham, his maximè de cauſſis aſſeritur.

Imprimis auctores ſunt Epiphanius, & Hilarius, cùm ſecunda iſta formula publicata eſſet, atque è Sirmio in Orientem perlata, vehementer exarſiſſe Baſilium Ancyranum Epiſcopum, alióſque Semiarianarum partium: cùmque ab Georgio Laodicenæ ſectæ ejuſdem patrono litteras accepiſſent, quibus de Eudoxii perditiſſimi Ariani veſania certiores illos faciebat (quem tefert Sozomenus, poſtquàm ecthesim illam ab Oſio expreſſam, ab Valente & Urſacio miſſam recepiſſet, gratulationis plenas ad eos ſcripſiſſe litteras, quod ipſorum opera

Hær. 73. n. 2. Lib. de Syn. Probatur ſecundam formulam non in Sirmienſi magna Synodo editam fuiſſe. Lib. 4. c. 12.

opera verà in Occidente fides reviviſceret) his commotum Laodicenum Georgium, ad Baſilium, & Epiſcopos, qui cum eo Ancyram convenerant, Epiſtolam dediſſe, qua eos hortabatur, ut Antiochenæ, immò Orientali Eccleſiæ ſuccurrerent. Porrò Ancyram ideò ſe ſe contulerant, ut encænia celebrarent novæ baſilicæ, quàm à ſe conditam Baſilius ibi dedicabat. Igitur Ancyræ Semiarianorum Concilium habitum eſt, paullò ante Paſcha, ut eorum Synodica teſtatur apud Epiphanium. In quo fidei formulam iſtam, quæ ſecunda apud Sirmium edita eſt, damnarunt, & adverſus eam longiſſimam aliam ecthesim cum anathematiſmis ediderunt. Poſt Synodum deinde legati ad Imperatorem Conſtantium profecti Baſilius ipſe, Euſtathius Sebaſtenus, Eleuſius Cyzicenus, & Leontius Presbyter, qui hoc ab eo peterent, ὅπη κρατοῖ τὰ ἐν Σαρδικῇ, καὶ ἐν Σιρμίῳ, καὶ ταῖς ἄλλαις συνόδοις κεκριμένα, ἐν αἷς συνοδικῶς ὅμοιον εἶναι κατ' οὐσίαν τῷ Πατρὶ τὸν Υἱόν. *Uti rata hæc eſſent, quæ apud Sardicam, & Sirmium, & in aliis Synodis decreta fuerant: in quibus communi conſenſu definitum erat ſimilem eſſe ſecundùm ſubſtantiam Patri Filium.* ut ſcribit Sozomenus. qui Imperatorem narrat ea legatione commotum revocaſſe omnia, quæ per Anomœos extorta fuerant: à quibus ſecunda illa Sirmienſis profeſſio dictata erat.

Ex his omnibus validum argumentum efficitur, quo ſecunda illa formula Sirmienſis oſtenditur nequaquam in Sirmienſi contra Photinum collecta Synodo condita fuiſſe. Etenim Sirmienſi huic Synodo non ſolùm Baſilius interfuit; ſed pænè etiam præfuit. præcipuæ certè in ea partes illius fuerunt: ut qui in ejus omni actione floruit; eadémque finita, datis ab Conſtantio judicibus cum Photino congreſſus eſt, cúmque ſuperavit: quod Epiphanius, Socrates, Sozomenus, aliíque narrant. Quid igitur fingi abſurdius poteſt, quàm in illa ipſa Synodo eam fidei conceptam eſſe formulam præſente Baſilio, quam is paucis pòſt menſibus adeò deteſtatus eſt, uti contra eam cœtum coëgerit Epiſcoporum, acerrimóque decreto, & anathemate jugularit, & ad illam evertendam legatus ad Conſtantium Sirmium uſque pervenerit? An talem umquam ecthesim coram ſe dictari paſſus eſſet, à qua tantoperè diſſidebat? Nam in illa τὸ οὐσίας, ὁμοουσίου, & ὁμοιουσίου vocabula ex æquo rejecta ſunt, ex Anomœorum ſententia. At Baſilius Semiarianarum fautor partium τὸ ὁμοιούσιον propugnabat, & Anomœos, quos apud Epiphanium & Hilarium formulæ illius auctores Ancyrana Synodus facit, pejus, quàm Catholicos, oderat. Quòd ſi invitus illi Sirmii ſubſcripſiſſet, age num Ancyram reverſus, Sirmienſem Synodum adeò commendaſſet, aut ejus decreta, fideíque ſanctionem confirmari ab Imperatore petiiſſet? Nónne id egiſſet potiùs, ut ea Conſtantii decreto rejiceretur? Sanè in Ancyrani Concilii Synodica optaſſe plurimùm ſe aiunt Epiſcopi, ut poſt Sardicenſem Synodum, & Sirmienſem, in qua Photinus damnatus eſt, quietis eſſe ſibi liceret. Sed quoniam ex Illyricianorum litteris, & Georgii Laodiceni, didicerint, confoſſam tot Synodorum decretis hæreſim caput efferre cœpiſſe; ideò ſe Ancyræ congregatos ea omnia denuò confirmaſſe, quæ in Antiochena Synodo, & Sardicenſi, ἣν ἀνείληφεν ἡ ἐν Σιρμίῳ σύνοδος, *quam Sirmienſis Synodus eſt amplexa*, conſtituta fuerant. Non igitur ſecunda illa formula Sirmii edita ad eam Synodum pertinere poteſt, quæ contra Photinum eſt habita.

Apud Epiph. Hær. 73. n. 2.

Præterea ex hac rei apud Sirmium, Ancyrámque geſtæ narratione colligitur, eamdem formulam abſente Baſilio Ancyrano eſſe conſcriptam. quod ſi verum eſt; non potuit Sirmienſis Concilii tempore fieri. Nam princeps, ut jam diximus, actionis illius, ac Synodi Baſilius Ancyranus fuit: íſque finito Concilio cum Photino diſputavit. Quòd autem Sirmio tum abfuerit, cùm ecthesis illa dictata eſt, è Sozomeno probatur: qui refert Eudoxium, Acacium, & Uranium, cùm ab Occidentalibus Epiſcopis Valente, Urſacio, & Germinio formulam iſtam, qua de agimus, accepiſſent Oſii ſubſcriptione firmatam, ejus dogma, in quod ipſi cum Aëtio conſentiebant, audacter, ac palam divulgare cœpiſſe. quod indignè ferens Georgius Laodicenus certiorem de tota re Baſilium ac reliquos Ancyranæ Synodi præſules fecit. ut & ipſi in Synodica ſua teſtantur. Quare non videtur illius formulæ conſcius fuiſſe Baſilius. Quippe ab ſolis Occidentalibus Epiſcopis dictata, ad Orientales deinde miſſa pervenit: ut ex Sozomeno colligitur.

Lib. 4. c. 12.

Quinetiam illius inſcriptio, quæ apud Hilarium, Athanaſium, & Socratem legitur, ſatis indicat, eam à paucis Epiſcopis, non à plena Synodo profectam. Hilarius enim hoc ei lemma præſcribit: *Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptæ.* Tum ſic eadem incipit. *Cùm nonnulla putaretur eſſe de fide diſceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata ſunt, & diſcuſſa, præſentibus ſanctiſſimis fratribus, & Coepiſcopis noſtris Valente, Urſacio, & Germinio.* quod exordium Græcè itidem apud ceteros exſtat. Quare paucis, uti dictum eſt, ab Epiſcopis condita eſt hæc fidei profeſſio: non ab generali Synodo. Longè enim aliter Sirmienſis Concilii Ecthesim proponit, & inſcribit Hilarius eodem in libro de Synodis: *Exemplum*, inquit, *fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ.* Hic ab Orientalibus, hoc eſt plena in Synodo ſcriptam ait Sirmienſem illam formulam: alteram nonniſi ab uno, alteróve. Ad hæc Hilarius idem poſtquam ſecundam hanc Sirmienſem ecthesim, & Ancyrani contra illam Concilii decreta propoſuit, ita loquitur, *Dignum autem eſt conſcientiæ communis etiam ceteras eorumdem Epiſcoporum Orientalium diverſis & locis, & temporibus conſcriptas fides noſcere*, &c. quæ poſtquam præfatus eſt, duas, non ampliùs, formulas deſcribit; alteram Sardicenſis Synodi; alteram Sirmienſis contra Photinum. hanc verò commemoraturus ita ſcribit: *Conſequens eſt autem ut eam nunc fidem retractemus, quæ non olim, tunc cùm Photinus Epiſcopatu dejectus eſt, conſcripta eſt.* Itaque Sirmienſis hæc formula diverſo vel loco, vel tempore ab ea conſcripta eſſe debet, quæ ſecunda Sirmienſis dicitur. At loco diverſa non eſt: tempore igitur diverſa ſit oportet. Huic argumento, quod ex Hilarii teſtimonio petitur, robur addit S. Vigilius, & opinionem noſtram adſtruit, dum in libro v. adverſus Eutychem duos illos conventus Epiſcoporum, atque Synodos diſtinguit, unam Orientalium, qui contra Photinum apud Sirmium collecti ſunt, quos Catholicos appellat, eorúmque decreta commendat: alteram Epiſcoporum aliquot, ut Oſii, Valentis, Urſacii, Germinii, & aliorum; quibus univerſos ait Orientales Epiſcopos contrariis reſtitiſſe decretis. Sed Vigilii verba, quibus egregiè id, quod volumus, affirmat, melius eſt adſcribere. De Ancyrana itaque Orientalium Synodo contra ſecundam Sirmienſem formulam habita, ſic ille ſcribit. *Deinde adverſus ſacrilegam impiæ profeſſionis unitatem, quæ per Oſium, Valentem, Urſacium, & Germinium, ceteróſque ſimilis pravitatis apud Sirmium fuerat conſcripta, univerſi Orientales Epiſcopi convenientes, alias, id eſt, duodecim ſententiarum definitiones ediderunt, quæ Nicæno Concilio non continentur.* De Sirmienſi porrò Concilio, in quo Photinus poſtremò damnatus antea fuerat, hæc ſubjicit. *Illius verò Catholici Concilii apud Sirmium contra Photinum ex toto Oriente congregati, quis ſufficiat multiplices fidei ſanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam Synodum, quia talis rei neceſſitas fuerat nulla, non ſunt omnino ſancita: quas nullus fidelium audet reſpuere, aut cunctatur recipere, qui non vult cum Photino anathematis eorum ſententiæ ſubjacere.* Hæc Vigilius, quæ non aliunde, quàm ex Hilarii libro de Synodis, accepit. Hic enim Ancyranæ Synodi ab Semiarianis præſide Baſilio habitæ decreta prædicat, & commentario illuſtrat; quæ enim duodecim numero refert, totidem anathematiſmis [illegible]eſſa. quæ cum auctoribus ſuis Orientalibus Epiſcopis pro Catholicis amplectitur. Cùm autem Hilarius decreta iſta condidiſſe *Orientales Epiſcopos in unum congregatos* abſolutè ſcripſerit, Vigilius putavit omnium Orientalium concurſu celebrem fuiſſe Synodum illam. In quo falſus eſt. Pauci enim convenerunt, hoc eſt numero duodecim, quorum nomina Synodicæ Ancyranæ ſubſcripta ſunt apud Epiphanium. Non enim plena fuit iſta Synodus, ſed provincialis dumtaxat; & per occaſionem dedicandæ apud Ancyram baſilicæ collecta; ut ipſimet teſtantur in Synodica ſua. Inter hos Epiſcopos nominatur Euſtathius Sebaſtenus; quem S. Baſilius Cæſareenſis Epiſcopus, in Epiſtola ad Occidentales, illi ipſi Ancyranæ interfuiſſe Synodo, & cum hæreticis *homouſion* damnaſſe ſcribit: qui locus in VII. Synodo citatur. Hæreticos igitur iſtos fuiſſe ſcivit, qui hæc meliùs è propinquo noſſe potuit Baſilius. Quamquam nulla littera exſtat in illorum anathematiſmis,

Hær. 73. n. 11.

Epiſt. 74.

Pag. 390. ed Rom. Græcolat.

Digitized by Google

thematiſmis, ac Synodica tota, quæ τὸ ὁμοούσιον condemnet. Sed quia τὸ ὁμοιούσιον præciſè receperunt, ſuppreſſa mentione alterius; pro hujus damnatione Baſilius iſtud habuit. Niſi fortè altera quæpiam apud Ancyram celebrata Synodus eſt in qua nominatim damnatum ſit τὸ ὁμοούσιον, quod ego non puto. Itaque vera eſt, ut opinor, conjectura noſtra.

Sed ut ad Vigilium revertar; perſpicuum eſt, Ancyranam ab eo Synodum, itidem ut ab Hilario, dici contra Oſii & aliorum blaſphemam formulam, celebratam fuiſſe. Eſt hæc verò, ut ſæpè docui, ſecunda illa Sirmienſis profeſſio, quam in diverſa Synodo, ab ea, quæ Photinum damnavit, editam eſſe mox idem Vigilius indicat, dum hanc Synodum Orientalium contra Photinum *Catholicum Concilium* appellat; cujus ſanctiones collaudat, ſimiliter atque Hilarius, & alii quidam veteres perinde ac recentiores fecerunt. at illum cœtum Epiſcoporum, qui ſecundam apud Sirmium profeſſionem condidit, hæreſis & impietatis arguit. Hujus conventiculi, & impiæ profeſſionis ab Oſio non tam editæ, quam vi ac ſuppliciis extortæ, meminit Fœbadius Aginnenſis, ubi hanc Synodum appellat. Ex quo perperam aliqui concludunt Sirmienſem ab eo contra Photinum intelligi Synodum. Sed errant. Synodus enim qualiſcumque conventus Epiſcoporum interdum dicitur. cujuſmodi tum profectò fuit, quando Conſtantii potentia & tyrannide freti Ariani nefariam ab Oſio fidei formulam extorſerunt. de qua vide ſi lubet, quæ in Epiphanianis Animadverſionibus notavimus.

Diſſolvuntur argumenta contra nos oppoſita.

Satis pro opinione noſtra diſputatum eſt hactenus. Unum illud reſtat argumentum, quod ex illorum temporum hiſtoria duci invictum putatur à quibuſdam adverſus Socratis, aliorúmque Veterum ſententiam, quæ Sirmienſi poſtremæ contra Photinum Synodo præfinit annum Chriſti CCCLI; quam nos ab recentioribus haud meritò damnatam, ac veriſſimam eſſe monſtravimus. Qui enim potuit, inquiunt, Sirmii juſſu Conſtantii celebrari tum ulla Synodus, cùm Pannonia, cujus oppidum illud eſt, à tyrannis obtineretur? Nam poſt Conſtantis obitum, qui ineunte contigit anno CCCL, Magnentius in Galliis, & Italia; Vetranio in Pannonia, cui præerat, dominatum arripuerunt. Sed accurata notatio temporum iſtorum, inane hoc eſſe, irritúmque docebit.

Conſtans enim Conſtantii frater à Magnentio tyranno cæſus eſt, & Magnentius ipſe tyrannidem invaſit anno ineunte Chriſti CCCL, decimo-quinto Cal. Febr. Coſſ. Sergio, & Nigriniano, ut Idatius in faſtis, Socrates, Sozomenus, aliíque narrant. Magnentius Gallias, Italiam, & Africam obtinuit. eodémque anno Vetranio, qui peditum magiſterio præditus Illyricum curabat, imperium & ipſe uſurpavit apud Sirmium Calendis Martii, ut ait Chronicon Alexandrinum. ex quo caſtigandus eſt Idatii codex, qui Calendas Maii notat, errore librariorum, qui litteram, *s* pro *r*, poſuerunt. Hunc enim ſcribit in Cæſaribus Victor cis menſem decimum in ordinem redactum eſſe ab Conſtantio; quod VIII. Cal. Jan. accidiſſe teſtis eſt Idatius: apud quem etiam perperam id confertur in annum eum, qui inſcribitur *Poſt Conſulatum Sergii & Nigriniani*, & eſt Chriſti CCCLI. Nam iſtud evenit antecedente anno, Coſſ. Sergio, & Nigriniano, decimo menſe nondum expleto ab Martio. Vetranione ſumma poteſtate ita, uti diximus, exuto, Conſtantius Illyricum obtinuit. At ſequente anno, qui fuit Chriſti CCCLI, Magnentius IV. Cal. Octob. ut refert Idatius, ad Murſam Illyrici oppidum victus eſt à Conſtantio, & anno deinde tertio Chriſti CCCLIII. apud Lugdunum ſibi necem conſcivit. Quocirca anni CCCLI. majori parte, hoc eſt prioribus menſibus, & ab Octobri deinceps, Illyricum in poteſtate fuit Conſtantii, potuítque Sirmii Epiſcoporum habere conventum.

Zoſim. 2. Victor. in Cæſ.

Cùm igitur Vetranione dejecto Conſtantius Sirmii moras faceret; ac Photinus in eadem urbe nefariam vulgaret hæreſim, Ariani Epiſcopi, quos in comitatu ſemper habebat Conſtantius, ut pro Catholicis ſeſe gererent, atque ab hæreſi alienos ſe eſſe monſtrarent, Imperatori perſuadent, ut Sirmium ex Orientis partibus Epiſcopos cogeret. quod ab illo factum eſſe anno ipſo CCCLI. teſtatur Socrates. Neque verò conſtat quot illic Epiſcopi fuerint. Sed illud certum eſt, pauciſſimis exceptis, Orientales omnes fuiſſe. Socrates Valentem ſolum Murſorum Epiſcopum nominat, & Oſium Cordubenſem. Sed de Oſio fallitur, ut in Animadverſionibus ad Epiphanium oſtendimus. Cauſſa autem erroris hæc illi fuit, quòd aliam fidei formulam, quæ in eâdem urbe poſtea decreta eſt, Oſius ſubſcriptione ſua probare coactus eſt. quam quidem in Sirmienſi Concilio, quod adverſus Photinum celebratum eſt, publicatam eſſe falsò arbitratus eſt Socrates. Quamobrem Sirmienſis illa Synodus Orientalium fuit Epiſcoporum. Unde S. Hilarius libro de Synodis, fidem, quæ tum illic publicata eſt, expoſiturus, ita præfatur: *Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ.*

Cur autem plerique omnes, qui tum Sirmii convenerunt, Orientales eſſent, ac præter unum alterúmve nullus Occidentalium acceſſerit; nulla fingi cauſſa poteſt alia, niſi quòd Occidentem, hoc eſt tranſalpinas regiones, & Italiam Magnentius occupabat. Niſi cauſſa hæc fuiſſet, ac ſi Conſtantius Occidentem in ditione ſua tenuiſſet: quis dubitat, quin Sirmii, quæ urbs Occidentalis erat imperii, habitam Synodum frequentiores ex Occidente celebraturi fuerint Epiſcopi? quemadmodum Arimini poſtea factum, & antea Sardicæ. Atque hoc non leve eſt argumentum, quo Magnentianis temporibus indicta illa Synodus oſtenditur.

CAPUT III.

Hilarii locus ex Fragmentis illuſtratur: in quo de Photino agit, ac Synodis contra eum factis. unde pleraque eorum probantur, quæ iiſdem de rebus obſervavimus.

CUM ex Hilarii potiſſimùm Fragmentis expreſſa ſint ea, quæ de Photini damnatione, Synodiſque contra ipſum habitis capite primo docui; viſum eſt ipſius locum integrum hîc exſcribere, ut ſingulorum probationes in promptu habeantur; quibuſdam additis Scholiis, quibus velut radiis illuſtratus, planus legentibus, ac facilis occurrat: quem alioqui deſperatæ obſcuritatis eſſe; ac neque verbis, neque ſententiis cohærere, docti quidam homines arbitrati ſunt.

HILARIUS.

Supereſt ut quid de Marcello, & Photino geſtum ſit, pauciſſimis dicam. Photinus Sirmienſis Epiſcopus fuit à Marcello imbutus. Nam & Diaconus ſub eo aliquamdiu fuit. Hic corruptis innocentia moribus, ac diſciplinis, turbare Evangelicam veritatem perſiſtebat novis prædicatibus. Et hoc ita ſæpè eſt, ut cùm incrementa vitiorum, detrimenta in amore Dei fecerunt, veſanum depravatæ ſcientiæ ſtudium increſcat. [1] *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui* [2] *ante biennium jam in Mediolanenſi Synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur Sacerdotes,* [3] *hoc magis ſolliciti, atque anxii, turbari rurſum, miſcerique omnia, quod jampridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio judiciorum, vel communionis hæreſis Arianæ, ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare.* [4] *Quam opportunitatem nacti Urſacius, & Valens Romanæ plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in commu-*

Pag. 23. edit. Pariſ. anni 1598.

1 *Igitur ad tollendum.*] Hîc Sirmienſem Synodum intelligit priorem à Catholicis obitam: utpote cujus opportunitatem conſecuti Valens & Urſacius ad Eccleſiam redierunt, oblatis libellis tam Julio Papæ, quàm Athanaſio. Id autem fecerunt anno Chriſti CCCXLIX. paullò ante Conſtantis obitum, qui ineunte CCCL. accidit. Atque Sirmienſis ſecunda non ante annum CCCLI. celebrata eſt. Diverſa igitur ab hac illa fuit eodem in oppido peracta.

2 *Ante biennium.*] Ergo anno CCCXLVII. brevi poſt Sardicenſem tempore, & eodem anno. Mediolanenſis autem iſta perperam cum altera confunditur, quæ anno CCCLV. ab Arianis Conſtantii auctoritate fretis eſt habita. in qua complures Epiſcopi Catholici relegati ſunt, & inter alios Liberius Papa. Contigit autem, ut & Mediolanenſis una Synodus biennio ante Sirmienſem priorem fieret, & poſt Mediolanenſem alteram, biennio itidem Sirmii conventus Epiſcoporum aliquot haberetur, non contra Photinum, ſed ad novam fidei condendam formulam, quam Sirmienſem de tribus ſecundam eſſe demonſtravimus. quæ res nonnullis impoſuit, ut Sirmienſes plures Synodos in unam conflarent; Mediolanenſes itidem plures in eamdem Mediolanenſem.

Pagi III.

3 *Hoc magis ſolliciti.*] Ergo Catholici erant, non Ariani, ut in ſecunda Mediolanenſi.

4 *Quam opportunitatem nacti.*] Florentibus Catholicorum rebus, & Athanaſio Conſtantis opera reſtituto, Valens & Urſacius ad Eccleſiam redire conati ſunt, primùm poſt Sardicenſem Synodum, ubi damnati

communionem per veniam admitti rogant. Julius ex conſilii veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro Catholicæ Eccleſiæ vires quoque detraheret Arianis, cùm eos, qui unitatem antè turbaverunt, conſilii hujus, & audaciæ pœnitentes in communionem Catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret. Et quia non eſt niſi de veritate confeſſio, niſi de vitio pœnitentia, niſi venia de admiſſo, Valens & Urſatius admittendi, ut orabant, in communionem, de Athanaſii innocentia, de judicii falſitate, de Ariana hæreſis piaculo talibus litteris antè profitentur.

Sequitur libellus, quem ſuapte manu Valens perſcripſerat, & Urſacius ſubſcripſerat, Julio Papæ oblatus.

P E R G I T H I L A R I U S.

[1] *Hæc epiſtula poſt biennium miſſa eſt, quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt.*

Sequitur libellus alter Valentis & Urſacii poſt aliquantum temporis à ſuperiore, ad Athanaſium, & Epiſcopos miſſus.

H I L A R I U S.

Superioribus igitur litteris datis venia indulgetur orantibus, reditus ad Catholicam fidem cum communione donatur: maximè cùm Sardicenſis Synodi veritatem ipſe orantium veniam littera continerent. [2] *Verùm inter hæc Sirmium convenitur. Photinus hæreticus comprehenſus, olim reus pronunciatus, & à communione jampridem veritatis abſciſſus, nec tum quidem per factionem populi potuit * admoveri.* [3] *Sed idem Athanaſius Marcellum, qui poſt recitationem libri, quem ſcriptum ediderat (nam hunc quoque nos habemus) ſententia Synodi Sardicenſis Epiſcopatui erat redditus, ubi quædam alia nova miſcere ſenſit, & ambiguis prædicationibus ejus, in quam Photinus erupit, doctrinæ viam quærere, à ſua communione ſeparavit, anteriore tempore quàm Photinus arguitur, præventam judicio meditationem corruptæ voluntatis oſtendens, & non ex libri editione condemnans. Sed quia promptum eſt ex bono malum efficere, præbuit non illis in Marcellum, quæ geſta antea fuerant, ſed his, quæ in Photinum gerenda erant, auctoritatem. Illud autem eſſe cognitum cunctis oportet, nullam unquam adverſus Marcellum, præter eam, quæ Sardicenſibus eſt diſſoluta ſententiis, deinceps Synodum fuiſſe contractam,* [4] *neque hinc unde Photino decretum ab Occidentalibus eſt, & ad Orientales eſt relatum, aliquod in eum expreſſum fuiſſe judicium. Sed homines mente callidos, ingenio ſubtiles, malitia pertinaces occaſionem revolvendi ejus, quod Athanaſii abſolutione eſt diſſolutum, quæſiviſſe judicii, & reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut inſtitutionum talium magiſtri addidiſſe, ut mortuam de Athanaſio ipſo jam tempore quæſtionem, & veritatis judicio conſepultam, in publicam recordationem cauſæ novitas excitaret, & ſubrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret. Exſtat autem in ſuperiore epiſtulæ corpore, Marcellum ab Arianis occaſione libri, quem de ſubjectione Domini Chriſti ediderat, unà cum Athanaſio fuiſſe damnatum. Docetur etiam recitatione ejuſdem libri innocentem deprehendi: falſitatem quoque judicii Ariani, exſtantis adhuc libri fides arguit.* [5] *De Photino autem, ſicuti mos poſcebat, ad Orientales epiſtulæ fiunt non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adſenſum, ſed inſtruendæ univerſorum ſcientiæ conſuetudine. Sed cur abnegata Marcello communionis Athanaſius reus eſſe reſcribitur? Numquid propter libri vitium Marcellus abſtentus eſt? Teſtes ipſi ſunt, ex inſtitutis ejus Photinum perverſitatis iſtius initia ſumpſiſſe. Nam negata ſibi ab Athanaſio communione, ingreſſu ſeſe Eccleſiæ Marcellus abſtinuit. ita communio cum eo in iſta fide de ſubjectione traditione regni docet * negata rurſum pravitate doctrinæ alterius oſtendit. At ſic utrumque viri iſtius judicium caret culpa, cùm in data communione, Synodi ſit aſſecutus aſſenſum: in abnegata verò, ipſo ſe Marcello abdicante ſolo, ſine ulla Synodi auctoritate.*

* Cor. amoveri, vel ab-moveri.

---

damnati erant; oblato libello in Mediolanenſi Catholicorum Synodo; deinde Romæ, Julio Papæ. quod ex ipſorum Epiſtola priore ad Julium data, & Athanaſii Apologia ſecunda colligitur.

1 *Hæc Epiſtula.*] Falſò hæc Hilarii verba referas ad tempus illud, quod poſtremam Sirmienſem Synodum, in qua depoſitus eſt Photinus, excepit. præſertim ſi ea anno CCCLVII. facta eſt. Nam neque à Romanis in iſta damnatus eſt, ſed ab Orientalibus, & hæreticis neque poſt eamdem Urſacium ac Valens reſipuiſſe, ac libellus iſtos dediſſe leguntur. Adde Julium Papam, cui prior libellus porrectus eſt, anno CCCLII. deceſſiſſe. Biennio ergo poſt Mediolanenſem priorem, uti primo capite interpretati ſumus, ad Eccleſiam reditum impetrarunt.

2 *Verùm inter hæc.*] Redit ad inchoatam paullò antè narrationem de Sirmienſi Synodo *ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum*; quam interpoſita Valentis & Urſacio hiſtoria nonnihil abruperat. In ea Synodo priore Sirmienſi damnatus eſt Photinus; ſed Epiſcopatu pelli minimè potuit, quòd propter eruditionem, & facundiam, qua in utraque lingua pollebat, vulgo eſſet acceptus. hoc eſt quod ait, *per factionem populi amoveri* non potuiſſe.

3 *Sed idem Athanaſius.*] Huic hiſtoriæ ſuffragatur Severus Sulpicius libro II. Sed mirum videtur, Athanaſium nihil in libris ſuis ejuſmodi de Marcello ſignificare. Nam eum potiùs ubique ſublevat, & ab Arianis immeritò, ac per calumniam accuſatum eſſe contendit; ut in Apolog. 2 & in Epiſt. ad Solit. Verùm in Oratione quadam, cujus inſcriptio eſt, *Quòd unus ſit Chriſtus*; Marcellum cum Paulo Samoſateno conjungens ideo reprehendit, quòd Chriſtum nudum hominem eſſe dixerit, ac ſervum, nec adoratione dignum. Sed oratio iſta, meo quidem judicio, Athanaſii non eſt. Nam & ſtilus ipſe ab Athanaſiano diverſus eſt, ac multò elegantior. tum apertè hypoſtaſes in Trinitate tres agnoſcit, quibus quartam à Marcello, & Samoſateno adjectam queritur hominis Chriſti. Atqui ſæpius unicam in divinitate hypoſtaſim tuetur Athanaſius. Poſtremò, quod ad rem magnopere facit, Athanaſii Epiſtola ad Solitarios, in qua Marcellum luculenter excuſat, eique Catholicæ fidei teſtimonium præbet, multò poſterior eſt eo tempore, quo Marcellum eumdem ab Athanaſio communione multatum Hilarius, ac Severus indicant. quippe poſt Liberii relegationem, lapſúmque ſcripta eſt, hoc eſt poſt annum CCCLVII. qui undecimus fuit à Sardicenſi Synodo. Epiphanius Hæreſi LXXII. n. IV. refert percontanti ſibi aliquando de Marcello quid ſentiret, Athanaſium dubiè reſpondiſſe, ac ne reſpondiſſe quidem; ſed nutu ſolo, ac riſu levem de eo ſuſpicionem indicaſſe. quo ſanè contentus eſſe non potuit, ſi eum aliquando propter hæreſim communione ſua privaſſet. Quocirca valdè mihi perplexa videtur, credo & prudenti cuivis, iſta Hilarii, & Sulpicii narratio. Quæ ſi vera eſt, tum illa ſanè Athanaſii in Marcellum animadverſio medio tempore Sardicenſem inter, & Sirmienſem priorem tempore accidit, hoc eſt inter annum CCCXLVII. & CCCLIX. In eo verò laborat Hilarius, ut ab Athanaſio damnati Marcelli invidiam repellat. Etenim quòd unà cum ipſo in integrum reſtitutus erat in Sardicenſi Synodo; ac ſubinde tamquam hæreticum ab communione ſegregaſſet; Sardicenſis auctoritatem viſus eſt minuere. quemadmodum poſtea ob tria capitula ab Juſtiniano & Quinta Synodo damnata, Calchedonenſis Synodus labefactari viſa eſt, & ejus acta reſcindi. quæ res Catholicos pleroſque contra Conſtantinopolitanam illam Synodum armavit. Ejuſdem enim generis utraque fuit quæſtio. Sed Hilarius negat eadem de cauſa damnatum ab Athanaſio fuiſſe Marcellum, ob quam ab Arianis primo depoſitus, ab Sardicenſi deinde reſtitutus erat. Verùm illic de libro quodam ab eo contra Aſterium edito controverſiam omnem extitiſſe, quem Ariani deteriorem in partem acceperant; Athanaſium verò propter quædam privatim, ac citra librum illum, ab eo ſparſa, quæ occultum virus redolerent, eumdem ab communione rejeciſſe.

4 *Neque hinc unde Photino*] Sirmienſis prioris Synodi Patres nihil contra Marcellum decreverant, ullo vel levi ſuſpicione perſtrinxerunt. Sed Orientales ipſi acceptis Occidentalium litteris, ita quod contra Photinum actum illic erat approbarunt, ut cum Photino etiam Marcellum eadem damnatione conjungerent; quo ſibi viam munirent ad opprimendum Athanaſium, qui in eadem cum illo cauſa eſſe videbatur; utpote damnatus cum eo pariter in Conſtantinopolitana Synodo, & in Sardicenſi reſtitutus.

5 *De Photino autem*] Notetur hic locus. Nam Sirmienſi priorem Synodum apertè & ab Occidentalibus celebratam, & iis Catholicis, oſtendit.

Hæc ad Hilarii verba commentari voluimus, ex quibus appareret, conſequentem illius eſſe loci ſententiam, neque mutilam hunc, & inextricabilem videri; ut quidam exiſtimant.

Pag. 518. Tom. I. Ath. edit. Commel.

Digitized by Google

JACOBI SIRMONDI

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

DIATRIBA SECUNDA

SIRMIANA.

Examen continens Diſſertationis, quam de Photino hæretico ejúſque damnatione, vir doctus in lucem nuper dedit.

CAPUT I.

De multiplici damnatione Photini, & novis Synodis quas nupera Diſſertatio introducit.

DIVERSAS quinque ſynodos in quibus damnatus ſit Photinus, repertas à ſe vel notatas diſſertationis auctor enumerat. Non ſpernenda nec indigna ſcitu obſervatio, ſi vera eſt. Sed quis errorem in eo non ſtatim deprehendit, quòd primam Photini damnationem impe-
Diſſert. rante adhuc Conſtantino factam putat? Enimverò dam-
p. 641. b. nati Conſtantino regnante Photini hæreſis qui potuit, ſi exorta nondum erat? ſi poſt Conſtantini exceſſum Conſtantii demum temporibus, ipſius qui loquitur te-
Hær. 71. ſtimonio, nata eſt? Epiphanii verba ſunt, ipſo interprete, Photinum ἐπὶ Κωνσταντίου *Conſtantio imperante infelix doctrina ſua lolium diſſeminaſſe.* Sub Conſtantio igitur emerſiſſe Photinum cenſuit Epiphanius. Hoc verò
Lib. 2. c. 14. ampliùs Socrates, quòd annum quoque ipſum, ſi attendimus, propemodum deſignavit, dum Photini exordia inter utramque ſynodum Antiochenam defixit. Nam cùm priorem in Encæniis anno Conſtantii principis quinto, Chriſti CCCXLI. peractam fuiſſe conſtet, exinde poſt triennium poſteriorem, quid veriſimilius, quàm ut Photini hæreſis ex Socratis ſententia, vel anno Chri-
Annal. 341. De Occid. Imp. ſti CCCXLII. prodiiſſe dicatur cum Baronio, vel CCCXLIII. cum Sigonio?

Ceterùm ut de anno fortaſſe aliqua ſit controverſia, de auctore noſtro nulla eſſe poteſt quin errarit ad Conſtantini tempora referens quod ad Conſtantiana pertinebat; falſóque de Conſtantinopolitana ſynodo anni CCCXXXVI. conjectarit damnatum in ea cum Marcello
Lib. 1. 24. fuiſſe Photinum, quia de Marcello quidem & Socrates
Lib. 2. 31. & Sozomenus, & qui Synodo intereſſe potuit, ac poſt
Lib. 2. cont. Marc. c. 4. illam mox ſcripſit, Euſebius Cæſarienſis, & ceteri conſentiunt: de Photino autem quòd in ea damnatus ſit, nemo hactenus ſomniavit præter ipſum. Photinum ſanè unà cum Marcello ſynodica ſententia perſtrictum aliquando fuiſſe neſcii non ſumus: ſed non ante ſynodum ſecundam Antiochenam, à qua damnati ambo repetiuntur in formula fidei pluribus verbis expreſſa, quæ ideo μακρόστιχος appellata eſt. Audiat & ἀμαθίαν ſuam miretur, qui primam damnationem Photini falſam & frivolam commentus ſit, veram & germanam non obſervarit. Sic enim in ea ſynodo Ariani Epiſcopi loquun-
Apol. 2. p. 691. tur apud Athanaſium. Βδελυσσόμεθα δὲ καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς Χριστὸν μὴ εἶναι πρὸ αἰώνων θέλοντας· ἀλλ' ἐκ τότε Χριστὸν αὐτὸν γεγενῆσθαι καὶ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἐξ οὗ τὴν ἡμετέραν ἐκ τῆς παρθένου σάρκα ἀνείληφε. τοιοῦτοι δέ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου καὶ Σκοτεινοῦ τοῦ Ἀγκυρογαλάτου. *Abominamur præterea & anathematizamus eos qui Chriſtum non ante ſæcula fuiſſe contendunt, ſed ex eo tempore eum Chriſtum & filium Dei factum fuiſſe, ex quo noſtram carnem de virgine aſſumpſit. Tales ſunt diſcipuli Marcelli & Scotini ab Ancyra Galatæ.* Scotinúmne pro Photino appellarit ſynodus,
ut eſt apud Athanaſium, an Photinum, ut habet So- Lib. 2. c. 15.
crates, nihil moror. Scotinum etiam per ludibrium à Lucifero Caralitano dictum in eo libro conſtat, cui ti-
tulus eſt *De non parcendo in Deum delinquentibus.* Hoc Pag. 264.
contendo primum omnium de Photino ſynodicum judicium iſtud eſſe numerandum quod dixi. antiquius illud
certè ſynodo Sardicenſi. quod ex Sulpitii Severi verbis, Lib. 2. Hiſt.
quæ citantur, conſequi non negarim. Sed in confuſa eo loco & diſtorta Severi oratione quàm certum eſt falsò tradi Epiſcopos apud Sardicam Conſtantini juſſu congregatos, qui ab ejus filiis decimo poſt mortem patris anno congregati ſunt, tam minimè dubium falli &
errare duplici nomine virum doctum, tum quòd abſen- Diſſert.
tis Athanaſii damnationem, cujus meminit Severus, ad p. 541. c.
ſynodum Antiochenam pertinere velit, cùm ad Tyriam referenda ſit. quia licèt abſens in utraque damnatus ſit, in Tyria tamen ſola ſub Conſtantino. tum quòd objectam Athanaſio participatæ cum Marcello & Photino communionis accuſationem alieno loco apud Severum commemorari non ſentiat. cùm exploratum ſit, è duobus judiciis, quæ in Athanaſium per Arianos facta ſunt, in Concilio Tyrio & in Antiocheno, neutri hunc accuſationis titulum competere. In Tyrio enim falſis de Iſchyra & Arſenio criminibus damnatus eſt: in Antiocheno crimini datum, quòd priſtinam ſedem, unde ſynodali, ut aiebant, judicio pulſus fuerat, ſine Epiſcoporum auctoritate repetiiſſet. De recepto autem ad communionem Marcello, aliiſque Arianorum ſententia damnatis, in Sardicenſi demum ſynodo ab Arianis
inſimulatus eſt; quod ex ipſa illorum ſynodica in Hila- Lib. 1. p. 16.
rii fragmentis obſervare eſt. Quare ad ſynodum Sardicenſem ſpectabat hæc accuſatio, & alieno ut dixi loco apud Severum prolata eſt. Falſum igitur in prima ſua Photini damnatione, multiſque modis hallucinatum auctorem diſſertationis hactenus oſtendimus. nunc ad reliquas pergamus.

Poſt hæc in Sardicenſi Concilio iterum fuiſſe damna-
tum auctore aſſerit Epiphanio, qui Photinum narrat Diſſert.
ὑπὸ τῆς ἐν τῇ Σαρδικῇ δυτικῆς συνόδου καθῃρῆσθαι. *In Sardi-* p. 541. c.
cenſi Occidentali ſynodo depoſitum. Ac ne ambiguum foret, quia ſecedentibus apud Sardicam Arianis ſynodus bifariam diviſa eſt, ab utra parte damnatum intelligeremus, à Catholicis damnatum affirmat, & hoc addit ipſe de ſuo. Itáne verò ut damnatum à Catholicis eo judicio Photinum credamus, in quo an Catholicorum quiſquam ſederit incertum, hæreticus omnium conſenſu præfuit & primas partes egit Semiarianorum princeps Baſilius Ancyranus? Credet hoc affirmanti qui volet, nobis non perſuadebit. Porrò cùm damnati Epiſcopatúque dejecti Photini nulla in Sardicenſibus actis ſit mentio, & quæ de Photini exauctoratione, déque Baſilii cum Photino diſputatione, ab Epiphanio tamquam

Sardicæ geſta memorentur, eadem omnia Sirmienſem ad ſynodum pertinere Scriptores alii fidem faciant, parum perſpicacem videri oportet eum, qui Epiphanium, quod alii pridem monuerunt, memoria lapſum hoc loco ſynodo Sardicenſi tribuere, quod Sirmienſi congruebat, caſſámque & inanem auctoris obſervationem jacere non videat.

Differt. p. 541. c. Tertia, inquit, Photini condemnatio in Concilio facta eſt Mediolanenſi. non in illo pervulgato anni CCCLV. de quo nos Hilarii fragmenta interpretabamur: ſed in altero quod ſtatim poſt Sardicenſe ab Epiſcopis Catholicis eodem ipſo anno celebratum vult perſuadere. De Hilarii verbis utri faveant poſtea videbimus. nunc mirificam iſtam ejus ſynodum contemplemur. Mediolani ait Epiſcopos qui Sardicæ nuper fuerant, quos enim alios dicere habeat? iterum congregatos. quis hoc indulgeat, duas uno anno ſynodos tam diſſitis in locis, & tam diverſarum provinciarum Epiſcopis imperatas? Non omnes, inquit, ad Mediolanenſem acciti ſunt, ſed ſoli Catholici. Quorſum hi præcipuè? ut Photinum condemnarent. Atqui Sardicæ à Catholicis, ſi ei credimus, proxime fuerat condemnatus. Quid igitur opus fuit eoſdem iterum Mediolani, ut actum agerent, nova ſynodo fatigari? Tam immemor eſt ſui, ut quid paullò antè ſcripſerit non recordetur? tam ſecurus noſtri, ut oblivisci nos poſſe confidat?

Differt. p. 542. c. In hac præterea ſynodo Arianæ ſectæ quatuor Epiſcopos, Demophilum, Macedonium, Eudoxium, & Martyrium interfuiſſe docet, Ariíque perfidiam damnare noluiſſe. Quis hoc rurſus credi ab eo potuiſſe non miretur? Quæro enim aliúmne cenſeat hunc eſſe Demophilum, alium Macedonium, & alium Eudoxium, quàm quorum ſubſcriptiones in Sardicenſi Arianorum ſynodica leguntur, Demophili à Beroë, Macedonii à (Hilar. fragm. lib. 1. 28.) Mopſueſtia, Eudoxii à Germanicia? Quòd ſi hos ipſos eſſe non negabit, edicat ſi poteſt, undenam tanta iſtorum tam repentina mutatio, ut qui proxime apud Sardicam, ne cum Catholicis coirent, ſeceſſionem fuga fecerant, iidem nunc eoſdem, ut eorum Concilio interſint, Mediolanum uſque conſectentur? Si edicere non poteſt, incredibilia & falſa hæc eſſe confiteatur.

Habet tamen unde vera eſſe confirmet, Liberii Papæ ad Conſtantium Epiſtolam, in qua narrat octavo antè anno quàm ſcriberet, hoc eſt, ut ipſe ratiocinatur, anno ipſo ſynodi Sardicenſis, Epiſcopos iſtos cùm apud Mediolanum Arii ſententiam hæreticam noluiſſent damnare, de Concilio iratis animis exiiſſe. De hac ergo nos epiſtola quid ſtatuemus? Errare hîc etiam illum, & falsò niti principio, qui ſcriptam ponat anno CCCLV. cùm anno ſuperiore ſcriptam non vanis argumentis evicerit Baronius. (Annal. 154.) tum cùm indicta ſynodus nondum erat, cujus impetrandæ gratiâ legati cum Epiſtola mittebantur, & cum in Galliis adhuc ageret Conſtantius, quem inde poſtea in Italiam ſub exitum anni CCCLIV. ad hiberna deſcendiſſe auctor eſt Ammianus Marcellinus. (Lib. 14.) Proinde hunc verum & legitimum eſſe annum epiſtolæ Liberianæ. Ab hoc ergo annis octo quos numerat Liberius ſi regrediare, conventus occurret Mediolanenſis, non quo anno ſtatuebat diſſertatio, ſed anteriore CCCXLVI. ac tum plana & liquida fluent omnia. Nam & Eudoxium collegáſque Epiſcopos, qui ab Orientalibus legati, ut Socrates & Sozomenus ſcribunt, (Lib. 2. 15. Lib. 3. 10.) μακρόστιχον illam fidei formulam in Italiam attulerant, Mediolani tunc adfuiſſe nihil erit abſurdi. Et cùm Athanaſium eodem quoque anno Mediolanum Roma Conſtantis Principis accitu veniſſe, atque inde in Gallias profectum Sardicam ad ſynodum unà cum Hoſio contendiſſe, (Pag. 526.) Athanaſii ipſius ad Conſtantium apologia demonſtret, liquet profectò Mediolanenſem iſtum quiqui fuit Epiſcoporum conventum, de quo ſcribit Liberius, Sardicenſi contrà quàm amico noſtro viſum eſt non ſucceſſiſſe, ſed anteceſſiſſe. Quare nihil illi ad ſuum iſtud Concilium Liberii epiſtola ſuffragata eſt.

Videamus an opis plus adferet altera ſynodi Ariminenſis, quæ Urſacium & Valentem in Concilio Mediolanenſi ad communionem receptos teſtari videtur. Quamquam enim non in Concilio, ſed ſub tempus Concilii receptos emendatiora habeant exemplaria, (Athan. de ſyn. p. 676.) ὅτι ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο. atque hoc ipſum in eam epiſtolam irrepſiſſe per errorem videri poſſit ex Valentis & Urſacii ad Julium epiſtola, in qua *libelli* abs ſe apud Mediolanum oblati meminerunt, tametſi nec ſynodum ibi tunc fuiſſe, nec ad pacem ſe receptos ſignificent. quia tamen in Concilio receptos ipſe, atque ſuum hoc Concilium Mediolanenſe id eſſe, omnibus nervis contendit; hîc enimverò quod (Differt. 543. c. 544. 545. 546.) de aliis quatuor Epiſcopis antea quærebamus, percontari denuò libet, quàm veriſimile arbitretur duos iſtos Arianorum principes & anteſignanos, qui pro facinoribus ſuis à ſynodo Sardicenſi dejecti proximè fuerant, & communione privati, ad frugem tam ſubitò converſos advolaſſe Mediolanum, ibique communionem ſine mora recepiſſe.

Sed receptos prorſus non fuiſſe, fallíque qui aliter ſentiant, manifeſtum eſt. Etenim ſi à Mediolanenſi, ut volunt, ſynodo fuerant in integrum reſtituti, ſi cum Eccleſia Catholica redierant in gratiam, quid eſt quòd biennio poſt Concilium illud narrat Hilarius, Urſacium & Valentem Romanæ plebis Epiſcopum adiiſſe, (Fragm. lib. 1. 24.) *recipi ſe in Eccleſiam deprecantes, & in communionem admitti rogantes?* quid quòd recitatis illorum litteris ſubjungit, *venia indulgetur orantibus, reditus ad Catholicam fidem cum communione donatur?* An ignorare potuit Hilarius veniam illos à Concilio impetraſſe ſi revera impetrarant? & qui recipi ſe in Eccleſiam rogabant, nondum receptos ſe non ſatis oſtendebant? Quid ergo eſt quod contra horum confeſſionem, & contra Hilarii dilucidam relationem argutari nunc libet, illos in Concilio Mediolanenſi cum Eccleſia Catholica in gratiam rediiſſe, poſtea cum Athanaſio, & quod addi debuit, cum Julio Papa reconciliatos? Sed Julii nomen pudore ſuppreſſum eſt, ne in Eccleſiam eos receptos dicere videretur, quibus cum Eccleſiæ capite communio nondum eſſet. Et tamen hoc intelligi neceſſe eſt, ſi vera ſunt quæ dicit. Ceterum de Valente & Urſacio, quo tempore, quòve impulſu ad pœnitentiam adducti ſint, nemo certiùs noverat, nemo libentius audiendus eſt quàm Athanaſius. qui nec priorem (Apol. 2. p. 602. ad Solit. p. 699.) hac Romana reſipiſcentiam iſtorum ullam agnoſcit, & hujus ineundæ occaſionem non ex ficta ſynodo Sirmienſi, quæ etiamſi fuiſſet, ad cauſam nihil attineret, ſed ex frequenti Epiſcoporum paſſim, tum maximè Syrorum ac Palæſtinorum, ad Athanaſii communionem gregatim redeuntium concurſu natam refert, cùm de rebus ſuis jam deſperarent, & ſtimulis acti conſcientiæ remedia conquirerent. Quare ſatis opinor hoc etiam ex capite Mediolanenſis hujus Concilii, tertiæque in eo Photini damnationis vanitas pateſacta eſt.

(Differt. p. 545. b.) Quartò præterea damnatum facit in ſynodo Sirmienſi, non illa celebri & nota ſub Conſtantio, ſed altera quam Conſtante ſuperſtite à Catholicis Occidentalibus habitam ſabulatur. Conſequens erat nimirum, ut qui futilem Mediolani ſynodum procuderat, frivolam quoque nobis daret Sirmitanam. Quid ita verò? Quia Hilarius in Fragmentis ſcribit biennio poſt damnatum in Mediolanenſi ſynodo Photinum Epiſcopos ad eum tollendum ex Epiſcopatu Sirmium convocatos. Porrò Sirmii anno CCCXLIX. conveniſſe ob adnexam ab Hilario Valentis & Urſacii reconciliationem non dubitat. Ideò Mediolanenſem ſynodum Hilarii ſuam illam eſſe putat quam biennio antè collocavit. Nos ſimpliciores Mediolanenſem accipiebamus quam Mediolanenſem omnes vocant, & anno CCCLV. celebratam loquuntur hiſtoriæ. Itaque de hoc nunc capite inter nos eſt controverſia.

Quo autem argumento ecquam ſynodum Hilarius intelligat certiùs cognoſcemus, quàm ex Photini damnatione, quam in ſynodo factam docet? At numquam oſtendet adverſarius de Photino in ea quam fingit ſynodo ullam fuiſſe mentionem, quia de ſynodo illa præter ipſum nemini umquam ſuboluit. Nos in vera & omnibus nota Mediolanenſi hæreticum damnatum fuiſſe Photinum, ex ſynodi ipſius actis oſtendemus. Exſtat enim & Eccleſiaſticis Annalibus indita eſt Concilii hujus epi- (Ann. 355.) ſtola ad Euſebium Vercellenſem his verbis.

CONCILIUM MEDIOLANANSE EUSABIO fratri in Domino ſalutem.

Non ignorat cariſſima nobis dilectio tua, quàm ſit pretioſum vinculum caritatis & pacis. ET POST ALIA, de legatis ad eum miſſis. *Itaque ſinceriſſima prudentia tua quod ſpecialiter & ſinceriter admonemus audiat ſupradictos, & communicato pariter cum his conſilio, definiat quod de nomine hæreticorum Marcelli & Photini, necnon & Athanaſii*

nasii

naſi ſacrilegi totus propè deſinrunt orbis. ne non tam veritati, quàm intentioni parere videaris, &c. Poſt tam expreſſi teſtimonii auctoritatem dubitationi locus eſſe quis poteſt? Ac mirum profectò viri docti oculos fugere hanc epiſtolam potuiſſe: aut ſi vidit, qua de ſynodo Hilarius ageret, quámve poſt biennium Sirmii coactam diceret non percepiſſe. ne in Urſacii & Valentis pœnitentia illudi ſibi ab Hilarii fragmentis, quæ alieno hanc loco recitant pateretur, & in eruenda è parietinis, ut ait, ruderibúſque nova Sirmii ſynodo fruſtra laboraret.

Quàm multa ſunt enim, & quàm aperta, quæ commenti hujus inanitatem refellunt? Nam ut omittam ſynodo iſti, ſi Athanaſio Alexandriam reverſo, & Ur- Differt. p. 544. b. ſacio ac Valente in gratiam receptis habita eſt, ut fingitur, punctum temporis in quo habita ſit, ante Conſtantis obitum, qui ſub ipſum Athanaſii reditum incidit, adſignari nullum poſſe: fallitur haud dubiè, cùm Fragm. lib. 1. 26. id quod ab Hilario dictum eſt, Athanaſii de abſtento Marcello judicium damnationi Photini auctoritatem præbuiſſe, de hac Synodo ſua dictum interpretatur. Quaſi hærere in hac ſynodo potuerint Epiſcopi Occidentales, aut aliorum exemplum ad damnandum Photinum deſiderare, quem ipſi jam Mediolani, ſi verum eſt, ante biennium condemnarunt. Verùm hoc tamen amici cauſâ diſſimulemus. Quæro igitur ecquando ab Athanaſio factum cenſeat hoc judicium. Num ante reditum Athanaſii? at ridiculum eſt Athanaſium à communione ſua quemquam, priuſquam ſedem ſuam reciperet excluſiſſe. An verò poſt reditum? Et quantulum ante Conſtantis obitum tempus fuit, ſi tamen fuit, ut de Marcello judicare Athanaſio liceret? Poſterius er- Lib. 2. Hiſt. go, interjecto, ut Severus ait, tempore judicavit, ſed priùs tamen quàm Photinus argueretur, auctoritatemque quod teſtatur Hilarius præbuit non ſubdititiis auctoris noſtri ſynodis, ſed veris certiſque Conciliis, Mediolanenſi atque Sirmienſi, quorum in utroque damnatum re ipſa Photinum fuiſſe compertum eſt.

Differt. 15, 16, 17. Fallitur rurſum vehementérque hallucinatur, ubi maximè ſibi placere, ac ſynodum ſuam egregiè ſtabilire viſus eſt, cùm decretum Occidentalium de Photino, Lib. 1. p. 27. cujus meminit Hilarius, ad ſuam iſtam ſynodum & annum Chriſti CCCXLIX. transferri poſſe arbitratur. quo certè abſurdius alieniúſque fingi nihil potuit. Quid enim? an non teſtis eſt Hilarius Orientales hoc accepto decreto occaſionem revolvendi de Athanaſio quæſiſſe judicii, *& reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem, ut inſtitutorum talium magiſtri addidiſſe, ut mortuam de Athanaſio ipſo jam tempore quæſtionem, & veritatis judicio conſepultam, in publicam recordationem cauſa novitas excitaret?* Quis hæc autem anno CCCXLIX. convenire non poſſe, ſi verum amat, non fateatur? ut quo tempore Athanaſii ſuam in ſedem redeuntis læta & tranquilla erant omnia, ejúſque communionem certatim univerſi, & integræ ſynodi, atque ipſi etiam Arianorum principes expetebant, eo ipſo agitaſſe in Athanaſium conſilia, & odia exercuiſſe credantur. Et quo ſenſu mortua ipſo jam tempore quæſtio dici potuit, ſi non interquieverat, ſi nullo tempore ceſſarat?

Alia igitur ad tempora ſpectent Hilarii verba neceſſe eſt. ad illa, inquam, tempora Conſtantii, quibus poſt cædem Magnentii, pacatis bellis civilibus, Arianorum in Athanaſium furor renovatus eſt. Tunc enim revera negatæ Marcello communionis, damnatíque Photini Lib. 2. Hiſt. occaſionem nacti, aſtuto ut ſcribit Severus conſilio, innoxium criminoſis miſcentes, damnationémque Photini & Marcelli & Athanaſii eadem ſententia comprehendentes, eamdem ad Athanaſii condemnationem Catholicos Epiſcopos primùm in Arelatenſi Concilio anno CCCLIII. tum biennio pòſt in Mediolanenſi, & deinceps, quamdiu Conſtantius vixit, adigere conati ſunt, & vi ac minis plurimos impulerunt. De Mediolanenſi perſpicua res eſt. tres una ibi damnatos Concilii ad Euſebium epiſtola nos docuit. ad Arelatenſe referenda eſt, quæ id ipſum confirmat, Paulini Epiſcopi reſponſio, Lib. 2. Hiſt. de qua Severus Epiſcopos laudans, qui Arianis non ceſſerunt. *Inter quos*, inquit, *Paulinus Epiſcopus Trevirorum oblata ſibi epiſtola ita ſubſcripſiſſe traditur, ſe in Photini atque Marcelli damnationem præbere conſenſum, de Athanaſio non probare.* Cetera prætermitto. Poterant hæc ſola ſollerti viro, ſi animum adjeciſſet, ſufficere; tum ut de Hilarii verbis quò ſpectarent non ambigeret, tum ut ſuam iſtam Sirmienſem, in qua fingenda & ornanda tantum operæ poſuit, in ſuis mallet parietinis & ruderibus relinquere. Nunc quoniam exploſæ ſunt quatuor quas jactabat Photini hæretici damnationes, reſtat ut de Sirmienſi vera ſynodo, in qua damnatum fuiſſe Photinum inter nos convenit, quid adverſus priorem Diatribam noſtram in diſſertatione ſua proferat, expendamus.

CAPUT II.

Diſcuſſio eorum quæ ad priorem Diatribam reſponſa ſunt de anno ſynodi Sirmienſis, fideíque formulis in ea editis.

DUo inter nos de ſynodo Sirmienſi controverſa eſſe dicebamus. unum de tempore, utrum anno CCCLI. habita ſit, ut cum Socrate ſentit auctor animadverſionum: an CCCLVII ut Baronius. alterum de Hoſianæ perfidiæ formula, eadémne in ſynodo edita fuerit, ut cum Socrate cenſuit Baronius, an Sirmii quidem, ſed alio tempore extra ſynodum, ut contra Socratem & Baronium auctor idem contendebat. Nos annum CCCLI. ſynodo non convenire adverſus Socratem ex Socrate ipſo arguebamus: quia ſynodo interfuiſſe Hoſium, in eáque blaſphemiam ſuam condidiſſe Socrates affirmat. Hoſium autem non ante annum CCCLVII. lapſum eſſe, ac proinde ſynodum, ſi in ea lapſus eſt, ante hunc annum cogi non potuiſſe adſtruebamus.

Quid ad hæc reſpondit nupera Diſſertatio? Socrati Differt. de anno Concilii habendam fidem eſſe, de Hoſio non p. 550. b. habendam, quia fallitur. Cur enim verò? Undenam 551. d. hoc diſcrimen? Quia ſynodi annum, inquit, ex actis 557. a. publicis haud dubie deprompſit. Quid ſi Hoſii quoque nomen ex iiſdem actis didicit? Nam mirum ſit profectò in actis illum ſynodi quo anno celebrata ſit obſervaſſe, & in actis acta ipſa, hoc eſt quid & per quos unumquodque geſtum ſit neglexiſſe. Socratem falli nonnumquam & errare non inficior: ſed cur de anno hic potiùs audiendus ſit, quàm de Hoſio, nondum video. An quia Conſules adſcripſit, & *numquam*, ſi amico credimus, *temerè aut falsò notas Conſulatuum adhibet?* Quaſi verò non hoc ipſo in loco, ne longius exempla repetam, in comparandis Conſulatibus pueriliter lapſus ſit Socrates, cum fidei formulam, quæ Euſebii & Hy- Lib. 2. 24. patii Conſulum nomina, hoc eſt anni CCCLIX. notam gerebat, ſynodo Sirmienſi, quam poſt Conſulatum Sergii & Nigriniani nono ante anno habitam tradit, adſcribere non dubitavit.

Deſinat ergo vir doctus auctoritatem Socrati pro arbitrio ſuo nunc dare, nunc negare. quia ſi diſcrimen ſtatuendum hîc erat, de Hoſio potiùs vera dixiſſe credendus eſt, in quo adſtipulatores ex antiquis habet plurimos, ut oſtendam: quàm de anno ſynodi, de quo, Sozomenum ſi excipias, Veterum nullus eſt qui idem ſentiat. Diffidet autem & reclamat in primis Hilarius, Fragm. à quo disertè proditum eſt Synodum Sirmienſem, bien- lib. 1. 13. nio poſt Mediolanenſem, quæ Photinum damnarat, conſecutam. Unde quia Mediolanenſem anno CCCLV. celebratam fuiſſe non ambigebatur, conſequens erat, ut vinceret Baronius*, rectiúſque Sirmienſem anno CCCLVII. collocaſſe cenſeretur. Quo nos Hilarii teſtimonio uſi cùm eſſemus in Diatriba, non defuit acuto viro ingenium nec induſtria, qua ictum eluderet. Aliam namque ab Hilario Mediolanenſem ſynodum, aliámque Sirmienſem, non iſtas quas putamus intelligi cauſatus eſt. Sed nos commentitias ejus ſynodos anteriori capite ſic retudimus, ut fucum deinceps, ut ſpero, facere non poſſint.

Non minore, ſad nihilo feliciore argutia expedire ſe Differt. altera objectione noſtra conatus eſt, qua docebamus p. 555. d. anno CCCLI. in quem ſynodum Sirmienſem conjiciebat, cùm Occidentis provincias obtineret Magnentius, & bellicis motibus arderet Pannonia, vix ac ne vix quidem ſynodum in ea convocare Conſtantio licuiſſe. Et verò arduum atque incredibile videbatur, cùm à bello bellíque apparatu vacua ejus anni nulla pars foret, inter armorum ſtrepitus opportunum ac liberum cogendo habendóque Concilio reperiri tempus potuiſſe. At reperit tamen. Sic enim calculos ſubducit. *Victus eſt*, Differt. inquit, *Magnentius à Conſtantio IV. Kalendas Octobres.* Pag. 556. *Quocirca anni majori parte, hoc eſt prioribus menſibus, &* c. d.

ab Octobri deinceps potuit Conſtantius Sirmii Epiſcoporum habere conventum. Quaſi temporis momento bellum id comparatum, geſtum, confectúmque ſit. nullam ut anni partem, nullam diem præter IV. Kalend. Octobres occuparent hoſtiles illi tot locis impetus & impreſſiones, pontes fluminibus impoſiti, caſtra oppidis admota, & quæcumque ad Siſciam, Sirmiumque ipſum, ad Lib. 2. Hiſt. Cibalim & Murſam geſta Zoſimus refert. Sentio tamen quid dicturus ſit. æſtivos bellóque aptos menſes occupaſſe, reliquos ſynodo conceſſiſſe. Quoſnam verò? hibernos videlicet. Nempe ut ad ceteras difficultates hæc etiam accederet, ut cùm plurimis ex provinciis con- Lib. 2. 23. gregatos ad ſynodum Sirmienſem Epiſcopos teſtetur Hi- Lib. 2. 24. larius, ex Oriente & Occidente Socrates & Sozome- Lib. 4. 5. nus, his ut adeſſent neceſſe fuerit aut ninguidos montes ſaltúſque aliena tempeſtate tranſgredi, aut nondum aperto mari, ſi navigandum erat, vel jam clauſo, cum procellis & fluctibus luctari. Tantis enim incommodis, tanta cœli inclementia, imperari vel cogi anno CCCLI. Synodum potuiſſe ſupra fidem ducebamus, amico noſtro novarum ſynodorum artifici credere libuit, tametſi affine, aut ſimile ſynodi exemplum, nullum, niſi fallor, proferri poſſit.

De hoc igitur capite dictum ſatis. Supereſt ut de altero diſſeramus. hoc eſt de perfidia Hoſiana, quam cùm in ſynodo ulla editam in Epiphanianis Animadverſionibus negaret, nunc Diatribæ noſtræ admonitu, Phœbadium Aginnenſem Epiſcopum ſuggerentis, qui in Synodo, & Vigilium Africanum, qui in ſynodo Sirmienſi conſcriptam diſertis verbis pronunciarunt, ſententiam mutavit. In Concilio enim Sirmienſi, quod negare amplius non poterat, conditam fatetur: ſed Concilium hoc diverſum ab eo vult fuiſſe, in quo Photinus condemnatus eſt. Itaque ſi illum nunc audimus, triplex jam apud Sirmium numeranda eſt ſynodus. Prima Occidentalium ſub Conſtante, altera Orientalium ſub Conſtantio, tertia iſta in qua lapſum vult Hoſium. Et Pag. 311. ubi eſt quod in Animadverſionibus tam aſſeveranter prædicabat, *ex antiquis patribus odoratum ſe eſſe, tres omnino conventus Epiſcoporum eodem in Sirmienſi oppido non iiſdem temporibus celebratos fuiſſe: quorum primus dumtaxat Synodicus & indictus fuerit, reliqui duo fortuiti, miniméque Conciliorum loco & nomine cenſendi?* Unicam ſynodum Sirmienſem tunc noverat, nunc tres affirmat. Erraſſe illum tunc temporis dicemus, an modò?

Sed verius certiúſque, quod antea ſenſerat, ſynodum Sirmienſem unicam fuiſſe, in qua & damnatus ſit Photinus, & Hoſiana blaſphemia perſcripta. Quis enim veterum Scriptorum ſynodos Sirmienſes plures una numeravit? quis Hoſianam à Photiniana diſtinxit, aut quis cùm apud Hilarium, Athanaſium, Phœbadium, & alios, atque in ſynodo Ancyrana ſynodi Sirmienſis & ſynodi Sardicenſis conjuncta nomina legit, non ſicut unicam Sardicæ ſynodum cogitat, ſic unicam Sirmii? & cùm in ſynodo Sirmienſi lapſum eſſe Hoſium Vigilius teſtatur, aliud quàm in hac unica lapſum ſuſpicari poſſit? Sed repugnat acerrimè, & argumenta ingerit, ex quibus confici putat Hoſii lapſum ſynodo in qua damnatus eſt Photinus tribui non poſſe, auctores etiam ſibi eſſe ait, qui ſynodum utramque diſtinguant. Argumentis olim quatuor in Animadverſionibus ſuis uſum memini, ſingulíſque à me in Diatriba reſponſum. Nunc duobus contentus reliquis abſtinet, quia in his deceptum ſe, ut reor ex refutatione noſtra deprehendit. Poterat, niſi cauſæ ſerviret, iſtorum etiam repetitione ſuperſedere, quorum vim omnem Diatriba jam eliſerat.

Quid enim eſt quod priore loco tam enixè & tam multis verbis ediſſerit, ut probet formulam Hoſianam in Sirmienſi contra Photinum ſynodo conditam non Differt. p. 550. c. 551, 552. fuiſſe? Quia cùm iſta, inquit, formula publicata eſſet, atque in Orientem perlata, vehementer exarſit Baſilius Ancyranus, & alii cum illo Epiſcopi Semiariani, eámque mox in ſynodo Ancyrana decretis ſuis confoderunt. At ſynodo Sirmienſi Baſilius idem non ſolùm interfuit, ſed penè etiam præfuit. Quid igitur fingi abſurdius poteſt, quàm in illa ſynodo præſente Baſilio tam fidei conceptam eſſe formulam, quam is paucis pòſt menſibus deteſtatus eſt? Hæc ſumma ratiocinationis ejus, quam in Diatriba jam diluimus. Oſtendimus enim Epiſcopos, qui Sirmium ad ſynodum convenerant, poſt damnatum communibus ſuffragiis Photinum bifariam diviſos, diverſas exinde, ut diverſarum ſententiarum erant, placitis ſuis congruentes fidei formulas edidiſſe; Orientales Græcam, quæ ſimilem ſubſtantia patri filium ſtatuebat; Occidentales Latinam, quæ diſſimilem profitebatur, & Hoſii blaſphemia nuncupata eſt. Quis porrò Sirmii factum miretur, quod & antea Sardicæ & Arimini poſtea factum non ignoret? Nam & in ſynodo Sardicenſi, ut obſervabamus, diviſis inter ſe Occidentalibus & Orientalibus Epiſcopis, ſuas utrique prorſus diſcrepantes Synodicas conſcripſere, quas in Fragmentis Hilarii videre eſt: & in Ariminenſi aliam Lib. 1. 7. fuiſſe Catholicorum definitionem, quæ in iiſdem Fra- Lib. 2. 6. gmentis legitur, aliam Arianos ſuggeſſiſſe omnibus no- Lib. 2. 41. tum eſt. Denique in Conciliis ubi diverſarum partium erant Epiſcopi, uſitatius nihil fuit, quàm ut diverſa itidem partium ſtudia, diverſi congreſſus, & diverſæ verbis ſcriptíſque definitiones cernerentur. Quæ ſingula ſeorſim ita fiebant à ſingulis, ut talia geri & ſcribi ab aliis pars adverſa non neſciret, gerendis tamen ſcribendíſque non adeſſet. Quare in Sirmienſi Concilio, cujus pars una Semiarianorum fuit, quorum princeps Baſilius Ancyranus, pars Arianorum, in quibus Valens, Urſacius, & ceteri ſimilis pravitatis, abſurdum ſit, non duas exſtitiſſe formulas, quod in multis ſæpè Conciliis factum eſt; ſed de Baſilio ſciſcitari, an Hoſiana eo conſcio vel præſente ſcripta ſit, quaſi hoc neceſſe fuerit: ultróne an invitus illi ſubſcripſerit, quaſi ab eo quiſquam ut ſubſcriberet flagitarit: cur denique illam dictari paſſus ſit, quaſi vetare aut inhibere potuerit. Poſt damnationem namque Photini, quem pars utraque ut diverſa ſentientem communi calculo damnarat, in ſuas deinceps privatim definitiones incubuere, quod pars una faceret hoc alteram facere non neſcii, ſed quominus liberè ſua tractarent, minimè ſolliciti. Quid ergo eſt quòd formulæ iſtius cauſâ exarſiſſe fertur cum Semiarianis ſuis Baſilius? Malè hos habebat urebátque, non talia ſcribi ab Arianis, quorum ipſi cujuſmodi placita eſſent non ignorabant: ſed quòd perlata in Orientem Hoſii formula ſpiritus inflatos audirent Eudoxii Antiocheni, ceterorúmque quibus illa favebat Anomœanorum, atque hoc jam licentiùs hæreſim ſuam venditarent, quòd hanc Occidentales Valentis & Urſacii opera ſuſcepiſſe jactarentur. Qua re perculſi incenſique non antè conquieverunt, quàm & in ſynodo Ancyrana ſuis illam decretis averterent, & à Conſtantio per legatos, ut eamdem edicto ſuo tolleret impetrarent.

Nec verò propterea quòd formulam iſtam oppugnan- Differt. tes petierunt à principe Legati, *ut rata eſſent quæ apud* 551. b. *Sardicam & Sirmium in ſynodis decreta fuerant*, idcirco 552. conſcriptam in Sirmienſi non fuiſſe argumentari liceat. Neque enim omnia quæ apud Sardicam & Sirmium decreta fuerant confirmari petebant, ſed ea dumtaxat, quæ Orientales decreverant, ea nimirùm, *in quibus definitum erat ſimilem eſſe ſecundùm ſubſtantiam patri filium.* quod utroque in Concilio decretis ſuis ſanxerant Orientales, cùm Occidentales contrà in Sardicenſi conſubſtantialem, in Sirmienſi diſſimilem ſubſtantia profeſſi ſint. Ceterùm ut ridiculus fuerit, qui ea quæ Occidentales apud Sardicam profeſſi ſunt idcirco ad ſynodum illam pertinere negaret, quia Orientales in eâdem ſynodo aliter ſentiebant: ſic Hoſii formulam ad ſynodum pertinere, atque in ea conceptam & conſcriptam fuiſſe nihil vetat, quamvis hanc Orientales non probarint.

Nec virium plus habent ea quæ ſecundo loco de for- Differt. mularum titulis & inſcriptionibus ex Hilario depro- p. 553. a. muntur. Hilarius in libro de Synodis: aliter, inquit, Hoſianam formulam inſcribit, aliter Photinianam. Hoſianæ ſiquidem hoc lemma præſcribit, *Exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptæ:* alteri verò, *Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ.* Quid ex Inſcriptionibus iſtis arguit vir doctus? Ab Orientalibus plena in ſynodo ſcriptam fuiſſe formulam poſteriorem, alteram non niſi ab uno alterove. Atqui hoc inter nos, opinor, non quæritur, paucioréſne numero fuerint qui Hoſianam conflarunt, quàm qui alteram. Vigilius quidem, cùm per Hoſium, Valentem, Urſacium, Germinium, ceteróſque ſimilis pravitatis conſcriptam refert, non exiguo numero fuiſſe indicat. Sed fuerint ſanè pauciores, an ideo ſequitur in eâdem ſynodo conditam non fuiſſe? immò vero, ſi Hilarii mentem & verba introſpicimus, in eâdem utramque conditam oſtendunt. Quid enim opus erat,

cùm

cùm ſolas Orientalium fides proferret, de hac ſpeciatim monere ab Orientalibus fuiſſe conſcriptam, niſi ut alteram, id eſt Hoſianam ſecerneret, quam in eâdem ſynodo conditam meminerat, ſed ad Orientales minimè pertinere?

Differt. p. 553. b. Contra nos igitur nihil facit hic locus Hilarii. Ne alter quidem in quo Epiſcoporum Orientalium diverſis & locis & temporibus conſcriptas fides ſe commemoraturum ſignificat. Unde colligi volunt Sirmienſem formulam contra Photinum diverſo vel loco vel tempore ab ea conſcriptam eſſe quam dicimus Hoſianam. *At loco*, inquit, *diverſa non eſt. tempore igitur diverſa ſit oportet*. Videlicet Hilarius diverſis & locis & temporibus conſcriptas dixerat. timuit vir doctus ne Hilarii dicto veritas non conſtaret. itaque diverſas vel loco vel tempore interpretatus eſt, nempe ut Hoſianam includeret, quam loco diverſam à Photiniana dici non poſſe ſentiebat, tempore ab Hilario diſtinctam perſuadere voluit, ſed in caſſum. Ecquas enim fidei formulas deſcribit Hilarius? quas à Gallis expeti noverat, Orientalium ſcilicet Epiſcoporum. Quis ergo hic locus Hoſianæ, quæ Orientalium non erat, nec Gallis ignota, qui hanc nuper ad ſe miſſam repudiarant, quámque Hilarius ipſe invitum ſe operi ſuo inſeruiſſe teſtatur, tantùm ut Orientalium è diverſo reſponſiones noſcerentur? Orientales namque ſolas complecti animus erat, Antiochenam, Sardicenſem, Sirmienſem & Ancyranam. quas omnes veriſſimum eſt diverſis, quod perhibet, & locis & temporibus ſcriptas fuiſſe. Itaque nihil hic opus fuit illius gloſſemate.

Differt. p. 553. b. Poſt Hilarium iterum objicitur Vigilius, non ſanctus ille martyr Tridentinus, ut multis perſuaſum videtur, ſed alter annis centum & quinquaginta poſterior, Epiſcopus Africanus, qui Juſtiniano imperante, adverſus Neſtorium & Eutychen Conſtantinopoli ſcripſit. Hujus ergo verbis egregiè id quod volebat affirmari, Hoſianámque profeſſionem in diverſa ſynodo ab ea quæ Photinum dejecit, editam probari ait, dum ſynodum Orientalium contra Photinum Catholicum Concilium appellat, ejúſque ſanctiones collaudat; illum verò cœtum Epiſcoporum qui Hoſianam condidit, hæreſis & impietatis arguit. Veri ſpeciem aliquam habent iſta, nec inficior, ſed ſpeciem dumtaxat: re autem vera non duas diverſas ſynodos Sirmienſes denotant, ſed ſynodi ejuſdem duas, ut antè dixi, partes diverſas, placitis inter ſe doctrináque diſcrepantes. quarum altera Hoſianæ perfidiæ auctor fuit, altera formulæ illius quæ contra Photinum Græcè conſcripta eſt. Harum partium alteram, quæ Orientalium Epiſcoporum fuit, à quibus poſterior formula manarat, Concilium Sirmienſe Vigilius appellat, & quidem Catholicum. At Sirmienſe Concilium partem quoque alteram, in qua lapſus eſt Hoſius, idem Vigilius nominat in libro de unitate Dei, cujus verba in priore Diatriba deſcripſimus. Porrò quemadmodum in Fragmentis Hilarii, cùm diverſas Orientalium & Occidentalium, qui apud Sardicam convenerant, epiſtolas legimus, & utriſque ſynodi Sardicenſis præſcriptum nomen cernimus, haud quaquam diverſas ſynodos Sardicenſes auguramur, ſed ſynodi ejuſdem diverſas partes: ita prorſus de Sirmienſi ſtatuendum eſt, operámque eos ludere qui contrà nitantur.

CAPUT III.

De loco Fragmentorum Hilarii ſcholiiſque ad eum illuſtrandum à viro docto editis.

ERRORIS auctori noſtro ad novas ſynodos excogitandas occaſio nata eſt ex Fragmentis Hilarii. In quibus cùm Valentis & Urſacii pœnitentiam biennio poſt ſynodum Mediolanenſem ſub ſynodi Sirmienſis exordia poſitam videret, pœnitentiámque iſtam redeunte Alexandriam Athanaſio anno CCCXLIX. contigiſſe non ignoraret, in hanc ſe fraudem impelli paſſus eſt, ut quoniam Hilarii verba quemadmodum de Mediolanenſi & Sirmienſi, quæ ſub Conſtantio celebratæ ſunt, intelligi poſſent non capiebat, alias nobis ſub Conſtante omnis ejuſdem ſynodos fingeret de quibus Hilarium accipi juberet. Ut ſcopulum hunc vitaret, nec in ſententiam ab Hilario alienam incurreret, animadvertere potuit Valentis & Urſacii reſipiſcentiam in Fragmentis illis loco non ſuo commemorari. Et verò cùm propoſitum ſit Hilario, ut ipſa operis præfatio declarat, res ſub Conſtantio geſtas complecti, & initium ducere à ſynodo Arelatenſi, quid ab ejus mente fingi poſſit disjunctius, quàm ut locum hìc habeant ſynodi quæ ſub Conſtante habitæ dicantur, & Arelatenſi fuerint antiquiores? Pag. 6. Deinde ſi Athanaſii de Marcello judicium Conſtantis obitum præcedere non potuit, ut ſuperiùs oſtenſum eſt, Marcellum autem priuſquam Photinus argueretur, ab Athanaſii communione ſummotum auctor eſt Hilarius, quì convenit, ut Hilario notas fuiſſe credamus has ſynodos, quæ ſi veræ ſint, Hilario manifeſtiſſimè repugnent?

Placuit tamen hic error auctori, & ita placuit, ut ejus firmandi ſtudio verba Hilarii, in quibus conjecturas ſuas commodè ſibi repræſentare viſus eſt, longiùs deſcribenda, ſcholiiſque ſuis illuſtranda judicarit. Quaſi verò, nec enim diſpar eſt ratio, duas nos apud Sardicam ſynodos propterea fingere ſit opus, quia ſynodum Sardicenſem, quam à Conſtantini filiis congregatam omnes norunt, à Conſtantino patre convocatam Sulpitius Severus falsò tradit: aut quia Valentem & Urſacium, ne à re noſtra egrediamur, in Concilio Mediolanenſi veniam adeptos dicere videtur epiſtola ſynodi Ariminenſis, eo effici queat reconciliationem iſtorum, quam unicam fuiſſe, Romæque à Julio Papa factam omnibus eſt in confeſſo, non unam revera ſed geminam exſtitiſſe. Differt. pag. 557. 558. 559. &c. Quòd ſi nec duas Sardicæ ſynodos, nec duplicem Urſacii & Valentis reconciliationem dici patitur, ſatiuſque intelligit errorem in Hiſtoria Severi, & in Ariminenſi epiſtola confiteri, quàm ex falſis falſa concludere, & omnibus adverſari: cur idem judicium in Fragmentis Hilarii nos ſequi non ſinit, aut ſecutus ipſe non eſt? præſertim cùm ſecluſa & rejecta Urſacii & Valentis mentione, quam adſcititiam hoc loco & alienam diximus, præclarè cetera conſentiant, totáque iſta novarum ſynodorum ſuſpicio & color evaneſcat? Quæ cùm ita ſint, ſcholia iſta, quæ in his confingendis tota ſunt, & ſua ſponte jam corruunt, ſupervacaneum ſit confutare. quamquam illa, cùm eadem inculcent, novique nihil adferant, ſatis antea ſupérque à nobis refutata & labefactata ſunt.

Finem tamen antè non faciam, quàm id patefaciam, in quo maximè ſumma conſiſtit, & quod à nobis jam pridem, niſi ſtudio dilatum eſſet, minimè diſſimulari oportebat, Decretum illud Occidentalium de Photino ad Orientales miſſum, quod à ſua Sirmienſi profectum auctor volebat, & quo accepto revolvendi in Athanaſium judicii occaſionem quæſiiſſe dicuntur Orientales, non falſæ iſtius ſynodi, quæ nulla fuit, decretum fuiſſe, ſed Romanæ: quam à Julio Papa ante mortem anno CCCLII. habitam indicio eſt Liberii ad eoſdem Orientales epiſtola, quæ in Hilarii fragmentis habetur: quamque ab Hilario ipſo deſignari, cùm hæreſim Photini à Romanis damnatam ſcribit, non dubitem affirmare. Sic autem ſe habet. Lib. 1. 36 Lib. 1. 25.

Dilectiſſimis fratribus & Coepiſcopis noſtris univerſis per Orientem conſtitutis Liberius urbis Romæ Epiſcopus ſalutem.

Studens paci & concordiæ Eccleſiarum poſteaquam litteras caritatis veſtræ de nomine Athanaſii & ceterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ Epiſcopi accepi, ſecutus traditionem majorum, Presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum, & Helianum à Latere meo ad Alexandriam ad Athanaſium direxi, ut ad urbem Romam veniret, &c. Ex his verbis apparet quod dixi, Julium ſub vitæ finem ad Orientales de Photino litteras dediſſe: Orientalium verò epiſtolam, qua Julio reſpondebant, eo mortuo, ſucceſſori ejus Liberio redditam fuiſſe. In hac illos Athanaſium ceteris, id eſt Marcello & Photino ita miſcuiſſe, ut obſcurum non eſſet machinas illorum in Athanaſium præcipuè dirigi, eamque ob rem de illo uno reſcribere Liberium. Sed & Hilarius ipſe in prima operis parte argumentum idem tractans adverſus Orientales, ab Athanaſii defenſione orditur, in eáque copioſiùs verſatur: tametſi hodie mutila eſt, & principio caret, quod Sardicenſis Concilii epiſtolas, quarum teſtimonio utebatur, & quæ primum locum nunc obtinent, præcedebat. De Photino autem duas tantùm quæ de illo judicarant ſynodos memorat, Mediolanenſem

ſem & Sirmienſem. De Marcello id unum maximè, *neque tunc cùm de Photino*, ſic enim legendum, *decretum ab Occidentalibus eſt, aliquod in eum expreſſum fuiſſe judicium. de Photino tantùm epiſtolas eſſe factas. Sed Orientales reſcribentes de Photino Marcelli mentionem addidiſſe.* Decretum hoc ſynodi Sirmienſis, quæ ſub Conſtante fingebatur, ſi eſſe non potuit, ut ſuo loco demonſtravimus; ſi Romanæ revera fuit, ut ex Liberii epiſtola non inani conjectura didicimus: quid reſtat, niſi ut minùs feliciter locatam ab auctore in ſcholiis iſtis & in Diſſertatione tota operam intelligamus?

APPENDIX.

SUNT qui adverſus Baronii ſententiam de ſynodo Sirmienſi novam machinam inſtrui poſſe putent ex nomine Thalaſſii, quem Ammianus Marcellinus obiiſſe tradit Conſtantio VII. Conſule, id eſt anno Chriſti CCCLIV. Sic enim ratiocinantur. Judices Photino poſt ſynodum ex aula dati, Epiphanio teſte, hi fuerunt: Thalaſſius, Datianus, Cerealis, Taurus, Marcellinus, Evanthius, Olympius & Leontius. Si poſt ſynodum, inquiunt, ut cum Epiphanio innuere videntur Socrates & Sozomenus, factum eſt hoc judicium, atque in hoc judicio ſedit Thalaſſius, non poteſt ſynodus coacta dici anno CCCLVII. ante quem Thalaſſius vivere deſiit, fallitúrque Baronius qui ad hunc annum refert. Res perſpicua, ut apparet, ac minimè dubia. Attamen ſi retorquere libeat, & ex nomine Marcellini, qui in eodem eſt numero judicum, ſimiliter argumentari, ut doceamus anoo CCCLI. ſynodum adſcribi non poſſe, quod abſurdiſſimum ſit Marcellinum Magiſtrum officiorum, qui Magnentianarum partium Princeps fuit, & eodem illo anno in caſtris Magnentii pugnabat adverſus Conſtantium, delectum à Conſtantio judicem exiſtimari: hoc, inquam, argumenti genere ſi utamur, quid reſpondebunt? Negabunt, opinor, eumdem eſſe Marcellinum. Et nos ſi negemus eumdem eſſe Thalaſſium, qua ratione convincent? Ex Ammiani Marcellini verbis Thalaſſium contendunt ad annum CCCLVII. non perveniſſe. Nos contrà iſto ipſo anno Thalaſſium Præfectum prætorio fuiſſe docemus ex Lege VI. cod. Theod. *De Judæis* &c. cujus inſcriptio eſt *Imp. Conſtantius & Julianus Cæſar ad Thalaſſium P. F. P.* ſubſcriptio autem hujuſmodi: *Dat. V. Nonas Julias Mediolani Conſtantio Aug.* IX. *& Juliano Cæſare Coſſ.* Non latet nos mendum ſubſcriptioni ſubeſſe, quatenus data lex dicitur Mediolani, cùm illo anno nec Conſtantius Mediolani fuerit, nec Julianus, ſed ille Sirmii, hic verò in Galliis. Sed quoquomodo emendari placeat, Baronin prorſus lex favet, ſi ſalva eſt nota Conſulatus; adverſarios refellit, ſi vera eſt inſcriptio. Nam cùm Thalaſſii mortem Gallo adhuc ſuperſtite compertam ſcribat Marcellinus, Juliani qui Gallo ſucceſſit, non potuit ad Thalaſſium lex dari, ſi Thalaſſius jam obierat. Quare aut falſa eſt Marcellini de morte Thalaſſii aſſertio, ſi unus idémque eſt Thalaſſius: aut caſſa, ſi duo fuerunt, quæ contra Baronium ex Thalaſſii judicio ducebatur argumentatio.

DIONYSII PETAVII
ELENCHUS
DIATRIBÆ UTRIUSQUE
DE
PHOTINO,
ET
SIRMIENSI SYNODO.

CAPUT I.

Quibus argumentis Mediolanenſis nova Synodus aſtruitur, necnon Sirmienſis; illa anno Chriſti 347. hæc anno 349. Refelluntur quæ in Diatriba ſecunda capite primo contra ambas expoſita ſunt.

DISSERTATIONIS noſtræ de Photino hæretico nuper editæ duplex inſtitutum fuit: alterum, ſynodos duas aſſerere, atque è tenebris vindicare in lucem, Mediolanenſem, & Sirmienſem priorem; in quibus ab Catholicis damnatus eſt Photinus: alterum, poſterioris ſynodi Sirmienſis, quam hæretici celebrarunt, annum ex Socratis auctoritate conſtituere, Chriſti 351. non, ut recens opinio fert, 357. Utrumque Diatribæ auctor impugnat. cui nos hoc ordine reſpondebimus, ut de primario controverſiæ capite primùm agamus: tum de ceteris, quæ velut incidentia ſunt, neque ad præcipuam quæſtionem pertinent.

Imprimis ergo Mediolanenſem quamdam ſynodum ab Catholicis habitam eſſe defendimus, in qua Photini damnata eſt hæreſis: & Urſacius, ac Valens, rogata venia, recepti ſunt. quod anno 347. paullò poſt Sardicenſem ſynodum accidiſſe videtur. Hanc biennio poſtea excepiſſe Sirmienſem alteram dicimus, in qua Photinus Catholicorum ſententia depoſitus, propter populi factionem amoveri nondum potuit. Quas quidem ambas ſynodos ignoratas hactenus, ex Ariminenſi ſynodica, & Hilarii fragmentis hunc in modum adſtruimus.

In Concilii Ariminenſis epiſtola, quam Catholici Epiſcopi, nondum depravata hæreticorum verſutia ſynodo illa, ſcripſerunt ad Conſtantium Imperatorem; vehemens habetur expoſtulatio contra Urſacium, & Valentem ſigniferos Arianæ perfidiæ: quorum levitas & inconſtantia notatur, quòd cùm in Mediolanenſi Concilio anteactorum criminum veniam libellis oblatis impetraſſent, ad eadem illa rediiſſent poſtea. Ὅθεν Οὐρσάκιός τε καὶ Οὐάλης, ἐπειδὴ ἐκεῖθεν μέτοχοί τε, καὶ σύμφωνοι τοῦ Ἀρειανοῦ δόγματος ἦσαν καθεστηκότες, καὶ τῆς ἡμετέρας κοινωνίας χωρισθέντες ἀπεφαίνοντο· ἵνα μετάσχωσιν ἐφ' οἷς ἑαυτοῖς συνεγνώκεσαν πλημμελήσαντες, μετανοίας τε, καὶ συγγνώμης ἠξίουν τυχεῖν. ὡς καὶ τὰ γράμματα τὰ ὑπ' ἐκείνων γεγραμμένα μαρτυρεῖ· δι' ὧν ἁπάντων φειδοῦς γεγένηται καὶ ὁ καιρὸς καθ' ὃν ταῦτα ἐπράχθη, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον τῆς συνόδου συνεκροτεῖτο, συμπαρόντων δὲ καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίας. Quæ ſic in Tripartita vertit Epiphanius Scholaſticus: *Quapropter Urſacius & Valens, quoniam participes & concordes Ariani dogmatis erant, à noſtra ſunt communione ſegregati. Quam ut reciperent, cognoſcentes delicta, quibus peccaverunt, pœnitentiam, atque veniam impetrare poſcebant: & reſcripta eorum hæc ita ſe habere teſtantur, per quæ criminum veniam conſecuti ſunt. Erat enim tempus, quo hæc geſta noſcuntur, quando Mediolani ſynodus celebrata eſt, præſentibus Romanæ Eccleſiæ Presbyteris.* Hæc epiſtola ab Athanaſio deſcripta legitur *a* in libro de Synodis; necnon apud *b* Socratem, *c* Theodoretum, *d* Sozomenum, *e* Nicephorum, tum in *f* Tripartita, & *g* Hilarii Fragmentis. ubi, ſine ulla varietate ſcriptum eſt, Urſacium & Valentem in Mediolanenſi ſynodo libellis oblatis veniam exoraſſe. ut certiſſimum ſit, hoc omnino Ariminenſes Patres in epiſtola ſua poſuiſſe. Porrò cùm Urſacii & Valentis illa reconciliatio ante annum 350. inciderit, neceſſe eſt Mediolanenſem quoque ſynodum, ad quam ſupplices adierunt, eumdem annum anteceſſiſſe. Quare diverſa fuit iſta ſynodus ab alia Mediolanenſi, quæ anno 355. celebrata eſt.

Theodoret. l. 2. hiſt. Eccl. cap. 19.

Lib. 5. c. 34.

a p. 676. *b* Lib. 2. cap. 27. *c* Lib. 2. c. 19. *d* Lib. 4. c. 18. *e* Lib. 9. c. 40. *f* Lib. 5. c. 21. *g* Pag. 19. editionis Pariſ. anni 1598.

Conferantur modò cum Ariminenſi illa ſynodica, quæ Hilarius in fragmentis de eadem; ut apparet, ſynodo ſcribit: *Igitur ad tollendum*, inquit, *ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi ſynodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur ſacerdotes, hoc magis ſoliciti, atque anxii, turbari rurſum, miſcerique omnia, quòd jam pridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio judiciorum, vel communionis hæreſis Arianæ, ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare. Quam opportunitatem nacti Urſacius & Valens Romanæ plebis Epiſcopum adeunt; recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant.* Subjicit Hilarius amborum libellum oblatum Julio Papæ; tum ita loquitur: *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt.* Ex quibus efficitur Mediolanenſem ſynodum biennio contigiſſe antequam Urſacius & Valens Julio Papæ libellum offerrent: biennio itidem antequam Sirmii ad deponendum Photinum ſynodus haberetur à Catholicis, de qua mox. Quare cùm anno 349. Urſacius & Valens Julio Papæ libellum obtulerint, ut in Diſſertatione probatum eſt; conſequens ſit, anno 347. Mediolani ſynodum eſſe collectam: indidémque concluditur Sirmienſem illam ſynodum anno 349. eſſe factam, nempe biennio poſt Mediolanenſem,

Pag. 13.

Pag. 25.

diolanenſem, & eodem anno, quo Valens & Urſacius Julium adierunt.

Hoc invictum argumentum eſt; quod nulla tergiverſatio poteſt eludere. Sed neque Diatriba tota probabile quicquam adfert, quod rectè & citra ambages illi reſpondeat.

Diatrib. II. pag. 196. Nam quod in Ariminenſem epiſtolam irrepſiſſe per errorem putat illud de Mediolanenſi ſynodo, ex Valentis & Urſacii ad Julium libello; divinantis eſt, & utcumque extricare ſe cupientis; potiùs quàm bona fide, & ex animo reſpondentis hæc exceptio. Cui enim perſuaderi queat Ariminenſem in eo ſynodicam eſſe falſam? Id ſi eſſet, vel librariorum ea culpa foret, vel Ariminenſium ipſorum præſulum. Utrumque autem incredibile eſt: immo etiam abſurdum. Etenim neque librarios in tam diverſis auctoribus, qui illam Græcè Latinéque deſcripſerunt, corrumpendis illo loco, conſpiraſſe veriſimile eſt: neque in tanto Ariminenſium numero, qui, quæ viderant, magna ex parte referebant, fuiſſe neminem, qui erroris admoneret. Deinde quid Hilario faciemus æquali temporum illorum, qui Valentis & Urſacii epiſtolam interpretatur; & quod apud Mediolanum porrectum à ſe priorem libellum iſti dicunt, ad Mediolanenſem ſynodum refert, in qua Photinus à Romanis, utique Catholicis, biennio erat antè damnatus? Nam biennio ante Sirmienſem ſynodum, in qua depoſitus, nec amotus eſt à Catholicis, Mediolanenſem ſynodum celebratam eſſe docet. Deinde poſt Valentis & Urſacii libellos ita ſubjicit: *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt.* Ubi autem, & à quibus damnata, paullò ante docuit: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanenſi ſynodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur ſacerdotes.* Profectò, ſi quis in nobis eſt candor, atque æquitas, fateri cogimur, in Mediolanenſi aliqua ſynodo Catholica Valentem & Urſacium priorem libellum obtuliſſe; quod Ariminenſes præſules diſertis verbis aſſerunt. Neque enim in tam recenti memoria, contra Valentem & Urſacium Conſtantii Imperatoris intimos ad Imperatorem ipſum publicè, & è ſynodo ſcribentes, de utroque mentiri tam inſigniter potuerunt.

Distrib. II. pag. 196. Atenim probabile non eſt, Valentem & Urſacium *pro facinoribus ſuis à Sardicenſi proximè dejectos, ad frugem tam ſubitò converſos advolaſſe Mediolanum, ibique communionem ſine mora recepiſſe.* Deinde *ſi recepti fuerunt, quid eſt quòd biennio poſt Concilium illud narrat Hilarius Urſacium & Valentem Romanæ plebis Epiſcopum adiiſſe, recipi ſe in Eccleſiam deprecantes?* Cùm de facto conſtet, de facti cauſſa & ordine litigare, & otioſi, & nimiè contentioſi hominis eſt. Quàm multa in hiſtoriis occurrunt, quæ, ut certò eveniſſe ſcimus, ſic fieri potuiſſe miramur? Neque enim rerum omnium geſtarum rationes ab Scriptoribus memoriæ proditæ ſunt: & breviſſimo interdum tempore magnæ rerum converſiones incidunt; quas nullius conjectura & ſuſpicio conſequi poteſt.

Poſtremò, quod in omni noſtra defenſione validiſſimum, & ἀναντίῤῥητον eſt, ſi erravit in eo diſſertatio noſtra, non mihi, ſed antiquiſſimis illorum Scriptoribus temporum tribuendus hic error eſt, Ariminenſi Concilio, & Hilario, quos negari non poteſt planè hoc, quod ſcripſimus, apertéque teſtari. Quibus & Liberius adjungi poteſt Romanus pontifex, qui in colloquio, quod habuit cum Imperatore Conſtantio, refert Urſacium & Valentem *libellos in ſynodo dediſſe, quibus veniam rogabant ob id nominatim quòd in Mareote provincia per calumniam ex una parte contra Athanaſium acta confecerint.* οἱ ἐν τῇ συνόδῳ βιβλία ἐπιδεδώκασι συγγνώμην αἰτοῦντες,
Theodoretus lib. 2. cap. 16. ἐφ' οἷς ἐν τῷ Μαρεώτῃ κατὰ συκοφαντίαν ἐκ μονομερείας συνεθήκαντο κατὰ Ἀθανασίου ὑπομνήματα. Baronius in Annalibus exiſtimavit hanc ſynodum fuiſſe Sardicenſem;
Ad Annum 347. cujus opinionis anſam ex Epiphanii Scholaſtici Latina
Hiſt. Trip. l. 5. c. 17. verſione fateor arripi poſſe. Sed Græca ipſa ſi quis adhibeat, ad aliam ſynodum pertinere iſtud intelliget. cùm alioqui in Sardicenſi conſtet prorſus illos eſſe damnatos. Quòd ſi in Sardicenſi ipſa ſynodo, in qua proſcripti, exauctoratique ſunt Urſacius & Valens, nec uſquam in ea recepti leguntur: tamen in ea reſipuiſſe, & libellos obtuliſſe tantus vir abſurdum non judicavit; unius loci Latina interpretatione fretus; quid eſt quòd tam hoſtiliter Diatriba nos inſequitur, quòd in altera ſynodo id paullò pòſt accidiſſe, ſynodica tot præſulum epiſtola, & Hilario teſte defendimus? Sanè ſi quis Liberii verba illa diligentiùs expendat, non dubitabit, quin ſynodum aliquam fuiſſe ſignificet, in qua libellum ambo illi dederint, & quidem ab eo diverſum, qui apud Hilarium & Athanaſium exſtat, Julio Romano pontifici inſcriptus. In hoc enim nulla Mareotæ mentio eſt, neque actorum ab ſe contra Athanaſium ex una parte per calumniam conſcriptorum, quæ in priore libello, quem ſynodo obtulerunt, expreſſa fuiſſe Liberius affirmat. Sed hoc unum confitentur, *falſa eſſe omnia, quæ ad aures ſuas pervenerunt de nomine Athanaſii, atque omnibus viribus carere.* Quare diverſos eſſe libellos oportet; &, quod conſequens eſt, priorem in ſynodo fuiſſe datum, cujus in poſteriore meminerunt.

Sed nec illud conſentaneum eſt, quod Diatriba de Mediolanenſi ſynodo, cujus mentionem facit Hilarius, Diatrib. II. pag. 196.
affirmat, hanc illam fuiſſe Mediolanenſem, quæ anno 355. ab Conſtantio, & Arianis Epiſcopis eſt habita. Hoc enim ex Hilario ipſo perſpicuè refellitur, qui Mediolanenſem, de qua loquitur, à Romanis contra Photinum eſſe factam ait antè biennium, quàm Valens & Urſacius epiſtolam offerrent. cui conſonat & Ariminenſis ſynodica, quæ in Mediolanenſi iſta ſynodo adfuiſſe Romanos Presbyteros refert. At Mediolanenſis altera, quæ anno 355. celebrata eſt, neque Catholicorum, aut Romanorum fuit, & longè poſt Valentis & Urſacii pœnitentiam accidit: immò verò jam ad priſtinam perfidiam poſt Conſtantis obitum relapſis iis, & Athanaſium ac Catholicos toto furore perſequentibus.

Nam quòd Urſacii ac Valentis mentionem alieno loco ab Hilario poſitam aſſerit, nemo illi concedet, qui Diatrib. II. pag. 197.
Hilarii locum accuratè legerit. Eſt enim cohærens illius narrationis pars, quæ eſt de Urſacio & Valente, cum proximè ſuperiori, in qua de Sirmienſi agit ſynodo. Poſtquam enim de Athanaſio, & falſis ejus criminationibus ſermonem inſtituit, tranſit ad Marcelli ac Photini hiſtoriam. *Supereſt*, inquit, *ut quid de Marcello, & Photino geſtum ſit, pauciſſimis dicam*, &c. Tum, Fragm. pag. 21.
quomodo depoſitus ſit explicat: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum*, &c. conveniſſe ait ſacerdotes. Quonam? Sirmium utique, quod poſtea ſcribit: *Verùm inter hæc Sirmium convenitur.* Hos verò ſacerdotes *hoc magis ſolicitos, atque anxios turbari rurſum, miſcerique* omnia fuiſſe dicit, *quòd jam pridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio judiciorum, vel communionis hæreſis Arianæ, ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare.* Ergo Catholici erant illi, quos Eccleſiæ ſtatus anxios & ſolicitos habebat. Mox verò Valentem & Urſacium uſos ea opportunitate veniam eſſe deprecatos ait. quod conſentaneum eſt antecedenti narrationi: in qua Epiſcoporum meminit, qui vel falſi convicti, vel hæreſis Arianæ, ab Eccleſia rejecti fuerant: è quibus erant Urſacius, & Valens. Nihil ergo redundans, aut hiulcum habet hic locus. Imò verò ſi interjectam illam Urſacii & Valentis hiſtoriam detrahas, malè cohærens, & manca ſpecies erit orationis. Quæro enim, ſi totum hoc avellas, in quo & de Urſacio & Valente agitur, ab iis verbis: *Quam opportunitatem nacti* &c. uſque ad illa: *Verùm inter hæc Sirmium convenitur.* quorſum iſta pertineant: *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt, quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt?* Nonne ad illa priora neceſſariò referenda ſunt: *Igitur ad tollendum ex Epiſcopatu Photinum &c?* Deinde non rectè demptis mediis quadrare illa ſuperioribus: *Verùm inter hæc Sirmium convenitur:* ubi particulæ iſtæ, *inter hæc*, abruptum, interpoſita rei alterius narratione, ac repetitum ex intervallo ſermonem indicant. Fruſtra igitur alieno hæc inculcata loco Diatriba ſuſpicatur.

Poſtremò quod Sirmienſem ſynodum ſpectat, cujus ibidem mentio eſt apud Hilarium; apparet diverſam eam fuiſſe ab famoſa illa Sirmienſi, quam Socrates anno 351. Diatriba anno 357. celebratam eſſe vult. Primùm quod in hac poſteriore depoſitus omnino, & ab Epiſcopatu depulſus eſt Photinus; uti Socrates, aliique teſtantur, & his antiquior Epiphanius: qui poſt ſynodum ad Imperatorem confugiſſe illum referunt, & judices impetraſſe: corámque iis convictum ab Ancyrano Baſilio, ac penitus exauctoratum fuiſſe. μεγίστη δὲ μάχη, ait Socrates, μεταξὺ τῶν παρ' ἑκατέρου λόγων ἐγένετο· ἐν οἷς ὁ Lib. 2.
Φωτεινὸς ἡττηθεὶς, κατεκρίθη ἐν φυγῇ τε διάγειν τὸ λοιπόν, &c. c. 30.

Maximus

Maximus autem conflictus verborum utrimque fuit. quibus victus Photinus condemnatus eſt: & in exilio deinceps agens, &c. Itaque Epiſcopatu tunc Photinus ejectus eſt. At in Sirmienſi illa ſynodo Hilarii, propter populi ſeditionem amoveri non potuit. Ita enim legendum videtur pro eo, quod ibi legitur, *admoveri*, niſi *admoveri* ſit idem quod in judicio ſiſti, cauſſámque dicere. Omnino verò popularem vim interceſſiſſe Hilarius oſtendit, ne Photinus ſede ſua pelleretur. Quare diverſæ ſint ambæ illæ ſynodi neceſſe eſt. Ad hæc Sirmienſis Hilarii ſynodus Catholicorum fuit, ut ex antecedentibus conſtat. Quippe & de Eccleſiaſticis turbis componendis ſolicitos fuiſſe dicit: & hac occaſione Valentem, & Urſacium iterum libellos obtuliſſe. Quoniam quidem continentem hanc eſſe narrationem; neque aſſutam de Valente & Urſacio laciniam iſtam, contra Diatribæ auctorem evicimus. Adde Sirmienſem Hilarii ſynodum ab Occidentalibus celebratam eſſe; poſteriorem autem ferè ab Orientalibus: quod ſequenti capite planum faciemus.

CAPUT II.

Confutantur alia quædam, quæ in eodem capite primo Diatribæ ſecundæ contra Diſſertationem allata ſunt, ac nonnulla illius errata diſcutiuntur.

POSTQUAM caput ipſum opinionis noſtræ, cauſæque conſtituimus, nunc reliqua Diſſertationis expendenda ſunt quæ fruſtra Diatriba vexare ſtuduit.

Horum primum ſit, quod, ut Valentis & Urſacii pœnitentiam alieno loco poſitam apud Hilarium oſtendat, hunc in modum objicit: *Si*, inquit, *Athanaſio Alexandriam reverſo, & Urſacio ac Valente in gratiam receptis habita eſt* Sirmienſis iſta ſynodus, *ut fingitur; punctum temporis, in quo habita ſit, ante Conſtantis obitum, qui ſub ipſum Athanaſii reditum incidit, adſignari nullum poteſt.* Verùm captioſum hoc oppugnandi, & argumentandi genus eſſe ſuperiùs admonui: cùm adverſus expreſſa de geſta re Scriptorum teſtimonia, ex incertis, & obſcuris circumſtantiis conjectura capitur.

Diatrib. II. pag. 197.

Quocirca contra Diatribam paucis ita præſcribimus: Sirmienſem ſynodum eo tempore factam eſſe conſtare ex Hilario, quo Urſacius & Valens libellos obtulerunt: quod omnino negari non poteſt. Ceterùm qua anni parte celebrata ſit, & ubi tum eſſet Athanaſius, ſcire poſſe neminem. Proinde callidè id pro conceſſo Diatribam accipere, quod non damus; Athanaſio jam reverſo, & Alexandriæ morante, ſynodum iſtam eſſe habitam. Potuit enim haberi antequam Alexandriam veniſſet, & ante Conſtantis obitum. Diu enim in itinere fuit Athanaſius, & Antiochiæ, atqoe in Palæſtina moras habuit: dum interim & Urſacius ac Valens plenam cum Catholica Eccleſia reconciliationem urgerent, & Sirmii ad deponendum Photinum cogerentur Catholici.

Fragm. pag. 16.

Sed inſtat rurſus Diatriba, & quod Hilarius habet de Marcello ab Athanaſii communione abſtento, unde Photini damnationi auctoritas eſt quæſita, ad tempus Sirmienſis noſtræ ſynodi revocari non patitur. Sed pro nobis aperta eſt Hilarii narratio: qui cùm Sirmienſis Concilii ad deponendum Photinum ſub Valentis & Urſacii pœnitentiam habiti meminiſſet; ſtatim addit, Marcellum ab Athanaſio communione ſua multatum anteriore tempore quàm Photinus arguitur: nempe inter Sardicenſem & Sirmienſem ſynodos, ac biennii interjecti ſpatio. quod Severus intellexit his verbis: *Interjecto deinde tempore Athanaſius, cùm Marcellum parum ſanæ fidei eſſe penitus comperiſſet, à communione ſuſpendit.* Cùm igitur in Oriente eſſet Athanaſius, ac Marcellum parum ſanæ fidei eſſe comperiſſet, ab ejus communione abſtinuit: vel, ut Hilarius loquitur, eum *à ſua communione ſeparat.* quod ubique etiam extra diœceſim ſuam quivis Epiſcopus facere potuit. Sic enim Antiochiæ eodem anno cùm eſſet Athanaſius, Alexandriam petens, à Leontii Ariani, qui ibi Epiſcopus erat, communione abſtinuit, ut refert Sozomenus. At Diatriba *ridiculum* eſſe clamat, *Athanaſium à communione ſua quemquam, priuſquam ſedem ſuam reciperet, excluſiſſe.* quod mirum eſt excidiſſe homini docto.

Lib. 3. c. 20.

Diatrib. II. pag. 197.

Atenim quid neceſſe fuit Photini damnationi auctoritatem comparari ex Athanaſii judicio: tamquam in eo Occidentales hærere potuerint, qui biennio antè Photinum damnaſſent? Sed hæc σϰιαγϱαφία nimis anguſta eſt. Photino biennio antè damnato, hoc eſt notato ejus errore, certa dies præſcribi potuit; antè quàm niſi reſipiſceret, in ordinem cogeretur. Potuit & fraude aliqua, diſſimulationéque fruſtrari Catholicos præſules, atque illorum ſententiam eludere, qui poſtmodum tanti viri, quantus fuit Athanaſius, auctoritate ac præjudicio freti, denuò rem aggreſſi ſunt.

De eadem Catholicorum Occidentalium ſynodo Sirmii habita illud acceperam, quod ſcribit Hilarius: *De Photino decretum ab Occidentalibus factum ad Orientales relatum eſſe; hos* verò tamquam *homines mente callidos, reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem adjeciſſe.* Diſplicuit hoc Diatribæ: quòd veriſimile non ſit, anno iſto 349. quo Sirmienſis ſynodus ponitur, dum Athanaſii communionem certatim omnes expeterent, Orientales in Athanaſium agitaſſe Concilia. Verùm cogitandum hoc illi fuit; interim dum ad Orientales Occidentalium litteræ iſtæ perferuntur, Conſtantem eſſe mortuum; & ingenti rerum facta converſione, ſuperiorem fuiſſe cauſſam Arianorum. Itaque deinceps eos Athanaſium vexare cœpiſſe.

Fragm. pag. 21.

Porrò cùm Hilarius affirmet, Occidentales, damnato Photino, decretum ſuum ad Orientales miſiſſe: hos autem reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem adjeciſſe; clariſſimè demonſtrat, Occidentales ſynodicam aliquam miſiſſe ad Orientales; hos verò, cùm Ariani eſſent, callidè cum Photino Marcellum miſcuiſſe. Nam *reſcribere*, eſt *viciſſim ſcribere.* Itaque non alii reſcripſerunt, quàm ii, ad quos decretum Occidentales miſerant, nimirum Orientales. Tum verò Catholicos fuiſſe decreti illius auctores ſatis indicat, cùm eos ſubinde commendat, quòd ad Orientales epiſtolas iſtas fecerint, *non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adſenſum, ſed inſtruendæ univerſorum ſcientia conſuetudine.* Quæ verba perſpicuè declarant, Catholicos, quod dixi, Epiſcopos fuiſſe Occidentales iſtos, quos ab hæreticorum violentia, & tyrannide alienos eſſe dicit. Deinde ſynodum ab iis aliquam eſſe factam; cujus acta, decretáque, uti conſuetudo fert, ad alias Eccleſias miſerint. Quamobrem valdè conſentaneum eſt ex tota Hilarii diſputatione, ſynodum illam Sirmienſem, in qua Photinus damnatus eſt, ſed non dejectus, ab Occidentalibus Catholicis celebratam fuiſſe. Eſt enim perpetuus & continens ſermo de Photini damnatione in ea facta ſynodo, quæ ſub Valentis & Urſacii pœnitentiam Sirmii eſt habita; quam ad ſynodum cetera pertinere, ſeries ipſa orationis arguit. Ut autem Diatribæ ſententia ſe habet; interrupta, fœdéque diſſoluta, nec ullo modo cohærens eſt narratio. Etenim ſynodos illic ab Hilario commemorari putat Mediolanenſem, & Sirmienſem: illam anno 355. celebratam, hanc 357. in quibus Photinus damnatus eſt; in hac etiam depoſitus. Sed non convenire ſynodos iſtas ad Hilarii inſtitutum, ſatis hucuſque demonſtratum eſt. Nam & temporis ratio repugnat: quia Mediolanenſe iſtud, & Sirmienſe Hilarii longè annos illos antecedit: & utriuſque anni Concilia ab hæreticis habita ſunt. Mediolanenſe quidem ad Athanaſium damnandum, & Epiſcopos Catholicos, qui illius communionem ejurare nollent, exilio multandos; quod tum in pleroſque decretum eſt; ut Euſebium Vercellenſem, Luciferum Caralitanum, Hilarium Pictavienſem, & Liberium Romanum pontificem. Atqui in Mediolanenſi ſynodo, cujus meminit Hilarius, Romani interfuere Legati; immo præfuere, ut ex eodem, & Ariminenſi ſynodica colligitur. Sirmienſe quoque iiſdem ab hæreticis contra Photinum celebratum eſt: & quidem Orientalibus pleriſque. Quamobrem non congruit huic Sirmienſi quod Hilarius refert, *decretum de Photino ab Occidentalibus factum, & ad Orientales relatum*; uti mos eſt in ſynodis. Ex quo

Ibid.

Severus Sulp. 2. Socrat. l. 2. Sozom. l. 4.

itidem Diatriba refellitur, quæ quod Hilarius ſcribit, Orientales, accepto decreto Occidentalium, occaſionem revolvendi de Athanaſio quæſiſſe judicii, & reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem addidiſſe; referendum exiſtimat ad tempora Diatrib. II. pag. 197. Magnentii cædem ſecuta, *quando pacatis bellis civilibus, Arianorum furor renovatus eſt. Tunc enim revera negatæ Marcello communionis, damnatíque Photini occaſionem nacti, aſtuto,* ut ſcribit Severus, *conſilio, innoxium criminoſis miſcentes, damnationémque Photini, & Marcelli, & Athanaſii eadem ſententia comprehendentes, eamdem ad Athanaſii condemnationem Catholicos Epiſcopos in Arelatenſi anno* 353. *tum biennio pòſt in Mediolanenſi, & deinceps quamdiu Conſtantius vixit, adigere conati ſunt.* Hæc Diatriba in quibus non uniuſmodi error eſt.

Nam iſtud omne ab Hilarii mente, & hiſtoria tam alienum eſt, nihil ut eſſe magis queat. Scribit Hilarius, Occidentales, & quidem Catholicos, contra Photinum feciſſe decretum, & ad Orientales miſiſſe. Rurſus Orientales ad eos reſcripſiſſe, & Photino Marcelli nomen admiſcuiſſe, ut ad Athanaſii damnationem tacitè viam munirent, eo ipſo, quod cùm Marcellus in eadem, in qua & Athanaſius, Sardicenſi ſynodo reſtitutus eſſet; reo iterum facto Marcello, ſynodi de eo judicium, atque auctoritas irrita fieret; adeóque & de Athanaſio, qui eadem ſententia comprehenſus eſſet in Sardicenſi illa ſynodo. Doceat ergo nos, quænam illa ſynodus vel Sirmienſis, quod Hilarii locus exigit, vel alia quævis Catholicorum Occidentalium fuerit, in qua Photino damnato, decretum ad Orientales miſſum ſit, hi reſcribentes Photino Marcellum addiderint. Quæ enim Concilia memorat, Arelatenſe, ac Mediolanenſe, Catholicorum non erant: tum contra Photinum nequaquam habita ſunt: neque in eorum epiſtolis ſolius Photini tamquam hæretici ac damnati, damnandíve mentio fit: neque Orientales ad illorum reſcripſere decreta, & ad Photini nomen Marcellum adjunxere. Mediolanenſis Concilii ad Euſebium Vercellenſem epiſtola, quam ex Baronio citat Diatriba, & ad Hilarium Ad annum 355. Diatrib. II. pag. 196, & 197. interpretandum adhibet, hortatur ipſum ut *de nomine hæreticorum Marcelli, & Photini, necnon Athanaſii ſacrilegi* idipſum *definiat, quod totus propè definivit orbis.* Sed nec ad Orientales data eſt, neque ſolius Photini damnationem continet; ſed Marcelli inſuper, & Athanaſii. Horum verò duorum nomina ab Occidentalium decretis, & epiſtolis aberant, quas Hilarius commemorat: ſiquidem Photini ſolius meminerant. cui ſolum itidem Marcellum Orientales addidere. De Athanaſio neutri omnino mentionem fecere. Hæc ſi Diatribæ auctor animadvertiſſet, noſtram de Hilario conjecturam haud adeo contempſiſſet.

Quocirca annis aliquot anteriora ſunt illa, quæ refert Hilarius, Occidentalium decreta, & Orientalium reſcripta, Gallicanis, & Mediolanenſibus actis, quæ Diatriba memorat.

Quippe Ariani ad Athanaſii damnationem, primùm occulte callideque graſſati ſunt, poſtquam Sardicenſis auctoritate Concilii, & utriuſque Imperatoris edictis ſedi ſuæ reſtitutus eſt: nec apertè nomen illius notare, ac damnare initio ſunt auſi. Poſtea majore ſumpta fiducia, palam illum execrati ſunt cum Marcello atque Photino: cum poſt Conſtantis obitum ſolus rerum potiretur Conſtantius: qui ſe totum illorum voluntati permiſerat. Ergo illa omnia, quæ ex Arelatenſi, Mediolanenſique ſynodo, & ex Severo Diatriba retulit, ad poſteriora iſta tempora pertinent; maximè poſtquam in Sirmienſi poſtrema ſynodo funditus everſus, ejectúſque Photinus eſt: quod anno 351 accidiſſe nonnulla ex conjectura ducitur, quòd deinceps, tamquam manifeſtarii hæretici & exauctorati, nomen ejus profertur, & cum Marcello, & Athanaſio conjungitur: qui ambo ſedibus ſuis extruſi jam erant: ut idem paſſum tunc eſſe Photinum veriſimile ſit. de quo paullò pòſt dicetur.

Ex iis itaque perſpicuè colligitur, quæ de Occidentalium & Orientalium geſtis Hilarius perſcribit, ſuperiora iis eſſe, quæ in Diatriba memorantur.

Cujus rei obſervatio mirificum quemdam uſum habet ad alium Diatribæ convincendum errorem, qui in fine tertii capitis occurrit. Ibi enim novum quiddam oſtentat, *in quo maximè*, inquit, *ſumma conſiſtit*, ſuper Hilarii loco illo, quo de Occidentalium decreto, reſcriptóque Orientalium agitur. Sic enim exiſtimat; decretum illud, *quo accepto Orientales revolvendi de Athanaſio judicii occaſionem acceperunt, ad Romanam pertinere* Diatrib. II pag. 199. *ſynodum, quam à Julio ante mortem anno* 357. *habitam, indicio eſt Liberii ad eoſdem Orientales epiſtola ab Hilario deſcripta. quam ab Hilario ipſo deſignari, cùm hæreſim* Fragm. pag. 36. *Photini à Romanis damnatam ſcribit, non dubitem affirmare. Sic autem ſe habet: Dilectiſſimis fratribus, &c. Studens paci, & concordiæ Eccleſiarum, poſteaquam litteras caritatis veſtræ de nomine Athanaſii, & ceterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ Epiſcopi accepi, ſecutus traditionem majorum, Presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum, & Helianum è latere meo ad Alexandriam, ad ſupradictum Athanaſium direxi, ut ad urbem Romam veniret, &c. Ex his verbis apparet, Julium ſub vita finem ad Orientales de Photino litteras dediſſe: Orientalium verò epiſtolam, qua Julio reſpondebant, eo mortuo, ſucceſſori ejus Liberio redditam fuiſſe. In his illos Athanaſium ceteris, id eſt Marcello, & Photino ita miſcuiſſe, ut obſcurum non eſſet, machinas illorum in Athanaſium præcipuè dirigi, eamque ob rem de uno illo reſcribere Liberium.* Hæc Diatriba.

Hanc falſam eſſe conjecturam declarant ea, quæ de Hilarii loco illo ſuprà diſputavimus. Nam Orientalium litteras Marcelli tantùm, non etiam Athanaſii nomen expreſſiſſe, disertis verbis aſſeverat Hilarius. Quorſum enim ad Photini nomen, quod Occidentalium epiſtola continebat, callidè eos Marcelli nomen addidiſſe diceret, ut *occaſionem quærerent* Diatrib. II. pag. 197. *revolvendi ejus, quod Athanaſii abſolutione diſſolutum erat, judicii*, ſi Athanaſium ipſum nominatim cum Photino, Marcelloque comprehendiſſent? Cur mox Hilarius diceret, Marcelli mentionem ab Orientalibus ad Photinum additam, *ut mortuam de Athanaſio ipſo jam tempore quæſtionem, & veritatis judicio* Fragm. pag. 37. *conſepultam, in publicam recordationem cauſa novitas excitaret?* Nónne Athanaſii potiùs ipſius nomen intextum ab illis, & cum Photino, ac Marcello conjunctum dicere debuerat? Quinetiam apparet, Orientales in epiſtola, quam reſcripſerunt, Marcellum adjungentes Photino, ſubjeciſſe, ab Athanaſio ipſo communionem illi abnegatam fuiſſe. quod ſequentia Hilarii verba demonſtrant: *ſed cur abnegatæ Marcello communionis Athanaſius reus eſſe reſcribitur?* Ubi *reſcribendi* verbum ad Orientalium reſponſionem refero, de qua paullò antè ſic loquitur: *Et reſcribentes de Photino, &c.* Porrò quòd Hilarius ait reſcripſiſſe illos *reum eſſe Athanaſium abnegata Marcello communionis;* non ſic accipiendum eſt, tamquam illi eam facto Athanaſii notam adſcripſerint, ut reum ejus eſſe dicerent, quod ipſi probabant. Sed Hilarius ad mentem illorum, & conſilium accommodata voce utitur. Siquidem propterea Marcellum ab Athanaſio rejectum eſſe memorabant, ut Sardicenſis Concilii labefactatam ab illo auctoritatem tacitè ſignificarent. à qua ſuſpicione purgare ipſum Hilarius hoc loco ſtudet; atque reum non eſſe abnegatæ Marcello communionis: utique ob eam cauſſam, quam Orientales videri volebant, ut ſcilicet *propter libri vitium*, hoc eſt Photinianum dogma in ejus contra Aſterium libro deprehenſum, quo nomine Sardicenſi decreto abſolutus erat; ab Hilario putaretur eſſe damnatus. Hanc noſtram de Hilarii loco conjecturam vel hoc unum commendat, quòd ea ſola planam, facilem, & cohærentem ſibi ſententiam illius efficit: quem ſi, ut Diatriba jubet, interpretemur, incondita & ſalebroſa narratio erit, & ab una re ad alteram, ſine ullo nexu, atque ordine tranſitum faciens. Nunc ejuſdem primi Diatribæ capitis reliqua perſequamur.

CAPUT III.

Propugnantur alia quædam, quæ in Diſſertatione noſtra, Diatriba poſterior primo capite oppugnare ſtuduit.

IN aditu ipſo ac limine diſputationis ſciens ac volens aberrat, dum Epiphanium ait dicere, Photinum ἐπὶ Κωνσταντίου, Conſtantio imperante hæreſim vulgaſſe. Diatrib. II. pag. 195.

Digitized by Google

vulgaſſe. falsò id quidem. Nam disertè ſub Conſtantino ait prodire cœpiſſe. Verba Epiphanii : Οὗτος ἦν ὁρμώμενος ἀπὸ Σιρμίου· καὶ ὅτι μὲν τοῦτο τὸ ζιζάνιον τῷ κόσμῳ εἰσηγήσατο ποτε κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ ἐπὶ Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως καιρὸς ἦν. *Hic ex oppido Sirmio exſtitit. & cùm hoc lolium in mundum invexit, per illud tempus, Conſtantinus imperabat.* Cœpit igitur Conſtantino rerum potiente, non Conſtantio; ut quidem ſcribit Epiphanius. Nos olim, antequam hiſtoriam illam penitus exploratam haberemus, communi imbuti opinione, legendum adnotavimus ἐπὶ Κωνσταντίου. Hoc Diatriba ſcilicet pro Epiphaniano ipſo contextu nobis objicit. Hæc quidem vis eſt. Non enim Epiphanius Petavio; ſed Petavius ſibi opponendus ipſe fuit; qui ſic emendandum ex conjectura tunc putabat.

Hæreſ. LXXI.

Jam ſi Conſtantino Imperatore Photinus hæreſim vulgare ſuam inſtituit; cui dubium eſt, quin eodem tempore Epiſcoporum judicio notata, damnatáque fuerit?

Diatrib. II. pag. 195. Nam quod in Antiochena primùm ſynodo ſecunda perſtrictum eſſe Photinum, velut ex Oraculo, pronunciat; nullo id argumento probat. Immo verò ex illo ipſo, teſtimonio ſynodicæ illius, quam μακρόστιχον vocarunt, conjectura ſit aliquantò ante Antiochenam iſtam ſynodum damnatum eſſe Photinum, ut &, præceptor ejus qui fuit, Ancyranum Marcellum. Etenim in epiſtola, formulàque illa fidei longiore, condemnare ſe dicit ſynodus eos, qui dicunt Chriſtum in tempore eſſe cœpiſſe: quales ſunt Marcelli Photiníque ſectatores: τοιοῦτοι δέ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου, καὶ Σκοτεινοῦ τῶν Ἀγκυρογαλατῶν. Quo ex loco nemo id prudens ſuſpicabitur; tum primùm ſynodica ſententia notatum eſſe Photinum; nihilo magis, ut dixi, quàm Marcellum, quem ante id tempus damnatum eſſe conſtat. Magis autem erit, ut de nota jam hæreſi, & cum ſuis auctoribus antea proſcripta ſignificaſſe putet Antiochenam illam epiſtolam: quæ, ſi tricari volumus, non tam ad magiſtros erroris ipſos, quàm ad eorum ſectatores pertinere videtur.

Athan. Apol. II. pag. 692.

Primam Photini damnationem in Conſtantinopolitana ſynodo anno 336. videri eſſe factam, ex Severo docui: qui *Marcellum atque Photinum hæreticos ſacerdotes ſynodi judicio condemnatos* aſſerit; ac poſt eos Athanaſium abſentem, quòd eos recepiſſet.

Lib. 2.

Quæ verba ſynodum duplicem deſignant: quarum in priore Marcellus & Photinus damnati ſint; in poſteriore Athanaſius. Prima omnium Marcelli damnatio notatur in Eccleſiaſtica hiſtoria anno Chriſti 336. Conſtantino Imperante, Conſtantinopoli ſ[illegible]cta, puſt relegatum Athanaſium. Scribit enim Socrates libro 1. cap. 36. Arianos Epiſcopos, poſtquam Athanaſius in exilium abiit, Conſtantinopoli ſynodum inſtituiſſe; in qua Marcellus ob hæreſim redactus eſt in ordinem: quod & Baſilius Ancyranus, aliíque Semiariani teſtantur in ſynodica apud Epiphanium, Hær. 73. n. 2. Proxima deinde Athanaſii condemnatio incurrit in annum 341. quo Antiochiæ per Encænia depoſitus eſt. Si, ut Epiphanius auctor eſt, nequicquam reclamante Diatribæ ſcriptore, Photinus Conſtantino Imperante hæreſim vulgare eſt orſus; nónne veriſimillimum eſt, ſaltem in Conſtantinopolitana illa ſynodo, quæ & Marcellum perculit, & qua nulla poſterior exſtat Conſtantini facta tempore, Photinum eſſe damnatum? Proferat aliam ſi poteſt ſynodum amicus ille noſter, in qua Conſtantino ſuperſtite damnatus ſit Marcellus; quam altera ſit conſecuta, quæ Athanaſium dejecerit. Quod

Diatrib. II. pag. 195. enim Tyriam eſſe dicit, in qua abſentem condemnatum Athanaſium Severus affirmat; tum utrumque ferri poſſet, ſi anteriorem ullam ſynodum haberet, in qua Marcellus idem paſſus eſſet. Nam duo ſcribit Severus, & Marcellum cum Photino primùm eſſe damnatum; & Athanaſium poſtea in altera ſynodo. Nos nullam Conſtantino regnante ſynodum meminimus, in qua Marcelli exſtet mentio, præter Conſtantinopolitanam: nullam in qua proximè poſt Marcellum depoſitus ſit Athanaſius, præter Antiochenam. Quis ergo non videt, ne fingi quidem alias poſſe, quæ ad Severi narrationem congruant, quam duas iſtas, quæ in Diſſertatione notantur?

Quòd enim Antiochena illa Conſtantino mortuo celebrata eſt; Severus autem eo ſuperſtite factam eam ſynodum indicat, in qua damnatus eſt Athanaſius; nimirum temporis rationem haud exactè Severus habuit in tota illa narratione; quod & amico noſtro nimium videtur. Itaque multa, rerum ordine connexa, tempore diſtracta, continenti oratione pertexuit. Neque tamen, quia rerum geſtarum ordinem, ac tempus interdum negligit, ei fides ideo detrahenda eſt in omnibus, quamvis nonnulla referat, quæ nuſquam alibi legantur. Nam illorum temporum hiſtoria perobſcura eſt, præſertim Marcelli, ac Photini: nec pauca Socrates, Sozomenus, Theodoretus, aliíque prætermittunt: quæ ab aliis Scriptoribus commemorata, perdifficiles habent annorum notas. Ejuſmodi eſt illud quod narrat Severus, Athanaſium à communione ſuſpendiſſe Marcellum, cùm eum parum ſanæ eſſe fidei comperiſſet. quod ex Hilario di- Fragm. pag. 36.
dicit, qui id in fragmentis refert. Sed quàm difficile, impeditúmque ſit, in Diſſertatione docui. Sic illud obſcurum & inexplicabile eſt, quod iiſdem in fragmentis legitur. Ibi enim Liberii exſtat epiſtola ad Orientales data; in qua citatum à ſe ad judicium dicit Athanaſium, & quòd venire noluiſſet, à communione Romanæ Eccleſiæ rejectum. Hæc epiſtola ſub initium pontificatus ipſius, hoc eſt anno 353. miſſa videtur. Atqui Liberius idem anno pòſt ad Conſtantium ſcribens, cauſſam agit Athanaſii, ſcribitque illius ſe damnationi conſentire noluiſſe, quòd *eodem tempore octoginta Epiſcoporum, Ægyptiorum de Athanaſio ſententia repugnaret.* Quin Lib. II. Fragm. pag. 40.
ipſe mox in exilium ire maluit, quàm Athanaſii damnationi ſubſcribere.

Secunda Photini condemnatio in Sardicenſi Concilio ab Catholicis facta in Diſſertatione ponitur. quod Epiphanius Hæreſ. LXXI. prodidit. At Diatriba tum illud reprehendit; tum *parum perſpicacem videri*, inquit, *oportet eum, qui non animadvertat Epiphanium, quod alii pridem monuerunt, memoria lapſum hoc loco ſynodo Sardicenſi tribuere, quod Sirmienſi congruebat.* Quod convicium in Baronium recidit, qui ad annum 347. hanc de Epiphanii hallucinatione conjecturam reſpuit: nec abſurdum putat, in Sardicenſi ſynodo damnatum eſſe Photinum; cùm ante triennium in poſteriori Antiocheno Concilio, cum Marcelli diſcipulis Photiniani notentur hæretici. Severus certè Sulpicius libro ſecundo non imprudentem ejus rei conjecturam objicit, dum in Sardicenſi Concilio ex tribus illis, qui in eamdem cauſſam callidè ab hæreticis incluſi fuerant, Athanaſium, & Marcellum abſolutos fuiſſe aſſerit, Photinum verò non item. *Nam de Photino*, ait, *Epiſcopo Smyrnenſi non eſt reſciſſa ſententia, quia etiam noſtrorum judicio hæreticus probabatur.* Ex eo, inquam, ſuſpicari quis poſſit Photini damnationem ſynodi illius judicio comprobatam.

Diatrib. II. pag. 196.

Neque verò Epiphanii locus collationem iſtam Baſilii cum Photino, quæ haud dubiè in Sirmienſi ſynodo facta eſt, adeo liquidò ac disertè cum Sardicenſis mentione Concilii nectit, ut in unam eamdémque ſynodum neceſſariò ambo iſta conjicienda ſint. Poſſunt enim in duas diſtrahi ſynodos; ídque verborum ipſe contextus patitur: quæ fuit opinio Baronii. Quem ſi parum ideo perſpicacem fuiſſe auctor Diatribæ putat: quàm ſit acutus ipſemet viderit, qui in illo ipſo loco, in quo de Sardicenſi ſynodo nos arguit, haud paullò graviùs impingit.

Cùm enim abſurdum eſſe probare vellet, quod cum Baronio ſcripſi, Photinum in Sardicenſi Concilio à Catholicis damnatum eſſe; *Itáne verò*, exclamat, *ut dam-* 195.
natum à Catholicis eo judicio Photinum credamus, in quo an Catholicorum quiſquam ſederit, incertum; hæreticus omnium conſenſu præfuit, & primas partes egit Semiarianorum princeps Baſilius Ancyranus? Credet hoc affirmanti qui volet, nobis non perſuadebit. Atqui & falſa iſta ſunt. Quid enim? An non Catholicorum præſulum fuit Sardicenſis vera ſynodus? Non illam adulterinam, & latrocinalem loquor, quam eodem tempore Orientales hæretici, cùm ſeriò ac ſincera fide rem agi cernerent, Sardica fugientes, Philippopoli in Thracia celebrarunt, ac pro Sardicenſi venditarunt. Sed germanam Sardicenſem intelligo, cui præfuit Hoſius, & in qua Athanaſius ac Marcellus, aliíque Catholici antiſtites abſoluti, eorum damnatis accuſatoribus. Iſta ergo ſynodus ſi & Catholicorum fuit, & in ea condemnatus eſt Photinus, à Catholicis utique damnatus eſt. Nam Sirmienſis ſynodi

 mentio,

mentio, quam in animo tum Diatribæ Scriptor habuit, ab eo loco & diſputatione erat aliena, in quo Sardicenſis agebatur, & quidem ἰδικῇ, ut eam Epiphanius vocat; hoc eſt ab Occidentalibus habita: quorum ab conſeſſu, & conſortio ſeſe Orientales abſtraxerant.

Nihil ergo cauſſæ fuit cur, cùm de Sardicenſi ſermo eſſet, Sirmienſem ſynodum, & Baſilium Ancyranum miſceret.

De Mediolanenſi ſynodo, in qua tertiò ab Catholicis docui Photinum eſſe damnatum, perleve quiddam
Ibid. opponit Diatriba: non videri *duas uno anno ſynodos tam diſſitis in locis, & tam diverſarum provinciarum Epiſcopis imperatas.* Deinde *cur ſoli Catholici convocabantur? An ut Photinum damnarent? Atqui jam in Sardicenſi damnatus erat.* Verùm ἀλογία iſta jam exploſa eſt à nobis ut inutilis, nec reſponſione digna. Quis enim cauſſas, ac rationes, ordinémque præſtare poſſit omnium rerum, quas certiſſimè alioqui geſtas eſſe ex hiſtoria conſtat? Tamen hujus Mediolanenſis Concilii probabilis excogitari ratio poteſt. Videntur enim Sardicenſis Concilii Patres legatos ad Conſtantem miſiſſe,
Sozom. lib. 3. cap. 10. qui quæ ibi geſta eſſent, illum docerent. Ὁ δὲ Κώνστας τὰ ἐν Σαρδικῇ γεγενημένα μαθὼν, ἔγραψε τῷ ἀδελφῷ, ait Sozomenus. Ac tum Mediolani conventus Epiſcoporum fieri potuit, in eóque approbari Photini damnatio. Neque verò neceſſe eſt indictivam hanc fuiſſe ſynodum; aut, ſi Conſtantis juſſu eſt indicta, longinquos ad eam excitos eſſe præſules; ſed vicinos dumtaxat; præſertim Italos. Nam & Romani Pontificis interfuere Presbyteri, ut Hilarius, & ſynodica Ariminenſis affirmant.

Quinetiam veriſimile eſt ab Orientalibus quoque, qui Sardicenſis ſynodi nomen ementiti ſunt, legatos ad Conſtantem Philippopoli eſſe miſſos, qui acta conventiculi ſui, pro legitimæ ſynodi decretis obtruderent. ut mirari Diatriba deſinat, Arianos Epiſcopos,
Diatrib. II. pag. 196. qui nuper ab Catholicis ſeceſſerant, in Occidentem uſque eos eſſe conſecutos. Quamquam de Liberii epiſtola non nego probabilem eſſe Baronii ſententiam, qui Mediolanenſe Concilium, cujus illic mentio eſt, aliud quiddam Sardicenſi anterius eſſe putat. Sed indidem Diatribæ auctor agnoſcet, iniquè ſe facere, qui Concilii, vel ſynodi nomine fortuitum conventum Epiſcoporum appellare nos vetet, ac nos reprehendendos exiſtimet, quòd concurſum ejuſmodi præſulum ad condendam Sirmii formulam ſynodum, vel Concilium nominemus: de qua re poſtea.

CAPUT IV.

De tempore Sirmienſis ſynodi contra Photinum habitæ; quam in annum cadere 351. contra Diatribam primam, & poſterioris caput ſecundum evincitur.

NUNC de tempore poſterioris ſynodi Sirmienſis, & ſecunda fidei formula, quæ ibidem edita dicitur, agendum reſtat: idque paucis. Nam aliis in libris ea res copioſè tractata eſt: neque Diatriba novi quicquam objicit, cui non proviſum antè ſit à nobis, ut ex iis, quæ ibidem explicata ſunt, facilè poſſit occurri.

Synodum Sirmienſem, in qua Photinus è ſede ſua
Socrat. l. 2. c. 29. dejectus eſt, veteres hiſtorici ante Magnentii cladem eſſe habitam referunt. anno videlicet Chriſti 351. poſt
Sozom. l. 4. c. 6. Conſulatum Sergii & Nigriniani, ait Socrates, quo anno propter tumultus bellicos, nemo Conſulatus ex more dedit. Baronius antiquos illos arguens, eam ſynodum in annum 357. rejicit. Cujus argumenta in Epiphanianis Animadverſionibus explicata ſunt: quæ fruſtra recoquere Diatriba ſtuduit, unico dumtaxat addito, cui in Diſſertatione ſatisfecimus. Mea porrò ratio eſt ejuſmodi: cùm de tempore agitur geſtæ rei alicujus, iis potiſſimùm habendam fidem, qui vel eadem ætate vixerunt; vel ab iis, qui viderant, ſcire potuerunt: niſi ad horum labeſactandam auctoritatem ea proferantur, quibus obſiſti, contradicique nullomodo poſſit. Atqui talia non ſunt, quæ adverſus Socratis opinionem auctor Annalium Eccleſiaſticorum, & ex eo utraque Diatriba diſputavit. Nam ea ſingillatim expoſita ſunt, ac diſcuſſa. Quare non eſt quod nos Socratem ſecutos eſſe, ac recentioribus antetuliſſe pigeat: præſertim cùm notam illam Conſulatus ad Sirmienſem ſynodum haud vanè, ac te- Diatrib. II. pag. 197.
merè videatur adſcribere. Nec movere nos debet, quod Diatriba contra hoc objicit: etiam Hoſii nomen ex actis ipſis Socratem potuiſſe diſcere. Quaſi Hoſius iis Coſſ. quibus Sirmienſem ſynodum actam eſſe ſcribit, Sirmii eſſe potuerit. Quod quia non potuit, reſtat ut nota Conſularis in ſolam congruat ſynodum: cujus anno verè, & ex actis conſtituto, cetera adſtrui falſa potuerunt de Hoſio, ac reliquis, quæ Sirmii ſex annis poſtea geſta ſunt eadem in urbe. quæ res Socratem fefellit.

Sic alterius nota Conſulatus Euſebii & Hypatii, tertiæ ſubſcripta formulæ, hujus germana eſt: annóque 359. revera convenit. quam in Sirmienſi ſynodo conceptam eſſe, leviter indicat Socrates: in eóque falſus eſt. Sed aliud eſt ſuas primariæ cuique rei notas apponere: aliud propriis, ac diverſis notis affectas res in unum tempus conferre. In priori haud facile erraſſe Socratem dixi; in poſteriori nonnumquam hallucinatus eſt.

Quamobrem quod ex Hoſio petitur argumentum, leve eſt, imo nullum. Nec eo firmius eſt alterum illud ex Hilario qui ſynodum Sirmienſem biennio poſt Mediolanenſem conſecutam ait, quæ in annum cadit 355. Hoc enim abundè confutatum eſt ſuperioribus in capitibus, ubi ex Hilario ipſo demonſtravimus Mediolanenſem, ac Sirmienſem ſynodos, quas ibi commemorat, longè alias, ac diverſas fuiſſe ab vulgatis iſtis.

Majoris in ſpeciem eſt momenti quod tertio loco nobis opponitur de anguſtiis temporis; quia anno 351. victus eſt Magnentius IV. Cal. Octob. ex quo Diatrib. II. pag. 198.
conſentaneum ſit, totum hunc annum bellico apparatu, ac tumultu ſic occupatum fuiſſe, ut cogendæ ſynodo vacua nulla pars ejus fuerit. Verùm hoc cùm dicit, non intelligit, ad hiſtoriam quidem geſtæ rei aliquid ſe dicere, quod diligentiùs ſcrutandum ſit; non tamen expreſſam ab auctore notam Conſulatus, ac temporis ideo labefactari. quia etſi res ubi geſta ſit, explicare nequeam propter aut inſcitiam, aut Scriptorum inopiam: non tamen dubitare, quin geſta ſit, debeo, aut hiſtoriæ in eo, quod continet, elevare fidem.

Ac ſi quis belli hujus accuratè tempus, ordinémque reſpexerit; ſciet anno ipſo 351. Sirmienſe Concilium haberi potuiſſe. Siquidem ex anno antecedente, Vetranione in ordinem redacto, Conſtantius Pannoniam recepit. Hinc ducibus cum exercitu contra Magnentium miſſis, diu Sirmii reſedit, ut ait Socrates. Erant autem in Conſtantii comitatu per- Lib. 2. c. 28.
petuò ferè Epiſcopi, quorum catervas ultrò citróque diſcurrere jubebat, ut queritur Ammianus Mar- Lib. 21.
cellinus.

Ecquid ergo mirum eſt, aut inſolens, verno tempore celebratam eſſe Sirmienſem ſynodum? Nam & Diatriba hoc ipſum tempus aſſignat illi ſynodo, dum Diatrib. I. p. 188.
annum integrum interceſſiſſe vult inter Sirmienſem, & Ancyranam à Semiarianis factam. Cùm enim Ancyrana ante Paſcha habita ſit ut in eorum ſynodica apud Epiphanium legitur; ſi annuum ſpatium inter hanc, & Sirmienſem interceſſit, neceſſe eſt Sirmienſem ineunte vere coactam fuiſſe. Quare quoſcumque nobis ninguidos montes, ſaltúſque, aut procellas, ac fluctus opponet, quo minùs Epiſcopi convenire potuerint; iiſdem difficultatibus & ſuorum iter intercludet, ne ad idem tempus accurrerint. Sed hæc ἀνεμοβαλογία jocularis eſt.

CAPUT V.

De duplici formula fidei, Sirmienſi ſynodo tributa: quarum poſterior extra illam edita monſtratur.

VENIO jam ad ſecundam Sirmienſis Concilii formulam. Duplex enim in eo condita, vulgatáque dicitur à Socrate, Sozomeno, ceteriſque omnibus, quarum prior eſt ea, quam Athanaſius refert, & Socrates: Lib. de ſyn. pag. 693.

[Lib. 1. cap. 30. Lib. 2. Fragm. Hil. pag. 17.] crates: Latinè autem Hilarius in libro de ſynodis: cui anathematiſmi aliquot adnexi ſunt. In ea ſuppreſſa mentio eſt οὐσίας, & ὁμοουσίου pariter, ac ſimilitudinis. quam etiam ex Sardicenſi conciliabulo Arianorum, Sirmienſes aſſumpſerunt. Exſtat enim in calce longiſſimæ illius epiſtolæ, quam in Africam miſerunt pro germana ſynodica Sardicenſi. [Apud Epiph. Hær. 73. num. 2.] Unde apparet verè Baſilium Aucyranum ex Aucyrano Concilio ſcripſiſſe de Sardicenſi ἔκθεσιν, ἣν ἀνείληφεν ἡ ἐν Σιρμίῳ σύνοδος. Altera eſt Latinè ſcripta; quam Athanaſius & Socrates Græcè, Latinè Hilarius exſcripſit. In ea nominatim decretum, ut ſubſtantiæ vel οὐσίας perinde atque ὁμοουσίου, & ὁμοιουσίου vocabula in uſu ne eſſent amplius; [Lib. 1. p. 63.] quòd in ſacris litteris nuſquam legantur: Hanc Hilarius vocat *Blaſphemiam apud Sirmium per Oſium, & Potamium conſcriptam.* In fragmentis verò *perfidiam apud Sirmium deſcriptam.* cui Oſius, & poſtea Liberius ſubſcripſiſſe feruntur. Utramque igitur illam fidei formulam in eadem Sirmienſi ſynodo conſcriptam, ac publicatam Socrates, & eum ſecuti omnes hactenus arbitrati ſunt. Ac Nicolaus Faber in præfatione ad Hilarii fragmenta poſteriorem hanc cenſet *velut ultimam Concilii Sirmienſis definitionem, ac ſententiam habitam fuiſſe, atque eo nomine ad Eccleſias pro more tranſmiſſam à ſynodo.* Quoniam Hilarius in libro de ſynodis, Gallicanis ſuis gratulatur, *quòd miſſam ex Sirmienſi oppido infidelis fidei impietatem damnaverint.*

Verum in Epiphanianis Animadverſionibus anno abhinc decimo-quinto, docuimus, ſecundam iſtam Sirmii editam formulam nequaquam in Sirmienſi contra Photinum habito Concilio ſcriptam eſſe, ſed in fortuito concurſu aliquot Epiſcoporum, qui Sirmii convenientes illam ediderunt; cuique Hoſius verberibus & cruciatibus coram ab Conſtantio coactus eſt ſubſcribere. Quibus autem rationibus inducti ab communi opinione diſſenſimus, plenius ex illa diſputatione licet cognoſcere. Hîc verò ſumma probationis capita perſtringemus; in quibus oppugnandis Diatribæ auctor inanem operam poſuit.

[Apud Epiphan. Hær. 73.] Primum, idque firmiſſimum argumentum ex Baſilii Ancyrani, & Semiarianorum actione omni petitur. qui anno 358. hoc eſt altero ab celebrata, uti volunt, Sirmienſi ſynodo, Ancyræ ſub Paſcha convenientes ſecundam illam fidei formulam decreto ſuo damnarunt; cùm quidem de ea ab Georgio Laodiceno moniti eſſent, eademque per Illyricum, & Orientem vulgata, magnos animorum motus attuliſſet. Atque illi quidem in epiſtola ſua ſynodica, quam ad Phœnices Epiſcopos ſcripſerunt, optaſſe ſe dicunt, ut poſt tot de fide quæſtiones concertationéſque habitas, ac tot decreta Conciliorum, Conſtantinopolitani, Antiocheni, Sardicenſis, ac Sirmienſis; deinceps pace ac tranquillitate frui ſibi liceret, quod per novos illos hæreticos, à quibus formula iſta manarat, obtineri non potuerit. Ex quibus aliiſque colligitur, longè poſt Sirmienſem ſynodum illam Ecthesim editam fuiſſe. Non enim in Sirmienſi ipſa ſynodo ſcripta fuit. quippe in qua Baſilius Ancyranus primas partes habuit; qui tum apud Imperatorem Conſtantium auctoritate pollebat & gratia. Quis autem perſuadere ſibi poſſit, aut inſcio, aut diſſimulante Baſilio talem formulam conditam fuiſſe? primùm qui toto illo tempore, quo Concilium habitum eſt, Sirmii fuerit. Nam poſt Concilium, novum cum Photino certamen iniit. Eo quippe ad Conſtantium provocante, ac ſe iniquè depoſitum eſſe conquerente, dati ſunt illi è Senatu cognitores ac judices à Conſtantio, ac Baſilius oppoſitus ex adverſo; quo cum habita collatione victus ac prorſus ejectus eſt, ut Epiphanius, aliique prodiderunt.

Non potuit igitur Baſilium latere Concilii Sirmienſis actio illa; ut qui princeps ſynodi ejus eſſet: neque porrò invito illo aut connivente ſcribi potuit. Nam nemo eam vehementiùs execratus eſt, aut impugnavit acriùs, quàm Baſilius. Tum pro ea, qua apud Imperatorem erat gratia, illius auctores, ſi ſciſſet, dicto citius compreſſiſſet.

Non enim clanculum, ſed luce palam, & coram Conſtantio; immo auctore ipſo, & propemodum præeunte ac dictante, formula iſta ſcripta eſt; quod vel locus ille Vigilii libro de Unitate Dei à Diatriba citatus oſtendit. Sed & Hoſium coram, ut ei ſubſcriberet, pœnis ac terroribus adegit Conſtantius. Non igitur obſcurè concepta ſic fuit, ut eam Baſilius ignoraret, qui apud Imperatorem, ut dixi, tum omnia poterat.

Nam quod Diatriba fingit, *in Sirmienſi ſynodo, Epiſcopos biſariam diviſos fuiſſe, & ſeparatim formulas ſuas edidiſſe: quod & Sardica & Arimini contigit: ut de Sardica teſtantur Hilarii fragmenta; ac ſic in Sirmienſi partem utramque ſuam formulam edidiſſe.* quæ cùm emanaſſet, eáque factus audacior Antiochenus Eudoxius, nefariam hæreſim ubique ſpargeret; tum in eum commotos fuiſſe Semiarianorum principes: hoc commentum nihil eſt. [Diatrib. II. pag. 198. Lib. 1. p. 7. & lib. 2. p. 6. & lib. 3. p. 41.]

In primis enim redit illud, quod paullò antè dixi; Baſilium Ancyranum partis illius, à qua formula iſta profecta eſt, inimiciſſimum, apud Conſtantium magna tum in gratia fuiſſe, déque ejus conſilio geſta illic, & adminiſtrata eſſe omnia: ut qui ad opprimendum, obterendúmque penitus Photinum unus ſit ex omnium numero in certamen productus: illam ipſam verò formulam multùm à priore & ſynodica diſcrepantem, & inviſam Baſilio, auctore Conſtantio, non conceptam occultè fuiſſe, ſed publicè propoſitam, & ubique vulgatam. Hoccine ergo ut Conſtantius inconſulto Baſilio, aut invito faceret umquam: aut ſi faceret, non eum refragantem, ac reluctantem ad ſubſcribendum, uti Hoſium, alióſque, ſubinde compelleret?

Deinde quod eidem formulæ præfixum eſt initium, ſatis arguit, non ex condicto, ac profeſſo, ut in legitimis & indictis ſynodis aſſolet, eam eſſe ſcriptam: ſed fortuitò, & alterius occaſione rei coactis Epiſcopis expreſſam fuiſſe: Ἐπειδὴ περὶ πίστεως (inquiunt) ἔδοξέ τινα διάσκεψιν γενέσθαι, πάντα ἀσφαλῶς ἐξητήθη, καὶ διηρευνήθη ἐν τῷ Σιρμίῳ ἐπὶ παρουσίᾳ Οὐάλεντος, καὶ Οὐρσακίου, καὶ Γερμινίου, καὶ τῶν λοιπῶν. *Quoniam de fide deliberationem aliquam fieri placuit, diligenter omnia tractata ſunt, & inquiſita Sirmii, præſentibus Valente, & Urſacio, & Germinio, ac ceteris.* Placuiſſe dicit aliquam de fide diſceptationem fieri; ídque ita factum coram Valente, &c. Quæ haud obſcurè demonſtrant, non eo conſilio veniſſe illos Sirmium, ut de fide novi aliquid ſtatuerent; ſed tum fortè data occaſione id in animum induxiſſe. quod quidem revera ita contigit, ut ex Socrate, Sozomeno, aliiſque conſtat.

Cùm enim Hoſium annum integrum Sirmii detentum, ut ſcribit Athanaſius, ad aſſentiendum hæreſi [In epiſt. ad Solit.] ſuæ non poſſet adducere; demum anno 357. ut ſcribit Sozomenus, ejuſmodi fidei conſcripta formula eſt, [Lib. 4. c. 12.] quæ pacis & concordiæ cauſſâ contentioſa illa nomina reticeri juberet, οὐσίας, ὁμοουσίου, & ὁμοιουσίου. Id enim ad conciliationem inter ſe partium aptiſſimum viſum eſt, quòd neque damnarentur, neque approbarentur iſta nomina; ſed quietis ac pacis cauſſâ ſupprimerentur. Hujus conciliationis, ac mediæ cujuſdam ad ineundam concordiam viæ auctorem fuiſſe Hoſium indicat Sozomenus. Refert enim Eudoxium Antiochena ſede potitum, cum factionis ſuæ Epiſcopis, tam ὁμοιούσιον, quam ὁμοούσιον damnaſſe, *eo prætextu, quòd & Occidentales Epiſcopi eadem decreviſſent.* προφάσει ποιούμενος, ὡς καὶ οἱ ἀνὰ τὴν δύσιν ἐπίσκοποι ταῦτα ἐψηφίσαντο. Quod quemadmodum Occidentales fecerint, ita declarat. *Hoſius enim cum his, qui aderant, Epiſcopis ad eludendam Valentis, & Urſacii, ac Germinii pervicaciam, coactus permiſit, ut nec* ὁμοούσιον, neque ὁμοιούσιον *uſurparetur. quòd neque ſacris in litteris exſtarent ea vocabula, & ſupra captum humanæ mentis eſſet in Dei ſubſtantiam inquirere.* Hæc Sozomenus. Unde conſtat hæreticorum importunitate victum Hoſium eam concordiæ rationem iniſſe. Ideo Hoſii & Potamii blaſphemia vocatur ab Hilario iſta formula. Itaque Eudoxius, Acacius, Uranius, aliique hæretici Aetium fovebant, ubi Antiochiam ea perlata eſt, ad Valentem, Urſacium, & Germinium ſcripſerunt, gratulantes, quòd ab Hoſio tales litteras expreſſiſſent, eorúmque opera factum eſſet, ut Occidentales rectam fidem amplecterentur. ὡς κατορθωκόσι καὶ περὶ τὰ τοῦ Ὁσίου γράμματα, πρὸς αὐτοὺς ἐπιστολὴν διεπέμψαντο, Οὐάλεντι, καὶ Οὐρσακίῳ, καὶ Γερμινίῳ χάριν ὁμολογοῦντες, καὶ ὅτι ὀρθῶς δοξάζειν τοὺς ἐν τῇ δύσει, τὰς ἀφορμὰς αὐτοῖς ἀναθέντες. Apparet ex iis concordiæ, uti dixi, gratiâ in eam fidei formam conveniſſe omnes, qui tum in comitatu erant, Epiſcopos, inſtante potiſſimùm Imperatore, qui diſſidentes

inter

inter ſe conſociare magnopere cupiebat; ideóque ſe in omnem partem, utcumque ſpes erat ejus rei obtinendæ, facilem, ac verſatilem præbebat.

Quare, quod ſæpè cogor repetere, non obſcurè, neque clanculum, neque inſcio, ſi tum aderat, Baſilio, geri iſta potuerunt. Qui quidem ſtatim ut eam formulam accepit, totus in id incubuit, non ſolùm ut ſynodali decreto damnaretur, cui ipſe præfuit in Ancyrano Concilio; ſed etiam ut ab Conſtantio revocaretur. Sozom. l. 4. c. 14. Etenim ex Ancyrana iſta ſynodo legati ad Imperatorem profecti ſunt Baſilius ipſe, Euſtathius Sebaſtenus, Eleuſius Cyzicenus, eique perſuaſerunt, ut & contra Eudoxium plenas ſtomachi litteras ad Antiochenos ſcriberet; & Hoſianam illam formulam proſcriberet, pœna mortis propoſita, ſi quis eam occultaret, ut teſtatur Socrates, & Hilarius indicat. (Lib. 2. c. 30. Lib. de ſyn. init.)

Proinde ex tempore nata eſt fidei hæc Ecthefis; & ab Hoſio extorta, in fortuito Epiſcoporum aliquot conventu, quam ſynodum dixi ab nonnullis appellari. Quod Diatribæ auctor irridet. quaſi ipſemet fortuitum ejuſmodi concurſum præſulum Mediolani factum anno 346. non ab Liberio Concilium nominari cenſeat, in ea epiſtola, quam ſcripſit ad Conſtantium. Deinde qui tot Ariminenſes Epiſcopos Mediolanenſem alteram ſynodum per errorem commemoraſſe putat, in epiſtola ſynodica; quo jure iraſci mihi poterit, ſi Phœbadium ſingularem utique Scriptorem itidem aberraſſe dicam? At non eſt neceſſe. Nam ſynodum paſſim appellari videas qualemcumque conventum præſulum. Quare nihil hic habet Diatriba, quòd ſuccenſeat.

DIONYSII

DIONYSII
PETAVII
AURELIANENSIS
E SOCIETATE JESU
DE LEGE ET GRATIA
LIBRI DUO.

BIBLIOPOLA
LECTORI
S. P. D.

CUm anno MDCC ederemus *Dogmata Theologica* R. P. *Dionyſii Petavii*, nanciſci non potuimus ſequentes ejus libros, quos alioqui tertio *Dogmatum Theologicorum* Tomo adjeciſſemus. Sed ſerò tandem repertos, quamvis ejuſdem argumenti non ſint, ac opera Chronologica, addendos hîc cenſuimus; cùm ut molem tenuiorem hujus Voluminis augerent, tum ut ne tandem perirent, niſi magno operi adnecterentur. Dum arderent Gallia & Belgium controverſiis de Gratia, anno MDCXLVIII, editi ſunt à *Petavio* Libri *de Lege & Gratia*, & *Elenchus Theriacæ Vincentii Lenis*, quo nomine uſus erat *Libertus Fromondus* S. Theologiæ Doctor Lovanienſis, & *Janſenii* Patronus. Anno verò MDCLI. edidit brevem Diſſertationem de *Adjutorio ſine quo non*, & *Adjutorio quo.* Hiſce igitur, quamquam ſeriùs, fruantur quicumque ejuſcemodi lectione delectantur. Vale.

ILLUSTRIS-

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRÆSULI

ISAACIO HABERTO

EPISCOPO ET COMITI VABRENSI.

NUMQUAM anteà fore putaveram (Illuſtriſſime Præſul) *ut pro tuenda Moſaica lege contra criminatores illius litteram ullam facerem. Non enim prodituru̅m rebar his temporibus quempiam, qui hanc opinionis labem conciperet animo: multò verò minùs, qui eam ſcriptis auderet attingere. Quòd ſi vereri hoc in mentem mihi veniſſet, haud equidem emerſurum ex Eccleſiæ ſinu tale portentum arbitrarer: ſed ex illa fæce Manichæorum, & ſimilium peſtium; quarum hodie vel nullæ, vel exiguæ admodum reliquiæ ſuperſunt. Nunc quoniam ita caſus tulit, ſive potiùs offenſi criminibus noſtris Numinis indignatio, ut id gementibus bonis omnibus eveniret: ego neque laboranti Eccleſiæ pro virili parte deeſſe volui; & te, cujus hoc auſpiciis capeſſerem potiſſimùm delegi. Quod cur inſtituerim, etſi argumentari nihil hîc cujuſquam intereſt, cauſſas tamen afferre poſſum maximas, & juſtiſſimas. Imprimis excellentem tuum cùm in doctrinis ceteris; tum in hac, unde controverſia iſta nata eſt, uſum, ac peritiam. Cujus rei indicio ſunt, præter magiſterii, quem privatus adeptus es, Theologici gradum; tua illa præſtantiſſimi ingenii monimenta; quibus immortale apud eruditos nominis tibi decus; Eccleſiæ ſingularem opem, ac præſidium comparaſti. Accedit par doctrinæ magnitudini laus & commendatio virtutum: per quas Eccleſiaſtico dignas homine tua ſic omnis anteacta decurrit ætas, ut ejus integritatem nulla, ne falſæ quidem, nedum dubiæ ſuſpicionis aura perſtrinxerit. Quibus ſanè meritis, & honeſtarum rerum ſtudiis expolitum, & excultum divina te providentia ad principatum Ordinis illius evexit: ut quæ in te animi decora, & ornamenta congeſſerat, ea manarent latiùs; ac ſe, tamquam ex eminenti loco, communem ad ſalutem dilapſa, uſu, exemplóque diffunderent. His tertius adjungatur licet, & ad hujus quidem illecebram officii præpotens, privatus in me tuus, ac meus in te viciſſim amor, earumdem communione artium conciliatus ac devinctus; cujus publicè exſtare teſtimonium aliquod optavi. Verùm nulla me tam ex omnibus, ut hanc nomini tuo lucubrationem dicarem, ratio perpulit, quàm quòd in eâdem te jactatum eſſe contentione memineram; & contra eoſdem adverſarios non minùs ſtrenuè, quàm glorioſè dimicaſſe. Cùm tu quidem nondum ad infulas vocatus, & Pariſienſis adhuc Eccleſiæ Theologus; ſed jam famâ ubique notus; tum celeberrimis concionibus, tum refertis omni doctrinarum copia, & gravitate libris graſſantem opinionis novæ licentiam retunderes. Quo ex tuo facto illa te merces ab improbis eſt conſecuta, quæ ejuſmodi, qualis tu es, ab hominum genere iſto proponitur; ut ab Eccleſiæ pernicie per te depulſus illorum furor, in teipſum redundaret. Exſtiterunt enim ab eo tempore libri ab illis editi complures impuri, ac maledici: quibus & ſe priſtini in erroris obfirmarunt inſaniâ; & in te contumelioſè, ac petulanter invecti ſunt. Nam de me, quem tecum allatrarunt, levior eſt querela; cui quidem gloriandum etiam eſt, uti cauſſa tibi conjunctus fueram, ſic injuriæ, tolerantiæque conſortem fieri.*

Horum librorum unus eſt, quem iſti ſecundum Apologeticum inſcripſerunt Iprenſis Auguſtini, in quo iracundiæ, ac maledicentiæ ſuæ vela pleniùs explicarunt. & nominatim infanda illa contra veterem legem; quæ à te præſertim, ſed & à meipſo notata erant & convicta; majore fiducia reſumpſerunt. Quamobrem cùm hæc ab illis inſtaurata in auctorem legis Deum contumelia ferri ultrà non poſſet, atque ad illius propugnationem omninò aggredi decreviſſem; ſelegi ex Apologetico iſto capita quædam ad propoſitum mihi argumentum ſpectantia, quæ refellerem. Ex quibus confectam hanc diſputationem aliquanto apud me tempore continui: experiri volens, ecquid interquieſcentibus nobis tacere poſſent, ac flatus remitterent: cùm quidem intelligerem, perinde atque ferrum attritu cotis acuitur, aut flatu ventilatus ignis accreſcit, ita confligendi perpetuitate, litis, & rixæ cupidos homines implacabiles reddi.

Sed cùm me ſpes iſta mea fefelliſſet, ac frequentes ab illis ſpargi libros interim animadverterem, quibus dogmatis ſui particulam ſemper aliquam vendibiliorem facerent, haud ampliùs cunctandum putavi, quin ea proferrem, quæ repoſita, & parata jam habebam. Ad id verò præcipuè me inſulſi, & illepidi Scriptoris indignitas excitavit: qui longiore, ut apparet, impunitate confidentior factus, irrumpere eſt auſus in medium; & ſectæ communis injuriam, odio, ac peſtilentia libri cujuſdam nuper eſt ultus; quem ſub ementito Vincentii Lenis nomine divulgavit: ut non tam ad ſectæ labantis ruinas fulciendas; quàm ad ſeculi hujus infelicitatem nobilitandam iſte cumulus accederet. Ab hac ergo velitatione recens, & in procinctu adhuc poſitus (ſiquidem & iſte frangendus, ac levi certamine conficiendus obiter fuit) verti me ad eam, quam dixi, contra Armacanos accurandam Diſſertationem de lege Moſaica, & Gratia. Quod opus anteà tibi & amico, & Doctori Theologo deſtinatum, nunc etiam Epiſcopo nuncupavi. Tu hoc verò, qualecumque eſt oblatum tibi munus vel ut amicus (nam & in eo perſeverare te ſcio) propenſo ac benevolo animo capies: vel, ut Theologorum arbiter & magiſter, de eo (quod nec ipſe recuſo) judicium feres: vel ut Epiſcopus, idipſum meæ in te perpetuæ, ac ſingularis obſervantiæ monimentum, & pignus æqui, bonique conſules.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ A. T.

Devotiſſimus DIONYSIUS PETAVIUS.

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS, E SOCIETATE JESU, DE LEGE ET GRATIA, LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Exponitur illorum opinio, qui legi Moſaicæ præceptum attribuunt illicitæ rei ac nefariæ. Cujus erroris ſumma ad certa capita revocatur.

I. OMNIUM hæreſum, quæ Eccleſiam hactenus infeſtam habuerunt, antiquiſſimæ ac teterrimæ fuerunt illæ, quæ auctori boni, vero & ſempiterno Deo, mali auctorem oppoſuerunt alterum, ac peræquè ſempiternum. Quo in genere Cerdones, Valentini, Marciones, Manichæi, Priſcillianiſtæ, ac poſtremò Waldenſes, celebre ſibi apud poſteros nomen impietate pepererunt. At iſtorum omnium utcumque gravis, ac deteſtandus error, fuit hac una re tolerabilis, quòd eumdem intellexerunt boni ac mali auctorem eſſe non poſſe Deum: itáque in duos potiùs officia iſta partiti ſunt natura, efficientiáque contrarios, quàm ut unum amborum utique meliorem, immo ſolum bonum, mali quippiam aut velle per ſeſe, aut efficere, aut imperare dicerent. De hoc mali genere loquor, quod propriè malum eſt, hoc eſt infectum vitii, ac turpitudinis macula, & ab regula rationis rectæ, atque honeſtatis abhorret. Hujus erroris conſectarium illud fuit, ut quia veterem, ac Moſaicam legem impiam, ac ſceleratam eſſe judicabant, latorem illius, & conditorem fuiſſe jactarent ejus ſimilem, hoc eſt malum, malique principem Deum.

II. TUNC eſt autem mala lex, & legis ipſe malus, ac vituperandus auctor, cùm & illa ſcelus & flagitium facere per ſeſe, ac rectâ imperat; & iſte, quam ejuſmodi eſſe novit, iis, quibus præeſt, pro jure ſuo, ac poteſtate conſtituit. Ergo & illi, quos nominavi, antiquiores hæretici Moſaicæ legis capita pleraque reprehendere ſolebant, iiſque vitium ac peccatum præcipi dicere; ut eo conceſſo, quod reliquum erat, obtinerent; alium quemdam præter Bonum, & confeſſum Deum, parem huic æternitate ac poteſtate ſtatuendum eſſe, malum, ac mali principem. Adeo vel in tanto ſtupore, ac tam horribili cæcitate, cujuſmodi illorum animos obſederat, tamen illud videbant; idem boni ac mali principium eſſe non poſſe. Nec dum ſcilicet Lutheri, Calvini, & nuperæ aliæ labes exſtiterant, quæ hoc poſtremum profiteri non dubitarent, non minùs peccati, ac ſceleris auctorem ac deſtinatorem eſſe Deum, quàm rectè honeſtéque facti.

Cujus erroris fautores, & propugnatores non ſoli ſunt hæretici: ſed etiam Catholicarum partium aliqui; contra quos hanc diſputationem ſuſcepimus. Qui tum veterem legem, itidem ut illi, quos paullò antè dixi, ſuperiores hæretici, impuram ac nefariam eſſe reipſa docent: tum ejuſdem inſtitutorem, quod iſti eloqui timuerunt, unicum, eumque bonum nihilominus, Deum eſſe prædicant.

III. HANC eſſe Novorum Theologorum ſententiam, quantumvis negent, ac tergiverſentur, ex eorum verbis ac decretis, quæ in Apologia ſecunda Scriptor Anonymus nuperrimè recoxit, hoc modo demonſtratur.

Malam & injuſtam legem cùm dicimus, nulla dicti hujus, opinor, alia nobis occurrit notio, quàm ut ea talis intelligatur, quæ turpe aliquod, & vitioſum facere ex profeſſo jubet. At hujuſmodi per illa tempora Moſaicam fuiſſe legem, ſectæ illius eſt opinio, ut in Tomo primo Theologicorum Dogmatum, libro decimo demonſtravimus: ex quo illorum verba repetemus. Etenim * *propter carnalia diligere Deum, non gratuitus, ſed mercenarius amor eſt* (inquiunt) *ideòque impurus, carnalis, vitioſus.* Hujus itaque vitioſi amoris, & impuri, *puritatiſque * cæleſtis regni adipiſcendi neceſſariæ ex diametro contrarii,* ſive * *terrenæ cupiditatis, fomentum ac præmium lex illa ex profeſſo promittebat,* ait ille, ac mox ex Auguſtino * probat, inter Judæos fuiſſe quoſdam bonos, *qui Deum ibi piè colebant, ſed tamen propter terrenas res, propter iſta præſentia. Sunt enim impii, qui præſentium rerum bona à dæmonibus quærunt. Hic autem populus ideò melior erat gentibus, quòd quamvis præſentia bona, & temporalia, tamen ab uno Deo quærebat, qui eſt creator omnium & ſpiritalium, & corporalium.*

[* Theol. dogmatum tom. 1. lib. 10. cap. 23. parag. 3. — ex tom. 3. lib. 13. cap. 6. p. 115 A. 2. — * Ib. D. 2. — * Ib. p. 116. E. 2. — * In Pſ. 72. p. 322 A, B.]

Ad quæ Auguſtini verba Dogmatiſtes hæc adnotat: *Quo * fit, ut quamvis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem à Deo vero, ſicut & gentium, recederet, non tamen euſque ut in dæmonia, aut idola laberentur.* Quod & ex alio loco ejuſdem * Auguſtini probat. *Iſte ergo receſſit à Deo, ſed non longè, quia quaſi pecus factus ſum, & ego ſemper tecum. Illi verò longè receſſerunt: quia non ſolùm terrena deſideraverunt, ſed ea à dæmonibus, & à diabolo petiverunt.*

Itaque * *Synagoga*, ait idem, *conſiderata ut Synagoga, non erat aliud, quàm terreni populi turba, hominumque carnalium congregatio ſolis terrenis, & carnalibus incubantium, & propter illa ſola colentium unum Deum.* Tum paullò antè, *Teſtamentum vetus, in quo ſola terrena promitterentur, congruis hominibus datum eſſe, non ea de cauſa, ut per hujuſmodi Teſtamenti promiſſiones, & obſervationem eorum ſalus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur: ſed ne res illas, quas carnali vitioſóque amore diligebant, à dæmonibus quærerent.*

[* Vide Tom. 1. Theolog. Dogm. l. 10. cap. 23. paragrapho 4. — * Aug. ibid. pag. 326. A. 2. — * Vide Theol. dog locum cit.]

Item in titulo capitis nono: *Status Veteris Teſtamenti, ut talis, non erat juſtitiæ, & ſalutis, ſed potiùs peccati, & mortis.*

IV. HÆC verba, ceteráque illius Operis ac dogmatis eôdem ſpectantia, venenum illud continent opinionis impuræ, Legem Moſaicam per ſe, & ex inſtituto, ac voluntate Legiſlatoris Dei, ſcelus imperaſſe; hoc eſt vitioſum, & damnabile quiddam non ſolùm permiſiſſe; ſed etiam præcepiſſe; ac minis, & præmiorum illecebris ad rem turpem, & flagitioſam incitaſſe. Etenim

nim ſi Deum propter carnalia, & terrena diligere, peccatum eſt; & à Deo vero defectio: cùm vetus Lex hoc ipſum per ſeſe, & ex profeſſo ageret, ut ad Dei cultum, & obſequium terrenorum ſpe commodorum alliceret; eámque cupiditatem non aliis, quàm iſtis, propoſitis bonis inflammare ſtuderet, mali hortatrix ac præceptrix ſine controverſia fuit. Ut ſi quis legum lator, veritus ne cives nuptarum pudicitiæ inſidias faciant, edicto caveat, ut qui uxorem nullam habent, aut cauſariam & nuptiali officio inutilem habent, concubinam adſciſcant; ac detrectantes quà propoſito ſupplicio, quà præmiis ad obſequendum impellat; improba ſit, & flagitioſa lex illa, tametſi bonum ad finem referatur.

V. Tαlα ſunt igitur in novo iſto Dogmate, perinde ab communi hominum, atque ab Chriſtiano remota ſenſu, & citra controverſiam hæretica. Alterum, quòd legem veterem, *terrenæ cupiditatis*, quam *vitioſam*, *impuram*, *& carnalem dilectionem* vocat, quia *non gratuita*, *ſed mercenaria eſt*, illius, inquam, *cupiditatis fomentum ac præmium ex profeſſo promiſiſſe dicit*. Hoc enim eſt, provocare ex profeſſo homines ad peccandum: nempe ad illud exequendum quod ex profeſſo Lex, immò Legis auctor Deus imperat. Alterum eſt, quòd *Synagogam*, *conſideratam ut Synagogam*, *non aliud fuiſſe dicit*, *quàm terreni populi turbam*, *hominúmque carnalium congregationem*, vitioſo illo amore, & cupiditate colentium Deum. Vel, quod eòdem relabitur, *Statum veteris Teſtamenti*, *ut talis eſt*, *non fuiſſe juſtitiæ*, *& ſalutis*, *ſed potiùs peccati*, *& mortis*. Quod quid aliud eſt, quàm in Deum ipſum refundere vitium illud, & turpitudinem probroſæ, ac neſariæ cupiditatis? Etenim *Synagoga*, *conſiderata ut Synagoga*, Dei opus eſt, ac vera ejus Eccleſia, uti tunc tempora ferebant. quam quidem coëgit, ac congregavit ex inſtituto Deus; & quibus voluit, atque expedire cenſuit, officiorum legibus, præceptíſque temperavit. Quocirca ſi Synagoga, quà Synagoga eſt, mala, & vitio eſt oblita, mali per ſe eſt auctor, artifex, & inſtitutor Deus. Ut qui hominem, conſideratum ut hominem, vitioſum eſſe dicat; turpiter mentiatur, & illius creatori Deo contumeliam faciat, tametſi reipſa peſſimos eſſe fingas homines univerſos. * *Siquidem homines opus ſunt Dei*, *in quantum homines ſunt*: *ſed ſub diabolo ſunt in quantum peccatores ſunt*, ut ait Auguſtinus. * Qui & alio loco, *Quaſi duæ res ſunt*, inquit, *homo*, *& peccator*. *Quod audis homo*, *Deus fecit*: *quod audis peccator*, *ipſe homo fecit*. Tertium, quòd *Teſtamentum vetus*, ac Legem Moſaicam, non ea de cauſa datam eſſe Judæis adſtruit, ut eorum ſaluti conſuleretur; ſed ut ne terrena bona, quæ vitioſo amore diligebant, à dæmonibus potiùs quàm à Deo peterent.

[* Aug. lib. 1. con. 2. epiſt. Pel. c. 8.]

[* Id. Tract. 12. in Joan.]

VI. Quod ſi verum eſt, eò vis tota Legis ac fructus redigitur, ut tolerabiliùs dumtaxar peccare doceat, & vitandi gravioris delicti gratiâ, levius alterum admittere. Quamquam levius, tolerabiliúſque dici non poteſt, peccandi copiam à Deo petere, quàm à dæmone. Immo gravius, atrociúſque crimen eſt, orare Deum, uti fallere, pejerare, aut ſcelus aliud facere per illum liceat, quàm hoc idem à diabolo, vel falſo aliquo numine poſtulare; ut qui apud Horatium ita precabatur,

Pulcra Laverna,
Da mihi fallere: da ſanctum rectúmque videri,
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Atqui illud ipſum, quod eſt turpius, & flagitioſius, quàm hoc, cujus vitandi cauſâ ſuſceptum dicitur, ſuadente; immo imperante, cogente; auctore denique Deo, ab Judæis uſurpatum eſſe docuit recentis conditor ſectæ: & ne vitioſæ, improbæque cupiditatis lenonem, & conciliatorem faceret diabolum, facere non dubitavit Deum. Quid enim aliud eſt, Legem à Deo datam dicere, quæ *vitioſæ cupiditatis fomentum*, *ac præmium ex profeſſo promittebat*, ne illud idem promittere diabolus occuparet, niſi affirmare Deum abs ſe vitii adjumenta illa, & fomenta capi, ac ſperari, quàm ab diabolo, maluiſſe? Quanto prudentiùs, ac religioſiùs ethnici illi veteres, qui ſtuprorum, latrociniorum, cædium auctoritatem Veneri, Baccho, Mercurio, Marti, ac profanis Diis ceteris, hoc eſt dæmonibus, mandabant; quàm nuperi iſti Theologi, qui Deo vero, ac ſummo partes allegant fovendæ, ptomovendæque nequitiæ?

CAPUT II.

Vetus Teſtamentum, ex nuperorum Dogmatiſtarum opinione, omni gratia, & auxilio ad benè vivendum, & ad ſalutem neceſſario caruiſſe: idque non Judæorum, ſed Legis ipſius vitio atque culpa.

I. EJusdem indolis eſt, quod illius auctor ſectæ Judæis aſſerit in ſtatu illo Teſtamenti veteris, nullam prorſus affuiſſe gratiam. Quod non ſic ab iſtis affirmari putandum eſt, ut hoc tantummodò velint; Moſaicam Legem, vetúſque Teſtamentum nihil ex ſeſe, ac ſuapte vi, & indole, gratiæ contuliſſe. (Hoc enim Catholici omnes fatentur; Legem nihil omnino gratiæ tribuiſſe per ſeſe, interioris, & propriè dictæ: ſed ejus auctorem, & largitorem unicum intelligunt eſſe Chriſtum; cujus meritis per omnia & antecedentia, & conſequentia tempora juſti, ac ſalvi facti ſunt, quicumque juſtitiæ, ac ſalutis compotes fuerunt.) Sed illud hoc ſenſu aſſerunt; omni ut auxilio gratiæ Chriſti ad rectè agendum, & ad vitanda peccata, atque ad damnationem effugiendam, & ad ſalutem conſequendam neceſſario funditus deſtituti fuerint: idque non ulla præcipuâ culpâ ſuâ, ſed ex natura Legis ipſius, & ſtatus antiqui Teſtamenti: qui poſtulabat, uti nulla Iſraëlitico populo, qui ſub illo verſabatur, gratia ſuppeteret. Atque hoc prioris illius decreti conſectarium eſt, quo Legis Moſaicæ ſtatum impurum, vitioſum, & damnabilem fuiſſe pronuntiant.

II. Principio nullam ex Chriſti meritis affuiſſe gratiam Teſtamenti veteris alumnis, * Apologetici Scriptor ex Antiſtitis ſui verbis ita demonſtrat. Qui cùm ſcripſiſſet, *Teſtamentum vetus magnam quamdam quaſi comœdiam fuiſſe*, *quæ non tam propter ſeipſam*, *quàm propter id*, *cui præfigurando ſerviebat*, *hoc eſt propter Teſtamentum novum*, *ejúſque principem*, *& heredem Eccleſiam*, *ab illa gente*, *tamquam ad hoc idoneâ ageretur*; cauſam reddit illius dicti ſui: *Quandoquidem enim* (ait) *carnalibus implicata ſtudiis*, *& amoribus*, *terrenæque felicitati venandæ dedita*, *cæleſtium*, *atque ſpiritualium incapax eſſet cogitationum*, *quid congruentius*, *quàm ut illa*, *quæ inutilis eſſet ſaluti ſuæ*, *ſaltem alienæ figurandæ procurandæque ſerviret?* Ac totam *Teſtamenti illius obſervantiam Veteris hominis ſervitutem nominat*. Eſt autem *homo vetus*, eo ſenſu, quem Apoſtolus uſurpare ſolet, ex eòque nuperus Apologiſta; nihil aliud, quàm peccato corrupta, depravatáque natura, ſive peccati ſtatus, aut *corpus peccati*. De quo ſic in * Epiſtola ad Romanos, *Hoc ſcientes*, inquit, *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt*, *ut deſtruatur corpus peccati*, *& ultrà non ſerviamus peccato*. Chryſoſtomus *hominem veterem interpretatur*, ὁλόκληρον κακίαν, hoc eſt *integram pravitatem*, *ac ſuis omnibus partibus abſolutam*: quam * & *corpus* ait eſſe *peccati*: nimirum, *nequitiam ex diverſis pravitatis partibus conflatam*; uti corpus ex ſuis membris componitur.

[* Lib. 2. c. 15. pag. 160. ex To. 3. lib. 3 cap 6. p. 136.]

[* Rom. 6.]

[* Chryſoſt. homil. 11. pag. 80. τὴν ἀπὸ διαφόρων μερῶν κακίαν συγκειμένην πολλὴν πονηρίαν.]

III. Hanc ipſam gratiæ Chriſti Teſtamenti veteris alumnis negatæ funditus hæreſim, reliqua detegunt illorum dicta partim à nobis prolata in Tomo primo Theologicorum dogmatum: partim ab Apologiſta repetita pariter, ac defenſa. * *Cardinem*, aiunt, *voluntatis eorum*, qui ſub lege vivebant, *rapiebat non fides*, *quæ per veram Dei dilectionem operatur*; *ſed terrena cupiditas*, *cujus fomentum*, *ac præmium lex illa ex profeſſo promittebat*, &c.

* *Quo fit ut quamvis cordis interni cardo per hujus mundi dilectionem*, *à Deo vero*, *ſicut & gentium*, *recederet*, *non tamen euſque*, *ut in dæmonia*, *aut idola laberentur*. Quamobrem eamdem Judæorum & gentilium, quod ad gratiæ præſidia pertinet, fuiſſe rationem, natio iſta novorum Theologorum exiſtimat; hoc eſt ambos illâ ex æquo caruiſſe, quod prorſus initio ſeptimi capitis ejus libri, unde ſuperiora ſumpſimus, aſſeverat, *Idem videlicet de gratia ſufficiente Teſtamenti veteris heredibus data arbitrandum eſſe*, *quod de illâ eâdem gratia in gentiles effuſa ſtatui debet*. Porrò de infidelibus hæc illorum ſententia eſt, quam titulus undecimi capitis libri ejuſdem tertii præ ſe fert: *Infideles carent gratia ſufficiente ad ſalutem*, *tam proxima*, *quàm remota*, *& omnibus princi-*

[* Cit. à nobis Tom. 1; lib. 10. c. 23. parag. 3. ex pag. 116. E. 2.]

[* Ib. p. 117. B.]

 pus

pris ejus. Et initio capitis, ne ejuſmodi quidem ſufficiens auxilium infidelibus aſſignari patitur, quale Theologi quidam attribuunt; cogitationem quampiam ad peccatum impediendum utilem, & utrumque præparantem ad excipiendam gratiam. Hac igitur, & omni adeò ſufficiente gratiâ deſtitutos fuiſſe Judæos, aſſerunt iſti: ac paſſim illud inculcant.

[* Lib. 2. cap. 3. & ſeq.] [* Pag. ead. 117.] IV. Imprimis autem ille ipſe locus, quem * Apologetici ſecundi Scriptor ex Magiſtri ſui Opere deſignat, titulo illo declarat, qui * ſeptimo capiti inſcriptus eſt: *Non affuiſſe hominibus ſub lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus.* Porrò in eodem capite poſtquam gratiam illam, [* Pag. 117. B.] ſine qua præcepta ſervari nequeunt, * docuit eſſe *dilectionem ipſam juſtitiæ, quæ non eſt alia, niſi illa vera,* [* Ibid. p. 118. B. 1.] *pura, legitima, laudatáque charitas Dei,* * *quæ ſola legem implet, quia plenitudo legis eſt dilectio,* & abſque il- [* Ibid. p. 117. A. B.] la *, *non ſolùm totam legem ſervari non poſſe, nec ſolùm ſupernaturaliter, & meritoriè: ſed nec ullum præceptum ejus ita poſſe ſervari, ut peccatum vitetur.* poſtea conclu- [* Ibid. p. 118. B. 1.] dit ſic: * *Quæ cùm ita ſe habeant, jam conſequenter loquet, quàm incongruè dicatur tam carnalibus animis gratiam affuiſſe ſufficientem, præcepta morum ea iſta ſublimi, & ſpiritali juſtitiæ dilectione ſervandi, quibus ideò hoc ipſum vetus Teſtamentum, terrenáque ipſius præmia promiſſa, ac data ſunt, quòd (ut ſuprà vidimus) ſpiritualium rerum incapaces eſſent.* Ac paucis interpoſitis: *Quomodo igitur ſufficientem gratiam habebant implendi legem, &, quod multò mirabilius, adipiſcendæ ſalutis, qui meliora temporalibus capere, immò cogitare non poterant?* Ad hæc, * *ab* [* Id. cap. 8. pag. 120. D.] *ipſa gratia non ſolùm invocanda, ſed etiam agnoſcenda longo intervallo omnes heredes veteris Teſtamenti diſtitiſſe* ſcribit idem capite ſequenti: idque ſæpiùs inculcat: ut cùm [* Ibid. p. 121. C. 2.] inter alia ſcribit ſic in eodem capite: * *Tales erant omnes omninò veteris Teſtamenti filii, gratiæ prorſus ignari: immò contemptores.*

[* Apol. lib 1. cap. 8. p. 181.] V. Denique totum illud caput ſextum libri tertii, ex quo * Apologetici Scriptor infanda illa decerpſit, quæ in antecedenti capite deſcripſimus, diſertè hoc ipſum aſſeverat; nullam penitus gratiam illuxiſſe Teſta- [* P. 114.] menti veteris heredibus. Nam * duplicem vitam hominis eſſe dicit: *alteram carnalibus ſenſibus implicitam, gaudiis carnalibus deditam, quæ carnalem fugitat offenſam, voluptatémque ſectatur. Hujus vitæ felicitas temporalis eſt: à qua vita incipere, neceſſitatis eſt, quamvis in ea perſiſtere, voluntatis. alteram, cujus in mente gaudium eſt, cujus interna, & æterna felicitas.* Utramque deinde vitam aſſerit Deum cura ſua, & providentia dignatum eſſe; ita ut priori bona illa tantùm adſpergeret, quæ capere ac concupiſcere poterat; hoc eſt caduca, & carnalia: poſteriori verò, ſpiritalia, & cæleſtia. *Itaque oſtendere volens*, ait, *Deus terrenam, temporalémque felicitatem donum ſuum eſſe, nec aliunde niſi ab ipſo, non à dæmonibus, falſiſve diis ſperari oportere, prioribus præſentis ſeculi temporibus diſpenſandum judicavit Teſtamentum vetus, quod pertineret ad hominem veterem, hoc eſt carnalem, carnalibus voluptatibus inhærentem, à quo iſta vita neceſſe eſt incipiat; poſterioribus novum reſervavit, quo bona ſpiritualia largiretur.* Tum iſta pertexit: *Propter hanc igitur cauſam, & hanc utriuſque Teſtamenti differentiam, nihil omninò ſpiritale in veteri Teſtamento promittitur; ſed ſola carnalia, quæ veteri homini, ac vitæ congruunt, divitiæ, opulentia, victoria, pax temporalis, regnum, gloria,* &c. Addit, *Hoc Teſtamentum, in quo ſola terrena promitterentur, congruis hominibus dediſſe Deum; hoc eſt carnalibus, ſola terrena diligentibus, qui ſpiritualium rerum incapaces, nondum poſſent ad ea magni pendenda, ac diligenda erudiri; idque non ea de cauſa, ut per hujuſmodi Teſtamenti promiſſiones, & obſervationem, eorum ſalus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur.* Et [* P. 115.] * paullò pòſt, *Tota itaque ſpes, tota charitas erga Deum, totiuſque cultus erat carnalis, ideóque vitioſus. Nam & avari ſtrenuè Deum diligunt, velut ſatellitem ſuæ cupiditatis,* &c. *Nec verò iſta omnia, quæ de carnalibus iſtis animis filiorum veteris Teſtamenti diximus, de improbis intelligenda ſunt; ſed potiùs de illis, qui probiores eſſe vide-* [* § 3.] *bantur.* Unde ita concludit, ut * ſuperiori capite monſtravimus: *ſynagogam conſideratam ut ſynagogam, non eſſe aliud, quàm terreni populi turbam, hominumque carnalium* [* P. 116. B. 1.] *congregationem,* &c. * Tum *legem illam* veterem *terrenæ cupiditatis,* adeóque *vitioſæ, fomentum, ac præmium ex profeſſo promiſiſſe.*

VI. Jam verò Teſtamentum illud antiquum, ſive Moſaicæ legis ſtatum, omnis prorſus expertem gratiæ fuiſſe, hoc eſt nullam ejus alumnis, & heredibus impertitam eſſe, ſic nuperis iſtis Theologis placet, ut hoc conditioni ipſi ſtatus illius, ac naturæ Teſtamenti veteris aſſignent, non eorum vitio, ac culpæ, qui bona Lege malè ſunt uſi, ac peccatis ſuis hanc ſibi gratiæ, & ad benè vivendum neceſſarii auxilii copiam intercluſerunt. Sic enim in ejuſdem libri capite ſeptimo legitur: * *Ex qua ſanè conditione, & interiori ſtatu ſynagogæ, na-* [* P. 115. C.] *turáque veteris Teſtamenti facilè liquet, quid de gratia ſufficienti Teſtamenti illius heredibus data ad cuſtodiendum decalogum, ac legem Dei, ſalutémque ſpiritalem animæ conſequendam, arbitrandum ſit.* Nimirum non plus gratiæ in Judæos, quàm in gentiles effuſum fuiſſe; hoc eſt omninò nihil; ut ſubinde pluribus explanat, idque *ex conditione, interiori ſtatu, & natura Teſtamenti veteris.* & * in capite nono, ait *naturam Teſtamenti illius, ac* [* P. 116. B. 2.] *ſtatum populi & conditionem temporis illius talem fuiſſe.* Idem ſignificant illa verba, quæ paullò antè commemoravi, *ſynagogam conſideratam ut ſynagogam,* &c. Et *ex profeſſo carnali cupiditati fomenta promiſiſſe.* Tum iſta, non ea de cauſa Teſtamentum illud datum fuiſſe, *ut Judæorum ſalus æterna in tuto locaretur, vel etiam de propinquo curaretur.* Ac ne longum faciam, quæ ſunt à nobis ex illorum ſcriptis hoc in capite ſelecta; necnon cetera omnia, quæ in eorum libris ad idem argumentum ubertimè diſputantur, præ ſe iſtud ferunt; Legi ac Teſtamento veteri ex natura ſua, & propria conditione ac ſtatu conveniſſe, ut impedimento eſſet gratiæ; & eam funditus interciperet, atque ab ſynagoga per ſeſe, ac ſuapte vi, & indole prohiberet.

CAPUT III.

1. *Apologetici nuperi ψεῦδος & fucus, in propugnando Moſaicæ Legis adverſario.* 3. *Legem per ſe eſſe bonam; ex accidenti verò cauſam peccati.* 4. *Dogmatiſtæ nuperi falſa opinio.* 5. *Auguſtini auctoritate damnata.* 6. *Manichæorum & Marcionitarum affinis hæreſi.*

I. Cum & adeo ſint horrenda novæ factionis architecti dogmata, quæ capite utroque ſuperiori perſtrinxi: & tam apertè convicta; ut celari, aut excuſari tergiverſatione ulla nequeant: eum vel quid agat neſcientem, vel pudoris expertem oportet eſſe, qui ad iſta ſeriò tuenda, & propugnanda ſtilum, ac mentem adjiciat. Fecit hoc Armacanorum ille ſymmiſta; qui Apologeticum nuper edidit adverſus Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. Habertum ex inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Theologo Vabrenſem factum antiſtitem. Quo in libro, inter alia flagitia, illud ipſum de Lege veteri à me reprehenſum, & confutatum alio in loco, deſignavit ad defenſionis pompam aliquam, & ſpeciem. Nam quod illic oppugnaveram, de eo diſputare ſe, & quæ in invidiam erant vocata, purgare, ac tueri velle præ ſe tulit.

Sed ubi ad rem ventum eſt, alia egit omnia; pérque ludificationem, eo, quod controverſiæ caput erat, omiſſo, ad ea, quæ neceſſaria non erant, nec in quæſtionem adducta, deflexit.

II. Veteris Teſtamenti ſtatum, quo *Synagoga conſiderata ut Synagoga,* conſtabat; & in quo tota illius ſita ratio erat, & eſſentia; per ſeſe bonum, & laudabilem fuiſſe, tamquam ab auctore, inſtitutoréque Deo profectum, dixi faventibus Catholicis omnibus; ex accidente tamen, & propter male utentium bona lege pravitatem, & ſocordiam, in eorum damnum ac perniciem vertiſſe, præter indolem ſuam, prætérque Conditoris mentem, ac propoſitum. Ex quo ſequitur, falſum eſſe novæ Sectæ commentum, quod antecedens utrumque caput expoſuit: cùm Legem ipſam vitioſæ cupiditati ex profeſſo fomenta miniſtraſſe docet, ac peccandi magiſtram fuiſſe.

At * Apologetici Scriptor, diſſimulato eo, quod in [* Lib. 2. Apol. c. 8. p. 178. & ſeq.] cauſa præcipuum erat, & in quo juſtiſſima querelæ, accuſationiſque ſumma vertebatur, partim frigida exceptione cavillari & eludere magis, quàm purgare crimen inſtituit: partim in iis, quæ confeſſa, neque dubia erant, explicandis ſupervacaneam operam inſumpſit.

III. Legis

III. Legis antiquæ beneficio nulli veram conſtitiſſe juſtitiam: nec, quantum in illa fuit, a peccatis extricatum eſſe quemquam; ſed hoc ſola Chriſti gratia homines aſſecutos eſſe, longo ſermone ac crebris Auguſtini ſententiis approbat: quaſi de eo quæſtio inter nos ulla verſata fuerit. Atqui nemo hoc prorſus diffitetur. Verùm aliud in cauſa eſt, & in opinione Dogmatiſtæ nuperi: quod illi pro hæretico à nobis objectum, ne litteram quidem attigit iſte; ſed comiter diſſimulando præteriit.

Sanè Apoſtolus Paulus in ea, quam ad Romanos ſcripſit, ubi de Lege Moſaïca, ejúſque vi, ac fructu, accuratiſſimè diſputat, Legem aſſerit, non gratiam, ac juſtitiam, aut peccatorum veniam hominibus attuliſſe, ſed iræ potiùs, ac delicti, & damnationis incrementum, * *Lex enim iram operatur.* Et, * *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Item, * *ſine lege peccatum mortuum erat*, &c. *Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit.* At idem vim illam maleficam, & ad peccatum impellentem, non legi per ſe, propriéque convenire docet: ſed ex accidenti, & per occaſionem dumtaxat: quemadmodum bonæ res interdum noxiæ ac detrimentoſæ fiunt; cùm malè bonis utimur. Itaque * *Lex*, inquit, *ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Tum, * *ſcimus quia lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum.* Jam qua ratione lex illa bona, & ſancta, mali, & peccati cauſa fuerit, declarat ibidem. * *Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi niſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Item, *inventum * eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.*

* Rom. 4. 15.
* Rom. 5. 20.
* Rom. 7. 8.
* Rom. 7. 12.
* Ib. ver. 14.
* Ib. ver. 8.
* Ib. ver. 10.

Erat itaque Lex per ſeſe *bona*, & *ſancta*, & *ſpiritualis*, & *ad vitam*; ſed ex accidenti, morum perniciem, ac peccandi libidinem incitavit. * *Sciri enim fecit peccatum potiùs* (ait Auguſtinus) *quàm caveri: & ideò magis augeri, quàm minus, quia mala concupiſcentiæ, etiam prævaricatio legis acceſſit.* * Item alibi, *Quando cognoſcit homo peccatum, ſi non adjuvat gratia, ut cognitum caveatur, ſine dubio lex iram operatur.* At iſta minimè culpa Legis eſt, nec ejus vitio factum, ut fraudi eſſet hominibus: ſed horum importunitati potiùs, & corruptæ ac depravatæ indoli, morbóque tribuendum eſt, quòd in damnum, & exitium ſalutaris medicina ceſſerit.

* Aug. de ſpir. & lit. cap. 4.
* Lib. de Grat. & lib. Arb. c. 10. Vide & lib. 13. de Civit. Dei, c. 5.

IV. Recte hoc animadvertit Origenes, Homilia ſeptima in Exodum, ubi illud Ezechielis: * *Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*, hæc adnotat, *Tentati enim in præceptis Domini non inveniuntur fideles. Ideò enim inventum eſt eis mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem; quia unum, atque idem mandatum, ſi ſervetur, vitam: ſi non ſervetur, generat mortem, dicuntur mandata non bona.* Et * Chryſoſtomus in Homilia LIV Tomi quinti. *Data lex eſt*, inquit, *ut peccatorum impetum reprimeret; & ut meliores faceret eos, qui illam acciperent. Verùm contrà evênit, propter illorum ſocordiam. Peccata enim auxerunt.* Et alia plura addit ejuſdemmodi, ut illam Scripturæ interpretandæ regulam approbet: Quod interdum τὰς ἐκβάσεις, id eſt eventa pro cauſſis divinorum conſiliorum habere videatur: ut cùm * Chriſtus idcirco veniſſe ſe ait in mundum, ut Judæi occæcentur.

* Ezech. 20. 25.
* Chryſoſt. Hom. 54. To. 5. Savil. p. 363. ver. 10. [Greek marginal note illegible]
* Joan. 9. 39.

Vide Methodium apud Epiphanium hæreſi LXIV. ubi latiſſimè de lege diſputat, & quemadmodum in malum converſa videatur.

V. Quamobrem irreligioſa vox eſt Dogmatiſtæ recentioris illa, quam ſuperiori capite memoravi: & ab Apoſtoli, ejúſque interpretis Auguſtini, ac fidei Catholicæ decretis, ipſóque adeo communi hominum ſenſu diſſidens; cujus patrocinium temerè Apologia nupera ſibi ſumpſit. Etenim qui poteſt bona, juſta & ſancta eſſe Lex, quæ per ſe flagitium imperat: quæ ex profeſſo vitioſæ cupiditati fomenta præbet: quæ ad hoc data ex inſtituto dicitur, ut terreno, pravo, ac vitioſo amori velificetur? An verò ſpiritalis ea Lex erit, & carnalibus adverſa Judæis, quæ nihil niſi carnale præcipit; hoc eſt Deo propter terrena ſervire commoda jubet: quod non mediocre eſſe delictum natio iſta Theologorum exiſtimat? An *ad vitam mandatum erit* illud, quod concupiſcentiam, ac terrenarum rerum cupiditatem per ſe, ac dedita opera fovere, alere, ac promovere ſtudet: qua peſtis capitalior eſt nulla; neque magis inimica dilectioni; * *Qui autem non diligit, manet in morte.*

* 1. Joan. 3. 14.

VI. Jam quod ad Auguſtinum, ceteróſque Patres attinet, omnium voce ac ſententia recens illud dogma jugulatur. Neque verò neceſſe eſt, ſingulorum dicta proferre. Unus eſt locus, in quem plurimorum auctoritates, ac teſtimonia collecta confluunt. Dixi primi capitis initio, commune hoc habuiſſe priſcas, & obſoletas hæreſes, velut Marcionitarum & Manichæorum, uti Teſtamento veteri Legique Judaïcæ bellum indicerent. Hoc ut cum ratione facere ſe probarent, illud potiſſimùm pugnabant, quæ ab Lege præſcripta erant, & imperata, mala eſſe pleraque, & ad vitium ac flagitium implicata: adeóque Legis novæ, ac mandatorum Chriſti ſanctitati contraria. Ut, exempli gratiâ, præceptum illud, talionis, quo *oculus pro oculo, dens pro dente* reddi jubetur, ſceleratum eſſe dicebant, & abrogatum à Chriſto, damnatúmque Matthæi quinto: ut & alia in eodem capite comprehenſa, quale eſt odium inimicorum, & uxoris dimiſſio.

At viciſſim Catholici Patres, illam Legis infamiam, & calumniam non alia ratione propulſabant, quàm ut oſtenderent, nihil ejuſmodi, quale peſtes iſtæ jactabant, hoc eſt turpe, ac vitioſum, antiqua lege præcipi: & quæ illi reprehendebant, honeſta & legitima fuiſſe, ac per id tempus Hebræorum populo, ejúſque moribus, & ingeniis accommodata, planeque neceſſaria. Sic adverſus Manichæos, & eorum principem Fauſtum luculenta diſputatione contendit Auguſtinus multis libris, ac præſertim decimo-nono, & viceſimo ſecundo, & in libro contra Adimantum. Contra Marcionem quoque Tertullianus, legis patrocinium, maximè * in quarto libro ſuſcepit. * Irenæus item adverſus ſimiles hæreticos pro eâdem lege decertat. Tum Epiphanius * contra Ptolemæum, * Marcionem, * Manichæum, alióſque nonnullos. * Qui quidem nominatim ob id incuſatam à Manichæo legem Moſaïcam refert, quòd ab illa cupiditas, cædes, aliáque flagitia profecta, mandatáque fuiſſent.

* Vide cap. 4 & ſeq.
* Ut lib. 4. cap. 19. & cap. 52.
* Hær. 33.
* Hær. 42.
* Hær. 66.
* Epiph. Hær. 66. § 70. pag. 691. B. [Greek marginal note illegible]

VII. Est hoc nuperæ, quam oppugnamus, ſectæ germanum ac proprium dogma. Nam *fomenta terrena, vitioſæ*, & charitatis inimicæ cupiditatis *ex profeſſo promiſiſſe* Legem veterem aſſirmant. Quamobrem licet iſtos eodem quo Manichæos arguit Epiphanius, argumento refellere. * *Si ab Legis*, inquit, *auctore eſt cupiditas, & eam operatur, cur ubique contra cupiditatem præcepta dat, qui cupiditatem immittit? Qui quidem ita præſcribit: Ne concupiſcas res proximi tui, neque bovem ipſius; neque jumentum, neque ancillam, neque agrum; nec uxorem illius, nec alia quæcumque ſunt proximi tui. Si cupiditatem tolli è medio, non ejus præbitor eſt dicendus.* Num aliter inſtaret, ac diſputaret Epiphanius, ſi hodie viveret, ac cum redivivis iſtis legis Moſaïcæ reprehenſoribus pro eâdem tuenda Lege certaret?

* Epiph. ib. [Greek marginal note illegible]

Hoc igitur ipſum controverſiæ caput, & totius diſputationis locus erat præcipuus, in quo hærere, ac pedem conferre decuit illum, qui Apologeticum alterum dedolavit: ut quod ſectæ ſuæ conditori objectum fuerat, de eo potiſſimùm ageret, reſponderétque, ſi poſſet; & niſi cavillari, ac fucum facere mallet.

Quamobrem nugari deinceps deſinat, quiſquis ille eſt, & iſtic ſit. Doceat nos quemadmodum ab Legis antiquæ, & auctoris ejus Dei contumelia, Patriarchæ ſui decreta vindicet. Oſtendat vel non eſſe flagitium, lenocinari vitiis, ac peccatis, eáque variis illecebris & irritamentis ex profeſſo fovere: vel non iſtud egiſſe Moſaïcam Legem, ex novæ Sectæ ſententia, & impuræ libidini, cupiditatíque dedita opera ſerviiſſe.

Hæc in Apologia ſua purgare; aut præſtare certè, ac palam tueri, patronum illius attinebat: non ſupervacanea illa, & ad rem minimè ſpectantia commemorare: quemadmodum Lex gratiæ nihil ex ſeſe contulerit; nec peccatum curaverit: ſed confirmarit potiùs, ac vires ſuffecerit: & id genus alia; quæ nec ad litem faciunt; & ignota vulgò non erant, etiam antequam Theognis naſceretur.

C A-

CAPUT IV.

1. Legis antiquæ vituperatores, eorúmque principem contra ſe ſentire, ac veræ interdum opinioni ſuffragari. Quid ſit ex profeſſo aliquid facere, & ex accidenti. 2. Declaratur medicorum exemplo, quomodo Lex vetus ex accidenti peccatum augebat. 3. Refelluntur ex Auguſtino Legis obtrectatores. 4. Tum ex uſu communi loquendi, & abſurdo, quod ex illorum ſententia ſequitur.

SED quid ad Legis obtrectatores retundendos, aliunde teſtimonia, & argumenta conquirimus? Dabo iſtos ipſos contra ſe, pro eâdem, quam criminari auſi ſunt, Lege pugnantes. Auguſtini æmulus iſte, qui nuper inſcitam illam fabulam recoxit, poſtquam Legis effecta, & importata per eam maleficia declamavit; * demum *explicare modum* inſtituit, *quo lex peccatum abundare fecit, & iram operata eſt.* Verba ſunt hæc illius: *Quapropter & modus explicandus eſt, quo prævaricationis gratia, ſeu propter prævaricationem, Lex poſita fuit: & quo tandem conſilio lex talis hominibus infirmis data, qua peccatis afflicti graviùs adhuc affligerentur. Hoc enim à divina miſericordia, atque benignitate prima fronte videtur abhorrere.* Huic verò quæſtioni reſpondet ſic: *Hoc per accidens contingere ex parte Dei: per ſe ex innato, & conſuetudine roborato hominis vitio,* &c. *Legis ergo acceſſus per ſe quidem tendit ad reſtringendum cupiditatis impetum, quatenus frenandum eſſe docet: ſed propter inſitam viſceribus hominis libidinem, fit ut inde ardentiùs inflammetur,* &c. *Lex enim per ſe non fomes, ſed limes ardoris eſt: quamvis propter vitium, ex limite exardeſcat magis, ac magis.*

* To. 3. lib. 1. cap. 10.

Hæc ut veriſſima ſunt; ſic ab aliis diſcrepant ejuſdem ſententiis, quas ſuperioribus capitibus expoſui. Ibi enim Legem aiebat, peccatis, ac vitiis, hoc eſt *rerum terrenarum cupiditati*, quam *carnalem* ac *vitioſam* eſſe ſtatuit, *fomentum, ac præmium ex profeſſo promittere.* Quod autem *ex profeſſo* facit Lex, id *per ſe* facit, non *per accidens.* Itaque *per ſe fomes eſt ardoris*, & amoris impuri, ac vitioſi: quod iſtic negat. Quid eſt aliud *profiteri*, quàm *apertè, ac palam præ ſe ferre*, ac *polliceri?* Sic medicinam profiteri, aut philoſophiam, eſt per ſe, & ex inſtituto diſciplinas iſtas docere velle.

II. ET ut ab re medica nondum recedam, opus ejus artis, hoc eſt corporum ſanatio, duobus exerceri modis poteſt; aut ex profeſſo; aut ex accidenti. Ex profeſſo medetur, qui ſponte, ac de induſtria, in auxilium vulnerum morborúmque, idonea remedia ex artis ſuæ præceptis adhibet. Siquidem *ut alimenta ſanis corporibus agricultura; ſic ſanitatem ægris medicina promittit*, ait * Cornelius Celſus. Ubi *promittendi* verbo eſt uſus, quod Græcis eſt ἐπαγγέλλεσθαι, & idem ac *profiteri.* Ex accidenti verò ſanitatem affert, qui aliud agens, & imprudens eam reſtituit, dum aliquid facit, unde præter ipſius mentem, ac conſilium, illa conſequitur. Sic de Jaſone Pheræo proditum eſt, hunc ab inimico vitam eripere volente ea parte corporis percuſſum, quæ interiore & inſanabili vomica laborabat, repentè apertâ illâ convaluiſſe. Sic quæ apud Auſonium

* Init. lib. 1.

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum,
Miſcuit argenti letalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.

Quæ res illi ſaluti fuit. Nam hydrargyrum viam ſibi ac veneno, per inferiorem alvum fecit, cum eóque dejectum eſt. Iſti ambo non ex profeſſo, ſed ingratiis, & ex accidenti vitam ac ſanitatem iis, quibus nolebant, reddiderunt.

Hoc modo Lex Moſaïca, ſi *per accidens* tantùm peccatum augebat, & fomes erat amoris vitioſi, non id ex profeſſo faciebat. Atqui *fomentum ex profeſſo, ac præmium promittebat* obſcenæ illi, & vituperandæ cupiditati, ut ſectæ magiſter docet. Non igitur *per accidens*, ſed *per ſe*, hoc eſt directè, ac deſtinato conſilio id agebat. Hoc conflictu ſermonis, & repugnantia conſtricta tenetur nova hæc opinio. Cujus ſi ſenſum non habuit Apologetici Scriptor, multùm pinguis homo eſt, & parum acutus. ſin videns ſciénſque diſſimulavit, verſutus eſt & callidus, qui deſperatæ cauſæ latebram captavit in loco illo communi, de quo nulla inter nos erat quæſtio; id verò prætermiſit, cujus gratiâ poſtulatus à nobis ac reprehenſus fuerat.

III. UT autem temerarii dicti, & abſoni magis illos pudeat, age quod de Lege veteri illic eſt dictum, in aliam transferamus. Auguſtini ex libro primo ad Simplicianum locum quemdam affert ὁ Ἄνομος (ſic enim oppugnatorem Legis appellare licebit eodem jure, quo Ἀλόγους Epiphanius * hæreticos illos vocat, qui Evangelium Joannis rejicientes, etiam prædicatum, & nobilitatum ab eo τὸν λόγον, id eſt *Verbum* abnegabant.) Ille ergo vituperator Legis, Auguſtinum citat interpretem Apoſtolicæ illius ſententiæ, * *quæ miniſtrationem mortis* legem nominat: & alterius, * in qua *legem ſubintraſſe* dicit, *ut abundaret delictum*, & ejuſdemmodi ceterarum, in quibus ὀξύμωρον aliquid apparet. * *Nec mireris*, ait Auguſtinus, *cùm de ipſa prædicatione Evangelii dictum ſit*, * *Chriſti odor bonus ſumus Deo, in iis, qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt; aliis quidem odor vitæ in vitam; aliis autem odor mortis in mortem.*

* Epiph. Hær. 51. parag. 3.
* 2. Cor. 3. 7.
* Rom. 5. 20.
* Aug. lib. 1. qu. 2. ad Simp. Tom. 4. p. 266.
* 2. Cor. 2. 15.

Eamdem igitur hac in parte rationem eſſe cenſet Auguſtinus veteris ac novæ Legis; quatenus utraque per ſe bona eſt, & ad bonum hortatur, & impellit: ad malum verò, non per ſe, ſed ex accidenti. Utrobique enim * *per bonum factum eſt malum, dum malè accipitur bonum*: ait idem Auguſtinus alio in loco. Et, * *Quis neſcit non legis, ſed hominum vitio, lege ſubintrante, abundaſſe peccatum?* Idem & Chryſoſtomus * affirmat Homilia XII in Epiſtolam ad Romanos, ubi Apoſtolum excuſat, quòd Legem Moſaïcam nimiùm depretiaſſe videatur minùs attentè cogitantibus, & quaſi auctorem peccati facere. *Si enim*, inquit, *crimen hoc Legis eſt, quòd peccatum per eam occaſionem ceperit, idipſum etiam in novo Teſtamento reperiet. Quippe in novo Teſtamento innumeræ ſunt etiam leges, & de majoribus plurimis rebus editæ. In his ergo non minùs, quàm in illa, idem evenire videas: nec ſolùm in concupiſcentia, ſed in omni prorſus pravitate.*

* D. 1. cit. Tom. 3. cap. 10. p. 17. ib Adver. Legis.
* Tract. 62. in Joan.
* Aug. lib 2. O. per Imp. cont Jul. p. 436.
* Chryſoſt. Tom. 3. p. 93. [illegible]

IV. QUAMOBREM quod de Lege veteri ὁ Ἄνομος dixit, audeat etiam de Evangelio profiteri ſic: Evangelica lex *ex profeſſo* data eſt, ut *mortem miniſtraret* hominibus, & ut *abundaret delictum*: quis eam vocem Chriſtianus æquis auribus admittat? quis non exhorreſcat? Atqui par eſt pro ſuo modulo ſcelus in illa altera, quam de Lege Moſaïca pronuntiavit Anomorum princeps, & hujus manipularis editor Apologetici tuetur.

* Sanè Chriſtum ipſum, id eſt Meſſiam *poſitum eſſe* dicit, adeóque *miſſum* ſignificat per Simeonem Spiritus ſanctus, *in ruinam multorum.* Tum de ſe * Chriſtus idem profitetur, *ſe in judicium in hunc mundum veniſſe*, hoc eſt in majorem condemnationem, ac pœnam eorum, à quibus repudiatus, & contemptus eſt, maximè Judæorum; ut Chryſoſtomus, eodem iſto in loco, & ad illum Evangelicum tam ipſe, quàm Cyrillus, Auguſtinus, Theophylactus, aliíque docent: quatenus ad improbos eadem illa verba referuntur: quorum propria ſunt iſta, quæ ſequuntur: *ut qui vident, cæci fiant*: hoc eſt *graviùs excæcentur*, ut ait Auguſtinus.

* Luc. 2. 34.
* Joan. 9. 39.

Audiamus hac de re pulcherrimè diſputantem Ambroſium in libro primo de Jacobo & vita beata, capite quarto. *Quid miraris igitur*, inquit, *ſi lex quibuſdam mortis ſit, cùm mortis ſit & Domini ſalutaris adventus, per quem redempti ſumus? Infidelis enim mortem ſibi quærit ex gratia: manet autem mandati gratia. Etenim ſicut cognitio venenatorum poculorum conſummatur ad diſciplinam medicinæ: ſic divinum mandatum ad vitam æternam*, &c. Mox iſta pertexit: *ſicut ergo bonum eſt antidotum, etiam ſi imprudenti, aut intemperanti non bonum*: ſic bonum mandatum, etiamſi *intemperanti non bonum eſt.*

Eximius eſt de eodem argumento locus Aug. in lib. I contra Creſconium Grammaticum, cap. XXIII, & ſequentibus; ubi non ſolùm res omnes, quæ ad naturalem uſum hominum à Deo conditæ ſunt, *non omnibus tamen habentibus utiles eſſe* probat; *ſed tantummodò benè utentibus*, ut lucem, ut cibum, ut medicamentum, arma, veſtes: verumetiam Baptiſmum, *& illa bona, quæ ad legem Dei pertinent*: ac præſertim legem ipſam veterem: cujus occaſione peccatum operatum eſſe concupiſcentiam omnem teſtatur Apoſtolus. Inde ad Baptiſmum rediens, præclarè demonſtrat, eamdem hujus ac legis Moſaïcæ rationem eſſe, quod ad bonum, vel pravum

illius

illius uſum attinet; ac Donatiſtas aliter exiſtimantes, & baptiſmo ſuo plus æquo tribuentes acerrima oratione convincit.

Quæ cùm ita ſint, an quiſquam vecors adeò ſit, qui Chriſtum aſſerat *ex profeſſo* à Patre eſſe miſſum, & in hunc mundum veniſſe, ut Judæi majori damnatione plecterentur; aut ut pervicaciam eorum, ac cæcitatem augeret?

V. Hæc ſunt portenta Lutheranæ, Calvinianæque hæreſis, quam Manichæâ, ex hac parte, contaminatiorem eſſe ſuprà demonſtravimus: Quî enim minùs de Chriſto, & Evangelio uſurpare tale aliquid audeant, quàm de Lege Moſaica; cujus auctor, conditor, & * Jud. 5. lator idem ipſe Chriſtus fuit? Quippe * *Jeſus populum de terra Ægypti ſalvaſſe, & eos qui non crediderunt perdidiſſe*, ab Apoſtolo Juda dicitur. Quamobrem deteſtanda utrobique vox eſt, ſive Chriſtum *ex profeſſo* ad cujuſquam hominis veniſſe perniciem dixeris: ſive Legem antiquam fovendis *ex profeſſo* vitiis fuiſſe conceſſam.

Quamquam quid hîc Chriſtum, ac Deum, vel ab eo traditam peræquè veterem ac novam Legem commemorare attinet? Ecce tibi creatæ res omnes, quamvis & à bono creatore conditæ, & bonæ ipſæ ſint; mali tamen plus ferè, quàm boni afferunt iis, quorum gratia productæ ſunt: pluribus certè nocent, quàm proſunt; quia plures electis mali ſunt, ac reprobi; qui- * Sap. 14. 11. bus exitioſæ iſtæ ſunt. * *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt*, ut ait Sapiens; *& in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam inſipientium*; quorum utique major, quàm aliorum; immo *infinitus eſt numerus*. Quod * Eccl. 1. 15. ſi * quis ideo creaturas à Deo factas *ex profeſſo*, dicat, ut hominum ſceleribus obſecundent, & ad ea perpetranda, fomentis ac præmiis illos acuant, profanus meritò, ac ſceleſtus habeatur.

VI. Atque ut majoribus iſtis commodis illarum, & incommodis omiſſis, quæ ad animorum ſalutem pertinent; in minoribus, & propriis corporis inſiſtam; licet adverſus Calvinum, & Lutherum, eo argumenti genere contendere, quod ad Manichæorum ſimilem; immo, ut dixi, tolerabiliorem convincendam inſa- * Cap. 18. niam, adhibere ſolet Auguſtinus. Ut in * libro XV contra Fauſtum, de locis illis diſputans, quibus Legi detrahi videtur; negat in illis reprehendi legem: *ſicut non reprehenditur ſcientia, cùm dicitur; ſcientia inflat, caritas verò ædificat.* Et paullo pòſt. *Ergo Lex ſemper eſt bona; ſive obſit inanibus gratia, ſive proſit plenis gratia; ſemper eſt bona: ſicut Sol ſemper eſt bonus, quia omnis creatura Dei bona eſt, ſive dolentibus oculis noceat, ſive ſanos mulceat.* Exſpecto quàm mox iſti frontem perfricent; & ſcientiam, quam Dei eſſe munus, impii ſint ſi dubitant; ex profeſſo datam aſſerant, ut faſtu, & gloriolæ vento ſufflati homines intumeſcant. Aut ut Solem à Deo creatum, & expoſitum oculis dicant *ex profeſſo*, uti malè ſit contuentibus illum ægris lumini- * Aug. 12. de Civit. cap. 4. bus. * *Iſto*, inquit, *modo*, de illis loquens Auguſtinus, *poſſunt & Solem vituperare, quoniam quidam peccantes, vel debita non reddentes, poni à Judicibus jubentur ad Solem.* Cur enim eloqui talia vereantur, ſi Legem *ex profeſſo* fovendis, & excitandis cupiditatibus, ac vitiis inſerviiſſe docent? Mille ſunt ad manum exemplorum ſimilium, quibus traduci Anomorum error, vel frangi pervicacia poſſit.

CAPUT V.

1. *Anomorum erroris capita tria: quæ ſingillatim refutantur.* 2. *Primum, Synagogam non fuiſſe veram Eccleſiam, ſed colluvionem quamdam hominum carnalium ex genere ſuo damnabilem:* 3. *Atque hoc non ex eo factum eſſe, quòd mali eſſent, ſed quòd ex legis præſcripto viverent.* 4. *Secundum caput; in Eccleſia tam quæ ante Chriſtum exſtitit, quàm quæ poſtea ſecuta eſt, ſolos cenſeri juſtos.* 5. *Tertium caput, Judæos eo ipſo, quòd legi obtemperarent, ſcelus feciſſe ac damnationem meruiſſe.*

I. Atque ut ordine, ac via diſputatio noſtra curſum ſuum teneat; tria conſtituam Anomorum doctrinæ capita, ſic tamquam myſtica dogmata: quæ cùm in illorum Patriarchæ libris partim disertè tradita ſunt; partim ex claris, & apertè poſitis neceſſariò ſequuntur; tum ab Apologetici Scriptore manifeſtiùs, & diſtinctiùs, quàm ab illo ipſo, cujus cauſam tuetur, explicata ſunt.

Horum primum eſt, Synagogam, ſive Judæorum congregationem, quæ ſub lege Moſaica, & veteri Teſtamento merebat, quantumvis Legi ac Teſtamento iſti ex ejus ſpiritu ſerviret, Dei Eccleſiam minimè fuiſſe. Sed nullam præter Chriſtianam, exſtitiſſe umquam Eccleſiam: Judaicam autem, ac veterem Synagogam, nonniſi colluvionem quamdam fuiſſe hominum carnalium ex genere ſuo vitioſam, ac damnabilem.

Alterum eſt, ſolos juſtos & ſanctos in vera, & unicâ Dei Eccleſia, quæ ante natum Chriſtum exſtitit, comprehenſos fuiſſe: ex quo idem colligitur de hodiernâ neceſſariò conſequens.

Tertium, Judæos in veteri Teſtamento Legi Moſaïcæ ex ejus præſcripto, & imperio parentes, hoc eſt eò modo, & affectu, quem Lex, auctórve Legis Deus apertè præſcribebat, ejus mandata ſervantes, eo ipſo peccaſſe, & damnationis reos fuiſſe.

Tria hæc nuperæ decreta ſectæ, quà illorum ex placitis & principiis efflореſcere; quà diſertis etiam verbis, ac ſententiis affirmari in eorum libris, ante omnia demonſtrandum eſt: maximè ex Apologetico: cujus auctor calliditatis ad diſſimulandum, & verſutiæ minùs attulit.

II. Imprimis igitur, Synagogam Judaicam, quæ Chriſti anteceſſit adventum, & ad vetus Teſtamentum pertinuit, Dei Eccleſiam non fuiſſe, docet Apologeticus ſecundus, capite ſexto libri ſecundi: in quo probare nititur id, quod in lemmate capitis præfixum legitur, *perperam ab D. Haberto Synagogam cum Eccleſia confundi; & Teſtamenti veteris alumnos, quique ad Teſtamentum illud attinebant, cum juſtis, & ſanctis, qui ejuſdem veteris Teſtamenti tempore vivebant, & ad novum ſpectabant, promiſcuè haberi.*

Quamobrem * cùm D. Habertus ita ſcripſiſſet; Au- * Apolog. pag. 170. guſtinum ſentire, *nonniſi unam fuiſſe umquam Eccleſiam, unámque Religionem, tametſi triplex fuerit Lex, Naturalis, Moſaïca, & Evangelica: tum eamdem Eccleſiam, in qua hodie cenſemur, ſub Moſaïca lege vixiſſe, & eam obſervaſſe, ac ſanctificaſſe, hoc eſt ſanctè, ac religioſè coluiſſe*: ad hæc * Apologeticus, verum id quidem fatetur, * P. 171. quod ex Auguſtino ſumptum eſt, unam ab initio, ad hoc tempus Eccleſiam decurriſſe, *quæ juſtos omnes, & electos ab Abele, ad noviſſimum omnium futurum amplectitur*: verùm negat, *Synagogam Judaicam ejuſmodi Eccleſiam fuiſſe: quippe Judæorum religionem nihil aliud niſi figuram Chriſtianæ fuiſſe: ac Teſtamenti veteris alumnos, de quibus Dominus Iprenſis loquitur, unicæ iſtius Eccleſiæ partem nullam conſtituiſſe.* Addit, *juſtos illos omnes, qui ante legem editam, & deinceps ea jam latâ floruerunt, in eâdem, in qua nunc ſumus, Eccleſia verſatos eſſe: ſed in veteri Teſtamento non cenſeri; quamvis illius tempore vixerint. Nimirum quod de Apoſtolis ſuis Dominus dixit, eos in mundo eſſe, ſed non eſſe de mundo; idipſum & de priſcis illis Patribus viris ſanctis uſurpari licere: ſic eos in veteri fuiſſe Teſtamento, ut de veteri Teſtamento non fuerint*: quod totidem verbis explicat Auguſtinus in Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas. Qui & * alio in loco; * Lib. 3. ad Bonif. con. epi Pel. cap. 4. *Veteris quidem Teſtamenti diſpenſatores, & geſtatores, ſed novi heredes* illos vocat: & *nondum nomine, ſed reipſa Chriſtianos* ait *fuiſſe*. Hæc Apologeticus; quorum iſte ſenſus, atque hæc ſumma videtur eſſe: Unam duntaxat ab orbe condito; per omnes ætates, Eccleſiam exſtitiſſe, eámque Chriſtianam: quæ juſtos omnes amplexa ſit, qui Teſtamenti veteris tempore vixerunt: Synagogam verò, ſive Judaïci populi cœtum, qui Moſaïcæ Legi, & Teſtamento veteri ſerviebat, extra veram Eccleſiam fuiſſe.

III. Neque verò dum alumnos Moſaïcæ legis extra veræ fines Eccleſiæ relegat, eos ſolos intelligit, qui origine tantùm & carne Judæi, aut etiam externa profeſſione, & commercio Sacramentorum implicati, inexíque ceteris, nullum in animo retinebant fidei, qualem ætas illa ferebat, vel caritatis veſtigium, ſed prorſus infideles, & exleges erant: cujuſmodi hominum ingens per id tempus multitudo fuit; qui vicinarum uſu gentium, & conſuetudine depravati, ad earum mores, ſuperſtitionéſque quà palam, quà occultè deflectere ſolebant. Non illos, inquam, Apologia ſolos extorres ab Eccleſia vera fuiſſe ſciſcit: verùm Judæos univerſos:

verſos: qui in vetere Teſtamento profitebantur, ac Moſaicæ Legi obſequebantur. Quorum extra veram illam, & unicam Eccleſiam deportandorum cauſam hanc idoneam fuiſſe cenſet, quod Legi ex præſcripto ejus obtemperarent, hoc eſt, quòd ab Lege imperata eo fine, ac ſcopo propoſito facerent, quem Lex ipſa monſtrabat, ac præ ſe ferebat.

Hanc illius ſectæ mentem eſſe, tum Apologiæ verba illa declarant, quæ hîc exſcripſi, ac cetera capitis ejuſdem; tum iſta capitis noni; * *An quiſquam dubitare poterit, quin filiorum Teſtamenti veteris ſtatus ejuſmodi ex Auguſtini mente fuerit, qualem D. Iprenſis deſcripſit? hoc eſt multitudo carnalium hominum, qui Deo non aliter obtemperabant, quàm bonorum deſiderio terrenorum, & amittendorum metu: qui neque fidem, neque ſpem, neque caritatem habebant; &, quod conſequens eſt, vitam æternam aſſequi nullo modo poterant; quæ nonniſi per illas virtutes pervenitur.* Igitur qui Deum colebant, ejúſque præceptis obediebant terrenorum ſpe, ac deſiderio bonorum, & iiſdem carendi metu; extra veram, & unicam Eccleſiam habebantur; erátque damnabilis illorum ſtatus, utpote qui ex infidelibus, ac deſperatis, & omni peccatorum genere contaminatis hominibus conſtabat. Atqui Moſaica Lex, ut iidem Anomi ſentiunt, illam terrenorum bonorum cupiditatem, & affectum colendi numinis, ex ſolo commodorum iſtorum deſiderio, ex profeſſo fovebat, quod * ſuprà demonſtravimus. Ex quo id ſequitur, quod probandum ſumpſimus, Synagogam Judaïcam, ſive populum Hebræorum, quo cum Deus Teſtamentum vetus, ac fœdus ſuum pepigerat, quatenus eidem Teſtamento, ac Legi Moſaicæ, ex præſcripto legis ipſius, & eo, quem Deus ingenerare volebat, affectu ſerviebat, non fuiſſe Dei Eccleſiam; ſed quamdam hominum infidelium, & ſceleratorum colluviem. In hunc ſenſum Anomorum * principis effatum illud apertè conſpirat, cui Apologia * patrocinatur: *Synagogam conſideratam ut Synagogam non fuiſſe aliud, quàm terreni populi turbam, hominúmque carnalium, ſolis terrenis, & carnalibus incubantium, & propter illa ſola colentium unum Deum;* de quo vide quæ capite primo & ſecundo dicta ſunt, & quæ paullò pòſt uberiùs exponentur. Denique cum ſolos juſtos veteris tempore Teſtamenti, in vera Eccleſia numeratos eſſe putet Apologeticus; & eoſdem neget ad Synagogam, aut vetus Teſtamentum pertinuiſſe; ſed in novo Teſtamento, Eccleſiáque Chriſtiana recenſendos velit, quod ſubinde monſtrabimus; evidens eſt, Teſtamenti veteris ſtatum, Legíſque Moſaicæ, ab Eccleſiæ veræ communione ſegregari.

* Apol. p. 186.
* Cap. 1.
* To. 3. lib. 3. cap. 6. p. 115. C. D. 2.
* Apol. lib. 2. cap. 8. p. 181.

IV. Quod igitur de tribus novitiæ illius ſectæ dogmatibus ſecundo eſt à nobis loco poſitum; ſolos juſtos & ſanctos tempore veteris legis, in vera Eccleſia numeratos fuiſſe, id ex Apologetici verbis hunc in modum colligitur. Etenim ſi nulli, præterquam juſti, & ſancti, extra vetus Teſtamentum erant, aut in vera Eccleſia, id eſt Chriſtiana, reponebantur, ceteris qui juſtitia carebant, ſub lege, ac Teſtamento veteri relictis (quod affirmari in * Apologetico, hujus initio capitis oſtendimus) ac ſi omnes illi, qui ſub Teſtamento erant vetere, alieni erant ab veræ Eccleſiæ ſocietate, utpotè fidei, ſpei, & caritatis funditus expertes, ut ex eodem Apologetico paullò antè memoravimus; profectò nemo, niſi juſtus, & ſanctus, Eccleſiæ veræ pars fuit.

* Cap. 6. lib. 2. p. 169. 170. 171.

Quinetiam Apologeticus, libri ejuſdem ſecundi * capite octavo, Eccleſiam illam unicam, & veram, ad quam Synagoga pertinebat, ait *per illud tempus in exiguo juſtorum numero reſediſſe.* Quicumque ergo juſti non erant, & ab ſola caritate, ac ſanctitate, letali quopiam admiſſo peccato deciderant, in Eccleſiæ corpore non manebant. Quod alterutro modo factum eſſe ex Apologetici rationibus oportuit. Aut enim unà cum caritate, ac juſtitia, neceſſariò fidem amittebant, quicumque letale aliquod crimen incurrerant; aut ſi fides in illis hærebat adhuc, ea minimè ſufficiebat, ut in Eccleſiæ parte aliqua numerarentur. Horum utrum dixerint, nihil ad hæreſim, & Catholicæ fidei labem intereſt. Nam utrumque pro hæretico damnatum, & inter cetera Lutheri, Calviníque, & ante hos Wiclefi, nefaria dogmata jampridem Eccleſiaſtica cenſura notatum eſt. Quòd ſi una, eadémque Teſtamenti veteris tempore fuit Eccleſia, quæ nunc eſt; nec alia præter Chriſtianam umquam exſtitit; ut Apologetico placet; idem & in hodierna conſequens erit, nemo ut in illa cenſeatur, qui ſolam fidem reliquam habeat, poſtquam caritatis, & ſanctitatis jacturam graviore aliqua ſua culpa fecerit.

* P. 181. lin. 25.

V. Tertium nuperæ Anomorum ſectæ παράδοξον illud erat; Judæos Teſtamenti veteris alumnos, in eo ipſo, quòd Legi obtemperabant, hoc eſt dum ea, quæ imperata ſibi erant, eo fine, animoque præſtabant, quem Lex ipſa præſcripſerat, ſcelus feciſſe, ac ſempiternam damnationem meruiſſe. Id adeo illorum ex dictis ac decretis ita conficitur. Quorum hoc eſt primum: * *Diligere Deum propter carnalia, impurus, carnalis, & vitioſus amor eſt, eíque propter ſola terrena inhærere,* hoc eſt illi ſervire, & ejus præceptis obſequi, *valdè vitioſum eſt, puritatique cæleſtis regni adipiſcendi neceſſariæ ex diametro contrarium:* aiunt novi iſti Theologi, ex Patriarchæ ſui ſententia: cujus verba ſunt illa, quæ retuli. Nam & universè amorem illum, quem vocant, concupiſcentiæ, quo Deo non propter ſe ſolùm, ſed propter qualiacumque bona ab illo promiſſa ſervitur, & obtemperatur, malum vitioſúmque eſſe ſentiunt eodem illo præeunte. *Concupiſcentia,* * inquit, *reſpectu Dei amor vitioſus eſt.* Quo nomine affectum illum intelligit, qui ex mera, & perfecta caritate non oritur, ut ex ſequentibus; adeóque tota ex illa diſputatione conſtat: maximè autem ex * eo quòd amorem illum Dei, quo *propter retributionem operamur;* dum *aliquid à Deo extra ipſum; vel ipſum etiam, tamquam mercedem ſibi utilem, exſpectant* homines, vitioſum, & Chriſtiano indignum eſſe dicit.

* To. 3. lib. 3. cap. 6. p. 115. A 1 & D 2.
* Ibid. lib. 5. cap. 9. p. 122. B 2.
* Ib. cap. 10. pag. 124. E 2.

VI. Atqui Moſaïca lex (quod alterum eſt iſtorum dogma) illam ipſam concupiſcentiam, cupiditatémque terrenarum rerum, & mercenarium obſequium *ex profeſſo* alebat, & incitabat, fomentis adhibitis, ac præmiis, uti capite primo ex illorum verbis oſtendimus. Quiſquis igitur eo animo, & affectu, quem Lex immò Legis auctor, latórque Deus, elicere cupiebat, & omnimodis ſtudebat, Dei præcepta ſervaret; & ab eo imperata faceret, hoc eſt eorum ſpe bonorum, ac præmiorum deſiderio, quæ ſola tum ad exigendum obſequium oſtendebat Deus; eo ipſo graviter peccabat; & æterni ſupplicii reus erat, non illiberali tantùm, ſed etiam vitioſa, & impura cupiditate, iram illius in ſeſe provocans. Hoc verò inſuper inopinatum, & abhorrens indidem ſequitur, non eum modo deliquiſſe, qui Legis juſſis obtemperaret, ſed etiam quò vehementiùs, & alacriùs obſequi ſtuderet, eo ipſo graviore in culpa fuiſſe. Nam cùm peccet is, qui turpi, & vitioſa cupiditate ad agendum, aut appetendum aliquid trahitur, quanto ardentior eſt illa, ut totam in ſeſe converſam, & occupatam voluntatem habeat, tanto ſcilicet majus, atrociuſque crimen exiſtit. Quamobrem ſi legi parêre, eo, quem Lex propriè ingenerare ſtudebat, amore terrenorum bonorum, ac ſpe, in vitio, ac delicto numerabatur; quò illud cupidiùs eſt actum, eò peccatum eſt magis. Hæc ſunt conſectaria doctrinæ illius, quam ab antiſtitibus ſuis traditam Apologetici auctor pro Catholica, & Apoſtolica tuendam, explicandámque ſuſcepit.

VII. Neque verò ſublevandæ peſſimæ ſuæ cauſſæ tutum ſatis perfugium in illa Pauli ſententia conſtituunt, quæ Judæis veteribus * *in figura omnia contigiſſe* dicit: vel in eo quòd * Auguſtinus legis antiquæ ceremonias & ſacramenta cum *ludicris puerilibus*, & crepundiis comparat, *quibus puerilis animus avocatur; quæ grandeſcentis excutiuntur è manibus.* Ex quo Armacanus illepidi cujuſdam dicti occaſionem ſumpſit, * *Nihil aliud fuiſſe Teſtamentum illud, niſi magnam quamdam quaſi comœdiam, quæ non tam propter ſeipſam, quàm propter id, cui præfigurando ſerviebat, hoc eſt propter Teſtamentum novum, ejuſque principem & heredem Eccleſiam, ab illa gente, tamquam ad hoc idonea ageretur.* Hæc, & generis ejuſdem alia, quæ contra Illuſtriſſimum D. Habertum Vabrenſem Antiſtitem odioſè * cumulat Apologetici Scriptor, nihilo vendibiliorem Anomorum cauſſam faciunt. Non enim ſanctarum rerum per ſcelera, & flagitia ſignificationes inſtituendæ ſunt: nec ad eas adumbrandas id quod per ſe criminoſum eſt, fas ſit ulla lege, ac mandato præſcribere. Immò verò, quò res eſt aliqua ſacratior, quæ impuræ geſtioni, fabulæque ſubjicitur, eò minùs eſt illa tolerabilis. Addit enim ad inſitam ſibi turpitudinem etiam violatæ ſanctitatis, & ſacrilegii notam.

* 1. Cor. 10. 11.
* August. in Ps. 73. pag. 317. C 2.
* Apud Apolog. Tom. 3. lib. 3. c. 6. p. 116. A 2.
* Lib. 2. Ap. pag. 1. c. 5.

VIII.

Digitized by Google

* Ariſtoph. in Ranis & ſchol.

VIII. * Euripidi Poëtæ vitio datum eſt ab antiquis, quòd in docendis fabulis obſcenarum palam in ſcena rerum actiones, ſpectatorum oculis objiceret,

Γάμους ἀνοσίους εἰσφέρων εἰς τὴν τέχνην,

* Mart. de Spect. Epig. 5.
* Suet. Ner. cap. 12.
* Maximus Tyrius Or. 8. [illegible]
* Lib. 10. Tom. 1. c. 23.

Velut * *Junctam Paſiphaen Dictæo tauro*; cujuſmodi ſpectaculum Neronem exhibuiſſe teſtis eſt * Suetonius. Hoc verò per ſeſe nefarium, ſi ad ſacrum, & religioſum aliquid ſignificandum adhiberetur, quis non deteſtando perhorreſceret: * *Siquidem rem bonam & honeſtam ſub re turpi ſubjicere, & quæ utilia ſunt per ea quæ detrimentoſa ſunt oſtentare, non eſt ejus qui prodeſſe velit (quippe utilitas ibi latens eſt, & obſcura) ſed potiùs obeſſe cupientis. Hoc enim eſt in promptu*: ut prudenter ſcriptum eſt à Maximo Tyrio. Atqui fabulam & comœdiam ejuſmodi Teſtamenti veteris, Apologetici Scriptor cum Armacano ſuo conſtituit, & illius auctorem, ac comœdodidaſcalum facit ejuſdem Teſtamenti conditorem Deum. Quid enim aliud iſtos moliri cenſeas, qui impurum, & flagitioſum divinitatis cultum, ac λατρείαν Iſraelitico populo mandaſſe Deum aſſerunt; & propoſitis præmiis ac pœnis, velut irritamentis, promovere ſtuduiſſe? Non capiunt Chriſtianæ aures, ac piæ, tam apertam blaſphemiam: quam vitare prorſus Armacani, ſalva magiſtri ſui, & antiſtitis auctoritate nequeunt. Sed de hoc argumento ſcriptum eſt à nobis * alibi copioſius.

CAPUT VI.

1. *Digreſſio ad explicandum legis, ac Teſtamenti veteris ſtatum, ex Apoſtoli ad Romanos epiſtola doctrina ab Auguſtino declarata.* 2. *Judæorum, ac gentilium de juſtitia contentio.* 3. *Quid Lex propriè egerit.* 4. *Cur eam à gratia ſejunxerit Apoſtolus.* 5. *Legis veteris ratio potiſſimùm in ſanctione, ſive pœnæ inflictione ſpectatur. Quid ſit ſub lege eſſe.* 6. *Finis, ac ſcopus in danda lege, Deo propoſitus, iſque triplex.* 7. *Qui ſigillatim probatur.*

I. QUo & expeditior ſit controverſiæ hujus exitus; & Anomorum fallaciæ ſuis ex latebris evolutæ, magis appareant, atque exſtent, viſum mihi eſt hoc loco nonnulla proponere de Moſaicæ legis, ac Teſtamenti veteris ſtatu, & efficientia; quæ lucem nobis præferant ad eam caliginem diſcutiendam, quam nonnulli iſta rebus alioqui non ut ex ſeſe certis, ita perſpicuis offudit. Et quoniam omnia ferè, quæ de Lege, ac gratia explicantur à Theologis, ad Apoſtoli doctrinam, quæ in Epiſtola præſertim ad Romanos tradita eſt, tamquam ad regulam, diriguntur; inde nobis faciendum eſt initium, ut de illius epiſtolæ primario fine, ac ſumma inſtitutæ illîc diſputationis agamus. Nec aliunde repetenda eſt iſtius ratio, quàm ex Auguſtino ipſo, qui luculentiſſimè ex omnibus de hoc argumento diſſeruit, & verò præcipuam quæſtioni huic occaſionem dedit.

* Aug. lib. 1. ad Simpl. qu. 2. p. 167. To. 4. & lib. de Spir. & lit. c. 7. & 8.

Ex * Auguſtini proinde ſententia conſtat, id quod alioqui ipſa per ſeſe lectio docere poteſt, ibi Apoſtoli conſilium eſſe, contra oblatrantes utrimque, hinc gentiles, inde Judæos, déque principatu meritorum, & prærogativa litigantes, Chriſti redemptoris, & illatæ per eum gratiæ partes ſuſcipere. Nam cùm ex ambobus populis, Judæis, & ethnicis, Chriſtiana coaluiſſet Eccleſia; quædam, ut humanitus evenit, inter illos contentiones, & ſimultates exſtiterunt. Ac primi quidem Chriſto nomen dederant Judæi: qui cùm ob legem divinitus traditam majoribus ſuis, ac Prophetas, & Sacramenta, fœdúſque ſecum à Deo percuſſum, reliquis ſe mortalibus anteferrent, meritis hoc ſuis, & dignitati tribuebant, quòd Chriſtus è cælo deſcenderat, & Evangelium, ac cæleſte adeò regnum hominibus apportarat.

II. QUAMOBREM gentiles, & præputio præditos, tamquam impares, & indignos beneficio tanto, ab communione primùm illius arcebant. Hinc illæ Orientis Eccleſiæ turbæ, ab Judæis fidelibus contra principes Apoſtolos nec leves, nec raro concitatæ; quòd ethnicis iter fidei, & ſalutis aperiri, nondum æquo animo paterentur. Quorum etiam querelas, & offenſionem veriti Chriſti diſcipuli cum ſolis ferè Judæis initiò rationem habebant. Pòſt autem divino monitu, ac prodigiis ad impertiendas Evangelio nationes impulſi, popularium in ſe ſuorum invidiam acuerunt: qui tam parabilem illis reddi ſalutis, æternitatiſque ſpem indignè ferentes, eò demum lapſi ſunt, ut ea lege gentiles admittendos ad Evangelii communionem dicerent, ſi antè Moſaicis ritibus, ac cæremoniis initiati præputium ponerent. Quod & pleriſque perſuaſerunt. Sed hic error Apoſtolici interdicti gladio in Jeroſolymitano Concilio ſucciſus identidem tamen pullulare non deſiit: ut ad eum opprimendum non mediocri contentione, neque paucis, ac vulgaribus hortationibus opus Apoſtolo Paulo deinceps fuerit. At gentiles ipſi mutuo in Judæos odio, & contemptu ſe viciſſim ulciſcebantur: quorum & ſacramenta, ac myſteria parvi pendebant, & de ſapientibus ſuis, ac philoſophis, doctrinarumque omnium poſſeſſione gloriabantur.

Hanc rerum in Eccleſia perturbationem nactus Apoſtolus; quod vel Romæ, ut eſt credibile, potiſſimum invaluerat, vel doceri maximè Romanos orbis principes, per eóſque propagari in reliquos Chriſtianæ fidei ſalubritatem intererat, hoc ſibi ad illos ſcribendi ſumpſit argumentum epiſtola iſta; cujus ea primaria quæſtio eſt, ut ait Auguſtinus in expoſitione ad eamdem epiſtolam, *utrum Judæis ſolis Evangelium Domini noſtri venerit propter merita operum Legis, an verò nullis operum meritis præcedentibus, omnibus gentibus venerit juſtificatio fidei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Ut non quia juſti erant homines, crederent, ſed credendo juſtificati, deinceps juſtè vivere inciperent. Hoc ergo docere intendit Apoſtolus, omnibus veniſſe gratiam Evangelii Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam propterea etiam gratiam vocari oſtendit, quia non quaſi debitum juſtitiæ redditum eſt, ſed gratuitò datum.*

Atque ut amborum animos opinione ſui, & gloriolæ cupiditate ad contemptum aliorum, & odium incitatos compeſceret, neutris eam, quam affectabant, virtutis, & ſanctitatis laudem obtigiſſe demonſtrat. Nam quod ad Gentiles attinet, qui de ſapientia, & exquiſita rerum notitia ſibi placebant, adeo nihil hac re profeciſſe docet, ut illorum præſtantiſſimi quique, quos Sapientes, & Philoſophos appellabant, omnium mortalium deterrimi, & inquinatiſſimi fuerint. Sed nec Judæos, qui legem divinitus acceptam oſtentare ſolebant, multùm ex eo conſequutos oſtendit. Non enim meliores inde eſſe factos, nec ex illa, uti par erat, ſervata, decus ac laudem: ſed violata potius, delicti, ac damnationis incrementum acquiſiſſe. Siquidem peſſimos, ac depravatiſſimos fuiſſe dicit. * Qui *cùm alios docerent, ſeipſos non docerent; qui prædicarent non furandum, & furarentur*, &c. *Qui cùm in Lege gloriarentur, per prævaricationem Legis Deum inhonorarent*, adeo ut *nomen Dei per illos blaſphemaretur inter gentes.* * Rom. 2. 21.

III. QUONIAM verò tum Judæi plerique, qui Chriſto nomen dederant, juſtificatos ſe legis beneficio credebant, ejúſque merito juſtitiæ, Chriſti fide, & Evangelio donatos; tum ceteri, quorum animus ab Evangelio adhuc abhorrebat, nihil ſe hujus indigere ad promerendam juſtitiam putabant, ſola lege contenti; ideirco de efficientia legis, & fructu accuratè diſſerit Apoſtolus, ut minimè illam ad juſtitiam, & ſalutem ſatis eſſe doceat. Quod ut perſuadeat, duo illa componit inter ſe, legem Moſaïcam, & gratiam: ac quid cuique per ſe, & ex cenſu proprio conveniat, æſtimare pergit; non quid ea alterius conſortio, & communione in ſe tranſlatum obtineat.

Lex igitur, ſi per ſe ſpectetur, hoc unum habet officium, ut quid faciendum, quid cavendum ſit, præſcribat. Præſertim verò ut pœnarum comminatione ab infringendo mandato homines abſterreat. Inde eſt, quòd Apoſtolus ait, *iram operari legem*, quoniam *hoc actum eſt per legem*, ut ait * Auguſtinus, *ut peccatum agnoſceretur, & prævaricatione augeretur.* quippe *per legem*, inquit Apoſtolus, * cognitio peccati, quod ita lex velut latens oſtendit, ut ad illud cavendum, aut ſuperandum, neutiquam vires ſufficiat. Nam ſervilem animum per ſe dumtaxat affert hominibus, & mali, ac ſupplicii metum oſtentat. Ut autem cognitum ex lege peccatum vitari poſſit, ac lex impleri, non lex ipſa tribuit, nec juſtitia legis, ſed ſola Chriſti fides, & gratia. * Ep. 95. p. 123. * Rom. 3. 21.

Quocirca quando cognoſcit homo peccatum, ait * Auguſtinus, *ſi non adjuvat gratia, ut cognitum caveatur; ſine dubio lex iram operatur*, &c. *quia ira Dei major eſt in prævaricatore, qui per legem cognoſcit peccatum, & tamen facit.* * Lib. de Grat. & lib. Arb. c. 20.

IV. Quod autem * [Rom. 10. 3.] Apoſtolus legem ſejunxit à gratia, & quid ex ſe quæque conferret, ſeorſum conſideravit, cauſa fuit Judæorum, quos contra diſputabat, importunitas, & inſolentia; *qui ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti:* ac ſibi ad juſtitiam aſſequendam ſufficere legem exiſtimabant: Ideo neceſſe fuit Apoſtolo duo illa ſeparatim intueri, & quid ſingulorum proprium eſſet, ac quid per ſe navaret exponere. Quod non ſic intelligendum eſt, quemadmodum Anomorum habet non ſatis conſiderata ratio, ut à Lege prorſus divulſa fuerit gratia, hoc eſt nullum cum lege adjumentum gratiæ Deus olim Judæis conceſſerit. Ita enim ſeſe res habet, quod alibi diximus, ut ſi quis Philoſophos neſcio quos refellere cupiens, qui efficientes cauſas à Deo creatas per ſe deinceps, & ſine concurſu illius moveri ad agendum, ac niti ſuapte vi & ingenita ſentiunt; eam rationem teneat, ut quid creatæ cauſæ proprium ſit; quid item creatoris, ſeparatim explicet. Qui ſic diſputabit, non eo ſentire judicabitur, interjectam cauſam ſine principalis ope, & concurſu aliquid efficere: ſed ea potiùs, quæ in re, & uſu conjuncta ſunt, natura & cogitatione ſeparaſſe. Sed de hac re poſtea. Nunc quod cœpimus, de Apoſtoli doctrina pergamus dicere.

V. Animadverti paullò antè, in lege Moſaica potiſſimùm illud ab Apoſtolo ſpectari, quòd pœnam, & capitalem noxiam contra ſe committentibus infligit. Etenim duo ſunt in omni lege, alterum mandatum ipſum, quo jubetur, vel prohibetur aliquid: alterum, pœna, quæ contra legem facientibus irrogatur, quam Juriſconſulti *ſanctionem* vocant. Quæ poſterior ratio potiſſimùm in lege ſpectatur ab Apoſtolo, cùm de lege diſputat. Ut cùm *miniſtrationem mortis* vocat * [2. Cor. 3. 8.] *litteris deformatam in lapidibus, & miniſtrationem damnationis.* Aut cùm ita ſcribit, * [Rom. 4. 15.] *Lex iram operatur.* Item * [Gal. 3. 10.] *quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt.* Propterea & * [Rom. 7. 6.] Lex mortis nominatur, eo quod præcepta ſic à Deo data ſunt, ut adverſus delinquentes pœnæ, ac ſupplicia denuntiarentur. * [Lib. cont. Adim. c. 17.] *Ut populus cui terror utilis erat, ſeveriſſimo imperio domaretur,* ait Auguſtinus: *Et quemadmodum videbant dari in manus ſuas interficiendos inimicos impios, cultoréſque ſimulacrorum; ſic ipſi formidarent in manus inimicorum ſuorum dari, ſi Dei veri juſſa contemnerent, & ad cultum idolorum, atque impietates gentium laberentur.* Sic in libro primo ad Simplicianum, * [Aug. lib. 1. Simpl. qu. 2. p. 167. A 1.] quæſtione ſecunda; *Uſitatiùs,* inquit, *vocatur lex, quando minatur, & terret, & vindicat.* Quam etiam ob cauſam ſub Lege eſſe propriè dicuntur apud Auguſtinum, qui Legem non implentes, rei ab illa conſtituuntur, ac morti, quam illa minatur, obnoxii. *Qui legem implet,* * [Tract. 3. in Joan. p. 10.] ait Auguſtinus, *non eſt ſub Lege, ſed cum lege; qui autem ſub lege eſt, non juvatur, ſed premitur lege.* & * [Lib. 1. ad Simplic. qu. 1. p. 166.] alibi, *ſub illa eſſe dicuntur, quibus dominatur; eis autem dominatur, quos punit. Punit autem prævaricatores omnes.* Et paullò poſt, *Uſitatiùs enim vocatur lex, quando minatur, & terret, & vindicat.* Sic Ambroſio tributus commentarius in epiſtolam ad Romanos hæc Apoſtoli verba declarans, *Peccatum* * [Rom. 6. 14.] *enim veſtri non dominabitur. Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia,* luculentam hac de re orationem explicat. * [Ambr. To. 3. 176.] *Si ſecundùm præcepta, quæ dat, ambulemus,* inquit, *peccatum nobis dicit non poſſe dominari. Iis enim dominatur, qui peccant. Non enim ita ambulantes ut præcipit, ſub lege ſumus: ſi verò non peccemus, non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Si autem peccemus, verſamur ſub lege, & incipiet noſtri dominari peccatum: quia qui facit peccatum, ſervus eſt peccati: & neceſſe eſt quòd ſit ſub lege quamdiu remiſſam non accipit. Peccatum enim auctoritate legis reum facit peccatorem: ac per hoc cui data remiſſio eſt, & cuſtodit ſe ne de cetero peccet, neque peccatum ei dominabitur, neque ſub lege eſt. Ceſſat enim circa eum auctoritas legis, qui liberatus eſt à peccato. Quos enim reos tenet lex, traditi ſunt illi à peccato. Qui ergo peccatis exutus eſt, non poteſt eſſe ſub lege.*

VI. Præter hæc verò, ac præ omnibus illud in Apoſtoli diſputatione de Lege conſiderari volo, quem finem, ac ſcopum in edenda Lege Judæis Deus ſibi præſcripſerit. Non enim uniuſmodi reperitur. Nam interdum ſic de ea loquitur, ut ob hoc datam ſignificet, ut abundaret delictum. * [Rom. 5. 20.] *Lex,* inquit, *ſubintravit, ut abundaret delictum.* Et * [Gal. 3. 22.] *concluſit Scriptura omnia ſub peccato.* Hoc eſt concludi permiſit, ac velut arctari omnes in peccatum, ait Photius apud Oecumenium. & ſiqua ſunt alia ejuſdemmodi loca. Nonnumquam adverſus peccata, & ad ea comprimenda, & amputanda *poſita eſſe* dicitur, *propter* * [Gal. 3. 19.] *tranſgreſſiones,* inquit, *poſita eſt.* Hoc eſt *eas prohibitura,* ut ait Hieronymus in commentario ad illum locum, quod & alii pleríque Interpretes, maximè Græci ſequuti ſunt. Nonnumquam legis fructus ille monſtratur, uti peccatorum ſuorum, ac meritorum conſcii homines ad gratiam, & Dei auxilium confugerent. Ita enim Auguſtinus * [Epiſt. 95.] verba illa Apoſtoli quæ ſuprà memorata ſunt, *concluſit omnia ſub peccato,* intelligenda putat: nempe *hoc actum eſſe per legem, ut peccatum agnoſceretur, & prævaricatione augeretur, & ſic adverſus victoriam peccati, ad divinam gratiam, quæ in promiſſionibus eſt, confugeretur.*

Ex quibus omnibus triplicem veluti gradum divinæ providentiæ, ac finem diſcernere oportet, quem in danda lege propoſitum habuit. Primus eſt, ac directus, ut à peccando deterreret homines. *Quid enim volebat Lex?* ait * [Hom. 17. in epiſt. ad Rom. p. 148. [illegible]] Chryſoſtomus, *nempe juſtum facere hominem, &c. hic igitur finis erat Legis, & ad hoc omnia ſpectabant, & hujus rei gratiâ omnia facta ſunt; & feſta, præcepta, ſacrificia, ac cetera omnia eò pertinebant, ut homo juſtificaretur.* Quam eamdem de legiſlatione ſententiam innumeris in locis repetit idem Chryſoſtomus, quo ſenſu pleríque Patres verba illa Iſaiæ, ut apud Septuaginta leguntur, interpretati ſunt, * [Iſ. 8. v. 20.] *Lex in auxilium data eſt.* Hinc Dorotheus in doctrina prima. * [Doroth. To. 11. Bibl. PP. p. 749. B.] *Dedit,* inquit, *Legem bonus Deus ad auxilium, ad converſionem, ad emendationem pravitatis.* Eòdem quoque pertinet, quod pleríque Veteres, cùm de cauſis Incarnationis, & adventus Chriſti diſſerunt, unam hanc ante alias adducunt, quòd cùm ſanandis humani generis peccatis, ſic tamquam morbis, varia adhibuiſſet remedia, & in irritum cuncta ceſſiſſent, poſtremò quod erat omnium præſtantiſſimum, excogitavit. Inter illa verò medicamenta Legem, ac Prophetas enumerant. Sic Athanaſius in * [Pag. 46. C.] libro de Incarnatione, Joannes Damaſcenus, Dorotheus in illo quem paullò antè citavimus loco, * [Hom. de Annunt. p. 95.] Andreas Cretenſis; & alii benè multi. Philo Carpathius in Cantica: *Poſt omnia,* inquit, *condita decem præcepta legis data ſunt homini, ut qui naturæ legem abjecerat, divina ſaltem frenaretur.*

Verùm cùm perexiguum fore fructum illum legis prævideret Deus, neque virium ſatis habiturum legis terrorem, aut præmiorum illecebram, ad continendos in officio mortales; alterum veluti effectum legis deſtinavit; uti peſſimos homines ſineret occaſione ex lege ſumpta, in majora provolvi ſcelera: ut hæc pœna antecedentium eſſet criminum, præceps in graviora lapſus, ac cæcitas, & obduratio mentis, quam nec effici, nec directè à Deo procurari, pia & ſana fides agnoſcit, nec niſi juſto judicio permitti.

Sed quia divinæ bonitatis peculiare illud eſt, ut mala non alia de cauſa fieri permittat, quàm ut ex illis bona procuret; *nec ulla cujuſquam ruina ex divina diſpoſitione conſtituta eſt,* * [Lib. 2. de voc. gent. c. 12.] ut ait Proſper; hinc alius porrò, idemque tertius finis objectus eſt divinæ ſapientiæ, quem ex illa permiſſi mali labe traheret, ut homines peccatorum ſuorum tædio, ac legis, & pœnarum terrore fracti, ac domiti, cùm ſe debiliores eſſe cernerent, quàm ut paria cum lege, divináque juſtitia facere poſſent, humiles fierent, & ad meliora reverti cupientes, liberatoris gratiam, & miſericordiam elicerent. Hic triplex in lege ſtatuenda finis legiſlatoris Dei, ac Moſaici mandati fructus, Auguſtini, ac Patrum quamplurimorum auctoritate nititur.

VII. Primum de tribus ſcopum Auguſtinus indicat in Tractatu ad Pſalmum CXXIII ſub finem, *Solent,* inquit, *omnes hæretici, maximè Manichæi, reprehendere Legem, & dicere, quia Deus illam non dedit. Exponendus eſt locus iſte, ut cognoſcatur, quia & Legem Deus dedit, & Lex per Moyſem data eſt, ut nos ſalvaret* (nimirum quantùm erat ex ſeſe, & ex dantis conſilio, ac voluntate.) Et in * [Pag. 150.] epiſtola LXXXIX, *Nam & ipſa Lex in hoc adjutorium data eſt iis, qui ea legitimè utuntur, ut per illam ſciant, vel quid juſtitiæ jam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis deſit, quod inſtanter petant.*

Joannes item Damaſcenus libro tertio de Fide, capite primo ſub initium; in Lege danda, ut & Prophetis, id Deum ſtuduiſſe, & aſſequi voluiſſe ſcribit, ut peccatum deleret, latè diffuſum, & ut ad bonum ſtatum revocaret hominem.

De

De ſecundo Legis fine paſſim idem Auguſtinus meminit, ut in eadem epiſtola LXXXIX. *Lex*, inquit, *ſubintravit, ut abundaret delictum; ſive cùm homines negligunt, quod Deus jubet, ſive cùm de ſuis viribus præſumentes, adjutorium gratiæ non implorant, & addunt infirmitati ſuperbiam.* Item in * primo ad Simplicianum, quæſtione prima. *Lex auget concupiſcentiam*, inquit, *ex prohibitione, & reum obligat ex prævaricatione, jubendo, quæ implere homines ex infirmitate non poſſunt, niſi ſe ad Dei gratiam pietate convertant.* Vide & librum de ſpiritu, & littera, capite quarto. Et in * libro quæſtionum ſuper Exodum: *Lex poſita eſt in veteri Teſtamento, quæ convinceret tranſgreſſores, quæ ſubintravit, ut abundaret delictum.*

* P. 166. * Qu. 166. Tom. 4.

VIII. Tertius denique fructus legis iiſdem ferè ſententiis Auguſtini comprehenditur, ut ad Pſalmum CXVIII. * *Lex ad hoc prodeſt, ut mittat ad gratiam.* Et paullò pòſt. * *Oportebat ergo ut ſuperbis, & de libertate ſui arbitrii præſumentibus Lex daretur, quâ prævaricata, quicumque compuncti humiliarentur, non jam per legem, ſed per fidem, ad ſubvenientem currerent gratiam.* Rurſus ad pſalmum CII. *Ad hoc data eſt lex, ut convinceretur languidus, & medicum imploraret.* Et in libro tertio contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite IV. *Per Moyſem*, inquit, *revelatum eſt Teſtamentum vetus, per quem data eſt lex ſancta, & juſta, & bona, per quam fieret non abolitio, ſed cognitio peccati, quâ convincerentur ſuperbi ſuam juſtitiam volentes conſtituere, quaſi divino adjutorio non egentes; & rei facti litteræ, confugerent ad gratiæ ſpiritum, non ſuâ juſtitiâ juſtificandi, ſed Dei, hoc eſt, quæ illis eſſet ex Deo.* Denique libro I. de Gratia Chriſti, capite octavo, hanc eſſe legis utilitatem demonſtrat, *Quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiſcentias malas ſuperent adjuvandos. Jubet enim magis, quàm juvat: docet morbum eſſe, non ſanat. Immo ab eo potiùs quod non ſanatur augetur, ut attentiùs, & ſollicitiùs gratiæ medicina quæratur.*

* P. 570. * 572.

Verùm innumera ſunt Auguſtini de hoc argumento teſtimonia, quæ ab Armacanis magno numero collecta ſunt, ut abſonum dogma, & ſponte ſua ruiturum, hac fultura ſuſtentarent.

Poſtremò de legis inſtituto, & effecto, quod ex accidente, ac præter latoris voluntatem extitit, eruditè diſputat tributus * Ambroſio commentarius in epiſtolam ad Romanos. *Planè*, inquit, *neceſſaria fuit lex, ut oſtenderet imputari apud Deum peccata, quæ impunè fieri credebantur: ut de cetero ſcirent quid evitare deberent.* Unde Eſaias Propheta; * *Lex*, inquit, *in adjutorium data eſt. Ut quia ipſi naturæ quodammodo inſerta ſunt juſtitiæ ſemina, addita lex eſt, cujus auctoritate & magiſterio ingenium naturæ proficeret ad fructum juſtitiæ faciendum*, &c. *Providenter ergo data eſt lex in adjutorium, ſicut teſtatur Propheta: ſed populus veterem conſuetudinem ſequens, multiplicavit peccata. Ipſo enim uſu plus cœpit peccare, quàm antea peccaverat: & ſic factum eſt, ut data lege non minuerentur, ſed abundarent peccata.*

* Apud Ambroſ. 272. M. * Eſa. 8.

CAPUT VII.

Conſectaria ex ratione legis ſuperiori capite confecta. 1. Refellitur error Anomœorum negantium Judæos, ad ſervandam legem ſibi divinitus traditam, ullis gratiæ fuiſſe præſidiis inſtructos. 2. Gratiæ genus duplex, initialis, & adultæ. 3. Hanc caritatis, illam fidei nomine Auguſtinus appellat: & utramque rurſus caritatem nominat. 4. Legis quoque vocabulum interdum mandata, interdum cœtum ſignificat populi lege devincti. 5. Utroque modo lex vetus à nova diſtat, ut figura à veritate. 6. Ex eo vetus eſt dictum prius Teſtamentum, quod in promiſſis temporalibus, figuraret ſpiritalia, & æterna. 7. Præcepta legis novæ, quod ad ſubſtantiam attinet, eadem quæ veteris, aut penè eadem eſſe Veterum aliqui dixerunt. 8. Finis in quo diverſus: & an promiſſum in lege veteri regnum cœlorum.

I. OMNIS illa ſuperiori expoſita capite, atque ex ſacrorum librorum, & Auguſtini auctoritate confecta ratio Legis, quædam nobis conſectaria, & velut πορίσματα pariet, ad inſequentem opportuna diſputationem, & magno deinceps uſui futura. Quorum primum eſt, in quod tota ferè moles diſputationis hujus incumbit: & unde occaſionem nacta recens Anomœorum opinio, ad contumeliam legis erupit. Etenim quia neceſſariam ad benè agendum gratiam, quam *ſufficientem* vulgò nominant, funditus è medio tollere inſtituerunt, nullam omninò legi comitem adjunctam fuiſſe docent; nec Judæos, quibus illa divinitus eſt data, ullis ad eam *ſervandam* auxiliis eſſe gratiæ ſubornatos, ac ſuffultos. Quod minimè tolerandum genus erroris, ex iis, quæ capite antecedente notata ſunt, arguitur, ac refellitur: dum ita conſtat; legem eo fine latam à Deo, * *ut*, quod luculenter, ac paſſim inculcat Auguſtinus, *cùm implere non poſſent legem datam, prævaricatores invenirentur, & facti rei ſub lege, pererent miſericordiam à legis conditore.* Vel, *ut* * *gratiæ medicinam non ſanata per legem, ſed convicta infirmitas quæreret.* Et in epiſtola LXXXIX. *Nam & ipſa lex*, ait, *in adjutorium data eſt illis, qui ea legitimè utuntur, ut per illam ſciant vel quid juſtitiæ jam acceperint, unde gratias agant, vel quid adhuc eis deſit, quod inſtanter petant. Qui autem ſic audiunt, quod ait Lex: Non concupiſces, ut hoc quia didicerint, ſufficere ſibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei ad faciendum quod juſſum eſt, dari ſibi virtutem credant, & petant, ad hoc eis lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Si igitur hunc in edenda lege veteri finem propoſuit ſibi Deus; ſi hujuſmodi ex illa fructum capere voluit, ut ſuperbi peccatores delictorum ſuorum conſcientia fracti, & attoniti, ſibi primùm diſplicerent; tum ſe peccatores confeſſi, humiles coram Deo fierent, atque ejus opem poſtremò implorarent, & gratiam: ſi hoc ſexcentis in locis affirmat, & uberrima oratione declarat Auguſtinus: & illis adeo in locis & ſententiis, quibus magni & minuti ex Anomœorum grege Scriptores librorum ſuorum margines impleverunt; ac ſi effecta illa omnia, gratiæ propria ſunt ejus, quæ per Chriſtum, & Chriſti meritis parta tribuitur: profectò legi Moſaïcæ gratiæ præſidium annexum fuit; nec ea prorſus exanguis, & exſucca ſiti cœleſtis illius roris exaruit.

* Lib. 1. de Act. cum Fel: c. 11. * Id. ep. 157.

Ad hoc data lex eſt, ait * Auguſtinus, *ut de magno parvum faceret, ut te ad faciendum legem vires de tuo non habere monſtraret: ac ſic opis indigens, & egenus ad gratiam confugeres, & clamares, Miſerere mei Domine.* Atqui *peccatorem ſe agnoſcere, ac confiteri, humiliare ſeipſum Deo; ad remiſſionem peccatorum currere*, planè opera ſunt gratiæ: ut * alibi tradit Auguſt. idem. Cujus & iſta ſunt: * *Cùm autem cœperit tibi diſplicere quod feciſti, tunc incipiunt bona opera tua, quia accuſas mala opera tua. Initium bonorum operum confeſſio eſt operum malorum*, &c. *Quia & hoc ipſum, quod tibi diſplicuit peccatum tuum, non tibi diſpliceret, niſi Deus tibi luceret, & ejus veritas tibi oſtenderet.* Sed nec ipſa rei iſtius cogitatio, nec initium voluntatis exterritæ, ac ſupplicis, aliunde quàm ex Chriſti gratia ſuppetit: ut Arauſicana ſecunda Synodus, Canone IV decrevit, & VI, & VII. & Tridentinum Concilium Seſſione ſexta, capite quinto, & Canone tertio.

* In Pſ. 118. Conc. 27. P. 573. * Tract. in Pſ. 41. P. 154. * Id. Tract. 12. in Joan.

II. PRÆTEREA duplex ex iiſdem fontibus Synodalium decretorum, & Auguſtini, gratiæ diſcernendum eſt genus; Nam alia eſt rudis, & inchoata, quam initialem vocant, & eſt bonæ voluntatis initium, ac quidam velut conatus reſipiſcendi, promerendique gratiam. Altera eſt tamquam adulta, ac robuſta gratia, quæ robur ac nervos habet, ad operis effectum. Utramque gratiam liquidò, ac disertè Auguſtinus exprimit multis in locis, in quibus gratiam, & divinum adjutorium ad opera bona, per antecedentem fidem, & bonam voluntatem, & orationem impetrari dicit. Ut in epiſtola LXXXIX. Ubi gratiam diſtinguit ab conatu obtemperandi, infirmitatis propriæ confeſſione, & adjutorii poſtulatione. *Valet* (inquit paullò poſt initium) *liberum arbitrium ad opera bona, ſi divinitus adjuvetur, quod fit humiliter petendo, & faciendo.* Tum in locis illis paullò antè allatis Legem aſſerit ideo datam, ut per eam territi homines, & humiliati, gratiæ adjutorium poſtularent. Ut cùm ait, *Jubet ideo, ut facere juſſa conati, & noſtra infirmitate fatigati, adjutorium gratiæ poſcere noverimus.* Et libro quarto contra duas epiſtolas Pelagianorum capite quinto, *Ideo quippe lex iram operatur*, inquit, *ut territo atque converſo, ad juſtitiam legis implendam, Dei miſericordiam gratia largiatur, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Cui ſuffragatur Ambroſius in libro primo de

Jacob, & vita beata, capite ſexto: Ubi cùm percontatus eſſet, *Quod opus erat, ut lex promulgaretur, ſi profutura non erat?* ſibi ita reſpondet: *Profuit tamen mihi; cœpi confiteri, quod negabam; cœpi delictum meum cognoſcere, & juſtitiam non operire; cœpi pronunciare adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietates cordis mei.* Quibus in locis & innumeris aliis, Auguſtini præſertim, lucet duplex illud gratiæ genus. Nam altera eſt imbecilla, & inchoata, velut adumbratio quædam, ac delineatio prima: cujuſmodi ſunt diſpoſitiones ad emerendam gratiam juſtificationis: altera eſt jam adulta, & provecta, ad quam obtinendam præparant nos priora, quæ diximus, auxilia, ſive primi voluntatis affectus, & impetus, *quam inchoationem fidei, quæ conceptioni ſimilis eſt;* Auguſtinus appellat libro primo ad Simplicianum, quæſtione ſecunda.

III. NONNUMQUAM verò Auguſtinus idem poſterius illud gratiæ genus *caritatem* vocat, ſicut prius, *fidem.* Ut in * Epiſtola CVI. *Si quis autem dixerit, quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non poſſumus, immo verò gratiſſimè confitemur: hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent caritatem.*

* P. 382.

Immo verò, quod imprimis obſervatione dignum eſt, ambo illa gratiæ præſidia, omnémque adeo motum animi, quo & peccatores convertuntur, & converſi juſtificantur, *caritatem* nominat: ut in libro de Natura & Gratia, capite LXX. *Caritas ergo inchoata*, inquit, *inchoata juſtitia eſt: Caritas provecta, provecta juſtitia eſt: Caritas magna, magna juſtitia eſt: Caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* Tum in libro de Gratia, & libero arbitrio, capite XVIII, *Præcepto dilectionis, ut invicem diligamus, admonitum* ait *eſſe liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum. Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.* Ergo dilectionem, ſive caritatem, vocat motum, & affectum bonæ voluntatis, quo eamdem dilectionem, ſed validiorem, hoc eſt, ut * alibi loquitur, *incrementum caritatis*, meretur. Atque hoc conſentaneum eſt ejuſdem Auguſtini definitioni, qua * *bonam voluntatem* nihil aliud eſſe dicit, quàm *caritatem.* Ex quo illud ſequitur, quod * alio loco docuit: *qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt magna caritate fecerunt, &c.* Tum ſubinde: *Et quis iſtam, etſi parvam, dare cœperat caritatem, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Hæc ſunt idonea ad illius, quod propoſui, faciendam fidem, caritatis vocabulo apud Auguſtinum, plerumque cenſeri motus omnes, & affectus piæ voluntatis, tam qui juſtificationem antecedunt, quàm qui ſunt ea poſteriores. Cujus rei inſcitia valdè peccarunt novi Legis adverſarii.

* Lib. de Corr. & Grat. c. 5.
* Lib. 1. de Gra. Chriſti cap. 21.
* Lib. de Grat. & lib. Arb. c. 17.

IV. RURSUS haud in poſtremis tenenda eſt notatio illa vocabuli *Legis*, cùm ad veterem, aut novam ſignificandam adhibetur. Habet enim duplicem uſum ac poteſtatem: & primùm pro mandato, præceptóque ſumitur, quo jubetur, aut prohibetur quippiam: ex quo vulgaris orta eſt præcepti diviſio in *negativum*, & *affirmativum.* Deinde ſtatum ipſum communitatis ac cœtus ſignificat, tum lege devincti, & obligati: tum ejuſdem profeſſione fidei, ac ſacramentorum communione in unum aggregati Eccleſiæ corpus. Sic cùm Legem Moſaïcam dicimus, interdum ad mandata ipſa reſpicimus, quæ in monte Sinaï Judæis edita ſunt: atque ea præſertim ratione, ut jam animadvertimus, quâ pœnas & præmia, vitæ utraque præſentis, ſed illas potiſſimùm, intentant. Aliàs ſtatum ipſum intelligimus Iſraelitici populi; quem Leges ab Moyſe latæ, & vivendi inſtituta ſic obſtrictum, & obligatum tenebant; ut ſive illa ſervaret, mercedem ibi propoſitam, & à Deo promiſſa commoda caperet: ſive ab illis recederet, pœnas committeret iiſdem legibus conſtitutas.

Totidem modis nova Lex, quæ & *gratia* vocatur, uſurpari poteſt. Siquidem vel præcepta ipſa ſignificat, quæ partim Eccleſiæ cum Synagoga veteri communia; partim exquiſita magis, & ad perfectum officium limatiora, & expreſſiora ſunt. Vel ſtatus ipſe demonſtratur Chriſtiani populi, & Eccleſiæ Deo ſervientis eo ritu, atque cultu, quem Chriſtus Dei filius conſtituit, ac præſcripſit.

V. UTRIUSQUE porrò diſcrimen, cùm ſit multiplex, tum quod præſentis tractationis intereſt, ea in re cernitur, quòd prius Teſtamentum, figura quædam, & imago poſterioris, ac novi fuit: hoc verò, rem illius ſignis, ac figuris adumbratam exhibuit. Hujus fidem facit in pleriſque, ac ſanè præcipuis Apoſtolus ad Corinthios ſcribens. * *Hæc autem*, ait, *in figura facta ſunt noſtri, at non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt*, &c. Item, * *hæc autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum devenerunt.* Et * alibi generatim ſic; *umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*, &c. atque hoc paſſim in illa, unde ſumptum iſtud eſt, ad Hebræos epiſtola, teſtatur, ac declarat Apoſtolus.

* 1. Cor. 10. 6.
* Ib. ver. 11.
* Heb. 10. 1.

Ex figuræ, adumbrationéſque novi in vetere Teſtamento, quà cæremoniis, & ſacramentis; quà præceptis ipſis continebantur. Sic in priori genere, * *circumciſio manu facta, circumciſionem Chriſti* per baptiſmum; vel * *circumciſionem cordis in ſpiritu* ſignificabat, quam lex nova repræſentavit. Paſchalis agnus Chriſtum adumbrabat pro ſalute hominum occiſum, & fidelis populi pabulo deſtinatum. Sic cetera ejuſdem epuli certis futurorum ſignificationibus ſerviebant, quas evolvit Apoſtolus in priore ad Corinthios epiſtola.

* Col. 2. 11.
* 1. Cor. 2. 29.

In poſteriori genere, hoc eſt in præceptis, non minùs figuræ locum habebant: maximè verò, quòd in illis terrena bona, vitæque præſentis commoda proponebantur, tamquam præmia rectè factorum: ac ſimiliter pœnæ omnes temporales indicebantur, egeſtas, orbitas, ſervitus, captivitas, morbi, ceteráque vitæ hujus incommoda, mors ipſa denique, ſi quis contra mandata committeret. Quo duplici genere, præmiorum videlicet, ac pœnarum temporalium, ſpiritalia, & ſempiterna, adeóque futura bona, maláque ſignificabantur, quæ in novo Teſtamento palam denunciata ſunt.

VI. HANC Teſtamenti veteris, legíſque, propriam eſſe notam, ac velut χαρακτῆρα, poſt Apoſtolum Auguſtinus paſſim prædicat. Qui & *Vetus* ob id appellatum eſſe dicit: * *quòd in figuris rerum ſpiritalium habere viderentur promiſſa carnalia.* Et alibi: * *Educto autem populo in monte Sina divinitus acceptam tradidit legem; quod vetus dicitur Teſtamentum, quia promiſſiones terrenas habet; & per Jeſum Chriſtum futurum fuerat Teſtamentum novum, in quo regnum cælorum promitteretur.*

* Aug. 16. de Civit. c. 26.
* Lib. 18. de Civit. cap. 11.

Tum alio in loco disertè; * *Eadem*, inquit, *ſunt in veteri, & novo, ibi obumbrata, hìc revelata: ibi præfigurata, hìc manifeſtata. Nam non ſolùm ſacramenta diverſa ſunt, verumetiam promiſſa ibi videatur temporalia proponi, quibus ſpiritale præmium occultè ſignificetur: hìc autem manifeſtiſſimè ſpiritalia promittuntur, & æterna.* Et in libro * contra Adimantum, *Omnia illa præcepta carnali populo impoſita, futuram diſciplinam ſpiritalis populi prophetabant.* Ideo vetus Teſtamentum * alio loco *nihil aliud eſſe* dicit; *quàm imaginem novi populi, & novi Teſtamenti pollicentis regnum cælorum.* Denique in libro quarto contra Fauſtum: *Temporalium*, inquit, *rerum promiſſiones Teſtamento veteri contineri, & ideo vetus Teſtamentum appellari, nemo noſtrûm ambigit, & quòd æternæ vitæ promiſſio, regnúmque cælorum ad novum pertinet Teſtamentum: ſed in illis temporalibus figuras fuiſſe futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis ſeculorum obvenit, non ſuſpicio mea, ſed Apoſtolicus intellectus eſt*, &c. Ita * Primaſius, *Illud*, inquit, *terrena promittebat, ac temporalia, & præcipiebat carnalia: iſtud verò æterna, & cæleſtia promittit, præcipiens ſpiritualia.* Vide inter alios * Ivonis Carnotenſis Opuſculum de convenientia veteris, & novi ſacrificii. * Et rectè Ambroſio tributus commentarius: *Lex vetus* (inquit) *non criminis utique nomen eſt, ſed temporis, vel ætatis. Senuit enim, quia ceſſavit.*

* Lib. 4. qu. ſuper Num. 33. Tom. 4. pag. 106.
* Cap. 15. pag. 81.
* Lib. de vera Relig. c. 27.
* In cap. 8. ep. ad Heb. To. 9. Bib. col. 309.
* To. 10. Bibl. PP. col. 790.
* Comment. in cap. 7. ad Rom. 280.

VII. QUOD ad legem novam attinet, hoc eſt præcepta ipſa Chriſtianæ religionis, ac novi Teſtamenti, illa, ſi per ſeſe, & ut loqui ſolent, *ſubſtantia* ſuæ ratione ſpectetur, non multùm diſtat ab Moſaïca. Etenim complures antiquorum Patrum aſſerunt, eadem in utraque lege data fuiſſe præcepta: ut alibi * docuimus. Quamquam in libro primo Retractationum, capite XXII, id abſolutè, generatimque dici non probat Auguſtinus: & quod

* Tom. 1. lib. 10. de Dec. c. 14. parag. 10. & ſeq.

* Cap. 3. To. 6. p. 74. Idem docet Chryſoſt. Hom. 12. in Epiſt. ad Rom. pag. 153.

& quod * in libro contra Adimantum ſcripſerat, *nulla in Evangelica, atque Apoſtolica doctrina reperiri, quamvis ardua & divina præcepta, & promiſſa, quæ illis etiam libris veteribus deſint*, emendat ſic, *ut addendum ſit penè, atque dicendum, ut penè nulla in Evangelica atque Apoſtolica doctrina*, &c. Quippe nova quædam ab Chriſto edita fuiſſe præcepta, quæ in vetere Teſtamento nondum promulgata fuerant; ut in ſermone Evangelico in monte habito: ubi non erat cur *Dominus diceret, audiſtis quia dictum eſt antiquis hoc: ego autem dico vobis hoc: ſi nihil ipſe amplius præciperet, quàm præceptum eſt in illis veteribus libris.* Sed utcumque ſe habeant nova iſta præcepta, & ſive nulla in veteri Teſtamento illorum facta ſit mentio; ſive ne iſta quidem illic prætermiſſa fuerint; de quo paullò pòſt aliquid dicam; omnia certè veteris præcepta Legis, quæ ad mores pertinent, eadem & in novo Teſtamento præſcripta ſunt, iiſque Chriſtiani etiamnum populi tenentur. In his ergo ſaltem, quod ad ſubſtantiam ipſam attinet, nullum veteris eſt ab lege nova diſcrimen.

VIII. SED intereſt finis, qui in utraque proponitur; ac præmii, vel pœnæ, quibus illæ ſanciuntur. Nam vetus lex, ut terrenorum ac temporalium mercede bonorum obſequium eliciebat: ſic temporalibus pœnis, ac tum bonorum illorum, tum vitæ jactura, ab delictis abſterrebat. Nova verò lex, minimum bonis iſtis, maliſque tribuens, ſempiterna pronunciat præmia, pœnáſque ſempiternas, ut paullò antè ſignificavi. Nam *regnum cælorum* clarè, ac disertè in novo Teſtamento, novâque lege concipitur. Itaque Chriſtus in illo ſermone, quem in monte habuit, *novum principium doctrinæ cæleſtis* adhibens, ut obſervat * Chromatius, *non à terrore incipit, ſed à beatitudine, non terrorem faciens, ſed potiùs deſiderium. Vice enim agonothetæ, vel munerarii, certatoribus in hoc ſtadio ſpiritali præmium grande proponit; ut dum aſpiciunt præmium, nec labores timeant, nec pericula perhorreſcant.*

* Serm. 1. de octo Beatitut. To. 2. Bibl. PP. 153.

Hùc illud pertinet, quod Auguſtinus imprimis, aliíque tradunt, *regnum cælorum* omninò in veteri lege non eſſe promiſſum. Sic enim ille in capite XXII primi libri Retractationum, quod paullò antè citavimus: *Deinde regnum cælorum*, inquit, *illi populo fuiſſe promiſſum non legimus in iis, quæ promiſſa ſunt lege data per Moſen in monte Sina, quod propriè vetus dicitur Teſtamentum: quod præfiguratum dicit Apoſtolus per ancillam Saræ, & filium ejus. Sed & ibi figuratum eſt & novum per ipſam Saram, & filium ejus.*

IX. QUEM ad Auguſtini locum animadvertes id, quod * alibi obſervavit idem, vetus Teſtamentum, ſive legem veterem, duobus modis uſurpari ſolere: primus eſt *ſecundùm divinarum Scripturarum auctoritatem*, inquit ille; hoc eſt quatenus Scripturas omnes amplectitur, quæ Teſtamenti veteris vocabulo cenſentur: alter eſt, cùm pro lege ſumitur, quæ in monte Sina data eſt: quam * Apoſtolus *generaſſe* dicit *in ſervitutem:* cuique novum Teſtamentum, & lex gratiæ, ac libertatis opponitur ab eodem Apoſtolo. In Teſtamento igitur vetere poſteriore hoc modo ſumpto, ſive lege in Sina Judæis edita, *non invenitur promitti* (ait Auguſtinus) *apertiſſimè niſi terrena felicitas:* quo tamen promiſſo, novi Teſtamenti vera, & ſpiritalia, & homine digniora bona ſignificata ſunt. At in eodem Teſtamento vetere prioris modi; hoc eſt in pleriſque Propheticis, & aliis canonicis libris, regnum cælorum, & ſpiritalia, novique propria Teſtamenti præmia demonſtrantur: tametſi rariùs, quàm in novo, nec ita disertè, manifeſtéque declarata ſunt. Hilarius certè legem aſſerit, non modò *Chriſtum annunciaſſe*, ſed etiam *remiſſionem peccatorum prædicaſſe, & regnum cælorum ſpopondiſſe.*

* Lib. de Geſt. Pelag. cap. 5.

* Gal. 4. 24.

Denique nemini eſt illud ignotum, * legis vocabulum interdum totum vetus ſignificare Teſtamentum, unà cum Propheticis, & Hiſtoricis libris; uti perpetuò Apoſtolum uſurpare ſcribit Chryſoſtomus. Ex quo intelliges, Judæos qui ſub lege, ac veteri Teſtamento erant, non adeò immerſos in curas, cogitationéſque carnis fuiſſe, ut æternæ vitæ, ac promiſſorum ſpiritalium ſenſu prorſus omni carerent: ut Armacani ſomniant; quos ambigua notio vocis iſtius, *Legis*, ac bonæ mentis inopia, in eam labem opinionis induxit.

* Chryſ. Hom. 36. ad epiſt. 1. ad Cor. ad cap. 14. verſ. 21. [illegible]

CAPUT VIII.

1. *Nulla lex, quà præceptis conſtat, gratiam ac vires ad agendum ſufficit.* 2. *Lex nova, non ut lex, ſed ut ſtatum, auctorem, & opes novi Teſtamenti complectitur, auxilia gratiæ ſubminiſtrat.* 3. *Ita Spiritus S. nova lex digito Dei cordibus inſcripta dicitur.* 4. *Chriſti gratia non ſic eſt propria novi Teſtamenti ut in vetus porrecta non fuerit.* 5. *Finis proximus legis veteris temporalis, conſentaneis gratiæ acceſſionibus rudem populum ad ſpiritalia, & æterna deſideranda provexit.* 6. *Status iſte veteris proprius legis imperfectus fuit, malus non fuit.* 7. *Medicorum hoc exemplo declaratur.* 8. 9. *Et ex Auguſtino, aliiſque probatur.*

I. DE adjutorio gratiæ, cujuſmodi in utroque Teſtamento fuit, & ad legem eſt adjunctum, veterem pariter, ac novam, certa ex antedictis conſtituenda ratio eſt: & utrum generis ejuſdem attributa ſit; ac, ſi diſcriminis aliquid interceſſit, quæ cujuſque nota & proprietas fuerit. In quo nihil priùs faciendum eſt, quàm ut id animo repetatur, quod capite ſuperiori docuimus: ſi lex eatenus ſpectetur, ut eſt præceptum aliquod, & mandatum, facere jubens quippiam, aut vetans, nihilo plus novam, quàm veterem ſuppeditaſſe gratiæ. Quod inter alios * Dominicus Soto fuſiùs exponit. Qui nonnullos redarguit, aſſerentes in illo * Joannis Evangeliſtæ loco, *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*, *hoc diſcrimen inter legem illam vetuſtam, & noſtram conſtitui, neque verò aliud, quàm Sacramentorum: quòd ſcilicet illa non conferrent gratiam, noſtra verè illam efficerent.* Similiter cùm ait, * *Arbitramur juſtificari hominem per fidem, & non ex operibus legis*, *non intendit*, inquit, *peculiare interſtitium inter legem veterem, & noſtram conſtituere*, &c. *Itaque non conſtituebat differentiam inter legem, & legem: ſed inter opera cujuſcumque legis, ſive naturalis, ſive ſcriptæ, quamvis divinitus conditæ, ſive humanæ; & fidem Chriſti.* Atque ut paullò antè ſcripſit, *Hoc à lapſu primi hominis commune ſemper fuit omni legi, & ſeculo, ut nonniſi per unicam fidem Mediatoris, magis minúſve implicitam, vel explicitam, pateret ulli unquam mortalium ſalus.* Quare lex nulla, ne Chriſtiana quidem per ſeſe, & ut lex, ac præceptum eſt, gratiam, ac vires benè agendi ſufficit: ſed adjuncta illi auxilia, quæ dicuntur, gratiæ ſufficientis, & idoneæ ad præſtanda legis officia per fidem *implicitam aut explicitam*, ut Sotus loquitur, atque aut venturi, aut jam miſſi, functique munere ſuo Mediatoris Chriſti Domini.

* In 4. Diſt. 2. qu. 1. art. 4. pag. 93.
* Joan. 1.
* Rom. 3. 28.

II. QUOD igitur dici interdum audimus, *novam legem* gratiam repræſentaſſe, cujus inops antiqua fuerit: id non de lege ipſa nova, quà lex eſt, intelligi debet: ſed ut novi Teſtamenti ſtatum ſignificat, atque ejus auctorem, & incluſas in illo, ac comprehenſas opes amplectitur. Eſt enim utriuſque Teſtamenti auctor quidem, & artifex Jeſus Chriſtus (quem *populum de terra Ægypti ſalvaſſe*, ait * Judas Apoſtolus) verùm prioris per miniſtros, & officiales ſuos: poſterioris verò per ſeſe: uti Paulus initio Epiſtolæ ad Hebræos docet. Itaque tametſi Chriſtus tamquam vivus ſit, perenniſque fons quidam, largiſſimè manans, & in omnes omnium temporum homines, gratiæ ac donorum cæleſtium copiam uſquequaque diffundens, quia * *nullum aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri:* nihilominus novi Teſtamenti peculiaris fructus ille cenſetur, tam Chriſtus ipſe, quàm ejus merita, & horum pretio comparata, auxiliorum gratiæ inexhauſta, & affluens ubertas: præſertim quia novâ ratione, & ſuperioribus inuſitatâ temporibus, poſt adventum, mortemque Chriſti communicari cœpit; ut non efficientia ſola, quemadmodum anteà, ſed ſubſtantia ipſa ſancti Spiritus ſanctificandis, adoptandiſque juſtis, & regni cæleſtis heredibus applicata fuerit. De quo ſingulari Dei beneficio, ac novi Teſtamenti proprio, nihil hîc addam ad ea, quæ in * octavo libro de Trinitate affatim expoſita ſunt.

* Jud. 5.
* Act. 4. 12.
* Cap. 4. & ſeq.

III. HAC itaque de cauſſâ, quòd auctor & fons gratiæ Chriſtus, ejúſque Spiritus ſanctus in Teſtamenti novi, ſive legis novæ cenſu numeratur, factum illud videmus, uti Spiritus ipſe ſanctus interdum nova lex appelletur,

letur, *digito Dei* noſtris cordibus inſcripta. De quo luculenta iſta ſunt Auguſtini in libro de Spiritu & littera, capite XXI. *Quid ſunt ergo leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti, qui eſt digitus Dei, quo præſente diffunditur caritas in cordibus noſtris, quæ plenitudo legis eſt, & præcepti finis?* Quibus iſta ſubjicit valde ad rem ſpectantia: *Nam quia veteris Teſtamenti promiſſa terrena ſunt, licèt (exceptis ſacramentis, quæ umbra erant futurorum, ſicut eſt circumciſio, & ſabbatum, & alia dierum obſervationes, & quarumdam eſcarum ceremoniæ, & multiplex ſacrificiorum, ſacrorúmque ritus, quæ vetuſtati carnalis legis, jugóque ſervili congruebant) talia contineant præcepta juſtitiæ, qualia nunc quoque obſervare præcipimur,* &c. *Tamen quia in eo, ſicut dixi, promiſſa terrena, & temporalia recitantur, quæ bona ſunt hujus corruptibilis carnis; quamvis eis ſempiterna, atque cæleſtia, ad novum ſcilicet Teſtamentum pertinentia, figurarentur; nunc ipſius bonum cordis promittitur, mentis bonum, ſpiritus bonum, hoc eſt*
* Jerem. 31. 33. *intelligibile bonum, cùm dicitur, Dabo * leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas. Unde ſignificavit eos non forinſecus terrentem legem formidaturos, ſed intrinſecus habitantem ipſam legis juſtitiam dilecturos.* Hic Auguſtini locus utriuſque legis diſcrimen, & indolem; ac præſertim novæ vim, & proprietatem pulcherrimè deſcribit. Simul illud affirmat, quod paullò antè dixi, legem novam plerumque non præceptum ipſum ſignificare, ſed gratiam, & hujus fontem, & originem, hoc eſt Spiritum ſanctum, qui in novo Teſtamento, velut in paradiſo conſtitutus, quadrifariam inde ſectas aquas in omnes mundi partes, hoc eſt ætates omnes humani generis emittit. Hoc ſenſu interpretandum illud eſt, quod interdum dicitur, Legem novam, ſive Teſtamentum novum, non ſolùm monſtraſſe, juſſiſſéque quid fieri oporteret, ſed etiam vires ad agendum, auxiliúmque præbuiſſe.

IV. Quamobrem Chriſti Domini, ejúſque Spiritus virius & efficientia, non ſic attributa eſt, propriáque facta novæ Teſtamenti, ut non in vetus porrecta fuerit. Tam enim latè patuit gratia Chriſti, quàm ejus merita. Ea verò per omnia tempora, etiam anteriora
* Serm. 3. de Nativ. propagata ſunt. *Non enim novo conſilio* (ait * Leo) *Deus rebus humanis, nec ſera miſeratione conſuluit: ſed à conſtitutione unam, eamdémque omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Gratia autem Dei, quæ ſemper eſt univerſitas juſtificata ſanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis Sacramentum, quo totus jam mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit; ut non minùs adepti ſint, qui in illud credidêre promiſſum, quàm qui ſuſcepêre donatum.*

Benè quod ſcribit Leo, *auctam eſſe Chriſto naſcente*, hoc eſt novo Teſtamento patefacto, *non cœptam gratiam*. Nam revera copioſior & affluentior in novo cœpit eſſe, quàm in antiquo fuerat. Etenim divina Sapientia ita gratiæ ſuæ munera, & humanæ imbecillitatis auxilia diſpenſavit, ut pro modulo cujuſque ſtatus, & pro fine ac ſcopo, in quem propria ſingulorum officia dirigebat, conſentaneum iis adjumenti genus, & idoneam copiam deſtinarit. Itaque in novo Teſtamento, cui & finis præſtantior, & excellentiora propoſita ſunt præcepta, ſingularis cujuſdam tum dignitatis, tum ubertatis attributa gratia eſt. Finis Teſtamenti novi, cæleſte regnum eſt, ac plena ſummi boni poſſeſſio: quæ in claro Dei contuitu, & perfecto ejus amore conſiſtit. Quæ res ad animum, ac ſpiritum potiùs, quàm ad corpus pertinet. Ideò exquiſitior quædam, &, ut ita dixerim, magis ſpiritualis illis gratia debetur; quæ ab corporis, ac rerum terrenarum commercio homines avocans, totos in cælum, ac cæleſtium bonorum curam, cogitationémque transferat. Summa igitur, & perfectio adjumentorum gratiæ, quæ novi Teſtamenti propria cenſentur, ad fidem per ſupremam, & eximiam caritatem operatam refertur.

V. In vetere Teſtamento, proaimus; & ut loqui ſolent, *immediatus* finis, abundantia fuit externarum commoditatum, & eorum, quæ ad fructum vitæ præſentis attineot; terra præpinguis, ac ferax; ejúſque frugum, ac proventuum ad victum & voluptatis amœnitatem perpetua, & ſecura perceptio: ſalubritas aëris, & corporum ſanitas; tranquillitas pacis; cetera denique id genus, quorum in Moſaicis, & Propheticis Scripturis conſtans, & crebrò repetita fit mentio. Hæc verò mortalis vitæ commoda, non abſolutè, ac propter ſe à Deo Judæis oſtenſa ſunt: ſed ut eſſent imagines, & figuræ futurorum, ac tanto meliorum bonorum, quanto animus corpori, cæleſtia terrenis, æterna caducis, & fugacibus antecedunt; de quo ſuperiori capite diximus.

Ut igitur per bonorum iſtiuſmodi præſentem copiam, & illecebram, ad potiora, & in illis adumbrata præmia paullatim ſpem ſuam, & deſiderium attollerent, quibuſdam acceſſionibus gratiæ excultus illorum, & præparatus eſt animus. Ac primis rudimentis iſtis, velut lineamentis ſanctitatis & juſtitiæ, quam primò proximéque per legem informabat tam hujus auctor, quàm gratiæ, Spiritus ſanctus, conſentanea reſpondebant, & addebantur auxilia, ſine quibus coli Deus ex qualicumque fide, & ejus mandatis obtemperari non poterat. Hæc gratia, legis, ut dixi, peculiaris, ſed nonniſi per Chriſti parta merita, *initialis & inchoata* jure nominabitur; cujus proprium munus fuit fidem aſpirare, ac notitiam Dei, aliquantò clariorem expreſſioremque, quàm in lege naturæ: cùm illum agnoſcerent, & profiterentur non ſolùm creatorem omnium rerum; ſed vindicem inſuper ac liberatorem, aſſertorémque populi ex omnibus oationibus electi, & aſciti; tum ampliſſimorum largitorem munerum, ac præſtantiorum per illa monſtratorem & promiſſorem. Ea qun voluntas illorum accendebatur, tum certa ſpe, ac deſiderin potiundorum hujuſmodi commodorum, ſive præſentium, ſive per ea ſignificatorum: tum amore in largitorem eorumdem; ejúſque venerandi, & mutuis officiis remunerandi deſiderio: itidémque metu ne violanda lege, offenſum illum haberent, ac tam præſentibus illis, quàm adumbratis per ea, & propoſitis utcumque bonis eacideren.

VI. Naque verò legis lator, & conditor Deus, eo conſilin Judæis illam dabat, vel ei conſentaneos per gratiam ſuam ingenerabat affectus, ac motus animi, quibus aut amaretur propter externa illa commoda, aut propter generis ejuſdem cavenda incommoda metueretur, ut in illis ſiſterent, nec ultra hos limites, impetus ſuos & conatus extenderent. Verùm hæc initia ſcilicet erant, & quaſi lineamenta, ut dixi, prima, quibus ad excellentiorem, ac robuſtiorem gratiam promerendam expolirentur: ac ſi in eo quod acceperant uſurpando, & excolendo fidelem operam navarent, celſiorem in gradum caritatis, & juſtitiæ, uberiore, præſtantioréque affuſa illa gratia, promoveri poſſent.

Interim dum in priore illo ſtatu adhuc hærebant, quem ad legis propriè pertinere ſpiritum oſtendimus, non malè hoc ipſo cum iis agebatur, tametſi nondum perfectè, abſolutéque ſancti erant, nec eximium, ac divinum illum gradum juſtitiæ, ac caritatis erant adepti. Itaque malus, ac vitioſus ex ſeſe non fuit ſtatus iſte Judaïci populi, quo ex proprio legis affectu, id eſt initiali gratia illa, Deum colebant, ejúſque mandatis obtemperabant, promiſſæ ſpe mercedis, aut pœnarum metu præcepta ſervantes: quamvis nondum juſti, ac ſancti forent, hoc eſt juſtificante gratia præditi; ſi in eodem illo gradu ſimpliciter, ac præciſè conſiderentur.

VII. Quam rem ſcitu perneceſſariam * alio in loco declaravimus, ad idque ſimilitudine uſi ſumus cumprimis aptâ; quam hoc loco paucis commemorare, valdè ad inſtitutam diſputationem attinet. Ut igitur medici malè affectis corporibus curam adhibentes, duplici utuntur remedio: altero leviore, ac minùs valido, quo veluti præparant, & ad firmiora, ſolidioráque viam muniunt: ut ſunt antegreſſæ purgationes, alvi ſubductiones, balnea, ciborum delectus, fomenta corporum: quæ [illegible], id eſt *præmedicationes* appellantur: altero fortiore, & quaſi decretorio, quo morbus ipſe proximè depellitur. Sic ad animorum ſanationem duplex à Deo medela comparata eſt: una rudis, & inchoata, quæ nondum peccati labem abſtergere poteſt, ſed antè præparat, & obſtinatæ mentis rigorem præmollit, ac viam aditúmque facit ad inſequentem gratiam. Hanc *primam medelam* Proſper nominat ita ſcribens: * Amat *ergo languores ſuos, & pro ſanitate habet, quòd ægrotare ſe neſcit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quòd langueat, & poſſit opem medici deſiderare, qua ſurgat.* Altera eſt medicina, qua & peccatum propulſatur, & juſtitia reſtituitur.

* To. 5. lib. 10. cap. 27. parag. 21. & ſeq.

* Proſp. cap. 6. Gall.

tuitur. Harum prior, *gratia præveniens*, *& excitans* vulgò dicitur: poſterior, *gratia ſanctificans*, *& juſtificans*, ſive *auxilium gratiæ juſtificantis*, quo peccatoris animus ad Deum omninò convertitur, & ex peccatore fit juſtus, & ſanctus.

VIII. Jam in ſuperiore corporum medela, qui nondum à morbo liberatus eſt, & in primis verſatur adhuc curationis initiis, nondum ille quidem ſanus eſt, ſed non hoc ipſo malè cum eo agitur, quod curari, ac ſanitatem recuperare incipit, etſi nondum ejus compos eſt factus: nec prima illa tentamenta, ac medendi principia, morbi acceſſiones eſſe, jure aliquis dixerit: neque ſtatum iſtum ægri corporis, curari jam incipientis, morbidum, ac periculoſum putet; cùm tanto magis ad ſanitatem appropinquet, cujus jam ei pars aliqua, cum illius, quod reſtat, ſpe bona, repræſentari cœpit. Non igitur, propter antegreſſa iſta medicationis exordia, malè ac periculoſè affectum corpus eſſe perſeverat; ſed propter antiquam valetudinem, cui propulſandæ, ac ſanandæ penitus prima illa medicamenta, & quaſi præparationes non ſufficiunt. Sic cum ab letalis ſtatu peccati, tranſitus fit ad juſtitiam, quæ *juſtificatio* dicitur, fit quædam, prævenientis ope gratiæ, voluntatis commotio, & inchoatio caritatis, quæ nondum ſufficit ad ſalutem, perfectamque ſanitatem. De qua præclarè
[* Aug. 1. ad Simp. qu. 2. p. 267. To. 4.] * Auguſtinus ad Simplicianum ita ſcribit: *Sed in quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cælorum, ſicut in catechumenis*, &c. Ac ſubinde, *fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles: non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam. Nihil horum tamen ſine*
[* To. 3. p. 319.] *gratia miſericordiæ Dei*, &c. Et * in libro de ſpiritu, & littera, capite XXXIV. *Viſorum*, inquit, *ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes; ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat: ſive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem: ſed*
[* Cap. 5.] *conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*. Agit * hac de re pluribus Tridentinum Concilium in ſexta Seſſione, ubi de juſtificatione, id eſt progreſſione ad juſtitiam, & ſanctitatem diſſerit.

IX. In hac igitur affectione animi ac ſtatu, quo nondum perfectè juſtitiam eſt adeptus homo, hæret adhuc in peccato, ac damnatione, necdum plenè cum Deo in gratiam rediit: ſed ad eam paullatim adducitur, ac diſponitur. Nemo tamen iſtum ipſum, quem dixi, damnationis, & inimicitiæ cum Deo ſtatum, primordiis illis ſanationis, & juſtificationis imputare, niſi ſtolidè, ac ſacrilegè poteſt. Siquidem contra peccatum faciunt illa quod poſſunt; ac pro modulo ſuo fractos, & collapſos erigunt ad benè de Deo ſperandum, ejúſque tum implorandam, tum verò promerendam uberiorem
[* To. 8. pag. 200. C.] opem, & gratiam. Quod quidem benè * Auguſtinus explicavit in Tractatu ad Pſalmum quinquageſimum. *Eſt*, inquit, *Spiritus ſanctus in confitente. Jam ad donum Spiritus ſancti pertinet, quòd tibi diſplicet, quod feciſti. Immundo ſpiritui peccata placent, ſancto diſplicent. Quamvis ergo adhuc veniam depreceris, tamen ex alia parte, qua tibi diſplicet malum, quod commiſiſti, Deo conjungeris. Hoc enim & tibi diſplicet, quod & illi. Jam duo eſtis ad expugnandam febrem tuam, tu, & medicus.* Quo in loco tum ad illam, qua ſum uſus ſuprà, medici, ac morbi ſimilitudinem alludit: tum ante peccati depulſionem, perfectámque reconciliationem, nonnullas agnoſcit impulſiones gratiæ, & opitulationes, quæ ad deteſtanda, & confitenda delicta peccatores incitant, & ad veniam eliciendam validiore impetrato præſidio gratiæ provehunt. Ex his omnibus, quæ pro inſtituto parciùs explicata, copioſiùs alio loco pertractabimus, intellectum ſatis arbitror, quæ ſit natura, conditióve gratiæ, & auxilii illius, quod Teſtamenti veteris alumnis attributum propriè; nec tamen ſine Chriſti meritis, fuiſſe diximus; quibúſque finibus circumſcribenda ſit illius efficacitas, & quantum conferre ac navare potuerit ad peccati ſanationem, & juſtitiam aſſequendam, ſi talibus adjumentis rectè uti vellent homines, ac ſeſe morigeros, & tractabiles præberent. Nunc eadem illa parata nobis, & in promptu poſita eſſe debent ad Lutheri, & Calvini frenandam licentiam: qui partim rerum illarum inſcitia; partim temeritate; partim melioribus ac doctioribus obtrectandi libidine, haud pauca jactarunt tum aliena communi hominum ſenſu; tum verò cùm Chriſtianæ fidei ſalubritate pugnantia: quæ nos deinceps, ut inſtituimus, exponere, ac refutare conabimur.

CAPUT IX.

1. *Ex dictis lux admovetur Anomœorum dogmati.* 2. *Quid ſit Synagoga, ut Synagoga, & quæ vis reduplicativi termini.* 3. *Synagogæ χαρακτηριστικὸν ἰδίωμα, fœdus antiquum, & Moſaica lex erat.* 4. *Conſentaneis gratiæ per Chriſtum auxiliis non caruit.*

I. Revocetur imprimis, ac retrahetur in medium oſtentum illud, quod ſuperiùs exagitavimus, & ad eam lucem admoveatur, quæ ex proximè antecedentibus capitibus exiſtit. Ita enim clariùs nobis illius importunitas, ac falſitas conſtabit.

Synagogam, ait * Armacanus, *conſideratam ut Synagogam, non fuiſſe aliud, quàm terreni populi turbam, hominúmque carnalium ſolis terrenis, & carnalibus incubantium, & propter illa ſola colentium unum Deum:* & ejuſdemmodi cetera, quæ primo capite ex illo deſcripta ſunt: in quibus perſpicuè ſentit, ſtatum ipſum Synagogæ, ſub Teſtamento veteri, per ſe, & ex legis, ac Teſtamenti veteris inſtituto, vitioſum, ac damnabilem exſtitiſſe: [* To. 3. lib. 3. cap. 6. p. 115. C 2.]
* quia *carnali*, vitioſæque cupiditati *fomentum ac præmium lex illa ex profeſſo promittebat*, hoc eſt cupiditatem, & concupiſcentiam malam dedita opera provocabat, & incitabat. Hinc *ſynagogæ, ut ſynagoga erat, conſideratæ, ſtatum illum tenebras, & umbram mortis* appellari ab Auguſtino putat, ita ſcribente, * *Vetus Teſtamentum tenebris, & umbra mortis datum eſſe.* Quibus ſubjungit iſtud, quo eumdem illum *ſynagogæ, ut ſynagogæ, ſtatum*, ex animo ſuo, & ſententia deſcribit. * *Nempe hominibus ex magna cæcitate cordis nihil omninò niſi carnalia diligentibus, ſectantibus, exſpectantibus, cogitantibus, ideóque quantumcumque legem ſibi datam obſervare viderentur, & in legis juſtitia ſine querela ambularent, à vera cordis juſtitia, & regno cælorum aſſequendo valdè remotis.* Cujus incontinenti rationem ſubtexit: *Animum enim creaturæ rationalis*, inquit, *ſolis rebus terrenis, Deóque propter ſola terrena inhærere, valdè vitioſum eſt, puritatíque cæleſtis regni adipiſcendi neceſſariæ ex diametro contrarium.* [* Ib. pag. 116. E 2.] [* Aug. Annot. in Jer. cap. 28.] [* Loco cit. pag. 115. D 2.]

II. Quocirca, ut jam antè collegimus, cùm Deum propter ſola terrena colere, eíque inhærere, vitioſum ſit, & ſaluti adipiſcendæ contrarium; hoc autem lex *ex profeſſo* egerit, ut talem affectum Judæis ingeneraret: apparet ex ejus opinione, qui priora illa duo poſuit, id etiam affirmandum eſſe, quod neceſſariò cum antecedentibus nectitur, Legem Moſaicam vitioſum ex ſe aliquid, ac ſaluti contrarium juſſiſſe. Ejuſdemmodi eſt hoc etiam, de *ſynagoga, ut ſynagoga eſt*, quod paullò antè memini. Expendatur enim modus iſte ſermonis, cùm in enunciando reperimus, & congeminamus aliquid, quem *reduplicativum terminum* Dialecticorum ſcholæ nominant, ut ſunt *homo, ut homo; album, ut album*, & alia ſimilia. Ea cùm ſic efferuntur, rem ipſam per ſe ſpectatam, ac ſecundum naturam ſuam, propriámque rationem ſignificant, hoc eſt ſecundum ea, quæ in ejus definitione ponuntur, ceteris omnibus circumſcriptis, quæ adventitia ſunt, & ad ſimplicem, ac germanam illius notionem minimè pertinent. Sic homo conſideratus ut homo eſt, nec dives eſt, aut pauper, nec bonus, id eſt virtute præditus, aut vitioſus eſt: nihil habet denique, præter ea, quæ humanæ naturæ propria cenſentur. Hic mos eſt, uſúſque communis loquendi, ad quem vocem ſuam dirigunt non eruditi ſolùm, & philoſophi; ſed etiam qui humano utcumque modo ſapiunt, & ridiculi eſſe nolunt.

III. Itaque generalis eſt iſtarum enunciationum regula, quæ hujuſmodi conduplicationem habent, ut qui ſenſum earum capere velit, priùs *termini*, ut vocant, *ſimplicis* naturam, & proprietatem intelligat. Quid *ſynagoga* ſit, *quà ſynagoga eſt*, ex Synagogæ natura, & definitione judicandum eſt. Ea porrò ſic inſtitui poteſt: Synagoga eſt Iſraëlitici populi cœtus, pacto cum Deo fœdere, ac certis ab eodem per Moſem obligatus legibus, ac ritibus, quibus, velut figuris, novi Teſtamenti veritas adumbrata fuit. Hæc prorſus eſt Synagogæ, quatenus Eccleſia eſt vetus, ac veteri obnoxia Teſtamento, propria ratio. Cujus velut forma, &, ut

 Græci

Digitized by Google

Græci loquuntur, χαρακτηριστικὸν ἰδίωμα, fœdus antiquum, & Moſaica lex erat: quæ Judæos in officio continebat, propoſitis hinc terrenis præmiis, inde pœnis & ſuppliciis, quibus futurorum, ac ſempiternorum arcanæ ſignificationes inerant.

Quamobrem ſynagoga conſiderata ut ſynagoga, nihil erit aliud, quàm multitudo Judaici populi, quâ fœdere iſto, & Moſaïca lege tenetur. Hoc verò modo ſpectata perinde eſt habenda, ut eſt fœdus, ac lex hujuſmodi; adeóque duo inter ſe iſta reciprocantur, ut ſi bona, vel mala lex eſt, bona ſit, vel mala ſynagoga: & ſi hæc bona vel mala eſt, bona lex item, vel mala cenſenda ſit. Eſt autem, ut ſuprà dixi, bona vel mala lex eatenus, quòd bonum eſt id, aut malum, quod illa præcipit; & ad quod agendum, vel cavendum, præmiorum, ac pœnarum denunciatione compellit. Hinc ergo directò, ac manifeſtè ſequitur, Legem Moſaïcam, vetúſque Teſtamentum, cujus propria lex fuit, malum quippiam, & vitioſum, ac damnabile fuiſſe, ex Anomorum decreto: quandoquidem malam vitioſámque cupiditatem, hoc eſt terrenam & carnalem concupiſcentiam alebant ex profeſſo, eíque fomenta miniſtrabant.

IV. In hanc opinionis, doctrinæque pravitatem, ſacramentum dixêre novi Theologi. * Qui Teſtamentum vetus negant in eum finem à Deo Judæis oblatum fuiſſe, ut eorum ſalus æterna in tuto locaretur: ſed ut ne terrena, & caduca bona, vitioſo ab illis amore concupiſcenda, & perſequenda, aliunde, quàm à Deo ſperarent, & caperent. Quorum abſurda ratio, * & in ſemet incurrens, ſeſéque collidens, ex iis, quæ ſunt antecedenti diſputata capite, labefactatur, & evertitur. Hinc enim conſtat, Legem Moſaicam, vetúſque Teſtamentum, non caruiſſe neceſſariis auxiliis gratiæ, eíque fini conſentaneis, quem in ſtatu illo conſtituendo divina ſibi ſapientia præſtituerat. Quibus adjumentis ſi rectè, ac prudenter uti vellet populus iſte, paullatim ad majora, & perfectiora proveheretur. Atque hæc auxiliorum gratiæ largitas non ab alio, quàm ab meritorum Chriſti fonte profluxit. Quippe *ab exordio generis humani* (ait * Auguſtinus) *quicumque in eum crediderunt, eúmque utcumque intellexerunt, & ſecundùm ejus præcepta piè, & juſtè vixerunt, quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum proculdubio ſalvi facti ſunt. Sicut enim nos in eum credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: ſic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum.* Et * alio loco: *Proinde cùm omnes*, ait, *juſti, hoc eſt veraces Dei cultores, ſive ante Incarnationem, ſive poſt Incarnationem Chriſti, nec vixerint, nec vivant, niſi ex fide Incarnationis Chriſti, in quo eſt gratiæ plenitudo: profectò quod ſcriptum eſt, * non eſſe aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat ſalvos fieri nos, ex illo tempore valet ad ſalvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum eſt.* Leo item Papa Sermone XIV de Paſſione. *Una*, inquit, *fides juſtificat univerſorum temporum ſanctos, & ad eamdem ſpem fidelium pertinet quidquid per mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum, vel nos confitemur factum, vel patres noſtri adoravere faciendum.* Ceterùm illam ipſam Chriſti gratiam, ex fine, ac propoſito legis, hoc eſt ſi ad eum fructum, effectúmque reſpicias, ad quem Teſtamentum vetus, ac legislationem retulit Deus, prorſus attributam, & annexam illi fuiſſe res ipſa loquitur; eodem prorſus modo, quo idoneam, & ſufficientem opem gratiæ nullis umquam defuiſſe temporibus, Theologus nemo dubitat, qui quidem hac ſit appellatione dignus.

* To. 3. lib 3 c.6. pag. 114. C.

* Vide ſup. cap. 3.

* Aug. ep. 49. qu. 2. p. 75.

* Epiſt. 157. pag. 271.

* Act. 4. 12.

C A P U T X.

1. *Inſcita Anomi convicia in ipſum recidunt.* 2. *Suæ in legem calumniæ patronum falsò inſcribit Auguſtinum.* 3. *Cujus teſtimoniis convincitur iiſdem, quæ pro ſe laudat.* 4. *Synagoga, ut Synagoga, verè fuit Dei Eccleſia.*

I. HIc conviciis ac probris ſaturum in nos ſtilum acuit, ſolitóque fertur impotentiùs * Apologetici Scriptor, & *prodigioſam inſcitiam* hanc nominat, quòd Patriarchæ ſui dictum illud *de ſynagogâ conſideratâ ut ſynagoga eſt*, in invidiam adduxerim Manichæi furoris, & hoc etiam deteſtabilius eſſe dixerim. Non enim intellexiſſe me ait id quod Auguſtinus tam frequenter inculcat, revera talem fuiſſe ſynagogam, qualem ſententia illa ſua deſcripſit Armacanus.

* Lib. 2. c. 8. pag. 281.

Verùm *portentum* illud, quod in alios conferunt, *inſcitiæ*, eruditus lector judicet, an non magis in illos recidat, cujus partim communis eos ſenſus, & hominibus inſita ratio; partim ipſa ſua vox, & confeſſio convictos, ac damnatos tenet. Imprimis enim quæ frons erit illorum, ſi aut capere ſe negent, aut inficiari audeant, quod capite præſertim antecedente docui; *ſynagogam, ut ſynagogam* extra crimen, & infamiam eſſe, cùm Dei ſit opus ipſius, nec illis infecta maculis, quæ in Judaïcum populum ejus culpa redundarunt? Fuerit gens Hebræa majori ſui parte, *carnalis*, impura, terrenis immerſa cupiditatibus, nihil cæleſte ſapiens: immo tota ipſa, ſi iſtis videbitur, vitio hoc, tamquam ſcabie, & elephantiaſi contabuerit: adeò ut nemo ſanus, nemo fide, moribuſque probatus ſynagoga in illa repertus ſit: an idcirco *ſynagoga, ut ſynagoga* tali dedecore, & ignominia notanda fuit? An cùm Eccleſia Chriſtiana in eum ſtatum redigetur, quem aliquando fore prædixit in Evangelio Dominus his verbis: * *Verumtamen Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* quibus perpaucos ſub tempus noviſſimi judicii fore fideles ſignificat; uſurpare tum illud fas erit, Eccleſiam, conſideratam ut Eccleſiam, cœtum eſſe perditorum, ac neſariorum hominum? Quis ſic loqui, niſi impius, ac fanaticus audebit? Atqui *Synagoga, conſiderata ut Synagoga*, quod ſæpè dicendum eſt, non minùs quàm Eccleſia Chriſtiana, * *Dei ædificatio eſt:* quantumvis mole, ac ſtructura ſit inferior; neque cum illa comparanda.

* Luc. 18. 8.

* 1. Cor. 3. 9.

II. Jam quòd illius in legem veterem, auctorémque legis jactæ contumeliæ patronum inſcribunt Auguſtinum; hoc invitiſſimo, ac repugnante prorſus illo faciunt: neque, quod vel mediocris eſt ingenii, mentem ejus, ac ſententiam aſſequuntur. Relegat, & ſingillatim excutiat diſſimilis iſtorum, hoc eſt paullulùm acutus Lector, quantum eſt locorum Auguſtini, quod vel ſalſus hujus interpres attulit, vel ex eo corraſit Apologetici conſarcinator. Nihil ad rem facere cognoſcet. Omnium locorum iſtorum ad duo ferè capita ſumma redigitur: quorum alterum ad legem pertinet: alterum ad eos, qui ſub lege vivebant. Prius eſt hujuſmodi: Vetus Teſtamentum, legémque Moſaïcam terrenorum, & temporalium ſpe bonorum, ac malorum generis ejuſdem metu, Judæos in officio continuiſſe: utraque verò, futurorum, & ſempiternorum figuras & imagines fuiſſe: adeóque totum ipſum Teſtamentum vetus arcanis quibuſdam ſignificationibus novum adumbraſſe. Caput alterum eſt; duplex in Hebræo populo hominum genus exſtitiſſe: alios terrenos, & carnales, * *qui non illic amplius, quàm promiſſa temporalia cogitata concupiſcebant* (ait Auguſtinus) *in quibus æterna figurata, & prophetata non intelligebant:* alios *qui intelligebant quod agebant, vel quod per eos agebatur*, hoc eſt novum Teſtamentum, ejúſque præmia per umbras illas, & figuras *intelligebant, ac diligebant:* quales erant *ſancti Patriarchæ, & Prophetæ*. Ad hæc duo planè revocantur omnia, quæ ex allatis Auguſtini ſententiis conficere voluit Anomorum ſignifer Armacanus, ejúſque patronus, in Apologetico ſecundo.

* Aug. 15. cont. Fauſt. Man. c. 8.

III. Atqui eadem iſta pronunciata duo, tum ad id probandum quod intendimus, & quod hactenus pugnamus; tum ad illorum labefactandam cauſam, errorémque convincendum apprimè conferunt: ut mihi, ne quid aſperius dicam, nimis ſecuri, ac parum attenti fuiſſe videantur, cùm ex Auguſtini libris illa deſcriberent. Age enim videamus quid ex illis conſequens ſit, & cum decretis iſtis Auguſtini, ſententiiſque connexum. Nimirum ſi quid ſapimus, hoc nos docent; legem Moſaicam, vetúſque Teſtamentum per ſe, & ex inſtituto, hoc eſt ex mente latoris & ſcopo conſideratum, tale fuiſſe, ac pro eo habendum & judicandum eſſe, quale poſterioris generis, hoc eſt juſtorum & ſanctorum animis, & ſtudiis obverſatum dicitur: non autem, cujuſmodi priores, id eſt carnales & terreni illud idem ſpectabant, ac ſibi propoſitum habebant. Sanè legis antiquæ, ac Teſtamenti Moſaici ſtatus ex eo metiendus, & æſtimandus eſt, quod illi naturale eſt, & *ſimiliter*, non ex eo quod eſt adventitium, & ex accidenti convenit. Legis autem propria, & nativa qualitas ex mente Legiſlatoris, & fine conſtituitur. Quare cùm ideo data

lex

lex Judæis ab Auguſtino dicatur, ut per illius figuras, & imagines ad potiora, & æterna, novique propria Teſtamenti bona tenderent, quod pios ac ſanctos illorum temporum intellexiſſe, & obſervaſſe demonſtrat idem: prorſus Teſtamentum vetus, quà hujuſmodi fuit; hoc eſt, *conſideratum ut vetus erat Teſtamentum*, extra invidiam carnalis eſt, ac terreni, vitioſique ſtatus: à quo ſancti iſti Patriarchæ ac Prophetæ longiſſimè diſtabant eo ipſo, quòd illum legis, & Teſtamenti veteris ſcopum, & primarium inſtitutum vita & factis ſuis expreſſerant.

IV. Quod de lege, ac Teſtamento dixi, idem & *de ſynagogâ conſideratâ ut eſt ſynagoga* ſentiendum eſt. Hæc enim Teſtamenti veteris Eccleſia fuit. quod Auguſtinus, ex eóque * Beda, & * Amalarius Fortunatus obſervant. * Nimirum *quamvis propriè dicatur ſynagoga Judæorum, Eccleſia verò Chriſtianorum* (verba ſunt Auguſtini) *tamen & illam dictam invenimus Eccleſiam*. Falsò igitur tum Anomorum princeps *Synagogæ, conſideratæ ut ſynagoga eſt*, vitioſum fuiſſe ſtatum, ac damnabilem docuit: tum ejus ſuffragator, & patronus in * Apologetico, ſynagogam ab Eccleſia vera, quæ Teſtamenti veteris tempore fuit, adeo diſtinguit, ut illam ex ſeſe malam & probroſam: hanc verò non aliam quàm Novi Teſtamenti peculiarem, & Chriſtianam fuiſſe ſignificet. Atqui *Synagoga*, utique *conſiderata ut ſynagoga*, hoc eſt legi Moſaicæ, & hujus auctoris Dei fini, ac voluntati conſentanea, Eccleſia fuit Dei viventis, ut teſtatur Auguſtinus. Et qui hunc ut dixi, ſecutus eſt, Beda, * alibi duas Saulis filias, Merob & Michol, allegoticè ſignificare dicit, priorem quidem & primogenitam, ſynagogam: poſteriorem autem, Eccleſiam. *Quibus etiam nominum*, inquit, *etymologia congruit. Nam quia ſynagoga electorum, non de cunctis latè nationibus, ſed de multitudine ſolius eſt Iſraëliticæ ſtirpis collecta, Eccleſia autem omnibus eſt ad fidem convocata de gentibus; rectè primogenita filia de multitudine: ſecunda ex omnibus interpretari perhibetur.* Hic Beda Merob *ex multitudine*, hoc eſt מרב: Michol autem *ex omnibus*, hoc eſt מכל interpretatur, & electos aſſignat utrique, tamquam præcipua illius membra peregrinantis adhuc, ac bonos intra ſe piſces malóſque colligentis: vel electos ob fidem ac veri Dei notitiam & cultum, atque ex omnibus gentibus in peculiarem populum aſſumptos vocat. Sic utrâvis de cauſa Clemens Alexandrinus in * ſeptimo Stromateon, Eccleſiam appellat ἄθροισμα τῶν ἐκλεκτῶν, *congregationem electorum*. Non igitur *ſynagoga, ut ſynagoga eſt*, carnalis, & inviſi Deo, ac damnati populi nomen eſt, extra Eccleſiam, & æternæ ſpem ſalutis procul poſiti: cùm in illa etiam Teſtamenti veteris electi contineantur.

* Beda lib. 2. in Luc. To. 5. col. 263. & in cap. 5. Prover. To. 4. col. 650.
* Amalar. lib. 1. de Of. To. 10. Bib. col. 330.
* Aug. in Pſ. 77. p. 348.
* Lib. 1. cap. 8. p. 181. & ſeq.
* Beda in 1. Samu. cap. 10. Tom. 4. col. 238.
* P. 514. edit. Hein.

Quinetiam * Ambroſius *Chriſtum*, ait, *fuiſſe caput veteris ſynagogæ, quam Moyſes fundavit & condidit.* Anne alia fingi iſta poteſt, quàm *Synagoga conſiderata, ut ſynagoga?* Hujus ergo caput Chriſtus fuit: atque adeo carnalium, terrenorum, perditorum, deſperatorumque caput hominum; ſi nonniſi tali ex fæce ſynagoga conſtabat: quæ eſt Armacanorum, & Anomorum opinio.

* Ambr. in Pſ. 43. To. 2. col. 798. G.

CAPUT XI.

1. Explicatur fons & origo illius erroris, quo Legis & Teſtamenti veteris ſtatus vitioſus ab Anomis ſtatuitur. Duo in vetere Teſtamento genera hominum bonorum, & malorum: è quibus longè plures iſti fuerunt. ac ſic interdum de Judæis Scripturæ loquuntur, quaſi nemo in illis juſtus eſſet. 2. Quod imitatus eſt Apoſtolus. 3. Ex quo regulam interpretandæ Scripturæ Patres conſtituunt. 4. Unde commodè loca multa conciliantur. 5. Anomorum improbum dictam. 6. Perperam in Apologia defenſum: cujus auctor adeo occæcatus fuit, ut conflictum ſententiæ ſuæ cum iis teſtimoniis, quibus eam fulcire conatus eſt, non animadverteret.

I. Maximi nunc & inauditi illius erroris, quo recens iſta laborat Anomorum ſententia, cauſam, & originem ediſſeram. Judæorum populus, eorúmque ſynagoga, vel Eccleſia ex duplici conflata erat hominum turba, bonis, videlicet, ac malis: ut ex Auguſtino ſuperiori capite memini. Malorum cœtus, ut fit, multis partibus bonorum ſuperabat numerum, ut etſi vacua, & inanis ab iſtis ætas nulla decurrerit, perpauci tamen iidem fuerint, & improborum comparatione pænè nulli. Cujus rei fidem faciunt illius gentis hiſtoriæ ſacræ pariter, & profanæ: tum Prophetici libri crebris, ac vehementibus querelis hujuſmodi referti. Ac ſic plerumque de illo populo loquuntur, quaſi nemo ibi bonus, ac juſtus exſtiterit: nemo Dei cultor, & legis obſervans. Sed tamquam inveterato languore confectum corpus diffuſa per omnia membra tabes, ac peſtis exederit. Quem Judaïcæ ſynagogæ ſtatum graphicè deſcribit Eſaias præſertim in primo capite: nec non in aliis ſequentibus. Tum Jeremias, Ezechiel, & alii paſſim. Nec ſic tamen generalem hanc corruptelam temporum ſuorum, & orbitatem deplorant bonorum virorum; ut non identidem reſtare aliquos ſignificent, quorum in virtute, ac meritis divina bonitas acquieſcat. Sed propter iſtorum, præ illis, ut dixi, paucitatem, infinitam verò ceterorum copiam, ſic de Judæis, eorúmque cœtu, & ſynagoga ſermonem interdum faciunt, ut niſi aliundè ſecus ſtatuendum intelligas, putes neminem illic non peſſimum, depravatiſſimúmque vixiſſe.

II. Hunc Scripturæ veteris, & Propheticæ morem imitatus eſt Paulus Apoſtolus, maximè in ea, quam ad Romanos ſcripſit, epiſtola. Nam cùm hoc in illa ſpectaret, ut Judæos Legi Moſaicæ, & operum ſuorum merito præfidentes ab tam arroganti, & periculoſa de ſe opinione deduceret, docerétque nihil eos ſine Chriſti gratia poſſe facere: ut ſuprà capite quinto demonſtravimus: neceſſe habuit ex ipſo rerum uſu, & exemplis illorum, atque factis argumentum capere; ut agnoſcerent, quod legis ſolius beneficio conſecutos ſe eſſe jactarent, ut juſtè ſanctéque viverent, adeò non obtinuiſſe, ut vel corruptiſſimis eſſent, perditiſſimiſque moribus, atque ipſis etiam, quos præ ſe contemnebant, gentilibus deteriores. Vide caput ſecundum illius epiſtolæ, in quo Judæos cum gentibus contendens, commodiores has fuiſſe docet illis, qui ſibi interim magiſterium arrogabant humani generis; de quibus ita: * *Si autem tu Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo; & noſti voluntatem ejus, & probas utiliora, inſtructus per legem, confidis teipſum eſſe ducem cæcorum*, &c. Mox quales iſti, & quàm legis obſervantes declarat ſic: *Qui ergo alium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. Nomen * enim Dei per vos blaſphematur inter gentes; ſicut ſcriptum eſt.* Hinc apparet Apoſtolum in exemplum adduxiſſe Judæorum peſſimos, qui per omnem ætatem plurimi in iſto populo fuerunt, fures, adulteros, ſacrilegos, legis prævaricatores: cujuſmodi ab Iſaia, & Ezechiele Prophetis notantur. Ejuſmodi tum fuiſſe cunctos in illa gente nemine excepto, credibile non eſt; immo falſum eſt. Etenim nullum tempus afferri poteſt, ut vel corruptiſſimum deligas, in quo non peſſimis admiſti fuerint aliqui boni: certè quidem, qui neque fures, neque mœchi, nec tam pravi eſſent denique, quàm erant illi, quos in medium produxit Apoſtolus. Juſti ergo erant nonnulli, nec iſti pauci, ut ex iiſdem Prophetis, & hiſtoriis ſacris, aliíſque temporum illorum annalibus conſtat.

* Rom. 2. 17.
* Iſa. 52. 5. & Ezech. 36. 23.

III. Hîc igitur valet illa regula interpretandæ Scripturæ, quam tanti faciunt Auguſtinus, Hieronymus, aliique Patres: quæ quàm neceſſaria ſit, Anomorum, contra quos pugnamus modò, lapſus oſtendit. Hos enim illius inſcitia regulæ, ad iſta, quæ dudum nos exercent, opinionum portenta compulit. Atqui nec operoſa, nec abſtruſa valdè, ſed in propatulo poſita, & parabilis eſt illa regula, quam ſic explicat Auguſtinus. * *Scripturæ mos eſt ita loqui de parte, tamquam de toto, ſicut Corinthios in primis epiſtolæ ſuæ partibus ita laudat, tamquam omnes tales ſint, cùm eſſent laudabiles quidam eorum; & poſtea in nonnullis epiſtolæ ipſius locis ita reprehendit, tamquam omnes culpabiles eſſent, propter quoſdam, qui tales erant. Iſtam divinarum Scripturarum conſuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrimè ſparſam quiſquis diligenter adverterit, multa diſſolvit, quæ inter ſe videntur eſſe contraria.*

* Aug. epiſt. 59. p. 115. A 2.

Et in libro de unitate Eccleſiæ, capite XIII eamdem commendat regulam, ac multos in utroque regno Ju-

daïco fuiſſe ſanctos & juſtos in medio impiorum aſſerit
* To. 1. col. 1204. A. Hieronymus in * Epiſtola CXLVI, illum ipſum *canonem
Scripturarum* commemorat: *Omnia non ad totum referen-
da eſſe; ſed ad partem maximam:* ut ibi, * *Omnes decli-*
* Pſ. 13. *naverunt, ſimul inutiles facti ſunt.* Et alibi: * *Omnes qui*
* Joan. 10. *venerunt ante me, fures ſunt, & latrones.* Et * Paulus
* 1. Cor. 9. ad Corinthios: *Omnibus,* inquit, *omnia factus ſum, ut
omnes lucrifacerem:* Et ad Philippenſes: *Omnes enim quæ
ſua ſunt, quærunt, non ea, quæ ſunt Jeſu Chriſti.*

Ita Proſper in libro primo de vocatione gentium, capite nono, eamdem loquendi conſuetudinem Scripturæ familiarem notat, *qua ita locutionem ſuam divinus ſtilus ordinat, ut ea, quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur.* Quod iiſdem ferè, quibus Hieronymus, probat exemplis.

IV. Ad hunc canonem pleraque dirigenda ſunt eorum, quæ Paulus in illa epiſtola de Judæorum corruptela, & eorum depravatiſſimis moribus diſputat; capite nimirum ſecundo; ubi mœchos & fures, & quidvis aliud appellare videtur univerſos: idque capite ſequenti con-
* Rom. 3. 9. firmat ſic: * *Cauſati enim ſumus Judæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt:* * *Quia non eſt juſtus*
* Pſ. 13. 2. & ſeq. *quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum: Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Hieronymus certè, ac Proſper locum illum Pſalmi decimi-tertii, quo utitur Apoſtolus, ad illam regulam pertinere dicit: adeoque de parte Judaïci populi, non de toto, quod idem ſcribit Apoſtolus, intelligendum eſſe demonſtrat. Par eſt idémque de Auguſtino judicium illis omnibus in locis, quibus Armacani Karrainitæ commentum ſuum fulciunt. Non enim alio ex fonte, quàm ex Apoſtolo, hauſit Auguſtinus quæ in Judaïci populi, Synagogæque Judaïcæ labes, ac vitia declamat: quæ ſic delingunt novi iſti Dogmatiſtæ, & ad eorum voces apicéſque ſic mordicus adhærent, ut ne unum quidem eximi ab communi illa peſte, ac perditiſſimo ſtatu patiantur: quoniam generatim Auguſtinus, ne uno quidem excepto, comprehendit omnes. Verùm ſapere deinceps incipiant, & Auguſtino ipſo præeunte diſcant, per omne Scripturæ corpus ſparſam illam eſſe conſuetudinem ſermonis, ut quod de parte eſt intelligendum, de toto pronunciari videatur.

* Apol. lib. 2. c. 7. p. 175. V. Hinc * Apologetici falſa & inſulſa de nobis querela, & virulenta criminatio diluitur: tamquam latentem illum ſub Arnaldi perſona neſcio quem immeritò reprehenderim, quòd exactam legis veteris obſervationem apud Deum fuiſſe mercedis expertem his verbis
* Præf. Arnal. lib. de Freq. com. p. 40. edit. 1. docuit: * *Nam ſi Judaïcus quondam populus, in tam accurata illa Legis obſervatione, ac tam numeroſis religionis officiis nihil apud Deum merebatur, propterea quòd ſine hujus Spiritu illa omnia præſtabat: ac ne verum quidem finem noverat, ad quem eâ referri oportebat,* &c. Hanc nos ſententiam & Scripturis ſacris adverſam, & tot ſanctorum virorum, qui in veteri Teſtamento ſanctitate celebres habiti ſunt, exemplis convictam, ac profligatam,
* Cap. 12. uti par erat, damnavimus in * ſexto libro operis illius, quod contra Arnaldum nuper edidimus. Cujus me gratia reum ignorantiæ, ac temeritatis poſtulat Apologetici Scriptor, & vadimonium denunciat, teſtes appellans contra me tum ſacros & Canonicos Scriptores; tum antiquos Patres; qui de Judæis universè illud idem prædicant, quod in illa ſententia continetur. Verùm, uti dixi, falsò in nos iſta calumnia confertur. Nam ex ſuperiore illa Auguſtini, cæterorúmque regula conſtat; non rigidè præfractéque de Judæis omnibus intelligendum eſſe, quod generatim de gentis iſtius pravitate, ac corruptela dicitur.

VI. Hic verò operæ pretium eſt animadvertere, quàm ſtupenda ſit in expoſtulatione iſta cæcitas Adverſarii, qui in ſemet incurrit, ac ſuo ſe gladio conficit. Quid eſt enim, obſecro, commune cum illis, quæ nobis opponit, Scripturæ Patrúmque teſtimoniis, Judii illius Anomi ſententiæ, quam reprehendimus? Illi quos acriore cenſura caſtigant, nefarios ac perditos, & legis contemptores, ac violatores adeo fuiſſe demonſtrant, ut & hoc ipſum notent, quòd immania ſcelera, & ab lege interdicta committerent: Iſte *Judaïcum populum profert accuratum legis obſervatorem.* Amabo te, quiſquis es Apologetici Scriptor, qui ſub aliena larva deliteſcis; vel nuſquam potiùs appares; unum mihi reſponde ſi potes: Satin' quadrare iſta videntur Scripturæ, ac Patrum antiquorum dicta & placita, cum illo magiſtri tui, & ſectæ antiſtitis effato, * cujus illa pur- * Apol. c. 7. p. 176.
gandi gratiâ contuliſti?

VII. Ut à ſacris libris incipiam, Jeremiam affers nobis de Judaïco populo ita conquerentem: * *Hoc,* in- * Jerem. 7. 23.
quit, *verbum præcepi eis, dicens, audite vocem meam, & ero vobis Deus: & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut benè ſit vobis.* Legis ecce præcepta Judæis tradita, & præſcripta dicit, ut illa *ſervarent, & facerent:* quod tanto poſtea de Scribarum, Phariſæorúmque reſponſis, legi utique conſentaneis, Chriſtus ipſe præcepit. Illi verò quid? Num *accuratè* legem, ut mandatum erat, *obſervarunt? Et non audierunt* (pergit Propheta) *nec inclinaverunt aurem ſuam, ſed abierunt in voluntatibus, & in pravitate cordis ſui mali, factique ſunt retrorſum: & non in antè, à die, quâ egreſſi ſunt patres eorum de terra Ægypti, uſque ad diem hanc.* Ergo illi tantum abeſt legem ut obſervaſſe dicantur; ut contra ipſam omninò commiſerint, & ut * alibi Propheta idem loquitur, *pactum ir-* * Jerem. 31. 32.
ritum fecerint. Sic * Apoſtolus, quem & ipſe profers, * Hebr. 8.
in epiſtola ad Hebræos: *Vituperans,* inquit, *eos dicit:
* Ecce dies veniunt; & conſummabo ſuper domum Iſraël,* * Jerem. loco cit.
& ſuper domum Juda, Teſtamentum novum, non ſecundùm Teſtamentum, quod feci patribus eorum, &c. Tum veteris Teſtamenti cauſam hanc ſubjicit: *Quoniam ipſi non permanſerunt in Teſtamento meo, & ego neglexi eos.*
Sic apud * Joannem Chriſtus: *Nonne Moyſes dedit vobis* * Joan. 7. 19.
legem; & nemo ex vobis facit legem? Actorum * denique * Act. 7. 51.
ſeptimo, *Dura cervice, & incircumciſis cordibus: vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos.*
Et, * *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, &* * Ib. ver. 53.
non cuſtodiſtis. Hæc Scripturæ teſtimonia, quæ in Apologia proferuntur, Judæos arguunt, non qui legis officiis omnibus exactè ſatisfacerent: ſed qui illam violarent, ac peſſumdarent.

VIII. Similes ſunt antiquorum Patrum ſententiæ, quas idem Apologetici auctor ad negotium ſuum
accommodavit. Velut iſte eſt Ambroſii: * *Nullus enim* * Ambr. in Luc. lib. 9. ad cap. 20. Luc. ver. 9. Apol. p. 175.
fructus exſtitit Judæorum, nullus vineæ hujus proventus, de qua Dominus ait, exſpectavi ut faceret uvas, fecit autem ſpinas. Ita etiam * Gregorius Papa in Homilia
XL, ubi divitis illius ſumptuoſi, ac ſplendidi epulatoris figuram Judaïcum populum adumbrare dicit, *qui acceptæ legis deliciis ad nitorem uſus eſt gloriæ, non ad neceſſitatem.* * cit. Apol. p. 176.
Eadem & Auguſtini mens eſt, ubicumque de corruptela populi veteris agit: quem ſanè minimè legis
obſervantem inducit, * ſed ejuſmodi ut etſi Dei præce- * Aug. cont. Adim. c. 17. cit. Apol. pag. 180.
pta non ſervaret, ſervare tamen ſibi videretur, itáque videri vellet. Quales erant Scribæ, & Phariſæi, quos tamen Chriſtus legem obſervaſſe negat, ut & Stephanus.

Jam horum omnium ſubducta ratione, prorſus agnoſcimus nullam rem magis eſſe contrariam alteri, quàm ſunt illa omnia Scripturæ, Patrumque teſtimonia, Armacano illi decreto, cujus tuendi gratiâ ſunt in Apologiâ illa quæſita. Nam *exacta legis obſervatio,* qualem iſte Judæis tribuit, ab legis violatione diſtat, cujus reos fuiſſe Judæos, omnia illa Scripturæ, ac Patrum oracula teſtantur.

Verùm ut hoc demus, ab ſuis teſtibus non diſſentire Arnaldum, úteque ab generali Judaïci nominis labe, ac vituperatione, quam ſententiæ illæ prædicant, ne unum quidem virtute ulla redemptum, exceptúmque velimus (quod & eſſe falſiſſimum, & allatæ iiſdem ex Patribus regulæ adverſari liquet) ſed ut hoc concedamus, Judæos ad unum omnes contaminatiſſimos, & ſceleratiſſimos fuiſſe: nemo tamen illos ipſos tales exſtitiſſe dixerit, quatenus Judæi erant, vel quatenus veteri Teſtamento, ac lege obligati tenebantur: ſive Eccleſiam illorum, & *ſynagogam, conſideratam ut ſynagogam, cœtum fuiſſe perditorum ac vitioſorum hujuſmodi hominum.* Quod Apologia tueri tamquam rectè uſurpatum inſtituit: nec tamen hactenus potuit; cùm ne ulla quidem litterâ id ſignificent loca omnia, quæ ad eludendam reprehenſionem noſtram tanto ſtudio congeſſit.

CA-

CAPUT XII.

De cauſis, propter quas Deus cum Judaico populo fœdus antiquum init. 1. Falſa Anomorum ratio, qui fœdus illud in crimen vocant. 2. Refelluntur quæ ex Auguſtino perperam colligunt contra ſtatum antiquæ legis. 3. Abſurda illorum opinio, & falſa Auguſtini loci interpretatio, in quo Teſtamentum vetus comœdiæ inſtar fuiſſe dicitur.

I. EADEM damnandi erroris labe maculata ſunt illa, quæ in nonum ac decimum caput libri ſecundi Apologiæ Scriptor contulit. Prioris hæc quidem eſt inſcriptio: *Rationes ex Auguſtino petitæ propter quas Deus Teſtamentum vetus inſtituit; ita ut fœdus iniret cum populo carnali, qui nonniſi carnaliter, & præmiorum ſpe temporalium illi ſerviturus eſſet.* Hoc lemma capitis obſcurè, ambiguéque de induſtria conceptum eſt, ut ſub eo periculoſi dogmatis virus occultatum falleret. Deum fœdus icere cum carnali, infectóque peccatis, ac vitiis populo, quem ſciret in poteſtate ſua minimè fore, peſſiméque victurum; non eſt bonitate, ac ſanctitate illius alienum: nec auctoritatem ei nefariæ rei, & ſceleris adſcribit. Sed non eſt hac decreti ſalubritate ſecta iſta contenta. Aliud ſatagit, ac molitur, quod nonniſi tectè, ac diſſimulanter, & quaſi furtim injicit. Nam fœdus ipſum criminoſum fuiſſe vult, & pactionem eo factam eſſe culpæ ac flagitii; cujus perpetrandæ neceſſitatem ſtipulatione quadam populo ſuo Deus impoſuerit. Quid enim aliud crocitant, qui & legis, ac Teſtamenti veteris conditorem non negant eſſe Deum, ſi Chriſtiani ſunt: & eamdem legem, idémque Teſtamentum, malum & vitioſum ex profeſſo aliquid præcepiſſe docent: quod * jam ſæpè, ſed non plus quàm neceſſe eſt repetendo demonſtravimus?

* Cap. 1. & ſeq.

II. HOC ſectæ novæ arcano dogmate, & in eo occultando calliditate, inſidiiſque patefactis; cautior factus eruditus Lector, ad illa deinceps adjungat animum, quæ adverſus Illuſtriſſimum, & doctrina, pietatéque præſtantiſſimum Vabrenſem Epiſcopum, ac meipſum quoque, ad illam certiſſimam propugnandam hæreſim oppoſuit Apologetici Scriptor: ac judicet, quàm bellè cum rationibus iis, quas ex Auguſtino confecit iſte, doctrina illa conſentiat. * Primam cauſam fuiſſe refert ex Auguſtino, cur carnalibus Judæis legem peræquè carnalibus armatam promiſſis, ac minis obtulerit Deus. Nempe * *ut oſtenderet ad ſe pertinere iſta omnia, & in ſua eſſe poteſtate non ſolùm æterna, quæ in futurum promiſit; verumetiam temporalia, quæ in terra dat, quibus voluerit.* Ac *ne*, quod antea dixit, *ab idolis, & dæmonibus iſta peterent, utiliter à Domino Deo illa pollicita ſunt carnalibus hæc amantibus, & nondum capientibus promiſſa cæleſtia.* Rectè hoc quidem Auguſtinus. Sed nihil ad Anomorum, & Apologetici negotium. Immo ex illa ipſa ſanctiſſimi Doctoris auctoritate, falſi arguitur illorum novitas. Quid enim? Nonne ex illo concluditur, vitioſum non eſſe, nec damnandum animi hunc affectum, quo terrenorum bonorum, præſertim à Deo promiſſorum, ſpe, & amore mandatis illius obtemperatur? Nam ſi Deus legem edidit, quâ lege habitum hunc animi, & affectum elicere, *& ex profeſſo fomentis ac præmiis*, ut iſti loquuntur, cblandiri, atque alere ſtuduit: profectò nec impurus, nec *vitioſus*, ſed licitus eſt, & cum honeſtate, meritóque conjunctus. Vide quæ ſuprà de hac re dixi, capite præſertim primo: ubi, ex Anomorum opinione, gravius in lege veteri, ac Teſtamento ſcelus imperatum eſſe docui, cùm hoc effecit, ut à Deo terrena iſta commoda peterentur, quàm ſi à diabolo ſperata eadem, poſtulatáque fuiſſent.

* Apol. lib. 2. c. 9. p. 105.

* Auguſt. Conc. 1. in Pſ. 34.

Verùm, etſi id, quod temerè ſecta iſta perſuaſit ſibi, etiam Auguſtino viſum eſſe concederem, amorem illum, & ſpem terrenorum, & carnalium à Deo conſequendorum bonorum, quibus ad obſequendum allecti ſunt Judæi, in malis vitioſis eſſe numerandum; nihilo ex eo fieret Anomorum cauſſa melior. Non enim inde conſequens eſſet, quod Apologia probandum ſumpſerat, talem *ſynagogæ, quâ ſynagoga eſt*, affectum proprium fuiſſe; vel *Teſtamento, quâ Teſtamentum eſt*, hoc eſt, ut à Deo inſtitutum eſt, qui mali ac vitioſi nihil nec præcipere poteſt, nec in præcipiendo ſpectare. * *Mundi enim ſunt oculi tui* (ait ad Deum Propheta) *ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.*

* Habac. c. 13.

III. * ALTERA eſt ratio, propter quam dici ab Auguſtino contendit Apologia, vetus inſtitutum eſſe Teſtamentum: ut in eo *magnam quamdam quaſi Comœdiam* præberet, *quæ non tam propter ſeipſam, quàm propter id, cui præfigurando ſerviebat, hoc eſt propter Teſtamentum novum, ejúſque principem, & heredem Eccleſiam, ab illa gente, tamquam ad hoc idonea ageretur.* Hoc ſi verè dictum eſt, Comœdiæ illius ut actores Judæos, ſic auctorem, inſtitutorem, & κωμῳδιδάσκαλον ipſummet fuiſſe Deum oportet. Nam quid agerent, Judæi ipſi neſciebant, hoc eſt quem in finem fabula iſta decurreret; ac cujuſmodi futurarum rerum ſignificationibus lex illa ſerviret. *Quandoquidem enim* (ait Armacanus) *carnalibus implicata ſtudiis & amoribus* gens illa, *terrenæque felicitati venandæ dedita, cæleſtium, atque ſpiritualium incapax eſſet cogitationum, quid congruentius, quàm ut illa, quæ inutilis eſſet ſaluti ſuæ, ſaltem alienæ figurandæ procurandæque ſerviret?* Cum ergo brutarum more pecudum quid agerent, & quorſum illa, quam agebant, comœdia pertineret, Judæi funditus ignorarent, tota ejus adminiſtratio, & οἰκονομία, & ad futurorum ſignificationem accommodatio, auctori, uti dixi, & magiſtro tribuenda eſt Deo, qui agendæ illi, docendæque præerat, & concordiam iſtam figurarum, atque ſignorum, cum veris & expreſſis, ac futuris olim rebus intelligebat, ac regebat. Atqui comœdia ipſa, actióque fabulæ ab hiſtrione geſta populo, turpis, & flagitioſa per ſeſe fuit, ut Anomorum princeps exiſtimat: qui totam illam ludicram fabulæ geſtionem hac una re definit, quam lex Moſaica, & Teſtamentum vetus *ex profeſſo* ingenerare, ac fovere ſtudebat; uti Deo terrenorum, & carnalium auctoramento bonorum obſtricti illectique ſervirent. Quod obſequii, ac ſervitutis genus, cum inhoneſtum, & irreligioſum, ac vitioſum eſſe idem ille pronunciet, eò demum rem deducit, ut pudendæ actionis auctorem, ſuaſorem, & artificem faciat Deum. Ut ſi quis ſcortationem in ſcena palàm exhibeat,

* Apol. lib. 2. c. 9. p. 183. ex Armac. p. 216.

* *Nuptias nefandas in artem introducens.*

* Ariſtoph. in Ranis Γάμους ἀνοσίους εἰσφέρων εἰς τὴν τέχνην.

quo nomine Euripides ab Græco Comico notatus eſt: tametſi rei hoc honeſtæ adumbrandæ cauſâ facere ſe dicat: velut ad ſacroſanctum Chriſti fœdus cum Eccleſia ſignificandum: profanus nihilominus, ac deteſtandus habeatur. An non eâdem in cauſa ſunt Anomi magni ac minuti; qui conditorem Teſtamenti veteris affirmant novo fœderi flagitioſâ, & obſcenâ fabulâ præluſiſſe, & ad futurorum ſignificandam ſanctitatem, figuræ loco nefariam, & ſacrilegam cupiditatem adhibuiſſe?

IV. NIHIL igitur iſtos Auguſtinus adjuvat. Non adjuvat autem? Immo peræquè nullus adverſatur, vel illis adeo in locis ipſis, quæ pro ſe afferunt. In quo illorum hallucinatio ſe prodit. Ad caput nonum libri * ſecundi, Apologeticus Auguſtini Concionem primam citat ad Pſalmum XXXIV. cujus verba ſuprà reddidimus. In his illud exſtat, *utiliter à Domino Deo temporalia iſta pollicita eſſe carnalibus hæc amantibus.* Si *ab ipſo Domino Deo promiſſa eſſe terrena & carnalia bona, terrenis & carnalibus hominibus*, tantummodò dixiſſet, ſatis hoc eſſet ad purgandum Dei mandatum, & promiſſum, ne turpem, & *vitioſam cupiditatem ex profeſſo fovere* putaretur. * *Non enim Deus volens iniquitatem tu es:* quanto minus præcipiens, ac dedita opera eliciens, & inſtigans? Sed eo non contentus Auguſtinus; tamquam Anomorum iſtorum ſententiam tanto antè prævidens, *utiliter promiſſa illa* eſſe ſcripſit. Atqui nihil *utiliter à Deo* promittitur, quod malum eſt, & ipſimet promittenti Deo odioſum, & execrandum: cujuſmodi eſt quod lex illa directè, ac per ſeſe jubebat fieri: & ad quod præmiis ac terroribus incitabat: ſi vera eſt Anomorum opinio. Eadem eſt ceterorum Auguſtini locorum ratio; quæ iſti contra ſe imprudentes, & aliud agentes proferunt.

* P. 183.

* Pſ. 5. 5.

V. AGE enim procedat in ſpecimen ejuſdem Auguſtini locus alter, ex libro tertio ad Bonifacium, capite IV. ubi ita ſcribit: *Et vetus igitur Teſtamentum Deus condidit, quia Deo placuit uſque ad plenitudinem temporis promiſſis terrenis, tamquam in præmio conſtitutis, promiſſa velare*

lare cæleſtia, & populo terrenis bonis inhianti, & propterea durum cor habenti, quamvis ſpiritalem, tamen in tabulis lapideis, legem dare. Ecce tibi Teſtamentum vetus à Deo conditum, fatetur Auguſtinus: in eòque terrena præmia conſtituta, quibus cæleſtia velarentur. Volo mihi reſpondeat quantum eſt in illo grege conjuratorum capitum, utrumnam parere legi, intuentem in illa terrena præmia, quibus cæleſtia repræſentabantur, crimen ac ſcelus fuerit. Si nullum fuiſſe dixerint, eo id animo, & eum ob finem facere, quem lex rectà, & ex profeſſo præcipiebat, cùm & Teſtamentum vetus, quà Teſtamentum vetus erat, ſtatus fuerit legis menti, ac propoſito conſentaneus, & ſynagoga, ſive Eccleſia Judaica, quatenus ſynagoga, illo ipſo ſtatu, ac Teſtamento vetere cenſeatur: neutrum hæret in vitio: nec invidia damnandæ, ac nefariæ cupiditatis onerandum eſt; ne ad utriuſque conditorem, & exactorem injuria iſta pertineat. Nam ſi impurum, & ſceleratum iſtud obſequium eatenus fuiſſe putant, quà in ſolis terrenis commodis ſiſtebat Judæorum animus, ſine ullo ſenſu cæleſtium, ac per obductas umbras, & figuras tranſlucentium bonorum; nihil hoc ad Teſtamentum vetus, & ſynagogam; ſi utrumque ut Teſtamentum, aut ut ſynagoga conſideretur. Hæc enim ſic enunciata & concepta, id præciſe ſignificant, quod ex inſtitutione ſua, & auctoris, ac Legiſlatoris voluntate illis convenit: non quod hominum pravitas, & corruptela bonæ legi mala mente ſervientium, ex accidenti illis importare potuit. Quemadmodum lex ipſa Chriſtiana, novùmque Teſtamentum non idcirco vituperanda ſunt; nec Eccleſia, *conſiderata ut Eccleſia, non eſſe aliud* dicenda eſt, *quàm terreni populi turba, hominùmque carnalium congregatio ſolis terrenis, & carnalibus incubantium*; aut hujuſmodi alia, quæ in Eccleſiam veterem Armacani ſtili licentia congeſſit: quamvis multò plures hodie ſint, qui ſub Chriſtiano nomine turpiter vivunt, & quovis ex perdita illa antiquitate Judæo digniores ſunt, in quos probra iſta, plenáque dedecoris elogia conferantur.

CAPUT XIII.

1. *De Anomorum errore, qui hominibus ſub lege, non* ſufficientem, *ſed* impedientem *gratiam affuiſſe dicit. Hanc meritò ab Illuſtriſ. D. Haberto Vabrenſi Epiſcopo fuiſſe reprehenſam.* 2. *Qui adverſus illorum calumnias defenditur.* 3. *Duobus modis impedire aliquid poteſt, per ſe, aut ex accidenti.* 4. *Utro modo in Teſtamento veteri impedientem dicas affuiſſe gratiam, nihil Anomorum opinioni commodare. Quo ſenſu lex peccatum dici intelligitur: àtque eo ſacrilegus Anomorum error.* 5. *Eodem atque illi modo legem veterem accuſant, Chriſtianam quoque damnari poſſe: nec non quæ in ea ſunt ſanctiſſima.*

I. SI ad illa, quæ antecedenti capite dicta ſunt, intelligenda, ſanam & integram mentem adverterent Anomi: jam inter nos negotium eſſet omne confectum. Sed non ita faciunt: & rixarum, ac jurgiorum cupidi magis, quàm veræ, ſolidæque doctrinæ; omnia commiſcent, nec peræquè quidquam laborant, ac ne id quod revera ſunt, plùs æquo periculoſæ cupidi novitatis habeantur. Volo hîc illorum indolis exemplum, ac ſpecimen exſtare. Abſurdum illud Armacani dictum meritò reprehenderat Illuſtriſſimus Vabrenſis Epiſcopus D. Habertus, quòd ille titulo cujuſdam capitis inſcripſerat: * *Non adfuiſſe hominibus ſub lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus:* Tum hoc alterum: * *Status veteris Teſtamenti figurativus, & Propheticus non afferebat Judæis gratiam ſufficientem, ſed potiùs impedientem.* Quod utrumque Catholicis auribus inuſitatum hucuſque diſputando refellimus. Ac D. Habertus illam vocum indecoram, ut in re gravi atque ſancta, confliċtionem nominatim redarguit, quòd *impedientem* ullam *gratiam* divinitus illi populo tributam auſus eſt aſſerere.

* To. 3. lib. 3. cap. 7. p. 117.
* Ib. c. 8. pag. 119.

II. Contra hunc * Apologeticus repugnans, moroſæ & enectæ ſubtilitatis argutia fucum imperitis facere conatur. * Negat de ea gratiæ genere locutum Armacanum, quod D. Habertus intelligi voluit: ſed de altera, legiſque propriâ, non Chriſti, gratiâ, quæ peculiaris eſt Teſtamenti novi; nec ad vetus ullo modo pertinet. Quam * enim hoc afferebat, non eam propriè cenſeri gratiam, ſed quiddam fuiſſe impediens potiùs, ac retardans ab obſervatione legis, quàm in eam aliquid conferens, aut ad juvandum ſufficiens. Ut iſta ſit litigioſi illius tituli ſententia, ex Anomorum principis mente: *Non afferebat Judæis gratiam ſufficientem vetus Teſtamentum ſed id quod illis afferebat, erat potiùs impediens, quàm ſufficiens.* Nam quæ verè dicta eſt gratia, Chriſti Redemptoris, & novi Teſtamenti propria, ea perpetuò eſt adjuvans, nec umquam impediens haberi poteſt. Ita Scriptor Apologetici. De cujus ſupervacaneâ μακρολογίᾳ dicam ea parte paullò pòſt. Nunc illud præſtare hominem iſtum, quicumque tandem eſt, jubebo, quod ait, vetus Teſtamentum nullam prorſus adjuvantem, adeóque manantem ex meritis Chriſti, tribuiſſe gratiam. Hoc enim ab Armacani placitis abhorret. Siquidem, Teſtamentum aliquod afferre, ac ſuppeditare gratiam, cùm dicimus, ſi rectè ac ſobriè loquimur, hoc ipſum volumus, legi ac mandato Teſtamenti illius, attributum & annexum eſſe divinitus auxilium aliquod gratiæ, quo ad legem obſervandam, hominum, qui lege iſta tenentur, imbecillitas adjuvatur. Quod ex fine potiſſimùm æſtimandum eſt, quem in edenda lege, lator ipſius propoſitum habuit. Atqui Moſaica lex idco data eſt, ut homines ſuperbi ſe ad exequenda mandata idoneos non eſſe cognoſcerent, *ac multitudine prævaricationum confuſi, ac territi, ipſáque confuſione, ac timore humiliati, diſcerent ad gratiam, quam non habebant, implorandam fugere: ut gratia adjuti poſſent implere, quod antea accepta dumtaxat lege non poterant*, ait * Armacanus. Porrò illi ipſi motus animorum, hæc agnitio primùm infirmitatis, egeſtatíſque ſuæ, confuſio, ac terror ex delicti conſcientia: tum verò *humiliatio*, & ad Deum recurſus, imploratióque gratiæ, ſine antecedente Chriſti ſalvatoris gratia exprimi nequeunt. Neceſſe eſt igitur unà cum lege, ac Teſtamento vetere deſtinatum à Deo fuiſſe opitulantis gratiæ ſubſidium, ex Chriſti meritis; ſine quo primarius ac velut nativus, ex Dei ordinatione, finis legis obtineri non poſſet. Ita prorſus acuti iſti Theologi in id, quod minimè volunt, inviti recidunt, ut annexam fuiſſe Chriſti gratiam legi Moſaïcæ fateantur. De quo legenda ſunt quæ ſuprà, capite quinto, & ſexto: * tum alio in opere, pleniori ſermone diſputavimus.

* Lib. 2. c. 3.
* Ib. p. 135.
* Apol. pag. 137.
* To. 3. lib. 3. c. 4.
* To. 1. lib. 10. c. 19. §. 6. & ſeq. & cap. 21. & ſeq.

III. Hinc apparet, jure ab Illuſtriſſimo, & doctiſſimo Præſule notatum fuiſſe Anomorum principem, quòd auſus ſit dicere, *ſufficientem nullam gratiam ſervandi legem* (ſic enim Latinè iſtos loqui delectat) *hominibus ſub lege viventibus affuiſſe.* Item *ſtatum Teſtamenti veteris non attuliſſe Judæis ſufficientem gratiam, ſed potiùs impedientem.* Nam cùm unà cum lege, ad hanc ipſam ſervandam, Chriſti gratiam præſtò fuiſſe Judæis ex Anomorum decretis, ac Scripturæ, Patrùmque ſententia certiſſimè conſtet: profectò qui *impedientem* illam vocant gratiam, quæ legi ac Teſtamento veteri eſt adjuncta, non aliam quàm Chriſti gratiam, appellationis iſtius probro, invidiæque ſubjiciunt. Fruſtrà eſt autem, neque quid dicat intelligit Apologeticus, dum qualemcumque gratiam veteris Teſtamenti, *impedientem* nominat. Quod etſi probabili aliquo ſenſu dici poteſt, ut paullò pòſt patebit: tamen, qua mente hoc uſurpat Anomorum ſchola, próque ceteris illorum decretis ac principiis, nonniſi falsò ac perversè dicitur. Etenim duobus modis impedire, ac revocare ab officio, & ſalute poteſt quidquid extrinſecus oblatum eſt, & injectum: primùm ex ſeſe, ac deſtinato conſilio ejus, à quo iſtud immittitur: ut ſunt illecebræ malarum cogitationum, & inſtinctus, qui humanis in cordibus opera dæmonum excitantur: quas *tentationes* vocant. Deinde ex accidenti, & eorum vitio atque culpa, quibus malè affectis importunè illud objicitur, quod eſt alioqui ſuapte natura minimè pernicioſum.

IV. Volo mihi nunc reſpondeant, qui *ſtatum veteris Teſtamenti impedientem Judæis attuliſſe gratiam* exiſtimant: aut *eumdem ſtatum, ut talem, non fuiſſe juſtitiæ, aut ſalutis; ſed potiùs peccati & mortis:* Utrumnam priori modo, hoc eſt per ſeſe, & ex inſtituto ſuo, hoc habuerit, ut à juſtitia, & ſalute Judæos impediret; atque ad peccatum, ac mortem illos traheret: an poſteriori, hoc eſt eorum vitio dumtaxat, quos lege ac ſtatu illo Teſtamenti veteris obligavit Deus. Non eos arbitror ſic oblitos ſui, & à ratione, ſenſúque Chriſtia-

no

no derelictos, ut ex duobus primum eligant. Eſt enim apertè iſtud impium, & Manichæorum, aut his etiam deteriorum ſchola dignum, legem ac Teſtamentum hujuſmodi datum à Deo Judæis dicere, quod per ſe, & *ut tale eſt*, eorum ſaluti impedimentum afferret, atque in peccatum mortémque præcipitaret. Tum huic perfidæ, ac ſacrilegæ opinioni reſiſtit Apoſtolus in epiſtola ad Romanos, præſertim in ſeptimo capite: ubi cùm *legem mortis* eam appellaſſet, quam Moſes tulerat, quo id ſenſu dixerit, ſubinde quæſtione ita poſita declarat: * *Quid ergo dicemus, lex peccatum eſt?* Et reſpondens ipſe ſibi, *Abſit*, inquit: quæ vox deprecandi, ac deteſtandi gratiâ in abſurdis, ac nefariis adhibetur. Scire velim quemadmodum hoc ipſum lex, quod eam eſſe negat Apoſtolus, *peccatum eſſe* potuerit. Quis autem in eo cunctetur, ac non ſtatim reſpondeat; *peccatum* tunc futuram intelligi legem, ſi peccatum facere præcipiat, hoc eſt rem aliquam inhoneſtam, ac damnabilem imperet? Ita * Theodoretus dictum illud accepit; cùm ait, Apoſtolum *primò blaſphemam hanc percontationem eſſe docuiſſe, cùm negativa uſus eſt voce, Abſit.* Deinde in ſequentibus oſtendiſſe, *non ſolùm legem peccati magiſtram non eſſe: ſed è contrario accuſatricem eſſe peccati. Quippe quid ſit malum non cognoviſſem, niſi illa docuiſſet.* Quod igitur per ſe, ac directè lex operatur, id bonum, ac ſanctum eſſe teſtatur Apoſtolus; & idcirco * *legem ſanctam* nominat, *& mandatum ſanctum, juſtum & bonum:* quatenus ſcilicet peccatum detegit, & ab eo committendo quoad poteſt abſterret. Quòd autem occaſionem illa eadem delinquendi præbuerit, id ex accidenti, prætérque legis, & latoris ejus mentem accidiſſe confirmat. Quòd ſi lex ad id hortaretur, & impelleret, quod malum, ac vitioſum eſt; tunc revera lex *peccatum eſſet*, id eſt auctor peccati. Atque hoc Photius quoque in commentario ſecutus eſt, qui *peccatum eſſe legem* interpretatur, * *ad peccatum compellere.* Quamobrem tamquam blaſphemum hoc execrandúmque condemnat Apoſtolus; ſi quis legem aſſerat, imperare, præcipere, ac mandare aliquid, quod peccatum ſit. Atqui hoc ipſum quod abominando averſatur Apoſtolus, expreſſis, & conceptis verbis Armacani docuerunt. Quod latè * ſuperiora capita declararunt.

* Rom. 7. 7.

* Theodor. in cap. 7. ad Rom. To. 3 pag. 53. [illegible]

* Ib. ver. 12.

* Phot. apud Oecumen. [illegible]

* Cap. 2. & ſeq. maximè 8. & hoc ipſo.

V. Quod ſi horrenda illa, & perſpicuè blaſphemâ voce, ac ſententiâ commotus Apologetici Scriptor, ejurare modò hanc præoptet: ut, quod Apoſtolus ipſe, communiſque ſenſus, ac ſua cuique ratio præſcribit, ex accidenti dumtaxat, & occaſione præter mentem oblatâ, effectricem peccati fuiſſe legem ſentiat; nihil agat omnino. Etenim non magis veteri, ac Moſaicæ, quàm Chriſtianæ, legi; quàm ei omni, quod hæc habet præ illa ſanctiſſimum; quàm ipſimet denique fonti auctoríque ſanctitatis, & gratiæ Chriſto Domino; tribui iſtud poteſt, ut peccati, & exitii cauſſa dicatur. * *Si enim Apoſtoli * quibuſdam quidem odor mortis ad mortem ſunt, quibuſdam autem odor vitæ ad vitam* (ait Euſebius Cæſarienſis) *ſi illi, qui per Chriſtum ſal ſunt; & qui per Chriſtum luminaria efficiuntur, ad mortem, & ad vitam his qui credunt, & qui non credunt habentur, quanto magis is qui donavit hæc hominibus Chriſtus?* Itaque perinde novi Teſtamenti gratia *impediens* appellari debet; ac quidquid illud eſt, quod ad dedecorandam Moſaicam legem, in eam confert Anomorum imperita natio, totum in Chriſtianam redundabit. Siquidem *& ſancta poſſunt obeſſe*, ait * Auguſtinus. *In bonis enim ſancta ad ſalutem inſunt, in malis ad judicium.* Quod ipſorum exemplo ſacramentorum probare pergit, Euchariſtiæ, atque Baptiſmi. Hæc enim perinde ut ſunt affecti, quibus iſta conferuntur, ita commoda, aut noxia: impedientia, aut adjuvantia dicuntur. Chriſtus ipſe, quo nihil melius, nihil ſanctius, nihil ex ſeſe commodius eſt hominum generi, tamen majori horum parti damnum affert ac perniciem: uſque adeo ut * *in ruinam poſitus multorum*, ab Evangeliſta dicatur. Et à Propheta, * *in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël; in laqueum, & in ruinam habitantibus Jeruſalem.* Ecquod veteri de lege tam disertum expreſſúmque teſtimonium proferre poſſunt Anomi, ex quo impeditam ab illa potiùs, quàm expeditam ſalutem approbent; quàm ſunt iſta de Chriſto iiſdem è Scripturarum oraculis deprompta? Cur non igitur, itidem ut de veteri Teſtamento, ſic de novo, ac de ejus latore Chriſto Domino, ſentiunt, ac prædicant; utrumque hoc ad impediendam magis, quàm explicandam; & in tuto collocandam ſalutem, Chriſtianis eſſe conceſſum? atque ejuſdemmodi cetera, quæ ad Moſaicæ legis invidiam trahunt, iiſdem freti teſtimoniis & argumentis, quæ non minùs ad infamandam Chriſtianam valere debent, ſi quid ex illis rectè colligunt. Tantáne eſt iſtorum hominum ἀσυνεσία, ut quid ſit ex oratione, ratiocinationéque ſua conſequens, non videant?

* Euſ. lib. 2. Opuſc. p. 35.

* 2. Cor. 2. 16.

* Tract. 6. in Joan. p. 23. C 2.

* Luc. 2. 34.

* Iſa. 8. 14.

VI. Jam ſi Chriſtus, qui eſt ipſa ſanctitas, & juſtitia, illo, quem diximus, ſenſu hoc eſt ex accidenti, & occaſione præter mentem & conſilium ipſius ab iis arrepta, qui vitio ſuo malè bono ſunt uſi, pleriſque mortalium exitioſus eſt, * *& odor mortis in mortem:* multò magis illa ipſa quæ dicitur, gratia Chriſti, qua & homines à peccatis eximuntur, & ad juſtitiam perducuntur, iiſdem fiet, eorum culpa, letalis ac peſtifera. Addit enim contempta mox, & abjecta ad infelicitatis illorum cumulum, & incrementum affert damnationis, calamitoſioremque reddit eorum ſtatum. *Terra quippe*, ut ait * Apoſtolus, *ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinam & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio eſt in combuſtionem.* Ad hoc igitur valuit illorum culpâ abundantia illa gratiæ Chriſti, ut graviore quàm dudum maledicto, pœnáque plecterentur.

* 2. Cor. 2. 16.

* Hebr. 6. 7.

De iiſdem fidei gratiæque Chriſti deſertoribus, ac cæleſti dono abutentibus, ſimilis eſt querela Petri Apoſtoli. * *Si enim refugientes*, inquit, *coinquinationes mundi, in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.*

* 2. Pet. 2. 20.

An non eo, quem attigi ſuprà, modo ac ſenſu Chriſti gratia detrimento illis fuit, quorum deterior illo ipſo conditio facta eſt, quòd ejus aliquando compotes fuerunt, ac quibus ſatius fuiſſe dicit Apoſtolus, ſi illa perpetuò caruiſſent? *Sic nimirum*, ut ait * Bernardus, *de magnis bonis mala oriri non minima ſolent, cùm facti eximii de bonis Domini, utimur donis, tamquam non datis, non damus gloriam Deo. Ita profectò qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum.* Jam ergo ex Anomorum, & Apologetici decretis, *impediens* potiùs quàm *adjuvans*, Chriſti gratia cenſebitur; perinde ac Moſaica lex. Nam utraque ſancta, & juſta, & bona per ſeſe, non aliam ob cauſam fraudi illis, & noxæ fuit, qui illam acceperunt, quàm quod peſſimè affecti, & comparati, in peſtem exitiúmque ſuum ſalutaria dona verterunt.

* Serm. 84. in Cant.

CAPUT XIV.

1. Excutitur altera calumnia Anomorum Apologiſtæ, qui ex Pelagiana hæreſi invidiam facit veteris Teſtamenti defenſoribus. 2. Anomos abhorrere ab Auguſtini ſententia. 3. Qua ratione Pelagiani veteris Teſtamenti ſanctos laudare inſtituerint. 4. Longè ab his diverſum fuiſſe propoſitum Illuſtr. D. Vabrenſis Epiſcopi. 5. Sub lege eſſe, & ſub lege vivere, diverſa ſunt. 6. Quid ſit ſub lege eſſe. 8. Non id ſemper in malam partem accipi, ut Apologiſta credidit. 10. Idipſum de nova etiam uſurpari lege, quod de antiqua dicitur. 11. Hinc Anomorum fallacia, & fucus diſcutitur.

I. Cum erroris Pelagiani tam apertè convictus ſit cum Armacanis ſuis Apologetici Scriptor, taménne Pelagianiſmi accuſare alios audebit, & hoc crimen alieniſſimis ab illa peſtilentia, & immerentibus impingere? Non impunè hanc quidem ille tantam calumniam feret. Ac vide obſecro, Lector, quæ ratio ſit hominis iſtius. * Mea hæc juſtiſſima querela de Arnaldo fuerat, quam decimo capite libri hujus expoſui: quòd *Judaicum populum in accurata legis obſervatione, nihil apud Deum meruiſſe* dixerat. Quod ego in ſexto libro de Pœnitentia publica, illorum potiſſimùm exemplis refellere inſtitueram, qui ſub veteri lege ſumma virtutis, ac ſanctitatis laude floruerunt: uti Moſes, Aaron, Phinees, Samuel, David, Ezechias, Joſias, Elias, Eliſeus, Prophetæque ceteri; ut innumerabiles alios omittam; quos omnes

* Lib. 6. c. 12. de Pœnit. publ.

Digitized by Google

omnes nihil accurata legis obſervatione meriti conſecutos eſſe nemo niſi perinde impius, atque inſanus dixerit. Eodem contra D. Iprenſem argumento uſus eſt Reverendiſſimus D. Vabrenſis Epiſcopus. At * Scriptor Apologetici falsâ & ludicrâ exceptione petitionis illius vim & impetum conatus eludere, objicit, itidem nos argumentari, ut olim Pelagiani adverſus Catholicos conſueverant. Qui lege commendanda, & ſanctis appellandis viris, quos egregiè, ac laudabiliter acta ſub illâ ætas memorabiles fecerat, hoc efficere ac perſuadere ſtudebant; non minùs Moſaïcam legem, ac vetus Teſtamentum, quàm Chriſtianum, & novum, ad promerendam ſalutem contuliſſe. * Errare deinde nos ejus inſcitia, quod ab Auguſtino ſæpiùs traditum eſt, *non idem eſſe, legis tempore vixiſſe, quod eſt ſub lege fuiſſe, ac ſanctos illos Patriarchas, & Prophetas, etſi decurrentibus adhuc legis, veteriſque Teſtamenti temporibus* exſtiterint, *non tamen ſub lege, id eſt legis obnoxios fuiſſe; ſed ad novum pertinuiſſe Teſtamentum.*

[* Lib. 2. c. 7. pag. 173.] [* Ibid. & cap. 8.]

II. Sed multùm in illa ſtruenda calumnia Apologiſta caligavit. Nam & Armacani hæreſis, cui ille patrocinatur, incredibiliter diſtat ab Auguſtini ſententia; & longè aliter exemplis Sanctorum veterum uſi ſunt Pelagiani adverſus Catholicos, ac nos contra nuperos iſtos, tam horum, quàm aliorum fautores erroris, & inſtauratores adhibemus. Imprimis Armacanus, cui & Apologeticus cum tota ſua ſchola ſubſcribit, Judaïcum populum, quem ab communione gratiæ, ac ſalutis excludit, non magis culpa ſua, quàm legis ipſius, ac Legiſlatoris vitio, in tantam pravitatem, & calamitatem impoſitum fuiſſe defendit. Quippe quem lex ipſa minis, ac pœnis propoſitis, tum etiam præmiis, ad peccandum incitabat ex profeſſo, dum vitioſum ab illo impiæ, ac facinoroſæ ſervitutis affectum exprimeret, ac fomentis pravæ cupiditatis eliceret. Quod disertè ab Magiſtro ſectæ proditum, & defenſum fuiſſe ſuperioribus ferè omnibus capitibus oſtendimus. Auguſtinus verò, immò quidquid Catholici nominis uſpiam exſtitit, procul abfuit ab illa impuritate dogmatis. Nos * alio in loco multa ex Auguſtino, aliiſque Patribus, &, quod ampliùs eſt, ex divinis Scripturis, teſtimonia congeſſimus, quorum pondere obtritus, & eliſus iſte novitius error eſt. Ea repetere hîc, odioſum & ſupervacaneum arbitror. Certè vel unus ille locus Auguſtini, quem in capite octavo ſecundus Apologetici liber plus ſemel inculcavit, ad illorum refrenandam, caſtigandámque licentiam ſufficere potuit: in quo ita ſcribit: * *Quis enim Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum ſanctum adjutorem virtutis in veteri Teſtamento non fuiſſe?* Quæ Auguſtini verba, cum illis * Iſaiæ congruunt, quæ in Græca editione leguntur, *legem in auxilium datam eſſe*, vel cum illis Apoſtoli, quibus * *legem propter tranſgreſſiones poſitam eſſe* dicit: hoc eſt *tranſgreſſiones prohibituram*, ex Hieronymi interpretatione. Ecquod verò adjutorium ab illa lege manavit in Judaïcum populum: aut quomodo in auxilium à Deo conceſſa credi poteſt; ſi *ex profeſſo* data fuit in eum finem, ut vitioſam aleret, foveretque cupiditatem, hoc eſt peccare juberet, immò cogeret; dum terrenis propoſitis hinc præmiis, inde pœnis, illorum amore pariter, atque horum metu, & utroque, ut Armacani cenſent, vitioſo, ac nefario, Judæos ad obſequium compelleret? Hæc ſunt à nobis ſuprà diſputata copioſiùs: necnon in decimo libro Tomi primi Dogmatum Theologicorum, qui eſt de Deo, poſtremis capitibus ſeptem.

[* Vide cap. 24. lib. 10. de Deo.] [* Aug. 3. ad Bonif. c. 4.] [* Iſa. 8. 20.] [* Gal. 3. 19.]

III. Quòd autem Pelagianos, ſimiliter ac nos facimus, exempla ſanctorum ex Teſtamento vetere ſumpſiſſe, eáque Catholicis intentaſſe, Apologeticus objicit, perquàm ineptè hoc facit, ac ridiculè. Nam aliud hæreticorum illorum propoſitum fuit, ac longè diſſimilis argumentandi ratio. Auguſtinum audiamus eorum mentem, & inſidioſum conſilium verbis iſtis explicantem. * *Iſti*, inquit, *inimici gratiæ Dei, quæ data eſt puſillis & magnis per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, ideo dicunt antiquos homines Dei perfectæ fuiſſe juſtitiæ, ne Chriſti Incarnatione, paſſione, reſurrectione, cujus fide ſalvi facti ſunt, eguiſſe videantur.* Ergo ideo Sanctorum veterum exempla jactabant, quos abſque gratiæ Chriſti præſidio ad tantam juſtitiæ perfectionem evolaſſe credebant, ut illam ipſam Chriſti gratiam minimè eſſe neceſſariam oſtenderent.

[* Lib. 1. ad Bon. cap. 7.]

Ac rurſus capite viceſimo primo ejuſdem libri, contra illa Pelagianorum verba diſputans, *Dicimus Sanctos veteris Teſtamenti perfecta hîc juſtitia ad æternam tranſiſſe vitam*, &c. ita reſpondet Auguſtinus: *Quantulibet fuiſſe virtutis antiquos prædices juſtos, non eos ſalvos fecit, niſi fides Mediatoris, qui in remiſſionem peccatorum ſanguinem fudit.* Tum paucis interjectis, *Hoc vos non vultis*, inquit, *inimici gratiæ Chriſti, ut eadem gratia Jeſu Chriſti ſalvi facti credantur antiqui: ſed diſtributis tempora ſecundùm Pelagium: in cujus libris hoc legitur. & ante legem dicitis ſalvos factos eſſe per naturam, deinde per legem; poſtremò per Chriſtum, quaſi hominibus duorum ſuperiorum temporum, ante legem ſcilicet, & in lege, ſanguis Chriſti non fuerit neceſſarius, evacuantes quod dictum eſt, unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus.*

Fuit & alia cauſa Pelagio commemorandorum ſanctorum, qui ſub lege vixerunt; ut alterum ſuum decretum illorum auctoritate probaret; poſſe homines in hac vita ſine ullo eſſe peccato. De quo vide Auguſtinum * in libro de Natura & Gratia. [* Cap. 36.]

IV. Satin' ex iis de Apologiſtæ, ac ſimilium iniqua obtrectatione conſtat? Ecquis enim noſtrum (Illuſtriſſimum D. Vabrenſem Epiſcopum, méque ipſum intelligo) ad eum finem exempla iſta Sanctorum retulit, cujus gratiâ Pelagianos iis abutentes reprehendit Auguſtinus? Quiſquámne noſtrûm ſanctos illos Patriarchas, & Prophetas vel *ante legem ſalvos eſſe factos per naturam*; vel *per legem* poſtea, ſine Chriſti gratia, dixit umquam, ac vel littera ſignificavit? aut [illegible] illos fuiſſe docuit; hoc eſt peccati funditus expertes? Quid habet ratio noſtra commune cum Pelagiana cauſa? aut quid hominibus iſtis facias, qui talibus conviciis quoſcumque libitum eſt aſpergere ſolent, ac pro Pelagianis, & Semipelagianis temerè traducunt? Quarum appellationum vim, ac proprietatem adeò neſciunt, ut, quod ſuperiori capite demonſtratum eſt, in illorum hæreſi toto ipſi corpore volutentur.

Equidem, ut de me potiſſimùm agam, duo ſum, quæ volui, ex illa commemoratione veterum ſanctorum aſſecutus, quæ Armacanorum, atque unius horum Apologiſtæ, capita totidem erroris evertunt. Horum prius eſt, quod ex illis cognoſcimus, non defuiſſe Teſtamenti veteris, ac legis Moſaicæ temporibus auxilia gratiæ; non alterius utique, quàm Chriſti partæ meritis, & conceſſæ: neque *ſtatum ipſum veteris Teſtamenti figurativum, & Propheticum, impedientem potiùs attuliſſe Judæis, quàm ſufficientem gratiam.* Alterum eſt, eumdem illum legis, & Teſtamenti veteris ſtatum, quatenus ejuſmodi fuit, hoc eſt ex inſtituto ſuo, & Legiſlatoris conſilio, ac deſtinatione, non excluſiſſe meritum operum bonorum, nec infructuoſum Judæis fuiſſe, ex vi ſtatus illius, legis obſervandæ ſtudium. Quod utrumque tota antecedente diſputatione patefactum, & invictis rationibus concluſum, atque ab inconſultæ novitatis calumniis extricatum eſſe confidimus. De poſteriori verò præſertim, legenda ſunt, quæ in decimo capite diximus.

V. Atenim * aliud eſt legis vixiſſe tempore; aliud, ſub lege vixiſſe: Sancti autem illi, quos in exemplum adduximus, etſi legis, & Teſtamenti veteris tempore floruerunt, ſub lege tamen non erant, nec ad eam, ſed ad novum Teſtamentum pertinebant. Ita enim Apologetici Scriptor: qui Reverendiſſ. D. Vabrenſi, ac mihi pariter inſultat, tamquam diſcriminis illius ignoratione, uterque noſtrûm ad ridicula quædam, & abſurda delapſus fuerit. Etenim quicumque in Judaïco illo populo legis obſervantes, ac juſti, ſanctique olim exſtiterunt, utique non ad vetus, ſed ad novum Teſtamentum pertinebant. Non enim ſub lege erant, neque ſervili ſtatu, ſed Chriſti, & gratiæ libertate cenſebantur: ut paſſim docet Auguſtinus, præſertim in libro contra Adimantum capite XVII, & in epiſtola XIX, aliiſque locis, quos * alibi commemoravimus. Quocirca perperam ratiocinari nos ait, dum quid veteri Teſtamento conveniat, illorum exemplis demonſtrare inſtituimus, qui ab hoc alieni Teſtamento in novum Teſtamentum, ac ſtatum gratiæ tranſlati fuerant.

[* Apol. lib. 2. c. 6. p. 171. 172. & cap. 7. p. 173. 177. & toto cap. 8.] [* Tom. 1. Dogm. Theo. lib. 10. c. 21. par. 14. & ſeq.]

VI. Verum hæc arguta cavillatio nihil præter inanem pompam, ac ſpeciem habet, atque in vocis ambiguitate latebram captat. Siquidem hoc ipſum quod dicimus, *ad vetus Teſtamentum pertinere*, vel, quod idem eſt, *ſub lege eſſe*, duobus modis intelligitur. Primum abſolutè, ac ſimpliciter, ut ſit legi eſſe ſubjectum, vel ut

Apoſtolus

Digitized by Google

* Gal. 5. 3. * Apoſtolus loquitur, *debitorem eſſe legis faciendæ.* Et hoc eſt ad mandata ſervanda obligatione quadam teneri, quæ ex pacto ac fœdere, vel ab unoquoque viritim ſuſcepto, vel à majoribus inito, ac tranſmiſſo naſcitur. Hanc enim vim *Teſtamenti* vox habet: quod & *fœdus* appellatur. Id autem devinctione mutua paciſcentium inter ſe conſtat, & officiorum lege, ac conditione, quorum præſtandorum fides utrimque pactione ſancitur. Ea cujuſmodi in Judaico fœdere, ac vetere Teſtamento fuerint, antiquæ Scripturæ libri omnes paſſim ac diſertè loquuntur, Moſaici præſertim, & Prophetici. Ex quibus apparet in certas eáſque mutuas functiones, ac præſtationes, Deum inter, & Iſraelitas velut ſtipulationem quamdam eſſe factam, ut & populus univerſus editis à Deo per Moſem legibus, ac præceptis obtemperaret; ac ſeſe, poſteróſque ſuos omnes, excepto nemine, ſervandis illis in perpetuum obſtringeret, hoc eſt illorum obſequio, quadam ſe ſervitute ſubjiceret: & viciſſim Deus præſentis vitæ commoda, ſoſpitatem, opulentiam, pacem, ac tranquillitatem; tum verò peculiarem in illos benignitatem, curam, providentiam, amorémque polliceretur.

Sic Levitici capite xxv, 3. *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur,* &c. *Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos veſtros. Perſequemini inimicos veſtros, & corruent coram vobis,* &c. *Reſpiciam vos, & creſcere vos faciam: multiplicabimini,*
* Iſa. 1. 19. *& firmabo pactum meum vobiſcum.* Et Iſaias, * *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.*

VII. Hoc eſt ergo ſub lege eſſe; id eſt legi ſubjici, & ad eam ſervandam obligari. Non enim *ſub lege eſſe* perpetuo in deteriorem partem, ac de malis, & ſceleratis Judæis accipitur, ſed ſimpliciter de Iſraëlitico omni populo, qui Moſaïca lege cenſetur, & ejus præceptis, ac ſacramentis alligatus eſt. Nam ut generatim omnibus tam bonis, quàm malis Jacobi poſteris impoſita lex eſt, ſic ſub lege, hoc eſt adſtricti, & obnoxii
* Gal. 3. 23. legi erant univerſi. Etenim *priùs * quàm veniret fides,* ait Apoſtolus, *ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit*
* Chryſoſt. pag. 742. τὸ γὰρ ἐφρουρούμεθα, καὶ συγκλειόμενοι, οὐδὲν ἕτερον δηλοῦντος ἐστιν, [illegible] *in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.* Quibus * *cuſtodiendi, concludendíque* verbis, quæ in Græco *arcis, ac ſepti cujuſdam cuſtodia coërcere* ſignificant, demonſtrari putat Chryſoſtomus, *ſecuritatem, quam legis mandata præſtabant, quæ illos in tuto collocabant:* (Id enim ἀσφάλειαν deſignat.) *Quippe lex metu, ac vitæ inſtituto, quod præſcribebat, tamquam in munito caſtello, detinens illos, fidei reſervabat.* Qui locus Chryſoſtomi contra novam doctrinam antidoti inſtar eſſe poteſt. Nam * *Teſtamentum vetus, in quo ſola terrena promitterentur, non ea de cauſa datum eſſe* ſecta iſta defendit, *ut per hujuſmodi Teſtamenti promiſſiones, & obſervationem, eorum ſalus in tuto locaretur.* Cui manifeſtè contradicit Chryſoſtomus. Idque pædagogi, quam Apoſtolus adjungit, ſimilitudo declarat. Etenim pædagogus puero in eum finem præficitur, ut ſub illo tutus iſte ſit; & in ejus cura, & præſidio infirma hujus ætas acquieſcat. Vide quæ de hac cum pædagogo comparatione legis, adverſus Armacanos iſtos * alio in loco diſputavimus.

* To. 3. lib. 3. c. 6. p. 214.
* Tom. 2. Dogm. lib. 10. c. 26.
* 1. Cor. 9. 20.

VIII. Sed ut ad illud redeam, quod probare cœperam; apparet ex illis Apoſtoli verbis, quod dicitur, *ſub lege eſſe*, non ita ſemper accipi, ut Apologiſta credidit: ſed ſimpliciter legis ſtatum, ac vitæ genus deſignare illius mandatis alligatum, & adſtrictum.

Simile eſt & illud ejuſdem Apoſtoli: * *factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem, quum ipſe non eſſem ſub lege: ut eos qui ſub lege erant, lucrifacerem.* Perſpicuum eſt, eos qui ſub lege erant, hìc illos vocari, qui legi parebant, ejúſque præcepta, & ſacramenta ſervabant: ad quorum ſe morem, uſúmque finxit Apoſtolus, dum & Timotheum circumcidit; & Nazaræum ſe fecit, ac caput totondit, & ſacrificium obtulit: idque κατὰ συγκατάβασιν, & οἰκονομίαν egit, ut Græci loquuntur. Ita Chryſoſtomus, Græcique Interpretes reliqui; ut & Latini, Sedulius, Primaſius, aliique vulgò. Igitur *ſub lege eſſe*, nihil aliud eſt, quàm obſervare legem, ac Moſaicos ritus, & inſtituta ſectari. Hoc eſt Judæum eſſe. Huic enim opponit ex adverſo gentiles, qui Judaïca lege minimè tenebantur, proximè ſequentibus verbis; *His qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem:* τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος. Ergo ut *ſub lege eſſe*, idem eſt atque ἔννομον vel ὑπόνομον eſſe: ſic *extra legem eſſe*, vel legis nexibus ſolutum, eſt eſſe ἄνομον, non utique *exlegem, & iniquum, ac ſceleratum*: ſed immunem à Moſaicæ, ſcriptæque legis cultu: quales erant gentiles, ad quorum captum, morémque, quoad fas fuit, ſeſe accommodavit Apoſtolus. Sic Græci Latinique, quos nominavi, hunc locum enarrant.

Ruſus in epiſtola ad Romanos eodem ſenſu dixit, *in lege eſſe*, quo *ſub lege* illis in locis. * *Scimus*, inquit, * Rom. 3. 19.
quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege ſunt loquitur. Nempe quia Judæis ſolis lex eſt data, ut adnotat Chryſoſtomus, idcirco ἐν νόμῳ ſunt, id eſt legi ſubjecti. Ut enim Atticis legibus Solonis, Attici ſoli; Lycurgi legibus, Lacedæmonii: ſic Moſaïcis, ſoli tenebantur Hebræi, tam juſti, atque ſancti, quàm carnales, ac ſceleſti.

IX. Alias *ſub lege eſſe* dicuntur, qui legi non obtemperant, ſed eam violant. Quos Auguſtinus *damnabiliter* dicit *eſſe ſub lege*, in * epiſtola xix; ubi dupli- * Pag. 30. B, C, 2.
cem illum modum, quo *ſub lege fuiſſe* Judæos diximus, egregiè confirmat. Imprimis enim, *ſub lege eſſe* quempiam adnotat, non ſolùm qui circumciſionem, & Judaïca ſacrificia retinet; ſed etiam qui quod lex jubet, *Non concupiſces*, obſervare tenetur: quod etiam Chriſtianos comprehendit: qui eatenus ſub lege ſunt, ſed modò Chriſtianâ, & Evangelicâ, quæ Decalogi pleraque mandata complectitur. Poſtea modum alium ſubjicit Auguſtinus, quo Apoſtolus, *Hos damnabiliter dicit eſſe ſub lege, quos reos facit lex non implentes legem.* De quo pleniùs * alibi diſſeruimus: ejúſque locutionis * Lib. 10. To. 2. c. 20. maximè §. 10.
cauſſam & originem patefecimus. Nimirum *cùm* lex Moſaica ab Apoſtolo & Auguſtino conſideratur, quatenus pœna violatoribus illius propoſita eſt; ex quo *lex mortis* eidem Apoſtolo nominatur; *ſub lege*, ac legi obnoxii dicuntur eſſe, * qui contra legem committunt, ejúſ- * Rom. 7. 6.
que vi, & ſeveritate coërceri merentur. Hoc ſenſu, ut ſcribit * Auguſtinus, *ſub lege eſſe dicuntur, quibus do-* * Lib. 1. ad Simpl. qu. 1 pag. 166.
minatur. Eis autem dominatur, quos punit. Punit autem prævaricatores omnes.

X. Neque verò ad Moſaicam tantummodò legem iſtud attinet, ut peccatores, & criminoſi poſteriore hoc modo ſub lege eſſe dicantur: ſed etiam in nova, & Chriſtiana locum habet. Quemadmodum in libro de Natura & Gratia, capite lvii, declarat Auguſtinus. Quippe *jam baptizatis etiam dictum eſt;* * *caro concupi-* * Gal. 5. 17.
ſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis: deinde ſubjungit. *Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Igitur carnales etiam Chriſtiani, quales erant inter Corinthios, de quibus loquitur Apoſtolus, * *Adhuc enim carnales eſtis. quum enim* * 1. Cor. 3. 3.
ſit inter vos zelus, & contentio, nónne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis? Carnales item Galatæ,
* *qui invicem mordebant, & conſumebant:* ideóque *ſpi-* * Gal. 5. 15.
ritu non ambulabant, quia *deſideria carnis perficiebant:* & quicumque alii Chriſtianam legem profeſſi, *ſpiritu non ambulabant*, ſed opera carnis faciebant, ſub lege eſſe dicebantur. Atque iſti quidem duplici illa ratione *ſub lege erant*, hoc eſt legi ſubjiciebantur: quia & legis obſervandæ debitores erant, quod commune cum bonis habebant; & propter violatum legis mandatum, conſtitutis ab ea pœnis erant obnoxii, hoc eſt vim illius, ac ſeveritatem ſentire cogebantur. At boni & juſti, priore tantùm modo ſub lege cenſebantur; quoniam ex præſcripto legis eos oportebat vivere. Ceterùm in quocumque ſtatu, adeóque ſub novo Teſtamento, qui malè vivunt, & pravis cedunt concupiſcentiis, ſub lege eſſe, teſtatur idem Auguſtinus in libro de Continentia, capite tertio. *Qui verò per legem*, inquit, *cognoverunt*
eas, * *per legem enim cognitio * peccati, Et concupiſcen-* * Rom. 3. 21.
tiam, inquit, *neſciebam, niſi lex diceret, Non concupi-* * Rom. 7. 7.
ſces, & earum tamen oppugnatione vincuntur; qui ſub lege vivunt, quia jubetur quod bonum eſt, & non datur: non vivunt ſub gratia, quæ dat per Spiritum ſanctum quod per legem jubetur.

XI. His demum animo perſpectis, manifeſta eſt Apologiſtæ, adeóque totius Anomorum ſectæ fallacia; qui Judaïcum omnem populum, quamlibet acri, & ſedula

dula legis obſervatione, meriti nihil aſſecutum eſſe dicunt, eo quòd ſub lege eſſent, & ad vetus Teſtamentum pertinebant. Latet enim præpoſtera & inſidioſa fraus illorum ſub ambigua notione locutionis iſtius, *eſſe ſub lege*, vel *ſub vetere Teſtamento*. Nam qui primo de duobus ſenſu ſub lege fuerunt, merito minimè caruerunt, neque gratia; ut Armacani, & horum unus Apologiſta fatentur. Atque illi ſanè ad Synagogam, *ut ſynagoga eſt*, hoc eſt ad veram, & antiquam Eccleſiam propriè ſpectabant, & ad Dei Teſtamentum antiquum, quà Teſtamentum erat. Nam ad primarium legis inſtitutum, & auctoris legis Dei in hac danda propoſitum, & voluntatem vitam ſuam accommodabant: quæ utique voluntas hujuſmodi erat, qualem Scripturæ omnes antiquæ prædicant: ac nominatim Propheta in Pſalmo cxviii his verbis commendat: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*. Cùm igitur exactè legem ſervarent boni illi, & ſancti viri legi ac Teſtamento veteri ſubjecti, neque gratia, neque merito, & mercede vacui erant: quam *retributionem* vocat idem Propheta, ejúſque gratia ſe ad Dei mandata capeſſenda propenſo animo fuiſſe teſtatur. Nam quod in eodem illo populo, & ſynagoga, longè diverſa conditione complures exſtiterunt, quibus non auxilium quidem gratiæ, ut pòſt paullò demonſtrabitur, ſed meritum, meritóque reſpondens merces defuit: cujuſmodi fuerint iſti, illa ipſa Scripturæ, Patrúmque teſtimonia declarant, quæ ad invidiam legi Moſaïcæ, ac Synagogæ, Judaicóque populo veteri parandam, Armacani patronus contulit in ſeptimum, & octavum caput libri ſecundi. De quibus copioſè dixi ſuprà capite decimo: ubi oſtenſum eſt, nihil ad rem noſtram iſtorum exempla pertinere: quandoquidem ſcelerati omnes, & perditi fuerunt, de quibus illis in locis mentio fit: ac partim nihil ad Teſtamentum vetus, quà Dei Teſtamentum erat; aut ad ſynagogam, ut erat ſynagoga, hoc eſt antiqua Dei Eccleſia, ſpectabant, quia nullum in illis inerat fidei, ſpei, caritatíſque veſtigium; neque cultus patriæ legis, & religionis; quam idolorum ritu, & gentili ſuperſtitione mutaverant: partim etſi fidem, & nonnullam veri adorandi præ ſe Dei ſpeciem ferrent; animum gerebant graviſſimis, horrendíſque criminibus infectum, & illi ipſi, quem colebant, exoſum Deo, atque ab ejus lege ac mandatis alieniſſimum. Itaque ſub lege poſteriore illo modo dumtaxat erant; ut legis ſententia, & ſeveritate plecterentur; non autem priore, in quo Teſtamenti veteris legis, & ſynagoga, quà Teſtamentum, lex, & ſynagoga fuerunt, ratio, inſtitutióque conſiſtit. Tantùm abeſt, ut exactè lex ab illis obſervata fuerit: de quo genere lis inter nos, id eſt Catholicos, & horum adverſarios eſt orta. Sed de iis ſuperiora relegenda ſunt capita, maximè decimum: in quo preſſiùs & accuratiùs eſt illa tractata quæſtio.

CAPUT XV.

Hominibus ſub lege degentibus, & infidelibus affuiſſe gratiam Chriſti demonſtratur argumento longè validiſſimo, & Anomorum inſcita hallucinatio convincitur.

I. NUNC quod hujus diſputationis reliquum eſt exequar; & illis etiam, qui ſub lege quoquo modo, id eſt ſecundo, ac deteriore fuerunt, affuiſſe gratiæ præſidium oſtendam: ex quo iſtud neceſſariò ſequetur, falſiſſimè jactatum hoc ab Armacanis, nihil prorſus veteri ſub lege, ac Teſtamento, adjuvantis gratiæ Judæis attributum: reliquáſque nænias, in quibus refutandis non ſine tædio hactenus occupamur. Nam cùm duo genera Judæorum hominum exſtiterint, pro duplici illa ratione ſub lege degendi, quam expoſui antecedenti capite; ſi de poſteriori, eóque deteriore probari poteſt, non ab eo Chriſti gratiam abfuiſſe; quia de priori, propter illos, quos in exemplum pietatis ac ſanctitatis attuli, dubitari non poteſt; de univerſa gente, ac ſynagoga confecta res erit; liquidóque conſtabit, nulli ejus parti gratiam, & idoneum auxilium defuiſſe. Hoc ſi vel ipſos, contra quos modò diſputamus, fateri & aſſentiri etiam invitos cogimus, quid erit vi veritatis iſta potentius? Atqui & hoc facile eſt factu; & nuſquam aliàs certiùs evidentiùſque conſtiterit, quantis tenebris oppreſſa ſit hæc Anomorum factio, & quàm in oppugnanda Catholica veritate judicii, ac conſtantiæ parum adhibuerit.

II. NON *affuiſſe hominibus ſub lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus*, Anomorum eſt decretum, capite ſecundo libri hujus à nobis expoſitum: quod Apologetici Scriptor acerrimè propugnat. Hujus dicti quæ ſententia ſit imprimis conſtare debet. Poteſt autem eſſe duplex. Aut enim ſic intelligitur, ut ex vi, & efficientia propriâ legis, nulla manaſſe gratia dicatur, nec ullum auxilium, quo interiùs roboratus animus, ad ſervandam legem, & exequenda mandata convaleſceret. Aut ita, ut Chriſti parta meritis nulla in legis ac Teſtamenti veteris alumnos & heredes gratia redundarit. Non poteſt priore ſenſu illud eorum effatum niſi putidè ac ridiculè accipi. Ecquis enim Chriſtianus hodie dubitat, ex quo Pelagii extincta eſt hæreſis, quin gratiæ fons totius, quæ quidem propriè gratia dicitur, Chriſtus ſit Dominus; & unius illius meritis ad ſalutem neceſſaria omnium temporum auxilia gratiæ tribuenda ſint. Nemo Judæis in lege veteri nullam gratiæ ſtillam adſperſam fuiſſe niſi per Chriſtum, aut neſcit, aut negat. Poſteriore itaque ſenſu *gratiam illam ſufficientem ſervandi legem*, ut politè elegantérque loquuntur, ab Judæis abjudicant: tamquam ita prædicent: *Non affuiſſe hominibus ſub lege viventibus auxilium ullum gratiæ ad legem ſervandam, vel aliquod præceptum ejus ſufficientis, ac neceſſariæ, Chriſti meritis imputandum.* Hîc verò repetendum eſt, quod * ſuprà capite antecedente docui: *ſub lege eſſe*, vel *ſub* * Parag. 5.
Teſtamento veteri, propriè illos intelligi, qui juſti non erant, ac ſancti. Hujuſmodi enim Apologiſta, ut ibidem oſtenſum eſt, ad novum pertinere Teſtamentum exiſtimat. Soli ergo vitiis ac peccatis irretiti, hoc eſt carnales Judæi, quemadmodum ſub lege, ita gratiæ penitùs expertes, Anomorum, & patroni horum Apologiſtæ opinione fuerunt.

III. ATQUI ſi hoc dixerint, quod ab iis dici omninò neceſſe eſt, his ſeſe laqueis irretient, quibus extricari & expediri nulla ſua cavillatione poterunt. Somamus enim quempiam vetere ex illo populo impium, ac nefarium hominem; aut eum denique, qui graviore aliquo commiſſo crimine fidem à ſe, cum caritate, vel hanc ſolam excuſſerit; velut Manaſſes fuit, & ante hunc Propheta David. Quorum ille cùm nullum impietatis, & flagitii genus intentatum reliquiſſet, poſtea reſipuit, & cum Deo in gratiam rediit: hic autem minoribus aliquantò perpetratis criminibus, eâdem Dei benignitate revocatus à lapſu, ac reconciliatus eſt. Iſti proculdubio quamdiu in culpa, & Dei inimicitia jacebant, carnales erant, *quia* * *hic dicitur eſſe in carne, qui aliquid ſequitur, quod lege prohibetur.* Et *omnis incredulus in carne eſt, id eſt carnalis*, ait Ambroſio tributus commentarius ad illa verba Apoſtoli, quæ hoc ipſum ſignificant: *Cùm enim eſſemus in carne, vitia peccatorum quæ per legem oſtenduntur operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.* Iidem ſub lege, ac veteri Teſtamento cenſebantur peſſimo illo modo, & eo quem intelligunt Armacani, cùm aſſerunt *non affuiſſe hominibus ſub lege degentibus auxilium ullum gratiæ ſufficientis ex Chriſti meritis profectæ.* Ex quo tria neceſſariò conſequuntur, è quibus unum ab illis eligi, velint nolint, oportet: quod qualecumque tandem optaverint, effugere non poterunt, quin vel in ſacrilegi mendacii, vel in nefandæ hæreſis notam, & ignominiam incidant; vel ſecum ipſi turpiſſime diſcordent. Aut enim ambos illos negabunt à ſceleribus ſuis, & eo ſtatu, quo ſub lege tenebantur, per pœnitentiam ad Deum eſſe converſos, contra divinæ Scripturæ fidem: aut illam ipſam pœnitentiam, converſionémque ſine Chriſti gratia dicent eſſe conſecutos, ut germanos ſe Pelagianos oſtentent: aut ſi neutrum fateri audent; *affuiſſe iis hominibus, qui ſub lege erant, ſufficientem gratiam*, inficiari deſinent. Etenim quæ Davidi, ac Manaſſi aſpiravit Chriſti gratia, hæc illos ſub lege, hoc eſt ſub peccati jugo, ac dominatu reperit. * *Virtus enim peccati lex* (ait Apoſtolus) atque ut Ambroſio inſcriptus commentarius adnotat, * *Mori legi, Deo vivere eſt: quia lex dominatur peccatoribus. Cui ergo dimittuntur peccata, moritur legi.* Quare affuit ipſis ſoſpitatrix gratia in ipſo ſtatu legis, & ſub lege, ac Teſtamento veteri poſitis: ut falsò ab Armacanis, & Apologiſta jactatum ſit; nullam ſub lege ac Teſtamento conſtitutis Judæis ſufficientem affuiſſe gratiam.

* Ambr. ad cap. 7. ep. ad Rom. ver. 5.
* 1. Cor. 15. 56.
* In cap. 7. ad Rom. 278. B.

IV. QUOD

IV. Quod de Manaſſe, ac Davide dixi, idem de ceteris ſignificare volo, qui juſti in lege veteri ex peccatoribus facti ſunt. Cujuſmodi fuerunt omnes, & illi adeò quorum exemplo uſi ſumus, Illuſtriſſimus D. Vabrenſis Epiſcopus, & ego, ut Anomorum licentiæ intercederemus: qui gratia prorſus omni deſtitutum fuiſſe Teſtamentum vetus, ac ſtatum legis exiſtimant: *Apol. lib. 2. c. 7. pag. 179. Vide ſup. cap. 14. *noſque, qui ex illis ſanctis contra ipſos argumentum caperemus, inclementer appellant. Quos quidem pudere jam debet, cùm ſe deprehenſos his in anguſtiis abſurdi, & inextricabilis dogmatis ſenſerint; homines ſui pluſquàm veritatis, & catholicæ ſalubritatis amantes, & in tam perdita cauſa

Φυσῶντες οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι, φορβειᾶς ἄτερ.

*To. 3. lib. 3. cap. 12. Eadem vis argumenti valet etiam in infidelibus, * *quos omni carere gratia ſufficiente ad ſalutem, tam proxima, quàm remota, & omnibus principiis ejus*, Armacanorum natio deprædicat. Nam qui præveniente, & opitulante Chriſti gratia in illo ſtatu reperti vocantur ad fidem, gratiam utique ſufficientem obtinent, & ejus auxilio qualicumque tandem niſu emergere incipiunt ex tenebris, & ad lucem aſpirare. Igitur in ſtatu illo damnabili affuit illis ſufficiens gratia. Non ergo carent infideles omni penitùs ſufficienti ad ſalutem auxilio.

V. Atque ut nondum ab ulceris hujus curatione digrediar: ſed ut tamquam ſcalpello in vomicam altius impreſſo, purulentia omnis excernatur; agedum dicti ab illis ſui, & ſententiæ repoſcamus rationem. Reſpondeant nobis quid ſibi velint, cùm ita pronunciant: *Non affuiſſe Judæis ſub legis ſtatu degentibus ſufficientem gratiam: ſed nec infidelibus adeſſe.* Hoc enim altero de duobus intelligi, explicarique modo, ac ſenſu neceſſe eſt, ut paullò antè dixi, & nunc paucis repetendum eſt. Primus eſt ejuſmodi, ut neuter ſtatus ſufficientem gratiam ſuapte vi, & indole pariat. Poſterior, ut ex meritis Chriſti, quaſi adventitius nullus gratiæ fructus in utrumque ſtatum redundet. Horum duorum alterum eligant oportet, ſi humano more loqui volunt. At utrumque ridiculum eſt, & impeditum adeo, ut ipſi ſe explicare nequeant. Nam ſi priorem optent, quid ineptius, quàm de hoc contra Scholaſticos tanta contentione pugnare profiteri ſe, quod nemo umquam iſtorum ne cogitavit quidem; neque verò quiſquam mortalium, niſi amens, *To. 3. lib. 3. c. 9. & furioſus, perſuadere ſibi poteſt? Etenim * *ſtatum veteris Teſtamenti, ut talem, non fuiſſe juſtitiæ, & ſalutis, ſed potiùs peccati, & mortis* cenſent Armacani, itidem ut *ſtatum infidelitatis*: & utrumque in æquo ſtatuunt, quod ad gratiæ penuriam & egeſtatem attinet. Quiſquámne igitur adeo ab communi ſenſu derelictus hactenus fuit, qui *peccati ſtatum* ullum per ſe gratiæ feracem eſſe defenderet? Ut ſi quis meretricium vitæ ſtatum ex ſeſe gratiam ſubminiſtrare diceret, & idonea ejus auxilia, ad peccatum delendum, hoc eſt ad ſui ipſius interitum, & perniciem? An quiſquam Doctorum, & Theologorum, quos ſectæ ſignifer allatravit, gratiæ fontem, & efficientiam in tanta pravitate conſtituit? Nemo utique: nec ea proinde mens Armacanorum in abjudicanda ſufficiente gratia ab utroque illo ſtatu eſſe poteſt.

VI. Restat ergo ſecundum illud, uti nullam ex merito Chriſti gratiam affuiſſe Judæis olim, nec adeſſe modò infidelibus eo ſenſu diſputent, ut quamdiu in ſuo illo ſtatu Judaiſmi, aut infidelitatis manent, nulla ipſis gratiæ adjumenta ſuppetant. Atque ita ſentire demum iſtos ex eo cognoſcitur, quòd cùm iis objectum eſt; adeo non defuiſſe Judæis antiquis gratiam Chriſti, ut inter illos complures eximia vitæ ſanctitate, integritatéque vixerint, quod ſine gratia Chriſti aſſequi nequiverint: adverſus hoc excipiant, idcirco nihil argumento iſto contra ſe nos efficere; quòd juſti omnes illi, eo ipſo, quòd gratia donati fuerint, & juſtitiam adepti, à priore illo ſtatu Teſtamenti veteris, ad Novi ſtatum tranſlati, & Chriſtianis accenſiti fuerint. Prorſus itaque ſic differunt, idcirco ſe nihil gratiæ in Judaicum ſtatum, aut infidelium transfuſum aſſerere, quòd eo momento in utrovis eſſe ſtatu deſierint, quo primus illos gratiæ motus excitare cœpit. At hoc ipſum non ſolum falſum, & hæreticum eſt; ſed etiam inextricabile. Fingamus, primum gratiæ impetum eam habere vim, ut peccatorum omnium abſterſa labe, ſtatim hominem reconciliet Deo, eúmque juſtum ex impio, & peccatore faciat: certè cùm primum advenit, & torpentem, immo verò mortuum afflare, & illuminare cœpit, nonniſi ad infidelem, & in deplorato illo ſtatu jacentem hominem venit; antequàm ad alterum, melioremque tranſiiſſet. Cùm igitur nondum ad Chriſtum converſum, & in priore ſtatu adhuc hærentem animum occuparit, ac prævenerit gratia ſufficiens, affuit utique homini ſub lege poſito, vel infideli.

VII. Ac perinde argutantur nuperi iſti Theologi, ut ſi quis aut viventes homines mori neget; aut mortuos ad vitam eſſe revocatos à Chriſto, vel in extremo rerum occaſu revocandos; & ita ratiocinetur: quandoquidem eodem puncto temporis, quo mors illis accidit, viventes eſſe deſinunt, non viventibus ſupervenire mortem: ſed neque mortuis vitam reſtitui, quia cùm vivere incipiunt, mortui amplius non ſunt. Par enim & eadem eſt illorum argumentatio, qui infidelibus, atque in Judaiſmo deprehenſis, negant adeſſe gratiam; quoniam tum demum, cum adeſſe incipit, alterum in ſtatum tranſcribuntur. Quamobrem ut eſt inſulſa prior illa de mortuis in vitam reſtitutis calumnia; ſic Armacanorum ludicrum eſt & joculare commentum.

Quid quòd ad primum gratiæ prævenientis appulſum, non ſtatim ab eo, quo ſub lege eſſe dicuntur, ſtatu peccatores ad alium transferuntur, qui *novi Teſtamenti*, vel *gratiæ* vocatur? Soli quippe juſti, ac ſancti tam in Judaiſmo veteri, quàm in Chriſtianiſmo ad hunc pertinent: ut Armacanos ſentire ſuperiùs oſtendimus. Nam iſti eos dumtaxat interpretantur *ſub lege eſſe*, ex Apoſtoli, & Auguſtini ſententia, qui peccatis irretiti ſunt: de quibus hic illum loqui aſſerit, his verbis: * *Tamdiu enim dicit* (Apoſtolus) *ſub lege eſſe hominem, quamdiu vivit peccato: quemadmodum tamdiu mulier ſub lege viri eſt, quamdiu vivit vir.* *Aug. lib. 83. qu. 66. Quoniam igitur, ex Armacanorum opinione, nullus *è ſtatu legis*, qui eſt *peccati ſtatus*, ad *novi Teſtamenti*, ſive *gratiæ ſtatum*, quamdiu eſt *ſub peccato*, traducitur: nemo autem à peccato, niſi per infuſionem juſtitiæ, & gratiæ ſanctificantis eximitur; profectò qui hanc antecedit ſtatus, dum ad juſtitiam opportunis auxiliis paullatim peccator adducitur; *legis eſt*, & *peccati ſtatus*. Ex quo conſequens eſt, falſò dici ab Armacanis, nullum hominibus ſub lege degentibus ſufficientis adeſſe præſidium gratiæ, quamdiu ad novum Teſtamentum nondum pertinent: ſed adhuc ſub veteri, qui idem eſt cum *peccati ſtatu*, continentur.

Poſtremò quemadmodum de iis qui ſub Judaïſmo vixerunt, & infidelibus perabſurdam illorum rationem eſſe demonſtravimus, cùm utriſque ſufficientem gratiam funditus detrahunt, eo quòd ſimulatque gratia illos afflare cœpit, ſtatum mutant: ita prorſus ex eorumdem decretis ſequitur, nullam omnino ſufficientem gratiam adeſſe Chriſtianis in peccatum letale lapſis; quod, ubi prævenientis gratiæ prima illos aura perſtrinxit, ad novum ſtatum ab veteri, qui *legis*, & *peccati* dicitur, repentina mutatione tranſitum faciunt.

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS, E SOCIETATE JESU, DE LEGE ET GRATIA, LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

1. Explicatur novorum Dogmatiſtarum opinio de gratia Chriſti. 2. Quam illi ſolam eſſe caritatis inſpirationem aſſerunt. 3. Apologetici auctor huic doctrinæ conſentaneus. 4. Nullum eſſe opus bonum ex illorum ſententia, niſi fiat ex amore juſtitiæ. 5. Iidem virtutes omnes ſola caritate metiuntur.

I. SÆPE mihi de Armacanis, ac de errorum, qui ab illis vulgati ſunt, pravitate cogitanti, venit in mentem quærere, quo præſertim ex fonte, ac ſeminario peſtilentis illa doctrinæ venena propagata ſint. Ac tandem illud, quod eſſe certiſſimum arbitror, occurrit, malè intellectam, vel penitus ignoratam potiùs Chriſti gratiam fraudi illis fuiſſe, eóſque per hæc novarum opinionum prærupta devios, ac præcipites egiſſe. Nam qui aliter, atque oportuit, de illa ſentire, ac loqui inſtituiſſent, hos ipſos minimè mirum eſt, tam neceſſariæ rei occæcatos inſcitia, in reliquis, quæ inde ducuntur, tradendis, ac definiendis non lapſu, ſed ruina eſſe proſtratos. Itaque qui in conſtituenda medica Chriſti ope ac gratia capitalem illorum labem erroris convicerit, is & in arcem ſectæ iſtius invaſerit, & ejus machinationem omnem uno ictu, impetúque disjecerit.

Quod equidem, auctore legis, in quam hoſtili animo iſti ſunt; & gratiæ, cui plurimùm detrahunt, aſpirante Deo; deinceps aggrediar facere. Sed illorum antè de Chriſti gratia declaranda eſt opinio; hoc eſt, perinde nobis adverſarius, ac fidei Chriſtianæ inimicus error: contra quem velitari tantiſper hîc decrevi: donec juſta cum illo acie, prælióque contendam: quod ſuo loco reſervabitur.

II. GRATIAM Chriſti Salvatoris, quam *medicinalem* vocant, de qua cum Pelagianis Auguſtino propriè controverſia fuit, quæque ab ſcientia diſtinguitur, ſolius eſſe caritatis inſpirationem, Anomorum eſt opinio. Quod ipſum ſectæ illius antiſtes multis ex Auguſtino depromptis locis, & poſitis ab eo principiis affirmat Primùm, quòd gratia illa Chriſtiana ejuſmodi ab Auguſtino conſtituitur, *qua fit, ut homo qui antè fuit voluntatis mala, habeat voluntatem bonam:* ſive *qua in homine inchoatur voluntas bona, ut per gratiam bonum velit.* Quam *bonam voluntatem* aiunt, *ex illius ſententia, nihil aliud eſſe, quàm veram illam, & propriè dictam Dei caritatem.*

Deinde, *quia ſanctus Auguſtinus adverſus Pelagianos diſputans ſemper gratiæ illius confeſſionem poſtulat, qua fit ut operemur juſtitiam, ſeu bonum-opus, quod Deus præcipit nobis; atque adeò qua legem, quam propter carnis infirmitatem implere non poſſumus, voluntate, atque actione impleamus.*

Tertiò probat ex eo, quia *ſuavitatem eam, qua fit ut diligamus Deum*, Auguſtinus docet *eſſe veram & unicam gratiam adjutorii medicinalis Dei.*

Quartò, quòd *illud ſit verum adjutorium Chriſti, quo divinitus adjuvamur, ut in declinando à malo, & faciendo bono, quibus duobus univerſa juſtitia hominis comprehenditur, ipſa rectitudine, ipſaque juſtitia, quæ in præceptis emicat, delectemur: hoc eſt ut illa faciamus non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ. Nam niſi ſic operemur, nec benè operamur, nec alieni ſumus à voluntate peccandi.*

Quintò denique, *quòd illud ſolum ſit unicum & verum gratiæ Chriſti, & gratiæ novi Teſtamenti adjutorium, quo dilectio juſtitiæ, ſive caritas diffunditur in cordibus noſtris, ut ex iſta Dei dilectione præcepta faciamus.*

III. HÆC Anomorum ſectæ princeps; quibus * Apologetici Scriptor aſſentitur: ut ex illius verbis perſpicuè cognoſcitur. [* Apol. lib. 2. c. 4. p. 140.] Scribit enim *gratiæ nomen propriè, ac ſpeciatim in hoc unum competere, quod Patres, & Scripturæ ſanctæ vocant gratiam Jeſu Chriſti.* Exinde pagina * ſequenti [* P. 141.] eamdem *Chriſti gratiam* explicans, *nihil aliud eſſe* dicit, *præterquam amoris & caritatis impulſum, quem in cordibus noſtris Spiritus ſanctus efficit. Hæc ſola*, inquit, *propriè dicta gratia eſt: quandoquidem bonum quoddam eſt divini ordinis, penitùſque cæleſtis. Itaque ſola prærogativam hanc habet, ut numquam ſit impediens, & ut ipſâ nemo abuti poſſit: quoniam peculiaris hujus effectum iſtud eſt, impedire ne homo ceteris abutatur omnibus. Nam ut Apoſtolus ait, * Caritas non agit perperam:* [* 1. Cor. 13. 4.] *atque ut ex eſſentia ſua * plenitudo legis eſt,* [* Rom. 13. 10.] *ut idem Apoſtolus docet, & Auguſtinus pleriſque in locis, fieri non poteſt, ut homines lædat, & eorum noceat animarum ſaluti; quoniam vita eſt ipſamet illorum & ſalus. Cetera autem dona, gratiæque ceteræ, ac beneficia, quæ hominibus à Deo tribuuntur, nihil ipſis proſunt, ſed obſunt potiùs, ſi à vera Chriſti gratia ſeparentur, quæ fidem, ſpem, & caritatem Chriſtianam includit.*

Hæc Apologetici verba ſunt è Gallicis ſumma fide Latina facta. In quibus gratiam illam, quæ Chriſti propriè vocatur, & quam contra Pelagianos, & Maſſilienſes horum reliquias ſtrenuè propugnavit, & illuſtravit Auguſtinus: illam, inquam, gratiam, quam hoc potiſſimùm auctore ac vindice, hodiéque Catholica tuetur Eccleſia, Apologiſta cum ſuis Armacanis, & Anomis, perfectam vult eſſe caritatem: nec aliam, præter hanc, Chriſti gratiam agnoſcit. Quod ex illius verbis cognoſcitur; dum eam ſolam Chriſti eſſe gratiam aſſerit, *quæ fidem, ſpem, & caritatem continet:* & eam quidem caritatem, *quæ plenitudo legis eſt*, & ab Apoſtolo capite illo decimo-tertio prioris ad Corinthios epiſtolæ deſcribitur. Quam inſuper fidei, ſpei, ceteríſque virtutibus, ac martyrio ipſi, adeóque donis omnibus, & Spiritus ſancti chariſmatibus anteponit: quæ cum letali peccato ne puncto quidem temporis poteſt conſiſtere: ut quæ *vita ſit animarum, & ſalus.* Adde reliqua illius capitis Apologetici; quæ ne longiores in deſcribendo ſimus, hic ſunt à nobis omiſſa. Ex iis enim arcanum, & my-

Digitized by Google

& myſticum iſtius ſectæ dogma proditur; nullam Chriſti eſſe gratiam, præter impulſum veræ, ac perfectæ caritatis, quæ expulſo peccato, vitam animæ, juſtitiámque reſtituit.

IV. Rursus Anomorum coryphæus explicare pergit, *quo pacto ſola inſpiratio caritatis ſit illa gratia, quæ ad velle, & operari,* (ſic enim illi loqui placuit) *ad declinandum à malo, & faciendum bonum, ad juſtè rectéque vivendum, & conſequenter ad omnia bona opera facienda, & mala vitanda, totúmque legem implendam, contra Pelagium neceſſaria eſt.* Cujus rationem hanc generatim reddit; quia omne opus, ut bonum ſit, debet fieri non formidine pœnæ, ſed amore juſtitiæ; quam Auguſtini eſſe ſententiam confirmat. Qui autem diligit juſtitiam, diligit Deum; adeóque amor ille juſtitiæ caritas eſt: ut idem * ſcribit Auguſtinus. Ergo *quidquid Auguſtinus toties dixit de inſpiratione dilectionis, & caritatis, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris, non de alia intelligit caritate, quàm de caritate juſtitiæ.*

* Serm. 17. de ver. Apoſt. c. 3.

Admonet tamen poſtea, caritatem iſtam, ſive *dilectionem, ex qua naſcitur fides,* & quam ſolam Chriſti eſſe gratiam dixerat, *non ſemper ita ſumi ab Auguſtino, quemadmodum hoc tempore paſſim, & ferè ſemper in ſcholis uſurpari ſolet. Nunc enim per caritatem nihil aliud intelligimus, quàm virtutem illam dilectionis in tam perfecto gradu, ut ſuper omnia diligatur Deus.* At Auguſtinus *caritatem accipere plerumque ſolet pro dilectione, qua verè, ſincerè, & gratis, ex animo, propter ſeipſum, nullius creaturæ, ſed ipſius ſolius intuitu diligitur Deus; ſive ad illam pertingat perfectionem, ut ſupra omnia creata diligatur, ſive in ſimpliciori, & inferiori affectu hæreat. Nam talis amor, quantumcunque remiſſus, exilis, ac tenuis, eſt veriſſimus, & caſtiſſimus fructus caritatis Dei, ſive dilectionis amicitiæ, nulla concupiſcentiæ ad ſe reflexa perverſitate diſtortus.*

V. Idem porrò virtutes omnes nihil præter caritatem eſſe putat: adeòque *ſpem*, unam ex iis, quas Theologicas vocant. Quam quidem non ex amore concupiſcentiæ, ut vulgo Theologi perſuaſum habent; ſed ex eâdem illa caritate proficiſci docet: quatenus beatitudinem deſiderantes, hanc ipſam ad Deum referimus, & hujus amore concupiſcimus. Quocirca Deo mercedis, etiam æternæ, gratiâ ſervire, cùm hoc propter Deum, & ejus amore non facimus, vitioſum, ac turpe eſſe judicat: multóque magis ſi metu ſempiterni ſupplicii ad Deum convertimur, & in ejus poteſtate ſumus, niſi hoc Dei, ac juſtitiæ amore ſuſcipimus.

Hæc Armacanorum, & Anomorum opinio eſt de vera, proprieque dicta Chriſti gratia; cujuſmodi adverſus Pelagianam hæreſim, & ab ea conſtitutum gratiæ genus acerrimè defendit Auguſtinus. Quo ex illorum principio exiſtit illa, quam hoc in libro depellimus, nefaria Teſtamenti veteris, & ſacrilega criminatio. Etenim qui Deum promiſſarum ſpe commoditatum, ac deſiderio colere, & ei obſequi, perverſum & vitioſum exiſtimant: quíque hunc ipſum animi affectum ex profeſſo legem veterem elicere, ac fovere ſtuduiſſe prædicant, quid vel dicunt aliud, vel dicere omninò poſſunt, ſi ſibi conſentanei eſſe velint; niſi legem iſtam peccati ac vitii conciliatricem, ac lenam, pravam itidem, ac perverſam fuiſſe? Quod abundè toto hoc opere patefactum, & convictum, ne ipſos quidem negaturos eſſe confido, qui ſe imprudentes, & incautos in laqueos parum ſanæ opinionis induerint. Nunc eorumdem propoſita hoc in capite decretorum flagitia perſequar, & quantum ab Chriſtianæ fidei ſalubritate diſtant, in ſequentibus oſtendam.

CAPUT II.

Explicantur nonnulla ad hanc controverſiam diſceptandam neceſſaria. 1. Amorem generalem affectum eſſe fuſum per omnes virtutes: quem & caritatis nomine afficit Auguſtinus. 2. Duplex gratia, ſive caritas; inchoata, & robuſta. Utriuſque varios eſſe gradus: quod in priori ſpecie monſtratur. 3. Hos ipſos gradus in Tridentino Concilio deſcribi. 4. Qui quidem juſtificationem antecedunt, ut eadem Synodus declarat.

I. Sed antequam graſſanti publicam in perniciem erroris illius morbo mederi aggredior, pauca quædam præmuniendis Lectorum animis explicare ſtatui; ac velut antidoti loco, ex ipſis Catholicæ fidei principiis, & ſaniore, quàm illa eſt Armacanorum, Theologiâ conficere.

Quorum primum illud eſt, quod ad amorem pertinet, quo in affectu conſiderando tota ferè de gratia hæc diſputatio noſtra conſiſtet. Hunc igitur generalem, pérque omnes diffuſum eſſe virtutes animi motum, meritò S. Thomas * aſſerit his verbis: *Amor,* inquit, *non determinatur ad aliquod genus virtutis, vel vitii. Sed amor ordinatus includitur in qualibet virtute. Quilibet enim virtuoſus amat proprium bonum virtutis: amor autem inordinatus includitur in quolibet peccato. Ex amore enim inordinato procedit inordinata cupiditas.* Atque idem * alibi obſervat: *licèt caritas ſit amor, non tamen omnem amorem eſſe caritatem,* cùm ad omnes virtutes amor pertineat; eo quòd *qualibet virtus ordo eſt amoris,* ut * Auguſtino placet.

* S. Thom. 2. 2. qu. 125. art. 2.

* In 1. 2. qu. 62. art. 2. ad 3.

* Lib. 1. de mor. Eccleſ. cap. 15.

Nonnumquam tamen cum amore univerſè ſumpto caritatis nomen adæquatur; itáque uſurpat * Auguſtinus dum *caritatem* vocat *amorem boni;* necnon *bonam voluntatem;* ut * ſuprà ſignificavimus, capite ſeptimo libri antecedentis.

* Lib. 8. de Trin. c. 10.

* Cap. 7. § 3.

II. Quo quidem in capite duplicem ab eodem Auguſtino conſtitui gratiam, hoc eſt caritatem illam, ſive bonam voluntatem, oſtendimus. Nam una eſt rudis adhuc, & infirma, qua tantùm volumus etiam cùm nondum poſſumus: altera eſt firmior, & robuſtior, qua quod volumus opere ipſo præſtamus. Utramque deſcribit Auguſtinus in libro de Gratia, & libero arbitrio, capite xv. *Gratia verò Dei,* inquit, *ſemper eſt bona; & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere divina mandata quæ voluerit, cùm valdè, perfectéque voluerit.* Vide & caput xvii, ex quo locum quemdam ad inſtitutum noſtrum utilem capite illo ſeptimo deſcripſimus. De hoc duplici gratiæ, caritatiſque genere, legenda ſunt illa, quæ in Tomo primo Theologicorum Dogmatum * libro decimo ſcripſimus.

* Cap. 10. paragr. 8.

Ceterùm duo illa gratiæ genera multiplices gradus ſingula continent. Quorum ut ad negotium noſtrum uſus, & officia partiamur; placet ad primum genus auxilia omnia gratiæ referre, quæ juſtificationem antecedunt, & cum peccati ſtatu conſiſtunt. Poſteriori verò ejuſdem gratiæ adjumenta cetera tribuere, quibus homo Deo reconciliatus, actuoſam, & mandatis ſervandis operatam exercere caritatem incipit, & quotidianis incrementis ad majora proficere.

Prior gratia dividitur in primam, ſive initialem, quæ merita omnia prorſus antecedit, & gratuita Dei liberalitate in nobis ſine nobis efficitur: & in ſequentem, quæ illius bono, & voluntario uſu, tamquam merito, comparatur. Etenim qui à peccato ad juſtitiam convertitur, primùm divinitus illuminata mente, & ad credendum impulſa voluntate fidem concipit: atque ita ſempiternæ pœnæ, quam peccatis à Deo conſtitutam eſſe ſcivit, metu perterritus; aut felicitatis itidem æternæ potiundæ ſpe, ac deſiderio ſuccenſus, emergere ex miſero, perditóque ſtatu, & letali ab morbo recreari cupere incipit. Hæc eſt prima illecebra divinæ bonitatis, & miſericordiæ, ac bonæ voluntatis initium, quod nullo noſtro merito, improviſis, ac ſæpè reluctantibus, & adhuc recentis flagitii labe calentibus nobis injicitur. Cui ſi eâdem opitulante gratiâ obſecundare pergimus, deinceps motiones animi reliquæ conſequuntur, nonnullo piæ voluntatis partæ merito, quibus obdurata conſuetudine ſcelerum, & pervicacia pectora paullatim emolliri, fingique ad capeſſendam juſtitiam ſolent.

III. Hujusmodi impulſiones animorum, quæ orientis initia gratiæ conſequuntur, & ex qualicumque merito pendent, continuatione quadam, ac ſerie nectit Tridentina ſynodus Seſſione ſexta, capite ſexto. Quo in capite docet, quemadmodum ante juſtificationem, & ad hanc, excitante, ac juvante Dei gratia diſponi, præpararíque ſolent homines; quod iis verbis explicat: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt: atque illud imprimis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt*

Digitized by Google

in Chriſto Jeſu. Hic primus eſt liberè moventis ſe cum initialis auxilio gratiæ voluntatis affectus, quo ad aſſentiendum iis, quæ ſunt propoſita, ſponte ſuâ, & interiore quodam impulſu cietur. Ab hac velut ſtirpe, ac radice, quæ nullo prorſus ex merito, ſed liberali & gratuita adſpirantis ope gratiæ provenit, piæ ceteræ motiones oriuntur, illius merito conceſſæ, ut ſæpiùs inculcat Auguſtinus: qui fide ait mereri nos reliqua, quibus ad juſtitiam provehimur, ut antè dixi, & iterùm paullo pòſt repetam. Quas quidem voluntatis permotiones Tridentina ſynodus ita pertexit: *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; illúmque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, ac deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet. Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Igitur poſt primam illam effectionem gratiæ, quâ voluntas ad credendum impellitur, ejúſque pii affectus merito, exiſtit in peccatoribus *divinæ juſtitiæ timor, quo utiliter concutiuntur:* deinde ſpes & fiducia de Dei miſericordia, meritíſque concepta Chriſti Domini: tum initium quoddam dilectionis Dei, tamquam auctoris juſtitiæ. Poſt odium ac deteſtatio peccati, & pœnitentiæ motio, cujuſmodi Baptiſmo præire debet. Poſtremò Baptiſmi capeſſendi voluntas; & novæ inſtituendæ vitæ, ac divinæ ſervandæ legis certum, firmumque conſilium.

IV. Tot animi voluntatíſque motionibus, quæ juſtificationem antecedunt, ad plenam perfectámque cum Deo gratiam ineundam peccatori aditus aperitur. Siquidem tota illa ſeries piorum affectuum nondum habet juſtitiæ fructum; ſed ad eum capiendum *præparatio* quædam eſt, ut Tridentini Patres loquuntur, ac *diſpoſitio.* Sic enim capite ſequenti eadem ſynodus explicare pergit: *Hanc * diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur: quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum; unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus.*

* Trid. Seſſ. 6. cap. 7.

Ergo perfectam caritatem, ac Dei amicitiam, in qua vera eſt ſita juſtitia, tot illi præcedunt voluntatis boni, & laudabiles motus, quorum radix, & principium eſt *initialis*, ut vocant, gratia, uti nullis impetrata meritis, ſic meriti totius caput, quod gradatim acceſſionibus illis augetur ac perficitur: adeò ut antecedentis cujuſque, poſt primam omnium, gratiæ ſit, operíſque fructus ac merces conſequens gratia, ad perfectam uſque juſtitiam, quæ proximè præcedentis, & jam robuſtioris voluntatis merito comparatur: ut Auguſtinus paſſim aſſerit, *meriti* nomine, non abſolutum, &, ut vocant, *condignum* intelligens; ſed quod *congruum* dicitur. De quo tota illi ferè de gratiâ diſputanti contra Pelagianos, maximéque contra Semipelagianos eſt contentio. Animadvertimus autem capite illius libri ſeptimo, omnes illas voluntatis affectiones, quibus à prima inchoatione gratiæ, ad perfectam, expultricémque peccati juſtitiam peccator adducitur, aliàs fidei, aliàs caritatis apud Auguſtinum vocabulo cenſeri; cùm non ſint propriè caritatis; non modò veræ, quâ propter ſe Deus diligitur; ſed ne illius quidem communis, quam ex mente Anomorum principis expoſui antecedenti capite; & quam ille putat dilectionem eſſe juſtitiæ propter ſeipſam. Etenim inter motus illos voluntatis, timorem divinæ juſtitiæ, hoc eſt ſempiternæ pœnæ, ac gehennæ metum, ſecundo loco ponit Tridentina ſynodus, proximéque poſt piam voluntatis inclinationem, qua fides impetratur, quæ ab initiali oritur gratiâ: tum poſt metum iſtum, initium illud caritatis & dilectionis juſtitiæ recenſet; quam Anomorum coryphæus caritatis, immò gratiæ Chriſti titulo ſolam afficit. Ex quo quid ſit conſequens poſteà videro.

CAPUT III.

Motum omnem gratiæ ex Chriſti provenire meritis latè ex Auguſtino probatur.

I. Nunc eorum ſecundum, quæ ad præmuniendos Lectores propoſitæ diſputationi prævertenda dixeram, explicare aggredior. In quo docendum iſtud eſt, motus illos omnes, & affectiones animi, quibus ad perfectam gratiam perducimur; ſive inchoationes illas gratiæ ſuperiori expoſitas capite, unius Mediatoris Dei atque hominum Chriſti meritis imputari; & ad medicinalem, quam vocant, Chriſti, ac novi Teſtamenti gratiam pertinere: hoc eſt in eo gratiæ genere cenſeri, quod adverſus Pelagianos, Auguſtinus, & cum eo Catholicum deinceps nomen omne defendit.

Id adeo ex Auguſtini pænè omnibus libris intelligitur, quos contra Pelagianas iſtas peſtes elucubravit; multò verò clariùs ex poſtremis, quibus reliquias hæreſis illius evertit.

Cùm enim exſtitiſſent aliqui, qui Pelagii perfidiam eatenus damnarent, ut neminem juſtitiæ, ac ſalutis compotem fieri poſſe crederent, ſine Chriſti gratia: nec ad *ullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum quemquam ſibi ſufficere poſſe conſentirent:* ut ad Auguſtinum ſcribit Hilarius: iidem tamen voluntatem recuperandæ ſanitatis, & fidem, ac credulitatem naturalibus cujuſque viribus imputarent; quæ inter opera minimè numerabant. *Neque enim alicui operi curationis eorum* (ait idem Hilarius) *annumerandum putant, exterrita, & ſupplici voluntate, unumquemque ægrotum velle ſanari.* Cum igitur Maſſiliæ, aliiſque Galliæ locis ita plerique ſentirent, ut initia bonæ voluntatis, ac fidei, motuſque ceteros, quibus ad juſtitiam paullatim provehimur, citra Chriſti gratiam, in poteſtate eſſe cujuſque dicerent; ut *eo merito, quo voluerint, & crediderint, à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum, & totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum:* de his certior à Proſpero, & Hilario factus Auguſtinus, libros duos edidit. Quorum in priore, qui eſt de Prædeſtinatione Sanctorum, illum ipſum de initiis bonæ voluntatis luculentiſſimè caſtigat errorem.

II. Imprimis capite ſecundo, fidei ipſius initium, non autem ſolum ejus incrementum, à Deo eſſe, Chriſtique gratia demonſtrat: ne verum ſit illud, quod dicebat Pelagius, *quódque in Epiſcopali judicio Palæſtino damnare compulſus eſt; gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari, ſi non pertinet ad Dei gratiam, quòd credere cæpimus: ſed illud potiùs, quod propter hoc nobis additur, ut pleniùs, perfectiùſque credamus.* Igitur talis eſt Auguſtini judicio initialis illa gratia, voluntáſque credendi, adeò licèt exigua, & obſcura, ut eam Maſſilienſes naturæ quamlibet originali labe corruptæ viribus attribuerint, ut qui illam Chriſti eſſe gratiam neget, in Pelagianam incurrat hæreſim, quæ *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari* contendit. Nullam autem gratiam Dei aliam, *niſi per unum Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum generi humano impertitam de fidelium cordibus creditam delere* ſtudebat, oppugnabátque Pelagius, uti ſcribit Auguſtinus initio Epiſtolæ CVI. Quare gratia Chriſti, illa eſt ipſa rudis & inchoata, necdum perfecta voluntas, & fides, cujus merito uberior, ac robuſtior gratia poſtmodum obtinetur: ut *ſit merces fidei cæpta fides aucta;* quod eodem capite ſecundo libri de Prædeſtinatione Sanctorum ſcribit Auguſtinus. *Quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur.* (ait idem capite ſeptimo.)

III. Rursus in libro ſecundo ad Bonifacium, capite octavo, idem Auguſtinus Pelagianos arguit, qui boni cupiditatem, quamlibet exilem, ſine gratiæ ope, provenire volebant ſolis naturæ viribus. *Iſti enim volunt,* inquit, *in homine ab ipſo homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cæpti meritum etiam perficiendi gratia conſequatur.* Ac ſubinde reprehendit eos, quòd ſaltem *imperfecti boni cupiditatem* ſine gratia obtineri crederent. *Verùm & ſic,* ait, *gratiam Dei dicunt ſecundùm merita noſtra dari: quod in Oriente Pelagius Eccleſiaſticis geſtis damnari timendo damnavit. Si enim ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cæptum erit meritum,*

ritum, cui tamquam ex debito, gratia venit adjutorium: ac ſic gratia Dei non gratis donabitur, ſed ſecundùm meritum noſtrum dabitur. Dominus autem ut reſponderet futuro Pelagio, non ait, Sine me difficilè poteſtis aliquid fa- * Joan. 15. *cere: ſed ait,* * *Sine me nihil poteſtis facere. Et ut reſponderet futuris etiam iſtis, in eâdem ipſa Evangelica ſententia, non ait, Sine me nihil poteſtis perficere, ſed facere.*

Accedat ad hunc locum etiam iſtud, quod illa Chriſti verba idem Auguſtinus enarrans Tractatu in Joannem octogeſimo ſcribit: *Ne quiſquam putaret ſaltem parvum aliquem fructum poſſe à ſemetipſo palmitem ferre: cùm dixiſſet, Hic fert fructum multum, non ait, Quia ſine me parum poteſtis facere: ſed, Nihil poteſtis facere. Sive ergo parum, ſive multùm, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt.*

IV. Sed pergit in eodem illo capite octavo ſecundi libri ad Bonifacium Auguſtinus, & admonet, *Dominum, cùm ait, Sine me nihil poteſtis facere, hoc uno verbo initium, finémque comprehendere.* Quod intelligens * Phil. 1. Apoſtolus, dixit, * *Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Item illud, * 2. Cor. 3. * *Non quia idonei ſimus cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Cogitare,* ait, *aliquid; utique bonum. Minus eſt autem cogitare, quàm cupere,* &c. *Quomodo ad id, quod minus eſt, id eſt, ad cogitandum aliquid boni, non ſumus idonei, tamquam ex nobiſmetipſis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; & ad id, quod eſt amplius, id eſt ad cupiendum aliquid boni, ſine divino adjutorio idonei ſumus ex libero arbitrio?*

Præterea capite ſequenti, id eſt nono libri ejuſdem ſecundi ad Bonifacium, uberrimè declarat, præparationem qualemcumque cordis ad bonum, hoc eſt inchoationem boni, ſine adjutorio gratiæ Dei non poſſe fieri; nempe ſine illius gratia, qui dixit, *Sine me nihil poteſtis facere;* quæ non alia fingi poteſt, quàm medici- * Prover. 8. ex 70. *nalis*, & propriè dicta gratia Chriſti. * *Præparatur enim voluntas à Domino.* Et quod Scriptura dicit, * Prov. 16. * *Hominis eſt præparare cor, & à Domino præparatio linguæ,* id eo ſenſu dictum ait, *Quia in uno iſtorum cooperatur homini facienti, alterum ſolus facit. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo. Proinde cupiditas boni non homini à Domino eſſet, ſi bonum non eſſet. Si autem bonum eſt, nonniſi ab illo nobis eſt, qui ſummè atque incommutabiliter bonus eſt.* Et paullò pòſt: *Ergo benedictio dulcedinis eſt gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt amemus quod præcipit nobis: in qua ſi nos non prævenit Deus, non ſolùm non perficitur, ſed nec inchoatur ex nobis. Si enim ſine ipſo nihil poſſumus facere, profectò nec incipere, nec perficere.*

V. Item capite decimo: *Hominis autem propoſitum bonum,* ait, *adjuvat quidem ſubſequens gratia: ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia,* &c. *Nec omninò incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, niſi hoc in illo agat indebita, & gratuita miſericordia Dei.*

Ad hæc in libro de Correptione, & gratia, capite primo, *Deſiderare auxilium gratiæ,* inquit, *initium gra-* * Aug. epiſt. 105. p. 177. A 2. *tiæ eſt.* Nam ut alibi dicit idem * Auguſtinus, *Nondum inhabitans* Spiritus S. adjuvat ut ſint fideles; *inhabitans adjuvat jam fideles.*

* Proſp. in epiſt. Cœl. cap. 7. * Proſper item ex Innocentii primi ad Milevitanum Concilium Epiſtola probat, *neminem niſi per Chriſtum, libero benè uti arbitrio.* Et eodem in loco ex Zoſimi Papæ litteris colligit, *Omnem motum bonæ voluntatis ex Deo eſſe.*

* Proſp. p. 390. Sic idem * Proſper in libro contra Collatorem, *Omnia,* inquit, *quæ ad vitam, & pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata eſt, habemus; ſed per gratiam, quæ natura reparatur, accepimus.* Denique Arauſicana ſecunda Synodus, multis canonibus, quorum plerique ex Auguſtini ſcriptis excerpti ſunt, eidem fidei dogmati auctoritatem addit. Nam Canone tertio decernit, *Ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis Deus.* Et Canone quarto ſtatuit, *etiam ut purgari velimus, per Spiritus ſancti infuſionem in nobis fieri.* Et quinto canone, *Sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſúmque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, per gratiæ donum fieri,* dicit. Idem & in pleriſque aliis canonibus ſignificat. Inſigniter autem Canon xxii ex Auguſtino ita ſciſcit, *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum.* Quod & in Sententia cccxxiii, Proſper poſuit.

VI. Ex his omnibus locis id, quod probare inſtituimus, apparet, motum omnem bonæ voluntatis, quo ab ſtatu peccati ad Deum, ac ſalutem attrahimur, quamlibet exiguum, & imbecillum, ex vera, propriéque dicta medicinali eſſe Chriſti gratia: ipſúmque adeò velut rudimentum, & inchoationem bonæ voluntatis, qua ſanari volumus, aut credere incipimus: ac non tantùm firmiorem illum caritatis affectum, quo juſtitiam utcumque diligimus. Hoc enim quæ allata ſunt Auguſtini loca perſpicue ſignificant. Quibus nunc unum alterúmve ex eodem adjiciemus. Primus erit ex duodecimo capite libri de Prædeſtinatione Sanctorum; ubi poſt longam adverſus Maſſilienſes diſputationem; qui primam bonæ voluntatis impulſionem, qua ſanitatem appetimus, aut credere volumus, ex Chriſti gratia provenire non putabant; universè declarat, qualem adverſus illos gratiam neceſſariam eſſe defenderit. Sed omnis, inquit, *hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, verè eſſe gratiam, id eſt, non ſecundùm merita noſtra dari, quamvis evidentiſſimè divinorum eloquiorum teſtimoniis aſſeratur,* &c. Igitur gratia illa, de qua hactenus contra Maſſilienſes potiſſimùm certaverat, non eſt alia, quàm Chriſti gratia, & hæc ipſa proinde primam, de qua hìc nos agimus, gratiam, & initium fidei, ac bonæ voluntatis amplectitur.

Item in Epiſtola * cv docet neminem liberari ab ullo * To. 2. pag. 170. B 2. peccato, vel originali, vel proprio, *niſi gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm remiſſione peccatorum; ſed priùs ipſius inſpiratione fidei, & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu, & effectu.*

VII. Idem docet & Auguſtini diſcipulus Proſper variis in locis; è quibus paucos hic referam. * In libro * Proſp. pag. 368. contra Collatorem, hunc ipſum redarguit, quod diceret; *Non poſſe quidem hominem per ſemetipſum apprehendere ſanitatem; ſed habere eum à ſemetipſo deſiderium ſanitatis, & ſua tantùm ſponte venire ad medicum; non etiam hoc ipſum medici eſſe quòd veniat.* Hoc illud primum ſalutis eſt initium, & primus ægræ voluntatis conatus, quem cùm Maſſilienſes, ut in epiſtola ſua Proſper alius ad Auguſtinum ſcribit, Chriſti gratiæ non imputarent, ſed naturæ viribus; Auguſtinus ad eamdem gratiam pertinere contendit, ut initio capitis dixi. Cui conſentaneus eſt Proſper ille contra Collatorem ſcribens; ac tam initia, quàm incrementa gratiæ uni eidémque medico tribuit. *Cujus* (peccatoris) *ſalus prima eſt,* inquit, *ut ſibi incipiat diſplicere, & vetuſtatem ſuæ debilitatis odiſſe. Sequens verò eſt, ut & ſanari deſideret, & à quo ſananda ſit, noverit. Quæ curationem ipſius ſic præcedunt, ut ei ab illo, qui ægram ſanaturus eſt, inſerantur. Ne cùm ei ullo modo hæc ineſſe poſſint, merito videatur ſalvata, non gratia.*

Et in Reſponſione ad capitulum ſextum Gallorum, hominem ait *ex impio pium factum nullo præcedente bono merito accipere donum, quo medio adquirat & meritum: ut quod in illo inchoatum eſt per gratiam Chriſti, per induſtriam liberi augeatur arbitrii.*

Rurſus in * libro contra Collatorem adſtruit, *huma-* * Ib. p. 389. *nam animam ſic ædificari in Dei templum, ut non accipiat* * 1. Cor. 3. 8. * *fundamentum, præter quod aliud nemo poteſt ponere, quod eſt Chriſtus Jeſus. Quando autem hoc fundamentum incipitur, niſi quando fides in audientis corde generatur?* Ac ſtatim idipſum probat, nimirum nullam virtutem, neque bonum animi affectum aliunde initium habere, quàm ex gratia; quia timor Domini donum Dei eſt, & ſapientiæ principium. *cùm ergo timor Dei principium ſit ſapientiæ; quæ virtus haberi poteſt ſine ſapientia, cujus ex timore principium eſt?*

CAPUT IV.

Auguſtinum ſæpè, cùm de gratia Chriſti medicinali loquitur, ſolam intelligere robuſtam & actuoſam, non autem initialem, & rudem. Ex quo Anonymi ingens ortus eſt error.

I. Tertium nobis ſupereſt caput ad conſequentis uſum diſputationis imprimis opportunum: Plerumque Patres, maximè vero omnium Auguſtinum, cùm de gratia Chriſti medicinali, ac novi Teſtamenti propria,

propria, & à Pelagianis negatâ contra eos diſputant, ſolam exprimere gratiam poſterioris generis ex duobus, quæ * ſuprà conſtituimus; [* Lib. 1. c. 5. & hujus c. 2.] nempe actuoſam, & operis effectricem; non autem prioris generis alteram, initialem, ac rudem; aut ad operandum certè nondum ſatis virium habentem. Quod quidem, ut ad frangendam Armacanorum pervicaciam incredibiliter juvat, aliquot Auguſtini munitum, corroboratúmque ſententiis, in omnium oculis, & clariſſima quadam luce ſtatuam.

II. Persuadent hoc apprimè loca illius omnia, quæ in libro decimo de Deo, capite vigeſimo ac vigeſimoquinto, & hujus libri capite ſeptimo ad hoc attuli, ut adverſus novos Dogmatiſtas oſtenderem, legi veteri auxilium aliquod annexum fuiſſe gratiæ; quod in eum finem lata eſſe diceretur; [* Aug. epiſt. 95.] * *ut peccatum agnoſceretur, & ſic adverſus victoriam peccati ad divinam gratiam, quæ in promiſſionibus eſt, confugeretur. Ut ad liberationem quærantur promiſſa Dei, quod eſt gratia Dei.* [* Aug. Ser. 12. de ver. Apoſt.] * Item, *ut volentes legem ſuis viribus exequi, nec valentes, cogantur ad gratiam.* Rurſus; *Ad hoc data eſt lex*, ait * [Proſ. Sent. 321.] idem Auguſtinus, *ut convinceretur languidus, & medicum imploraret: ut convincerentur peccatores, & ad gratiam accipiendam medicum implorarent.* [* Tract. ad Pſal. 102.] Tum, *Ut creſcente peccato, humiliarentur ſuperbi, humiliati confiterentur, confeſſi ſanarentur.* Necnon, *ut per mandati notitiam infirmitatis ſuæ ſibi conſcius fiat, & adjutorium gratiæ medicinalis expoſcat*, ait [* Lib. 2. de veris. Præd.] * Fulgentius. Quibus omnibus ex locis, aliiſque quæ illic excerpta ſunt, & quæ paſſim Auguſtinum legentibus occurrunt, duo illa perſpicuè colliguntur: alterum, legi veteri adjunctam eſſe medicinalem Chriſti gratiam, cujus ope territi, humiliati, confeſſi ſanari vellent, & obtinendæ ſanitatis concepto deſiderio, ad medicum, ejuſque miſericordiam confugerent. Alterum, gratiam illîc ab Auguſtino ſimpliciter nominari pleniorem, robuſtioremque gratiam; ad quam per initialis adjumenta gratiæ pervenitur. Gratiam enim abſolutè poſtulari expoſcique docent illa loca: tum ad gratiam cogi, ac confugere territos, humiliatóſque peccatores: gratiam ab illis quæri, & optari: & his alia ſimilia, quæ de prima, & initiali gratia intelligi ſine Pelagiana labe nequeunt. Neceſſe eſt igitur, ut, quod demonſtrare volumus, gratiæ nomine ſolam complexus ſit Auguſtinus firmiorem, & præcepti operis effectricem.

III. Inipsum innumera loca teſtantur, quibus idem Auguſtinus per fidem, hoc eſt per primum, ac ſine ullis meritis conceſſum auxilium Chriſti, mereri nos, [* P. 182.] & impetrare gratiam aſſerit. Sic in * Epiſtola cvi. *Fidem* ait *mereri gratiam operandi.* Item, *per fidem impetrari gratiam, & juſtificationem.* Plura ejuſdem generis teſti[* Cap. 10. parag. 6.]monia citata ex Auguſtino reperies in libro * decimo Tomi primi, & in * libro de hæreſi Pelagiana. [* Cap. 10. parag. 4. Tom. 3.] Quibus in locis gratiam Chriſti ſolam interpretatur operatricem, & valentem, quæ antecedente gratia, & parto per hanc merito comparatur. Ad hæc, ſæpiùs Auguſtinus, cùm de gratia Chriſti adverſus Pelagianos diſputat, eam vocat dilectionem, & caritatem, nec qualemcumque, ſed qua operemur, & legem ſervemus, quod ſine gratia non poſſumus. Hujus generis cùm infinita ſint exempla in libris Auguſtini, pauca hîc in ſpecimen afferam. Libro quarto ad Bonifacium capite v, Pelagianam gratiam cum Catholica comparans, illam cognitione ſola, hanc operum efficientia metitur. *Legem quippe diverſis*, ait, *locutionum modis, & varietate verborum in omnibus diſputationibus ſuis volunt intelligi gratiam; ut ſcilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea, quæ facienda ſunt, noverimus: non inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus: quæ propriè gratia eſt. Nam ſcientia legis ſine caritate inflat, non ædificat.* Hîc Auguſtinus Chriſti gratiam veram, & propriè dictam, quam Pelagiana impugnabat hæreſis, ait eſſe caritatem non tenuem, & imbecillem, ſed vegetam, efficacem, & operatricem.

[* Cap. 11. & 40. & aliis.] Rurſus Auguſtinus in * libro de Natura, & Gratia, Pelagianam gratiam refellens, eique Chriſtianam opponens, illam ait in poſſibilitate benè agendi, & cavendi peccandi ab illis conſtitui; ſed naturaliter inſita, hoc eſt in libero arbitrio: alteram verò, in alio genere poſſibilitatis conſiſtere, quæ eſt gratia, Chriſti adepta meritis, ſive caritas, aut voluntas hominis adjuta per Dei gratiam. [* Ibid. cap. 40.] *Si * enim poſſibilitas naturalis*, inquit, *per liberum arbitrium, & ad cognoſcendum quomodo vivere debeat, & ad benè vivendum ſufficit ſibi, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis.* Et capite xlii, *Neque de ipſa poſſibilitate contendo*, inquit, *cùm ſanata, & adjuta hominis voluntate, poſſibilitas ipſa ſimul cum effectu in ſanctis proveniat; dum caritas Dei, quantum pleniſſimè natura noſtra ſana, atque purgata capere poteſt, diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Vides ut propriè dictam, & germanam Chriſti gratiam in benè vivendi, & operandi poſſibilitate ſitam, caritatem eſſe cenſeat, quæ eſt plenitudo legis, & in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum diffunditur.

IV. Sic in * libro de gratia Chriſti, [* Vide cap. 3. & ſeq.] de eâdem poſſibilitate diſputat; Pelagiana ſcilicet, quæ in naturali rectè vivendi poteſtate poſita eſt; & Catholica, quæ eſt * gratia [* Ib. cap. 3.] *hominem adjuvans, ut declinet à malo, & faciat bonum, non ſolùm revelando, & oſtendendo quid fieri debeat, ſed etiam cooperando, & dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe cognoverit, faciat.* Ergo talis ab illo definitur Chriſti gratia, quæ non ſolùm demonſtrat quid facere oporteat; ſed etiam adjuvat ut poſſit fieri.

Et in libro de Spiritu & Littera, capite xxv, de veteris, ac novi Teſtamenti differentia, & utriuſque proprio adjumento loquens; *Cùm igitur hæc appareat*, inquit, *diſtantia veteris & novi Teſtamenti, quòd lex ibi in tabulis, hîc in cordibus ſcribitur; ut quod ibi forinſecus terret, hîc delectet interinſecus; ibique fiat prævaricator per occidentem litteram; hîc dilector per vivificantem ſpiritum: non ideò dicendum eſt, quòd Deus adjuvet nos ad operandam juſtitiam, atque operetur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate, quia præceptis juſtitiæ forinſecus inſonat ſenſibus noſtris; ſed quia intrinſecus incrementum dat, diffundendo caritatem in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Talem ecce novi Teſtamenti gratiam definit, qua per vivificantem ſpiritum dilectores ſumus, & ad operandam juſtitiam adjuvamur, *diffuſa caritate in cordibus noſtris.*

Et in eodem libro, ſub finem capitis xxvi, *Hoc eſſe* dicit *pertinere ad Teſtamentum novum, legem Dei habere, non in tabulis, ſed in cordibus ſcriptam: hoc eſt, intimo affectu juſtitiam legis amplecti, ubi fides per dilectionem operatur, quia ex fide juſtificat gentes Deus.* Itaque propria novi Teſtamenti gratia, eſt fides, quæ per caritatem operatur.

Item * in libro de Fide & Operibus, capite xxiii, [* To. 4. pag. 34.] *Ab hoc*, inquit, *reatu graviore liberat gratia Spiritus ſancti per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quæ diffuſa caritate in cordibus noſtris, donat juſtitiæ delectationem, qua immoderatio concupiſcentiæ ſuperetur.* Non minùs hîc plena, fortis, ac victrix denique concupiſcentiæ gratia perhibetur. Tum in libro de gratia Chriſti, capite xxvi. *Ac per hoc*, inquit, *gratiam Dei, qua caritas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omninò nihil boni ſine illo, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.*

Sic * Concilium Africanum, [* Tom. 1. Conc. p. 866.] quod Milevitanum perperam inſcribi ſolet, canone iv. *Quiſquis dixerit*, inquit, *eamdem gratiam Dei, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, ut ſciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema ſit.* Vide ut gratiam Chriſti talem conſtituat, qua mandata ſervare Dei, & operari valeamus.

Sed infinita propè eſt ſimilium teſtimoniorum copia, tam apud Auguſtinum, quàm in Proſperi, aliorúmque libris, qui Pelagianam hæreſim oppugnarunt, ac de Chriſti gratia commentati ſunt.

V. Quo quidem in loco, mira eſt Apologiſtæ, totiúſque adeò ſectæ Armacanorum incogitantia; qui in Chriſti definienda gratia fœdo, & inextricabili errore ſunt lapſi, ac denſiſſimas ſibi nebularum tenebras obduxerunt, è quibus eluctari, ac proripere ſe, ſine manifeſto fidei Catholicæ periculo, ac diſpendio nequeunt. Quam enim unicam, & propriè dictam Chriſti gratiam eſſe jubent, eam iis Auguſtini ſententiis, & hujuſmodi argumentis approbant, quæ hoc affirmare cogunt; nullam eſſe gratiam novi Teſtamenti præter robuſtam, & actuoſam illam, qua mandata Dei ſervare, & quæ iis præcipiuntur proximè exequi poſſimus. Ex quo quæ in

illos

Digitized by Google

illos recidunt incommoda, & abſurda, poſtea demonſtrabimus. Nunc iſtorum rationes expromendæ ſunt, & ad Catholicam regulam exigendæ.

CAPUT V.

Armacanos nullam Chriſti gratiam medicinalem agnoſcere aliam quàm caritatem, hoc eſt perfectam, demonſtratur ex quinque argumentorum locis, quos in eam rem afferunt.

I. QUINQUE locos argumentorum ſuprà capite primo percenſuimus, quibus Armacani gratiæ Chriſti medicinalis in eo ſitam eſſe rationem probant, ut ſit *caritatis inſpiratio, qua fiat, ut Deum verè, ſincerè, & ut oportet diligamus.* Ex illis primus locus eas Auguſtini ſententias colligit, *quæ gratiam, de qua S. Auguſtinus ſatagit, & de qua propriè cum Pelagianis controverſia fuit*, eam eſſe demonſtrant, *qua fit ut homo, qui antè fuit voluntatis malæ, habeat voluntatem bonam.* Hanc porrò malam, bonámque voluntatem ita deſcribit citatus ibidem Auguſtinus libro ſecundo de peccatorum meritis, & remiſſione, cap. XVIII. *Quocirca quòd à Deo nos avertimus, noſtrum eſt; & hæc eſt voluntas mala: quòd verò ad Deum nos convertimus, niſi ipſo excitante, & adjuvante non poſſumus; & hæc eſt voluntas bona.* Hinc eſſe conſequens dico, gratiam, ſive adjutorium medicinale gratiæ Chriſti, de quo lis inter Auguſtinum, & Pelagianos fuit, nullum aliud eſſe, quàm perfectam caritatem, quâ ſuper omnia diligitur Deus, quæque peccandi voluntatem, & affectum excludit omnem. Etenim ſi nulla eſt alia Chriſti gratia, præter eam, quâ Deum, *verè, ſincerè, & ut oportet diligimus*; quæ eſt caritas, ſive bona voluntas: cùm eadem *bona voluntas* ſit ejuſmodi, quâ à peccato nos avertimus, & ad Deum nos convertimus; quemadmodum mala voluntas eſt, qua nos à Deo avertimus, & ad creaturam convertimus; ſequitur hanc ipſam averſionem à peccato, & converſionem ad Deum, ab ea effici gratia, quæ ſola medicinale Chriſti auxilium dicitur: & quæ illo caret effecto, non eſſe Chriſti gratiam: hoc, inquam, Armacana iſta doctrina, & ratiocinatione neceſſariò concluditur. Atqui *vera, ſincera, & qualem eſſe oportet*, averſio à peccato, & converſio ad Deum, omnem peccati affectum, ac malam voluntatem ex animo ejicit. Si enim peccare adhuc delectat, & peſtiferæ cujuſpiam voluptatis nexibus irretitus, ac conſtrictus tenetur, neque verè, ac ſincerè, nec ut oportet aut à peccato eſt averſus, aut ad Deum converſus. Quare nondum vera eſt adjutus Dei gratia; quæ ſola veram iſtam converſionem efficit; cùm nulla ſit, ex novo illo dogmate, quæ non revera hoc efficiat, hoc eſt efficax ſit. Quicumque ergo motus eſt animi, qui peccatorem ad Deum perfectè non convertit, nec avertit à peccandi affectu: quod plenæ eſt ac perfectæ voluntatis, id eſt caritatis: alienus eſt à medicinali adjutorio Chriſti.

II. RURSUS ad ejuſdem conſtituendam gratiæ proprietatem, quæ eam à Pelagiana diſtinguit, Auguſtini teſtimonium affert, quod illam eſſe bonam voluntatem indicat, ſive caritatem. Cùm enim Pelagius * *poſſibilitatem non peccandi*, ſive * *gratiam, ſine qua nihil boni poſſumus facere*, quæ eſt Chriſti medicinalis gratia, in natura, & libero arbitrio collocaret, ut refert * Auguſtinus: hic ex adverſo pro Catholica fide ſtans, eam *poſſibilitatem* * contendit eſſe *Chriſti gratiam*, ſive *voluntatem hominis adjutam per Dei gratiam.* Quod latiùs diſſeruimus in libro * decimo Tomi primi de Deo. Jam verò gratiam illam, ſive poſſibilitatem, quam Pelagianæ veram, & Catholicam opponit, idem Auguſtinus ejuſmodi eſſe declarat, *qua quæ ſunt facienda facimus.* Sic enim loquitur in libro de hæreſibus, capite LXXXVIII, *Illam verò gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura; ad hoc tantùm exiſtimantes ipſum adjuvantem per ſuam legem atque doctrinam, ut diſcamus quæ facere, & quæ ſperare debeamus. Non autem ad hoc per donum Spiritus ſancti, ut quæ didicerimus eſſe facienda faciamus.* Hic ergo gratiam Chriſti ita definit, ut ſit efficiens operum bonorum; vel quæ poſſibilitas eſt * *ut à malo declinemus, bonúmque faciamus.* Quam cùm naturæ, ac liberi arbitrii viribus imputaret Pelagius, hoc eſt gratiæ, quam ſolam neceſſariam putabat, & quæ Pelagiana propterea vocatur; Auguſtinus veræ & Catholicæ gratiæ tribuendam exiſtimat: hoc eſt interiori auxilio, & motioni voluntatis, quæ ex Chriſti meritis confertur. Quidquid enim illud eſt boni, & ad ſalutem pertinentis, ad quod neceſſarium Dei auxilium, & gratiam Pelagius ſolam hominis naturam eſſe dicebat; ad hoc ipſum aſſequendum, præter naturam, propriè dictam Chriſti gratiam requiri, pugnabat Auguſtinus. Quare cùm Pelagius boni operis effectionem nominatim determinet, cum uſum illius, quam agnoſcebat, neceſſitatémque gratiæ commendat: Auguſtinus ex adverſo illam eamdem boni operis efficientiam Chriſti gratiæ ſubjicit, pleriſque omnibus iis locis, unde argumenta petunt Armacani, quibus genus conſtitutæ à ſe gratiæ, ac proprietatem approbant.

* Auguſt. de geſt. Pelag. cap. 10.
* Idem de hær. c. 8. To. 6. p. 24. B
* Lib. de Nat. & Grat. c. 10. & 11. & 45. & 51. Item lib. de Gr. Chr. cap. 4.
* Auguſt. de Nat. & Gr. cap. 42.
* To. 1. lib. 10. cap. 16. §. 14. & ſeq.
* Lib de Grat. Chr. cap. 5.

III. HOC ipſum ſuadet etiam locus alius, qui ex libri de gratia Chriſti capite XVIII ab iiſdem Armacanis profertur. Ibi Pelagium refert, poſſibilitatem boni vel mali faciendi à Deo inſitam, in natura, & voluntate poſuiſſe; *velut quamdam radicem fructiferam, atque fecundam, quæ ex voluntate hominis diverſa gignat, & pariat; & quæ poſſit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel ſentibus horrere vitiorum.* Eo Pelagianæ gratiæ conditio, efficientiáque propria, & illud ipſum, ad quod neceſſariam eam eſſe ſentiebat: nempe laudabiles actiones, & opera virtutum. Hunc reprehendit Auguſtinus, *quòd unam, eamdémque radicem conſtituit bonorum & malorum, contra Evangelicam veritatem, doctrinámque Apoſtolicam. Nam & Dominus*, * *nec arborem bonam dicit poſſe facere fructus malos, nec malam bonos. Et * Apoſtolus Paulus, cùm dicit radicem malorum omnium eſſe cupiditatem, admonet utique intelligi radicem bonorum omnium caritatem.* Tum quid vera ſit gratia contra Pelagium explicans, ait duas illas arbores eſſe duos homines, *bonum & malum.* Porrò *quid eſt bonus homo*, ait, *niſi voluntatis bonæ, hoc eſt arbor radicis bonæ? Et quid eſt homo malus, niſi voluntatis malæ, hoc eſt arbor radicis malæ?* Eſt igitur gratia Chriſti, Pelagianæ oppoſita, *voluntas bona*, quæ eſt caritas, eadémque *bona* eſt *arbor, quæ fructus bonos facit. Fructus autem harum radicum, atque arborum* (ait Auguſtinus) *facta ſunt, dicta ſunt, cogitata ſunt, quæ bona de bonâ voluntate procedunt, & mala de mala.* Quare gratia Chriſti, quantum ex illo Auguſtini loco colligitur, ex quo veræ Chriſti gratiæ naturam, & proprietatem Armacani probare ſtudent, ſola eſt ea, quæ opus bonum efficit; non illa imperfecta, & inchoata, quæ in ſola rudi adhuc, & imbecilla voluntate conſiſtit. Nam & Chriſtus in illo Matthæi loco, ubi arboris bonæ meminit, quam gratiam & caritatem cum Auguſtino interpretantur Armacani, fructus illi tribuit bonos, & ad uſum utiles, nec ſolis eſt floribus, quaſi rudimentis fructuum, initiiſque contentus, nedum ſoliis; ſed maturis, & edulibus pomis, quæ ſine ullo temporis diſcrimine requirere ſe & exigere, in figuratâ * illa fici damnatione ſignificat. Inſtar enim foliorum, quæ ſola in ficu reperit, aut ad ſummum florum, primus ille eſt voluntatis impetus, nonnulla boni capeſſendi, vel peccati fugiendi cupiditate perſtrictæ; quale eſt initium bonæ voluntatis, ac fidei, quod in naturæ, ac liberi arbitrii poteſtate Maſſilienſes conſtituebant: contra quos in libro de Prædeſtinatione Sanctorum diſputat Auguſtinus. Hoc enim primum eſt ac rude deſiderium recuperandæ ſanitatis: quales ii ſunt arboris fructus, qui hanc ab exciſione, & incendio liberare nequeunt: de quibus in illo ipſo capite, ac ſermone de arbore bona & mala, ita loquitur * Chriſtus: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Ecquis ergo fructus bonæ arboris proprius? *Sed qui facit*, inquit, *voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt.* Itaque gratia illa Chriſti, de qua loquitur Auguſtinus iis in locis, quos citat Armacanus, non eſt quælibet motio voluntatis, ſed efficax, actuoſa, vegeta, firma, operúmque bonorum, ac perfectorum ferax.

* Mat. 7. 17.
* 1. Tim. 6. 10.
* Mat. 21. 19. & Mar. 11. 13.
* Mat. 7. 21.

IV. TERTIUS eſt locus argumentandi, quo gratiam Chriſti medicinalem Armacani probant veram eſſe propriéque dictam caritatem; quòd Auguſtinus *gratiam Chriſti medicinalem docet eſſe ſuavitatem, qua fit ut diligamus Deum.* Quippe *gratia illius confeſſionem à Pelagianis quærit, qua fit ut peccata caveantur, tentationéſque ſuperentur.* Hinc autem, & ex omnibus Auguſtini ſenten-

tis, quas ad illud adſtruendum colligunt, idipſum, quod hactenus pugnamus, efficitur, nullam eſſe medicinalem Chriſti gratiam, præter robuſtam, firmam, & operum molitricem caritatem; initialem autem animi affectum, qui in ſola voluntatis, eáque rudi, & imbecilla motione conſiſtit, non eſſe gratiam Chriſti. Etenim talem iſti caritatem quærunt apud Auguſtinum, ejúſque verbis, & auctoritate conficiunt, *qua & peccata caventur, & tentationes ſuperantur.* Quod profectò non cujuſcumque caritatis officium eſt, ſed actuoſæ, ac Deum omnibus anteponentis, non inchoatæ, nec perfectum adhuc robur adeptæ. Nec aliud Auguſtini teſtimonia præ ſe ferunt, quæ ab illis citantur. Ut quod in Epiſtola LXXXIX ſcribit: *Qui autem ſic audiunt quod ait lex; Non concupiſces, ut hoc quia didicerint, ſufficere ſibi arbitrentur, nec adjutorio gratiæ Dei ad faciendum quod juſſum eſt dari ſibi virtutem credant, & petant, ad hoc eis lex ſubintravit, ut abundaret delictum.* Quodnam aliud gratiæ, ac caritatis genus indicatur his verbis, niſi perfectæ, & ad operandum efficacis, ac ſtrenuæ? Tum paucis interjectis, ejuſmodi *gratiæ benignum adjutorium* opponit Pelagianæ gratiæ, *quod ad faciendam juſtitiam, dato legis præcepto neceſſarium eſt.* Inde hanc ipſam *caritatem* ait *eſſe plenitudinem legis.* Eòdem pertinet quod ex initio epiſt. XCIV ab illis profertur, ubi ait Auguſt. *novam quamdam hæreſim, & inimicam gratiæ Chriſti contra Eccleſiam Chriſti conari inſurgere, hominum ſcilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere poteſtatis, ut hoc ſolum ad Dei gratiam pertinere contendant, quòd cum libero arbitrio, & non peccandi poſſibilitate creati ſumus, & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus. Ceterùm ad eadem mandata ſervanda & implenda nullo divino adjutorio nos egere.* Et hic locus gratiam Chriſti ſolam hanc exprimit, qua mandata ſervare, & implere poſſumus.

V. Ita quartum genus argumenti eamdem commendat gratiam, actuoſam ſcilicet, & operum effectricem, cùm ex Auguſtino probare ſtudent Armacani, illud eſſe *verum adjutorium Chriſti, quo divinitus adjuvamur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, quibus duobus univerſa juſtitia hominis comprehenditur.* Idque omnes Auguſtini ab illis prolatæ ſententiæ confirmant. Ut quæ ex libro de Spiritu & littera, fine capitis XIV proponitur. *Mandatum ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter: & ideo non fit. Non enim fructus eſt bonus, qui de caritatis radice non ſurgit. Porrò autem ſi adſit fides, quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi,* &c. Hic ſi gratia Chriſti *in amore juſtitiæ,* & *fide per dilectionem operante* ab Auguſtino ſignificatur, & *in fructum ferente caritate:* profectò quæcumque hoc ex loco, & ceteris, quæ ſunt ſimilibus concepta verbis, medicinalis gratia Chriſti, ac Pelagianæ oppoſita conficitur, operatrix eſt, & fructifera; nec alia dici Chriſti gratia debet, niſi quæ operis eſt effectrix, hoc eſt adulta jam & robur adepta. Sic qui ab iiſdem Armacanis affertur locus ex Epiſtola Auguſtini CXX, nullam aliam, niſi perfectam caritatem ſonat, expultricem timoris, & concupiſcentiæ domitricem, ac legis obſervantem, id eſt præceptorum operum executricem, ut & alia ex Auguſtino eodem adjuncta loca demonſtrant.

VI. Idipſum quinto ex argumentorum capite, & ad hoc adſcriptis Auguſtini teſtimoniis apud Dogmatiſtas, oſtenditur. Siquidem *illud ſolum, unicum, & verum gratiæ Chriſti, & gratiæ novi Teſtamenti adjutorium, contra naturam, legem, doctrinam, præcepti cognitionem, peccati remiſſionem diſtinctum; illud, inquam, quo dilectio juſtitiæ, ſeu caritas diffunditur in cordibus noſtris, ut ex iſta Dei dilectione præcepta faciamus,* quærere ſe, & ex Auguſtini locis demonſtrare profitentur. Hoc autem non quodlibet eſt auxilium gratiæ, vel voluntatis impulſio; ſed ejuſmodi planè, quod vegetum ſit, ac firmum, atque perfectum.

Non aliud ſignificant Auguſtini ſententiæ omnes, quibus ad hujuſmodi probandam gratiam utuntur, quæ partim ex libro de ſpiritu, & littera; partim ex libro de gratia Chriſti petitæ ſunt: paucæ ex aliis libris exceptæ. Omnes autem eò conſpirant, ut Chriſti gratia ſit adjutorium validum ac perfectum, quo non ſolùm velimus quod bonum eſt, ſed etiam operemur. Sic enim in libro de ſpiritu & littera, capite XXV, gratia Chriſti, ſive novi Teſtamenti, in eo poſita dicitur, *quòd Deus adjuvet nos ad operandam juſtitiam,* &c. *diffundendo caritatem in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et capite XXVI, *Eamdem gratiam in eo definitam ait, ut ſcribantur leges Dei in cordibus hominum,* &c. *Hoc donum Spiritus ſancti eſt, quod diffundit caritas in cordibus noſtris: caritas non qualibet, ſed caritas Dei de corde puro, & conſcientia bona, & conſcientia non ficta.*

In Libro porrò de gratia Chriſti, Pelagium redarguit, quòd Deum neget adjuvare hominem, * *dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe noverit faciat.* Et in quinto, ac ſexto capite, talem deſcribit eamdem gratiam, qua adjuti reipſa, & *actu ipſo,* ut loquuntur, operamur. *Qua gratia* (inquit capite XII) *agitur non ſolùm ut facienda noverimus, verumetiam ut cognita faciamus.* Hoc idem *adjutorium bene agendi adjunctum naturæ, atque doctrinæ, per inſpirationem flagrantiſſimæ, & luminoſiſſimæ caritatis,* in ſcriptis Pelagii *non apparere omnino* queritur capite XXXV. Tale, inquam, auxilium, *quo adjuvetur mens hominis ut id, quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione, & actione perficiat,* ait capite XLI. Cui conſentanea ſunt ab illis prolata cetera Auguſtini teſtimonia: tum verò Concilii Carthaginenſis canon quartus, qui falsò Milevitano tribuitur; in quo *gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum propter hoc adjuvare nos* dicitur, *ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.*

* Lib. de Gr. Chr. cap. 3.

CAPUT VI.

1. *Repetuntur ſummatim quæ in prioribus capitibus diſputata ſunt, ac peſſimè de gratia Chriſti ſentire Auctores oſtenditur, qui eam perfecta caritate circumſcribunt.* 2. *Idque perperam Auguſtini auctoritate defendere.* 3. *Quod ut probetur, explicatur paucis Pelagiana hæreſis.* 4. *Tum Semipelagiana.* 5. *Contra priorem diſputans Auguſtinus gratiam ea notione ſumpſit, qua eſt operum effectrix.* 6. *Contenduntur inter ſe gratia ab Auguſtino tradita, & Pelagiana.* 7. *Et illuſtrantur.*

I. DUo ſunt, quæ ſuperioribus libri hujus quinque capitibus explicare, ac non indoctis hominibus probare volui; & quod volui, prorſus confido me eſſe conſecutum. Alterum fuit, Auguſtini teſtimonia, quæ ab Armacanis antiquæ legis hoſtibus ad declarandam veram, & unicam Chriſti gratiam in medium allata ſunt, pleraque omnia gratiam illam ſignificare, ac prædicare Chriſti, quæ operum bonorum efficientiam, & eorum, quæ lege præcepta ſunt, exequendorum vim homini, robúrque ſufficiat. Alterum, peſſimè iiſdem ex locis ratiocinari Armacanos iſtos, qui *propriè dictam Salvatoris gratiam, prout gratia propriè dicta Chriſti à ſcientia diſtinguitur, de qua ſanctus Auguſtinus ſatagit, & de qua propriè cum Pelagianis controverſia fuit,* ſolam eſſe volunt gratiam iſtam, quam ex illis Auguſtini locis eruere, & adverſus communem Theologorum ſenſum vindicare profitentur: nempe, ut ipſi dictitant, *ſolam caritatis inſpirationem, qua fit, ut Deum verè, ſincerè, & ut oportet diligamus.* Hanc enim, quod & ipſi non diſſimulant, Auguſtini teſtimonia illa, quibus utuntur, apertè, unicéque demonſtrant. Atqui falſam, & hæreticam eſſe opinionem iſtam, ſatis conſtare arbitror ex * antecedentibus capitibus: unde eam Semipelagianorum eſſe propriam, vel horum potiùs errore deteſtabiliorem oſtenditur: quoniam primis initiis, rudimentíſque voluntatis, quæ ab Chriſti gratia excipere dimidiati iſti Pelagiani ſolebant, multò præſtantiora, & robuſtiora ſunt effecta illa, quæ ab eo removentur genere gratiæ, quod Armacani ſolum eſſe propriè dictum ex Auguſtini ſententiis aſſeverant: ut in ſecundo, ac tertio capite docuimus.

* Cap. 2. 3. 4.

II. Nec ad ſublevandos novos Dogmatiſtas, & ab conſortio Semipelagianæ fæcis eximendos juvat illud, quod * interdum caritatem iſtam, cui ſoli gratiæ Chriſti medicinalis nomen inſcribunt, non ejuſmodi eſſe dicunt, *qua ſuper omnia diligitur Deus;* ſed nonnumquam tenuem, & ſimpliciorem eſſe, *qua in inferiori affectu hæreat:* Nihil hoc, inquam, illos adjuvat. Nam qualemcumque hunc dilectionis affectum, in quo ſolo propriè dictam Chriſti gratiam conſtituunt, aſſerunt eam eſſe caritatem, *qua verè, ſincerè, & gratis, ex animo, propter ſeipſum, nullius creaturæ, ſed ipſius ſolius intuitu*

* Vide ſup. cap. 1. par. 4.

diligitur

diligitur Deus. Atqui plures voluntatis motiones, quas ad juſtificationem obtinendam ſynodus Tridentina *diſpoſitiones* nominat, affectum illum perfectæ dilectionis antecedunt; & eædem nihilominus ad veram Chriſti gra-
* Cap. 2. & 3. tiam, & auxilia propriè dicta pertinent, uti * ſuprà demonſtravimus.

Deinde quamvis Armacanus igniculos iſtos inchoatæ, necdum perfectæ dilectionis in cenſum referat medicinalis gratiæ Chriſti, & utcumque aliis in locis de vera Chriſti gratiâ loquatur, & ſentiat; tenetur tamen in hoc ipſo, quod quam unicam docet eſſe gratiam Chriſti, & quam ex Auguſtini dictis informare, ac probare ſtudet; ex illis ipſis Auguſtini ſententiis talis ea conficitur, & exiſtit, quæ non rudis, & inchoata ſit, primúſque veluti conatus & impetus emergentis ex peccati ſtatu voluntatis: ſed robuſta & ad operandum efficax, & vegeta illius impulſio. Quam in pleriſque citatis ex Auguſtino teſtimoniis appellari vidimus, *fidem quæ per caritatem operatur*; vel *dilectionem* illam, *quæ eſt plenitudo legis.* Cujuſmodi ſanè non quicumque eſt *caritatis* affectus, nec exiguum, & quaſi adumbratum medicinalis gratiæ lineamentum: ſed maturus jam & adultus gratiæ vigor; qui plenis ac perfectis viribus ad agendum hominem inſtruat, ut ad obſervanda Dei præcepta, & exequenda virtutum officia convaleſcat.

Quamobrem cùm alterutrum horum neceſſe ſit; vel abſurdiſſimè de Chriſti gratia ſcripſiſſe, ac ſibi ipſi contradicere ſanctum Auguſtinum, ſi Armacani bona fide mentem ejus interpretati ſunt; vel iſtos ad hæreſim ſuam roborandam illius auctoritate abuſos eſſe, ſi is in rectè ſentiendo conſtans ſibi fuerit: quis non poſterius hoc præoptet, ac præponat alteri, faciléque det iſtos nihil ad Auguſtini tractationem præter occupatum ſtudio partium animum, ac veritatis inſcitiam attuliſſe? quod ego planum ac perſpicuum, uti ſpero, deinceps omnibus faciam; certa potiſſimùm notatione, animadverſionéque tradenda, qua quidem ad Auguſtini intelligentiam non utili tantùm, ſed etiam neceſſaria, funditus illi caruerunt.

III. Eorum, qui in oppugnanda Chriſti gratia adverſantem ſibi nacti ſunt Auguſtinum, duplex genus omninò fuit: Pelagiani, & qui Maſſilienſes, ac Semipelagiani poſteà vocati ſunt. Sed cum prioribus antiquius, & diuturnius, adeòque pertinacius certamen ille ſuſcepit: cum poſterioribus verò, inclinante jam ætate cœpit confligere; cùm à Proſpero, & Hilario de ſuborta hæreſis Pelagianæ nova illa propagine eſſet admonitus. Quo tempore libros elucubravit duos; unum *de Prædeſtinatione Sanctorum*; alterum, *de dono Perſeverantiæ*: quibus ea complexus eſt, quæ ad Semipelagianos iſtos propriè pertinebant. Igitur ut erant duarum illarum dogmata factionum, & principia, quibus innitebantur; ita quæ adverſus ſingulos diſputavit, ad eorum uſum temperare ſtuduit; & gratiæ Chriſti, de qua contendebatur, qualitatem, efficientiam, ac proprietatem conſtituit. Pelagius gratiæ Chriſti, quæ quidem propriè ſic vocatur, neceſſitatem funditùs, & universè ſuſtulit; aſſerens abſque illa poſſe hominem non converti ſolùm ad Deum; verumetiam perfectum tam honeſtæ, quàm Chriſtianæ vitæ ſtatum, adeóque ſempiternam ſalutem adipiſci: tametſi tum ad regni cæleſtis obtinendam gloriam, Chriſti notitia abſolutè neceſſaria illi viſa ſit: tum ad idem illud aſſequendum, reliqua omnis gratia magis utilis, quàm neceſſaria. Hanc Pelagii hæreſim fuiſſe, teſtis eſt qui id ubique prædicat Auguſtinus. Ut cùm in Epiſtola xciv, *novam quamdam*, ait, *hæreſim inimicam gratiæ Chriſti contra Eccleſiam Chriſti conari exurgere, hominum ſcilicet, qui tantum audent infirmitati humanæ tribuere poteſtatis, ut hoc ſolum ad Dei gratiam pertinere contendant, quòd cum libero arbitrio, & non peccandi poſſibilitate creati ſumus, & Dei mandata, quæ à nobis implerentur, accepimus. Ceterùm ad eadem mandata ſervanda, & implenda nullo divino adjutorio nos egere.* Sic Epiſtola Synodica Concilii Carthaginenſis, quæ inter Auguſtinianas nonageſima cenſetur, aſſerit, hæreſim eamdem nullam *aliam Dei gratiam* agnoſcere, præter *voluntatem* hominis *propriam, quâ legem Dei poſſit implere.* Et, *nullum relinquere locum gratiæ Dei, qua Chriſtiani ſumus.* Et
* Hier. ad Cteſiph. col. 814. * Hieronymus Pelagianos ait negare, *liberum arbitrium, Dei niti auxilio, illiúſque per ſingula ope indigere.*

IV. Semipelagiani verò ad bene operandum, & ad ſalutem conſequendam neceſſariam confitentes
Vide Tom.

eſſe gratiam, eamdem ad initium fidei; ac bonæ volun- noſtrū
tatis minimè requirebant. Verùm unumquemque puta- 2. lib. de
bant inditis à Deo liberæ voluntatis, ac naturæ viribus Pela; hær.
poſſe ſalutis deſiderium, & initium aliquod fidei conci- cap. 2.
pere: ut ad gratiam conferendam Deus non *opera quærat; ſed fidei noſtræ devotione contentus ſit*; ut ait Fauſtus Rhegienſis libro primo de libero arbitrio, capite ſeptimo, &c. *Sicut enim ad Deum largitio remunerandi, ita ad hominem devotio reſpicit inquirendi*, ait idem. Et paullò pòſt: *Prima itaque vocatio compendium fidei requirit à nobis. Sequentis verò temporis gratia redemptis, ablutis, innovatis, ſedulitatem operis, & curam laborioſæ ſervitutis indicit.* Et, *fidem inſpectat à parvulis: opera etiam cum fide à confirmatis requirit: ita tamen ut credulitatis affectum proficientibus augeat, & laborantibus adjutor quotidianus aſſiſtat.* Tum capite decimo, diſertiùs expreſſiùſque errorem eumdem explicat: ubi inter cetera ſcribit; *ſicut dextram in omni homine ipſe formavit; ſed in poteſtate hominis poſuit, ut eam quò vellet extenderet, & ad diverſa opera conferret; pari modo ſenſum rationis, & arbitrium voluntatis in unamquamque animam inſeruit, inſpiravit, infudit; ſed eam in manu humani conſilii, moderandam, & exercendam reliquit, ejúſque officii juri hominis dominióque commiſit, ut ſi malum depravatus appeteret, in arbitrii libertate permiſſum ſibi ſciret, licere neſciret. Si autem bonum caperet, actionem, & perfectionem ejus à conditore depoſceret, ad mercedem verò illius officioſa devotio pertineret. Et ideo hominis formator, & rector, bona voluntatis homini deputavit uſum, ſibi reſervavit affectum. Non ergo æquum juſtúmque uni velle conceſſit, & alteri denegavit. Sed ſicut omni homini manum, oculum, greſſúmque donavit, ita ſimiliter omni homini voluntatem, ut eam in quamlibet partem verſaret, indulſit.*

V. Adversus utroſque diſputans Auguſtinus, de gratia non eodem modo locutus eſt. Sed contra Pelagianos contendens, gratiam Chriſti generatim, & quàm amplè, latéque patet accepit. Nam qui totam funditus gratiam abnegabant, nec eam ad bona opera, vel ſalutem conſequendam, immo ne ad perfectionem quidem Chriſtianæ virtutis obtinendam, neceſſariam eſſe dictitabant, ſic eos retundendos ſtatuit, ut quod in illorum hæreſi peſtilentiſſimum, ac pernicioſiſſimum erat, id potiſſimùm everteret: cùm hoc probaret, ac doceret, neque bonum opus ullum, nedum perfectum, ſine gratia fieri, nec ad vitam æternam ſine gratiâ Chriſti perveniri poſſe. Satis illud conſtat, Pelagium, ut ſine auxilio gratiæ affatim in libero arbitrio ineſſe virium ad bonam beatámque vitam aſſequendam oſtenderet, eo præſertim argumento uti ſolitum, quòd fruſtrà Deus homini legem, ac præcepta componendæ vitæ, & ad ſalutem comparandam idonea dediſſet, niſi tantum roboris naturæ illius ingenuiſſet, quantum ad ea exequenda ſufficeret. Declarant hoc omnia illa teſtimonia, quæ ex Auguſtino proferunt Armacani, ut qualis ſit gratia Chriſti, illius auctoritate demonſtrent; quorum aliqua ſuperiori capite congeſſimus. Hæc enim gratiæ genus illud oſtentant, quod ad operandum efficax eſt, ac validum: qualis eſt perfecta jam, & corroborata dilectio, non rudis, & initialis, ut ſæpè diximus.

VI. Ut autem meliùs hoc intelligi poſſit, expendendum illud eſt imprimis, quis ſit communis de gratia Chriſtianorum ſenſus: & quæ ſit antecepta illorum mentibus rei iſtius informatio, quam Græci πρόληψιν vocant, cùm de gratia cogitant, aut loquuntur. Nimirum auxilium aliquod Dei ſtatim animo deſcribunt, quo ad vitam laudabiliter inſtituendam, & ad Chriſtianarum officia virtutum, & bona opera præſtanda; ac poſtremò ad æternam vitam comparandam divinitus adjuvamur: quem ad uſum finémque adeo illam neceſſariam agnoſcunt; ut ſine ea boni neque facere aliquid in vita, neque poſt mortem conſequi poſſimus. Hanc Chriſti gratiæ notionem docti indoctique pariter animo verſant; cùm de ea ſermo illis oritur; nec olim Pelagianos inter & Catholicos ulla fuit de iſta communi gratiæ ſignificatione diſſenſio. Verùm in conſtituendo gratiæ, auxiliique genere, ſumma inter utroſque contentione certatum eſt. Ac Pelagius quidem de gratia, ejúſque neceſſitate ſic univerſe ſentiebat, ut multis au-
dientibus aliquando dixit: * *Anathemo qui vel ſentit,* * Pelag.
vel dicit, gratiam Dei, qua Chriſtus venit in hunc mun- apud Aug.
dum peccatores ſalvos facere; non ſolùm per ſingulas horas, lib. 1. de
Gr. Chr.
aut cap. 2.

aut per ſingula momenta, ſed etiam per ſingulos actus noſtros non eſſe neceſſariam: & qui hanc conantur auferre, pœnas ſortiuntur æternas: Cujuſmodi & Catholicorum erat profeſſio. Sed illi gratiæ nomine vel naturam ipſam, & liberum hominis arbitrium, vel peccatorum remiſſionem; vel legis notitiam, ac ſcientiæ revelationem intelligebant; ita ut ad ſublevandam, corroborandámque voluntatem, nullum in eam propriè, ac proximè derivaretur auxilium, quod illius imbecillitatem erigeret, & ad agendum opitularetur. Catholici verò, præter illa cum Pelagianis communia ſibi præſidia, interiora quædam alia requirebant, quæ caritatis, ac dilectionis, vel fidei per caritatem operatæ nomine complecti ſolet Auguſtinus.

VII. Ambo iſta gratiæ genera declarat, & ſibi mutuò opponit Auguſtinus cùm multis in locis, tum in calce epiſtolæ CXLIII, ubi primùm callidam, & ambiguam de Chriſti gratia mentionem à Pelagio factam queritur in epiſtola ad Demetriadem virginem: in qua non ſatis explicabat, cujuſmodi gratiam intelligeret, eámne, quæ ad ſolam ſcientiam, aut externam prædicationem, atque ejuſmodi cetera refertur; an potiùs *tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem* ex ſpiritu ſapientiæ manantem, *qui ſufficiat ad implendam magnitudinem continentiæ*; qualem à Deo poſtulandam ſcivit, impetravítque * Sapiens. Tum ita pergit ſcribere: *Satis enim dici non poteſt, quantum cupiamus in eorum hominum ſcriptis, qui propter acrimoniam, atque facundiam leguntur à plurimis, apertam confeſſionem illius gratiæ reperiri, quam vehementer commendat Apoſtolus, qui etiam ipſius menſuram fidei, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere, ex qua juſtus vivit, quæ per dilectionem operatur, ante quam, & ſine qua omnino nulla cujuſquam bona opera exiſtimanda ſunt, quoniam omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, Deum dicit unicuique partitum. Nec ſola revelatione ſcientiæ nos divinitus adjuvari, ut piè, juſtéque vivamus, quæ ſine caritate inflat; verumetiam inſpiratione caritatis ipſius, quæ plenitudo legis eſt, & quæ cor noſtrum ut ſcientia non inflet, ædificat.*

* Sap. 8. 21.

Hîc perſpicuum eſt, Auguſtinum utramque gratiam Chriſti, quam & Pelagius, & Catholici prædicabant, talem exprimere, qua bona opera fiunt, & virtutum officia præſtantur. Certè veram & Chriſtianam gratiam hujuſmodi Lectoribus objicit, quæ ad *implendam continentiæ magnitudinem ſufficit: & ex qua juſtus vivit; quæ bona opera noſtra* reddit; *quæ plenitudo legis eſt.*

Omitto cetera Auguſtini loca, in quibus duo inter ſe comparantur illa gratiæ genera: quorum haud pauca alibi * collegimus. In quibus omnibus talia opponuntur inter ſe adjumenta gratiæ, quæ Pelagius, & quæ Auguſtinus aſſerebant, ut perfectam utraque caritatem, præ ſe ferant. Meritò id quidem. nam & alioqui uſitata res eſt, & more hominum recepta, ut cùm de naturali aliqua potentia, & facultate, vel de arte, & ſcientia diſputeamus, ac naturam illarum, & efficientiam explicare volumus, eam ex multis uſum illarum, & actionem, effectionémve nominemus, quæ eſt omnium præcipua, & ad quam ceteræ tendunt ac referuntur, velut ad ultimum finem, quæ ejuſdem eſſe poſſunt artis, aut facultatis actiones. Sic medicinam definimus eam artem, quæ ægris corporibus ſanitatem reſtituit, ac morbos depellit. Atqui non ea ſola eſt effectio medicinæ, proximè curare morbos, ac ſanitatem reddere: ſed ſunt alia plurima ejuſdem artis opera, quæ in morbum ipſum, aut ſanitatem nihil ex propinquo actionis exercent; ſed ad principalem efficientiam aliqua ratione conducunt: velut eſt herbas legere, & alia neceſſaria comparare ad morborum remedia, idque ſuis temporibus, ac certis opportunitatibus facere, victum quotidianum, ac diætam præſcribere, explorare venam, ſcrutari corporis temperiem; & id genus infinita alia, quæ cùm ex ſcientia, & præſcripto illius artis adminiſtrentur, nihil tamen in morbum per ſeſe, ſed ex longinquo moliuntur; & ad primarium artis opus apparandum, gubernandum, dirigendum, exequendúmque conferunt. Idipſum de architectura, pictura, & reliquis ferè artibus uſurpare licet. Nam ſi architectura quid ſit, ſive potiùs Græcè, οἰκοδομικὴ τέχνη, roget aliquis, ſtatim reſpondebit, artem eſſe domus fabricandæ. At quàm multa ejuſdem opera præcedere neceſſe eſt, antequam ad ultimum illud, & principale veniatur: Sic picturæ opus eſſe reſpondebimus, corporearum rerum imagines lineamentis, & coloribus exprimere. Dici vix poteſt, quàm multa priùs efficienda pictori ſint, quàm poſtremum illud proximè attingat, & abſolvat.

* Ut in To. 3. lib. de Pelag. hær. cap. 10.

VIII. Hoc ſi ad propoſitum transferatur, incredibile eſt quantam lucem afferat, tum ad univerſum Chriſtianæ gratiæ genus explicandum; tum ad Auguſtini indagandum, eruendúmque ſenſum; tum poſtremò ad Armacanorum caſtigandam licentiam. Intelligimus enim gratiæ nomen, & efficientiam, hoc eſt medicationem animorum, ſic latè patere, uti corporum curationem: ac præcipuum illius opus, & ad quod adhibentur, comparanturque reliqua, eſſe, peccati abſterſa labe & ægritudine, animæ ſanitatem reſtituere. Sed ut eò perveniatur, multa priùs agi, effícique oportere; & rudimentis quibuſdam, inchoationibúſque virtutum, ac certa veluti diſciplina paullatim ad ſummum ultimúmque provehi. Quem progreſſum ſuprà, capite ſecundo, ex Tridentini Concilii auctoritate deſcripſimus.

Quamobrem quod Auguſtinus illis in locis, quæ ad conſtituendam naturam gratiæ Armacani in medium proferunt, iis eam verbis, ac ſententiis circumſcribere videtur, quæ peccati omnis expultricem, & eorum, quæ lex divina præcipit, effectricem, ac perfectè demùm actuoſam illam prædicant, non alio ſenſu prudens quiſque, & non prorſus abſurdus interpretabitur. Minimè omnium, ſi Chriſtianus & Catholicus ſit, ex eo verum putabit eſſe, quod ſoli Armacani ſomniant, nullum aliud Auguſtinum agnoviſſe Chriſti gratiæ genus, vel *medicinale auxilium* novi Teſtamenti; præterquam eximiam ac perfectam dilectionem, qua Deus propter ſe, vel propter ſeipſam juſtitia diligitur. Nec motus animi ceteros, qui affectum illum antecedunt, atque ipſum adeo gehennæ metum, quo à peccandi voluntate initio abſterrentur homines, alienum ab eodem illo genere gratiæ medicinalis ſtatuet, aut ſolis imputabit naturæ viribus. Quod quidem ab Armacanis fieri, & germanos ideo Pelagianos meritò cenſendos eſſe, in ſequentibus demonſtrare pergam.

CAPUT VII.

1. *De metu gehennæ, quem bonum eſſe Catholica fides docet in Tridentino Concilio ſtatuta.* 2. *Armacanorum varia, & hæretica de illo ſententia.* 3. *Quam negant ex Chriſti eſſe gratia.* 4. *Sed ex Tridentino ipſo decreto refelluntur.* 5. *Eorundem aſtus & perplexa ratio.* 6. *Lutheri de eodem metu, & ex eo ſuſcepto dolore damnata opinio.* 7. *Planè eadem quam inſtaurarunt Armacani.*

I. QUI gratiam Chriſti medicinalem, ſola vera caritatis inſpiratione definiunt, nullum illius effectum eſſe judicant, præter dilectionem propriè dictam, qua juſtitia propter ſe, ſive ſuapte cauſa is, qui juſtitia eſt, amatur Deus. Ea novæ ſectæ eſt opinio, quam illius princeps iis verbis complectitur: *Gratia Chriſti tantummodò ad diligendum in cujuſvis præcepti impletione Deum, neceſſaria eſt:* tum aliis, quæ initio libri hujus expoſui. Ex quibus ſequi videtur, pœnæ ac gehennæ metum, & quæ ex eo proficiſcuntur opera, non ex Chriſti gratia derivari; & eo ipſo bona, & honeſta non eſſe: immo mala eſſe potiùs. Quod enim ex caritate non fit, id ex nulla fit virtute: ut eſt eorumdem Armacanorum ſententia; qui virtutem omnem, eſſe caritatem exiſtimant. Quod autem ſine virtute agitur, ſi ex libera voluntate pendet, in malo ac vitio numeratur.

Atqui * Tridentinum Concilium *anathema eſſe* decrevit, *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere.* * Seſſ. 6. can. 8.

Hæc ſynodalis decreti ſanctio novæ ſectæ principes non quidem ad ſanitatem, ac bonam mentem revocare potuit: ſed hoc egit interim, uti ſenſus animi ſui tectiùs, & obſcuriùs expromerent, atque inconſtantia ſermonis, & ambiguitate Lectores in diverſa diſtraherent; quo minus ad intimum eorum, arcanúmque dogma curarent, poſſéntve pertingere.

II. Certa

II. Certe dux illorum & antiſtes, cùm de ea quæſtione diſputat, ſic impeditus, & perplexus eſt, ac ſecum adeo diſconvenit, ut apud hunc, parturientis feminæ nixum moroſa quædam & ſetupuloſa verborum anxietas imitata videatur.

Primùm ille *timorem gehennæ, ſive pænæ in ſe conſideratum, ſive parvum, ſive magnum, ſive remiſſum, ſive intenſum, eſſe utilem ac bonum* fatetur, quòd ita definierit Tridentina Synodus. Verùm paullò pòſt, illam ipſam profeſſionem veri dogmatis quibuſdam additamentis inficit, & ab Synodalis decreti ſententiâ detorquet; quaſi cum adverſariis, quos illo canone confixit Synodus, colludere, ac prævaricari inſtituerit; quod poſteà demonſtrabitur. Nam timorem iſtum gehennæ, ſi in illo hæreatur; hoc eſt, niſi ex caritate proficiſcatur, inordinatum vitioſúmque fieri dicit, cùm ex ſe ſit bonus. Quemadmodum *licita, bonaque eſt*, ait, *voluntas aſſumendi cibi, & potus, appetitus tuendæ ſalutis corporalis, concubitus inter conjuges, ſcientiæ comparandæ ſtudium, & infinita ſimilia: quis tamen ignoret, ab iis, qui in hujuſmodi rerum delectationibus hærent, per quas eis tranſeundum erat, gula, luxuria, curioſitate, vanitate peccari? Nam hoc ipſo, quo in rebus iſtiuſmodi, velut jucundis, ac delectabilibus, animus commoratur, per quas tamquam peregrinus ad patriam, delectationum omnium fontem, tendere debet, nullius alterius malitiæ adjunctione delinquit. Nam iſta, & non alia, eſt omnium perverſitas, fruentium rebus illis, quibus utendum eſt.*

Quin idem poſtea quærit, *utrum timorem ſempiterni interitus & gehennæ Deus immittat homini, an naturaliter ex naturæ viribus fluat.* Cui mox reſpondet: *non videri quemquam poſſe diffiteri, quin Deus eum in animo timentis operetur.* Idque ex * Auguſtino probat, qui *Deo molliente cor hominis* oriri illum docet.

* Lib. Ann. in Job c. 13.

Addit, ſpiritum illum timoris, & ſervitutis Teſtamenti veteris proprium eſſe, ſicut ſpiritus amoris proprius eſt novi. *Uterque tamen* (ait) *à Deo datus, & acceptus. Immo idem ipſe ſpiritus fuiſſe ſignificatur, qui propter diverſos effectus utroque nomine nuncupatus ſit.* Quod ex * Auguſtino quoque demonſtrat.

* Serm. 13. de ver. Apoſt. c. 13. & qu. 55. ſuper Exo.

III. Verum paucis interjectis, negat ex gratia Chriſti timorem iſtum proficiſci. *Quamvis igitur fatendum ſit*, inquit, *Deum in cordibus hominum timorem pœnarum futurarum operari, nullo tamen modo arbitrandum eſt, quòd eum per illam veram Chriſti gratiam, propter quam infirmis hominibus largiendam crucifixus eſt, operatur. Nam iſta gratia effectum prorſus oppoſitum in voluntate facit. Eſt enim inſpiratio cœleſtis delectationis, qua Deus incipit dulceſcere, quem timebat: quaque dulcedine perfuſus animus, jam non formidine pœnæ, ſed juſtitiæ dilectione operatur bonum.* Quare *operatur*, inquit, *Deus pœnarum timorem per aliam longè inferioris notæ gratiam: quæ, poſtquam infixa fuerit in animo judicii divini, ſempiternæque pœnæ fides, fortaſſis gratiam peculiaris cujuſdam, ſive internæ, ſive externæ providentiæ, & operationis non excedit.*

Quocirca eò tandem labitur, ut *timorem pœnæ, & opus juſtitiæ, quod ex timore imperatur, fidem quidem prærequirere* cenſeat, *ſed ea jam in animo radicata, propriè ſtrictéque dictam Chriſti gratiam non exigere, ſed ex proprii arbitrii viribus poſſe proſilire.*

Quòd ſi Deus timorem iſtum ſua providentia in animis peccatorum vel ſemper, vel ſubinde concitet, vel etiam, ſi ita libet, interiùs inſpiret, ea longè alterius rationis eſt, quàm ea Chriſti gratia, de qua hactenus diſſeruimus. Limites enim naturalis providentiæ, quantum ad ſubſtantiam non excedit: cujuſmodi gratiam etiam Pelagiani multis modis agnoverunt, & confeſſi ſunt.

Denique peccatum ex mero timore gehennæ ſic vitari poſſe negat, ut vitando non peccatum aliud admittatur; quandoquidem timori iſti ſemper adjuncta eſt peccandi voluntas, ſi id impunè liceret. Hæc de timore pœnæ ac gehennæ novæ ſectæ patroni, ac principis eſt opinio; quæ ſemetipſam evertit, ac planè ſibi contraria eſt.

IV. Ex his conſiderandum primò iſtud eſt, quod ſic eſſe timorem illum pœnæ indicat, ut eſt veſcendi, ac bibendi voluntas, quæ nec per ſe bona eſt, nec mala; ſed ex genere τῶν ἀδιαφόρων, quæ pro utentis affectione, ac voluntate, bonitatem, ac malitiam capiunt: hujuſmodi videlicet, quæ cum honeſtate, vel turpitudine conjuncta ſit, quam *moralem* vocant. Nam ſi de naturali agitur, talis ineſt illis, qualis in naturalibus appetitionibus reliquis cernitur, quæ nec laude per ſeſe, nec vituperatione dignæ ſunt, ſed mediæ, & indifferentes habentur, ut dixi, ac pro voluntatis uſu, & impulſu, ad genus alterutrum pertinent. Jam ſi eamdem putat eſſe rationem timoris illius, & operis, quod ex eo fit; vehementer fallitur, ac tam à ſeipſo, quàm ab Catholicæ fidei regula diſſentit, quam ipſe ſibi ex Tridentini Concilii canone præſcripſit. Etenim Tridentini Patres de præparationibus illíc agunt, quibus ad juſtificationem, id eſt ſanctitatem, ac juſtitiam capiendam, idonei fiunt homines; quas quidem interiore animi permotione, & inſpiratione conſtare docet, * hoc eſt *per excitantem, & adjuvantem Dei gratiam effici*; *qua convertuntur eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & cooperando: ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agat, inſpirationem illam recipiens; quippe qui & illam abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo liberâ ſua voluntate poſſit.*

* Trident. Conc. Seſſ. 6. cap. 5.

Quod igitur ex illa gratia, & conſentiente voluntate proficiſcitur, neque naturalis eſt, neque indifferens actio, ſed bona eſt & honeſta. Nihil enim, niſi quod eſt hujuſmodi, ex inſpiratione Spiritus ſancti, & gratia poteſt effici. Multò vero minùs malum ac vitioſum illud eſſe poteſt, quod ex afflatu illo, operationéque gratiæ, ac ſancti Spiritus efficitur.

V. In quo quis Armacanorum ἀλογίαν pro merito caſtigare poſſit: qui in ſeipſos turpiter incurrunt, & priora decreta poſterioribus, iiſdémque contrariis evertunt? Poſtquam enim timorem gehennæ *in ſe conſideratum, utilem, ac bonum eſſe* ſtatuerunt, Tridentinæ Synodi auctoritate permoti; mox iſtam ipſam valere jubentes, ac ludibrio habentes auctoritatem ſynodi, eumdem, niſi ex caritate prodeat, hoc eſt niſi id quod erat eſſe deſinat, gehennæ metum vitioſum ac damnandum eſſe decernunt. Atqui de timore illo gehennæ propoſita quæſtio eſt, non qui ex caritate ſuſcipitur, & ab ea imperatur, ac dirigitur. Stulta enim eſſet iſta dubitatio, an ſit bonus; cùm quidquid ex caritate fit citra controverſiam bonum ſit. Sed de hujuſmodi metu dubitatur, ac quæritur, qui citra caritatem, per ſeſe, ac natura ſua, & proprietate cenſetur. Vide enim unde nata, & quemadmodum concepta ſit ab Armacano iſta quæſtio. Dixerat, & latiſſime hactenus probaverat, *gratiam Chriſti medicinalem ad opera ſolius dilectionis, quæ in virtutibus omnibus Chriſtianis implicatur, neceſſariam eſſe.* Ex quo quid movere quempiam poſſit, ita ſubjungit: *Hinc verò dubium alicui ſubnaſci poſſet, quid de operibus ex timore damnationis, ſeu gehennæ profectis exiſtimandum ſit. Nam illa videntur eſſe opera verè bona: quandoquidem attritio ex iſto timore nata, etiam ſit diſpoſitio ad juſtificationem, dummodo ſit conjuncta Sacramento Pœnitentiæ.*

Apparet hîc de timore damnationis inquiri, ac dubitari, non qui ex affectu caritatis oritur; cùm jam deciſum, definitúmque eſſe dicat, ad hujuſmodi opera, quæ fiunt ex dilectione, gratiam Chriſti eſſe neceſſariam: ſed de timore illo per ſe, & in propria ratione conſiderato, quà pœnæ eſt, ac gehennæ horror, & fuga, tamquam mali, & incommodi proprii. Talis enim intelligitur timor, qui cum Sacramento Pœnitentiæ præparatio eſſe dicitur ad juſtificationem: non ille qui ex caritate proficiſcitur.

VI. De iſtiuſmodi ergo timore, qui à caritate diverſus eſt, & eam præcedit, omninò diſputare inſtituit Armacanus: eumdémque mox propter Tridentinum decretum, *utilem ac bonum* eſſe decernit. Nam & Tridentinum Concilium, ut ſuprà demonſtravimus, de affectu illo timoris canonem ſuum edidit, non qui ex caritate naſcitur; ſed qui, ut dixi, *diſpoſitio* eſt ad caritatem, & juſtitiam. Nec multum acuti eſt hominis hoc partim ex capite ſexto Seſſionis ſextæ; partim ex canonis octavi verbis colligere. *Si quis dixerit* (ait in Canone) *gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.* Quod decretum non adverſus mortales ullos conditum eſt, qui metum gehennæ ex affectu caritatis ortum peccatum eſſe ſtatuerint. Nec enim fando iſtud hactenus eſt auditum. Sed adverſus recentiores hæreticos, imprimiſque Lutherum; qui de timore gehennæ, déque contritione ex illo ſuſcepta idem prorſus, atque iiſdem

propemodum verbis, & argumentis aſſeruit, quibus Armacanus.

Lutherus * enim in articulo ſexto de quadraginta & uno, quos Leo decimus in Bulla ſua damnavit; affirmat iſtud: *Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem; hæc contritio facit hypocritam; immo magis peccatorem.* Quem articulum ab Leone, uti dixi, notatum anathemate, Lutherus in eo libro propugnans, qui *Aſſertio articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X. damnatorum*, inſcribitur, prorſus idem, quod Armacanus, docet: ut hic ex illo quæ ſcripſit hauſiſſe videatur. Sic enim ſcribit Lutherus: * *Primùm hoc nemo negabit, Contritionem quantumlibet magnam,* NISI FIAT AMORE JUSTITIÆ, *& ut ipſimet dicunt,* IN CARITATE DEI, *non eſt vera, ſed ſimulata. Omnia enim, quæ extra caritatem fiunt, nihil, vana, & falſa ſunt, ut 1. Corinth. 13. docet Paulus, quia non fiunt ex toto corde, &c. At contritio per peccatorum collectionem parata,* SINE AMORE DEI, ET JUSTITIÆ, *hoc eſt ſine corde, conterit: de hac enim locutus ſum. Quare neceſſariò ſequitur, ut faciat hypocritam: qui* NEC VOLENTER, NEC AMANTER *conteritur in corde ſuo.* Tum alteram partem, *Quòd ea contritio faciat magis peccatorem*, latiùs demonſtrare pergit, iiſdem, ut dixi, quibus Armacanus, rationibus, ut poſtea videbimus.

* Luth. To. 2. fol. 106. pag. 2.

* Ibidem.

VII. NULLA re igitur ab Lutherana hæreſi diſtat Armacanorum opinio; ac pari utramque ſententia Leonis decimi, & Tridentini poſteà Concilii decreta damnarunt. Siquidem ambæ timorem gehennæ, & contritionem illo ſolo animatam, & accenſam reſpuunt, & peccati loco habent: ac niſi *ex caritate*, id eſt *amore juſtitiæ* proficiſcatur, non ſolùm ad emerendam veniam nihil in Sacramento conferre, ſed novo etiam implicare delicto ſtatuunt. Conferantur enim ſuperioribus Lutheri verbis, quæ Armacanorum princeps eadem de re ſcriptis prodidit. Hic enim ex Auguſtino pronuntiat, *nullum eſſe bonum, quamdiu fit formidine pœnæ, non amore juſtitiæ. Ipſa quippe juſtitia, quæ in præcepto benè vivendi, ſive affirmativo, ſive negativo elucet, ſincerè diligenda eſt, ut eſſe poſſit opus bonum. Qui autem juſtitiam dilexerit, nihil aliud diligit, niſi verum Deum.* Sic in illud incurrit Armacanus, quod in Luthero damnatum eſt; metum illum gehennæ, & dolorem ex eo ſuſceptum, qui non oritur *ex amore Dei ac juſtitiæ*, non eſſe opus bonum: adeòque malum eſſe opus, ac peccatum. ſiquidem *nullum dari medium inter caritatem, & culpabilem cupiditatem*, ejuſdem principis ſectæ illius eſt effatum.

Hujuſmodi porrò, qualis hodie eſt Armacanorum, Lutheri opinionem fuiſſe, & ab Leone X, ac tota Eccleſia pro hæretica damnatam & proſcriptam; fidem faciunt, præter illa, quæ dixi; Theologicarum, ut vocant, facultatum variis in locis edita judicia atque decreta: velut Pariſienſium, ac Lovanienſium: tum viritim ab ſingulis præſtanti doctrina & ſanctitate præditis, ſcripti de hac re contra Lutherum libri. Inter quos memorandus imprimis eſt Joannes Fiſcherus Roffenſis in Anglia Epiſcopus, & Martyr, qui adverſus Lutheri articulos ab Leone damnatos luculentum opus elaboravit; in quo & Lutheri dogma de contritione ex metu gehennæ, quod Armacani modò recoquunt, uberrimè confutat; & eamdem, quam nos hîc tuemur, ſententiam, tamquam oppoſitum errori illi Catholicæ fidei decretum, explicat, & affirmat.

CAPUT VIII.

1. *De Pœnitentia ex metu gehennæ ſuſcepta, Armacanorum error, quo ita bonam illam eſſe fateri videntur, ut tamen non ſit ex Chriſti gratia.* 3. *De metu gehennæ, Auguſtini ſententiæ in ſpeciem contrariæ: ac primùm ea commemorantur, quæ illum commendare videntur.* 6. *Tum quæ damnare.* 7. *Quadruplex in univerſum timor à S. Thoma conſtituitur.* 8. *Triplex ab aliis. Ejuſdem cauſa duplex.* 9. *De illo timore apud Auguſtinum obſervanda duo. Primùm, loqui ipſum de eo timore, qui ex natura ortus cum affectu peccandi conjungitur, cùm eum condemnat.* 12. *Alterum obſervandum de duplici gratia rudi, & perfectiore. Hinc Armacanorum fucus detegitur.*

I. QUANTUS ſit in Armacanis æſtus animi, quámque volubilis & inconſtans illorum opinio, cùm de timore gehennæ, ex eóque ſuſcepta pœnitentia diſputant; puto qui antecedens caput legerit, ignorare poſſe neminem. Nunc eorum ſummatim flagitia colligam, ac quantopere à ſeipſis, & à Catholica fide diſſentiant, hoc capite monſtrabo.

Ex iis maximè eſt illud abſonum, & ἀθεολόγητον, quòd metum eumdem gehennæ *utilem*, ac *bonum* fatentur, & à Deo ac Spiritu ſancto in hominibus effici, non tamen ex Chriſti gratia; ſed ex quadam Dei providentia, quæ naturæ limites neutiquam excedit. Quod ſine dubio Pelagianam ſapit hæreſim. Nam nullus omninò motus animi, quo ad juſtitiam capiendam præparantur homines, aliunde eſt, quàm ex Chriſti meritis & gratia, initio ab ipſa vocatione ſumpto: uti Tridentina docet Synodus: cujus hæc verba ſunt in capite quinto Seſſionis ſextæ. *Declarat*, inquit, *præterea juſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe: hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Tum capite ſequenti, particulatim explicat, cujuſmodi juſtificationis ſit exordium illud; quam *diſpoſitionem* vocat *ad juſtitiam*; ac varias animi permotiones enumerat; inter quas *divinæ juſtitiæ timorem* poſt fidem recenſet. Hunc igitur timorem *per Chriſtum Jeſum*, & ex ejus meritis & gratia ſic exiſtere, & in nobis oriri vult; uti fidem, & alia gratiæ auxilia, quæ etſi perfectiſſimo in gratiæ genere minimè cenſentur; quia nondum peccati labem, ac ſtatum eximunt, ſed cum eo conſiſtunt; pertinent tamen ad eam gratiam, quam contra Pelagianos, & eorum præſertim reliquias tota contentione defendit, & Chriſti meritis vindicat Auguſtinus. Vide caput ſecundum & tertium libri hujus, ne eadem hîc repetere neceſſe habeam.

II. QUOCIRCA non hæreticum ſolùm eſt, ſed etiam qualicumque Theologo penitus indignum Armacanorum dogma, quo aſſerunt, timorem gehennæ, quo ad juſtificationem præparantur animi, & qui à Deo, ac Spiritu ſancto communicatur, non ex Chriſti gratiâ proficiſci; ſed novi cujuſdam, & Chriſtianis auribus inuſitati eſſe generis.

Sed hac titubantis ſectæ, nec liberè ſenſum ſuum expromentis, ac cauſæ diffidentis inconſtantia, levitatéque omiſſa, eam decretorum ipſius partem perſequemur, quæ momenti majoris eſt; quæque penitùs inſediſſe illius animo videtur. Nemo quippe eſt adeo parum intelligens, quin ea ipſa, quæ de metu gehennæ commodè ab Armacano dicta memoravimus, non bonâ fide, nec ex animi prolata ſententia; ſed ingratiis extorta, & ſervili quodam timore damnationis expreſſa cognorit. Contrà verò quæ adverſus eumdem illum metum Lutheri conſentanea hæreſi multis capitibus expoſuit; ea ſeriò ac lubenti animo, & ut intus habebat, ab eodem concepta, ſcriptíſque prodita fuiſſe.

Itaque contra hanc peſtilentem, & hæreticam labem, propugnanda nobis eſt Catholici decreti veritas Tridentini canonis auctoritate ſancita; prorſúſque illud adſtruendum; timorem gehennæ, qui nondum ex vera caritate proficiſcitur, malum non eſſe, nec peccati macula ſuffuſum; ſed ad promerendam veniam, ac juſtitiam, congruentis habere vim meriti: eumdem porrò cum Sacramento Pœnitentiæ conjunctum, ad perfectam cum Deo ineundam gratiam idoneæ præparationis inſtar eſſe.

Duo hîc ſunt, ut apparet, diſputationis hujus reliqua: quorum in priore demonſtrandum eſt, ex Auguſtini præſertim ſententia, bonum eſſe, nec turpificatum vitio aliquo mentis hunc affectum, quo vitandi ſempiterni ſupplicii gratiâ laudabile aliquid capeſſimus, aut à peccato deſiſtimus. In poſteriore verò, explicare illud oportet, ex Tridentinæ Synodi placitis, eumdem illum animi motum, ac doloris ſenſum, qui ex timore iſtiuſmodi capitur, idoneam eſſe præparationem ad emerendam peccatorum veniam, ſi ad eum Pœnitentiæ Sacramentum acceſſerit.

III. UT à priore ordiar, Auguſtini de timore iſto ſententiam brevi hac præſcriptione complectar, in qua enodanda, & enucleanda tota conſequens diſputatio verſabitur. Illum igitur aſſero de affectu iſto, qui propoſitarum à Deo pœnarum metu nos in officio continet, atque ob admiſſa delicta ſenſum doloris affert, ſic interdum loqui, ut bonum utiléque eſſe declaret; ne-

dum

dum ut novum eſſe peccatum exiſtimet: aliàs verò cum peccandi voluntate conjunctum, adeoque malum eumdem videri dicere. Quæ decretorum ἐναντιοφάνεια, ne ad vituperationem tanti Doctoris, & invidiam trahatur; danda nobis eſt opera, ut apta quapiam interpretatione pacari, & cum Catholico dogmate conciliari poſſit. Hoc verò cùm à pleriſque tentatum, nec ſine approbatione perfectum fuerit, eſſet profectò cur Armacanos miraremur rem adeo pervagatam, nec indignam ſcitu vel ignorare, vel ſilentio premere potuiſſe. Sed eorum in ceteris perſpecta diſſimulatio, eò uſque progreſſum habuit, ut illis propemodum ſimilium flagitiorum impunitatem; nobis verò mirandi ceſſationem attulerit. Quamobrem his tantiſper ſepoſitis, paucas ex Auguſtino ſententias in utramque partem ſeligam, quibus timorem gehennæ commendare aliàs & probare; aliàs infamare, eique peccati notam videtur inurere.

* Tomo 8 pag. 610. D 2. & ſeq. In enarratione * Pſalmi CXXVII, duplicem timorem explicat; unum, qui nondum eſt caſtus, quo *gehenna timetur*, *unde terruit & Dominus*, cùm ſcilicet futura ſupplicia comminatus eſt. *Audiunt*, inquit, *hæc homines; & quia verè futura ſunt impiis, timent, & continent ſe à peccato. Timent quidem; ſed non amant juſtitiam. Cùm autem per timorem continent ſe à peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus: & jam incipit homo juſtè vivere, propterea non quia timet pœnas; ſed quia amat æternitatem. Excluſus eſt ergo timor à caritate, ſed ſucceſſit timor caſtus.* Tum de eodem illo non caſto timore; *Non timet*, inquit, *ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam. Bonus eſt & iſte timor, utilis eſt.* Habes hìc *bonum & utilem* eſſe timorem illum.

IV. Rursus in Sermone XVIII de verbis Apoſtoli, de eodem timore agens, quo metu gehennæ continent ſe à peccatis homines, non amore juſtitiæ, inter alia ſic ſcribit; * *Modò cùm dicis mihi, Gehennam timeo,*
* Aug. Ser. 18. de ver. Apoſt. c. 8. *ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus ſum? malè times? vanè times? Non audeo, quandoquidem ipſe Dominus ablato timore ſubjecit timorem; & ait, ubi dixit, Nolite timere eos, qui corpus occidunt, & poſtea non habent quid faciant: ſed eum timete, qui habet poteſtatem & corpus, & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum, comminationem geminaverit, dicturus ego ſum malè times? Iſtu non dicam. Planè time, nihil melius times, nihil eſt quod magis timere debeas. Sed interrogo te, ſi non te videret Deus, quando facis, nec quiſquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide. Non enim potes ad verba omnia mea reſpondere, inſpice teipſum. Faceres? Si faceres, ergo pœnam times, caſtitatem nondum amas, caritatem nondum habes, ſerviliter times, formido eſt mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iſte, quo gehennam times, & ideo mala non facis, continet te: & ſic volentem peccare animum interiorem non ſinit. Eſt enim quidam cuſtos timor, quaſi pædagogus legis, littera eſt minans, nondum gratia juvans. Cuſtodiat tamen te timor iſte, dum non facis timendo, & veniat caritas: intret in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit. Timor enim id agebat, ne faceres: caritas id agit, ne velis facere, etiamſi impunè poſſis admittere. Dixi quid timeatis, dixi quid appetatis.*

* To. 9. pag. 245. C. V. Ad hæc, in * Tractatu tertio in Epiſtolam canonicam Joannis, hortatur fideles, ut ſi *nondum amant* illa præmia, quæ Deus pollicetur, *vel hoc timeant*, quod minatur, æternum ſupplicium.

* Ibid. pag. 262. B 1. Et in * Tractatu nono uberrimè timorem hunc eumdem commendat. *Cœpit aliquis credere diem judicii*, inquit. *Si cœpit credere, cœpit & timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii: nondum eſt in illo perfecta caritas. Numquid tamen deſperandum eſt? In quo vides initium, cur deſperas finem?* Deinde timoris illius fructus, & commoda deſcribit; ac quemadmodum paullatim nos ad timorem illum caſtum, & caritatem perducit. Tum iſta pertexit: *
* Ibid. C 2. *Ergo incipiat timor, quia initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi locum præparat caritati. Cùm autem cœperit caritas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum*, &c. *Major caritas, minor timor: minor caritas, major timor. Si autem nullus timor, non eſt quà intret caritas. Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur: ſeta priùs intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum. Sic timor primò occupat mentem: non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut introduceret caritatem.*

Sunt & alia quamplurima ejuſdem Auguſtini teſtimonia, quæ gehennæ metum illum *bonum*, *utilem*, & *ſaluberrimum* eſſe confirment: tametſi non ex caritate, id eſt amore juſtitiæ profectus ſit, ſed eam antecedat: cujuſmodi non pauca deſcribuntur ab Armacanis.

At idem alias Auguſtinus, timorem illum non ſine peccato eſſe ſignificat; prorſus ut damnare videatur. In libro de ſpiritu, & littera, capite octavo: *Quicumque faciebant* (inquit) *quod lex jubebat, non adjuvante ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ: ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere: potiuſque ex illo rei tenebantur, quòd eos noverat Deus malle, ſi fieri poſſet, impunè committere.* Hìc illum mentis affectum, quo vitandi ſupplicii gratiâ officium facimus, nihil præter ſpeciem habere, neque Deo probari, videtur aſſerere; tamquam verum ſit, quod de eo jactabat Lutherus, *contritionem hujuſmodi, quæ non ex caritate oritur, minimè veram eſſe, ſed ſimulatam.* Sic in capite decimo quarto libri ejuſdem, ſub finem: *Quod mandatum*, ait, *ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter; & ideò nec fit.* Non enim fructus eſt bonus, qui *de caritatis radice non ſurgit.*

Et libro de Natura & Gratia, capite LVII, *Sub lege eſt*, inquit, *qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi. In ipſa enim voluntate reus eſt, quâ mallet ſi fieri poſſet, non eſſe quod timeat, ut liberè faciat, quod occultè deſiderat.*

Item Serm. XV de verbis Apoſt. cap. VI multa diſſerit ad eamdem ſententiam: ut inter alia; *Qui timore*, inquit, *pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit*, &c. *Quid magnum eſt pœnam timere? Quis eam non timet? Quis latro, quis ſceleratus, quis nefarius? Sed hoc intereſt inter timorem tuum, timorémque latronis, quòd latro timet leges hominum: tu autem legem ejus times, ejus pœnam times, quem fallere non potes. Nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo & concupiſcentiam tuam non amor tollit, ſed timor premit. Ad ovile venit lupus; latratu canum, & clamore paſtorum ab ovili reverſus eſt lupus. Ipſe tamen ſemper reverſus eſt lupus.*

Innumera ſunt apud Auguſtinum loca generis ejuſdem, quæ ab Armacanis ſtudioſè conquiſita ſunt: ut minimè ſit neceſſe plura hoc loco deſcribere.

VII. Quamobrem cùm ſe ita res habeat, uti timor gehennæ nonnumquam *bonus & utilis*, ac *ſaluberrimus* ab Auguſtino cenſeatur; interdum verò malus ac vitioſus, & cum peccato interiore conjunctus: evidens eſt, nec omnem iſtiuſmodi affectum animi vituperandum eſſe; nec omnem promiſcuè laudandum: ſed diſtinctione illic opus eſſe; quam quidem ex Theologorum ſententia facilè conſtituemus, poſtquam de illius timoris proprietate ac natura conſtiterit.

* Quadroplex auctore S. Thoma, univerſè diſcernendus eſt timor. Unus eſt *mundanus*, quo ad temporalia vitanda mala Deum offendimus: ſecundus *ſervilis*, quo pœnæ metu à peccato deterremur: tertius *filialis*, qui culpæ ipſius metu, & ex Dei amore peccatum cavet: quartus ex utroque temperatus *ſervili & filiali*, *initialis* ab illo nominatur. Poſt hæc in articulo quarto quæſtionis ejuſdem, quærit *utrum ſervilis timor ſit bonus*. Ac reſpondet, in timore iſto diſcernenda eſſe duo: aliud enim eſſe timorem ipſum per ſe conſideratum; aliud annexam ei *ſervilitatem*, ut ipſe loquitur. Hanc autem in eo conſtituit, quòd pœnam reſpiciat, eámque cavere ſtudeat, tamquam ultimum malorum: quatenus bonum huic oppoſitum, hoc eſt incolumitatem ſuam, ſummi & ultimi boni inſtar habet: nec ad Deum ullo modo refert. Hic enim ſervorum illiberalium, & improborum affectus eſt; qui diligenter cavent, ne contra herile mandatum aliquid committant, non heri ipſius cauſâ, quem minimè curant: ſed ſui ipſorum gratiâ, ne malo afficiantur. Qui ergo ſic erga Deum comparatus eſt, ut peccatum declinet, aut de eo admiſſo doleat ob hoc unum, ne malum ſibi conſciſcat, vel quòd eo perpetrato pœnam commiſerit; ita ut in eo, tamquam fine ultimo, conquieſcat: quod tunc accidit, cùm peccare vult, & contra mandatum facere, ſi impunè poſſit: qui ſic, inquam, habet in voluntate, ac propoſito

* S. Thom. in 2. 2. qu. 19. art. 2.

ſito animi, Deum iſte ſerviliter timet; éſtque malus, & vitioſus hic timor, ex ſancti Doctoris ſententia. Qui hoc addit: *Servilitatem non eſſe de ratione timoris ſervilis, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis.* Quocirca *timor ſervilis*, quà *ſervilis*, malus ab illo conſtituitur: eo quòd *ſervilitas* eſt ipſa mala: at verò pœnæ timor in ſe, nec ſervilitate infectus iſta, bonus eſt. Quod paucis ita demum complectitur: *Timor ſervilis*, inquit, *ſecundùm ſubſtantiam ſuam bonus eſt; ſed ſervilitas ejus eſt mala.*

VIII. Alii non multùm abhorrentes, & iiſdem principiis innixi paullò iſtud planiùs, & faciliùs explicant. * Triplicem ex metu pœnarum de peccatis dolendi modum diſcernunt: quorum primus eſt, cùm pro ſummo, & ultimo fine, illam à pœna liberationem propoſitam habet. Secundus cùm eamdem impunitatem reſpicit, tamquam conditionem, ſine qua non illi peccaſſe doleret. Tertius cùm neutro modo afficitur, ſed in pœnas commeritas ſimpliciter intentus, ob id dolore iſto peccati ſui contrahitur, quòd illis luendis obnoxius eſt, nec in delicto perſeverandi interim voluntatem retinet. Horum generum trium priora duo perſpicuè vitioſa ſunt, & cum peccato aliquo conjuncta. Tertium etſi nondum venit ad perfectum, citra criminis eſt notam, ac reprehenſionem.

* Ita Val. To. 4. Diſp. 7. quæſt. 2. punct. 3.

Atque ut in rem propoſitam altiùs deſcendamus, animadvertendum eſt, huncipſum timoris affectum duabus ex cauſis proficiſci. Aut enim ex natura ipſa, & humanæ vi & captu rationis oritur. Quemadmodum * *diſputante Paulo de juſtitia, & caſtitate, & de judicio futuro, tremefactus* eſt Felix Præſes, ut Lucas in Actis refert. Aut ex Spiritus ſancti gratia, Chriſti utique partâ meritis, animo peccatoris afflatur.

* Act. 24. 26.

Prior nihil ad ſalutem conſequendam, neque ad præparandam voluntatem, obtinendámque juſtitiam propriè confert, niſi ex accidenti, & extrinſecus. Sicut qui ruentem in flagitium hominem violenter retinet, & à malè agendo cohibet, poteſt illi mutandi animi, ac reſipiſcendi cauſam præbere: per ſeſe verò peccandi voluntatem non eripit; quamvis præſentis ſupplicii metu propoſito, efficere hoc poteſt, ut actionis perpetrandæ malæ conſilium deponat, quamdiu imminente illo terrore percellitur. Quo amoto, & impunitate oblata, niſi aliud obſtet, quamprimum ad ingenium redibit.

At poſterior metus, qui ex inſtinctu Spiritus ſancti, Chriſtique gratia naſcitur, nullam in ſe, hoc eſt *in ſubſtantia*, ut vocant, ſua, peccandi voluntatem includit: tametſi eum peccato, quod *habitualε* nominant, adhuc cohæreat. Eſt enim non *proxima*, ſed *remota*, quod dici ſolet, ad gratiam, veniámque percipiendam peccatoris diſpoſitio.

Non eſſe malum, neque peccati inquinatum macula timorem hujuſmodi, ſi ut in ſeſe eſt, interiúſque ſpectetur: ſatis ex eo convincitur, quod à gratia, & auctore ſancto Spiritu manaſſe illum ponimus. Quod verò tale eſt, pravum, ac vitioſum eſſe nequit: ne in Deum ipſum, quod dictu nefas eſt, vitioſitas illa redundet; iſque malè agendi voluntatem inſpiraſſe videatur.

IX. His velut fundamentis poſitis, duo ſunt illi ſollerter intuenda, qui & Auguſtini mentem capere, & Armacanorum fraudes, atque inſidias cavere; & propoſitæ quæſtionis expedire ſe laqueis volet. Quorum primum iſtud eſt, in pleriſque locis, ubi de ſervili pœnarum, ac gehennæ timore loquitur Auguſtinus, eum intellexiſſe, non qui ex gratia, meritíſque Chriſti, ac ſancti Spiritus afflatu gignitur, ſed qui ex humano, & naturali affectu, & inſito cuique conſervandi ſui amore procedit. Quem quidem meritò proinde ſtatui nihil ad ſalutem, aut impetrandam Dei gratiam, ac peccatorum veniam conducere: ſed neque peccandi voluntatem detrahere: nec aliud præſtare, quàm ut malè agendi progreſſionem tantiſper inhibeat ac ſiſtat, dum præſentis illius mali formido ſublata fuerit.

De hoc timoris genere loqui Auguſtinum, ubicumque gehennæ metum eum peccandi voluntate conjunctum, ideóque damnandum eſſe ſtatuit, facilè is agnoſcet, qui ab Armacano citata illius teſtimonia diligenter inſpexerit. Etenim horum pleraque diſertè metum illum exprimunt, qui *non adjuvante ſpiritu gratia* concipitur: ut eſt in illo loco, quem ex libro de ſpiritu & littera, capite octavo, * paullò antè deſcripſi. Et in libro de gratia Chriſti, capite XIII, *Quamvis multi*, inquit, *quod imperat lex facere videantur timore pœnæ, non amore juſtitiæ; quam dicit Apoſtolus juſtitiam ſuam, quæ ex lege eſt, tamquam ſit imperata, non data. Si autem data eſt, non dicitur juſtitia noſtra, ſed Dei; quia ſic ſit noſtra, ut ſit nobis ex Deo.*

* Paragr. 6.

Hic Auguſtinus quod timore fit pœnæ, ex lege fieri dicit, & ad illam refert *juſtitiam*, quam Apoſtolus *ſuam* nominat: *Ut * inveniar*, inquit, *in illo non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt: ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu; quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.* Atqui *legem*, *fidei*, & *gratiæ Chriſti* opponere ſolet Apoſtolus; tamquam quod ex lege fit, non fiat ex gratia: ex quo ſequitur, id quod ex timore pœnæ agitur, quoniam ex lege eſſe cenſetur, non agi ex Chriſti gratia, ſed ex naturæ viribus, quas ad obſequium legis & ſupplicii terror excitavit.

* Phil. 3. 9.

X. Hanc rationem, quæ ex oppoſitione legis & gratiæ petitur, atque ex eo, quod legi ſervilis accenſetur timor, magno conatu Armacanus intentat; & ingenti Auguſtinianorum locorum apparatu inſtruit in * capite quodam, cui hoc lemma præfigit, *Timorem pœnæ non eſſe ex Chriſti gratia, quia facit juſtitiam inde natam ex lege, & juſtitiam noſtram, non ex Deo.* Quamobrem illud, quod dixi, certiſſimum eſt, timorem gehennæ, quem omnibus iis locis, quos Armacanus citat, commemorat Auguſtinus, & quem peccandi voluntatem, ſi impunè poſſit, implicatam, & incluſam habere dicit, non ex gratia, aut inſtinctu, ac motione ſancti Spiritus oriri: ſed ex naturæ viribus: atque idcirco nihil ad quæſtionem noſtram pertinere. Nos * enim hîc de timore illo loquimur, qui ex gratia & inſpiratione Spiritus ſancti provenit, ut Tridentina Synodus decrevit, quæ inter *diſpoſitiones*, quibus ad juſtificationem paullatim peccator adducitur, timorem illum numerat, Armacano ſuffragante, qui eumdem *ſecundùm ſe licitum, bonum, ac rectum eſſe* pronunciat. Ex quo perſpicuum eſt diſſimilem hunc eſſe metum illius alterius, qui nec ex Chriſti gratia nobis ingeneratur: & peccandi animum, ac voluntatem in ſeſe continet.

* To. 3. lib. 5. cap. 25.

* Vide ſup. cap. 7.

XI. Sic illud intelligendum, & ad eumdem, qui ex gratia non oritur, ſed ex naturæ viribus, metum gehennæ referendum eſt, quod Armacanus * affirmat, *Ex puro timore pœnæ non poſſe ita fugi peccatum, ut nullum aliunde peccatum incurratur.* Atque hoc ille crebris Auguſtini teſtimoniis probare ſtudet, quæ ferè ſunt ejuſmodi, qualia paullò * antè deſcripſimus: quibus nimirùm docet, eos, qui ſub lege vivebant, ita pœnæ timore conſtrictos à peccando coërcuiſſe ſe, ut peccandi cupiditatem, & conſilium intus voluntate tacita foverent. Quâ ex *legis* mentione, ſatis, ut paullò antè ſignificavi, timoris genus oſtenditur, non illud, de quo agimus; quod ad perfectam converſionem peccatoris, ac juſtificationem præparat, & ex inſtituto divinæ ſapientiæ, ac bonitatis, ad inſinuandam caritatem ordinatur; ut ex Auguſtino, & Tridentini Concilii decretis ſuprà declaravimus: ſed alterum, quod gratiæ non debetur ex ſeſe; nec à Spiritu ſancto proficiſcitur; verùm naturali, & humano ex fonte profluit.

* Cap. 27. & ſeq.

* Paragr. 6.

Eſt enim perabſurdum, immo impium, putare, quod Armacani ſentiunt, ullum voluntatis affectum ex Chriſtiana manare gratiâ, hoc eſt ab ea, quam Pelagianis negantibus, Auguſtinus & Catholici omnes adſtruebant; quod cum peccato neceſſariò conjunctum ſit; vel potiùs quod exerceri niſi peccando nequeat. Quid autem iſti nuperi Dogmatiſtæ aliud crocitant, dum gehennæ metum, quia ex caritate non procedit, malum, & novo implicatum peccato eſſe dictitant, hoc eſt interiori, & tacita voluntate peccandi: & eumdem tamen bonum, *licitum*, *rectúmque*, ſi per ſe conſideretur, ac *ſaluberrimum* eſſe prædicant, ac Tridentinæ de illo Synodo decretum approbant; quo utique cavetur; metum ejuſmodi præparationem eſſe, quâ ad gratiam, & juſtitiam peccator adducitur: quod profectò, ſi Catholici eſſe volunt, non aliunde quàm ex Chriſti gratia, & ſancti Spiritus afflatu naſci fateantur? Hinc ergo conſequens erit, pravum, & culpandum voluntatis affectum per ſe, ac directè inſpirari hominibus ab Spiritu ſancto, & ex Chriſti oriri gratia: ut libri hujus capite ſeptimo demonſtravimus.

XII. Alterum de duobus, quæ in hac quæſtione obſervanda propoſui, ad fucum Armacanorum, & fallaciam deprehendendam mirificè attinet. Eſt verò

illud

Digitized by Google

illud ejuſmodi: Ex illa duplici Chriſtiana gratia, quam ſæpius cogor quàm vellem inculcare, ac repetere; unâ inchoatâ & initiali; alterâ jam adultâ, & robuſtâ; priorem, ſi per ſe ſolámque ſpectes, non ſufficere ad legis obſervationem, vel præcepti operis executionem. Hujus enim proprium munus eſt, præparare dumtaxat, ac movere voluntatem; ut velle incipiat operari, quamvis nécdum operetur. Cui gratiæ ac vocationis initio, ſi opitulante Deô, liberum hominis arbitrium reſpondeat, & quod ſuarum partium eſt conferat, ſuccedit alia operis effectrix, quâ confirmatus animus paullatim ſe peccati laqueis explicat, & ad exequenda Dei mandata roboratur. Jam verò gehennæ metus iſte utilis, ac bonus, de quo hic diſputamus, ad priorem gratiam pertinet, rudem & initialem: ut in capite ſecundo libri hujus, & ſequentibus oſtendimus. Siquidem Tridentina Synodus, quam illic citavimus, hanc unam eſſe definit ex iis motionibus, quæ caritatem, ac dilectionem antecedunt, & ad hanc præparant. Eſt autem caritatis peculiare munus, operari, ac præcepta exequi; ut penè ſingulis paginis repetit Armacanus. Itaque non eſt ad legis opera præſtanda idoneum adhuc gratiæ illud auxilium, ſatis eſt ſi voluntatem excitare, ac movere incipiat, & ad id, quod nondum perficere poteſt, optandum, ac poſtulandum impellere.

At Armacani, ut hunc ipſum metum ex Chriſti gratia minimè proficiſci; ſed ex humanis viribus adſtruant: immò ut malum, & cum peccato conjunctum eſſe doceant; cujuſmodi eſſe gratia illa debeat ex iis Auguſtini locis conſtituunt, quæ ad firmiorem, & vegetiorem poſterioris generis gratiam propriè ſpectant: cujus eſt ad opera legis exequenda, præſtandáque virtutum officia vires idoneas conferre: ut ſi minùs hoc per ſe gehennæ timor efficere poſſit, aliunde, quàm ex Chriſti gratiâ, prodire videatur.

Jam enim capite quarto libri hujus oſtendimus, Auguſtinum ſæpenumerò, cùm de gratia loquitur, hanc ſecundi generis operatricem intelligere, non rudem, & inchoatam. Quod, ne longum faciam, ex paucis illis ſententiis, quas * ſuprà, hoc ipſo capite deſcripſimus, licet animadvertere; in quibus gratiæ Chriſti proprium hunc effectum ſubjicit, implere legem, ac præcepta facere. Ut cùm * ſcribit: *Legem timore non poſſe impleri: quoniam cùm verè ſit opus legis, caritate ſit, non timore, quæ caritas gratia eſt novi Teſtamenti.* Et * libro de ſpiritu & littera: *Ex lege timemus Deum; ex fide ſperamus in Deum. Sed timentibus pœnam abſconditur gratia.* Item illud: * *Timor legem non implebat; amor implevit. Timuerunt homines, & non impleverunt: & amaverunt, & impleverunt.* Subdolè igitur, & captioſe ludunt Armacani in ambigua ſignificatione gratiæ, dum timorem gehennæ funditus abjudicant à Chriſti gratia, propterea quòd non ſufficit ad præcepta ſervanda, & opera legis exequenda; quod eſſe gratiæ proprium ex Auguſtino dum probant, diſſimulant non de toto gratiæ genere illum loqui, ſed de actuoſo dumtaxat, & robuſto: quo timor gehennæ minimè continetur: qui in primo, & adhuc imbecillo gratiæ genere ponitur; quod bonæ voluntatis habet initium. Hæc ſic quis diligenter obſervet, novi Dogmatiſtæ fraudem ac verſutiam contemnet: nec ſe ab ſalubri, & Catholica doctrina ſophiſtica iſta cavillatione deduci patietur.

* Parag. 6.

* Aug. qu. 15. ſup. Deuter. Tom. 4. p. 514. A 2.

* Cap. 28. ſub fin.

* Concione 2. in Pſ. 90.

CAPUT IX.

1. Ex dictis colligitur, dolorem ob peccata ex metu gehennæ ſuſceptum bonum eſſe, & ad juſtificationem præparare. 3. Præcipuum adverſariorum firmamentum illam eſſe ſententiam, qua nullam aliam putant eſſe gratiam Chriſti præter caritatem veram, & propriè dictam. 4. Fucus illorum in conſtituendo amore ſui, qui quatenus in vitio ponatur, aut ſit honeſtus, & ad inſtitutum noſtrum attineat, exponitur. 5. Amorem hunc ſui non ſe tamquam ultimum finem ſibi proponere, ſed peccandi voluntatem excludere. 6. Ut hoc meliùs intelligatur, duplex ex Auguſtino radix operum ponitur, caritas, & cupiditas. Sed illa non eſt ſola vera & propriè dicta. 7. Quod ex Auguſtino demonſtratur; qui & fidem ex caritate, & tamen ex fide caritatem provenire docit. 8 Unde concluditur, caritatem aliàs latè, aliàs propriè, & ſtrictè accepi. 9. Quomodo ex hac diſtinctione Auguſtinus interpretandus ſit.

I. HUJUS gehennæ timoris, quem antecedenti capite ab Armacanorum calumnia vindicavimus, ſoboles eſt dolor quidam de peccato ſuſceptus, ſed imperfectus adhuc, & rudis; ac velut gratiæ tirocinium, quo ad plenam, uberiorémque juſtitiam perpolitur, ac præparatur reſipiſcentis animus: dum pœnarum denunciatione territus, peccandi interim voluntatem abjicit, ac melioris vitæ deſiderio concepto, ad uſurpanda remedia feſtinat. * *Cùm enim timetur pœna, quam minatur (Deus) diſcitur amari præmium quod pollicetur: ac ſic per timorem pœnæ bona vita retinetur. Per bonam vitam bonæ conſcientia comparatur; ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur*, ait Auguſtinus. Et Iſidorus Hiſpalenſis libro ſecundo ſententiarum de ſummo bono, capite VIII, timorem eumdem converſis ad Deum neceſſarium eſſe docet, ut ab eo incipientes perfectam ad caritatem proficiant. *Antè neceſſe eſt*, inquit, *timore converti ad Deum, ut metu futurarum pœnarum carnales illecebræ devincantur. Deinde oportet abjecto timore ad amorem vitæ æternæ tranſire.* Ac de ſervili timore loqui Iſidorum, arguunt ſequentia, cùm ſic ſcribit. *Unde & Apoſtolus, Non enim* (inquit) *accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis: per quem ſcilicet jam non peccati pœna ſervos comprimit: ſed amor juſtitiæ liberos reddit.* Et ſententia quarta: *Neceſſe eſt enim omni converſo, ut poſt timorem conſurgere ad caritatem Dei debeat quaſi filius; ne ſemper ſub timore jaceat quaſi ſervus. Tunc enim amorem noſtræ converſionis oſtendimus, ſi denuò ut patrem diligimus, quem prius ſervili mente verè ut dominum formidabamus.* Vide Clementem Alexandrinum ſeptimo ſtromateo, pagina 532.

* Aug. Ser. 214. de Temp.

II. HUJUSMODI pœnarum metum, ex eóque conceptum dolorem citra Pœnitentiæ Sacramentum * *per ſe ad juſtificationem non perducere peccatorem; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere*, totidem verbis docent Tridentini Patres: éſtque communi Theologorum conſenſu receptum: immo Chriſtianorum omnium animis jampridem hic ſenſus inſedit: quem magni ſcilicet ac puſilli primis ex elementis Chriſtianæ inſtitutionis acceptum retinent memoria, & ad uſum adhibent uſurpandæ in Sacramento Pœnitentiæ.

* Trident. Conc. Seſſ. 14. cap. 4.

Sed extitère nuper cupidi turbarum, ac novorum dogmatum homines non valdè docti, & acuti, ſed confidentes, & ad quidvis audendum parati: qui ex animis fidelium hanc eradere notionem, ac firmiſſimam perſuaſionem conarentur evellere. Quorum periculoſus, & maleſanus hic error, unius, alteriúſve capitis diſputatione coarguendus eſt. Quod erit perfacile, ſi quibus inducti rationibus ad eam opinionem adhæſerint, eas falſas, & inanes eſſe conſtiterit. Hoc igitur agamus.

III. CERTUM ex iis, quæ hucuſque ſecundo libro hoc expoſuimus, liquidò id eſſe cognitum, fontem & originem præcipuarum hæreſum, quibus nova iſta diſciplina ſcatet, hoc illorum eſſe decretum, quod hactenus refutavimus: nullam aliam Chriſti eſſe gratiam, præterquam caritatem, ſive dilectionem, amorémque juſtitiæ, quo ſine ullo reſpectu ad id, quod noſtrâ intereſt, hanc diligimus, ac perſequimur: ac quicumque affectus animi non ex illa radice provenit, non inutilem ſolùm ad Chriſtianam juſtitiam obtinendam, ſed etiam noxium eſſe, utpotè vitioſum, & novi maculâ criminis infectum. Ex hoc velut principio alterum ſtatim eſt conſequens opinionis venenum, tam gehennæ metum, quàm qui ex hoc oritur, dolorem de peccato conceptum, novum eſſe peccatum, niſi ab vera caritate, ac dilectione Dei proficiſcatur: & ideirco non idoneam eſſe præparationem ad percipiendam in Sacramento delictorum veniam. Quod neque verum eſt, neque veris, ſed fucatis, & fallacibus argumentis ab illis aſſeritur: & à Tridentinæ auctoritate Synodi, ac decretis abhorret.

De Tridentino Concilio, ejúſque, quam illi commenti ſunt, abſona interpretatione, paullò pòſt. Nunc eorum rationibus occurremus, quibus dolorem iſtum ad prometendam in Sacramento Pœnitentiæ juſtificationem negant ſufficere.

Harum rationum, quarum vis in tota ſuperiori diſputatione hebetata eſt, ac retuſa; præcipua eſt iſta, qua ſectæ illius antiſtes multùm utitur; quòd *dolor iſte cùm ex amore ſuipſius, & ſalutis ſuæ corporalis oriatur, non majoris pretii eſt apud Deum, neque majorem ad juſtitiam acquirendam proportionem habet, quàm amor, quo quis integritatem corporis diligit.*

IV. Sed callida, & inſidioſa cavillatio eſt, cujus fraus & calumnia latet in *amoris ſui ipſius* vocabulo: quod ſanè medium eſt, & tam in bonam, quàm in deteriorem partem uſurpari poteſt. Etenim qui ſic amat ſe, ut, tamquam ultimum ad finem, ad ſuum commodum, ac fructum omnia referat, idque divinæ voluntati, ac legi anteponat, ſine dubio peccat, & perversè ſe amat, ac ſeipſo fruitur. Atque hic amor non ſolùm naturalis eſt motus animi, ſine ulla gratia, vel inſtinctu Spiritus ſancti excitatus in homine: ſed etiam delicti culpâ oblitus, utpote ab recta, & benè conſulta ratione deſciſcens. Quæ labes in eos affectus redundat, qui ex illo, tamquam vitiata, & peſtilenti radice pullulant: qualis eſt gehennæ metus, & de admiſſis peccatis inde conceptus dolor. De quo amoris, vel doloris genere non hic agimus: verùm de altero, quem Deus per Spiritum ſanctum operatur in nobis; ut vel * Armacanus ipſemet agnoſcit. Hic verò tum ex ſeſe bonus, & honeſtus eſt: tum minime naturalis, hoc eſt ſolis naturæ viribus excitatus: utpotè ex fide, ac ſancti Spiritus inſtinctu peculiari nobis inſitus.

* Vide ſup. c. 7. paragr. 2.

Hoc amoris affectu non ſeipſum homo ſic diligit, ut naturam ſuam, quæque ad hanc pertinent, tantummodò ſpectet, ac naturali in ſeſe modo, & propenſione feratur: cujuſmodi ineſt amor in omni animantium genere: cui *hoc eſt à natura tributum* (ait * Cicero) *ut ſe, vitam, corpúſque tueatur, declinétque ea, quæ ei nocitura videantur, omniaque, quæ ſunt ad vivendum neceſſaria, inquirat, & paret; ut paſtum, ut latibula, ut alia ejuſdem generis.* Verum ita ſe diligit, tamquam aliquid ſuperioris ordinis, & naturæ captum, conditionémque præſtans. Nam ſe eatenus amat, non ut ad finem naturalem, ac bonum quodpiam innatis viribus, & humana comparandum induſtria, vel ei contrarium vitandum malum dirigitur: ſed ut ad ſummum, & natura qualibet creata præſtantius adipiſcendum, & fruendum bonum, hoc eſt Deum, refertur; vel ad declinandum quod ei fini adverſatur malum. Cujus utriuſque, boni ſcilicet, ac mali cognitio; tum illius appetendi, hujus declinandi impetus, & affectus, non ex naturali, & acquiſita marte noſtro ſcientia, & inſitis à natura præſidiis oriuntur: ſed excellentiore quadam ex luce fidei, ac divini inſtructus motione proveniunt.

* Lib. 1. de Off.

V. Hinc evidens eſt, hujuſmodi amorem non eſſe vituperandum, nec inquinatum peccati ulla macula; ſed honeſtum, & laudabilem: cujus videlicet radix eſt & origo ſancta, auctorque Deus, & ejus ſpiritus. Nec enim ſic in ſeipſum eo tendit amore peccator, aut quod malum ſibi eſt ita metuit, ac fugit, ut ſe ſibi tamquam finem ultimum propoſitum habeat; aut vel tacitè, vel palàm Deo præferat. Sed nec habitus ſic eſt, ut niſi tanti adipiſcendi boni ſpes eſſet objecta; vel ſempiterni mali ac ſupplicii metus inſtaret, libenter peccatum admitteret. Non enim de hoc genere amoris, vel timoris hic agitur: * *qui cogitur in opere habere quod licet; cùm aliud habeat in voluntate: qua mallet, ſi fieri poſſet, licere quod non licet:* ut ait Auguſtinus: qui hanc ſervilis, & impuri timoris, amoríſve proprietatem crebris ſententiis inculcat. Quibus Armacanorum natio fraudulenter abutitur, dum ex iis imperitè colligit, nullum penitus *amorem*, quem *concupiſcentiæ* vocant Theologi; nec timorem eodem ex fonte manantem agnoſcere ſanctum Auguſtinum, niſi qui ſit hac perverſitate vitiatus, & infectus. In quo longè illos aberrare, ac decipi ſuprà demonſtravimus: cùm de tali affectu loquatur Auguſtinus, qui ex naturali, & humana, ſed originali labe corrupta indole proficiſcitur: non autem de eo, qui ex fide, & peculiari inſtinctu vocantis nos, & ad uberiorem gratiam præparantis Dei ſpiritus efficitur.

* Aug. lib. de Spir. & lit. c. 37.

VI. Sed ut paullò rem altiùs repetam, & ut in aſſerendo ſibi, hæreſique ſuæ contra Catholicam fidem Auguſtino, fraudem ſectæ illius, ac dolum patefaciam; ſciri neceſſe eſt, duplicem eſſe humanarum actionum radicem, ut ex Apoſtolo docet Auguſtinus in * libro de Gratia, & libero arbitrio, capite XVIII: quem locum ſuperiùs, capite quinto libri hujus exſcripſimus. Quo quidem in loco Pelagium in libro primo de libero arbitrio docentem habere nos poſſibilitatem boni & mali à Deo inſitam, velut radicem fructiferam, quæ vel virtutes, vel vitia proferat, hoc eſt liberum arbitrium: hoc, inquam, ſcribentem Pelagium reprehendit Auguſtinus, quòd non ſit eadem radix bonorum & malorum: ſed borum quidem radix ſit cupiditas, ut ait Apoſtolus: bonorum verò, caritas. Quamobrem quidquid ex caritate non oritur, ſi quidem *moralis*, ut vocant, qualitate cenſetur, id ex cupiditate provenit: ut Auguſtinus illic ſtatuit. Qui ſi *caritatis* nomine eam ſignificat, quam nuperi Dogmatiſtæ fingunt, veram, propriéque dictam Dei dilectionem; cauſam ſuam obtinent. Hoc enim ſequetur, nullam aliam Chriſti eſſe gratiam præterquam iſtiuſmodi caritatem. Nam cùm ſine Chriſti gratia nullum bonum ſit opus, Chriſtianum ſaltem, & ad juſtificationem pertinens, neceſſe erit omne, quod non ex vera, propriéque dicta caritate pullulat, ad malum fructum pertinere, quoniam ex cupiditate proficiſcitur: cùm nulla inter ambas illas, velut media, radix interjecta ſit.

* Aug. lib. de Gr. Chr. cap. 18.

VII. Sed multùm ab veritate, & Auguſtini ſententia recedunt qui ſic diſputant. Atque ut intelligant, quàm parùm in Auguſtini auctoritate præſidii habeant, teſtem ipſum dabimus Auguſtinum, eſſe opera quædam bona, quæ ex tali caritate non oriuntur: neque id omne peccatum eſſe, quod ex illa minimè proficiſcitur. Etenim fides ipſa opus quoddam eſt; ut Chriſtus docet. * *Hoc eſt*, inquit, *opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille.* Idque Auguſtinus * in libro de Prædeſtinatione Sanctorum explicat, & * Chryſoſtomus Homilia LXXXIX Tomi ſexti. At idem Auguſtinus illud ipſum opus bonum fidei non à dilectione, ſive caritate proficiſci aſſerit; idque ſæpiùs repetit. Eſt autem in Tractatu * ad Pſalmum CVII inſignis hac de re locus ejuſdem, nullo modo prætermittendus. *Ea ſola bona opera dicenda ſunt*, inquit, *quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem neceſſe eſt, ut antecedat fides; ut inde iſta, non ab iſtis incipiat illa; quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, niſi priùs credat in Deum.* Jam ergo repertum nobis eſt apud Auguſtinum opus aliquod bonum, quod non ex caritate provenit: ac, ſi vera eſt Armacanorum opinio, nec ex gratia quidem Salvatoris exiſtit. Quippe nullam iſti veram, ac propriè dictam Chriſti gratiam, hoc eſt ei, quam unam admittebat Pelagius, oppoſitam, agnoſcunt, niſi quæ *bonum opus* efficit: ut * ſuprà docuimus. Quam quidem fide nos impetrare, eodem ex Auguſtino * probavimus alibi. Hic enim * per *fidem, impetrari caritatem*, ait, *qua ſola verè benè operamur.* Idémque libro de Correptione, & gratia capite tertio, & quarto, ac ſequentibus docet. Et in libro de Prædeſtinatione Sanctorum, capite ſeptimo, *Ex fide ideo dici* ait *juſtificari hominem, non ex operibus: quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cetera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur.* Porrò idem * Auguſtinus alio in loco, *ipſam obedientiam munus eſſe Dei aſſerit, quæ neceſſe eſt ut inſit ei, cui caritas ineſt.*

* Joan. 6. 29.
* Cap. 7.
* Pag. 838. ed. Savil.
* Tom. 8. Aug. p. 391. C. 1.
* Cap. 5. lib. hujus. paragr. 2.
* To. 1. lib. 10. cap. 20. parag. 6.
* Aug. epiſt. 106. p. 182.
* Lib. de Corr. & Gr. cap. 5.

VIII. Quociaca cùm ex variis illis Auguſtini locis illud efficiatur; fidem, qua obedimus utique Deo, cum quod vult, jubétque facimus; ex caritate proficiſci, ſine qua eſſe non poteſt: & nihilominus fidem eamdem impetrare caritatem, & eam antecedere; ut & opera bona, quæ nulla ſunt, niſi ex caritate prodeant: cogimur omninò, uti ſecum conſentientem habeamus Auguſtinum, id fateri, quod non * ſemel adnotavimus; caritatis nomen non eodem ab illo modo ſemper uſurpari: ac latiùs interdum accipi pro omni pio, ac religioſo voluntatis affectu, cuicumque tandem Chriſtianæ virtuti propriè tribuatur: aliàs pro vera, & expultrice peccati, propriéque dicta dilectione Dei. Ac prioris generis ſignificationiſque caritas tam imbecillum, initialémque cujuſcumque virtutis affectum, quàm robuſtum & actuoſum, hoc eſt operis efficacem complectitur. Ut ſit caritas latiùs accepta tamquam γένος γενικώτατον, quod ad omnes pios & Chriſtianos animi motus extenditur: ac primò dividatur bifariam; nempe in affectus illos voluntatis, qui ex honeſto aliquo, & inſpirato divinitus per Chriſti merita propoſito, ſive, ut Scholæ loqui amant, *motivo* proficiſcuntur: non illo tamen excellente, quo in Deum abſolutè propter ſe, ſine inferioris alterius boni ac finis complexione, ſpectatum

* Tom. 1. Dogm. lib. 10. cap. 10. parag. 5. & ſeq. & lib. 1. hujus operis. c. 2. par. 3. & lib. 2. cap. 2.

animus

animus intenditur: quæ eſt altera, longéque præſtantior caritatis illius generatim ſumptæ ſpecies, quæ perfecta, & Theologica virtus dicitur, princeps omnium, ac regina. Rurſus dupliciter ſpecies utraque tribuitur, non κατ' εἶδος, ſed κατὰ τὸ ποσόν: hoc eſt non *eſſentiali*, ut vocant, *differentia*, ſed ex accidente, & ſecundùm quantitatem: quantenus utrobique aliæ motiones ſunt virtutum qualiumcumque rudes, & inchoatæ: aliæ robuſtiores, & perfectæ.

IX. Jam verò *caritatis* omnes illæ vel notiones, vel ſpecies ad Auguſtini varias, & in ſpeciem pugnantes inter ſe ſententias prudenter adhibendæ ſunt: ſi & ſummum virum ab inaudita quadam levitate, ac decretorum inconſtantia vindicare: & nos ipſos ab multiplicium errorum, & hæreſeon infamia tutos præſtare volumus. Quem ad utrumque ſcopulum pridem alliſa nave, naufragium fecerunt Armacani. Qui quidem fateri hoc, & agnoſcere vel inviti cogentur; quibus in locis aſſerit Auguſtinus, * *bonam voluntatem* idem eſſe, ac *caritatem*, tum * utramque aliàs *parvam, & invalidam* eſſe; aliàs *magnam & robuſtam*: *caritatis* vocabulum generatim accipi, pro quacumque bona motione voluntatis, adeóque pro initiali affectu credulitatis, ſive credendi voluntate, quæ fidem ipſam, & multò magis illam, quam per fidem mereri & impetrare nos alibi, ac ſæpiſſimè docet, utique veram, & propriè dictam, antecedit caritatem, quæ bonorum eſt effectrix operum, obſervatrixque præceptorum. Ubicumque verò hanc ipſam robuſtiorem caritatem merito nos ait impetrare fidei; non eamdem profectò cum priore illa ſignificat: quæ quamlibet rudis, ac tenuis, & operis nondum efficax, bona eſt voluntas & caritas. Ex quibus evidentiſſimè conſtat, verè illud à nobis obſervatum caritatis apud Auguſtinum fuiſſe diſcrimen: & in clara meridianaque luce cæcutire noctuas Armacanas; quæ nec illum caritatis apud Auguſtinum varium uſum ac diſſimilem notare ac diſcernere potuerunt: & nullam aliam, præterquam veram propriéque dictam, ab illo deſignari caritatem tam pertinaciter, quàm imperitè tuentur.

* Lib. de Gr. Chr. c. 21.
* Lib. de Gr. & lib. arb. cap. 17.

CAPUT X.

De Juſtitia, & amore juſtitiæ, quam unicam Chriſti eſſe gratiam novi Dogmatiſtæ ſtatuunt. 1. Explicatur ratio juſtitiæ communis. 2. Quæ eadem cum honeſto, decoro, & legi conſentaneo, vel legitimo. 3. Duplex decorum, ſive honeſtum. 4. Amorem juſtitiæ, quam caritatem vocat Auguſtinus, non eſſe propriè dictam caritatem, ſed cujuſcumque dilectionem honeſtatis. 5. Nec juſtitiam ejuſmodi eſſe, quæ Deo ineſt. Tum verò reperiri in iis etiam voluntatis motionibus, quæ amorem ſui adjunctum habent, necnon timorem gehennæ. 6. In his verò affectionibus, quæ ex fide proficiſcuntur, reperiri piam in Deum propenſionem. 7. Item referri ad Deum ipſum vi, non tamen expreſsè. 8. Nec eſſe juſtitiam noſtram, ſed Dei, & ex gratia oriri. 9. Et honeſtatis amorem propter ſe continere. 10. Duplex ex Auguſtino juſtitia.

I. CUM, ut initio ſecundi hujus libri diximus, novi, quod impugnamus, Dogmatis fundamentum in conſtituenda gratiæ qualitate verſetur: quòd eam ſola propriè dicta caritate metiuntur; caritatem autem nihil præter amorem propter ſe juſtitiæ eſſe diſputant; idcirco de juſtitia, & hujus dilectione paucis hoc in capite agere decrevimus. Ita enim confido fore, uti certiùs, liquidiúſque deprehendatur, quàm ineptè iſti, abſurdéque ſentiant, ac benè longa, & loquaci diſputatione nihil omninò dixerint: tum ut noſtra, id eſt Catholica, magis illuſtrata ratio obductas illorum oculis erroris tenebras clariori veritatis ſuæ ſplendore diſcutiat.

Hoc igitur ante omnia ſtatuendum eſt, juſtitiæ nomine quamdam ſignificari *rectitudinem*, ut * S. Thomas loquitur, *ordinis ad alterum*: ſive, ut alibi * dicit, *ad finem debitum, & ad legem divinam, quæ eſt regula voluntatis humanæ: eóque communis eſt virtus.* Quam juſtitiæ notionem hauſit ex Ariſtotele ſanctus Doctor. Nam ille * quinto libro Moralium ad Nicomachum capite tertio, id juſtum univerſè nominari aſſerit, quod eſt νόμιμον, id eſt *legitimum*. Itaque juſtus *eſt*, inquit, *qui legibus obtemperat. Quæ enim legitima ſunt, ea ſunt juſta: & quæ ab legum-latrice facultate præſcripta ſunt, legitima dicuntur, & horum quodlibet juſtum eſſe dicimus. Siquidem leges de omnibus aliquid præcipiunt:* velut fortitudinis officia, & temperantiæ, & quæ ad virtutes ceteras referuntur * Atque hæc *juſtitia*, inquit idem, *perfecta virtus eſt, non ſimpliciter; ſed ut alterum reſpicit.* Habet enim virtus omnis nonnullam rationem debiti; non uniuſmodi, ſed pro eorum, quibus exhibetur, varietate diverſum. Siquidem aliter nos erga eos gerimus, qui dignitate nos excellunt: aliter adverſus æquales, aut inferiores, ut idem * S. Thomas alio in loco diſſerit.

* S. Thom. 2. 2. qu. 123. art. 3. in corp.
* Ibid. qu. 55. ar. 4. ad 4.
* Ariſtot. 5 Eth. cap. 3.
[illegible]
* Ibidem. [illegible]

II. Et quoniam *rectum* illud *officium* (ita enim * Cicero nominat, quod Græci vocant κατόρθωμα) ſive hominis ad ſeipſum eſt, ſive ad alium; Deo, ac legi divinæ quodammodo perſolvitur: ideo valet Ariſtotelis illa præſcriptio; communem illam juſtitiam, perfectam eſſe virtutem, non ut in ſe conſideratur; ſed ut refertur ad alterum: hoc eſt, quatenus alteri, cui naturaliter obnoxii ſumus, Deo videlicet, ejúſque voluntati, quæ eſt antiquiſſima lex, omnia virtutum omnium officia reddimus.

Rurſus verò, quatenus rectum illud, quod ineſt in rectè atque ex virtute factis, ad finem conſentaneum, & ut S. Thomas ait, *debitum ordinatur;* ſive ad legem divinam: ac tam in ſe, quàm ad alterum benè conſtitutus homo eſſe debet: idcirco juſtus ille ex uſu ſacrarum litterarum appellari ſolet, cujus animus, & vivendi ratio cum lege divina prorſus adæquatur: quo ſenſu *juſtitia*, à qua juſti, & ſancti denominantur, eſt adæquatio quædam, & congruentia cum lege, id eſt cum Dei voluntate. Ex quo intelligimus, idipſum eſſe juſtum, quod honeſtum: niſi quod λόγῳ, id eſt ratione ſic differunt; quoniam *juſtum*, uti dixi, ad alterum comparatur, quem tamquam debitores reſpicimus: honeſtum verò idem iſtud eſt, quatenus honore, ac laude dignum eſt, nempe * quod *etſi à nullo laudetur, tamen eſt laudabile natura.*

* In 1. 2. qu. 60. art. 2.
* Lib. 1. Off. ſub init.
* Cic. 1. de Off.

Atque hoc ipſum etiam decorum appellari ſolet, *quod Græcè πρέπον dicitur. Cujus vis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari. Nam & quod decet, honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt, decet:* ait Cicero, & poſt hunc * Ambroſius: qui amborum diſcrimen, *quod faciliùs intelligi, quàm explanari poſſe*, cum Cicerone dixerat, ita definit, * *ut honeſtus velut bona valetudo ſit, & quædam ſalubritas corporis: decus autem tamquam venuſtas, & pulchritudo ſit. Sicut ergo pulchritudo ſuper ſalubritatem, ac valetudinem videtur excellere, & tamen ſine his eſſe non poteſt, neque ullo ſeparari modo; quoniam niſi bona valetudo ſit, pulchritudo eſſe, ac venuſtas non poteſt: ſic honeſtas decorum illud in ſe continet, ut ab ea profectum videatur, & ſine ea eſſe non poſſit.* Itaque decorum illud velut florem eſſe dicit, cujus radix eſt honeſtas. *Quid enim eſt honeſtas, niſi quæ turpitudinem, quaſi mortem fugiat? Quid verò inhoneſtum, niſi quod ariditatem, ac mortem afferat? Virente igitur ſubſtantia virtutis, decorum illud tamquam flos emicat, quia radix ſalva eſt.*

* Lib. 1. de Off. c. 45.
* Ambr. ibid.

III. Jam decorum illud, quod re idem eſt cum honeſto, atque juſto, duplex à Cicerone deſcribitur. *Nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur: & aliud huic ſubjectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis.* Quod * Ambroſius explicat ſic. *Illud generale ita eſt, ut ſi æquabilem formam, atque univerſitatem honeſtatis in omni actu ſuo habeat concinentem, cùm omnis ſibi ejus viſa conſentit, nec in una aliqua re diſcrepat. Hoc ſpeciale, cùm aliquem actum in ſuis habet virtutibus præminentem.*

* Ibid. c. 46.

Sic & honeſtas, & juſtitia, alia eſt generalis, quæ omnia virtutum officia complectitur, & *per univerſitatem funditur honeſtatis*, ut loquitur Ambroſius: alia ſpecialis eſt, *quæ in parte aliqua emicat*. Nam alia eſt honeſtas fortitudinis, alia temperantiæ, alia prudentiæ: ut & decorum ineſt omnibus juſtumque diverſum.

Ceterùm qui virtutis cujuſpiam officium eligit, ac præſtare ſtudet, eum neceſſe eſt in formam, ac ſpeciem honeſti ejus, ac juſti, quod ſibi propoſuit, intuentem, idipſum appetere ac diligere. ut qui temperanter aliquid facere vult, amore ducitur honeſtatis illius, ac juſtitiæ, quæ ineſt in coercendis moderandiſque voluptatibus, quatenus divina lex id præcipit: ſi Chriſtiana fungi virtute velit. quod idem in fortitudine, ac prudentia, ceteriſque virtutibus accidit. Similiter qui omnia Chri-

ſtianarum omnium officia virtutum exequi, ac legem univerſam obſervare ſtatuit, animo priùs informat, & voluntate appetit, eligitque generale decorum illud, & honeſtum, ac juſtum, quod per omnes honeſti, ac legitimi, hoc eſt juſti partes diffunditur.

* Lib. 1. c. 7. parag. 3. & lib. 2. cap. 2.

IV. Hic ille eſt amor juſtitiæ, cui caritatis & dilectionis nomen tribuit Auguſtinus, uti * ſuprà memoravimus. Non enim ſolam veram, propriéque dictam caritatem huic illum vocabulo ſubjeciſſe, copioſè hactenus oſtendimus: ſed amorem recti, honeſti, atque juſti, quod divina, & Chriſtiana lege continetur, ac præcipitur. Itaque omnem piæ voluntatis affectum, quo ſive ex præveniente Chriſti gratia, impius ac peccator ad vitæ melioris deſiderium, & propoſitum accenditur: ſive jam converſus, aut etiam juſtificatus, ad expreſſiora & firmiora Chriſtianæ legis officia progreditur, caritatis vocabulo afficit Auguſtinus: quoniam amor ineſt honeſtatis in illo, ac juſtitiæ. Eſt enim prima motio, & quaſi impetus voluntatis, quam ὁρμὴν Græci vocant, amor, qui eſt inclinatio quædam illius in bonum & propenſio, ſive *pondus*, ut loquitur Auguſtinus, *quo fertur ipſa, quocumque fertur.* Quare quodcumque tandem virtutis opus faciendum eligit, cujuſmodi nullum, niſi juſtum, id eſt legitimum, ſive νόμιμον, & honeſtum eſt, ab amore illius, id eſt appetitione incipit. Sic amor juſtitiæ initium eſt bonæ, ac laudabilis voluntatis, & actionis.

* Vide To. 3. lib. 5. c. 2.

V. Neque verò juſtitia illîc intelligenda eſt ea, quæ ineſt Deo, vel potiùs Deus eſt, qui eſt juſtitia, veritas, bonitas; quod * Armacanus Dogmatiſta novus arbitratus eſt: ſed eſt honeſtas, vel juſtitia, quæ virtuti cuilibet propoſita eſt, & objecta. Etenim amor iſte, quo voluntas juſtitiam expetit, ac proſequitur, actuoſus eſt, ſive, ut vocant, *practicus*, hoc eſt efficiens ejus quod appetit. Amat enim quod reipſa faciendo cupit aſſequi. Cujuſmodi non eſt divina, & increata juſtitia, vel honeſtas, ſed creata, & niſu, actionéque humanæ voluntatis exprimenda. In quo differt amor ille juſtitiæ à vera, propriéque dicta caritate, qua Deus propter ſe diligitur. Deum porrò cùm dico, juſtitiam quoque Dei, & bonitatem, & quodcumque tandem ineſt Deo, ſive Deus eſt, intelligi volo. Nam amare Dei juſtitiam, quà bonum eſt Dei, caritatis eſt perfectæ, ac *Theologicæ*, ut appellant, virtutis. Sed non eſt talis amor iſte, de quo nunc agimus, juſtitiæ; ſed virtutibus communis omnibus: quarum nulla niſi honeſtum, ac juſtum nihil perſequitur. Quod de illis adeò dicendum eſt, quæ implicitum habent amorem ejus, qui ſic amat, & *amori concupiſcentiæ* vulgò tribuuntur; ut cùm homo ſpe, ac deſiderio felicitatis æternæ potiundæ; vel ſempiternæ vitandæ damnationis, ad Deum converti expetit, & odio peccati ac deteſtatione tangitur, aut melioris inchoandæ, ac proſequendæ vitæ, ſive divinæ obſervandæ legis voluntatem ſuſcipit. Cùm enim juſtum, honeſtúmque ſit obtemperare Deo, & quod hic vult, imperátque, facere; velit autem, ac jubeat Deus *timere illum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam*, & æterna vitare ſupplicia; tum verò iis ipſis ante oculos poſitis, id eſt *noviſſimis intellectis & proviſis*, ſapere, ac peccatum odiſſe, virtutémque colere: profectò qui iſtud facit, juſtum honeſtúmque, id eſt legi & voluntati divinæ conſentaneum opus facit, & quod per ſe, ac nullum ad finem alium, ac diverſum actu ipſo redactum, laude approbationéque ſit dignum: quandoquidem ejus, cur fiat, honeſta & probabilis afferri cauſa poteſt. * Id autem honeſtum, ac propter ſe appetendum dicitur; non quod nullius rei alterius gratiâ, ſed propter ſe ſolum expetitur: verùm quod ex ſe habet, unde honeſtè, ac laudabiliter poteſt appeti, etſi de nullo alio cogitetur, tamquam ulteriori aliquo fine.

* S. Tho. 2. 2. qu. 145. art. 1. ad 1.

VI. Et quoniam nulla eſt ad Chriſtianam honeſtatem, vel juſtitiam pia voluntatis motio, quæ non ex fide proficiſcatur, ut conſtanter ab Auguſtino traditur: * *Fides autem ex auditu eſt: auditus autem per verbum Chriſti:* ideo omnis hujuſmodi per prævenientem gratiam excitatæ voluntatis impulſio, quem *amorem*, & *dilectionem juſtitiæ* ab Auguſtino vocari ſuprà diximus; habet adjunctum pium & benevolum neſcio quem ſenſum, & affectum erga Chriſtum Dominum, ac Deum. Nam & hunc dignum eſſe judicat, cui de rebus occultis, & naturæ captum ſuperantibus aſſeveranti certa fides adhibeatur: & quoniam promiſſa omnia, quibus ad peccati, & diaboli jugum excutiendum, Chriſti verò ſuſcipiendum, allicitur humanus animus, vel æterni ſupplicii comminationes, quibus ſalubriter concutitur, ac terretur, non ſine religioſa de Deo, atque Chriſto cogitatione, & honorifico judicio, ac placendi deſiderio peccatores commovent, & paullatim convertunt: neceſſe eſt ineſſe tacitum quemdam illis permotionibus amoris affectum, ac deſiderium tanti, cujus compotes eſſe cupiunt, & quo carere metuunt, boni.

* Rom. 10. 17.

Quamobrem illud adverſus novam factionem ante omnia retinendum eſt; amorem juſtitiæ generatim univerſéque ſumptæ, quam caritatem, dilectionémque juſtitiæ, aut etiam Dei, nonnumquam vocat Auguſtinus, ad omnia virtutum Chriſtianarum genera pertinere, atque omnes pios, & honeſtos complecti voluntatis affectus, qui ex Chriſti gratia derivantur; & hunc ipſum amorem juſtitiæ aliàs perfectum, aliàs imperfectum, & inchoatum exprimi ab eodem Auguſtino.

VII. Neque verò, quod iſti falsò exiſtimant, juſtitia, cujus amorem caritatis nomine afficit Auguſtinus, Deus eſt ipſe propriè, & explicatè, & ut Scholæ loquuntur, formaliter objectus: ſed confusè, & δυνάμει, ac vi, ſive, ut eædem barbariſſantes Scholæ dicere amant, *virtualiter*. Quod dupliciter evenit. Primùm quatenus boni omnis, præſertim honeſti, & virtutis proprii, fons & origo eſt Deus, idque peculiari quadam ratione, & voluntate in nobis efficit. Deinde quòd iſtiuſmodi voluntatis impetus, & motiones ex fide, & antecedente Dei, ejúſque mandati notitia; tum affectu in illum pio, ac benevolo, uti paullò antè diximus, exiſtunt. Unde conſequens voluntatis electio, qua liberè juſtitiam illam & honeſtatem qualemcumque arripit, vi præcedentis illius inſtinctus gratiæ in Deum tendit, & adjunctum habet cum honeſti deſiderio, Dei ipſius amorem, ac ſenſum excellentiæ illius, aut indulgentiæ, ac bonitatis, aut ſeveritatis ac juſtitiæ. Quemadmodum ubi ſemel agitatum eſt ventis mare, etiam illis interquieſcentibus, undæ tamen adhuc tremulæ ſunt, & earum *poſt ventum quoque volutatio eſt*, ut ait * Seneca.

* Sen. de Br. vitæ c. 2. & de Tranq. c. 2. Gellius lib. 2. c. 30 Synef. ep. 4. p. 162.

Eſt itaque laudabilis, & honeſtus ille affectus animi, qui & ex Chriſti gratia, non ex propriis naturæ viribus oritur; & ad hoc tendit, quod honeſtum eſt, ac legi, voluntatique Dei conſentaneum: nec ulla peccandi voluntate maculatur. Qua triplici conditione notata & perſpecta, ſcies quid inter timorem illum ſervilem, ac vitioſum, quem amori juſtitiæ opponit Auguſtinus, & hunc ipſum interſit, quo juſtitia propter ſe diligitur: & omnes Armacanorum inſultus fractos, debilitatóſque ſenties.

VIII. Etenim quod ad primum de tribus attinet, jam illud præmonuimus, motionem illam voluntatis rudem & inchoatam, qua primitus à peccato reſipiſcimus, & ad Deum nos convertere volumus, ſi ex divino inſtinctu, & Chriſti gratia in nobis efficitur, peccandi voluntatem excludere, & initium quoddam eſſe juſtitiæ, cujus amorem in ſeſe complectitur. Nemo enim juſtus eſſe cupit, niſi volens, & amans ejus, quam deſiderat, juſtitiæ. Cui contrarius eſt affectus ille, qui propriis viribus nititur, & juſtitiam non quæ ex Deo eſt, ſed ſuam perſequitur. De quo ita ſcribit Auguſtinus: * *Lege Dei propoſita quiſquis tumuerit, & ſuis viribus eam implere ſe poſſe putaverit, & feceris quod lex jubet, non amando juſtitiam, ſed timendo pœnam; ſuit quidem ſecundùm juſtitiam, quæ ex lege eſt, homo ſine querela, non furatur, non adulterat,* &c. *Poteſt hoc, poteſt fortaſſis. Unde? Timore pœnæ. quamquam qui timore pœnæ non concupiſcit, puto quia concupiſcit. Terrore ingenti armorum, atque telorum, & circumdantis forſitan multitudinis, vel obviam euntis, etiam leo revocatur à præda: & tamen leo venit, leo redit: prædam non rapuit, non malitiam poſuit. Si talis es, adhuc juſtitia tua eſt; quæ juſtitia tibi conſulis, ne torquearis.* Tum cetera pertexit, quæ * ſuprà capite octavo deſcripſimus. De illo igitur timore, & voluntatis motione loquitur Auguſtinus, quæ eſt *juſtitia noſtra*, hoc eſt humana, & inſitis à natura viribus acquiſita; non autem Chriſti excitata gratiâ. Cujus tanta vis, & efficacitas non eſt, ut peccandi conſilium, ac voluntatem tollat, ſed ut premat tantùm, ne in actionem prodeat; cùm interiùs, & in animo eadem interim voluntas hæreat, delicti, ſi impunè liceret, reipſa perpetrandi.

* Aug. Ser. 5. de verb. Apoſt. c. 6.

* Paragr. 6.

IX. Sic

Digitized by Google

* To. 4. pag. 389. D 1.

IX. Sic * in libro Expoſitionis epiſtolæ ad Galatas, de utroque animi ſtatu diſſerens, priorem, qui _ſub lege eſt ante gratiam_, ita deſcribit; _quando prohibetur quidem, & conatur à peccato abſtinere ſe, ſed vincitur: quia nondum juſtitiam propter Deum, & propter ipſam juſtitiam diligit, ſed eam ſibi vult ad conquirenda terrena ſervire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipſam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, & relinquit juſtitiam: quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud, quod ſe nunc videt amittere, ſi illam tenuerit._ Hæc eſt humana, & carnalis juſtitia; qua cum peccandi deliberata voluntas, & cupiditas manet. Sequitur altera. _Tertia eſt_, inquit, _vita ſub gratia, quando nihil temporalis commodi juſtitiæ præponitur: quod niſi caritate ſpiritali, quam Dominus exemplo ſuo docuit, & gratiâ donavit, fieri non poteſt._ Hujuſmodi eſt non perfecta ſolùm voluntatis motio, quâ Deum propter ſeipſum, ſive increatam bonitatem, & juſtitiam diligit: ſed etiam qualemcumque honeſtatem, & juſtitiam; hoc eſt virtutis opus, officiumque conſectatur; non ex proprio, innatóque impetu; verùm ex divino ſancti Spiritus inſtinctu, atque ex Chriſti gratia. Tunc enim juſtitiam ipſam propter ſe amat: eo quod illud eligit, & affectat, quod Deus præcipit, & ad quod hortatur ipſum, atque excitat: nec _temporale commodum juſtitiæ antepoſuit_ iſti. Neque enim Deum offendere vult: ſed ad eum potiùs ſeſe convertere, & cum illo in bona eſſe gratia: tametſi nondum ad perfectum amor iſte pervenerit: quoniam præter Deum aliquid commodi ſui; non tamen adverſus Deum, vel ſupra Deum, amando perſequitur.

X. Quippe aliud eſt oriens & inchoata juſtitia, ſive honeſti amor, & juſti: aliud robuſta, atque perfecta: cùm tamen utraque juſta, & honeſta ſit voluntas, hoc eſt caritas: ac per priorem impetretur poſterior. * _Per fidem_ enim _confugimus ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet, atque inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum ſanctum faciat plus delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit_, &c. _Ut anima ſanata, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ operetur bonum._ Solet autem Auguſtinus _amorem juſtitiæ_ vocare perfectum illum, & robuſtum, ac defæcatum: ut & gratiam: quemadmodum * eodem in libro, unde locus ille ſumptus eſt, cùm paullò pòſt, _per fidem impetrari gratiam_ aſſerit _contra peccatum_; &, _fidem impetrare gratiam, qua lex impleatur, qua gratia ſanat voluntatem, qua juſtitia liberè diligatur._ Et ad * Simplicianum, _Niſi vocando_ (ait) _præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari, & accipiat facultatem benè operandi:_ quod ipſum alibi paſſim repetit: ut nos ſuprà demonſtravimus. Peſſimè igitur ex ſimilibus Auguſtini teſtimoniis argumentantur Armacani, primos illos animi affectus, quando ſpe divinæ bonitatis erecti, vel metu ſempiternæ mortis excitati, à peccato reſipiſcimus, & ad Deum abjecta peccandi voluntate revertimur; non eſſe honeſtatis, vel juſtitiæ dilectionem. Quoniam hæc ipſa dilectio poſteriùs, quaſi fructus, ac merces prioris illius propoſiti conceditur. Qua ex illorum ratiocinatione perinde ſequitur, fidem non ex Chriſti eſſe gratia: quandoquidem per fidem impetrari gratiam non minùs affirmat: quam & juſtitiæ dilectionem nominat.

* August. de Spir. & lit. cap. 28.

* Ib. c. 29.

* Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. To. 4. p. 269. A 1.

CAPUT XI.

De Tridentini Concilii ſententia, & decreto ſuper Contritione. 1. _Novorum Dogmatiſtarum falſa illius expoſitio._ 2. _Contritio univerſè propoſita, & definita primùm à Synodo, tum in duas ſpecies diviſa._ 3. _Deſcribitur caput quartum Seſſionis XIV illius Synodi._ 4. _Tum nova ſecta in eo explicando flagitia deſcribuntur._ 5. _Quæ quidem refelluntur._ 6. _Maximè auctoritate Doctorum, qui Tridentino Concilio interfuerunt; ut Dominici Soti._ 7. _Tum Andreæ Vegæ_, 8. _necnon aliorum._

I. REVOCANDA jam noſtra diſputatio eſt ad id, quod noni capitis initio explicare cœperam; à quo neceſſariis de cauſis paullulùm eram digreſſus, ut nonnulla præmolirer ac præſtruerem, quæ novi Dogmatis arcana ſcrutantibus multùm lucis allatura videbantur. Quibus expoſitis repetenda ſunt illa modò, quæ de peccati odio, ac deteſtatione ex gehennæ metu, & ſimilibus de cauſis ſuſcepta, nono illo capite obiter injecta ſunt: & communis propugnanda Chriſtianorum eſt ſententia; quam & Tridentinæ auctoritate Synodi comprobatam eſſe docui; fruſtrà contradicentibus Armacanis. quorum ſi ulla in re, in illius certè interpretando Concilii decreto, non eſt tolerabilis, neque ſine caſtigatione prætereundus error. Sic enim illi diſputant, in Seſſione XIV, capite quarto; ubi de Contritione, quæ una eſt de tribus Sacramenti Pœnitentiæ partibus agitur; docere Synodum illam; Contritionem, qui eſt dolor ob commiſſum peccatum, ex vera, proprieque dicta caritate profectus, neceſſariam eſſe præparationem ad veniam delictorum Sacerdotali abſolutione capiendam. Falli verò omnes, ac decipi; qui Attritionem exiſtimant, citra Sacramenti quidem uſurpationem, non impetrare delictorum gratiam: in Sacramento verò, ad eamdem obtinendam ſufficere. Siquidem Attritionis nomine, cui tantam vim tribuunt, falsò iſtos intelligere motum illum voluntatis, quo ex timore pœnæ ſempiternæ, vel illecebra quapiam alia, quæ ſinceræ caritatis, ac veræ dilectionis Dei propter ſe propria non eſt, peccatum averſantur, deque eo perpetrato dolorem capiunt. Nam longè ſecus decreviſſe Concilium affirmant; ac disertè ſignificaſſe, ſolam Contritionem, quæ ex amore Dei puro, ac vero, & ipſiuſmet gratia, ſine reſpectu ad rem quamcumque creatam, impulſo naſcitur, tum ad Baptiſmum capeſſendum, tum ad Sacramenti Pœnitentiæ fructum emerendum prorſus eſſe neceſſariam.

II. Hæc verò quàm abſurda, & à Tridentinorum Patrum aliena mente ſit opinio, nihil eſt argumentis probare neceſſe. Sola capitis illius quarti ſectionis decimæ-quartæ lectio vacua ab livore ac pervicacia, & utcumque judicio, ac ratione utentibus perſuadere poteſt, alia omnia pronunciaſſe ſynodum illam; & ut inveteratus eſt in Eccleſia Catholica fidelium ſenſus, Contritionis genus, quod univerſe pium omnem, & Chriſtianum dolorem ob commiſſa delicta continet, illic bifariam dividi: ut ſit alia contritio nondum caritate perfecta, _quæ ex peccati turpitudine, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, quæ Attritio_ vulgò _dicitur_: alia ſit caritate perfecta, quæ commune generis nomen proprium ſibi facit, & Contritio nominatur. Quarum prior citra Sacramentum idonea non ſit ad peccatorum percipiendam relaxationem, ac veniam: in Sacramento verò Pœnitentiæ ſatis eſſe poſſit: poſterior autem etiam extra ſacramentum hominem Deo reconciliet, ſed cum obeundi ſacramenti voto, ac propoſito. Hæc ſumma eſt Tridentini decreti; quod nuperi iſti Theologi prava, & violenta interpretatione detorquent. Ac tota illorum ratio puerili, & ſophiſtica calumnia fucum facit imperitis, aut parum attentis Lectoribus. Quem ut oculis omnium ſubjiciam, totum ipſum Tridentinæ Synodi caput exſcribam. Non enim aliter aut illorum intelligi fallacia poteſt: aut quæ adverſus hanc à nobis ſunt dicenda percipi.

TRIDENT. CONCILII SESSIONIS XIV.

CAPUT IV.

DE CONTRITIONE.

III. CONTRITIO, _quæ primum locum inter dictos Pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt, de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius: & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit; quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus, hanc Contritionem, non ſolùm ceſſationem à peccato, & novæ vitæ propoſitum, & inchoationem; ſed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum. Et certè qui illos ſanctorum clamores conſideraverit; Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amari-_

tudine animæ meæ, & alios hujus generis: facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando caritate perfectam eſſe contingat, hominémque Deo reconciliare, priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur: ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni, ſine ſacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verumetiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem peccatorum perducere nequeat; tamen eum ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre: quod numquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit. Sed & falsò docent, Contritionem eſſe extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.

IV. In illo Tridentini Concilii capite perſpicuè communis illa, quam expoſui ſuprà, ſententia continetur de duplici dolore, altero imperfecto, qui Attritio dicitur, altero perfecto, quem Contritionem vocant, cùm idem ſit & hujus ſpeciei, & totius generis vocabulum. At nova Theologia Synodali decreto, ejuſque verbis intolerabili audacia vim faciens, inde iſtud colligit, * *Numquam juſtificationis gratiam ſive extra Sacramentum, ſive in Sacramento tam Pœnitentiæ, quàm Baptiſmi, adultis dari, niſi Contritio antecedat.* [* To. 3. lib. 5. cap. 34.] Quod ex Concilii verbis probare ſic pergit. Primùm enim materiam Sacramenti Pœnitentiæ Contritionem eſſe ſtatuit. Hanc autem definit ſic, ut ſit *animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero:* cujus etiam *motum quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuiſſe neceſſarium* affirmat. Porrò *hanc eamdem contritionem non ſolùm vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed & veteris odium continere* docet. Quod probat ex illis Scripturis, quæ poſtulant, *ut faciamus nobis cor novum, & ſpiritum novum.* Quibus, & aliis adjunctis ibidem verbis, veram ab Concilio deſcriptam eſſe Contritionem defendit. *Nam illa eſt*, inquit, *quæ cor novum, & ſpiritum novum facit. Illa odium anteactæ vitæ, vehementémque peccati deteſtationem continet.*

His animadverſis, affirmare Concilium ait, talem à ſe deſcriptam Contritionem, hoc eſt veram *aliquando caritate perfectam eſſe ante Sacramentum, hoc ipſo indicans ſæpè non eſſe caritate perfectam ante Sacramentum. Quod non alia ex cauſa dixit, niſi quia quædam eſt Contritio veri nominis, & rationis, & eſſentiæ, quæ tamen nonniſi cum Sacramento ad juſtificationem acquirendam ſufficit.* Quam attritionem ſubinde nominat. *Significat ergo* Tridentinum, iſtam *attritionem eſſe veri nominis, & rationis contritionem, ſed, uti nominat, imperfectam. Nam quidquid ad contritionem in definitione requiſiverat, iſti imperfectæ contritioni, ſive attritioni convenit. Duo quippe ad contritionem neceſſaria poſtulaverat, animi dolorem, ac deteſtationem de peccato commiſſo, & propoſitum non peccandi de cetero. Utrumque verò diſertis verbis iſti attritioni tribuit. Nam primò in eodem loco poſtulat, ut voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; & canone quinto, qui ex illo decreto ſumptus eſt, deteſtationem peccatorum ei tribuit, cum propoſito melioris vitæ. Quæ ſunt ipſiſſima, quæ ad contritionem requiſiverat, & quibus duabus conditionibus ab hujus imperfectæ contritionis, ſive attritionis eſſentia rejicitur omnis illa attritio, quæ ex ſolo timore pœnæ, ſive temporalis, ſive æternæ proficiſcitur.* Hactenus novi Dogmatiſtæ.

V. Atqui pleniſſimè conſtat, diſtorqueri ab illis Concilii verba, & aliorſum prava, & ludicra interpretatione compelli. Nam Contritio initio capitis illius quarti, tamquam genus conſtituitur; cujus ſpecies eſt duplex, perfecta ſcilicet, & imperfecta. quarum illa propriè Contritio; hæc Attritio paullò poſt vocatur. Quæcumque ergo de Contritione dicit Synodus, uſque ad illa verba; *Docet præterea*, &c. ad Contritionis genus pertinent, & utrique ſpeciei conveniunt. Nam & Attritio *animi dolor eſt, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero:* nec aliter à Contritione perfecta differt, quàm objecto, quod *motivum* nominant, ut diſertè Concilium in ſequentibus declarat, dum ait, *Attritionem ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipi, tum voluntatem peccandi excludere*, cùm *ex impulſu Spiritus ſancti* oritur; cujuſmodi eſt illa, de qua hîc agimus, & quæ ſola pars eſt Sacramenti Pœnitentiæ. Hæc enim *vitæ novæ propoſitum inchoat, & à peccato ceſſationem; ac vitæ veteris odium continet:* non quidem perfectum, ſed inchoatum, & paullatim perficiendum. Itaque cùm ad Baptiſmum neceſſariam eamdem illam eſſe præparationem ex Synodi verbis intellexerit Armacanus, animadvertere debuit, quid Tridentini Patres, cùm de Baptiſmo agunt, ad eum requiri doceant. * Nimirum fidem imprimis, tum timorem divinæ juſtitiæ: exinde ſpem, & fiduciam; [* Seſſ. 6. cap. 6.] necnon *affectum* illum animi, quo *eumdem, tamquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt.* Incipiunt, inquit, diligere; non perfectè, neque ex caritate propriè dicta diligunt. Poſtea *moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem; hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet.* Denique *proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Hæc omnia congruunt Attritioni, ſive imperfectæ Contritioni. Et quocumque ſe vertant Armacani, efficere non poſſunt, quin, uti dixi, Synodus Tridentina duas illas Contritionis ſpecies ſolâ, ut vocant, movente cauſâ, ſive *motivo* diſcreverit.

VI. Hanc porrò Tridentinorum Patrum fuiſſe mentem ac ſententiam, argumento eſſe debet communis poſt illam Synodum Theologorum conſenſio: præſertim Scholaſticorum; qui tum duplicem Contritionem, & utramque, cujuſmodi hoc capite deſcripſimus, paſſim aſſerunt: tum auctorem, ac fundum illius doctrinæ Tridentini Concilii decretum eſſe prædicant. Duos non ampliùs memorabo, qui ei Synodo interfuerunt, & quis illorum Patrum ſenſus eſſet propiùs noſſe potuerunt.

Alter eſt Dominicus Soto, qui in Commentariis ad quartum ſententiarum, luculenter omnia illa confirmat, quæ adverſus Armacanos, pro communi Chriſtianorum omnium προλήψει, id eſt anticipata, & divinitus inſpirata ſententia, diſputavimus, & Tridentini decreti confictam ab illis interpretationem, minimèque cohærentem redarguit. Ejus verba neceſſario hoc loco deſcribenda ſunt.

* *Nomine attritionis*, inquit, *ſolùm illam deteſtationem intelligimus, quæ per ſe non ſufficit ad delendum peccatum, ſufficit tamen cum Sacramento. Nomine verò ſimpliciter Contritionis, illam, quæ per ſe ſufficit ſine ſacramento: quæ quidem eſt ſimpliciter converſio in Deum. Ex his primùm ſequitur, quòd Contritio, & attritio convenire debent non ſolùm in hoc, quòd utraque ſit deteſtatio peccati ſuper omne deteſtabile: verùm & in abſoluto propoſito numquam peccandi pro aliqua re mundi. Probatur, quoniam aliàs ille actus neque cum ſacramento ſufficeret. quare non eſt nomine attritionis dignus. Igitur illam velleitatem impœnitentium non eſt cur attritionem appellemus: nam etſi de præterito peccato ſufficiat volitio illa conditionalis, nollem peccaſſe: tamen abſoluta requiritur voluntas exeundi à peccatis, atque adeo numquam in futurum peccandi.* [* Dom. Sotus in 4. Diſt. 17. qu. 1. art. 5.]

Mox utriuſque differentias colligit: quarum prima *ſumitur*, ait, *ex parte objecti; quòd contritio eſt dolor de offenſa Dei: ſeu, quod idem eſt, propter Deum: Attritio verò dolor peccati ob timorem inferni, aut aliorum nocumentorum temporalium. Secunda ſumitur ex parte cauſæ; quòd attritio oritur ex timore ſervili pœnarum: contritio verò ex timore filiali: ut Diſt. 14. qu. 2. art. 5. monſtravimus.*

VII. Andreas Vega in libro xiii de Juſtificatione, ex Tridentini Concilii, cui & ipſe interfuit, ſenſu, de Contritione, ejúſque duplici forma, perfecta ſcilicet, & imperfecta, copioſam orationem explicat. * Ac primùm rationem affert, cur Synodus, cum de Pœnitentia, ejúſque partibus ageret, *Contritionem* univerſè *deteſtationem peccatorum* appellaverit, etſi *communius eſt in ſchola Contritionis vocabulum. Nam ſtatim Patres cor, quod deteſtatur peccatum, cor contritum vocavère.* [* Vega lib. 13. c. 17. init.]

Sic

Sic igitur cauſam illius exponit. *Ea verò ratione, communiori hoc deteſtationis nomine uſi videntur,* NE ATTRITIONEM, QUÆ IMPERFECTUS EST DOLOR DE PECCATIS, A PARTIBUS POENITENTIÆ VIDERENTUR EXCLUDERE.

Idem capite toto XXXIII ſatis indicat, Attritionem in Sacramento Pœnitentiæ idoneam eſſe materiam, ac diſpoſitionem ad recuperandam gratiam & juſtitiam; quòd tunc ſuperveniens Sacerdotis Abſolutio peccatorem juſtificat, *& ex Attrito facit Contritum extrinſecè propter ſuperveniens ſacramentum.* Sed auctoris integrum locum
* P. 588. col. 1. præſtat hic deſcribere: *Tunc dumtaxat* (ait * capite XXXIV libri XIII) *concedendum eſt, primam gratiam conferri in hoc Sacramento, cùm quis dolet de peccatis timore pœnæ imminentis, vel propter mala alia ex eis ſecuta, vel propter turpitudinem ipſorum, vel denique alia quavis ratione, & non quatenus ſunt offenſa Dei*

Porrò ad hæc conſequens eſt, attritum fieri poſſe contritum per hoc ſacramentum. Nam attritum communiter in ſchola vocamus dolentem imperfectè de peccatis ſuis; contritum verò quemcumque vel perfectè dolentem de ipſis, & quantum ſufficit ad recuperandam gratiam, vel habentem dolorem de peccatis conjunctam alicui, cum quo ſufficit ad gratiam. Et quia concedendum videtur, omnem contritum habere contritionem, quamvis quæſtio ſit de nomine, concedere poſſumus, attritionem fieri contritionem extrinſecè propter ſuperveniens ſacramentum: quia ille actus, qui ante ipſius ſuſceptionem erat attritio, invariatus manens, dicetur fieri contritio, quoniam ad reparandum lapſum tantum valet cum ſacramento, quantum actus, qui ex ſe, & ſua perfectione ad id ſatis eſſet per Dei miſericordiam, & intrinſecè eſt contritio.

VIII. VIDES quod fuerit Synodi Tridentinæ de Attritione judicium, quámque ab Armacana novitate diverſum; & cum illa, quam adverſus hanc defendimus, communi opinione conſentiens. Nam dolorem illum, qui de peccatis ex imminentis pœnæ metu capitur, & *non quatenus ſunt offenſa Dei*, Attritionem ab illa nominari ſynodo Vega teſtatur: eamdémque Sacramenti Pœnitentiæ idoneam eſſe materiam; hoc eſt ſufficientem eſſe præparationem animi, ad percipiendam Sacramenti, & Sacerdotalis Abſolutionis beneficio peccati veniam, & juſtificationem: quam per ſe, & extra Sacramentum obtinere non poteſt. Itaque tunc *primam* ait *gratiam*, hoc eſt juſtificationem, *conferri in hoc Sacramento*, cùm in ſolam cadit Attritionem, & dolorem imperfectum: non ut in altera ſpecie, hoc eſt perfecta contritione accidit, quæ etiam ante Sacramentum primam gratiam repræſentat; ſive peccati veniam, infuſionemque juſtitiæ. Ex quo vulgare dictum illud interpretatur, Sacramentum ex attrito reddere contritum: quoniam illius ope Pœnitens, cum attritione ſua, fructum eumdem reconciliationis auſert, & juſtitiæ, quem extra Sacramentum perfecto dolore, ſive contritione propriè dicta retuliſſet.

Hæc igitur Tridentinorum Patrum ſententia Vega teſte fuit, adamuſſim cum noſtra congruens, & ab Armacano commento tantum diſtans, *ὅσον οὐρανὸς ἀπὸ γαίης.*

His accedit * auctor Commentarii de hiſtoria Concilii Tridentini, Catholicæ alioqui partis apertus hoſtis: * P. 431.
qui in libro quarto, cùm de Synodi Decreto agit, déque Contritione, & Attritione, eodem prorſus modo, quo ſuperiores illi duo, & nos adeo, mentem illius interpretatur.

IX. PRÆTER hos adjungi poſſunt ejuſdem ſeculi Scriptores non pauci: qui contra Lutheri recèns exortam hæreſim eadem armati doctrina dimicarunt. Ut inter alios Ruardus Tapperus Lovanienſis olim Doctor, & Academiæ Cancellarius: qui in Expoſitione, ac defenſione Articuli quarti Lovanienſis, Attritionem perinde ſufficientem docet eſſe præparationem ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ capiendam: * *quamvis oriatur ex timore pœnarum ſpiritualium, vel æternarum, quæ lumine fidei cognoſcuntur. Hanc enim Doctores Scholaſtici* (ait) *propriè Attritionem vocant.* Quam * deinde citra Sacramentum negat idoneam eſſe ad peccati veniam obtinendam: verùm accedente ſacramentali abſolutione, gratiam & ſanctitatem infundi: eóque modo intelligendum eſſe, quod vulgò dicitur, ſacramentum ex attrito facere contritum.

* Tap. To. 2. p. 150. col. 2. init. * Ib. p. 311. col. 1. * In Aſſert. ſep. Sacram. col. 42. & in Confut. art. 5. Luth. col. 385. & ſeq. necnon art. 6. col. 400. & ſeq.

Quam tralatitiam Scholarum doctrinam eodem modo explicat, & propugnat adverſus Lutherum * Joannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus, pietate vir, & doctrina longè celeberrimus. Quod & antea ſcriptis prodiderat Joannes * Gerſonius, & ante hunc * S. Thomas, * Scotus, & his antiquior * Alexander Alenſis, tum ex Juris Canonici conſultis, qui Tridentinorum Patrum æqualis fuit Martinus Navarrus in Manuali capite primo, §. 42, & 43. Atque hæc, ut jam dixi, vulgò & in Theologorum ſcholis, & in Eccleſiarum pulpitis, & in uſurpatione Sacramenti Pœnitentiæ, apud Catholicos inveteravit opinio.

* Gerſ. par. 2. p. 35. D. * S. Tho. in 4. Diſt. 18 qu. 2. art. 5. in corp. * Scot. in 4. Diſt. 14 qu. 4. * Alen. To. 4. quæſt. 24. Mem. 2. art. 3. p. 468.

INDEX

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

CAPUT I. **E**XPONITUR *illorum opinio, qui legi Moſaicæ præceptum attribuunt illicita rei ac nefaria. Cujus erroris ſumma ad certa capita revocatur.* pag. 212

II. *Vetus Teſtamentum, ex nuperorum Dogmatiſtarum opinione, omni gratia, & auxilio ad bene vivendum, & ad ſalutem neceſſario caruiſſe: idque non Judæorum, ſed Legis ipſius vitio atque culpa.* 213

III. 1. *Apologetici nuperi πρόφασις & fucus, in propugnando Moſaicæ Legis adverſario.* 3. *Legem per ſe eſſe bonam; ex accidenti verò cauſam peccati.* 4. *Dogmatiſtæ nuperi falſa opinio.* 5. *Auguſtini auctoritate damnata.* 6. *Manichæorum & Marcionitarum affinis hæreſi.* 214

IV. 1. *Legis antiquæ vituperatores, eorúmque principem contra ſe ſentire, ac veræ interdum opinioni ſuffragari. Quid ſit ex profeſſo aliquid facere, & ex accidenti.* 2. *Declaratur medicorum exemplo, quomodo Lex vetus ex accidenti peccatum augebat.* 3. *Refelluntur ex Auguſtino Legis obtrectatores.* 4. *Tum ex uſu communi loquendi, & abſurdo, quod ex illorum ſententia ſequitur.* 216

V. 1. *Anomorum erroris capita tria; quæ ſingillatim refutantur.* 2. *Primum, Synagogam non fuiſſe veram Eccleſiam, ſed colluvionem quamdam hominum carnalium ex genere ſuo damnabilem:* 3. *Atque hoc non ex eo factum eſſe, quòd mali eſſent, ſed quòd ex legis præſcripto viverent.* 4. *Secundum caput; in Eccleſia tam quæ ante Chriſtum extitit, quàm quæ poſtea ſecuta eſt, ſolos cenſeri juſtos.* 5. *Tertium caput, Judæos eo ipſo, quòd legi obtemperarent, ſcelus feciſſe, ac damnationem meruiſſe.* 217

VI. 1. *Digreſſio ad explicandum legis, ac Teſtamenti veteris ſtatum, ex Apoſtoli ad Romanos epiſtola doctrina ab Auguſtino declarata.* 2. *Judæorum, ac gentilium de juſtitia contentio.* 3. *Quid Lex propriè egerit.* 4. *Cur eam à gratia ſejunxerit Apoſtolus.* 5. *Legis veteris ratio potiſſimùm in ſanctione, ſive pœnæ ſubſtrictione ſpectatur. Quid ſit ſub lege eſſe.* 6. *Finis, ac ſcopus in danda lege, Deo propoſitus, iſque triplex.* 7. *Quæ ſingillatim probatur.* 219

VII *Conſectaria ex ratione legis ſuperiori capite confecta.* 1. *Refellitur error Anomorum negantium Judæos, ad ſervandam legem ſibi divinitus traditam, ullis gratiæ fuiſſe præſidiis inſtructos.* 2. *Gratiæ genus duplex, initialis, & adulta.* 3. *Hanc caritatis, illam fidei nomine Auguſtinus appellat: & utramque rurſus caritatem nominat.* 4. *Legis quoque vocabulum interdum mandata, interdum cœtum ſignificat populi lege devincti.* 5. *Utroque modo lex vetus à nova diſtat, ut figura à veritate.* 6. *Ex eo vetus eſt dictum prius Teſtamentum, quòd in promiſſis temporalibus, figuraret ſpiritalia, & æterna.* 7. *Præcepta legis novæ, quod ad ſubſtantiam attinet, eadem quæ veteris, aut penè eadem eſſe Veterum aliqui dixerunt.* 8. *Finis in quo diverſus: & an promiſſum in lege veteri regnum cœlorum.* 221

VIII. 1. *Nulla lex, quà præceptis conſtat, gratiam ac vires ad agendum ſufficit.* 2. *Lex nova, non ut lex, ſed ut ſtatum, auctorem, & opes novi Teſtamenti complectitur, auxilia gratiæ ſubminiſtrat.* 3. *Ita Spiritus S. nova lex digito Dei cordibus inſcripta dicitur.* 4. *Chriſti gratia non ſic eſt propria novi Teſtamenti ut in vetus porrecta non fuerit.* 5. *Finis proximus legis veteris temporalis, conſentaneis gratiæ acceſſionibus rudem populum ad ſpiritalia, & æterna deſideranda provexit.* 6. *Status iſte veteris proprius legis imperfectus fuit, malus non fuit.* 7. *Medicorum hoc exemplo declaratur.* 8. 9. *Et ex Auguſtino, aliíſque probatur.* 223

IX. 1. *Ex dictis lux admovetur Anomorum dogmati.* 2. *Quid ſit Synagoga, ut Synagoga, & quæ vis reduplicativi termini.* 3. *Synagoga χαρακτηριστικὸν ἰδίωμα, fœdus antiquum, & Moſaica lex erat.* 4. *Conſentaneis gratiæ per Chriſtum auxiliis non caruit.* 225

X. 1. *Inſcitia Anomi convicia in ipſum recidunt.* 2. *Suæ in legem calumniæ patronum falsò inſcribit Auguſtinum.* 3. *Cujus teſtimoniis convincitur iiſdem, quæ pro ſe laudat.* 4. *Synagoga, ut Synagoga, verè fuit Dei Eccleſia.* 226

XI. 1. *Explicatur fons & origo illius erroris, quo Legis & Teſtamenti veteris ſtatus vitioſus ab Anomis ſtatuitur. Duo in vetere Teſtamento genera hominum bonorum, & malorum: è quibus longè plures iſti fuerunt. ac ſic interdum de Judæis Scriptura loquuntur, quaſi nemo in illis juſtus eſſet.* 2. *Quod imitatus eſt Apoſtolus.* 3. *Ex quo regulam interpretandæ Scripturæ Patres conſtituunt.* 4. *Unde commodè loca multa conciliantur.* 5. *Anomorum improbum dictum.* 6. *Perperam in Apologia defenſum: cujus auctor adeo occæcatus fuit, ut conflictum ſententiæ ſuæ cum iis teſtimoniis, quibus eam fulcire conatus eſt, non animadverteret.* 227

XII *De cauſis, propter quas Deus cum Judaïco populo fœdus antiquum iniit.* 1. *Falſa Anomorum ratio, qui fœdus illud in crimen vocant.* 2. *Refelluntur quæ ex Auguſtino perperam colligunt contra ſtatum antiquæ legis.* 3. *Abſurda illorum opinio, & falſa Auguſtini loci interpretatio, in quo Teſtamentum vetus comœdiæ inſtar fuiſſe dicitur.* 229

XIII. 1. *De Anomorum errore, qui hominibus ſub lege, non* ſufficientem, *ſed* impedientem *gratiam affuiſſe dicit. Hanc meritò ab Illuſtriſ. D. Haberto Vabrenſi Epiſcopo fuiſſe reprehenſam.* 2. *Qui adverſus illorum calumnias defenditur.* 3. *Duobus modis impedire aliquid poteſt, per ſe, aut ex accidenti.* 4. *Utro modo in Teſtamento veteri impedientem dicas affuiſſe gratiam, nihil Anomorum opinioni commodare. Quo ſenſu lex peccatum dici intelligitur: déque eo ſacrilegus Anomorum error.* 5. *Eodem atque illi modo legem veterem accuſant, Chriſtianam quoque damnari poſſe: nec non quæ in ea ſunt ſanctiſſima.* 230

XIV. 1. *Excutitur altera calumnia Anomorum Apologiſtæ, qui ex Pelagiana hæreſi invidiam facit veteris Teſtamenti defenſoribus.* 2. *Anomos abhorrere ab Auguſtini ſententia.* 3. *Qua ratione Pelagiani veteris Teſtamenti ſanctos laudare inſtituerint.* 4. *Longè ab his diverſum fuiſſe propoſitum Illuſtr. D. Vabrenſis Epiſcopi.* 5. *Sub lege eſſe, & ſub lege vivere, diverſa ſunt.* 6. *Quid ſit ſub lege eſſe.* 8. *Non id ſemper in malam partem accipi, ut Apologiſta credidit.* 10. *Idipſum de nova etiam uſurpari lege, quod de antiqua dicitur.* 11. *Hinc Anomorum fallacia, & fucus diſcutitur.* 231

XV. *Hominibus ſub lege degentibus, & infidelibus affuiſſe gratiam Chriſti demonſtratur argumento longè validiſſimo, & Anomorum inſcita hallucinatio convincitur.* 234

LIBRI SECUNDI.

CAP. I. 1. **E**XPLICATUR *novorum Dogmatiſtarum opinio de gratia Chriſti.* 2. *Quam illi ſolam eſſe caritatis inſpirationem aſſerunt.* 3. *Apologetici auctor huic doctrinæ conſentaneus.* 4. *Nullum eſſe opus bonum ex illorum*

rum ſententia, niſi fiat ex amore juſtitiæ. 5. Iidem virtutes omnes ſola caritate metiuntur. 236

II. *Explicantur nonnulla ad hanc controverſiam diſceptandam neceſſaria. 1. Amorem generalem affectum eſſe fuſum per omnes virtutes: quem & caritatis nomine afficit Auguſtinus. 2. Duplex gratia, ſive caritas; inchoata, & robuſta. Utriuſque varios eſſe gradus: quod in priori ſpecie monſtratur. 3. Hos ipſos gradus in Tridentino Concilio deſcribi. 4. Qui quidem juſtificationem antecedunt, ut eadem Synodus declarat* 237

III. *Motum omnem gratiæ ex Chriſti provenire meritis latè ex Auguſtino probatur.* 238

IV. *Auguſtinum ſæpè, cùm de gratia Chriſti medicinali loquitur, ſolam intelligere robuſtam & actuoſam, non autem initialem, & rudem. Ex quo Anomorum ingens ortus eſt error.* 239

V. *Armacanos nullam Chriſti gratiam medicinalem agnoſcere aliam quàm caritatem, hoc eſt perfectam, demonſtratur ex quinque argumentorum locis, quos in eam rem afferunt.* 241

VI. *1. Repetuntur ſummatim quæ in prioribus capitibus diſputata ſunt, ac peſſimè de gratia Chriſti ſentire Anomos oſtenditur qui eam perfecta caritate circumſcribunt. 2. Idque perperam Auguſtini auctoritate defendere. 3. Quod ut probetur, explicatur paucis Pelagiana hæreſis. 4. Tum Semipelagiana. 5. Contra priorem diſputans Auguſtinus gratiam ea notione ſumpſit, qua eſt operum effectrix. 6. Contenduntur inter ſe gratia ab Auguſtino tradita, & Pelagiana. 7. Et illuſtrantur.* 242

VII. *1. De metu gehennæ, quem bonum eſſe Catholica fides docet in Tridentino Concilio ſtatuta. 2. Armacanorum varia, & hæretica de illo ſententia. 3. Quam negant ex Chriſti eſſe gratia. 4. Sed ex Tridentino ipſo decreto refelluntur. 5. Eorundem aſtus & perplexa ratio. 6. Lutheri de eodem metu, & ex eo ſuſcepto dolore damnata opinio. 7. Planè eadem quam inſtaurarunt Armacani.* 244

VIII. *1. De Pœnitentia ex metu gehennæ ſuſcepta, Armacanorum error, quo ita bonam illam eſſe fateri videntur, ut tamen non ſit ex Chriſti gratia. 3. De metu gehennæ, Auguſtini ſententia at ſpeciem contraria: ac primùm ea commemorantur, quæ illum commendare videntur. 6. Tum quæ damnare. 7. Quadruplex in univerſum timor à S. Thoma conſtituitur. 8. Triplex ab aliis. Ejuſdem cauſa duplex. 9. De illo timore apud Auguſtinum obſervanda duo. Primùm, loqui ipſum de eo timore, qui ex natura ortus cum affectu peccandi conjungitur, cùm eum condemnat. 10. Alterum obſervandum de duplici gratia rudi, & perfectiore. Hinc Armacanorum fucus detegitur.* 246

IX. *1. Ex dictis colligitur, dolorem ob peccata ex metu gehennæ ſuſceptum bonum eſſe, & ad juſtificationem præparare. 3. Præcipuum adverſariorum firmamentum illam eſſe ſententiam, qua nullam aliam putant eſſe gratiam Chriſti præter caritatem veram, & propriè dictam. 4. Fucus illorum in conſtituendo amore ſui, qui quatenus in vitio ponatur, aut ſit honeſtus, & ad inſtitutum noſtrum attineat, exponitur. 5. Amorem hunc ſui non ſe tamquam ultimum finem ſibi proponere, ſed peccandi voluntatem excludere. 6. Ut hoc melius intelligatur, duplex ex Auguſtino radix operum ponitur, caritas, & cupiditas. Sed illa non eſt ſola vera & propriè dicta. 7. Quod ex Auguſtino demonſtratur; qui & fidem ex caritate, & tamen ex fide caritatem provenire dicit. 8. Unde concluditur, caritatem aliàs latè, aliàs propriè, & ſtrictè accipi. 9. Quomodo ex hac diſtinctione Auguſtinus interpretandus ſit.* 249

X. *De Juſtitia, & amore juſtitiæ, quam unicam Chriſti eſſe gratiam novi Dogmatiſtæ ſtatuunt. 1. Explicatur ratio juſtitiæ communis. 2. Quæ eadem cum honeſto, decoro, & legi conſentaneo, vel legitimo. 3. Duplex decorum, ſive honeſtum. 4. Amorem juſtitiæ, quam caritatem vocat Auguſtinus, non eſſe propriè dictam caritatem, ſed cujuſcumque dilectionem honeſtatis. 5. Nec juſtitiam ejuſmodi eſſe, quæ Deo ineſt. Tum verò reperiri in iis etiam voluntatis motionibus, quæ amorem ſui adjunctum habent, necnon timorem gehennæ. 6. In his verò affectionibus, quæ ex fide proficiſcuntur, reperiri piam in Deum propenſionem. 7. Item referri ad Deum ipſum vi, non tamen expreſſe. 8. Nec eſſe juſtitiam noſtram, ſed Dei, & ea gratia oriri. 9. Et honeſtatis amorem propter ſe continere. 10. Duplex ex Auguſtino juſtitia.* 251

XI. *De Tridentini Concilii ſententia, & decreto ſuper Contritione. 1. Novorum Dogmatiſtarum falſa illius expoſitio. 2. Contritio univerſè propoſita, & definita primùm à Synodo, tum in duas ſpecies diviſa. 3. Deſcribitur caput quartum Seſſionis XIV illius Synodi. 4. Tum novæ ſectæ in eo explicando flagitia deſcribuntur. 5. Quæ quidem refelluntur. 6. Maximè auctoritate Doctorum, qui Tridentino Concilio interfuerunt; ut Dominici Soti, 7. Tum Andreæ Vegæ, 8. necnon aliorum.* 253

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Primus numerus Romanus librum. Secundus librorum caput.
Tertius Paragraphum indicat.

Amor.

AMOR eſt affectus generalis per omnes virtutes fuſus, & vitia, II. 2. 1
Amor eſt pondus, & inclinatio in bonum, primóſque in illud voluntatis impetus, quem Græci ἔρωτα vocant, II. 10. 4
Amor eſt bonæ voluntatis initium, *ibid.*

Amor concupiſcentiæ.

Diligere Deum amore concupiſcentiæ, eíque propter retributionem ſervire, aut ipſum tamquam mercedem exſpectare, vitioſum, indignúmque Chriſtiano Anomi cenſent, I. 5. 5
Ejus amorem veteris germanum eſſe legis volunt, cui quo impenſiùs ſerviebant Judæi, hoc ſe graviore ſcelere obſtringebant, *ibid.*
Minis ac promiſſis temporalibus carnalem Deus populum ſuis meritò devinxit obſequiis, ut temporalia pariter, & æterna ſua eſſe, & à ſe, non à dæmone doceret exſpectanda, I. 12. 2
Horum ſpe, & amore bonorum Deo ſervire vitioſum, & damnabile Anomi pronunciant; & eum tamen cultum, & amorem à Deo legis auctore, minis, ac promiſſis eſſe extortum, *ibid.*
Invitum in eam ſententiam Auguſtinum trahunt, *ibid.*
Damnant pariter timorem pœnæ, amorémque proprii commodi, etiam beatitudinis, niſi ex Dei amore proficiſcatur, I. 1. 4
Amor Dei ſuper omnia, *Vide* caritas.
Amor juſtitiæ. *Vide* juſtitia.

Anomi.

Doctrinæ Anomorum, hoc eſt veteris ubtrectatorum legis, tria ſunt capita. 1. Judæorum ſub lege veteri, ex ejus ſpiritu Deo ſervientium Synagogam non fuiſſe Dei Eccleſiam, ſed ſulam Chriſtianam. 2. Hanc ſolis conſtare juſtis, ante, & poſt Chriſtum natum. 3. Judæos legi veteri obſequentes eo affectu, quem auctor legis Deus præcipiebat, peccaſſe, & damnationis reos fuiſſe, I. 5. 1
Judæos itidem vulunt alumnos legis omnibus gratiæ præſidiis caruiſſe, I. 7. 1
Refelluntur ex eodem, quem teſtem appellant, Auguſtino, *ibid. & ſeq.*
Errandi cauſa eſt inſcitia duplicis generis gratiæ, initialis, & perfectæ, I. 7. 3. & II. 1. 1
Medicinalem Chriſti gratiam, ſolam eſſe inſpirationem caritatis volunt, II. 1. 2
Nec poſſe cum peccato letali conſiſtere, II. 1. 3
Caritatis nomine, omnem comprehendunt amorem juſtitiæ, II. 1. 4
Spem quoque, ac reliquas virtutes, II. 1. 5
Solam gratiam operum effectricem, Chriſti, ac novi propriam Teſtamenti agnoſcunt, II. 4. 5
Eam eſſe perfectam caritatem quinque argumentis efficere nituntur, II. 5. 5
A Chriſti gratia cum Semipelagianis removent fidei, & bonæ voluntatis initia, iiſque longè plura, & præſtantiora, II. 6. 1
Hæreſis iſtius invidiam fruſtra à ſe repellunt, II. 6. 2
Perversè interpretantur Auguſtinum, *ibid.*
Timorem pœnæ Tridentinis probatum Patribus malum, & alienum eſſe cenſent à Chriſti gratia, niſi ex caritate oriatur, II. 7. 2. *& ſeq.*
In Lutheri conſpirant ſententiam proſcriptam à Leone decimo, II. 7. 6. *& ſeq.*
Negant quidquam eſſe medium inter caritatem, & vitioſam cupiditatem, II. 7. 7
Cum Pelagio gratiam agnoſcunt providentiæ naturalis, non Chriſti partam meritis, ex qua timor gehennæ à ſancto excitatus Spiritu oriatur, II. 8. 1
Attritionem ex eo profectam metu, eſſe peccatum, nec valere ad veniam in ſacramento percipiendam, II. 9. 2. *&* II. 11. 1.

Apologiſta.

Apologetici Scriptor anonymus nefarium D. Haberto veteris legis defenſori bellum indicit, I. 3. 1
Nec fidei, nec inſtituti memor, controverſiæ caput intactum relinquit, & in alienis à quæſtione ludit operam, *ibid.* c. §. 2
Synagogæ, ut Synagogæ, criminationem repellentes Manichæis accenſet, I. 10. 1
Contumeliarum in veterem legem falsò patronum inſcribit Auguſtinum, I. 10. 2
Eodem teſte refellitur, I. 10. 3
Non patitur Anomum reprehendi præfractè negantem Judæos quidquam apud Deum accurata, & religioſa legis obſervatione meruiſſe, I. 11. 5
Teſtes advocat Patres, Judæos de contempta, & violata lege arguentes, I. 11. 6. *& ſeq.*
Pari fide, iiſdémque teſtibus capitalem tuetur Anomorum errorem aſſerentium Synagogam, ut Synagogam, cœtum fuiſſe perditorum hominum, I. 11. 8
Deum auctorem facit fœderis criminoſi; quo perpetrandi ſceleris imponitur neceſſitas, I. 12. 1
Et cultus exigitur carnalis, vitioſúſque amor accenditur, ſpe bonorum temporalium oblata, I. 12. 2
Invectam novo auſu à Dogmatis principe impedientem gratiam adverſus D. Habertum propugnat, I. 13. 1
Hanc Chriſti eſſe gratiam negat, ſed veteris propriam Teſtamenti, I. 13. 2
Suis ex principiis refellitur, *ibid.*
Legis defenſoribus ex hæreſi Pelagiana invidiam facit, I. 14. 1
Ab Auguſtino, quo teſte nititur, prorſus diſſidet, I. 14. 2
In ambiguo vocis, *eſſe ſub lege*, D. Haberto pueriliter inſultat, I. 14. 5
Solos improbos ſub lege fuiſſe putat, & ad vetus pertinuiſſe Teſtamentum, *ibid.*
Quod ex Apoſtolo, Auguſtino, aliiſque refellitur, I. 4. 6. *& ſeq.*
Adjuvantis præſidia gratiæ legis, ac veteris Teſtamenti alumnis abrogat omnia, I. 15. 1. *& ſeq.*
Ex Davidis, Manaſſis, aliorúmque Pœnitentia refellitur, I. 15. 3
Infidelibus quoque auxilia gratiæ omnia ſubtrahit proxima, & remota, & eorum principia omnia, *ibid.*
Refellitur, *ibid.*

Medici-

Digitized by Google

Medicinalem Chriſti gratiam ſola caritatis inſpiratione circumſcribit, quæ tamen fidem, ſpem, ac reliquas virtutes comprehendit, ut minimè à caritate diverſas, I. 15. 2.

Arbitrium liberum.

Valet arbitrium liberum ad opera bona, ſi divinitùs adjuvetur, I. 7. 2
Præcepto dilectionis admonetur, ut quærat Dei donum, I. 7. 3.
Nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed Deo extrinſecus, & intrinſecus admonente conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt, I. 8. 8
Nemo niſi per Chriſtum libero benè utitur arbitrio, II. 3. 4
Poſſibilitatem cognoſcendi quid ſit agendum, & benè agendi libero Pelagius tribuebat arbitrio, II. 4. 3. & II. 5. 2.

Attritio.

Attritio, ſive dolor de peccatis ob eorum turpitudinem; pœnarúmve metum conceptus per ſe ad juſtificationem non ſufficit; cum Sacramento ſufficit, II. 9. 1
Sufficientem eſſe diſpoſitionem ad effectum Sacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ, negant Anomi; immo peccatum eſſe volunt, II. 9. 2
Futilibus id probant argumentis, II. 9. 3. & *ſeq.*
Aiunt ita judicaſſe Tridentinos Patres, II. 11. 1
Ad veniam peccatorum promerendam in Sacramento ſufficere Attritionem, Tridentinum Concilium disertè pronunciat, II. 11. 2
Eſt communis ſenſus Theologorum, velut Dominici Soti, II. 11. 6
Vegæ, II. 11. 9
Et aliorum veterum pariter & recentiorum, II. 11. 9
Eam fuiſſe Concilii Tridentini ſententiam, fatetur illius hoſtis, Auctor Hiſtoriæ Concilii Tridentini, II. 11. 8
In quo conveniant, differántve ab invicem Contritio, & Attritio ex Concilio Tridentino, II. 11. 3
Ex Doctoribus Catholicis, II. 11. 6. & *ſeq.*
Sacramentum facit ex attrito contritum, II. 11. 7. & *ſeq.*

Auguſtinus.

Auguſtini nomine, & auctoritate falsò Anomi gloriantur, I. 7. 1. & I. 10. 2. *ac ubique paſſim.*
Eodem teſte erroris convincuntur, I. 7. 3. & 10. 3. & 14. 2
Duplex gratiæ Chriſti genus agnoſcit, initialem, quam fidem, & fidei inchoationem vocat; & robuſtam, quam caritatem appellat, I. 7. 2
Solam ferè robuſtam effectricem operum adverſus Pelagianos tuetur, II. 4. 1. & *ſeq.*
Contra Maſſilienſes initialem defendit, II. 5. 3
Fugit hoc Anomos, ſolam caritatem, hoc eſt validam, & efficacem operum inſpirationem, Chriſti adſcriptam gratiæ ab Auguſtino, contendentes, II. 6. 2
Pro diverſis Pelagii, & Maſſilienſium principiis, variam init diſputandi rationem, II. 6. 3. & *ſeq.*
Nec prædicanda Chriſti gratia vitiorum expultrice, bonorúmque operum efficace, initialem negat, qua præparatur voluntas à Domino, II. 6. 7
Timorem gehennæ à peccato revocantem, bonum eſſe docet, II. 8. 3
Ab externo deterrentem actu peccati, manente intus voluntate peccandi, negat eſſe à gratia, aut eſſe bonum, II. 8. 6
Caritatis nomen non uno modo accipit, II. 9. 5. & *ſeq.*

Bonum.

Nullum bonum facere ex nobis poſſumus, ac ne velle, aut cogitare quidem, II. 3. 4
Multa in nobis facit Deus bona, quæ nos non facimus; nihil boni facimus, quod Deus non faciat ut faciamus, *ibid.*
Bonum eſſe ullum Anomi negant, quod ſit formidine pœnæ, non amore juſtitiæ, II. 7. 7

Caritas.

Gratiam, quâ præcepta ſervantur, veram eſſe caritatem, quæ eſt plenitudo legis, Anomi opinantur, I. 2. 4
Quod quinque argumentis probant, II. 5. 1. 2. 3. 4. 5. 6
Caritatis nomine ſola interdum auxilia gratiæ robuſta, & valida: pios aliàs motus voluntatis etiam rudes, & inchoatos Auguſtinus comprehendit, II. 7. 3 & II. 2. 2
Caritatem universè appellat Auguſtinus amorem boni, ſive bonam voluntatem, II. 2. 1
Etiam timorem divinæ juſtitiæ ac gehennæ, II. 2. 4
Inter caritatem, & vitioſam cupiditatem dari medium Anomi negant, II. 7. 7
Caritas vitioſæ oppoſita cupiditati, non eſt vera, & propriè dicta caritas, ſed latiùs patet, II. 7. 5
Omnes motus divinitus ex Chriſti meritis inſpiratos comprehendit, II. 9. 7
Variis modis ab Auguſtino uſurpari ignorant Anomi, aut diſſimulant, II. 9. 8

Chriſtus.

Fons totius gratiæ Chriſtus etiam iis, qui Incarnationem præceſſerunt, auxilio fuit, I. 2. 1. & II. 8. 1. & *ſeq.*
Chriſtus Judæis, ac gentibus Evangelii gratiam gratis obtulit, I. 6. 2. & *ſeq.*
Utriuſque Teſtamenti conditor fuit: ſed novi per ſeipſum, cujus in cenſu numeratur, I. 8. 2. & *ſeq.*
Vetus Teſtamentum magnam fuiſſe Comœdiam Actoribus Judæis ignotam, & inutilem, Anomi putant, I. 12. 3

Confitens.

Eſt in confitente nondum juſtificato Spiritus S. I. 8. 9

Contritio.

Concilii Tridentini de Contritione decretum perversè Anomi interpretantur, II. 11. 1
Contra manifeſtam Concilii ſententiam ad fructus Baptiſmi, & Pœnitentiæ capiendos perfectam Contritionem requirunt; imperfectam valere negant, *ibid.* & *ſeq.*
Utramque Contritionis ſpeciem confundunt, quas Concilium re & natura diſtinxerat, II. 11. 4. & *ſeq.*
Diſtinguunt quoque Theologi antiqui & recentes, II. 11. 6. & *ſeq.*

Decorum.

Decorum ab honeſto ſeparari non poteſt; differt tamen, velut à corporis ſalubritate pulchritudo, II. 10. 2
Eſt quaſi flos virtutum, *ibid.*

Deus.

Legis Moſaïcæ auctorem malum Deum hæretici veteres confinxerunt, I. 1. 1
Bonum Anomi Deum mali auctorem faciunt, legis conditorem criminoſæ peccata directè imperantis, I. 1. 3. & *ſeq.* & I. 2. 5. & *ſeq.* & I. 12. 1
Ex Scriptura, & Patribus refelluntur, I. 3. 4. & *ſeq.*
Triplicem ſibi Deus in condenda lege finem propoſuit; nullum vitioſum, I. 6. 6. & *ſeq.*
Deum Anomi faciunt κωμῳδιδάσκαλον turpis fabulæ, vitioſæ cupiditatis inſtructæ illecebris: quod ne in profanis quidem ferendum veteres putaverunt, I. 12. 5
Malum Deus utiliter promittere non poteſt, I. 12. 4

Eccleſia.

Eccleſiam Dei ſolam quovis tempore fuiſſe Chriſtianam, Anomi volunt, I. 5. 1. & *ſeq.*
Ea ſolos juſtos comprehendunt, I. 5. 1. & *ſeq.*
Veteris Teſtamenti Synagogam veram fuiſſe Dei Eccleſiam Patres agnoſcunt, I. 10. 4. ejúſque caput fuiſſe Chriſtum, *ibid.*

Euripides.

Euripides jure notatus eſt ab Ariſtophane, quod nefandos amores in ſcenam induxiſſet, I. 12. 3

Fides.

Perire quovis graviore peccato cum caritate Fidem, aut ea ſalva peccantem deſinere eſſe membrum Eccleſiæ, hæreſis eſt Wicleffi, Lutheri, & Calvini, I. 5. 4
Bonæ voluntatis initium, ſive gratiam initialem, Fidem Auguſtinus appellat, I. 7. 2. *& ſeq.*
Ad exequenda legis Naturæ, Moſaicæ, aut Evangelicæ mandata auxilia gratiæ nulli umquam data ſunt, niſi per fidem Chriſti Mediatoris, I. 8. 1. & I. 9. 4
Inchoatio fidei, qualis eſt in catechumenis, non ſufficit ad obtinendum regnum cœlorum, eſt tamen gratia miſericordiæ Dei, I. 8. 8
Prima Chriſti gratia fidem in nobis parit, ex qua deinde timor, ſpes, &c. conſequuntur, II. 2. 3
Fidei initium libero arbitrio, augmentum gratiæ Chriſti Maſſilienſes tribuebant, II. 3. 1
Quem errorem damnare coactus eſt Pelagius in Concilio Palæſtino, II. 3. 2
Cœptæ fidei merces eſt fides aucta, *ibid.*
Fides meretur, & impetrat gratiam operandi, & juſtificationem, II. 4. 3
Fides inchoata foris inſecus terrens, & inſonans præcepta juſtitiæ, veteris eſt propria Teſtamenti: novi verò, fides per dilectionem operata, II. 4. 4
Caritatem fides antecedit, eámque impetrat, II. 9. 6
Homo juſtificatur ex fide, non ex operibus; qui bonorum operum prima eſt fides, qua cetera impetrantur, *ibid.*
Omnis pia voluntatis motio ad juſtitiam Chriſtianam ex fide Chriſti eſt, ejúſque implicitum in ſe amorem continet, II. 10. 6

Fœdus.

Fœdus eſt mutua paciſcentium devinctio, certa officiorum lege, ac conditione ſancita, I. 14. 6
Vetus Teſtamentum verum fuit fœdus Deum inter, & Iſraëliticum populum, *ibid.*

Gentiles.

Gentilibus Anomi defuiſſe aiunt gratiam ad ſalutem ſufficientem proximam, & remotam, omniáque gratiæ principia, I. 2. 3. *& ſeq.*
Etiam cogitationem vitando peccato utilem, *ibid.*
Gentilibus Evangelii gratiam Judæi invidebant, tamquam ſibi ex operibus legis debitam, I. 6. 1
Utriſque gratis oblatam Evangelii gratiam probat Apoſtolus in epiſtola ad Romanos, I. 6. 2
Gentilibus Evangelium prædicant Apoſtoli, monente Deo, nec ipſis imponi ſinunt jugum antiquæ Legis, *ibid.*

Gratia.

Gratia eſt auxilium Dei, quo ad vitam rectè inſtituendam, bona opera exequenda, mala cavenda, ſalutem conſequendam, divinitus adjuvamur, II. 6. 4
Gratiæ propriè dictæ auctor, & largitor quovis tempore unus eſt Chriſtus, I. 2. 1
Omni Chriſti gratia veteris alumnos Teſtamenti penitus caruiſſe, idque ex vi, naturáque ſtatus, Anomi opinantur, *ibid.* & I. 7. 1
Itaque Judæis ſub veteri Teſtamento gratiam defuiſſe volunt ad ſalutem ſufficientem, proximam, & remotam, & omnia illius principia, I. 2. 3. *& ſeq.*
Etiam cùm Legem, aut aliqua ejus præcepta obſervabant, I. 2. 3
Chriſti enim gratiam, ſine qua præcepta non ſervantur, veram eſſe putant caritatem, quæ eſt plenitudo Legis, I. 2. 4
Hujus gratiæ incapaces veteris alumnos Teſtamenti fuiſſe aiunt, ſine qua nullum præceptum meritoriè ſervari poteſt, ac ne ita quidem ut peccatum vitetur, *ibid.*
Veteris Teſtamenti filios gratiæ ignaros, immo & contemptores Anomi faciunt, I. 2. 5
Evangelii gratia Judæis pariter ac Gentilibus gratis à Chriſto eſt oblata, I. 6. 2
Gratiæ Chriſti eſt, ſuæ infirmitatis conſcium, ad opem gratiæ confugere, I. 7. 1
Duplex genus gratiæ agnoſcit Auguſtinus, alterum initialis, qua conamur reſurgere; alterum robuſtioris, qua ad boni operis effectum aſſurgimus, I. 7. 2
Primum genus appellat fidem; ſecundum, caritatem, quo nomine genus utrumque aliquando complectitur, I. 7. 5
Gratiæ ſufficientis auxilia ſub quacumque Lege per fidem in Chriſtum mediatorem collata ſunt, I. 8. 1
Uberiùs in novo Teſtamento, in quo ipſa ſancti Spiritus ſubſtantia regni cœleſtis heredibus adoptandis applicatur, I. 8. 2
Gratia Chriſti ad utrumque porrecta eſt Teſtamentum, I. 8. 4
Gratia Chriſti fini proximo, & ſtatui cujuſque Legis accommodatè data eſt, perfecta in nova Lege, initialis in veteri, *ibid.* & I. 8. 5
Initialis gratia eſt velut præmedicatio præparans ad perfectam ſanitatem, I. 8. 7
Gratia fidei datur inchoantibus novam vitam nondum ad ſalutem ſufficiens, I. 8. 8
Novi dogmatis princeps jure à D. Haberto notatus, quòd veteri Legi gratiam ſufficientem abroget, impedientem tribuat, I. 13. 1
Perperam ab Apologiſta defenditur, I. 13. 2
Chriſti gratiam ſemper adjuvantem eſſe ait, veterique defuiſſe Teſtamento, *ibid.*
Qua ratione vetus Teſtamentum gratiam habuerit, ſitque ea Chriſti gratia, & quomodo impediens dici poſſit, I. 13. 3
Non per ſe, ſed ex accidenti, I. 13. 4
Quo etiam modo novi gratia Teſtamenti, ipſéque Chriſtus, & creatæ res omnes impedientes dici poſſunt, I. 13. 5
Immo & damnationis acceſſio, I. 13. 6
Judæis ſub Lege viventibus non defuerunt auxilia gratiæ, ne prævaricatoribus quidem, I. 15. 1
Proſcripto Pelagio gratiam propriè dictam Chriſtianus orbis nullam agnoſcit, niſi per Chriſtum, I. 15. 2
Davidi, & Manaſſi ſcelerum reis ſub Lege viventibus ad reſurgendum Chriſti gratia non defuit, I. 15. 3. *& ſeq.*
Infidelibus quoque non deeſt Chriſti gratia ſufficiens, & adjuvans, *ibid.*
Prima Chriſti gratia nemini datur, niſi injuſto I. 15. 6
Medicinalem Chriſti gratiam Anomi ſola caritatis inſpiratione metiuntur, II. 1. 2
Ex qua negat Apologiſta Chriſti gratiam vel ad punctum temporis poſſe cum peccato letali conſiſtere, II. 1. 3
Latiùs tamen patere Dogmatis auctor fatetur, quàm quæ vulgò Caritas in ſcholis nominatur, II. 1. 4
Gratiæ Chriſti genera ſunt duo, 1. rudis, quæ & initialis dicitur, qua volumus, quod nondum poſſumus. 2. perfecta, qua poſſumus quod volumus, II. 2. 2
Ad primum genus pertinet prima gratia, quæque inde proximè oritur fides, tum timor, ſpes, &c. quæ nondum juſtificatis ineſſe, & ad eam præparare Synodus Tridentina decrevit, II. 2. 3. *& ſeq.*
Prima gratia nullis meritis præcedentibus datur; reliquæ etiam ante juſtificationem, non ſine qualicumque merito benè utentibus prima gratia. II. 2. 4
Chriſti gratiæ eſt non ſolùm ſanitas, ſed & ſanari velle, & precari, ut credere velimus, & purgari, II. 3. 1. *& ſeq.*
Gratiæ validioris eſt, & ſecundi generis ad meliora progreſſio, II. 4. 1
Solam ferè ſecundi generis exprimit Auguſtinus, ubi de Chriſti gratia medicinali cum Pelagianis diſputat, II. 4. 2. *& ſeq.*
Hinc Chriſti gratiam Novi propriam Teſtamenti ſolam illam robuſtam & operum effectricem agnoſcunt Anomi, II. 4. 5
Idque quinque argumentis efficere nituntur, II. 5. 1. *& ſeq.*

Benè agendi poſſibilitas ad Chriſti gratiam pertinet, II. 4. 3
Gratia Chriſti adjuvat ad vitandum malum, & faciendum bonum, revelando quid ſit faciendum, & dilectionem inſpirando, II. 4. 4
Primi voluntatis impetus ad bonum aſpirantis ſunt ex Chriſti gratiâ, non, ut volebant Maſſilienſes, à natura, II. 5. 3
Gratiæ Chriſti neceſſitatem ex toto Pelagius, Maſſilienſes ex parte ſuſtulerunt; Auguſtinus cum Eccleſia Catholica ſine ulla exceptione admittit, II. 6. 3. *& ſeq.*
Gratia eſt auxilium Dei, non tantùm illuminans, ut ſciamus quid ſit agendum, ſed caritatem inſpirans, ſine qua ſcientia inflat, II. 6. 5
Gratia ex operum effectione, velut ex fine primario æſtimanda eſt; uti Medicina ex ſanitate; ars ædificatoria ex domus conſtructione, *ibid.*
Gratiam Chriſti ad hoc ſolum neceſſariam eſſe Anomi definiunt, ut in præcepti cujuſvis impletione diligatur Deus, II. 7. 1
Timorem pœnæ æternæ ex gratia eſſe volunt, non Chriſti, ſed providentiæ naturalis, II. 7. 3

D. Habertus.

Illuſtriſſimum D. Habertum Vabrenſem Epiſcopum injuria Scriptor Anonymus Apologetici reprehendit, I. 3. 1
Meritò reprehenſus à D. Haberto novi auctor dogmatis, quòd ſufficientem gratiam Judæis ſub Lege viventibus affuiſſe neget, impedientem affingat, I. 13. 1
D. Haberto, quòd ad Legis defenſionem veteris Patres & juſtos Teſtamenti laudaverit, de hæreſi Pelagiana invidiam facit, I. 14. 1
Calumnioſè, I. 14. 2
Hoc enim intereſt inter ejus, & Pelagii laudationem, quod hic Patres antiquos ad ſanctitatem comparandam Chriſti Mediatoris gratia non eguiſſe contenderet: ille omnem eorum ſanctitatem Chriſti gratiæ acceptam ferat, I. 14. 3
Pelagius, veteres ſanctos culpæ prorſus omnis expertes vixiſſe diceret: D. Habertus aliter & ſenſerit, & docuerit, I. 14. 4
Ludit in ambiguo vocis, *eſſe ſub lege*, Apologiſta, & D. Haberto pueriliter inſultat, I. 14. 5

Honeſtum.

Honeſtum eſt, quod laude dignum, II. 10. 2
Juſtum, & honeſtum re idem ſunt, *ibid.*
Decorum quoque ab honeſto ſeparari non poteſt; uti neque venuſtas à corporis ſalubritate, *ibid.*
Honeſtum eſt, quod ex ſe habet, unde honeſtè appeti poſſit, ſive ulteriùs referatur, ſive nullum alium ad finem reſpiciat, II. 10. 5

Hydrargyrum.

Hydrargyrum præſenti veneno additum, præter ſpem, & conſilium ſalutem affert, I. 4. 2

Jaſon Pheræus.

Jaſon Pheræus ab inimico vulneratus, imminentis ex latente vomica mortis periculum evaſit, I. 4. 2

Incarnatio.

Incarnationis neceſſitatem probant adhibita curandis hominum morbis tot irrita remedia, Legis præſertim Moſaicæ, I. 6. 6

Judæi.

Judæos piè Deum colentes ob temporalia bona, fuiſſe bonos Auguſtinus ait; negant Anomi, ſed minùs aiunt eſſe malos, quàm Gentiles, qui eadem à Dæmonibus expectabant, I. 1. 3. *& ſeq.*
Judæi de meritorum principatu cum gentilibus contendentes, occaſionem Apoſtolo dederunt ſcribendi epiſtolam ad Romanos, I. 6. 1
Non ſibi gratis oblatam Evangelii gratiam à Chriſto putabant, ſed ſuis redditam meritis ob Legis prærogativam, *ibid.*
Judæi Evangelium invidebant gentibus; nec niſi Legalibus initiatis ritibus communicari patiebantur, I. 6. 2
Quod Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano improbarunt, *ibid.*

Juſtitia. & Juſtum.

Juſtitia eſt rectitudo ordinis ad alterum, ad finem debitum, & ad Legem divinam, II. 10. 1
Eſt communis virtus, *ibid.*
Eſt perfecta virtus, non ſimpliciter, ſed ut eſt ad alterum, *ibid.*
Juſtitia eſt adæquatio cum Lege, & voluntate divina, II. 10. 2
Juſtum, & honeſtum re idem ſunt, ratione differunt, *ibid.*
Idem etiam eſt cum decoro, *ibid.*
Juſtitia generalis per omnia virtutum officia funditur, ſpecialis in parte, velut fortitudine, temperantia, &c. II. 10. 3
In omni virtutis officiò juſti, & honeſti forma eſt illud legitimum, quod Lege divina præcipitur, II. 10. 3
Amor juſtitiæ; quem Auguſtinus caritatem appellat, eſt quilibet piæ voluntatis affectus, & inclinatio in illud juſtum, & honeſtum, quod divina Lege præcipitur, II. 10. 4
Amori juſtitiæ non ex juſtitia, quæ ineſt ipſi Deo, & Deus eſt, ſed honeſtas, & juſtitia propoſita eſt, quæ Lege divina præcipitur, II. 10. 5
A qua nec gehennæ timor excludi debet, *ibid.*
Omnis pia voluntatis motio ad Chriſtianam juſtitiam ex fide Chriſti eſt, & implicitum ejus amorem in ſe continet, II. 10. 6
In amore juſtitiæ Dei quoque amor implicitè continetur, non formaliter, II. 10. 7
Ad amorem juſtitiæ tres conditiones requiruntur: 1. Ut ſit ex fide, & gratia Chriſti: 2. Ut juſtum Legi divinæ conſentaneum proſequatur: 3. Ut peccandi voluntatem excludat, *ibid.*
Noſtra juſtitia, juſtitiæ Dei oppoſita, caret iſtis conditionibus, II. 8. 9. & II. 10. 8
Amor honeſtus nihil temporalis commodi juſtitiæ anteponens, ſine Chriſti gratia eſſe non poteſt, II. 10. 9
Juſti, honeſtique amor ſive rudis, & inchoatus; ſive perfectus, amor eſt juſtitiæ, & Caritas dicitur: ut plurimùm tamen ſolus perfectus operum efficax eo nomine cenſetur ab Auguſtino, II. 10. 10

Lex.

Mali principem Deum auctorem faciebant Legis Moſaïcæ tamquam nefariæ, veteres hæretici, I. 1. 1. *& ſeq.*
Eamdem ut malam infamant recentes Anomi, I. 1. 3
Eam vitioſæ cupiditati fomentum, ac præmium ex profeſſo præbuiſſe aiunt, *ibid.* & I. 2. 5
Legis veteris ſtatum non juſtitiæ, & ſalutis; ſed peccati ac mortis fuiſſe volunt, I. 1. 3
Nec permiſiſſe ſolùm, ſed præcepiſſe malum, I. 1. 4
Triplex hæreſis criminatorum Legis, I. 1. 5
Veteris alumnos Legis non ſuâ culpâ, ſed ex vi ſtatus illius Legis, omni gratiæ Chriſti auxilio ad peccata vitanda, & ſalutem conſequendam caruiſſe Anomi docent, I. 2. 1. *& ſeq.*
Etiam Legem ſervantes, aut aliqua ejus præcepta, I. 2. 4
Quinetiam in optimis Legis cultoribus ſpem, & caritatem in Deum carnalem, & vitioſam exiſtimant fuiſſe, idque ex ipſius Legis natura, & ſtatu, I. 2. 5. & 6
Immo Legem ipſam volunt impedimento fuiſſe gratiæ, eámque funditus ſuſtuliſſe, I. 2. 6
Legem veterem ex propria ratione bonam; ex accidente & vitio malè utentium noxiam fuiſſe docet Apoſtolus in epiſtola ad Rom. I. 3. 3
Cui graviter adverſantur Anomi, totique nomini Chriſtiano, I. 3. 4
Imperata Lege veteri mala plurima à Chriſto abrogata fuiſſe, veterum hæreticorum calumnia eſt, à Patribus, præſertim Auguſtino, confutata, I. 3. 5
Epiphanii contra Manichæos præſcriptio, veteris auctorem Legis concupiſcere prohibentem, non eſſe incentorem cupiditatis, novi dogmatis jugulum petit, I. 3. 6

Legem per ſe bonam; ex accidenti pernicioſam Anomœorum princeps agnoſcit: vult tamen ex profeſſo nefariæ cupiditati fomentum promiſiſſe, ac præmium, I. 4. 1. *& ſeq.*

Quomodo Lex intravit, ut abundaret delictum; ita Chriſtus in multorum ruinam poſitus eſt; & Evangelium aliis eſt odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, I. 4. 3

Chriſtus Legis, & Evangelii unus eſt auctor, I. 4. 4

Irrogata legi calumnia, quod ex profeſſo vitioſam foverit cupiditatem; quia ejus occaſione Judæi carnales in omnem exarſerunt cupiditatem: poteſt Chriſto, Evangelio, & rebus creatis omnibus importari, *ibid.*

Lex mala non eſt, etiam cùm nocet inanibus gratiæ; ſicut neque ſcientia, quia inflat inanes; aut ſol quia ægros oculos lædit, I. 4. 5

Judæos veterie legis mandatis obſequentes eo affectu, quem legis auctor Deue præſcribebat, peccaſſe Anomi volunt, I. 5. 1

Ad comprimendam ſuperbiam Judæorum, ſuis meritis ex operibus legis redditam gloriantium Evangelii gratiam, Epiſtolam ad Rom. ſcribit Apoſtolus; in qua legem componit cum gratia, & expendit quid cuique, ſine alterius communione, conveniat, I. 6. 1. *& ſeq.*

Legis officium eſt per ſe, quid agendum, cavendúmve ſit, pœnæ comminatione ſancire; vires ad implendam legem non legis juſtitia, ſed Chriſti fides, & gratia ſufficit, I. 6. 3

Legis per ſe vim conſiderans Apoſtolus, non excludit auxilia gratiæ: uti neque concurſum primæ cauſæ, qui ſecundæ per ſe naturam ſeorſim à prima conſiderat, I. 6. 4

In omni lege eſt mandatum, & pœna, ſive ſanctio: cui qui ſunt obnoxii, dicuntur *eſſe ſub lege.* Sicque legem mortis, miniſtrationem mortis, ac damnationis, iram operari, Apoſtolus ait, I. 6. 3

Ttiplex legis finis Deo propoſitus, 1. per ſe, ac directè, juſtos homines facere, & à peccato deterrere. 2. Per accidens, major ex prohibitione in peccata vetita pronitas. 3. ut ſuæ infirmitatis conſcii, & pœnarum metu concuſſi Liberatoris gratiam expeterent, I. 6. 6. *& ſeq.*

Primum finem legis ut ſalvaret, contra Manichæos aſſerit Auguſt. reliquos duos contra præſumentes de ſuis viribus Pelagianos oſtendit, *ibid.*

Ad auxilia gratiæ pertinent veteris effecta legis ex Auguſtino ab Anomis recenſita, I. 7. 1

Legis nomine non ſolùm mandata; ſed & ſtatus populi legis fœdere, inſtitutóque ſociati ſolet intelligi; velut legis veteris, ac novæ vocabulis, Synagoga, & Eccleſia Chriſtiana, I. 7. 4

Eadem, aut ferè eadem omnia eſſe utriuſque legis præcepta ait Auguſtinus, I. 7. 7

Finis proximus utriuſque legis longè diverſus; veteris, temporalis æterna præfigurans; Novæ, ſpiritualis à promiſſione incipiens regni cælorum, I. 7. 8. *&* I. 8. 4. *&* 5

Nulla lex, ne Chriſtiana quidem, quà lex eſt, & præceptis conſtat, gratiam aut benè agendi vires ſufficit, I. 8. 1

Nova lex gratiam confert, non quà lex eſt, ſed quà ſtatus novi Teſtamenti ſuum auctorem Chriſtum complectitur, I. 8. 2

Nova lex dicitur ipſe Spiritus ſanctus, I. 8. 3

Scribitur digito Dei in cordibus diligentibus habitantem in ſe legis juſtitiam, in quo differt à veteri terrente forinſecus, *ibid*

Lex non eſt æſtimanda eorum amentia, qui aberrant à lege: ſed bonorum intelligentia, obſequentium legi, ejúſque mentem, & ſcopum aſſequentium, I. 10. 3

Legi veteri ſufficientem gratiam nègant Anomi, impedientem tribuunt, I. 13. 1

In eo vim, fructúmque legie antiquæ ponunt, ut ejus obſervatores Deo potiùs auctore, quàm Diabolo peccarent, I. 1. 6

In exponendo legis inſtituto, & fine longiùs aberrat à mente Auguſtini Apologiſta, I. 14. 2

Legis defenſores neſciſſe ait, quid ſit *eſſe ſub lege*, I. 14. 5

Eſſe ſub lege duobus modis intelligitur, I. 14. 6

Nec in deteriorem ſemper partem accipitur, I. 14. 7

Lex velut Pædagogus infirmis præſidio fuit; *ibid.*

Eſſe in lege, idem eſt, ac *eſſe ſub lege*, ſeu lege teneri, I. 14. 8

Eſſe ſub lege, in malam interdum partem accipitur, éſtque reum eſſe violatæ legis, & pœnæ lege ſancitæ, I. 14. 9

Etiam Chriſtianos *ſub lege eſſe* utroque illo modo, Auguſtinus affirmat, I. 14. 9. *& ſeq.*

Religioſi legis obſervatores Patres antiqui ſub lege fuerunt, pertinuerúntque ad ſynagogam, ut erat ſynagoga. Prævaricatores legis non pertinuerunt, I. 14. 11

Legi veteri, ex ratione ſui ſtatus, adjuncta fuit medicinalis Chriſti gratia; non robuſtior effectrix operum; ſed initialis, quà territi, humiliati, confeſſi, ſanari vellent, & ad medicum confugerent, II. 4. 2

Divina lex eſt regula voluntatis humanæ, II. 10. 1

Voluntas divina lex eſt antiquiſſima, cui virtutum omnium officia perſolvuntur, II. 10. 2.

Malum.

Vero Deo boni totius auctori, Principem Mali Deum oppoſuerunt antiqui hæretici, Cerdones, Valentini, Marciones, Manichæi, Priſcillianiſtæ, Waldenſes, I. 1. 1

Eumdem boni, malique, ſeu ſceleris principem Deum Lutherus, Calvinuſque agnoſcunt, I. 1. 2

Quibus libenter ſubſcribunt Anomi, nec dubitant vitioſæ cupiditatis lenonem facere Deum, ne iſtas ſibi partes diabolus occupet, *ibid. &* I. 1. 6

Meritum.

Judæos accurata, & religioſa legis obſervatione nihil apud Deum meruiſſe, Anomi docent, I. 11. 5

Quem errorem tuetur acriter Apologiſta, I. 11. 6

Prima Chriſti gratia omne noſtrum meritum antecedit, éſtque principium totius meriti, II. 2. 4

Ante juſtificationem nullum eſt condignum meritum; eſt aliquod congruum; de quo tota ferè Auguſtino cum Semipelagianis contentio fuit, *ibid.*

Opera.

Vim operum inchoandorum, ac perficiendorum Chriſti gratiæ tribuebant Maſſilienſes; fidei, & bonæ voluntatis initium libero arbitrio, II. 3. 1

Utrumque gratiæ Chriſti acceptum refert Catholica fides, II. 3. 2

Ordo.

Quælibet virtus eſt ordo amoris, II. 2. 1

Pelagius.

Veteris Teſtamenti ſanctos non eguiſſe Chriſti gratia; hominémque poſſe in hac vita eſſe ſine peccato, Pelagiani docuerunt, I. 14. 3

Gratiam ſecundùm merita noſtra dari docuit Pelagius, quod in Concilio Palæſtino damnare coactus eſt, II. 3. 2

Solam gratiam Chriſti partam meritis impugnavit, *ibid.*

Gratiam cognitionis, quæ per legem habetur, admiſit: inſpirationem dilectionis rejecit, II. 4. 3. *&* II. 5. 2. *& ſeq.*

Neceſſariam eſſe negabat ad ulla virtutum officia, & ſalutem, Chriſti gratiam; utilem tamen eſſe fatebatur ad faciliùs operandum, II. 6. 3

Gratiæ neceſſitatem ſubdolè interdum commendabat, II. 6. 5. *& ſeq.*

Pœnitentia Sacramentum.

Attritio pars eſt ſufficiens ſacramenti Pœnitentiæ, II, 9. 1. *&* II. 11. 1

Sacramentum Pœnitentiæ facit ex attrito contritum, & confert primam gratiam, II. 11. 7

Radix.

Unicam boni & mali radicem agnoſcebat Pelagius liberum arbitrium: Auguſtinus boni radicem eſſe caritatem defendit; mali, cupiditatem, II. 5. 3

Redupli-

Digitized by Google

Reduplicativus terminus.

Ea vis eſt Reduplicativi termini, ut rei per ſe: & ſecundùm ſuam naturam ſpectatæ ſimplicem notitiam ingeneret, I. 9. 2

Semipelagiani.

Initium bonæ voluntatis, & fidei naturæ viribus tribuebant; opera virtutum, tentationum victoriam, & ſalutem gratiæ Chriſti, II. 3. 1. & II. 6. 3
Ab Auguſtino refelluntur, II. 3. 2

Sol.

Peccantes quidam, aut debita non reddentes ad ſolem poni jubentur à Judicibus, I. 4. 5

Spiritus ſanctus.

Eſt jam Spiritus ſanctus in confitente nondum juſtificato, ſed adhuc veniam deprecante, I. 8. 9
Eſt in bonis novi Teſtamenti, & adoptandis regni cæleſtis heredibus ipſa ejus ſubſtantia applicatur, I. 8. 2
Nondum inhabitans adjuvat ut ſint fideles; inhabitans adjuvat jam fideles, II. 3. 4

Synagoga.

Synagoga, ut ſynagoga, fuit Judaïci populi cœtus pacto cum Deo fœdere, certiſque per Moſem legibus, ac ritibus obligatus, figuratam adumbrantibus novi Teſtamenti veritatem, I. 9. 3
Propria ejus ratio fuit fœdus antiquum, & lex Moſaïca, *ibid.*
Synagoga, ut ſynagoga, ſtatus fuit Judaici populi legis, ac Dei legiſlatoris menti, ac propoſito conſentaneus, I. 12. 5
Vera fuit Dei Eccleſia, ejúſque caput Chriſtus, I. 2. 5, & I. 10. 4
Per ſe, & ex intrinſeca ratione bona, Deóque digna auctore fuit; ex accidente, & vitio malè utentium, noxia, I. 3. 2
Quod utrumque ab Apoſtolo disertè affirmatur in Epiſtola ad Rom. I. 3. 3
Adſcribenda non ſunt ſynagogæ, ut ſynagogæ, vitia Judæorum à legis ſcopo aberrantium, uti neque modò Chriſtianæ Eccleſiæ, quod in ea plerique perditè vivant, I. 10. 1. & I. 14. 11
In ſynagoga, uti modò in Eccleſia, pauci erant boni ſpiritum legis ſequentes, comparatione malorum: unde Prophetæ ex majori parte ſtatum illius perditum deſcribunt, tanquam nulli penitus in ea boni eſſerit; I. 11. 1
Et Apoſtolus in Epiſtola ad Rom. I. 11. 2
De majori parte, velut de toto loqui Scriptura ſolet: Idque ab ea uſurpatum in vituperanda ſynagoga Patres obſervant, *ibid.*
Eum morem obſervat Auguſtinus Apoſtolo præeunte, I. 11. 4
Fugit Anomos ea regula, qui de generali vituperatione ſynagogæ partem ullam demi non ſinunt, I. 11. 5
Synagogam, ut ſynagogam, aiunt terreni populi turbam; hominúmque carnalium congregationem fuiſſe, ſolis terrenis incubantium, & propter illa colentium verum Deum, I. 1. 3. & I. 2. 5
Synagogam veteri legi ſervientem eo affectu, & ſpiritu, quem lex ipſa, legíſque auctor Deus præcipiebat, Eccleſiam Dei fuiſſe negant, I. 5. 1. & *ſeq.*
Immo reos feciſſe damnationis, qui eo ſpiritu, fine, & ſcopo Deo accuratè ſervirent, *ibid.* & *ſeq.* & I. 9. 1
Anomum legis antiquæ obſervatoribus omne apud Deum meritum detrahentem reprehendi Apologiſta non ſinit, I. 11. 5
Eique tuendo Scripturæ, ac Patrum teſtimonia corrogat, prævaricatores Judæos arguentium, de contempta, & violata lege, I. 11. 6

Vetus, ac novum Teſtamentum.

Vetus Teſtamentum datum Judæis negant Anomi, ut eorum ſalus in tuto locaretur, vel de propinquio curaretur, I. 1. 3
Negant ſtatum veteris Teſtamenti ex ſeſe fuiſſe juſtitiæ, aut ſalutis, ſed damnationis, ac mortis. quod hæreticum eſt, I. 1. 5
Ex ipſa ſtatus illius natura gratiæ Chriſti quovis auxilio caruiſſe volunt, I. 2. 1. & *ſeq.*
Ejus obſervantiam veteris hominis ſervitutem appellant, I. 2. 2
Veteris alumnos Teſtamenti legem, aut ejus aliqua mandata obſervantes caruiſſe dicunt ſufficiente Chriſti gratia, cujus ignari, contemptoréſve fuerunt, I. 2. 4
Viros ſanctos, qui veteris Teſtamenti tempore vixerunt, negant ad vetus Teſtamentum, ſed ad Eccleſiam Chriſtianam pertinere, I. 5. 2
Vetus Teſtamentum figura novi fuit, tam in ſacramentis, quàm in præceptis, I. 7. 5
Idcirco vetus eſt appellatum, I. 7. 6
Vetus Teſtamentum interdum propriè dicitur lex per Moſem data in monte Sina, I. 7. 8
Latiùs ſumitur pro toto veteri inſtrumento, ſicque promiſſionem regni cæleſtis continet, *ibid.*
Utriuſque Teſtamenti auctor eſt Chriſtus; ſed veteris per ſuos miniſtros, novi per ſeipſum, I. 8. 2
Utriuſque alumnis gratiæ cæleſtis opes communicavit; uberiùs & ſingulari quodam modo in novo, I. 8. 3
Utrique pro finium, & officiorum varietate, diverſa gratiæ auxilia contulit, I. 8. 4
Novi Teſtamenti finis proximus eſt regnum cæleſte, cui auxilium convenit fidei per dilectionem operantis: Veteris finis erat terrena felicitas præfigurans cæleſtem, cui dabatur initialis gratia, I. 8. 5
Ad perfectam juſtitiam præparans, I. 8. 6
Hærens in proprio veteris Teſtamenti gradu, ac ſpiritu, non erat in ſtatu gratiæ ſanctificantis; ſed præparatoriis auxiliis, velut præmedicatione, ad eam diſponebatur, I. 8. 7
Status ille non erat damnationis, ac mortis, ſed utilis curationis, & ſpei recuperandæ ſanitatis, I. 8. 8. & *ſeq.*
Gratiæ Chriſti non caruit opportunis auxiliis, I. 9. 4
Quod temerè Anomi aiunt, & ex ſuis principiis refelluntur, I. 13. 2
Laudatos à legis defenſoribus veteris Teſtamenti Sanctos Anomi Pelagianiſmo tribuunt, I. 14. 1
Mala utique fide. nihil enim cum Pelagio commune habent, I. 14. 2. & *ſeq.*
Laus Sanctorum veteris Teſtamenti geminum errorem Anomorum elidit, I. 14. 4
Vetus Teſtamentum forinſecus ſonabat ſenſibus præcepta juſtitiæ; Novum præbet intrinſecus incrementum, II. 4. 4

Timor.

Timor pœnæ ſervilis eſt, nec præceptum implet, II. 5. 5
Non tamen peccatum eſt, nec peccatores pejores facit, II. 7. 1
De timore pœnæ ita ambiguè Princeps Anomorum loquitur; ut videatur in Calvini, quàm Tridentini ſententiam propenſior, II. 7. 2
Negat timorem pœnæ ad Chriſti gratiam pertinere; fatetur tamen eſſe à Deo, & ex gratia providentiæ naturalis, II. 7. 3
Pœnæ timore vitari poſſe peccatum negat, quin aliud committatur, *ibid.*
Bonum eſſe, & ex Spiritus ſancti inſpiratione per excitantem, & adjuvantem gratiam, liberè cooperante voluntate effici, Tridentini Patres definiunt, II. 7. 4
In damnando timore caritatem antecedente Anomorum princeps auctorem Lutherum ſequitur, à Leone decimo, Tridentina Synodo, & orbe Chriſtiano proſcriptum, II. 7. 6. & *ſeq.*
Timorem gehennæ ut bonum, & utilem introducendæ caritati, ac neceſſarium commendat Auguſtinus, II. 8. 3. & *ſeq.*
Idem timorem ſervilem non excludentem voluntatem peccandi, damnare videtur, II. 8. 6
Quadruplex timor à D. Thoma numeratur, in iiſque ſervilis ſecundùm ſubſtantiam, bonus: ſecundum

ſervilita-

ſervilitatem, quæ non eſt de ejus ratione, malus, II. 8. 7

Triplex ab aliis pœnæ æternæ timor ſtatuitur; nec alius bonus, quàm qui excludit voluntatem peccandi, II. 8. 8

Timor pœnæ purè naturalis, eſt indifferens; excitatus à Spiritu ſancto bonus eſt, *ibid.*

Neque alium vituperat Auguſtinus, quàm qui peccandi voluntatem habet implicitam, ſi impunè liceret, II. 8. *9. & ſeq.*

De timore illo pœnæ purè naturali concedi poteſt; non vitari per illum peccatum, ſine alio peccato, II. 8. 11

Timor pœnæ etiam ex fide, & Chriſti gratia conceptus, initialis eſt, nec ad exequenda mandata per ſe idoneus; donec introducat caritatem, II. 8. 12

Timor pœnæ bonam vitam, hæc bonam conſcientiam parit, ut nulla pœna timeatur, II. *9.* 1

Vetus homo.

Obſervantiam legis antiquæ, veteris hominis ſervitutem Anomorum Apologiſta vocat, I. 2. 2

Vetus homo eidem eſt corrupta peccato natura, peccati ſtatus, & corpus peccati, *ibid.*

Virtus.

Virtus eſt ordo amoris, II. 2. 1

F I N I S.

APPROBATIO PROVINCIALIS.

EGo STEPHANUS CHARLETUS *Societatis* JESU, *in Provincia Franciæ Provincialis, facultatem concedo, ut liber cui titulus eſt,* De Lege & Gratia, libri duo, *à P. Dionyſio Petavio compoſitus, & trium ejuſdem Societatis eruditorum virorum judicio approbatus typis mandetur: in quorum fidem has litteras manu mea ſubſcriptas meique officii ſigillo munitas dedi.* Flexiæ 20. Octobris 1647.

STEPHANUS CHARLETUS.

DIONYSII

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS, E SOCIETATE JESU, ELENCHUS THERIACÆ VINCENTII LENIS.

PRÆFATIO.

QUÆ ſub Vincentii Lenis ſuppoſititio nomine Theriaca *nuper in lucem prodiit, ad eam ariolo, & conjectore nihil opus fuit, uti nobis de vero ac germano illius auctore conſtaret. Nam etſi latere utcumque velle præ ſe tulit; non tamen ita diſſimulare potuit, quin facilè deprehenderetur fabuloſi illius apud Arioſtum herois Rodomondi penè cognominis Doctor. Uſque adeò geminus ille fetus eſt aliis ab eodem editis, quæ tum argumento ipſo, tum tractandi genere, ac ſtilo, carnificinam hominum redolent. Nec cruentam modò lanienam &* anatomen *: ſed, quod deterius eſt multò, abhorrentem ab Romana, & Catholica fidei integritate doctrinam. Cujus aliud agenti haud obſcurum indicium excidit hoc ipſo, quòd ſe Arauſicanum inſcripſit. Ut non tam occultandæ patriæ cauſſa ſibi hoc præcipuè nomen aſſumpſiſſe videri poſſit, quàm ejus, cui eſt addictus, teſtificandæ religionis, ac ſectæ; quæ in Arauſicana urbe principatum hodie tenens, eadem cum Armacano Batavo de Libero arbitrio, & Chriſti gratia decreta profitetur. Quorum quidem patrocinium Vincentiana illa* Theriaca *ſuſcepit: ſed eventu adeò non ſecundo, uti nullus eam, vel partium earumdem, ſine ſtomacho, & contemptu legerit in Galliis, nullus dignam reſponſione judicarit. Nam cùm infeliciter & iratis omnibus Gratiis eſt concepta; tum novi nihil admodum ad cauſſam contulit, quod momenti ſit ullius: quódque ex antiſtite dogmatis illius non penè verbatim depromptum fuerit; & in eo confutando, jam à nobis profligatum & everſum.*

Sed quoniam talium hæc eſt hominum indoles, ut eadem leviter commutata, & interpolata, tamquam Siſyphi φύελα*, ſæpius ingerant, & inculcent, atque ab ignaris, vel incurioſis lectoribus, hoc eſt majori eorum parte, quibus conſulere oportet, deſperatæ ac perditæ cauſſæ confeſſio, ſilentium haberi ſolet; ceſſimus amicorum conſilio, & hortationi hactenus, ut & breviter, & ad ea ſolùm capita glorioſo illi reſponderemus, quæ ad nos præcipuè pertinent: quæ autem in Ricardum Doctorem, quem in eadem lucubratione eſt aggreſſus, privatim conveniunt, ea prætermitterem, & illi integra reſervarem, quo melior eſſe cauſſæ ſuæ patronus nemo poteſt.*

Igitur quæ in Vincentii Theriaca*, quatenus ad me ſpectat, animadverti, ea quantum potero, in pauciſſima contraham, ſine ullo apparatu ſermonis, & ornatu: ne hoc mihi iracundus homo ſuccenſeat, quod de priori Opere noſtro ſtomachatus eſt, nimium me in ſcribendo elegantem Latinè fuiſſe.*

Sed percommodè ſanè accidit, ut in iſtam Latinitatis, & elegantiæ mentionem ſermo noſter incurreret. Hinc enim ut Vincentii criminatio, ſic hujus caſtigatio noſtra procedet.

CAPUT I.

Inſcita de Latinitate Vincentii expoſtulatio.

I. IN ipſo libri aditu grave Petavio crimen objicitur, Latini ſermonis elegantia. Meritò id quidem. Nam nullum Operi tam illepido magis congruebat exordium, quàm querela de nitore orationis & munditia. Quid facias? Sic à pueris inſuevêre litterati homines in Gallia. Tu verò, Vincenti, ridiculus es, qui quam tibi perſonam impoſueras Arauſicani, id eſt apud nos nati, & educati hominis, tam malè geſſiſti. Nam ex ſtilo te tuo, *ὥσπερ ἐκ βοσρύχων*, ſtatim peregrinum prodidiſti. Adeo eſt non inconcinnus modò, ſed odioſus etiam, ac *perunctus nautea.* Sed quam accuſandi rationem præ ſe ferat, tamen intereſt ſcire. *Ita à M. Tullii ore pendet Petavius,* inquit, *ut mutus eſſe malit, quàm quidquam quod ille non prævit eloqui.* Etſi hoc non magnum peccatum foret: tamen eſt falſum. Tu verò vel neutrum umquam, vel alterutrum non legiſti. Dic mihi, vidiſti apud Tullium *Trinitatis* nomen, aut *Incarnationis*, aut *eſſentiæ: perſonalis proprietatis: attributorum Dei? Relativam* item *proprietatem* dixit aliquando Cicero, vel *ſubſiſtentem in tribus perſonis Deum*, vel *Patrem, Filium & Spiritum ſanctum?* Atqui nec mutus eſſe voluit in tribus tomis dogmatum ſuorum Petavius; & hæc innumeráque dixit alia, quæ tu, ſcio, numquam in Ciceronis libris invenies. Quorſum igitur attinebat tam inverecunda hyperbole, niſi ut orationis ſordes qualicumque hoc ſchemate commendares?

II. SERMO eſt Petavii non malè Latinus; ſed non affectatus, nec curioſe perpolitus; nec ad Priſciani regulas, aut Ciceronis normam, uti nugaris, admodum exactus.

exactus. Id ſi eſſet, pauciora quàm hactenus fecit, in lucem edidiſſet. Non enim tam facilè defungi ſolent, qui hanc ſibi ſervitutem; immo tam cruciabilem ærumnam, ut hoc minimè Ciceronianum habeas, indixerunt, quos neceſſe eſt habitare in hoc ſtudio, & intentis in eam curam animis, identidem inſiſtere; uti voces ſingulas excutiant, & examinent; ne quid imprudentibus obrepat, vel minùs Latinum, vel, quod vitari vix poteſt, minimè Tullianum.

Atenim adeò anxius eſt, & moroſus, ut religioni ducat, *eſſentiale* dicere: próque hac voce, Græcam magis adhibeat, οὐσιώδης. tum *exiſtentiam* defugiat, malit *exſtantiam*: pro *mediis*; *præſidia*; pro *indeliberato*, *minimè deliberatum* uſurpat: *ingratiis* item pro *invitè*. Profectò, mi homo: nimiùm curioſus es, & abundas otio. Nam ſi eſſet quod ageres, ad minuta iſta, & exilia non deſcenderes. Quid quòd in illis notandis non minùs Theologiæ te rudem, quàm Grammaticæ demonſtras? Οὐσιώδης apud Græcos latiùs patet, quàm apud Latinos,

* Cap. 6. 7. *eſſentiale*. Obſervavit hoc Petavius in * ſeptimo libro de Trinitate. Nam illi οὐσιῶδες id appellant, quod non ex eſſentiâ, non tamen ex accidente convenit. Sic perſonalis proprietas in Deo non eſt *eſſentialis*; eſt tamen

* Lib. 4. epiſt. 166. οὐσιώδης, quod *ſubſtantivum* appellare poſſis. Sic * Iſidorus Peluſiota quod Apoſtolus ſcribit, in Chriſto *habitare omnem plenitudinem divinitatis* σωματικῶς, id eſt *corporaliter*, idem eſſe putat, atque οὐσιωδῶς, quod non tam commodè vertas *eſſentialiter*, quàm *ſubſtantivè*, ut intelligatur divinitas in Chriſto non ſecundum accidens, ac tranſeuntem ἐνέργειαν, ut in Prophetis, reſediſſe, ſed ſecundùm ſubſtantiam, id eſt οὐσιωμένως.

III. De exſtantia quod tu vellicas, inſcitè facis. Negas *exſtantiam* aliud eſſe, quàm quod eminet, ut in vitibus, capita; idque ex Columella tranſtuliſſe Petavium ad rei ſignificandam exiſtentiam aſſeris: hoc eſt ὑπεροχὴν, cùm ὑπεροχὴν potiùs deſignet.

Si tu aliunde, quàm ex Calepino, proprietatem iſtius vocabuli didiciſſes, non te adeò deridendum præberes. Nunc quoniam hactenus in Calepino reperiſti, putaſti ſatis cauſæ te habere ad obtrectandum Petavio.

* Tom. 2. Dogm. Theol. lib. 4 c. 1. Atqui * auctorem ille nominarat Vigilium, diſertum & eruditum Theologum; qui *exſtantiam* pro eo ſumpſit, quod *exiſtentiam* vulgò nuncupant. * Sic enim

* Vigil. lib. 1 To. 4. Bib. PP. col. 495. B. in primo adverſus Eutychen. *Quia ſecundùm iſtos, qui unam tantummodò contendunt eſſe naturam; aut Verbi mutata eſt in carnem, ut fieret una; aut carnis in Verbo conſumpta eſt, ut exſtantiam ſui per ſui abolitionem amittens, omnino eſſe non poſſit.* Quinetiam Hilarius Nicænum Symbolum Latinè vertens in libro de Synodis, quod Græcè ita conceptum eſt; τοὺς δὲ λέγοντας, &c. ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ſic reddidit; *Eos autem qui dicunt, quòd de non exſtantibus factus eſt*, τὰ ὄντα, quod eſt *exiſtentia*, Latinè maluit *exſtantia* dicere: ut & Epiphanius Scholaſticus

* Lib. 2. c. 9. in * Tripartita hiſtoria, pro quo * Ruffinus *ex non ſub-*

* Lib. 1. hiſt. cap. 6. *ſtantibus* in hiſtoria ſua poſuit. Eat nunc Vincentius, & ingenuum, ſi quem habet, ruborem a fronte contineat. Sanè *exiſtentia* nomen Latinum non eſt, &, ut ſit, non magis rei ὕπαρξιν quàm *exſtantiam*, ſignificare debet. Eſt enim *exiſtere*, perinde ut *exſtare*, apud Latinos auctores, idem atque *emergere*, & *eminere*, vel *exoriri*: ſed cum motu aliquo; quod *exſtandi* vox non aſſignificat, ut eruditi Grammatici notarunt. Latinè tamen *exſtantiam* pro ὑπάρξει meliùs dixeris, quàm *exiſtentiam*. Hanc enim non *abſtractum*, ut vocant, ſed *concretum* eſſe nomen antiquiores exiſtimarunt Theologi,

* Cap. 4. idémque ac *perſonam* eſſe, vel *ſubſiſtentiam*; ut in * quarto de Trinitate obſervatum eſt à nobis. Quare meliùs, ut jam dixi, præeuntem ſecutus Vigilium, *exſtantiam* appellavi, etſi promiſcuè ſæpiùs *exiſtentiam* uſurpavi, pro eo quod ὕπαρξιν Græci vocant, quod tu homo Græcè valdè doctus ὑπαρχὴν nominaſti: nec Vocabularium tuum antè conſuluiſti, ex quo ſcire poſſes, ὑπαρχὴν *initium*, & *ortum* rei ſignificare, non *exiſtentiam*.

IV. Non minùs abſurdè de vocabulo *ingratiis* negotium facit, & eam accuſationem elegantiarum pater expromit his verbis, quæ hic operæpretium ſit legere.

* Vincent. lib. 1. p. 3. * *Sed hoc perbellum eſt*, ait, *quod cùm Ciceronem adverbio, ingratiis obſcuro, detritóque, & à piſtrino Plauti farinulento, ſemel uſum comperiſſet, mox identidem lectori ſuo ingerere, & hac luculenta face, liberi arbitrii noctem illuminare non ceſſaverit.* Quænam hæc ſunt, obſecro, portenta verborum? aut quid mirabilius hoc homine, qui ex *obſcuro*, *detrito ac farinulento neſcio quo laternam facit ad illuminandam noctem liberi arbitrii?* Apage te cum *farinulenta* tua *face*, illuminator liberi arbitrii. *Ingratiis* pro eo quod eſt *invitè*, dixit non ſemel Plautus, Dixit & M. Tullius *ingratiis*, quod idem eſt atque *ingratiis*. Terentius item in Eunucho,

Opus faciam, ut defatiger uſque, ingratiis ut dormiam.

Non te adeò deſipere arbitror, ut tantis Latinitatis auctoribus qualecumque tuum judicium audeas opponere.

CAPUT II.

1. Controverſiæ ſtatus. 2. Vincentii prævaricatio, & dogmatis proditio: dum repudiatam à magiſtro ſuo Peripateticam Philoſophiam ad liberi arbitrii doctrinam adhibet.

I. AB hac grammatica velitatione Vincentii, ad præcipuam tranſeamus operis, & certaminis materiam, de qua duobus libris diſputavit. Quorum antequam ſingillatim errata perſequor, generalis hæc animadvertenda eſt, & per univerſum corpus pertinens labes ludicræ cavillationis, ac ſophiſticæ. Nam & quæſtionis in reſpondendo ſtatum invertit: & quæ à Petavio, quod etiam pro ſe Ricardus opponet, propoſita erant argumenta contra novi dogmatis auctorem, diſſimulando præteriit: tum verò in ſuſcepta cauſa, & magiſtri defenſione prævaricatus eſt.

De libero hominis arbitrio, ejúſque naturâ, & adverſariâ neceſſitate, tota fuit Petavii, & Ricardi cum Armacano contentio. Hanc ipſam titulo libri ſui, & inſcriptione profeſſus erat Vincentius. At idem, ubi ad rem ventum eſt, de propria liberi arbitrii notione, quam ex antiquis Philoſophis, ac Theologis informaveram, perpauca dixit, nec illa καίρια: in *libertatis* verò, & *voluntatis*, ac *voluntarii*, & ceteris ejuſdemmodi vocibus, quæ ambiguè, & ὁμωνύμως uſurpantur, bonam partem orationis inſumpſit. Dicam de hac fraude, ac tergiverſatione poſteà. Nam de prævaricatione priùs agi neceſſe eſt: quòd ex ea multùm præſidii, ac lucis inſequens noſtra diſputatio capiat.

II. Novæ artifex ſectæ, contra quam ſcripſeram, ut formulam liberi arbitrii conſtitueret, ſummovendos edixit ab hac conſultatione Peripateticos, & Pelagianos; quòd amborum ſententia ab Catholica fide ex æquo diſcreparet. Edicti verba ſunt ejuſmodi; * *Nihil magis* * To. 3. lib. 3. Præf. p. 256.
in hoc argumento de libero arbitrio ſuſpectum eſſe debet, quàm Ariſtotelica illa Philoſophia, cujus ſolius armis inſtructi Julianus, & Pelagius libertatem humani arbitrii defenderunt. Et, *Deſinat hìc obſtrepere Ariſtotelica Philoſophia, quæ in iſta cauſſa cum Pelagio, atque Juliano plenis buccis eam crepante damnata eſt.*

Armacanum argueram iniqui, & contra rationem promulgati illius decreti. quippe, ſepoſitâ ope ac neceſſitate gratiæ, quam divinare non potuit Ariſtoteles, Pelagius verò nefariè ſuſtulit; non malè de libero arbitrio ambos exiſtimaſſe, ſi ſola illius natura ſpectetur. Nam quod ad Ariſtotelem attinet, haud aliter conceptam ab eo docui liberi arbitrii definitionem, quàm ab Chriſtianis poſteà Theologis, Nemeſio, Maximo martyre, Anaſtaſio, Joanne Damaſceno, ac præ ceteris S. Thoma: quos omnes oſtendi de illius natura diſſerentes, eam ſumptis ex Ariſtotele partim verbis, partim ſententiis explicaſſe.

III. At * Vincentius contra magiſtri ſui, & antiſtitis edictum ſtatim initio profeſſus eſt, de libero arbitrio idem ſe penitus cum Ariſtotele, ac Peripatetica philoſophia ſentire, falsóque ſibi exprobraſſe Petavium, ac Ricardum, quòd illis auſcultare nolit. Sic in * libri primi præfatione gloriatur, ſe adverſus ambos illos *philoſophiam verè Peripateticam replantaſſe: factóque ipſo oſtendiſſe, quàm vanum ſit iſtud, quod à Petavio, & Ricardo ſibi opponitur: Ariſtotelem audire nolunt. In re enim tota natura, & ipſa liberi arbitrii, ac humanæ libertatis notione attentè audimus, & aliquantò quàm ipſi profundiùs Dei luce & duce penetravimus.* * Præfat. lib. 1. p. 1. & 4. * Vinc. in Præf. pag. 4.

Et in Præfatione ſecundi libri, eadem jactantia prædicat, *ſe ex veteris Peripatetica, & ſanctorum Patrum philoſophia*

losophia

Digitized by Google

loſophiæ ſtructura, quam libro primo, inquit, *Dei ope reſtituimus, totam Petavii, & Ricardi de libero arbitrio doctrinam* ſubruiſſe. Qui ſe igitur Peripateticam philoſophiam *replantaſſe: & in liberi arbitrii, ac humanæ libertatis notione* conſectanda profundiùs quovis alio *Dei luce, ac duce penetraſſe* dicit: qui eamdem illam reſtituiſſe ſe *veterem, ac Peripateticam philoſophiam* affirmat, eam utique ſuſpectam non habet, nec tamquam Catholicæ adverſam fidei, cum Pelagiano errore damnatam judicat: ſed Iprenſem potiùs doctorem, & magiſtrum ſuum in ſuſpicionem vocat hæreſis; immo apertè condemnat, quòd Peripateticam, hoc eſt, ut Vincentius ipſemet interpretatur, *ſanctorum Patrum philoſophiam*, ſtilo ſuo ac decreto notavit. Cujus ergo gravitatis, & prudentiæ eſt, eidem in ea cauſſa patrocinari, ob quam jure ipſum damnandum arbitretur? Nónne quòd illius errori contradicit, hoc Petavio monitori, ac pudori ſuo, conſcientiæque debet: quòd auctorem erroris, ob hunc ipſum laudat, ac tuetur, cavillantis eſt minimè ludicra in re, neque ſeriò reſipiſcentis? Deſinat itaque *replantator* iſte reſtitutam à ſe jactare veterem, ac veram philoſophiam; nec ſe *Dei luce, ac duce profundiùs penetraſſe* dicat (ſic enim hominem iſtum Latinè loqui delectat, quod nemo prorſus intelligit.) Non eſt profectò non

* Jac. 3. 15. eſt, * *deſurſum deſcendens ſapientia illa* tam inſulſa, & tumultuoſa: *ſed terrena & animalis. Ubi enim zelus, & contentio: ibi inconſtantia, & omne opus pravum. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens.*

Talis non eſt Vincentiana: ſed pugnax & ligitioſa, nec minùs ipſa ſecum, quàm cum ſana fide, & Catholica veritate pugnans. quod deinceps probare pergam.

CAPUT III.

Liberi arbitrii ratio conſtituta ex Peripateticæ philoſophiæ decretis à S. Thoma præſertim explicatis in ſumma Theologica. Præcipuè notanda capita quinque de libertate hominis ex eodem.

I. ERgo, uti proximè ſuprà loquentem Vincentium audivimus, proba eſt, & Chriſtianæ regulæ conſentanea liberi arbitrii definitio, quam vetus Peripateticorum diſciplina conſtituit. Hac una confeſſione, quam ex ore falſiloquo vis veritatis expreſſit, confecta res eſt, & omnis hæc ſublata controverſia. Nihil enim cauſari jam poteſt Vincentius, quin & verum ſit, quod de libero arbitrio ſcripſi, & falſum quod Armacanus, & tota iſta, cujus idem ſuffragator eſt Lenis, ſecta defendit.

Hoc ut penitùs conſtet, inquirendum, opinor, eſt, quæ ſit Peripateticæ illius philoſophiæ de libero arbitrio humanæ voluntatis opinio. Cùm autem Peripatetica doctrina non alia ſit, quàm quæ ab Ariſtotele tradita, & Ariſtotelicis libris comprehenſa, vulgatáque legitur; non longiùs abeundum nobis eſt. Sed cujuſmodi in illis libris invenitur, pro vera, & Peripatetica erit habenda liberi arbitrii ratio. Sed ne quis de Ariſtoteleæ orationis obſcuritate, & ambiguitate præſcribens, latebram calumniandi ſibi aliquam ſtatuat: nihil eſt conſultius, quàm ut interpretes adhibeantur Ariſtoteleæ mentis, & philoſophiæ, veteres & eruditi Theologi, quorum auctoritatem illi ipſi, quos contra contendimus, ſanctiſſimam habere ſe profitentur. Tales ſunt, quos in libris de libero arbitrio nominatim percenſui; quorumque ſententias accuratè deſcripſi, Græci, ac Latini Patres. Sed ne longum faciam, duos hoc loco, treſve ſeligam, Nemeſium, & qui hujus pleraque verba tranſcripſit, Joannem Damaſcenum; ac S. Thomam Aquinatem. Immo in hujus referenda ſententia, priores complectar duos: quandoquidem quidquid ille de liberi arbitrii natura, & eſſentia docuit, nihil niſi doctrina eſt iſtorum Latinè tranſlata de Græco.

II. Et quoniam πολυγράφος, & μυριόβιβλος ille Doctor pluribus in libris de arbitrio libero commentatus eſt; in quibus ſi non pugnantia, certè diverſa, & ἐναντιοφανῆ aliqua dixiſſe viſus eſt: adhibenda primùm nobis opera eſt, ut de mente, ac judicio ipſius nobis liquidò conſtet. Id autem non aliunde certiùs colligitur, quàm ex Opere illo, quod ut omnium, quæ ab eo ſunt elucubrata, poſtremum eſt, ita præſtantiſſimum habetur; quæ eſt Theologiæ Summa. Hinc ergo petenda nobis eſt germana S. Thomæ de arbitrio libero hominis opinio, potiùs quàm ex aliis, quæ non tam maturus ætate, nec adeo uſu, doctrináque perpolitus in lucem edidit. In prima itaque parte Summæ iſtius * liberum arbitrium imprimis à voluntate diſtinguit: * non quòd duplex potentia ſit. Eſt enim una & eadem; ſed ratione, ac functione diverſa. Nam * voluntas propriè circa finem operata eſt: liberum verò arbitrium circa *media.* Quippe * *proprium liberi arbitrii eſt electio* (ait idem Sanctus Thomas.) *Ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quòd poſſumus unum recipere alio recuſato.* Et ideo naturam liberi arbitrii ex electione conſiderare oportet. Atqui electio propriè *eſt eorum, quæ ſunt ad finem*, ut idem docet articulo quarto quæſtionis illius octogeſimæ tertiæ, ubi perinde duas ejuſdem voluntatis functiones eſſe ſcribit, ac ſunt in eâdem intelligendi potentiâ, duæ. Etenim intellectus duplicem habet actionem: unam, quæ intelligentia propriè dicitur, & eſt ſimplex principiorum ſine ratiocinatione perceptio: alteram quæ ratiocinatio vocatur, & ex principiis concluſionem colligit. Sic eadem appetendi rationalis poteſtas unam habet actionem, quæ voluntas dicitur, *ſive ſimplex rei appetitus*, hoc eſt finis: aliam, *quæ electio nominatur*, & eſt propria liberi arbitrii, quæ idcirco *vis electiva* nuncupatur, ea ſpectans quæ ad finem comparata, *media* dicuntur.

* In 1. Par. qu. 82. & 83. * Quæſt. 83 art. 4. * Ibid. * Ibid. art. 3.

III. Ad hæc propoſita ſibi * quæſtione hæc, *utrum voluntas aliquid ex neceſſitate appetat;* reſpondet, ultimum finem neceſſariò à voluntate appeti, quatenus voluntas dicitur, & quæ, ut paullò antè dixi, finem reſpicit; ſicut neceſſariò intellectus principiis aſſentitur: atque hoc *voluntarium* appellari, *quod* videlicet *eſt ſecundùm inclinationem voluntatis*, cui *violentum* opponitur. * Ut autem præter principia, ſunt *quædam propoſitiones contingentes*, quibus ratiocinando concluſis, non neceſſariò aſſentitur intellectus: Sic voluntati *quædam particularia bona* proponuntur, *quæ non habent neceſſariam connexionem ad beatitudinem: & hujuſmodi voluntas non de neceſſitate inhæret:* qualia ſunt *media* ad finem utilia, circa quæ *liberum* verſatur *arbitrium.* At ultimum finem neceſſariò, & quidem *naturali neceſſitate* voluntas appetit: quatenus nimirum *clarè cognoſcitur.* Sic enim in articulo ſecundo, *Voluntas*, ait, *videntis Deum per eſſentiam, de neceſſitate inhæret Deo.* Hoc loco *neceſſitas* intelligitur non violenta, quæ voluntati, quà voluntas eſt, & ultimum finem ſpectat, opponitur: ſed naturalis, quæ cum eâdem voluntate, ſive appetitu finis ultimi conjuncta, *libero arbitrio*, ſive *vi electivæ* contraria eſt. Hæc S. Thomas. Cujus & iſta ſunt notanda quinque.

* In 1. Par qu. 82. art. 1. * Ib. art. 2.

IV. Primum, * *Ea, ad quæ naturaliter inclinamur, non ſubeſſe libero arbitrio.* * Quæſt. 83. Art. 2.

Secundum, quoniam homo ex libertate ſua *dominus actuum ſuorum* dicitur; non hoc illi convenire quatenus *voluntas* eſt, & finem ultimum reſpicit: verùm quatenus in deligendis *mediis* occupatur. Sic enim alibi * S. Thomas, *Ex hoc contingit, quòd homo eſt dominus ſui actus, quòd habet deliberationem de ſuis actibus. Ex hoc enim quòd ratio deliberans ſe habet ad oppoſita; voluntas in utrumque poteſt.* * In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 2.

Tertium, * duplex eſſe voluntarium, perfectum, & imperfectum. Perfectè voluntarium, eſt quod ex perfecta finis cognitione ſequitur; *prout ſcilicet apprehenſo fine aliquis poteſt deliberans de fine, & de his, quæ ſunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri.* Imperfectè voluntarium eſt, *quod cognitionem finis ſecundùm imperfectionem ſequitur: prout ſcilicet apprehendens finem non deliberat, ſed ſubitò movetur in ipſum*, ut in brutis evenit. Ita perfectè voluntarium idem eſt ac liberum arbitrium, & circa *media* verſatur: quippe ex conſultatione, ſive deliberatione oritur. * Ib. art. 2. in corp.

Quartum eſt, * *laudem, ac vituperium conſequi actum voluntarium ſecundùm perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis*, ac proinde illis tantummodò convenire, quæ ex libero fiunt arbitrio. * Ibid. ad 3.

Quintum, * & poſtremum eſt, quod voluntatis proprium dicitur, ut ſeſe moveat, non ei convenire, quà voluntas eſt, & finem appetit, ſed quà vis eſt electiva, ſive liberum arbitrium. Sic enim diſputat ſanctus Thomas: * S. Thom. in 1. 2. qu. 9. art. 3.

mas: *Quemadmodum intellectus per hoc, quod cognoſcit principium, reducit ſeipſum de potentia in actum, quantum ad cognitionem concluſionum, & hoc modo movet ſeipſum: ſimiliter voluntas per hoc quòd vult finem, movet ſeipſum ad volendum ea, quæ ſunt ad finem.* Igitur voluntas ea ſola ratione movere ſe dicitur, quòd in *mediorum* electione verſatur; non autem dum fertur in finem, quà finis eſt: quare proprium eſt voluntatis movere ſe, quatenus liberum eſt arbitrium; non ut voluntas eſt.

V. Idem docet in ſecundæ partis prima parte, quæſtione duodecima, & decima-tertia; ubi voluntatis, quà eſt voluntas, actionem, quæ intentio dicitur, ferri ait in finem: eam verò, quæ voluntati convenit, quà liberum eſt arbitrium, & eſt electio, circa ea, quæ ſunt ad finem, hoc eſt media, verſari. * Hanc porrò, *cùm ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt reſpectu plurium eſſe, quæ eligi poſſunt; & ideo in his, quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet.* * Poſt hæc, electioni, id eſt actioni propriæ liberi arbitrii, contrariam eſſe dicit neceſſitatem non cogentem, ſed ad unum determinantem; ejuſmodi ſcilicet, quâ voluntas eadem perfectum bonum, id eſt beatitudinem, expetit. Nam *ex neceſſitate beatitudinem homo vult: nec poteſt velle non eſſe beatus, aut miſer. Electio autem cùm non ſit de fine, ſed de iis, quæ ſunt ad finem, non eſt perfecti boni, quod eſt beatitudo, ſed aliorum particularium bonorum: & ideò homo non ex neceſſitate, ſed liberè eligit.* Hæc ſunt quæ de libero arbitrio in Summa Theologica, hoc eſt opere illius poſtremo, ac præſtantiſſimo, diſputantur à S. Thoma. Præter quæ alia ſunt non minùs ad rem noſtram pertinentia: ſed longum eſt omnia complecti: ac tum ea, quæ hic omiſſa ſunt; tum illa ipſa, quæ carptim delibavimus, pleniùs illîc explicata legi poterunt.

* In 1. 2. qu. 13. art. 2.

* Art. 6. quæſtionis 13.

CAPUT IV.

1. Eadem ratio liberæ voluntatis ex Ariſtotele probatur, tum Nemeſio, Joanne Damaſceno. 2. Pelagianos rectè de illa ſentientes probavit Auguſtinus. 4. Suffragatur & communi doctrinæ Michaël Baius.

I. Quæ de liberi arbitrii natura ſuperiori collecta capite attulimus ex S. Thoma, ea ſunt ex Joanne Damaſceno, & hoc antiquiore Nemeſio, quem ſub Gregorii Nyſſeni nomine citare conſueverant, majori ex parte deprompta: quorum omnium fundus, auctórque eſt Ariſtoteles. Cujus, ut & Damaſceni, nomen adſcripſit ad omnia ferè S. Thomas, quæ de libero arbitrio tradidit. Ex hoc itaque Peripateticæ philoſophiæ fonte hauſta ſunt illa, quæ de voluntate hominis libera Chriſtiana ſapientia decrevit, quæque nos capite illo antecedente, & in libris de arbitrio libero contra novi dogmatis licentiam expoſuimus. Sic enim * Ariſtoteles βούλησιν, id eſt *voluntatem*, quam propriè ſic appellari S. Thomas docuit, ab libero arbitrio diſtinctam, circa finem verſari dixit: * προαίρεσιν verò, ſive electionem, quam liberum arbitrium vocat S. Thomas, circa ea, quæ ſunt ad finem, de quibus videlicet deliberari, & conſultari poteſt. Hujuſmodi autem neque definita, determinatáque eſſe debent, neque omniſmodi, & neceſſaria: ſed contingentia, & in nobis, id eſt in noſtra poteſtate ſita; quorum videlicet arbitri, ac domini ſumus, ut ea, vel eorum contraria capeſſere; ac circa hæc agere, vel non agere pro voluntate poſſimus.

* Lib. 3. Eth. ad Nicom. cap. 6. & 7.

* Ib. c. 5. & 1. mag. mor. c. 18.

Eadem leges apud Nemeſium, capite XXXIII, ac ſequenti: & Maximum martyrem, necnon apud Joannem Damaſcenum, libro ſecundo, capite XXII. quorum omnium ſententias, & verba ipſa deſcripſimus in libro primo de arbitrio libero, capite quinto.

II. In hac ipſa liberi arbitrii notione, ac natura definienda, cum Ariſtotele, Catholicíſque philoſophis, ac Theologis; immo cum humani totius generis inſitis & nativis ſenſibus conſenſêre Pelagiani; nec aliter, atque ipſi de illo ſtatuebant, ſentire ſe non ſemel profeſſus eſt Auguſtinus. Qui quidem adverſus ſectæ illius principes Pelagium, & Julianum diſputans; cùm inter ipſos conſtitutus hic eſſet quæſtionis ſtatus; utrum homo liberi arbitrii ſui viribus, ſine adjutorio gratiæ Chriſti, benè aut malè agere prout libitum eſt poſſit; aſſerentibus hæreticis, ſolam ſibi vim liberi arbitrii ſufficere; eámque neceſſariam eſſe Dei gratiam; qui ut naturæ hominis, ita liberæ ejuſdem voluntatis eſt conditor; de libero arbitrio, cujuſmodi ab illis agnoſcebatur, his inquam, de liberi arbitrii natura, & definitione, planè eſt aſſenſus Auguſtinus: nec de ea re negotium iis fecit ullum. Sed de adjutorio gratiæ tantummodò contendit; affirmans eos in ambiguitate vocabuli unius calumniari, ac fucum objicere; cùm gratiam aliter interpretarentur, ac Catholici.

Julianus ecce Pelagianorum acerrimus * in libro primo Operis imperfecti, contra Auguſtinum vehementiùs inſurgens, ac de liberi vi & poteſtate arbitrii totis viribus certamen ingreſſus, definiri primùm poſtulat, quid ſit arbitrii libertas; & ante omnia Ciceronianum illud uſurpat: *Omnem quæ ratione ſuſcipitur, de aliqua re diſputationem debere à definitione proficiſci, ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur.* Tum illam ita definit; *libertas arbitrii, qua à Deo emancipatus homo eſt, in admittendi peccati, & abſtinendi à peccato poſſibilitate conſiſtit. Factum eſt enim animal rationale, mortale, capax virtutis, & vitii; quod poſſet ex conceſſa ſibi poſſibilitate, vel ſervare mandata, vel tranſgredi; vel magiſterio naturali conſervare jus humanæ ſocietatis, liberúmque haberet alterutrum velle, vel partem, in quo peccati, & juſtitiæ ſumma eſt.* Huic viciſſim occurrens Auguſtinus, de liberi arbitrii ratione, & poſſibilitate utriuſque partis, nihil omninò contradicit. Hoc verò reprehendit unum, *quod de ſuo juſtitiam concipere* idem illud arbitrium putet; hoc eſt quòd ſine neceſſaria ope gratiæ Chriſti, perinde bonum amplecti poſſe iſtud, ac malum arbitretur.

* Cap. 70. pag. 118.

III. Item in ſecundo libro de nuptiis & concupiſcentia ad Valerium, capite tertio, cùm Julianus quereretur, *quòd ſi quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Celeſtianus, aut Pelagianus vocaretur*; Auguſtinus ſic eum refellit: *Non eſt ita ut loqueris, quicumque ita dixiſti, non eſt ita: multùm falleris, vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium, &c. Liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem, utrique dicimus. Non hinc eſtis Celeſtiani, & Pelagiani. Liberum autem quemquam eſſe ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, & non erui parvulos à poteſtate tenebrarum, & ſic transferri in regnum Dei, hæc vos dicitis, hinc eſtis Celeſtiani, & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum eſt nomen?* Ergo liberi arbitrii dogma cum Pelagianis Auguſtino & Catholicæ parti commune fuit. Non enim de ſolo nomine inter illos conveniebat. Alioqui ſtulta, & puerilis eſſet iſta certatio. Deinde poteſt id ex alia contentionis parte, quæ de gratia erat, certiſſimè colligi. ſiquidem de gratiæ nomine ambo inter ſe concordes erant; cùm utrique gratiam ad benè agendum neceſſariam eſſe faterentur. Nec tamen quiſquam dixerit, aut Auguſtinus umquam admiſit, commune eſſe Catholicis cum Pelagiana hæreſi dogma gratiæ. Atqui de vocabulo ipſo gratiæ, uti dixi, inter ſe conſentientes erant. Verùm quòd ſub eadem voce, diſpar erat, & diſſimilis rei ſignificatæ proprietas & ratio, ideo multùm à ſe mutuò diſtare illos, paſſim teſtatur Auguſtinus. Quinetiam Pelagium ac Julianum *gratiæ* nomen identidem obtrudentes, ſéque illam profiteri magna voce clamantes, priùs explicare jubet, quid ea voce ſignificari putent, & quam ei notionem ſubjiciant. Quod cùm in libero arbitrio nuſquam fecerit: immo verò non ſolùm vocabulum uſurpantes, ſed vocabuli definitionem, poteſtatémque declarantes hæreticos illos approbarit, & ejuſdem ſecum participes ſententiæ, atque hac ex parte Catholicos eſſe pronunciarit, quid aliud niſi cæci, ac ſtultè pervicaces ſumus, niſi hoc agnoſcimus, Auguſtinum liberi arbitrii naturam, eſſentiam, ac notionem prorſus unam eamdémque cum Pelagianis hæreticis, ac tota Eccleſia Catholica ſtatuiſſe? Sed hoc validiſſimum, & invictum penitus argumentum pleniùs inſtruximus in primo de Arbitrio libero, capite ſecundo & tertio. Contra quod nihil mutire eſt auſus Magiſtri ſui deſertor ac prævaricator Vincentius Arauſicanus, id eſt Arauſicanæ, ac Batavo-Calvinianæ ſectæ patronus.

IV. Poſtremò huic ipſi liberæ voluntatis formulæ ab Ariſtotele, ac S. Thoma, poſt Joannem Damaſcenum, ceteróſque Græcos ac Latinos Patres traditæ,

ſuffragatur

ſuffragatur Michaël Baius in libro de libero arbitrio: in quo multa docet nuperæ iſti ſectæ, cui occaſionem alioqui præbuiſſe ille dicitur, vehementer adverſa. Ut cùm in capite quarto *voluntatem liberam eſſe* ait *à neceſſitate*: quæ ideo ſic appellatur, *quia qui vult quippiam, habet in ſua poteſtate, ut quod vult etiam poſſit nolle; aut contrà quod non vult, velle. Quomodo libera voluntate vult Deus, quæcumque foris operatur: ut novas hominum animas condere, pios de tentatione eripere, impios æternis cruciatibus reſervare. Et ſicut apud* * *Matthæum legimus, potuit Filius Patrem rogare, ut exhiberet ſibi pluſquam duodecim legiones angelorum: quod tamen non rogavit. Sed Pater non libera voluntate diligit Filium, ut qui illum non poſſit non diligere. Angeli quoque libera voluntate pro his, aut illis hominibus apud Deum intercedunt: ſed felici quadam neceſſitate conſtricti Deum, atque juſtitiam immobiliter diligunt,* &c. Ac paullò pòſt, *ſed in eo, quòd homines ſibi benè eſſe volunt,* inquit, *& miſeriam fugiunt, non ducuntur libera voluntate: quia hos rationales motus neceſſariè retinent, aut in actu, aut ſaltem in habitu, & virtute.*

* Matt. 16.

Sunt & alia non pauca, quæ ibidem de libero arbitrio, ſeu voluntate libera, diſſerit Baius, tam Calvinianæ, quàm Ipreſi novitati contraria, & his conſentanea, quæ ex Catholicæ fidei regula ſuperiùs expoſui. Verùm illa quæ adnotavi ſatis eſſe debent: ex quibus liberum arbitrium hujuſmodi eſſe conſtat, ut ei neceſſitas ad unum determinans oppoſita ſit, tametſi voluntaria, id eſt ſpontanea ſit. Tum illud inſuper obtinetur; amorem illum, quo vel Deus amat ſe, vel ab Angelis, ac Sanctis diligitur, quamvis ex intima, & ardente voluntate proficiſcatur, ideo non eſſe liberum, quòd felici quadam neceſſitate ab illis exprimatur, nec ab eo integrum ſit deſiſtere.

CAPUT V.

1. *Fucus Vincentii theriacopolæ in libertatis vocabulo.* 2. *Hujus vocis ambigua notio, ac vera libertatis proprietas expoſita.* 3. *Liberi arbitrii vocabulum ad evitandam calumniam uſurpandum, cujus notæ aliquot ex S. Thoma præſcripta.* 4. *Meritum non aliunde oriri, quàm ex uſu liberi arbitrii.* 5. *Itémque laudem, & vituperium.*

I. QUæ de libero arbitrio pauca illa ſummatim hactenus comprehenſa legerit; theriacopolæ artes, ac fraudes ſtatim animadvertet; nec ejus mendaci præconio circumventus, pro theriaca, venenum ſibi induci patietur. Certè, quod capite ſecundo præmonui, perpetuum illius orationi fucum, ac vocis calumniam ſubeſſe, id jam lectori non imperito perſpicuum eſſe confido. Nam cùm de libero hominis arbitrio tota Petavium ac Ricardum inter, & Novi auctorem dogmatis eſſet commota quæſtio, exortus eſt iſte, deploratæ cauſæ non magis patronus, quàm prævaricator, ac proditor, qui circulatorum more, quos *theriacæ inſtitores* vulgò nominant, præſtigiis ſuis conaretur illudere. Itaque contra illa, quæ de *libero arbitrio* propriâ, & contractiori notione ſumpto, ambo illi diſputaverant, nihil iſte garrire admodum auſus, in libertatis ancipiti vocabulo latebram quæſivit convictæ ac profligatæ Armacanorum hæreſis: aut ejuſdem alia generis arripuit ἐπαμφοτερίζοντα, & ancipiti uſu plerumque fallentia, de quibus mox.

II. Nunc illud obſervari volumus; *libertatis* nomen, interdum latiùs uſurpari, ut idem ſit, ac *voluntarium*, ſive *ſpontaneum*. Ita * S. Thomas cùm illud quæ- * In 1. par. qu. 82. art. 1.
rit, utrum voluntas aliquid ex neceſſitate appetat, huic, quod in primo argumento propoſuerat, nihil ut appeti neceſſariò monſtraret, *ſi aliquid eſt neceſſarium*, auctore
* Auguſtino, *non eſſe voluntarium*, ita reſpondet, Au- * Lib. 5. de civ. c. 10.
guſtinum loqui de *neceſſitate coactionis*, non naturali. *Neceſſitas enim naturalis*, inquit, *non aufert libertatem voluntatis.* Hic perſpicuè ſanctus Doctor *libertatem* ſumpſit non propria, & anguſta ſignificatione, quâ liberum arbitrium deſignat, hoc eſt voluntatem, quæ circa ea verſatur, quæ ſunt ad finem. Hanc enim cum naturali neceſſitate pugnare, ſequente articulo docet: tum eodem illo articulo primo in *corpore*, ut vocant, explanat quo ſenſu acceptæ *libertati* non repugnat naturalis neceſſitas; ac talem exprimit voluntatis actionem, *quâ inhæret ultimo fini*; quod *ex neceſſitate* facere illam ait: *ſicut intellectus ex neceſſitate inhæret primis principiis. Finis enim ſe habet in operativis, ſicut principium in ſpeculativis, ut dicitur in* * *ſecundo Phyſicorum.* Ut igitur non neceſſa- * 2. Phyſ. tex. 89.
riò omnibus aſſentitur intellectus, ſed primis dumtaxat principiis, cetera autem quæ ex iis ſequuntur, ratiocinando colligit: ſic voluntas in ſolum finem ultimum naturali neceſſitate fertur; in ea verò, quæ ad finem ſpectant, non neceſſariò, ſed libero arbitrio movetur. Ita S. Thomas: ex quibus efficitur *libertatis* nomen, quod neceſſitati non repugnare dicit, non eſſe liberum arbitrium, ſed voluntatem, quâ natura eſt, vel ſecundùm generis notionem. Sic enim homini, non præcisè quà *rationalis* eſt, *ſenſus expers* opponitur: ſed quà eſt animal.

Aliàs verò idem liberi vocem preſſiùs uſurpat, ut ſit ſolius *arbitrii liberi*, & cum naturali neceſſitate pugnet. Ita * enim in priori ſecundæ parte, quæſtio- * In 1. 2. qu. 13. Art. 6. in corp.
ne XIII, articulo ſexto; ubi illud inquirit, utrum homo ex neceſſitate eligat, an liberè: reſpondétque liberè eligere, non ex neceſſitate. Neceſſitatem autem naturalem intelligit, cujuſmodi eſt ea, quâ voluntas finem ultimum, ſive perfectum bonum appetit. Ergo libertas huic ex adverſo reſpondens, idem eſt cum libero arbitrio, & circa ea verſatur, quæ *poſſibilia*, & *contingentia* vocat, quæque velle, aut non velle poteſt; hoc eſt appetere, vel fugere.

III. Quamobrem cùm ſit ambigua *libertatis*, ut & *voluntatis*; *liberi* item, & *voluntarii* ſignificatio; his omiſſis vocabulis, *liberi* potiùs *arbitrii* uſurpanda vox eſt; præeunte S. Thoma: aut ſi *libertatis* nomen adeo delectat; ea certè *liberæ voluntatis* intelligatur actio, quam bonum, malùmve meritum: laus item, aut vituperatio conſequitur: tum ejuſmodi, ut illam voluntas hominis exercens, movere ſe liberè dicatur: poſtremò cujus domina ſit, & quam in poteſtate habeat. Has liberæ voluntatis actioniſque conditiones, ſi ex Peripateticæ philoſophiæ præſcripto, & interpretatione S. Thomæ, *replantator* illius ac *reſtitutor* Arauſicanus admittit, nihil de voce pugnabimus.

Sed tanta videlicet hominis iſtius in ſcribendo ἀσυγκρισία fuit, ut cùm aſſentiri ſe utrique, Peripateticæ Scholæ, ac S. Thomæ Aquinati profeſſus eſſet, ubi ad rem ventum eſt, vel neſcire ſe quis illorum ſenſus ſit, vel ei dedita opera refragari, ac ſcientem volentémque mentiri palàm oſtenderit. Hoc non falsò à me eſſe dictum facilè is animadvertet, qui cum ſuperiore liberæ voluntatis formula ex S. Thoma potiſſimùm confecta, contendat illa, quæ de eodem argumento Vincentius toto in libro ſuo diſputavit. Quinam igitur fons eſt boni malique meriti? Audiamus quid de eo ſanctus ille Doctor præſcribat? * *Creatura*, inquit, *rationalis ſe-* * In 1. 2. qu. 114. Ar. 1.
ipſam movet ad agendum per liberum arbitrium. Unde sua actio habet rationem meriti. Meriti ergo ratio ex liberi arbitrii actione petitur. Hoc autem à voluntate ſimpliciter ſumpta, & ex neceſſitate finem appetente diſtinguitur, eodem auctore S. Thomâ. Idem in articulo quarto quæſtionis illius centeſimæ decimæquartæ, *merendi rationem* duplici ex fonte proficiſci ait, primò ex divina ordinatione; ſecundò ex libero arbitrio, *inquantum ſcilicet homo habet præ ceteris creaturis, ut per ſe agat voluntariè agens.* Voluntarium porrò iſtud non qualecumque, ſed perfectum eſſe, demonſtrat in quæſtione ſexta Partis ejuſdem; ut ſuprà capite tertio diximus: cujuſmodi ſcilicet circa ea verſatur, quæ ad finem utilia ſunt, ut ea vel adſciſcat, vel reſpuat. Atque hoc ex articulo ſexto quæſtionis illius intelligitur, ubi eadem duo meriti principia declarans, de ſecundo loquitur ſic: *Alio modo habet rationem meriti, ſecundùm quod procedit ex libero arbitrio, inquantum voluntariè aliquid facimus.* Ergo *voluntarium* illud ad liberum arbitrium pertinet, éſtque perfectum.

IV. Non minùs id ex alio * loco conſtat; ubi quæ- * In 2. 2. qu. 2. art. 9.
ritur, an *credere ſit meritorium*: ex quo de merito, & ejus cauſſa diſſerens, *Actus noſtri*, inquit, *ſunt meritorii, inquantum procedunt ex libero arbitrio moto à Deo per gratiam. Unde omnis actus humanus, qui ſubjicitur libero arbitrio, ſi ſit relatus in Deum, poteſt meritorius eſſe.* Et in reſponſione ad ſecundum argumentum, *aſſenſum* ait *ſcientiæ non ſubjici libero arbitrio, quia ſciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciam demonſtrationis; & ideo aſſenſus ſcientiæ non eſt meritorius. Sed conſideratio actualis rei ſcitæ*

Digitized by Google

ſubjacet libero arbitrio. Eſt enim in poteſtate hominis conſiderare, vel non conſiderare: & ideo conſideratio ſcientiæ poteſt eſſe meritoria ſi referatur ad finem caritatis: ſed in fide utrumque ſubjacet libero arbitrio, & ideo quantum ad utrumque, actus fidei poteſt eſſe meritorius.

Eximius hic locus eſt, & ad multas res opportunus, ex quibus novæ ſectæ licentia coërcetur. Imprimis enim meriti ratio illa conſtituitur, qualem volumus; ut ex liberi arbitrii actione propria, id eſt electione pendeat, quam nulla neceſſitas debet exprimere: ſed utriuſque eſſe ſalva poteſtas. Siquidem libero arbitrio neceſſitas omnis uno aliquo circumſcribens, ac determinans opponitur; non violenta dumtaxat; ſed etiam voluntati blandiens, & ejus propenſioni conſentanea, ut ex S. Thoma ſuperiùs oſtendimus. Deinde cum fides initium ſit juſtitiæ, ac prima gratia; uti S. Auguſtinus paſſim indicat: evidens eſt voluntatis actionem illam, qua gratiæ initium arripimus, eíque conſentimus, ad liberum arbitrium pertinere, ac non modò ab cogente, ſed etiam determinante neceſſitate longiùs abhorrere.

V. De laude item, ac vituperatione, cujus ſtirps, & radix eſt libera voluntas, non eſt obſcura S. Thomæ ſententia. * Nam cùm eam ſibi quæſtionem præſcripſiſſet, *utrum voluntarium ſit in animalibus brutis:* ad illam decidendam, duplex voluntarium diſcernit; unum imperfectum: alterum perfectum, ut ſuprà capite tertio memoravimus: horum prius ineſſe beſtiis affirmat; quod nihil aliud eſt, quàm *τὸ ἑκούσιον*, id eſt *ſpontaneum.* Poſterius verò, quod eſt liberum arbitrium, & in his, quæ ad finem conducunt, eligendis poſitum eſt, ſoli homini tributum. Ex quo tertium, quod objecerat ſibi, diſſolvit argumentum: nempe non videri brutis ineſſe voluntarium, quoniam, ut auctor eſt Joannes Damaſcenus *voluntarios actus ſequitur laus, vel vituperium;* at brutorum actus neutrum merentur. Huic ergo ſic reſpondet; laudem ac vituperium ſequi voluntarium, quod perfectam habet rationem voluntarii, hoc eſt liberi arbitrii. Quare ſola hæc actio, quæ ab libero arbitrio profecta eſt, laudem, aut vituperationem meretur. Vide quæ de hac re, ac loco Damaſceni, contra Iprenſem calumniam utiliter animadvertimus * libro tertio de Opificio.

[* In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 3.]

[* Cap. 12. §. 11. & ſeq.]

Rurſus liberi arbitrii, quod ea ſcilicet reſpicit, quæ ad finem referuntur, proprium hoc eſſe; ut per illud movere ſe liberè voluntas dicatur, * aſſerit S. Thomas.

[* In 1. 2. qu. 9. art. 6.]

Tum eatenus dominum eſſe ſui actus hominem, & habere actiones ſuas in poteſtate, quòd ex libero operatur arbitrio, * ejuſdem eſt ſententia, capite tertio à nobis expoſita. Quæ ſanè omnia perſuadent, veram, ac propriè dictam, &, ut vocant, *formalem* libertatis humanæ rationem in ea voluntatis actione collocari ab S. Thoma, quæ eſt attributa libero arbitrio, & circa media, eáque contingentia verſatur; hoc eſt nulla neceſſitate definita; ſed ejuſmodi, ut in iis operari pro arbitrio poſſit: quod vulgò *indifferentiæ* vocabulo, & quidem rectè, Philoſophi pariter, ac Theologi declarare ſolent contra inanes Novæ factionis fremitus, & inſultus: quibus innutritus Vincentius, hoc attulit ex ſectæ indole, ut Catholicam allatraret fidem: illud ea ſeipſo, & ingenio ſuo præſtitit, ut ei, quam ſuſceperat, cauſæ maximam plagam, ac perniciem inferret: quod explicare, ac probare deinceps aggrediar.

[* In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 2.]

CAPUT VI.

1. Vincentiana de libertate contra ſuperiorem S. Thomæ doctrinam diſputatio. 2. Ejuſdem falſa interpretatio S. Thomæ. 3. Refellitur ex eodem S. Thoma. 4. De libero arbitrio tota eſt quæſtio, non de voluntate. In illo vera, & formalis eſt libertas, non in quavis motione voluntatis: quod uberiùs declaratur. 5. Quomodo in aliis voluntatis actionibus virtute contineatur libera electio.

I. De libero arbitrio ita ſcripſit Vincentius in theriaca, ut ſi decreta illa Peripateticæ doctrinæ, ac S. Thomæ, quæ in ſuperiora capita contuli, evertenda ſumpſiſſet, non aliter, quàm ut duobus libris ſuis inſtituit, quod vellet exequi potuerit. Etenim illud unum toto in Opere contendit, ut liberi arbitrii rationem, & eſſentiam cum voluntate ſimplici, naturalíque confundat, & illud diſcrimen obſcuret, atque è medio tollat, quod in Summa Theologica tam enixè princeps ille Chriſtianæ Philoſophiæ, Theologiæque conſtituit; qui voluntatem aliam eſſe docuit, quæ naturalis eſt, & rationalis appetitus: aliam, quæ eſt liberum arbitrium, & in eorum, quæ ſunt ad finem, electione conſiſtit. Ad hanc labefactandam libertatis verè, propriéque dictæ notionem multùm æſtuat Vincentius. * Nam inter *voluntatem*, & liberum arbitrium, quod ad libertatem pertinet, nihil intereſſe putat: ſed omnem voluntatis humanæ motionem ab arbitrio libero procedere. Itaque * quod voluntas *imperare ſibi, & eſſe domina ſui actus* dicitur, hoc illius proprium eſſe diſſerit eo ipſo, quòd voluntas eſt, & natura; non autem quà eſt arbitrium liberum.

[* Lib. 1. cap. 3. vide p. 15.]

[* Ibid. cap. 6. & ſeq.]

* Rurſus ſolam cogentem neceſſitatem libero arbitrio repugnare cenſet; non autem naturalem, & voluntatis inclinationi conſentaneam, qualis eſt neceſſitas illa, quâ beati Deum, quem apertè contuentur, diligunt; vel quâ Deus amat ſemetipſum; * quam utramque liberam eſſe voluntatis actionem aſſerit.

[* Ibid. cap. 11.]

[* Lib. 1. cap. 12. p. 57.]

II. Hæc cùm Vincentius tum abſurda, tum à Peripateticæ philoſophiæ placitis abhorrentia; & S. Thomæ auctoritate damnata defendat: tamen *replantatorem* ſe eſſe jactat Peripateticæ ſapientiæ; & auctorem habere commenti illius S. Thomam: quo nullum fingi poteſt inverecundius, intolerabiliúſque mendacium. Licet hoc comparatis inter ſe utriuſque ſententiis cognoſcere; tum iis ſcilicet, quas in capite antecedenti è S. Thoma deprompſimus; tum Vincentii Doctoris, quas hoc ipſo, paullò antè perſtrinximus. Nihil ſic pugnans cum altero eſſe ſentiet, ut amborum effata ſunt, ac decreta.

Sed animadvertenda, ridendáque eſt callidi hominis aſtutia. Non enim tam plumbeus erat, ut non intelligeret, ea, quæ ex Armacanæ factionis præſcripto de libertate proferebat, illis adverſa eſſe, quæ in Summa Theologica tradita ſunt à S. Thoma. * Itaque confugit eò, ut dupliciter ab iſto ſumi liberum arbitrium diceret: uno modo, ſecundùm eſſentiam; altero ſpeciatim, & reſtrictiùs, atque hoc poſteriore, *vim* eſſe *dumtaxat electivam*, & ea quæ ſunt ad finem reſpicere: déque eo loqui S. Thomam illis in locis, quæ ea eo collegimus. Priori verò, voluntatis actionem omnem continere; etiam illam, quæ in finem eſt intenta, quæque neceſſitatem habet adjunctam. Tam enim hanc quam illam, liberam eſſe, ſi *eſſentialis*, ut vocat, libertatis ratio ducatur.

[* Vincent. lib. 1. c. 21.]

III. Hæc qui palàm eloqui, ac ſcriptis mandare ſuſtinet, frontem habeat aut nullam neceſſe eſt, aut omninò ferream. Quid enim, obſecro, iſtud eſt? Sanctus Thomas ibi, ubi de libero arbitrio, ejúſque natura, proprietate, & ab aliis differentia agit ex profeſſo, opere in illo omnium, quæ de Theologia commentatus eſt, eruditiſſimo, ac noviſſimo, duas eſſe dicit actiones voluntatis; unam quæ eſt circa finem; alteram circa *media*, quæ ſunt ad finem: atque hanc ſolam voluntatis, ut liberum eſt arbitrium, propriam eſſe: priorem non eſſe. Addit libertatis veræ propriéque dictæ notas omnes: & eas negat in primam convenire; cadere verò in poſteriorem univerſas. Et tam ſuæ famæ, ac publici de ſe judicii ſecurus exiſtet neſcio quis *theriacæ inſtitor*, ut de libero arbitrio aliter exiſtimare ſanctum Doctorem aſſerat, quàm ſuamet ipſe voce, tot locis, tot enucleatis, accuratéque conceptis, ac repetitis verbis, & ſententiis idem ille ſit profeſſus. Oſtendat aliquem illius locum, quo in loco, *liberum arbitrium; liberum*, inquam, *arbitrium* (Nam de eo, ut initio dixi, inter partes orta primùm, deinde ſcriptis, & diſputationibus exagitata quæſtio eſt, quando de hoc litigari cœptum eſt, quomodo cum liberi arbitrii conſenſu, & actione conciliari aſpirantis gratiæ poſſit motio) doceat itaque Vincentius, ubinam, illo præſertim in Opere, in quo tam multa, tam expreſſa de argumento iſto diſſeruit, liberum arbitrium ſcripſerit duplici illo modo accipi: aut circa finem verſari liberum arbitrium: itémque neceſſitate determinante, ac naturali conſtrictum, nihilominus eſſe, appellarique liberum arbitrium.

IV. * Liberum, inquit, *arbitrium ſpeciatim ſumptum* ita definit, *non univerſim omnem voluntatem liberam.* Eſt ergo voluntas aliqua libera, quæ non eſt liberum arbitrium.

[* Vinc. lib. 1. cap. 21.]

trium. Sit ita. Nos de libero arbitrio contendimus: in quod ſi illa cadere ſolùm, quæ antecedente capite percenſuimus è Sancto Thoma, concedit Vincentius; cauſſam obtinemus. Habemus enim boni ac mali meriti, laudis & vituperii, fontem in uno illo conſtitutum; tum cetera de movente ſe libera voluntate, & actiones ſuas in poteſtate, ac dominio habente, ſoli tribuenda ſunt arbitrio libero, quale ibi deſcripſit S. Thomas: quæ ſunt veræ, propriæ, unicæque dotes, & notæ libertatis illius, quæ in noſtram deducta controverſiam eſt. Hoc quidem conceſſo; *libertatis*, aut etiam *liberæ voluntatis* nomine perinde, ut volet, utatur Vincentius. Non repugnabimus. Illo enim contenti ſumus uno, veram, & *formalem*, ut in ſcholis dicimus, libertatis rationem in ea voluntatis motione conſiſtere, cui *liberi arbitrii* tum vocabulum, tum characteres illos, ac proprietates, S. Thomas attribuit. Sic enim hominis animus, *λογιστικὸς*, id eſt *ratiocinativus*; itémque liber; & utrumque totus dicitur: quamvis neque voluntate ratiocinetur; nec mente, intellectúve ſit liber: ſed in illa ſola, libertas; in hoc item ſolo, ratiocinandi vis & facultas inſit propriè, ac *formaliter*. Tum ſi ambo illa preſſiùs, enucleatiúſque tractemus; non *ſe totis*, ut aiunt, hoc ſunt quod eſſe dicuntur, ratiocinativus intellectus, & voluntas libera. Si quidem intellectus duplici facultate præditus eſt; una, quæ principia cognoſcit, iiſque perſpicuè cognitis aſſentitur neceſſariò; atque hic *intellectus*, id eſt *νῦς*, ab Ariſtotele, & S. Thoma propriè vocatur: altera verò ratiocinatur, dum ex principiis cognitis ignotum aliud ratione concludit. Itaque *ratiocinativus* propriè, ac *formaliter* intellectus eſt poſtremo iſto genere facultatis, ſive quâ, ut loqui ſolent, *diſcurſivus* eſt: & tamen universè, & in ſolidum *λογισμὸς* & *λογιστικὸς νῦς*, id eſt *rationalis* appellatur intelligendi vis. Hoc autem ideò ſit, quòd in uſu rationis præcipuum bonum, ac dignationem obtinet actio illa mentis, & intelligentiæ, qua unum ex altero ratiocinando deducitur, qui *συλλογισμὸς* vocatur, & *tertia mentis operatio*: hujus enim gratiâ reliquæ ſunt, & ad eam referuntur, tamquam ad fructum, & perfectum operis effectum: *prima* videlicet *operatio*, quæ eſt ſimplex *terminorum*, ut vocant, notitia; & ſecunda, quæ componendo, vel dividendo affirmat aliquid, aut negat, nihil ex eo tertium colligens. Propterea mens, & intellectus humanus abſolutè *rationalis*, & *λογιστικὸς* nominatur; etiam dum in illa velut elementa tertiæ, ac præcipuæ operationis incumbit. Nomen enim, à primariâ, & cujus reliquæ gratiâ fiunt, operatione ſortitur, quemadmodum arbor fructifera dicitur, tametſi non ſolùm fructus, ſed ſolia quoque, floreſque pariat.

Eodem prorſus modo, rationalis appetitus, ſeu voluntas, vi duplici, & actione cenſetur; ut ex S. Thoma ſuprà memoravi; quarum una ſimplex eſt voluntas, & naturalis finis appetitio, quæ in finem ultimum claro contuitu cognitum, divina ope ſublevata, non liberè, ſed neceſſitate fertur: altera, quæ in iis verſatur, & hæc eligit, quæ ad finem comparata, media dicuntur. In hac liberum arbitrium, & *formalis*, propriéque ſic nominata libertas continetur. Sed ea *libertatis* appellatio, vel *liberæ voluntatis*, totam nonnumquam appetitus rationalis facultatem complectitur; adeóque illas etiam actiones, quæ ab electione differunt; quòd ad hanc comparantur, velut principalem analogiæ terminum, quod vocant *analogatum præcipuum*: ut eſt finis appetitio, quam *intentionem* vocant.

V. In quo etiam atque etiam illud obſervari volumus; quod ad Vincentii, & ejuſdem *farinæ* hominum eludendas præſtigias conferet; illam ipſam, quam vocant, finis *intentionem*, *ὁρμὴν* Græci vocant, & *ὄρεξιν*, quamdiu hîc degimus, cum electione ſæpiùs implicatam eſſe. Non enim hoc in ſtatu vitæ mortalis, finem ultimum directa, & perſpicua cognitione percipimus, qui mentis intuitus, *intuitiva cognitio* nuncupatur. Itaque de fine ultimo perſequendo deliberari ſolet, & is poſt deliberationem eligi, antequam idem ipſe pro fine propoſitus, ſequenti conſultationi præeat, qua de eligenda illius obtinendi ratione, ac *mediis* inquiritur. Quod ergo generatim dicimus, finem non eligi, ſed ea dumtaxat, quæ ad finem utilia ſunt, id ſic eſt explicandum, ut electioni illi non ſubjaceat, quæ eo propoſito, ac conſtituto ſequitur. Nihil enim prohibet, conſilium haberi de finis illius aſſequendi modis, de quo, an tanti eſſet, quæſitum ac deliberatum antea fuerit.

Quemadmodum principia, quæ in *ſubalternantibus*, ut vocant, ratione concluduntur, in ſubjectis, & ſubalternis ſcientiis minimè probantur: ſed pro demonſtratis, & confeſſis aſſumuntur, & in his dumtaxat principiorum vim, & officium exercent, non in ſuperioribus. Ut autem *ἐπιστημονικῶς*, hoc eſt *ſcientificè*, ut vulgus loquitur, ſciri dicantur ea, quæ ex citimis illis principiis concluduntur in inferioribus, ac ſubalternis diſciplinis, neceſſe eſt ut eorum certa veritas ex ſubalternantis notitia comprehenſa ſit, & perſpecta; ac *δυνάμει*, hoc eſt implicitè, ac virtute, in aſſenſu, quo principium admittitur ab ſuperiore demonſtratum ac traditum, demonſtratio ipſa contineatur. Sic in libertatis uſu, qui ab deliberato jam, & electo fine proficiſcitur, in eumdem intenta finem voluntatis appetitio, virtute comprehenſam habet antecedentem electionem; ob idque libera dicitur etiam propriè, ac formaliter; donec ad initium aliquod perveniatur ſubitæ, minimèque deliberatæ motionis, à qua liberarum progreſſio deinceps orta ducatur.

Hæc adverſus Armacana commenta multùm notaſſe profuerit. Hinc enim Vincentiani Operis; & doctrinæ labes, ac ruina conſequitur: cujus in ſequentibus ſpecimen aliquod exhibebitur. Nam ad omnia ſingillatim errata caſtiganda, mihi nec otii modò, neque ſtomachi eſt ſatis.

CAPUT VII.

1. *Liberi arbitrii eſſentia perperam ab Vincentio definita.* 2. *Quæ refutatur. Imperium in quo ſitum ſit.* 3. *Quomodo voluntas movere ſe dicitur.* 4. *Voluntatem ſibi non imperare propriè.*

IN priori *theriacæ* parte toto in hoc unum ſtudio Vincentius incumbit, ut ab communi, & ſanè Catholica liberi arbitrii notione Lectorum abducat animos, & ad alienam, ac falſam transferat. Hæc autem eſt ejuſmodi, & iis ab eo concepta verbis. * *In modo agendi*, * Lib. 1. inquit, *ἡγεμονικῷ*, *quo voluntas ſeipſam movet*, & *actum* c. 3. p. 13. *ſuum ſibi imperat*, *conſiſtit eſſentialis ejus libertas. Unde etiam libertatem omni actui ſuo voluntas infundit*, *quem ex ſeipſa*, & *directione rationis elicit.* Ac ne quem ambiguitate fallat; cùm dicit, liberum eſſe actum omnem voluntatis, *quem directione rationis elicit*; non hoc ſignificat, quod Peripatetici, & cum Græcis, Latiniſque Patribus, S. Thomas aſſeverat, illum ſolum *propriè*, &, ut loquuntur, *formaliter* eſſe liberum, qui ex deliberatione, & conſilio rationis exiſtit; qualis eſt *ἡ προαίρεσις*, id eſt *electio*: quæ idcirco abhorret à neceſſitate qualibet; eo quòd conſilium circa contingentia, & utrimque ad eligendum propoſita verſatur. Verùm omnem prorſus actionem voluntatis, etiam neceſſitate circumſcriptam, ac determinatam, liberam appellat; ut ex toto Opere licet cognoſcere. Ut cùm ita ſcribit, * *non poſſe dari* * Ib. p. *propriæ*, & *rationalis voluntatis actum qui liber non ſit.* 15. ver. 8. Et paullò antè, *Ubi voluntas, ibi libertas*: & *quidquid ab ea, ut voluntate*, & *appetitu rationali procedit, ab ea ut libero arbitrio procedit, adeóque liberum eſt.* Quâ ſententiâ nulla magis adverſaria poteſt eſſe Sancti Thomæ decretis illis, quæ ſuprà commemorata ſunt; ubi liberum arbitrium ab voluntate, quâ voluntas eſt, & appetitus rationalis, diſcerni jubet. * Ad hæc Vincen- * Ib. c. 15. tius neceſſitatem naturali conſentaneam inclinationi cum & ſeq. vera libertate putat conſiſtere: & amorem utrumque, tum Dei, quo ſe ipſe diligit: tum beatorum, quo Deum amant, eſſe liberum arbitratur. Item alia pleraque ad idem diſputat argumentum, quæ libertatis, ac liberi arbitrii naturam, & eſſentiam longè diverſam ab ea conſtituunt, quam ex Ariſtotelica, Chriſtianáque philoſophia ſuperiùs adſtruximus: quæ res poſtmodùm liquidò conſtabit.

II. Quod nunc agitur, demonſtrare hoc inſtituimus, primo illo in aditu diſputationis, largè, ac pueriliter aberraſſe Vincentium, penituſque neſciſſe quid ſcriberet.

Primùm quale iſtud eſt, quòd *libertatis*, &, ut putat, *liberi arbitrii eſſentiam in modo agendi ἡγεμονικῷ* ſitam affirmat; *quo ſeipſam movet voluntas*, & *actum ſibi ſuum imperat?*

* In 1. 2. qu. 17. art. 1, & 4.

imperat? Imperandi actus, ſi S. * Thomæ creditur, rationis eſt, ſive νȣ̃, & intellectus, in quo *τὸ ἡγεμονικὸν* à Philoſophis ponitur. Satin' igitur putidum eſt, liberi arbitrii eſſentiam in eo collocare, quod extra voluntatem eſt, & in altera facultate reſidet?

* Ib. art. 2.

Præthereà, *imperare*, ut idem * S. Thomas ait, eſt *ordinare ad aliquid agendum*, hoc eſt ad finem, ut in ſequente articulo docet: ubi non ineſſe brutis imperium ex eo probat, *quoniam ad finem ordinare nequeunt.* Quæ autem *ad finem ordinantur*, ea ſunt, quæ *media* vocantur: in quibus quæ verſatur actio voluntatis, *electio* dicitur. Hæc autem non omnis eſt, & qualiſcumque voluntatis actio, ſed certa dumtaxat, & definita: quæ circa contingentia, utrimque inter ſe comparata conſiſtit, ac proinde minimè determinata, & ad unum contracta, cujuſmodi neceſſaria ſunt.

* In 1. 2. qu. 9. art. 3. & 4.
* Ib. art. 4.
* Ib. art. 3.

III. Eodem ſpectat, quod movere ſe voluntas dicitur. Id enim eatenus voluntati convenit, auctore * S. Thoma, quà *media* reſpicit. Ac ſunt nonnulla illo in loco, ubi iſtud aſſerit, quæ Vincentii dogma convellunt. * Ibi cùm quæſiſſet, *utrum voluntas ab aliquo exteriori principio moveatur*; ita reſpondet; moveri primùm ab *objecto:* tum etiam quod ad exercendum actum attinet, neceſſariò moveri ab externo aliquo principio. *Omne enim, quod quandoque eſt agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifeſtum eſt autem, quòd voluntas incipit velle aliquid, cùm hoc priùs non vellet: neceſſe eſt ergo quòd ab aliquo moveatur ad volendum. Et quidem, ſicut * dictum eſt, ipſa movet ſeipſam* IN QUANTUM PER HOC, QUOD VULT FINEM, REDUCIT SEIPSAM AD VOLENDUM EA, QUÆ SUNT AD FINEM. *Hoc autem non poteſt facere, niſi conſilio mediante. Cùm enim aliquis vult ſanari, incipit cogitare quomodo hoc conſequi poſſit; & per talem cogitationem pervenit ad hoc, quòd poteſt ſanari per medicum: & hoc vult. Sed quia non ſemper ſanitatem actu voluit, neceſſe eſt quòd inciperet velle ſanari ab aliquo movente: & ſi quidem ipſa moveret ſeipſam ad volendum, oportuiſſet quòd mediante conſilio hoc ageret ex aliqua voluntate præſuppoſita, hoc autem non eſt procedere in infinitum. Unde neceſſe eſt ponere quòd in motum voluntatis voluntas prodeat ex inſtinctu alicujus exterioris moventis.*

Hinc apparet, voluntatem non ſemper movere ſe, nec omnem illius actionem ex illa ſui motione procedere: ſed in finem plerumque ferri, inſtinctam aliena quadam impulſione: tum autem movere ſe, cùm poſt finis appetitionem, & conſultationem de ejus aſſequendi modo; ex non volente, per ſeſe fit volens ea, quæ ad finem utilia judicata ſunt.

* Ib. qu. 17. art. 5. ad 3.

Quin * alibi de *imperio* agens, affirmat, non omnem actum voluntatis ex illo proficiſci, ſed eum ſolum, *qui rationi ſubditur. Primus autem voluntatis actus ex rationis ordinatione non eſt: ſed ex inſtinctu naturæ, aut ſuperioris cauſæ, & ideò non oportet quòd in infinitum procedatur.* Falſò itaque Vincentii *Theriaca* actum omnem voluntatis liberum eſſe vult, & eumdem ab movente, ac ſibi imperante voluntate procedere.

IV. Præterea ſi *eſſentialis voluntatis libertas* in eo poſita eſt, quòd illius imperatur actio: nec ulla eſt voluntatis actio, niſi libera: quia voluntas idem eſt cum libertate, ut Vincentius exiſtimat: erit ipſa ſibi imperans, & ſerviens eadem prorſus actione. Nam imperandi actus ille, quia fit ab voluntate, carere non poteſt eo, in quo voluntatis, & libertatis poſita eſt eſſentia. Eſt autem in eo ſita, ut imperetur. Imperari ergo debet: aut alio ac diverſo actu; aut ſeipſo. Si prius dicatur, res in infinitum exibit: donec in aliquo conſiſtat, qui ex nullo imperio prodeat: & is tamen ex voluntate fiat. Quare voluntatis aliquis actus ex imperio non exiſtet: & idem erit imperium, & imperatum. quod ad apertam contradictionem & inſcitiam implicatur.

* Cap. 1. p. 9. ver. 16.

Nam * quod modum illum agendi liberæ voluntatis, quo ſibi ipſi voluntas imperat ut velit, *divinum* appellat, non videt quàm imperitè, immò impiè loquatur. Eſt enim ex eo conſequens, divinæ voluntatis actum, & quidem interiorem, & *elicitum*, ex juſſu, imperióque procedere. quod & iiſdem ſcatet abſurdis, quæ paullò antè notavimus: & cùm id omne, quod intimum eſt Deo, & in eo manens, Deus ſit, ex imperio ac præcepto Deus exiſtet.

CAPUT VIII.

1. *Abſurda conſectaria Vincentianæ doctrinæ.* 2. *Ea ex ſequi omnem voluntatis actionem eſſe liberam, etiam in amentibus & parvulis.*

Verum ut quàm latè diffuſa ſit illa Vincentianæ doctrinæ pernicies quivis intelligat, quantámque fidei Catholicæ calamitatem & ſtragem inferat, quid ex ea ſequatur operæpretium ſit expendere: & quæ ſuprà ſunt ex ejus verbis approbata colligere.

In id potiſſimùm Operis totius doctrina conſpirat, ut voluntatem eamdem eſſe penitus cum libertate ſuadeat, adeo ut * *voluntarium pro libero, voluntas pro libertate, nullo inter iſta diſcrimine, uſurpetur.* Quippe * *Omnis*, inquit, *voluntas, id eſt voluntatis actus, in S. Auguſtini philoſophia libera eſt, eo ipſo, quo eſt voluntas.* quod ipſum & de libero arbitrio intelligendum aſſerit * in fine capitis: ubi ait *voluntatem*, & *liberam voluntatem*, & *arbitrii libertatem*, & *liberum arbitrium pro uno & eodem uſurpari, interſéque converti.* Quod ex Auguſtini, aliorumque Patrum ſententiis * probare ſtudet: qui abſolutè *ubi voluntas eſt, ibi libertatem eſſe* pronunciant.

* Lib. 2. c. 3. p. 23.
* Ib. p. 15.
* Ib. p. 16. & 17.
* Cap. 3. 4. & ſeq.

Hujus porrò libertatis, ſive arbitrii liberi ac voluntatis eſſentiam in eo conſiſtere * docet, quòd voluntas ſuum actum ſibi imperet, non eum ſolum, qui ab aliis facultatibus, juſſu, & imperio illius exercetur, quique *imperatus* vulgò in Scholis dicitur; ſed etiam *elicitum*, & in voluntate ipſa manentem. ſi quidem * *actum ſuum ſibi imperare* voluntatem, *& illum efficiendo, ei dominari* dicit; & in eo libertatis eſſentiam eſſe poſitam: nec non id, quod voluntatis proprium eſt, & in quo brutis ab animantibus diſcrepat, ut *ſeſe ipſa moveat.* Movet ergo ſe, & interiores, ac manentes in ſe actus eo ipſo ſibi imperat, quo libera eſt, & arbitrium liberum; in eóque vera, & *eſſentialis*, ac *formalis* eſt poſita libertas.

* Ibid.
* Ib. p. 23.

Quinetiam * capite ſexto, ſcribit, *imaginem divinæ libertatis eſſe in voluntate hominis, quia ſicut Deus in amando & volendo eſt ſui juris, & in affectus ſuos altiſſimo modo ſine imperfectione jus, & imperium exercet: ita etiam voluntas humana, jus ſimile, etſi longè inferius, & à jure divino dependens, in actiones ſuas* ELICITAS *habet.* Ob eamdem cauſam, * capite nono, liberæ voluntatis *actum elicitum*, etiam *imperatum* eſſe dicit, ideóque *reflexum*, quatenus *actum ſuum ſibi voluntas imperat.*

* Pag. 24.
* Pag. 32.

Capite verò decimo, *eſſentialem voluntatis libertatem*, adeóque liberi arbitrii in eo collocari ait, quòd cogi non poſſit, quam elegantiarum pater *incogibilitatem* nominat, * quæ *neceſſitati* illi, vel *coactioni* eſt oppoſita, quæ *perimit arbitrii voluntatem:* & quam brutis animantibus ineſſe, capite XIII. latiùs oſtendit. Hæc ſumma eſt Vincentianæ philoſophiæ; quæ cujuſmodi portenta pariat, paucis explicabimus.

* Pag. 37.

II. Hinc enim conſequens eſt imprimis, omnem prorſus voluntatis actionem liberam eſſe, & arbitrii liberi propriam; cujuſquemodi tandem ea ſit; hoc eſt ſive neceſſitate ſit expreſſa; ſive ex deliberatione, & electione libera prodeat: ſive ex intellectus arbitrio; ſive ad unum aliquid conſiderandum, & judicandum vis illum rei objectæ compulerit: ac denique quidquid phrenetici, amentes, & parvuli voluntate geſſerint, id erit arbitrio libero tribuendum. Nam ſi omnis actio voluntatis eo ipſo, quo voluntaris eſt, libera eſt, & liberi arbitrii propria; ſi, quod * Armacanus ſectæ Patriarcha ſcivit, *implicat contradictionem, ut voluntas non ſit libera, ſicut implicat ut volendo non velimus, aut non faciamus quod volumus; hoc eſt ut voluntas non ſit voluntas:* cùm phrenetici, ac mente capti, & qui nondum expeditum rationis uſum habere dicuntur, voluntate rationali appetant multa, quæ non appeterent, niſi ratione appetenda judicarent: profectò quidquid agunt, id liberè, & ex arbitrio agunt libero. Quod enim natura inſitum, & *eſſentiale* rei eſt, ſine eo res eſſe non poteſt, & ea poſita, neceſſariò ponitur. Atqui omnis actio eo ipſo libera eſt *eſſentialiter*, quo fit à *voluntate*, & eſt ejus vitalis, & naturalis actio. Quare cùm quod phrenetici volunt, id voluntate velint, & vitalis ea ſit actio voluntatis,

* To. 3. lib. 6. c. 5.

Google

voluntatis, nec ſine rationis & intellectus judicio procedat, ut * Vincentius ipſe confitetur, *eſſentialiter* libera ſit oportet, & ab arbitrio libero profecta: ſiquidem omnis voluntas, ſive *volitio*, eo ipſo libera eſt, & arbitrii liberi propria, quo eſt *volitio*. [* Lib. 1. c. 14.]

III. TANATUR itaque ſuapte confeſſione conſtrictus, & irretitus tum Armacanus, tum Armacani aſſectator Vincentius. Qui enim omnem voluntatis motionem, eo ipſo, quo eſt voluntas, liberam eſſe dicit: qui voluntatem, libertatem, & liberum arbitrium, rei ejuſdem eſſe propria vocabula putat, hic, ſi qualicumque ratione, ac judicio utitur, quidquid voluntate volumus, liberè nos, ac libero arbitrio velle fateri debet. Alioqui ſi voluntate appetunt aliquid homines, quamlibet malè affecti, tamen homines; profectò non omnis voluntas eo ipſo, quo voluntas eſt, erit libera. Exiſtent enim aliquæ voluntates, hoc eſt actiones voluntatis, minimè liberæ, quibus nihilominus libertatis eſſentia convenit. Ut enim vitalis omnis actio, quæ ab videndi ſenſu proficiſcitur, viſio eſt, & eſſentiam hujus habet: quoniam genus nullum aliud actionis viſus exercet, præterquàm viſionis: ita quoniam ex Armacanorum ſententia; volendi facultas, quanta quanta eſt, nihil eſt niſi libertas, & arbitrium liberum; quæcumque illius erit actio, libera ſit neceſſe eſt, & cujuſmodi liberi eſſe debet arbitrii. Vide in quas anguſtias ſua illos malè cogitata ratio compulerit. Nonne iſti ſunt, qui voluntatis duplicem illam functionem à S. Thoma, Peripateticiſque omnibus admiſſam, ut alia ſit naturalis, & neceſſaria; alia libera, & liberi arbitrii propria, funditus reſpuerunt? Nonne cùm iidem illi voluntatem aliàs pro natura ſumi, & eo quod ſpontaneum dicitur; aliàs pro libera facultate docuerint; iſti nihil præter libertatem, & liberum arbitrium voluntati reliquerunt?

CAPUT IX.

1. *De neceſſitate opinio S. Thomæ.* 2. *Huic contrariam tuetur Vincentius, qui omnem neceſſitatem arbitrio libero adverſam vocat coactionem; adeóque duplicem conſtituit, ſed perplexè, & obſcurè.* 3. *Diluitur Vincentianæ ſententiæ cavillatio.* 5. *Malè ab eo neceſſitas cogens explicatur.* 6. *Et refellitur ex iiſdem, quos citat, auctoribus.*

I. QUONIAM autem præcipua Vincentii, ac totius ſectæ cavillatio, in definienda neceſſitate, quæ eſt oppoſita libertati, poſita eſt, intereſt ſcire, quæ ſit illorum de neceſſitate iſta ſententia; qua nihil eſt profectò apud eos intricatius, & incertius: adeo multis involucris rem minimè alioqui difficilem obſcurare, vel de induſtria ſtudent: vel propter inextricabiles laqueos, in quos incauti ſe induerunt, neceſſitate coguntur. Sed antequam illorum, & Vincentii præſertim, tortuoſos amfractus, & labyrintheas ambages aperiam: communem, uſúque receptam doctorum omnium, & hactenus traditam notionem neceſſitatis exponam; ut ſit lucis inſtar, cujus ope per opacas illas inſidioſi erroris tenebras tuta, & certa veſtigia ponamus. Hanc facem nobis præferat idem ille, quem Peripatetici, & Chriſtiani de libertate decreti interpretem communi conſenſu partium adhibuimus, S. Thomas Aquinas. Hic cujuſmodi res ſit neceſſitas, tum univerſè, tum quà libertati eſt oppoſita, declarat illo in loco Theologicæ Summæ, quem ſuprà capite tertio diſputationi noſtræ præſcripſimus.
[* In Par. qu. 82. art. 1.] * Ibi *neceſſe* definit, *quod non poteſt non eſſe*: quod videlicet contingenti contrarium eſt. Hoc enim contingens dicitur, quod tam poteſt eſſe, quàm non eſſe. Porrò neceſſitatem dividit in *naturalem*, quæ *eſt ſecundùm inclinationem naturæ*: & *violentam*, ſive *coactionis*, quæ eſt *contra inclinationem naturæ*. Prioris exemplum capit
[* Ib. art. 2.] ex voluntate, quæ *neceſſariò inhæret ultimo fini*: * nimirum *per eſſentiam*, id eſt perſpicuè, cognito. Eadémque neceſſitas in brutis ineſt animantibus, * quæ *ex naturali agunt judicio, ſed non libero*, quia *ex naturæ inſtinctu moventur in finem*. [* Ib. qu. 83. art. 1. & 1. 2. qu. 6. art. 2.]

II. AT * Vincentius imprimis, *coactionem, & neceſſitatem in hac liberi arbitrii materia idem prorſus ſignificare dicit*. Deinde * hanc ipſam *neceſſitatem*, vel *coactionem* bifariam tribuit. Nam aliam dicit eſſe, *quæ premit naturalem arbitrii libertatem*: aliam, *quæ perimit*. [* Lib. 1. c. 13. p. 44.] [* Ib. p. 45.]

Prior autem ideo non aufert voluntatis libertatem, quia relinquit ei motum ſuum voluntarium, quo ſub premente, non opprimente neceſſitate, ex judicio rationis, & utendo poteſtate illa dominatrice, ſe movet. Tantum ergo abeſt ut voluntatem opprimat, ut etiam voluntatem ad exercitium ſuæ libertatis inclinet, dum ad eliciendum actum voluntarium eam premit. Quod enim voluntarium, & liberum.

At poſteriorem, *libertatis peremptricem, ſive coactivam, & dominantem, quæ libertatem actus, in quem impellit, extinguit, non ſinere* ait *voluntatem poteſtate ſua imperatrice uti, ut motu ſuo ſeipſam agat, & in neceſſitatem demittat, ſed eam quaſi ante ſe duriter impellere, & perinde ac appetitum brutorum, præcipitare. Tum * repugnare modo illi, quo voluntas ſeipſam agit.* [* Ib. c. 13. p. 60.]

In hac Vincentii incondita, & tenebricoſa diſputatione non eſt facilè diſcernere quid ſibi velit: ſed eò tamen utcumque pertinent ambages illæ moroſæ orationis ac ſtreperæ, ut ſit neceſſitas triplex; una, quæ violenta, & coactiva propriè dicitur, * *cujus principium extrinſecus eſt, nihil eo conferente quod patitur.* * Secunda quæ naturalis eſt quidem, ſed ideo violenta dicitur, quia impetu quodam effreni naturam agit præcipitem; ita ut non ſe agat, & moveat: qualem eſſe ait in brutis neceſſitatem cogentem. Tertiam neceſſitatem naturalem itidem appellat, *quæ relinquit naturæ motum ſuum voluntarium.* [* Ariſt. 3. Ethic. 1.] [* Vincent. lib. 1. c. 13.]

III. QUA in Vincentii deſcriptione permulta ſunt falsò, nec ſatis conſideratè dicta. Horum illud eſt primum, *quòd coactionem & neceſſitatem in hac liberi arbitrii materia idem prorſus ſignificare* aſſerit. Quod non eſt ita. Nam plurimùm inter ſe differunt, ejúſque differentiæ ratio nec parva, nec infrequens habetur: ut cùm liberum aliàs cum neceſſario ſimplici; aliàs cum violento comparatur. Diceret potiùs; promiſcuè nonnumquam accipi, ut neceſſitas naturalis interdum *coactio* vocetur quadam nominis abuſione. Siquidem etiam in his quæ liberè, & ex libero arbitrio fiunt, cogi tamen dicuntur homines, non ſolùm cùm inviti ac repugnantes agunt: ſed etiam cùm ex vehementi impetu animi, vel in habitum roborata cupiditate trahuntur. Quod ipſum de brutis quoque dicitur, non propriè; ſed καταχρηστικῶς; cùm revera non violentia cogantur ulla, ſed in illa ſponte ferantur, quæ ſunt eorum naturæ conſentanea. Præterea ridiculum eſt, quod ait, *neceſſitatem, ſeu coactionem priorem*, idcirco non perimere libertatem, quia non aufert voluntarium; tamquam idem ſit *voluntarium*, quod *liberum*, eo videlicet genere libertatis, quod propriè dicitur, & de quo inter nos orta quæſtio eſt, idémque eſt cum arbitrio libero. Eſt ea quidem iſtius ſectæ nova, & abſurda ſententia, omne quod voluntarium eſt, eſſe liberum. Sed huic adverſatur Peripatetica philoſophia: cujus ex placitis S. Thomas voluntarium illud eſſe * dicit, quod eſt à propria, & naturali inclinatione ad finem notitia aliqua perceptum; cujuſmodi in brutis ineſt animantibus, & parvulis. Hoc autem eſt, quod ab Ariſtotele τὸ ἑκούσιον dicitur, & vulgò *ſpontaneum* appellant. [* S. Thom. in 1. 2. qu. 6. ar. 2.] [* Ib. & Ariſt. 3. Nicom. c. 4.]

IV. ITAQUE non ſolùm contra Peripateticæ ſapientiæ, ſed etiam adverſus communem humanitatis ſenſum Nova ſecta contendit, neceſſitatem illam, quæ naturalem propenſionem trahit ad finem, vim eſſe cogentem, ac violentiam; ejúſque de brutis capit exemplum, quorum appetitus præcipitatur, ac *duriter impellitur*. Atqui voluntarium illud, cujus participes ſunt pueri, ac beſtiæ, ibi maximè ſpectatur, ubi jucundis rebus objectis, non invitò, neque violenter, ſed ſponte, ac voluptate trahuntur. Sic enim Auguſtinus, * *Ramum*, inquit, *viridem oſtendis ovi, & trahis illam: Nuces puero demonſtrantur, & trahitur. Et quia quò currit trahitur, amando trahitur.* [* Tract. 26. in Joan.]

Nam quod ſubjicit, idcirco perimi libertatem hujuſmodi neceſſitate; quia *non ſinit hæc voluntatem poteſtate ſua dominatrice uti, ut motu ſuo ſeipſam agat*: manifeſtè demonſtrat, eatenus libertati contrariam eſſe neceſſitatem naturalis inclinationis, quia libero repugnat arbitrio, ſive poteſtati utriuſque, quæ in iis quæ ſunt ad finem, hoc eſt *media*, verſatur. Hanc enim eſſe, quâ & imperatrice vi uti voluntatem, & ſeipſam agere, ac movere dicitur, * ſuprà docentem S. Thomam audivimus. Quò & cetera ejuſdem pertinent: velut, *ea, ad quæ naturaliter inclinamur, non ſubeſſe libero arbitrio.* Hinc enim evidens eſt, naturalem illam neceſſitatem [* Vide cap. 3. & 7.]

non perimere voluntarium, ſed liberum. Ideo tam bruta, quàm amentes, & parvulos voluntariè ferri quidem in ea quæ appetunt, non tamen liberè. Cur autem liberè non agant, non illa ratio ab eodem S. Thoma redditur, in qua Vincentius tantopere ſibi placet, plaudente nullo; quòd impetu quodam ac duriter impellantur; ſed omninò, quòd ad unum affixi & determinati, indifferentia illa careant, ſine qua libertas arbitrii conſtare non poteſt: ut paullò pòſt rurſus oſtendam.

V. Pessime verò, & ἀφιλοσόφως Vincentius neceſſitatem cogentem, & libertatis inimicam, ab ea diſtinguit, quæ cum libertate ſtat, eo ſolo, quòd illa ſit in-
* Vide pag. 46. citatior, ac vehementior, hæc ſedatior; ut * ex illius verbis intelligitur. Nam ſive vehemens ſit, ſive lenior ac tranquillior, dummodò antecedat voluntatis uſum, & ad unum affigat, liberum tollit arbitrium. Siquidem pecudes ipſas videmus majore ad quædam rapi impetu, quàm ad alia: ut ad pabulum capeſſendum mitioribus incitari ſtimulis, quàm ad venerem; quemadmodum de illis, maximè autem de equabus, eleganter Poëta cecinit in tertio Georgicon. Et tamen utrobique neceſſitas antecedens, ac proritans appetitum agit illas libertatis expertes: neque duriter impellit, ſed blandiſſimis voluptatis illecebris demulcet; hoc eſt *brutaliter*, uti loquitur leporis ac munditiæ Romanæ floſculus Vincentius Lenis.

* Vincent. cap. 11. VI. Quocirca meliùs auctores illi, * quorum iſte teſtimonio utitur; SS. Bernardus, & Thomas, nec non Scotus, neceſſitatis vim explicant, & cum libertate contendunt. Quippe ex eorum dictis alia cogens & violenta neceſſitas exiſtit voluntatis inclinationi contraria: alia minimè violenta; ſed naturali propenſioni conſentanea. Quæ rurſus bifariam tribuitur, ut ſit altera antecedens, & determinans voluntatis appetitum, & ad unum aliquid affigens, & alligans, ſine poteſtate alterius; qualis in brutis, aut amentibus, parvuliſque reperitur: altera voluntatem ſequens, & comitans; quæ libera neceſſitas appellatur; quòd eam ſibi ſuapte ſponte voluntas afferat, quando in eo, quod liberè delegit, fixa manet, nec mutationem admittit ullam.

Ex hac triplici neceſſitate, prima interiori, & ut vocant, elicito voluntatis actui non poteſt obſiſtere: nec ejuſmodi in rerum natura verſari poteſt; quandoquidem ipſa violenti ratio cum volontatis actione pugnat; ut pluribus in primo libro de arbitrio libero diſputatum eſt à nobis. Incurrit autem in exteriores, & à voluntate imperatas actiones: nec intimam illius libertatis functionem opprimit; ſed de voluntario detrahit, ac benemeriti dignitatem aut minuit, aut penitus infringit. At ſecundi generis neceſſitas, quæ ex naturali inclinatione oritur, neque vi cogit; neque tamen libertatem, hoc eſt liberi arbitrii uſum, & electionem relinquit. Non enim violenta dici debet, quæ naturalem appetitionem ad hoc rapit, & in eo defixam, & immerſam tenet, ad quod ſuapte ſponte proclivis eſt. Verum ideò voluntati libertatem eripit; quod nec imperandæ actionis illius, nec ad eam exercendam movendi ſui poteſtatem illi facit; ſed impetu quodam naturali, minimèque libero, ad id, quod juvat, & blanditur, impellit.

Tertia denique, quoniam ex libera electione voluntatis oritur, libera eſt & ipſa: ideóque *voluntaria*, ut dixi, & *libera neceſſitas* à S. Bernardo dicitur. Non enim ſolùm liberè ſuſcipitur; ſed etiam liberè in ea permanetur, libertate illa quæ abſolutæ neceſſitati, non quæ ſervituti eſt oppoſita. Quare fruſtrà eſt Vincentius, qui cùm de antecedente neceſſitate inimica libertatis agatur, ejus teſtes advocat, qui de conſequenti loquuntur; ut liberæ voluntatis actioni non eſſe contrariam vim neceſſitatis oſtendat.

CAPUT X.

1. *Inſignis Vincentii error in quodam S. Thomæ loco uſurpando.* 2. *Qui quidem exponitur.* 3. *Et oſtenditur nihil ad*
* Vinc. lib. 1. c. 12 *cauſſam Vincentii pertinere.* 4. *Cujuſmodi neceſſitatis genera ibidem declarentur.*

* Lib. 3. cont. gent. c. 138. I. Age nunc inſignem Vincentii labem abſtergamus; qui * locum profert è S. * Thoma Aquinate, *qui multùm*, inquit, *negotii Petavio, & Ricardo, & ejuſdem philoſophiæ myſtis facesſit.* Ut & Petavio, ceteriſque negotii aliquid faciat; & Vincentii cauſſam adjuvet; neceſſe eſt, illorum ut decretis contrarius ſit iſte locus, & hujus doctrinæ conſentaneus. Meminerimus quæ ſit ſumma Vincentianæ opinionis ſuperiori explicata capite. Nimirum neceſſitatem ſtatuit duplicem; alteram *coactionis*, non tamen propriè ita dictæ, ſed naturalis, & abſolutæ, quæ cùm naturali inclinationi lenocinetur, eam tamen violentam ideò nominat, quòd voluntatem non ſinat imperatrice vi uti, ac ſeſe movere; ſed eam præcipitet, & impellat, quemadmodum brutorum appetitus in id, quod amat, vehementi rapiditate trahitur. Alteram non violentam vocat, quæ *voluntatem ad eliciendum actum voluntarium* premit; tametſi ad unum appetendum neceſſariò ſit adſtricta: quemadmodum beati Deum neceſſariò, nec minus tamen liberè diligunt.

Quamobrem ut hanc opinionem ſuam antiquorum teſtimoniis approbet Vincentius, ejuſmodi ea ſint oportet, ut neceſſitatem utramque talem exprimant, qualis ab illo conſtituta eſt: quæ nimirum voluntatem uni tantummodò rei addictam, & alligatam teneat, alterius eligendi poteſtate detracta. Sic enim violentam neceſſitatem omnem funditus perimere libertatem exiſtimat, ut in brutis uſuvenit: ex quo ſequitur, optionem alterius eripi; nec niſi unum aliquod obtrudi. Sic etiam neceſſitatem alteram unius appetitione determinatam habere voluntatem putat Vincentius; ob idque Petavium reprehendit, quòd libertatem neget, ſine pari ad utrumlibet poteſtate conſiſtere. Quòd ſi neceſſitas ejuſmodi nominetur ab Auctoribus, quæ planè voluntaria ſit; hoc eſt, quam ſua ſibi voluntate quiſpiam præſcripſerit, ita ut ſi velit contra illam venire poſſit; ut cùm naufragii metu merces ſuas in mare projicit: aut cùm jurejurando, vel voto jejunium ſibi, vel caſtimoniam indixerit; perſpicuum eſt nihil iſta neceſſitatis genera duo ad Vincentiana pertinere: nec de illis controverſiam ullam inter ambas partes exſtitiſſe.

II. Atqui ille ipſe S. Thomæ locus, in quo tantum præſidii ſibi eſſe jactat glorioſus iſte *cuſtos domniſque viperarum*, prorſus ad eam ſpectat neceſſitatem, quæ merè voluntaria eſt, & utriuſlibet eligendi liberam poteſtatem relinquit.

Licet hoc ex ipſa S. Thomæ diſputatione, ac diſputandi cauſſa cognoſcere. Ibi enim contra nonnullos diſſerit, qui votorum obligationem, & impoſitam ab ea neceſſitatem certorum officiorum improbabant; cùm hoc objicerent: *Unumquodque bonum, quanto liberiùs agitur, tanto virtuoſius eſſe videri: quanto autem ex majori neceſſitate quis ad aliquid obſervandum aſtringitur, tanto minùs liberè id agere videri. Videtur igitur derogari laudabilitati virtuoſorum actuum per hoc, quòd ex neceſſitate obedientiæ, vel voti fiunt.* Quibus ſic occurrit S. Thomas, duplicem ut neceſſitatem diſcernat; unam *coactionis*, *& hæc*, inquit, *laudem virtuoſorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur. Coactum enim eſt, quod eſt voluntati contrarium.* Alteram, *quæ ex interiori inclinatione procedit; & hæc laudem virtuoſi actus non minuit, ſed auget: facit enim voluntatem magis intentè tendere in actum virtutis. Patet enim, quòd habitus virtutis, quanto fuerit perfectior, tanto vehementiùs voluntatem facit tendere in bonum virtutis, & minùs ab eo deficere.* His tertiam adjungit neceſſitatem, *ex fine: ſicut cùm dicitur alicui neceſſe eſſe habere navem, ut tranſeat mare. Patet autem quòd nec hujuſmodi neceſſitas libertatem voluntatis diminuit; nec actuum bonitatem.*

His animadverſis, docet S. Thomas neceſſitatem illam, quæ ex obediendi voto ſequitur, neque *coactionis* eſſe, quæ eſt prima; neque *ex interiori inclinatione*, quæ ſecunda eſt: ſed *ex ordine ad finem*, quam tertio loco poſuit. quæ quidem neque libertatem, neque laudem detrahit.

III. Ex his manifeſta eſt Vincentii levitas, & incogitantia, qui ſola nominum ſpecie deceptus, continere animum ſuum non potuit, quin efferretur gaudio, & τὸ νικᾶν caneret, *ovans & vitulans victoria:* nec intellexit, quod refrigerato nunc puerili hoc impetu cognoſcet, nihil iſta genera neceſſitatis tria, quæ ex S. Thoma retulit, ad illa ſua ſpectare duo: immò quæ ibidem ſcripta leguntur, cum Petavii placitis adamuſſim congruere; abhorrere autem ab iis venenis, ex quibus iſte δηλητήριον ſuum φάρμακον temperavit.

Primùm quid habet commune cogens Vincentii neceſſitas cum ea, quam S. Thomas illic explicat? Vincentiana non eſt contra voluntatis inclinationem; nec violenta propriè dicta: tum libertatem, ſive uſum arbitrii liberi perimit. At illa S. Thomæ vera propriéque dicta coactio eſt, eáque voluntario eſt oppoſita; quod idem aſſerit: nec liberi arbitrii functionem eripit. Non enim qui voto caſtitatis obſtrictus, acerrimis contra voluntatem libidinis ſtimulis urgetur, non libero, & in utramvis partem flexibili reſiſtit arbitrio: quod ad laudem & meritum valet quidem; ſed multò minus, quàm ſi longo uſu, & exercitatione temperantiæ, perfectum ejus in ſe obfirmaſſet habitum; quo & minori difficultate, & propenſione majori virtutis illius officia præſtaret. Nam ſi inflammatæ cupiditatis fractus illecebra, nonniſi metu, & invitus in officio continetur, liberè hic quidem abſtinet; ſed quoniam coactus omninò id facit; & quod reipſa non audet, voluntate jam admiſit facinus; laudis ac meriti nihil eo facto conſequitur.

IV. Igitur neceſſitas illa cogens, cujus ibi S. Thomas meminit, cum uſu arbitrii liberi, & libertate nullo modo pugnat; ſiquidem voluntati, quod ad in-
* S. Tho. 1. 1. qu. 6. art. 4. teriores actus pertinet, vis afferri nulla poteſt. * *Duplex enim eſt actus voluntatis:* (ait idem) *unus quidem, qui eſt ejus immediatè, velut ab ipſa elicitus, ſcilicet velle: alius qui eſt actus voluntatis, à voluntate imperatus, & mediante alia potentia exercitus; ut ambulare, & loqui, qui à voluntate imperantur mediante potentia motiva. Quantum igitur ad actus à voluntate imperatos, voluntas violentiam pati poteſt, inquantum per violentiam exteriora membra impediri poſſunt, ne imperium voluntatis exequantur: ſed quantum ad ipſum proprium actum voluntatis, non poteſt ei violentia inferri.* Ergo liberè voluntas interim agit, dum actioni ab illa imperatæ vis adhibetur.

Ceterùm iſte ipſe S. Thomæ locus Vincentii traducit errorem, qui voluntatis *elicitos* actus, *imperatos* eſſe dicit; & liberæ voluntatis eſſentiam in eo collocat, quòd ſuos ſibi actus imperet. Quod joculare commentum humana ratio, nedum philoſophia Peripatetica condemnat; cujus utriuſque S. Thomam damus interpretem.

Jam ſecundum genus neceſſitatis apud eumdem S. Thomam, *quod ex interiori inclinatione procedit*, non minus ab eo diſtat, quod Vincentius ſecundo itidem loco numerat. Etenim hujuſmodi *inclinationis neceſſitas* à S. Thoma ſtatuitur; quæ non ſimplex eſt, nec uno aliquo determinata, ſine optandi alterius poteſtate, qualis eſt Vincentiana, quam *prementem*, non *opprimentem* vocat: ſed voluntaria eſt neceſſitas, hoc eſt quam ut liberè ſibi quiſpiam impoſuit, ita liberè poteſt excutere; ut in homine illo evenit, cujus gratiâ neceſſitas illa bifariam eſt ab S. Thoma diſtributa, qui voti religione caſtè ſibi vivendi legem, ac neceſſitatem impoſuit. Quamvis non ad hoc ſecundum neceſſitatis genus votivam illam neceſſitatem refert S. Thomas; ſed ad tertium, quod *ex ordine ad finem* petitur. Nihilominus illud *habitus* exemplum, voluntatis inclinationem ſine diſpendio libertatis adjuvantis, quod idem aſſumpſit, argumento eſt non eſſe neceſſitatem iſtam Vincentianæ ſimilem, nec uno circumſcriptam ad appetendum propoſito; ſed cum eligendi è pluribus unius libera poteſtate, & indifferentia conjunctam.

V. Nam quòd beatorum mentionem ibidem facit S. Thomas, quibus *neceſſitas infertur ad benè agendum*, ut peccare ideo non poſſint: *nec tamen propter hoc aut libertati voluntatis aliquid deperit, aut actus bonitati:* nihil hoc Vincentianum commentum ſublevat. Non enim propterea liberè in id feruntur, quod abſoluta neceſſitate appetunt, cujuſmodi eſt divina bonitas, quam ſic amant, ut non ſolùm odiſſe nequeant, ſed ne ab amando quidem deſiſtere. Non de amore, inquam, beatifico ibi S. Thomas loquitur; quem non eſſe liberum,
* Cap. 3. ſed neceſſarium, * ſuprà ex eodem oſtendimus. Verùm præter amorem illum ſupremi finis, ac ſummi boni, aliæ ſont interjectorum bonorum appetitiones, tamquam *mediorum*, in quæ beatæ mentes liberè, hoc eſt libero arbitrio feruntur. Ac quemadmodum habitus virtutis, quo exemplo S. Thomas utitur, voluntatis inclinationem ad propriam honeſtatis ſpeciem vehementiorem facit, ſuóque modo determinat; non tamen ad hanc potiùs, quàm ad aliam individuam actionem: adeo ut, etſi voluntatem abſoluta neceſſitate determinaret; ſolam, uti Scholæ nominant, *ſpecificationem actus* illius libertati ſubtraheret; ut contrarium virtuti illi peccatum nullum poſſet admittere: non tamen obſtaret, quin circa varias & ſingulas ejus virtutis actiones integrum jus, ac liberam, & indifferentem poteſtatem retineret.

Quocirca caſtiganda * Vincentii ratio eſt, qui in * Lib. 1.
illo tractando S. Thomæ loco, falſa eum ac præpoſtera cap. 12.
interpretatione corrupit: his vocibus inſertis (*ut in* p. 54.
amore beatifico) tamquam ita ille ſcripſerit: Adeo *ut ſi ad finem perfectionis profecerit, neceſſitatem quamdam benè agendi, liberam tamen* (ut in amore beatifico) *inferre poſſit.* Poteſtne vel unam indicare litteram, qua S. Doctor neceſſitatem illam in beatis cum libertate conjunctam circa *beatificum amorem* verſari docuerit? Non eſt ita. Nam contrarium plenis alibi quæſtionibus articuliſque tradidit.

Sed cùm *libertatem* hìc appellari toties audit eruditus lector, meminiſſe debet, hoc nomen ab antiquioribus Scholaſticis ancipiti ſignificatione ſumi: quod jam capite quinto ſuperiùs animadvertimus. Nam ſæpè pro *voluntario*, ſive *ſpontaneo* ſumitur, & ut violento contrarium eſt: aliàs liberum, non *voluntarium* tantummodò ſignificat; quod ipſum neceſſarium eſſe nihil prohibet; ſed etiam, quòd ita fit, ut oppoſitum ei fieri potuerit; adeóque *contingens* dicitur, & ei quod neceſſarium, & uniuſmodi, ac determinatum eſt, ex adverſo reſpondet. Hoc modo libertas liberi arbitrii propria eſt, & *vis electiva* propterea vocatur à S. Thoma, de quo ſatis hactenus dixi.

Rectè autem * Theologi quidam obſervarunt, ante * Ut Pen-
recentiorem hunc errorem, quem * S. Thomas hære- notus lib. 1.
ticorum eſſe docuit, qui veram libertatem cum abſolu- c. 17.
ta neceſſitate conſtare, ac ſoli *coactioni* repugnare cen- * Qu. 6. de malo.
ſent, pleroſque neceſſitatem à coactione minùs accuratè ſeparaſſe: Poſt autem *novos exortos hæreticos*, ut Pennotus loquitur, qui *voluntatem ſubjiciunt neceſſitati naturalis inclinationis, & determinationis ad unum.* tum demum ſubtiliùs neceſſitatis utriuſque notatum eſſe diſcrimen.

Ac vel ex uno S. Thoma varietatis illius ſpecimen licet capere. Hic enim in prioribus operibus, quæ de rebus Theologicis edidit, minùs in hac tenenda differentia neceſſitatis & violentiæ fuit enucleatus & conſtans. In Theologica verò Summa; quod divini ingenii longè præſtantiſſimum opus, & auctore ſuo digniſſimum meritò judicatur; ut in liberi arbitrii explicanda ratione; ſic in neceſſitate naturali ab violentia diſcernenda, haud paullò fuit exactior. Ac propterea ſuprà capite tertio, cum in eo eſſemus, ut ſinceta ac germana S. Thomæ de libertate ſententia, in eáque Peripatetica, inquirenda videretur, Summam ad hoc Theologicam potiùs, quàm ejuſdem lucubrationes ceteras adhibendas duximus. Quamquam permulta ſunt in * iſtis * Ut in
quoque, de vera propriéque dictæ libertatis notione, qu. 22.
& huic oppoſita neceſſitate eximiè, accuratéque tradi- de Verit.
ta, & iis quæ ſcripſit in Summa poſteà, conſentanea: ar. 5. & 6.
quæ in libro tertio de libero arbitrio collecta ſunt ab & qu. 6. de malo.
Antonio Ricardo: ubi & illa ejuſdem S. Thomæ loca & qu. 1 & ar. 5.
pertractavit, & expoſuit, quæ ad erroris ſui patrocinium Armacanus attulit, ex eóque Vincentius deſcripſit. Hic verò feſtivè, quod illa eadem S. Thomæ teſtimonia, quaſi nova eſſent, & à ſe primum objecta, diſſimulatâ, quam apud Ricardum legerat, explicatione protulit. Quod idem & in illis Patrum ſententiis præſtitit, quas à nobis propoſitas, & ad verum ſenſum accommodatas eſſe noverat. Atqui intererat ejus, qui contemptum ac ludibrium cavere vellet, actum non agere: nec odioſè congeſtis, & repetitis iiſdem auctorum locis, nullo operæ pretio, patientiæ Lectorum illudere.

CAPUT XI.

1. *Quid inter brutorum appetitum, & hominis libertatem interſit.* 2. *Quod ex S. Thoma declaratur.* 3. *Tum illuſtratur ex Hierocle Pythagoreo.* 4. *Quid diſtet ab eodem appetitu brutorum, hominis voluntas non liberè agens, ſed neceſſariò.*

I. EXPOSITA neceſſitatis ratione, ac multiplici
ſpecie; tum Peripateticæ Philoſophiæ placitis, 2.

Digitized by Google

cum Armacanorum opinione comparatis; redeundum eſt ad inchoatam ſuprà capite octavo diſputationem, de conſectariis Vincentianæ doctrinæ; quam ideo paullulùm interrupimus, ut explicata neceſſitate, qualem ſecta iſta deſcribit, faciliùs in eorum arcana penetraremus. Queritur * Vincentius de *ignorantia Petavii, & Ricardi, qui inter appetitum brutorum, & motum humanæ voluntatis, quando quippiam neceſſariò vult, nullum ponunt diſcrimen. Iſta ignorantiæ craſſæ nebula, in qua duo illi homines*, inquit, *perpetuò ambulant, errareque pleraque ferè omnia eos facit, quæcumque erraverunt, & deliraverunt.* Vide hominis urbanitatem, ac lenitatem; qui & de Petavii aſperitate graviter expoſtulat, & *Lenem* ſe ideo nominat, ut ab illius iracundia quàm alieniſſimum fore ſe profiteretur.

* Vinc. lib. 2. c. 1. Sect. 1. p. 178.

Atqui quod ignorantiæ Petavium hîc arguis, Magiſter Lenis, vide an non in illos cadat potiùs, qui ſtudio partium occupati ſpiſſas obducunt nebulas rei alioqui per ſe claræ, & ad intelligendum facili. Quis eſt paullulùm ſapiens, qui hoc non capiat, non interrogatus reſpondeat, *coactum* id, violentumque dici, à quo naturalis abhorret appetitio: neceſſarium verò, quod aliter fieri nequit, & contingens non eſt, ideòque non eſt in noſtra poteſtate: liberum denique, quod tam à nobis fieri, & aſciſci poteſt, quàm quod tunc eſt oppoſitum? Has à natura traditas, & doctis pariter, atque indoctis inſitas notiones, tamquam publicam monetam, vos corrumpere nuper inſtituiſtis; tùque præ omnibus confidentiſſime Vincenti.

II. Quæris igitur quid interſit inter bruti appetitum, & hominis voluntatem neceſſitate conſtrictam, ac determinatam. Quære priùs quid ab illius appetitu, diſtat hujus libera voluntas: hinc enim facilè alterum cognoſces. Docebit illud te S. Thomas in prima parte Theologicæ Summæ. Ibi enim quæſtione LXXXIII. * in qua diſputat *utrum homo ſit liberi arbitrii:* primùm eſſe reſpondet, idque probat hoc argumento, quòd *alioqui fruſtra eſſent conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia.* Unde verò habeat, ut liberi ſit arbitrii, explicat ſic. Eorum quæ agunt, alia ſine judicio agere dicit, ut quæ carent cognitione; velut lapis deorſum cadens: alia cum judicio: quæ & ipſa in duplici ſunt differentia: quædam enim non libero agunt judicio, ſed naturali; ut ovis lupum videns, naturaliter judicat eum eſſe vitandum; *quia non ex collatione, ſed ex naturali inſtinctu hoc judicat:* quædam ita cum judicio agunt, ut id *ex collatione rationis* exiſtat: ut homo; *qui agit judicio, quia per vim cognoſcitivam judicat aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum. Libero autem agit judicio, quia potens eſt in diverſa ferri, eo quòd judicium iſtud non eſt ex naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis.* Quam collationem declarat ita: *Ratio enim circa contingentia habet viam ad oppoſita, ut patet in dialecticis ſyllogiſmis, & rhetoricis perſuaſionibus. particularia autem operabilia ſunt quædam contingentia. Et ideo circa ea judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum. Et pro tanto neceſſe eſt, quòd homo ſit liberi arbitrii, ex hoc ipſo quòd rationalis eſt.*

* Art. 1.

III. Ex hoc fonte Peripateticæ, Chriſtianæque ſapientiæ, certa ratio veræ, propriéque dictæ libertatis, & hujus à brutorum appetitione diſcrimen petitur. Nam utraque ex cognitione ac judicio pendet: ſed bruti judicium, ex naturali inclinatione, id eſt inſtinctu proficiſcitur; & idcirco eſt uniuſmodi, id eſt uni affixum, ac determinatum; neque plura inter ſe comparat, ut ex ea contentione quippiam anteponat alteri, quia neceſſariò unum illi perſequendum, aut vitandum objicitur. Homo verò rationem ſequitur, quæ plura cognoſcit, & inter ſe confert: non ea quidem determinata, & neceſſaria; ſed *contingentia;* quæ videlicet aſciſci, vel abjudicari poſſunt. Quare eo ipſo libera eſt voluntas, quòd non eſt determinata; nec uni addicta; uti nec judicium, ſive arbitrium mentis, quòd plura inter ſe minimè neceſſaria, ſed utilia dumtaxat, & contingentia comparat. Ita propriè dicta, *formalis*, ac vera libertas eſt, non voluntas ipſa, quà voluntas eſt, & naturalis inclinatio rationalis appetitus; ſed quatenus liberum eſt arbitrium, & ex pluribus quod libitum eſt, poteſt citra determinationem, ac neceſſitatem eligere.

Hoc quia brutis animantibus natura negavit; & ad unum aliquod, ac definitum, eorum alligavit judicium; ideò non liberè, neque tamen violenter & coacta; ſed neceſſariò, ac præcipiti cupiditate rapiuntur.

Hoc eſt liberæ hominum voluntatis, & brutorum appetitus diſcrimen ab S. Thoma, & Chriſtiana philoſophia conſtitutum. Cui & humana conſonat, * à nobis ex gentilium philoſophorum decretis accurate deſcripta.

* Vide To. 1. lib. 5. c. 1.

IV. Quam quidem illuſtriorem modò reddemus, unius ex illorum numero adſcripta ſententia, quæ eamdem brutorum ab homine diſcrepantiam egregiè demonſtrat.

Is eſt Hierocles Pythagoreus, in libro de Nuptiis: ubi hànc bene vivendi regulam præſcribit; ut naturæ convenienter homo vivat: * *Quippe vivus, ait, animantium quodlibet vita naturali ſuæ conſtitutioni conſentanea. ac profectò ſtirpes etiam ipſæ ſimiliter vivunt, pro ejus, quæ illis tribuitur, vitæ ratione. Verùm non ratiocinatione, vel computatione utuntur aliqua, nec examinatis rebus delectum aliquem adhibent. Sed ſtirpes quidem ſola ad id aguntur natura: quippe inanima ſunt. Animalia verò imaginationibus ad ea quæ commoda ſunt attrahentibus, & impellentibus cupiditatibus ducuntur. Nobis autem natura rationem indedit; quæ & alia omnia, & cum omnibus, vel potiùs præ omnibus, naturam intueretur: ut tanquam in aliquem inſignem, certumque ſcopum, ſic in naturam intenta, & quidquid ei conveniens eſt, eligens ad decentem nos vivendi modum perducat.*

* Hierocl. apud Stob. Serm 65. [illegible]

Vides quid inter bruta, & hominem interſit: & ut illa, quacumque phantaſia, & commodarum rerum appetitio trahit, ſine ulla deliberatione moveantur: hominum verò liberum ſit judicium; tum libera, quæ ex judicio ſequitur, judicatæ, approbatæque rei ad finem obtinendum utilis, electio.

V. Hac libertatis poſita, fixáque formula; non eſt difficile ſcitu, cujuſmodi ſit eidem adverſaria neceſſitas. Nam cùm radix ipſa libertatis intercepta eſt, quæ eſt judicandi vis: ut uno aliquo circumſcribatur, ac determinetur; nec plura inter ſe contendere, & quod horum utiliùs, meliúſque ſit, diſcernere, ac pronunciare queat; quod in amentibus, & infantibus, ac rationis uſu carentibus accidit: tum non liberè voluntas, ſed neceſſariò in id quod concupiverit trahitur: quia non *ex collatione* ſanæ ac ſobriæ *rationis* agit, ut S. Thomas loquitur: ſed ex ſolo impetu, & inſtinctu movetur. Neque tamen inter ſic affectum hominem, & pecudem, non aliquid intereſt. Nam etſi judicium utrique commune; nec non voluntarium ab S. Thoma tribuitur, non idcirco ſpecies eadem eſt utrobique judicii; ſed genere ſolo ambo inter ſe conveniunt; quemadmodum naturæ ipſæ genere uno continentur animalis, ac ſenſu præditi; ſed forma & eſſentia diſcrepant. Sic *judicium* in brutis, phantaſiæ ſolius eſt, & ejus partis, quam *æſtimativam* vulgò nominant: *voluntarium* autem *ſenſitivi*, quem vocant, *appetitus*. In homine rationis illud eſt; ſed non *arbitra.* hoc *voluntatis;* non tamen liberè agentis. Neceſſitatis porrò vis & ratio proportione eſt eadem.

CAPUT XII.

1. *Vincentii aſtus in explicando diſcrimine neceſſitatis, qua bruta feruntur, & parvulorum, aut amentium.* 2. *Fruſtra ex imperatrice vi voluntatis ab illo peti, quæ nulla circa neceſſaria ſit.* 3. *Pecudum, maximéque aſinorum petitum ab Vincentio teſtimonium eluditur.* 5. *Ludicrum ejuſdem Sophiſma.*

I. His contraria Vincentii eſt opinio. Qui ſi eâdem, quæ capite antecedenti diſceptata eſt, quæſtione pulſetur, quânam re diſtet à pecudum appetitu, voluntas hominis neceſſitate agens, & ex ſola naturæ propenſione, non ex deliberatione; vel ad ea confugiet, quæ dixi: vel, ſi ſibi conſtare pergat, fruſtrà conflictabitur, in obſcuris, ac nihil liquidi, & diſerti ſonantibus vocibus, μάτην ἀλληγορίζων. Quid enim aliud referunt ea, quæ ſuprà capite nono ex illo deſcripſimus? Neceſſitatem illam, qua bruta feruntur in ea quæ appetunt, ait eſſe violentiam: eamdem in homine, libertatis comitem, & adjutricem facit. Quî enim aliter poſſet, cum & voluntarium idem ac liberum eſſe ſtatuat; & voluntatis actionem omnem, *eſſentialiter* liberam eſſe defendat?

Cedo

Cedo igitur, quid cauſſæ eſt, cur parvulus, aut amens, aut fatali neceſſitate, ut olim Stoici putabant, impulſus, non liberè appetat quod voluntate concupiſcit?

* Vincent. lib. 1. c. 14.

* Neque enim voluntate, ac judicio qualicumque, hoc eſt vitali, & naturali facultatum illarum motione, uti negas iſtiuſmodi homines; cùm ex naturali inclinatione in ea feruntur, quæ ſibi placita ſunt, & commoda. Ecquis igitur violentiæ locus eſt in ea voluntatis actione, quæ maximè voluntaria eſt? aut cur libera non eſt, ſi & voluntatis actio eſt, ex judicio profecta; & omnis eſt libera motio voluntatis?

II. Nam quod poteſtate ſua dominatrice tunc voluntatem non uti aſſeris; nec ſemetipſam movere; & cetera ejuſdemmodi, quæ quid ſint non intelligendo, profers, vi ſola veritatis, ceu fidiculis, compulſus; hoc illud eſt, quod paullò antè dicebam, cogi te, quamlibet invitum, ac reclamantem, eadem nobiſcum, & cum S. Thoma, ceteriſque de libertate fateri; ejus eſſentiam, non, ut falsò dicebas, in ſolo voluntario ſitam eſſe; nec omnem voluntatis actum eſſe liberum: ſed in ſolo libero arbitrio, & utriuſvis amplectendi minimè determinata poteſtate libertatem conſiſtere. * Siquidem imperare ſibi, ſeque movere, & alia id genus, quæ tu in eſſentiam, ac definitionem libertatis includis, liberi ſunt arbitrii propria; hoc eſt voluntatis, non quà naturalis eſt inclinatio, & ad finem ipſum refertur, éſtque determinantis capax neceſſitatis: ſed quatenus circa *media*, & contingentia verſatur, & ad utrumvis indifferenter ſe habet, hoc eſt, ut S. Thomas loquitur, *poteſt ad diverſa*.

* Vide ſup. c. 3. & 7.

* Imperare certè nihil ille cenſet aliud eſſe, quàm *ordinare ad aliquid agendum*, hoc eſt ad finem: tum *actum eſſe rationis*, qui electionem ſequitur. * Nam *poſt determinationem conſilii, quod eſt judicium rationis*, inquit, *voluntas eligit, & poſt electionem ratio imperat ei, per quod agendum eſt, quod eligitur*.

* S. Tho. 1. 2. qu. 17. art. 1. & 2.
* Id ar. 3. ad 1.

Quo ex loco Vincentii multiplex error convincitur. qui * cùm voluntatis actum omnem liberum eſſe ſentiat: & * libertatis eſſentiam in imperio conſtituat; fateri cogitur nullum alium voluntatis actum eſſe præter imperium; adeóque nec finis appetitionem, quæ conſilium antecedit, nec electionem, quæ ut hoc poſterior, ſic imperio prior eſt, actiones eſſe voluntatis; tum, quod * alibi jam dixi, liberæ voluntatis eſſentiam in ea re ponit, quæ rationis ac mentis eſt propria, non appetitus, ac voluntatis.

* Lib. 1. c. 2 &
* Ibid. c. 4.
* Sup. c. 7. §. 1.

III. Atenim * *in iſta vi voluntatis imperioſa, & imperatrice ſui eſſentialem ejus, qua ab appetitu brutorum diſtinguitur, libertatem conſiſtere*, invicto probat argumento; ac gravi imprimis auctoritate, * *canum, ſimiarum, elephantorum, aſinorum*; & unius inter alios, *qui ſapientiæ magiſtri ſui auditor erat, ac magis liber, quàm ceteri craſſioris, & ſtupidioris Minervæ aſini fratres ejus.*

* Vinc. lib. 2. c. 9. pag. 176.
* Vinc. ibid. p. 177.

His omnibus contra Petavium, & Ricardum teſtimonium denunciat. Sed ut jure, ac legitimè contendat, poſtremum illum teſtem expungat cenſeo: ne οἰκόθεν μάρτυς apponi videatur. Ecquos verò fratres aſini illius ex Vincentii verbis divinare poſſumus? Non enim aſinis obſtetricari, & operam adhibere Minerva ſolet, quam fratribus illis parum benignè conſuluiſſe ſcribit. Sed his, ac ſimilibus parum gratis interpellatoribus, ac ſibi adeo, Vincentius occurrat ipſe; & quid brutorum appetitus ab libera voluntate hominis interſit, ex S. Thoma, & illa ipſa, quam toties inculcat, imperatrice vi, & imperio diſcat. * Nempe *quòd imperare, ſit ordinare ad finem*, ait S. Doctor; bruta verò *media*, quæ vocant, ad finem non referant; idcirco libera voluntate carent, quod fuſiùs declarat idem his verbis. * *Dicendum* (inquit) *quòd aliter invenitur impetus ad opus in brutis animalibus, & aliter in hominibus. Homines enim faciunt impetum ad opus per ordinationem rationis: unde habet in eis impetus rationem imperii. In brutis autem, fit impetus ad opus per inſtinctum naturæ; quia ſcilicet appetitus eorum ſtatim apprehenſo convenienti, vel inconvenienti, naturaliter movetur ad proſecutionem vel fugam. Unde ordinatur ab alio ad agendum: non autem ipſa ſeipſa ordinant ad actionem; & ideò in eis eſt impetus, non autem imperium.*

* S. Tho. 1. 2. qu. 17. ar. 1. & 2.
* Ib. ar. 2. ad 3.

IV. Sic de pecudibus, & ſapientiore illo fratribus ſuis aſino non multùm laborabit Vincentius. In amentibus, & ſimilibus humana voluntate, intellectûque præditis, plurimùm æſtuabit, ut ſuis, ac ſectæ ſuæ principiis conſentaneum aliquid expromat, quòd ex voluntate, hoc eſt libertate agentes illos non perinde liberè agere perſuadeat, ut cùm oculis, & auribus utantur, id quod agunt, *eſſentiam* habet viſionis & auditionis, eo quòd ex eſſentiali videndi, & audiendi facultate proficiſcitur.

De his igitur, brutorum tuorum, ut ais, non diſſimilibus; ſed, ut ex antè dictis evidens eſt, longè tibi moleſtioribus, quàm ſexcenti tui *ſapientes aſini*, quemadmodum te cum tuis decretis, & principiis extrices, ſane videris. Quod idem in fatali, & tamen voluntaria neceſſitate, præſtare debebis. Nam neceſſitatis duplicis tua illa diſtinctio, ut una *coactiva* ſit, altera voluntaria, quam, ut mali medici ſolent ad ulcera omnia, ſolum, & unicum emplaſtrum, ex panario tuo identidem exprimis, futilis eſt, ac magnarum & neceſſariarum rerum inſcitia referta: quod vel ille tuus Ammoniani diſcipulus, te docebit.

V. Cujus quidem ut te ad captum accommodares, credo ἄνευρ illud nitidis, & elegantibus vocabulis expreſſum in fine ita te poſuiſſe. * *Nunc verò ponite caſum*, ais Vincenti, *ut vis illa voluntatis imperioſa ſui actus, ſuopte modo, & imperio ſuo ſeipſam moveat; ſed tamen indifferentiæ accidentalis bilancem non utrimque expeditam habeat, quia intellectus hîc & nunc ſolùm de amando, non de ſuſpenſione amoris ei quidquam repræſentat, & ad amandum judicio practico eam determinat: An talis tamen amor, per veſtram fidem, & conſcientiam, brutalis, nec eſſentiali libertate liber erit? Cur enim liber non eſſet, quandoquidem voluntas ſuo ſollemni imperandi modo ſeipſam agat, non impetu brutali & effreni foris excitat?*

* Lib. 1. c. 1. ſect. 1. pag. 178.

Hîc verò quid dicas profectò non intelligis; ac quid libertas, & liberæ actionis quæ ſit exequendæ ratio funditus ignoras. Dixi tibi ſæpiùs vim illam voluntatis imperatricem in iis dumtaxat exerceri, quæ ad finem referuntur, & *contingentia* ſunt, hoc eſt ad unum determinante aliqua neceſſitate minimè redacta.

Etenim de eo quod abſolutè neceſſarium, ac definitum eſt, nulla poteſt eſſe conſultatio, uti nec electio, quâ unum è pluribus optari debet: quod ex Ariſtotele, ac Peripateticis omnibus, etiam Theologis, ut Nemeſio, Joanne Damaſceno, ac S. Thoma, aliiſque pluribus uberrimè demonſtratum eſt à nobis. Quamobrem non aliter voluntas liberè agere poteſt, & præ uno alterum capeſſere, quàm ſi hoc ipſum, cujuſmodi eſt reipſa, non neceſſarium, ſed utile dumtaxat, adeóque contingens, rectrix & magiſtra ratio judicaverit. Hoc ipſo verò, quod utile eſt, & contingens aliquid, non ſimplex eſt, & uniuſmodi. Itaque ſi non *actu*, virtute certè, ac δυνάμει tam ſe, quàm alia complectitur. Ita numquam niſi de pluribus inter ſe comparatis, tum deliberatio ſit, tum judicium rationis; tum ſeipſam determinantis voluntatis electio: ex quibus eâdem movente voluntate rationis imperium, & ex imperio, voluntatis ad exequendum poſtrema motio conſequitur.

Ceterum *indifferentia* illa voluntatis quemadmodum ſe habeat, & quos in ea ludos Vincentius, & id genus homines facere pridem inſtituerint, oſtenſum eſt pluribus à * nobis alio in Opere.

* Lib. 3. de lib. arb. cap. 11.

CAPUT XIII.

1. *Cyrillus Hieroſolymitanus perperam appellatus à Vincentio.* 2. *Ovis exemplo libertatis ac meriti rationem explicat. Et ludicra Vincentii opinio de brutorum appetitu.* 3. *Quæ circa finem ultimum clarè cognitum liberè ferri voluntatem, falsò putat, & laudem etiam inde promereri.* 4. *Sed in laudis ambigua ſignificatione cavillatur.*

I. Quis * non in te, Vincenti, lenitatis conſtantiam, & æquabilitatem deſideret? Tu in canes, ſimias, & aſinos imprimis, tam indulgens, & liberalis extitiſti, ut illos cum hominibus propemodum exæquares; immo aſinos in auditorum ſapientiæ numerum adoptares; certè formandis eorum ingeniis Minervam præficeres: & idem tamen ovibus tam iniquus es, ut earum cauſſâ S. Cyrillo Hieroſolymitano ſuccenſeas. Cur hoc autem de te iſte meruit? Scripſit in Catecheſi quarta, *Liberi arbitrii eſſe animam*, nec à dæmone neceſſitatem ei inferri poſſe. Hunc enim nihil aliud efficere,

* Vinc. lib. 2. c. 2. Sect. 2.

Digitized by Google

cere, quàm ut malas cogitationes immittat: quas, ſi velit, animus admittat: ſi non velit, non admittat. Id ſi aliter fieret, non eſſe cauſam, cur Deus gehennam minaretur. Hic *αὐτεξούσιον* eſſe ψυχὴν ait, id eſt *juris, & poteſtatis ſuæ*, hoc eſt *liberi arbitrii*; & quatenus ſit, propriis ejus facultatis actionibus declarat, quòd conſentire poſſit, aut non conſentire iiſdem infuſis à dæmone cogitationibus. Prorſus eodem modo, quo Apoſtolus eamdem voluntatis liberæ poteſtatem in utramque partem explicat, in ſervanda, vel non ſervanda caſtimonia, hoc eſt nuptiis eligendis, aut repudiandis, dum utrumque eſt integrum; * *& non habet homo neceſſitatem, ſed poteſtatem habet ſuæ voluntatis.* Hæc eſt ἐξουσία, vel *αὐτεξούσιον*, cui oppoſita eſt *ἀνάγκη*, id eſt ad unum alligans neceſſitas, de qua idem antea: * *Alligatus es uxori? Noli quærere ſolutionem: ſolutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Alligatio, eſt voluntatis ad unum aſtrictæ, determinatæque neceſſitas; cui contraria eſt *ſolutio*, id eſt expedita & *indifferens* poteſtas: quæ *liberum arbitrium*, & *αὐτεξούσιον* dicitur. Ita Cyprianus de hac ipſa re diſputans * in Libro de diſciplina & habitu Virginum: *Nec hoc jubet*, inquit, *Dominus, ſed hortatur: nec jugum neceſſitatis imponit; quando maneat voluntatis arbitrium liberum.*

* 1. Cor. 7. 37. μὴ ἔχων ἀνάγκην, ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος.
* Ver 27.
* Sub fin. pag. 023.

II. Sed ad Cyrillum redeo. Is quod dixerat exemplo declarare volens: * *Ovis*, inquit, *manſuetum eſt animal, ſed numquam ob hanc manſuetudinem coronæ præmium eſt adepta: quandoquidem manſuetudo iſta non illi ineſt ex electione, ſed ex natura ipſa.* Quibus verbis indicat neceſſitatem, quæ ex naturali inclinatione provenit, libertati, qua præmium meremur, eſſe contrariam. Quod idem & Theologi docent ad unum omnes, & horum princeps Aquinas ille ſanctus Thomas, quem * ſuprà pronunciantem audivimus, meritum omne *ex libero arbitrio procedere; in quantum voluntariè aliquid facimus*: nempe, ut ibidem declaratur, *perfecto genere voluntarii*, quo *in poteſtate hominis eſt* facere, aut non facere, *& utrumque ſubjacet libero arbitrio.* Propterea igitur ovem nihil manſuetudine illa ſua mereri ait Cyrillus, quoniam non ex libero arbitrio, & hujus propria electione eam manſuetudinem præſtat, ſed ex naturali, & ut *non violenta*, ſed *voluntaria* propenſione, ita non libera & indifferente.

* Cyr. [illegible]
* Cap. 5. p. 3 & 4.

At Vincentius de ove ſtomachatur, & indignam rem eſſe clamat, eamdem dici rationem eſſe voluntatis humanæ neceſſitate aliquid appetentis, atque ovis, quod ad liberi arbitrii functionem, & laudem, ac meritum ſpectat. * *Beatos enim tranquilliùs, & liberiùs voluntatem ſuam in amorem ſummi boni præſentis effundere, quàm pecudes in appetitum cibi, & potus à natura projici, turbido & effreni impetu eas præcipitante ſolent.*

* Vinc. pag. 179.

III. Lubrica eſt & jocularis hæc μωρολογία. Dic amabo te, Vincenti! Crediſne voluntatem hominis in ſummum bonum, ac finem ultimum in ſeſe, evidentérque cognitum, liberè, hoc eſt libero arbitrio ferri? Credis ejuſmodi amorem, & appetitum hunc eſſe, ex quo laus, & meritum ſequatur? Credis profectò, credis; eóque miſerrime falleris, & à primis humanæ ac divinæ ſapientiæ principiis longiùs aberras. Ita perſuaſum eſſe tibi, arguunt illa, quæ in eodem capite, & alibi paſſim occinis. * Beatos enim ob *amorem illum, quem per vim actuum ſuorum imperatricem tranquilliſſima effuſione exſpirant, ſummis laudibus, honore, & veneratione digniſſimos eſſe* dicis. *Et licèt tam ſapientes & prudentes ſint, ut nullis rationibus adduci valeant, ut ab amando ceſſent, hoc tamen nihil de eorum laudibus decerpit, ſed auget cumulum.*

* Ib. p. 182.

In his quantopere ſis hallucinatus, potes ex his animadvertere, quæ hucuſque diſputavimus: præſertim capite tertio, & quinto. Voluntatem neceſſitate illa, quæ propriè dictæ libertati eſt oppoſita, rapi in Deum perſpicuè cognitum, ſententia eſt beati Thomæ in prima parte, quæſtione LXXII. articulo primo, & ſecundo. * Idem negat *ea libero arbitrio ſubeſſe, ad quæ naturaliter inclinamur.* * Negat eſſe quemquam *dominum actuum ſuorum*, niſi quatenus libero utitur arbitrio. * Negat mereri quemquam *niſi per actum cujus ſit dominus*, hoc eſt qui ſit liberi arbitrii. Liberum autem arbitrium non verſari circa finem, & ea, quæ neceſſariò appetuntur. * Laudem denique ac vituperium ex uſu ſolo liberæ voluntatis efflorеſcere, iiſdem in locis S. Thomas luculentiſſimè declarat. Nullum ergo meritum habet actio illa, quæ non ex libero prodit arbitrio: ſed nec laude aut vituperatione per ſeſe digna eſt, quod utrumvis liberæ electionis radice nitatur. Quocirca beati non ob hoc ipſum præciſe laudantur, quod Deum diligunt: uti neque quod de illo rectè ſentiunt, ac judicant. Sed eatenus, quòd felicem illum ſtatum, & amorem, ac notitiam, quibus beati ſunt, & in Deum neceſſario quodam impetu rapiuntur, liberi, cùm viverent, uſu arbitrii meruerunt.

* In 1. Par. qu. 83. art. 2.
* In 1. 2. qu. 6. art. 2. ad 2.
* Quæſt. 29 de Verit. ar. 6. Vide ſup. c. 5.
* Vide ſup. cap. 3. & 5.

IV. Sed fallit ambiguitas nominis, dum laus interdum pro gloria, & honore, ac dignitatis, & excellentiæ prædicatione ſumitur. In quo Vincentii manifeſtus eſt fucus. Nam & in laudis, honoriſque vocibus de induſtria ludificatus eſt: & quæ de hac re luculenter in * tertio de libero arbitrio docueram, longè ad eam rem utiliſſima, callidè diſſimulando prætetiit. Verùm legantur omninò quæ illîc tradita ſunt, ut ex iis inanis theriacæ conatus eludatur.

* Cap. 4.

Ecquis autem illius eſt adeò ſimilis, nihil ut intereſſe dicat inter ovem pabulum appetentem, & hominem neceſſariò Deum amantem; etſi neutri libertas in actione illa conſtet? Ecce tibi * S. Thomas, Ariſtotelem ſecutus, *voluntarium* in brutis perinde ut in hominibus agnoſcit: neque tamen propterea eamdem utriuſque *voluntarii* rationem eſſe voluit. Sic neceſſitas licèt in amborum naturalibus actionibus communis inſit; non ideò nullum eſt agendi ſub eadem neceſſitate diſcrimen.

* In 1. 2. q. art. 2.

CAPUT XIV.

Ex Vincentii opinione ſequi Spiritum S. produci à Deo liberè, & ex arbitrio libero. Ex quo horrendæ blaſphemiæ ſequuntur.

I. Verum tolerabilia iſta conſectaria ſunt opinionis indoctæ. Quid illud quod ſine horrore ne cogitari quidem poteſt, & indidem eſt conſequens, Deum & amare ſe liberè; & eadem libertate, producere Spiritum ſanctum, in eúmque ſimiliter atque in creatas res jus ac dominatum obtinere? Ut hoc decretum ex Armacani Batavi diſciplina, Vincentium hauſiſſe, & in *Theriaca* ſua miniſtraſſe nemo dubitet, relegamus illa paullulùm, quæ de Libertatis eſſentia ibidem expoſuit.

* Hanc igitur *in modo quodam agendi ἡγεμονικῷ* poſitam arbitratur, *quo voluntas ſeipſam movet, & actum ſuum ſibi imperat.* Quam *poteſtatem ſublimem, & imperioſam* vocat, quâ *actum ſuum efficiendo, ei dominatur, & à ſe exire quodammodo imperat.* Atque hoc in Deo præ ceteris ineſſe demonſtrat capite ſexto: immo verò ex hujus participatione manare iſtud in creaturas liberas; in eóque conſiſtere ait imaginem Dei, qua humanum præſertim genus cenſeri ſolet. *Ut enim compelli, & cogi ab alio ad agendum* (ait * Vincentius) *ſervile, & Deo indigniſſimum eſt: ita ex propria poteſtate, in actionem ſuam ſeipſum inclinare, domini ſupra actus ſuos ſignum eſt, & ſupremum Eos maximè decet.* Tum eâdem pagina, *Deus*, inquit, *in amando, & volendo eſt ſui juris, & in affectus ſuos altiſſimo modo, ſine imperfectione, jus, & imperium exercet.*

* Vinc. lib. 1. c. 3. p. 15.
* Pag. 24.

* Neque verò liberè, hoc eſt *eſſentiali libertate*, ſolas res creatas amare Deum Vincentius affirmat: ſed etiam ſeipſum; * quia etſi neceſſariò, non tamen cogente neceſſitate ſeipſum amat. quippe libertati *coactionem* dumtaxat opponi, non neceſſitatem ſimplicem exiſtimat.

* Vinc. lib. 1. c. 10. p. 59.
* Ib. & c. 10.

II. Jam verò *eſſentialem* illam *libertatem*, quâ *jus, & poteſtatem, & dominium, & imperium*, vel *imperioſam poteſtatem* habet voluntas *in actum ſuum*, idem eſſe ac *liberum arbitrium*, fuſiſſimè probat Vincentius in libro primo, capite tertio: atque hæc eſſe ſynonyma demonſtrat, *libertatem, voluntatem, liberam voluntatem, liberum arbitrium. Ubi voluntas eſt* (ait Vincentius) *ibi libertas: & quidquid ab ea, ut voluntate, & appetitu rationali, procedit, ab ea, ut* Libero Arbitrio, *procedit, adeóque liberum eſt.* Et in fine capitis, *Nec quiſquam moveri debet*, ait, *quòd S. Auguſtinus interdum ſic etiam loquatur, libera voluntate, aut libero voluntatis arbitrio: quia certiſſimum eſt omnibus, qui lectione, & doctrina ejus ingenium ſubactum habent, particulam iſtam,*

libera,

Google

libera, *aut libero, non reſtringere voluntatem, aut arbitrium: ſed, ut Dialectici loquuntur, particulam explanantem tantùm eſſe; & iſta duo,* voluntas, & voluntas libera, *inter ſe converti.* Idem & in * ſequenti capite docet Vincentius, & alibi paſſim.

* Pag. 17.

Hoc autem & Vincentii magiſter Armacanus Batavus iiſdem ferè verbis affirmat. Ut cùm ita * ſcribit, *apud Auguſtinum eſſe liberum arbitrium, & eſſe aliquam hominis, vel Angeli voluntatem, ſeu volitionem, pro iiſdem prorſus uſurpantur. Nimirum quia juxta doctrinam ejus apertiſſimè traditam, voluntas, ſeu volitio, & libera voluntas idem ſunt: ſicut velle, & liberè velle: & impoſſibile eſt, ut velle non ſit liberum.* Et paullo pòſt, *hoc ipſo, quo volunt homines, eſt etiam liberum arbitrium, quia nonniſi liberè volunt.*

* To. 3. lib. 6 c. 5. p. 265. C D 1. & p. 266. c. 1.

III. Porro formulæ quædam locutionis obſervandæ ſunt, quas ambo illi præſcribunt, quibus *liberæ voluntatis*, vel *liberi arbitrii* uſus exprimitur: ſunt autem hæ, * *habere in poteſtate,* nempe *quod cùm volumus facimus.* Item, * *quòd ſi vult facit; ſi non vult, non facit.* Tum, *Si voluntate faciendi imperante fiat, actio illa eſt in noſtra poteſtate.* Mox etiam, *Ut cognoſcamus utrum aliquid in poteſtate noſtra, ſeu nobis liberum ſit, hoc intuendum eſſe* docet, *utrum fiat quando volumus. Si enim fiat quandocumque volumus, liberum eſt: ſi verò cùm volumus, non fiat: vel ſi nolumus fiat, certiſſimum eſt, non eſſe nobis liberum, quia non eſt in noſtra poteſtate.*

* Armac. ib. c. 4. p. 262. E 1
* P. 263. A 1 & p. 266, C 2.

Eadem & Vincentius uſurpat, ut paullò antè memoravi: * qui *verba volendi, aut volendi liberum* declarare ait *arbitrium; quia omne velle eſt liberum.*

* Lib. 1. c. 3. p. 15.

IV. His ita conſtitutis, nemo jam dubitet, quin ex iſtorum placito, Deus & *libero* ſe amet *arbitrio,* & *Spiritum ſanctum* eodem *libero arbitrio* producat. Etenim voluntate utique ſe amat, & amando producit Spiritum ſanctum. Hæc autem voluntas non eſt violenta, vel coacta: ac proinde liberrima, & ex arbitrio libero, quod à voluntate non differt. Quamobrem cùm eſſentialem libertatem in eo conſtituant, quod *in jure,* ac *poteſtate* habetur, *& dominatu:* & cùm voluntas liberè vult, eo ipſo, *actum ſuum à ſe exire compellat, eique dominetur;* nonne *jus* idem, *poteſtatem* eamdem, *dominatum* eumdem, *imperium* idem, *imperioſam vim* eamdem exercet tam in amorem, quo ſe diligit Deus, quàm in amoris fructum, ſive actus illius terminum, qui eſt Spiritus ſanctus? Quod autem in jure, poteſtate, dominio, imperióque eſſe dicitur, ſervilis eſt conditionis, neque Deus eſt, ſed creata res aliqua.

Accedant nunc eæ libertatis, voluntatiſque liberæ formulæ, ac de Sancto Spiritu illud uſurpemus: *ſi vult Deus producit Spiritum ſanctum: ſi non vult, non producit.* Et, *Spiritum ſanctum in poteſtate, ac dominatu ſuo Deus habet: & cùm vult producit; cùm non vult, non producit.* Potéſtne vocibus iſtis, quas nova Theologia peperit, fingi quidquam horribilius? Nónne ſi reviviſceret ſanctiſſimus ille Polycarpus, ad has non profanas ſolùm, ſed ſacrilegas novitates exhorreſceret, ac ſibi uſitatum illud in talibus cum fletu, & lacrymis proferret: * *O bone Deus! in quæ me tempora reſervaſti, ut iſta patiar?*

* Euſeb. 5. Hiſt. c. 19. ὦ καλὲ Θεέ, εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι.

CAPUT XV.

1. *Vincentium fruſtrà Patrum teſtimonia cumulaſſe ad opinionis ſuæ faciendam fidem. Eu iis nihil ab illo effici.* 2. *Voluntarium ſæpè pro libero ab auctoribus uſurpari, & voluntatem pro libero arbitrio.* 3. *Vincentium libertatem ita deſcribere, ut non cuicumque voluntatis actioni, ſed ei, quæ eſt liberi arbitrii propria, tantummodò conveniat.* 4. *Ejuſdem deſultoria levitas, qui aliàs liberum arbitrium cum ſimplici voluntate confundit, aliàs ſeparat. Quæſtionem hic eſſe de ſolo arbitrio libero.* 5. *Quomodo pacificari controverſia iſta debeat.*

I. ATENIM Veterum auctoritate Patrum benè munitam opinionem ſuam propoſuit in *Theriaca* Vincentius. Nam utrumque librum crebris Græcorum, ac Latinorum Patrum dictis referſit. Et videri poteſt aliquantæ lectionis homo iſte; ac ſanè gloriolam hanc aucupatus eſt. Sed ab incurioſis dumtaxat, & oculorum ſolo ſenſu Scriptorum libris pretium ponentibus laudem illam merebitur.

Nam docti, & acres, intentique Lectores ſtatim animadvertent, non illum ſuapte lectione comparaſſe locorum iſtorum copiam; ſed ex Armacani Opere compilaſſe; indidem ſcilicet, unde totum ferè librum ſuum deſcripſit.

Atqui vel judicii paullulùm adhiberet in eorum uſu locorum; ut quæ quibus probandis eſſent apta dignoſceret; & ab alienis, minimèque ad cauſam ſpectantibus, propria, & utilia ſecerneret. Sed enim furtum & negligentiam iſtius arguit, quod cùm pleraque dictorum illorum, ii, contra quos ſcribebat, explicaſſent, & in Armacani caput retorſiſſent; horum iſte reſponſa vel omninò diſſimulavit, vel perfunctoriè, ac leviter attigit. Quæ tergiverſandi calliditas, ut tam vehementi ſectæ illius patrono minimè convenit, ita mihi percommoda ob id ipſum accidit, quòd ſuſceptæ velitationis hujus operam, ac longitudinem minuit. Non enim, ut de illis Patrum locis lectori ſatisfaciam, aliud ſupereſt, niſi ut utriuſque libros adire illum jubeam, in quibus omnia plenè accuratéque pertractata, & explanata reperiet. Sic eſt profectò, ſic eſt; nullum in Theriaca Vincentii argumentum ineſt; nulla tolerabilis, & non inepto diſputatore digna ratio; ad quam diſſolvendam, ac refellendam non ex amborum lucubrationibus idonea capi adjumenta poſſint. Juvat tamen, etſi minimè ſit neceſſe, Patrum illa teſtimonia peragrantem, quàm nihil in iis uſurpandis fuerit, universè, ac ſummatim oſtendere.

II. PRÆCIPUUS locorum congeſtus * aliquot capita libri prioris occupavit: quibus demonſtrare nititur, *voluntarium* ab auctoribus *pro libero; voluntatem pro libertate, nullo inter iſta diſcrimine uſurpari.* Poterat hoc exſcribendi labore ſuperſedere. Quid enim attinebat, in hoc probandum incumbere, quod adverſarii ſponte faſſi ſunt? Equidem in * ſecundo de libero arbitrio illud adnotavi, voluntatem ab Auguſtino, aliiſque pro voluntate libera, id eſt arbitrio libero ſæpiùs accipi. * Quinetiam eadem, quæ Vincentius attulit, Auguſtini teſtimonia uberrimè declaravi. Ad hæc * ſuperiùs *voluntarium* à S. Thoma bifariam uſurpari docui; ac de voluntate alia multa diſſerui, ex quibus ab Vincentio hìc objecta diluuntur.

* Ut §. 4. 5.
* Cap. 10. §. 3. & c. 12. §. 12.
* Vide ejuſ. lib. c. 10, 11. & 12.
* Cap. 3. & 5.

Accedant hùc tot illa diſerta, & expreſſa Auguſtini loca, ceterorúmque, quos citat Vincentius, in eodem collecta volumine: quibus liberum hominis arbitrium ita definiunt, ut ſit ad utrumque libera, hoc eſt indifferens, & nulla devincta neceſſitate facultas.

Quid quod ſuapte profeſſione, ſuiſque verbis ad idem confitendum, ibi maximè, ubi teſtimoniis illis utitur, cogitur Vincentius? Quid enim eſt, quod efficere, ac probare contendit? Capitis initio tertii, *eſſentialem voluntatis libertatem, quam ex ſeipſa, & directione rationis elicit, in poteſtate imperioſa, qua ſuis actibus dominatur, & à ſe exire quodammodo imperat,* conſtitutam eſſe dicit; & ad hoc probandum, Auctorum deinceps ſententias adſcribit.

III. ATQUI omnia illa, quibus voluntatem liberam explicat, & quodammodo delineat, non in omnem conveniunt actionem voluntatis: ſed in eam ſolam, quæ liberi arbitrii propria dicitur, & ab electione pendet: ac circa *contingentia,* minimèque neceſſaria verſatur. Hæc enim ſola ab ratione ac judicio dirigitur. Quæ directio, cautio quædam eſt & gubernatio, lumen voluntati præferentis rationis, & intellectus, ne in appetendo, eligendóque labatur. Quod in neceſſariis, & ad unum alligatis appetitionibus ſupervacaneum eſt, ut in amore ſummi boni, ac finis ultimi perſpicuè cogniti; ubi nullus errori locus, neque lapſionis eſt periculum. Quinetiam judicii illa directio nihil aliud eſt præter imperium, quod eſſe rationis à voluntate motæ, non voluntatis proprium actum, ſuprà ex S. Thoma demonſtravimus: tum eumdem actum electione poſteriorem eſſe, ex eáque proficiſci. Item illud ipſum, dominari actibus ſuis; & ut uno verbo dicam, quidquid ad exprimendam *libertatis eſſentialis* notam, & naturam operoſè congeſſit Vincentius, ad ſolum pertinere liberum arbitrium, quæ ſunt à nobis huc uſque diſputata perſuadent. Ita fit, ut aliud agens, imprudénſque Vincentius, adverſariorum cauſſam, iis ipſis, quos in medium adduxit, teſtibus approbarit; læſerit, atque everterit ſuam.

IV. SED hujus in opinando mirificam conſtantiam

prudens lector animadvertat. Nam voluntatem omnem eſſe liberam, & liberum arbitrium, aliàs aſſeverat, ut * capite XIII. ſuprà demonſtravimus: & quæ ad illud probandum, Auguſtini, aliorúmque teſtimonia ex Armacani libro corrogavit, ad hoc valere vult, ut quemlibet voluntatis actum, liberi eſſe declarent arbitrii, * & *quidquid à voluntate, & appetitu rationali procedit, ab ea ut libero arbitrio procedere, adeòque liberum eſſe.* Aliàs liberum arbitrium à voluntate ſeparat: ut * cùm ſic ſcribit: *Hac quoque naturalis inclinationis voluntariâ neceſſitate divina voluntas, ſub ratione voluntatis, non liberi arbitrii, bonitatem ſuam, ſéque ipſam, neceſſariò, & tamen liberè amat.* Igitur non omnis voluntatis actio *ab libero procedit arbitrio*, quod tute antè ſcripſiſti: neque Deus libero ſe amat arbitrio, ſed ea voluntate, quæ non eſt liberi arbitrii propria.

[* §. 2.] [* Vinc. lib. 1. c. 3. p. 15.] [* Lib. 1. c. 12. p. 57.]

Dixine ſæpius, totam iſtam controverſiam, ac litem, quam tot ſpretis Pontificiis edictis, & Catholicæ fidei auctoritate calcata, nuper Armacanus excitavit, ad liberum dumtaxat pertinere voluntatis arbitrium; non de quslibet eſſe voluntatis actione?

Etenim quænam origo alia quæſtionis illius exſtitit, niſi conciliandæ cum libertate gratiæ difficilis, & perplexa ratio? At hæc ipſa ſolam eam ſpectat voluntatis motionem, quæ liberum arbitrium propriè dicitur; non illam, quam vos neceſſariam, & tamen liberam eſſe animoſa, & inutili jactatione contenditis. Sit ſanè libera novo illo veſtro, & qualicumque genere libertatis: dum eo non ſit, de quo inter nos agitur: in quo vera, & ſuo nomine digna, non ſophiſtica, nec ſolo vocabulo cenſenda libertas eſt ſita voluntatis humanæ.

V. QUAMOBREM poteſt jam omnis inter nos ſublata eſſe diſcordia, ſi hoc fatemini; libertatem eam, quam liberum arbitrium dici propriè, tutemet agnoſcis, & quam ab S. Thoma traditam, capite XXI. libri tui prioris affirmas; talem eſſe, cujuſmodi ſummus idem Theologus tot iu locis, tam apertè, tam expreſsè, tam diligenter expoſuit: quámque nos ex ejus auctoritate, ac verbia ipſis, hactenus iuformavimus. Nimirum ut hæc ſola propriè, ac præcipuè, & *formaliter* illa ſit libertas, ob quam liberæ voluntatis homines, & arbitrii liberi eſſe dicuntur: ut ſit boni, malique meriti; laudis & vituperationis ſtirps, & fons unicus: ut hæc una cauſſa ſit, ex qua voluntas humana ſemetipſam propriè agere, movere; dominium, atque imperium, quodcumque tandem habet, exercere dicatur: ut ea denique ſit neceſſitatis expers, non illius, quam ſolam libertati eſſe contrariam falſa opinione defenditis; ſed ejus, quæ naturali propenſioni conſentanea unius appetitu determinatur, nec expeditam & indifferentem utriuſque permittit optiouem. Hæc cùm omnia, iiſque plura eòdem ſpectantia S. Thomas tam manifeſtè, propria eſſe teſtetur libertatis illius, quæ eſt *arbitrii liberi*; ſi tu, Vincenti, cum ſodalibus tuis eadem fateri potes & amplecti, appellatione ipſa libertatis utere ut voles. Non equidem repugnabo. Ut ſi hominis effigiem, dici hominem oportere contendas, dum eouſque non inſanias, ut hominis naturam, & eſſentiam illi tribuas; quis tibi loquendi hanc licentiam invideat?

Sanè hoc, quod abs te amore pacis & concordiæ impetrare ſtudeo, non gravatè conceſſeris, ſi ad illa, quæ raptim & tumultuariè ex Armacano converraſti, Veterum loca paullulùm adverteris animum. Hæc enim naturam ejuſmodi liberæ voluntatis, arbitriique liberi deſcribunt, qualem ab S. Thoma luculenter explicatam Catholicum cum ipſo omne nomen agnoſcit. Sed ſingillatim omnia perſequi nolo; nec exſcribendis hìc Armacani capitibus integris, ut quidam faciunt, lectori ſtomachum & nauſeam movere; mihi circumforanei mangonis illius famam conſciſcere, qui

Ut venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.

CAPUT XVI.

1. *Ridicula Vincentii jactantia. Voluntarium, & ſpontaneum ſæpè pro libero ſumitur. Damaſceni locus ab eodem contra ſe productus.* 2. *Quo liberi arbitrii propria ratio continetur.*

I. FRIGIDUM * illud eſt ἀλαζόνευμα, Vincenti, cùm Petavio inſultas, tamquam ei liberi arbitrii definitio *vehementer diſpliceat*, à Proſpero allata, * ut ſit *rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus.* Quaſi hoc ille neſcierit, neque diſertè monuerit, *ſpontaneum*, quod idem eſt ac *voluntarium*, Græcis ἑκούσιον, pro *libero* ſæpiùs accipi: quamvis aliàs tam latè pateat, ut de brutis etiam animantibus uſurpetur. Hac verò laxiſſima, & generali notione non tu, opinor, voluntarium, ſive *ſpontaneum* intelligi vis, cùm eo liberam voluntatem definiri aſſeris. Quare *voluntarii* genus illud aſciſces, quod perfectum vocat * S. Thomas, & ſolis ineſſe ratione præditis affirmat. Atqui hoc idem S. Thomas non aliud eſſe docet, præter liberum arbitrium, ut * ſuprà ſignificavi. Quo quidem poſito, quid eſt quòd Petavius, aliique Catholici laborent, aut indignè ferant, libertatem cum *voluntario*, vel *ſpontaneo*, hoc eſt cum libero arbitrio, unam rem, & eamdem haberi? Ac profectò ſi apud te eſſes cùm iſta meditabare, vel ipſa eorum Patrum, quos tu citas, verba tibi aurem vellere, & ad ſaniorem mentem revocare potuiſſent. Certè * Joannes Damaſcenus quale ſit ἑκούσιον, de quo loquitur, non obſcurè ſignificat cùm ait, *In noſtra eſſe poteſtate, quæ liberum eſt nobis, vel facere, vel non facere.* Quænam igitur hoc modo ἑκούσια id eſt *voluntaria* ſunt, niſi quæ libero arbitrio propriè tribuuntur? Nempe illa, * quæ, ut ſubinde pertexit, laudem aut vituperationem habent adjunctam: & * *quæ ex æquo contingere poſſunt; de quibus conſultamus. Conſilium porrò de iis eſt, quæ in utramque partem ex æquo accidunt. Denique hoc ex æquo contingens dicitur; quod tam ipſum poſſumus, quàm ejus contrarium: & cujas electionem facit intellectus noſter.*

[* Vinc. lib. 2. c. 20.] [* Lib. cont. Collat. c. 19.] [* In 1. 2. qu. 6. art. 2.] [* Vide cap. 3. & 5.] [* Lib. 1. c. 16.] [illegible] [* Ib.] [illegible] [* Ib.] [illegible]

II. QUID tibi ergo, Vincenti, venit in mentem, dum ut voluntatem neceſſitate devinctam, nihilominus liberam eſſe monſtrares, eo Damaſceni uſus es loco, quo nullus contra te afferri poterat expreſſior? Hìc Joannes ille Damaſcenus, cui pro te teſtimonium denunciaſti, illud *in noſtra eſſe poteſtate* dicit, quod non eſt *neceſſarium*, nec uno aliquo determinatum; ſed contingens, quódque tam poteſt eligi, ac fieri, quàm huic oppoſitum. Addit hoc ejuſmodi eſſe, quod mens, hoc eſt ratio noſtra delegerit, & videlicet alteri, quod & ipſum poterat, ſi vellet, optare, prætulerit. Non adeo confidens eris, ut neges, hoc verborum circuitu liberum arbitrium deſcribi, quod voluntati neceſſariæ, & quam eſſentialem libertatem eſſe fingis, opponitur. Quid te igitur hominis oportet eſſe, qui adverſum te tela ſubminiſtras, & Damaſcenum in partes invitum, ac reluctantem trahis? Adjice cetera, quæ de laudis ac vituperationis origine, & hujus generis aliis è S. Thoma ſuprà notavimus. Quæ citra controverſiam liberum arbitrium, non autem libertatem illam tuam neceſſitatis nexibus irretitam deſignant. Non minùs * Bernardi locus adverſatur tibi, qui idem eſſe *ſpontaneum* ait, *ac liberum ſui.* Quid enim *liber ſui* aliud eſt, quàm quod Joannes Damaſcenus dixit, *qui poteſt facere, vel non facere?* Sed de his, ac ſimilibus locutionibus, quarum aliquas collegiſti capite viceſimo primi tui libri, ſi capita duo poſtrema libri primi noſtri de libero arbitrio legiſſes, tacendum exiſtimaſſes tibi potiùs, quàm eorum littera ulla mentionem faceres.

[* Vinc. p. 84.]

CAPUT XVII.

1. *Vincentii falſa definitio libertatis.* 2. *nata ex inſcitia Latinæ vocis imperii.* 3. *Ejuſdem de actu reflexo voluntatis fabula.*

I. INTER varias *actus liberi* definitiones, unam commemorat Vincentius noſter, in qua perpetuum eruditionis ſuæ monumentum ſtatuit: & verò ulcus quoddam continet latè diffuſum, ac manans per totam illius de libertatis natura diſputationem: non ſecus atque

Exurit ſacer ignis, & ura torpora ſerpens,
Quamcumque arripuit partem, repitque per artus.

* Definito porrò iſta ſic ab illo informatur ex Joanne Damaſceno, ut ſit voluntas, ſive liberum arbitrium, *Potentia ſui imperatrix:* quòd Græcè eſt δύναμις αὐτεξούσιος.

[* Vinc. lib. 1. c. 19. p. 83.]

*Pag. 36. ὄν©. Sic enim * Vincentius capite nono prioris libri; poſtquam docuit; *Voluntatem eſſe imperatricem, & dominam ſui actus*, mox, *Denique colligitur*, inquit, *quare Græci voluntatem non ſimplicem δύναμιν, potentiam, ſed ἐξουσίαν poteſtatem, ſeu auctoritatem, ac etiam αὐτεξούσιον vocant: quia nempe quamdam ſupra ſeipſam, & actus ſuos veluti juriſdictionem, & imperandi poteſtatem exercet*, &c. Hanc igitur imperandi vim ſic Vincentius interpretatur, ut voluntas imperet actus, non ſolùm quos *imperatos* vocant, quóſque facultates aliæ juſſu voluntatis exercent: verùm etiam quos elicitos appellant; & ab
*Vinc. ib. voluntate ipſa manantes. * *Unde quemadmodum* (ait idem) *imperium ejus ſuper actum potentiæ progreſſivæ hominis directè cadit; ita quoque reflexè in actum ipſiuſmet voluntatis redit.* Nimirum quod S. Thomas, aliique Theologi *liberæ voluntatis* proprium operandi modum explicantes, uſurpare ſolent, ut *movere ſe* illam aſſerant, id Vincentius *imperium* quoddam, hoc eſt *juſſum*,
* Vinc. lib. 1. c. 9. p. 32. ac *mandatum* eſſe credit, * quo *actum liberum non ſolùm per modum actus eliciti, ſed etiam imperati, à voluntate emanare cogitamus; adeóque ſingulari quodam modo, ſibíque prorſus peculiari, voluntas ſe objecto ſuo per talem actum applicet; imperando ſcilicet ipſam applicationem, & utendo reflexè ſeipſa, ſicut directè utitur aliis externis inſtrumentis, quando per imperium ſuum ea applicat ad opus.*

II. Hanc falſam, tum vocabuli notionem, tum de libertate ſententiam, Vincentio perſuaſit Latinæ Græcæque proprietatis inſcitia. *Imperii*, & *imperandi* nomina, duo apud Latinos ſignificant: alterum eſt *poteſtas*, & *juriſdictio*, ſive *principatus*; alterum eſt *præceptum*, *juſſum*, ac *mandatum*; qui eſt prioris uſus, & effectus. Græci ambo illa diſtinctis vocabulis exprimunt. Nam prius vocant κράτος, vel ἡγεμονίαν & ἐξουσίαν, aut ἀρχήν. Gloſſarium vetus, *Imperium* ἡγεμονία, κράτος βασίλειον. Poſterius eſt πρόσταγμα, vel κέλευσμα. Quod ſi quis promiſcuè, & ἐναλλὰξ vocibus illis abutatur, & *mandatum*, ſive *juſſionem* appellet κράτος, ἡγεμονίαν, aut ἀρχὴν: vel è contrario κράτος & ἀρχὴν pro mandato velit ſumere; riſum nemo continebit. Atqui in hoc jocoſum Vincentius incurrit.

Qui cùm liberum arbitrium didiciſſet, à Græcis αὐτεξουσίαν, vel ἐξουσίαν, & αὐτοκρατορικὴν δύναμιν appellari, & in dictionariis ſuis legiſſet, illa eadem κράτους, & ἐξουσίας vocabula *imperium* ſignificare: quam Latinam vocem pro *juſſione* accipi meminerat: homo valdè acutus exiſtimavit, eamdem eſſe ſignificationem Græcorum nominum κράτους, & ἐξουσίας, quibus *imperii* vocem reſpondere cognorat. Quare αὐτοκράτορα & αὐτεξούσιον interpretatus eſt, imperantem ſibi, hoc eſt præcipientem jubentémque facultatem. Atqui αὐτεξούσιος dicitur voluntas, non quia ſibi præcipit, ac juſſa dat: ſed quia ſui juris ac poteſtatis eſt, ut quodcumque libitum eſt eligere, amplectíque poſſit: tum pro arbitrio, ac poteſtate facultates omnes ſibi ſubjectas quamcumque voluerit in partem movere, in eáſque dominatum, atque imperium exercere. Dicitur & αὐθαίρετος, non *quòd ſeipſam eligat*, ut ex Vincentiana grammatica conſentaneum eſſet. Sed quòd per ſe, ac ſuopte nutu, & arbitrio eligat; quæ eſt vera, & germana libertatis, ſive arbitrii liberi notio.

III. Quamobrem commentitia eſt altera illa Vincentii, tam definitio liberæ voluntatis, quàm *imperii* fabula, hoc eſt præcepti, ac juſſi, quo ſibi voluntas interiorem, & elicitum actum imperare dicitur. De quo
* §. 4. nonnulla dixi * capite ſeptimo. Illud modò conſide-
* Vinc. randum, ac ſimiliter explodendum eſt, * quòd omnem
lib. 1. c. 9. actum liberum voluntatis ita *reflexum* eſſe dicit, *ut idem*
p. 32. *ſub ratione reflexi conſideratus cogitetur dare quodammodo exiſtentiam actui directo, quem imperat.* Quæ paucorum verborum ſententia contortuplicata, & confragoſa in ſeipſam incurrit. Siquidem id quod alteri dat *exiſtentiam*, prius eo ſit oportet. At *reflexus* actus poſterior eſt *directo*: ſupra quem videlicet reflectitur. Non ergo *capit ab reflexo directus exiſtentiam*, ne cauſſa ſit effecto ſuo poſterior: quod enim exiſtentiam rei dat, ejus utique cauſſa cenſetur.

CAPUT XVIII.

1. *Ariſtotelis locus perperam intellectus, & expoſitus à Vincentio. 2. Nec non Damaſceni. Cui laus propriè conveniat.*

I. Non diſſimili ex præcipitatione profectum illud eſt, quod * capite xxi. libri primi Vincentius * Vinc.
expromit, dum probare ſatagit, non ſolam voluntatis p. 92.
electionem propriè, ac *formaliter* eſſe liberam: ſed etiam actiones ceteras; atque ipſam adeò finis appetitionem. Ad id enim Ariſtotelis verbis illis abutitur, quibus docet, *actionum ab initio ad finem nos eſſe dominos.* quod ſic interpretatur, tamquam omnes, id eſt ſingulas actiones, jam inde ab *fine*, quam vocant, *intentione*, liberas eſſe dixerit. Atqui * βούλησιν, id eſt *voluntatem*, quam * Ariſt. 3.
intentionem Scholæ nominant, circa finem propriè ver- Eth. c. 4.
ſari, in eodem libro ſcripſerat: προαίρεσιν autem id eſt *electionem*, in qua τὸ ἐφ' ἡμῖν, & *agendi*, vel *non agendi* hujus item aut illius optandi poteſtas eſt ſita; circa illa, quæ ad finem referuntur. Cui quidem more ſuo conſentaneus eſt S. Thomas, à nobis ſuprà citatus. An igitur tantillo intervallo, quæ dixerat, mutavit, ac reſcidit Ariſtoteles? Non eſt ita: & nimiùm quantum aberrat Vincentius: cujus inſignis in hac re lapſus αὐτόθεν, & ex ipſo, quem attulit, Ariſtotelis loco deprehenditur.
* Verba ſunt hujus: *Non ſimiliter*, inquit, *voluntarii ſunt* * Ariſt. 3. Eth. c. 8.
actus, atque habitus. Siquidem actuum ab initio ad finem, domini ſumus, cùm ſingula noverimus: in habitibus autem, ſolius initii ſumus domini. Hìc verò non de actionibus voluntatis omnibus loquitur Philoſophus; ſed de iis dumtaxat, quibus comparantur, ac paullatim corroborantur in nobis habitus: cujuſmodi ſunt αἱ προαιρέσεις, quæ & liberæ ſunt, id eſt ἐφ' ἡμῖν, & ἑκούσιοι, id eſt *voluntariæ*, ſive *ſpontaneæ*: ut capite antecedente ſcripſit idem Ariſtoteles. Hoc igitur intereſſe ait inter habitum, & actum virtutis aut vitii, quod actus tum inchoandi, tum deſinendi penes nos eſt poteſtas: in habitu verò, ſolum in nobis ſitum eſt initium. Nam ubi ſemel occalluit, non facilè, neque pro arbitrio noſtræ voluntatis extinguitur. Sic Euſtratius, & Andronicus nobiliſſimi Enarratores illius Ariſtotelici Operis. Unde palam eſt, quàm ab veritate, & Ariſtotelis mente avius ierit Vincentius.

οὐχ ὁμοίως δὲ αἱ πράξεις ἑκούσιοί εἰσι, καὶ αἱ ἕξεις· τῶν μὲν γὰρ πράξεων ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τοῦ τέλους κύριοί ἐσμεν, εἰδότες τὰ καθ' ἕκαστα· τῶν ἕξεων δὲ τῆς ἀρχῆς.

II. Nec minùs in Joanne Damaſceno fugit illum ratio. Quod enim αὐτεξουσίῳ, id eſt libera poteſtate appetere, velle, deliberare, ac poſtremò eligere homines ait, id de appetitione finis, qualis in hac vita exerceri ſolet, omninò intelligi debet de quo vide quæ
* ſuprà capite ſexto diximus. * §. 5.

Hinc vana Vincentii cavillatio præciditur: qui ita
diſputat: * *Niſi voluntas finis, non tantùm electio medio-* *Pag. 93.
rum, libera eſſet, amare turpem voluptatem, tamquam finem, nullum peccatum eſſet, quia talis actus liber non eſſet: nec in amore Dei, ut finis ultimi, ullum meritum foret. Quid hac argutatione frigidius? Non eſt neceſſaria, mi homo! cujuſcumque finis appetitio, ut jam docui; ſed ultimi, ejúſque perſpicuè cogniti; ut à beatis percipitur. Ceteri autem, itidem ut & ſupremus ille nondum perfectè cognitus, liberè, & ex electione captantur. At Dei amor, & appetitus in felici illo beatorum ſtatu, neque liber eſt, neque laudationem, id eſt, ἔπαινον, uti neque mercedem meretur. Sed merces ipſemet eſt anteactæ cum laude vitæ. Fruſtra autem præſtigias, ac fumos obducis ſpectatorum oculis ex ambigua *laudis* acceptione, de qua ſuprà monui.

Nemóne igitur hanc opinionem extorquere poterit, quam tu cum tuis conſectaneis imbibiſti; ut laudem mereri ob hoc ipſum putes quempiam, quod neceſſariò, neque ex libera electione facit, hoc eſt ἐκ τῆς προαιρέσεως, qua ſola laudationem, vituperationémque metitur Peripateticæ princeps ſectæ Philoſophus, & Theologiæ coryphæus Aquinas ille S. Thomas?

Quis ſanus laudandum propterea Deum cenſeat, quod ſe amet; quod ſe non eſſe nolit: quod Spiritum ſanctum producat: quod hunc & filium diligat? Hæc ad μακαρισμὸν, id eſt ad prædicationem, & *glorificationem*, ut Scriptura loquitur, non ad laudem, id eſt virtutis, ac rectè facti commendationem pertinent: ut in primo de libero arbitrio animadvertimus.

CAPUT XIX.

1. *Quæſtio ab Vincentio commota, utrum voluntas quo ſe inſtanti movet, duplex judicium propoſitum habeat.* 2. *Reſpondetur re unicum, virtute eſſe duplex: quoniam* eligibile *eſt quod offertur voluntati, adeóque utile, & contingens, non neceſſarium.* 3. *De indifferentia voluntatis: in qua fruſtra conflictatur Vincentius.*

* Lib. 1. c. 23. p. 99.

I. QUÆRIS à te * Vincenti, *an voluntatem eo inſtanti, quo ſe movet, duplici judicio intellectus accinctam, & in utrumque oppoſitum latus æquè proximè expeditam eſſe oporteat.* Hoc modo concepta quæſtio, peræquè abſurdam reſponſionem merebatur. Nec talis, auctore te, defuit. Nam ſcribis, *In partem affirmativam Pſeudoperipateticos nuper cecidiſſe, & in ea ſe magnitudine pertinaciſſimè defendere.* Verum negantem anteponere te, vel ut ultorem tui ſermonis uſurpem, *replantare* aſſeris. Et hoc ſcilicet tibi vis, non videri neceſſe, ut cùm voluntas, deliberatione habitâ, quippiam eligit, duo præ ſe judicia rationis habeat, pro eorum numero, quæ inter ſe compoſita erant, & quorum unum antepoſitum eſt alteri. Tu longam deinceps, ac moroſi faſtidii plenam orationem explicas. Contra quam breve hoc tibi, ſed robuſtum, & efficax, ex Peripateticæ ſcholæ principiis opponam.

II. OMNEM voluntatis electionem, vel reipſa, vel δυνάμει conſultatio præcedit. In ea duo ſaltem proponi & inter ſe comparari debent; quorum neutrum poteſt eſſe neceſſarium. Non enim de *neceſſariis*, & uniuſmodi deliberamus: ſed de *contingentibus*, & iis, quæ in noſtra poteſtate poſita ſunt; ut ea ſit integrum nobis vel amplecti, vel reſpuere: quod * Ariſtotelem ſecuti Nemeſius, & SS. Maximus, Damaſcenus, Thomas Aquinas, ac Philoſophi, & Theologi omnes, conſtanter aſſeverant. Itaque judicium illud rationis, quo voluntatis appetitio, & electio regitur, non aliter id, quod eligendum eſt, proponit, ac repræſentat, quàm cujuſmodi eſt, hoc eſt minime neceſſarium, & unicum; ſed utile dumtaxat, & contingens; præter quod aliud, quod cum eo comparatum eſt, optare poteſt, & illi præponere. Et, ut paucis abſolvam, electuræ voluntati, quod ad eligendum aptius judicat, non alia ratione præſcribit arbitra ratio, quàm ut eſt αἱρετὸν, hoc eſt *eligibile*. Quod autem eligibile eſt, non eſt uno definitum, ac neceſſarium: ſed utilius dumtaxat altero. Habet igitur adjunctam alterius notionem, cum quo contenditur: ac ſaltem δυνάμει, & σχετικῶς, hoc eſt virtute, & habitudine quadam, illud continet; ut reipſa ſimplex ille judicandi actus, poteſtate ſit multiplex.

* Lib. 3. Eth. c. 5. Vide Petav. To. 3. lib. 3. de Opif. c. 5. & ſuprà c. 3. & 5.

III. Ex eodem Peripateticæ, Chriſtianæque ſapientiæ fonte, τὸ ἀδιάφορον illud oritur, quam *indifferentiam* Latinæ ſcholæ nuncupant: de qua fruſtrà vitilitigare ſolent, καινῷ ᾗ περιεργίᾳ κόμματι Theologi, & incaſſum vexare quod vel non capiunt, vel ſe capere diſſimulant. Ea nihil aliud eſt, quàm utriuſvis ex conſultatione cogniti, & aſciti libera deligendi poteſtas. Sic enim eligit, ut poſſet non eligere, quoniam principium actionis in eligente ſitum eſt voluntate. * *Ubi autem principium in hujus poteſtate poſitum eſt, poteſt agere, vel non agere*, ait Ariſtoteles. Non igitur neceſſaria in alterutram partem propenſione fertur: ac proinde, velint nolint Armacani, ſemet ipſa voluntas movet, ac determinat: hoc autem ideò facit, quia talis eſt: *ut poſſit unum recipere, alio recuſato*, ut ait * S. Thomas: vel * *quòd in diverſa poſſit*, ut alibi loquitur: vel poſtremò * *quòd indeterminata ſit quantum ad ea, quæ ſunt ad finem.* Atqui hæc omnia genera locutionis, nihil aliud præterquam τὸ ἀδιάφορον, & *indifferens* exprimunt. Hoc enim indifferens eſt, *quod non eſt determinatum*, & in *diverſa* ſuo ſe nutu, & arbitrio poteſt flectere.

* Ariſt. 3. Eth. c. 1. ὧν δ' ἐν αὐτῷ ἡ ἀρχὴ, ἐπ' αὐτῷ, καὶ τὸ πράττειν, καὶ μή.
* In 1. Par. qu. 83. ar. 3.
* Quæſt. 16. de malo, art. 5.
* Id. qu. 22. de Verit. Art. 6.

CAPUT XX.

1. *De locis Scripturæ, quibus liberi arbitrii deſcriptio continetur.* 2. *Vincentii ſtropha in eo loco, qui eſt Geneſ. quarto.* 3. *Nec non in altero, Eccleſiaſtici decimo-quinto.* 4. *Cujus falſa interpretatio refellitur, quæ teſtimonium illud, & alia ſimilia refert ad ſtatum innocentiæ.* 5. *Quod ex ipſa orationis ſerie redarguitur.* 6. *Tum ex Veterum conſenſu.*

I. STATUS ille voluntatis liberæ, ſeſe moventis, & quod placitum eſt eligentis, quem *indifferentem* vocari diximus, in pleriſque Scripturæ locis graphicè deſcribitur: ut jampridem contra liberi arbitrii oppugnatores hæreticos, & eorum aſſectatores Armacanos, notarunt Catholici; & nos * adeo poſt illos in primo libro de arbitrio libero. Horum locorum nonnullos vellicat ac detorquet * Vincentius: & quem in finem producti illi ſint, callidè diſſimulans, aliorſum trahit. Certè nihil ex iſtis conficere aliud volui, niſi quod ibi, ubi illis uſus ſum, nominatim propoſui; *liberam ad utrumvis poteſtatem eſſe liberi arbitrii, cujuſmodi in Adamo adhuc innocente fuit:* quod de natura, & eſſentia ipſa liberi arbitrii dictum eſſe, quæ ibidem adtexui, non obſcurè ſignificant. Atque hoc ipſum eſt, quod in * Tridentina Synodo decretum eſt, *Liberum arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, extinctúmque non eſſe.* Ceterum non eâdem facilitate niti ad bona & honeſta voluntatem hominis poſt lapſum, etiam opitulante Chriſti gratia, quam innocens experiebatur Adamus, ſcivit Petavius; nec Vincentio monitore opus habuit.

* Lib. 1. de lib. arbit. c. 2.
* Vinc. lib. 2. c. 6. pag. 266.
* Seſſ. 6. can. 5.

II. ITAQUE locus ille * Geneſeos, quem arrodis; ubi Caino Dominus dicit: *ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*, hoc unum declarat; *In poteſtate eſſe noſtra concupiſcentiam, non tantùm in ſanctis; ſed etiam in perditis hominibus, & Dei gratia derelictis*, juſtificante nimirum gratia, ſive ſanctitate, qualis erat Cainus. *Quod ut non ſine divinæ auxilio gratiæ poterat, ſic indidem adjuta naturali ſua facultate poterat.* Ita Petavius, quæ quia negare palam non audes verè, & Catholicè eſſe dicta, ad uſitatas artes converteris. Sic enim Veterum illorum mentem interpretaris, tamquam illud, quod cum gratiæ adjutorio potuiſſe Cainum aſſerit, *ſemper eum potuiſſe*, hoc eſt horis, ac momentis omnibus *Dei auxilium ad domandam concupiſcentiam ſufficiens, & præſens ſemper habuiſſe* dixerim. Atqui plurimùm intereſt inter hæc duo; potuiſſe Cainum concupiſcentiam frenare, eique reſiſtere, divina opitulante gratia: &, jugem, ac continuam momentis omnibus præſtò illi gratiam affuiſſe. Horum prius cum ſanis, & ab Armacana fæce vacuis Catholicis, docui, præeunte Tridentina ſynodo: de poſteriore tacui, quòd nec ad rem pertineret; & alterius eam quæſtionem ſcirem eſſe loci, atque temporis. Tu verò præter modum effuſus, in re minimè neceſſaria, multùm verborum, ac nugarum ampliùs expendiſti.

* Gen. 4. 6.

III. SIC in altero eludendo Scripturæ teſtimonio, quod jugulum petit Calvinianæ hæreſis, ludificari inſtituiſti. Scribit Auctor * Eccleſiaſtici, *Deum ab initio conſtituiſſe hominem, & reliquiſſe illum in manu conſilii ſui. Adjecit*, inquit, *præcepta & mandata*, &c. *Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.* Nemo hactenus Catholicorum exſtitit, qui de libero hominis arbitrio contra Lutheranos, & Calviniſtas diſputans, non illum Eccleſiaſtici locum uſurpaverit; eóque probare ſe confiſus ſit; non periiſſe poſt Adami peccatum, liberum hominis arbitrium: ſed in eo quamlibet imbecillum, attenuatúmque manere: tum quoniam ſine gratiæ adjutorio, Dei ſervare præcepta non poteſt; præſto illi eſſe divinam opem; cui *conſentire, vel diſſentire, ſi velit*, pro arbitrio poſſit, ut Tridentini Patres totidem verbis explicant. At * Vincentius tam gravi, ac diſerto teſtimonio contradicere non auſus, in eâdem delitеſcere verſutia conatus eſt. Rem enim tranſtulit ad ſtatus utriuſque diſſimilitudinem, innocentiæ, ac peccati: tum ad perpetuitatem aſſiſtentis horis omnibus, ac momentis gratiæ: quæ eſt aliena, nec ad rem faciens quæſtio. Siquidem unum illud in præſentiarum agitur, an, quocumque tandem tempore voluntatem excitat divinæ allapſus gratiæ, in poteſtate ſit illius, auſcultare aut reſiſtere; hoc eſt eligere id, ad quod hortatrix eam invitat gratia, aut reſpuere: quod eſt indifferentem eſſe; & poſitis omnibus ad conſenſum eliciendum neceſſariis, eligere, aut non eligere; agere denique, aut non agere poſſe. Hæc eſt liberæ voluntatis, arbitriíque liberi vera, ſolida, Catholica ratio & eſſentia, ab Ariſtotele, Peripateticíſque omnibus, & à Theologis, præeunte S. Thoma, tradita: tam ex iiſdem humanæ naturæ, ac rationis hauſta fontibus:

* Eccleſ. 15. 14.
* Ib. Sect. 2. p. 268.

tibus: atque ex Dei Verbo; nec non ex Conciliorum & Græcorum, Latinorúmque Patrum crebris & diſertis ſententiis expreſſa: uti latè demonſtravimus in tribus de arbitrio libero voluminibus. Huic noſtri temporis ſoli obſtrepunt hæretici, reconditioris, ut olim Gnoſtici, & ignotæ antea doctrinæ famam, & gloriolam aucupantes; cùm ſint omnium vaniſſimi mortales, & inſulſiſſimi: quibus vena nulla ſalit antiquæ, & exquiſitæ ſapientiæ: ſed totum error, ac dulcedo novitatis occupavit. Ab quorum decretis, & damnatis erroribus, par eſt procul abeſſe te, Romanæ, & Catholicæ communionis hominem.

IV. QUID te autem obſecro, Vincenti, tantopere Eccleſiaſtici locus ille conturbat? Quis autem ab non fatuo, ſuíque compote alius inde ſenſus exſculpi poteſt, niſi iſte; hominibus quamdiu in hac vita degunt, integrum eſſe, utrum voluerint optare, ac perſequi, bonum, aut malum, vitam, aut mortem: ut ad quod libitum erit manum porrigant, hoc eſt eligant pro nutu voluntatis, & arbitrio.

Hoc adeò comprehendi, ſignificarique verbis illis, Lutherani & Calviniſtæ in oppugnando libero arbitrio perſuaſum habent; ut propterea putent ad præſentis ſtatus homines locum illum minimè pertinere; ſed ad innocentem adhuc Adamum; quo tempore libero præditus erat arbitrio; quod ſibi, peccando, ſuíſque poſteris amiſit. Horum tu, Vincenti, veſtigiis inſiſtens, poſt longam agitationem, in ea demum interpretatione conquieſcis: nec quàm minimè cohæreat vides. Sanè de homine primo loquitur ibi Sapiens, ejúſque arbitrio libero: ſed non de ſolo illo, ſolóve, in quo conditus eſt, incolumi, & innocenti ſtatu. Nam de naturali facultate liberæ voluntatis agit; cui pro arbitrio verſare ſe utramvis in partem licet: quæ quidem homini primo, quaſi ſtirpi & parenti omnium, divinitus inſita, ab eo, & per eum propagata tranſivit in poſteros; nec ullo ſcelere, vel calamitate opprimi, oblitterarique potuit: tametſi ſic ejus attenuata, & infracta vis eſt, ut ad bonum capeſſendum copioſioribus gratiæ præſidiis, ac fulturis egeat.

V. HUJUSMODI porrò loci iſtius eſſe ſenſum, ut generatim de *eſſentiali*, & manente quolibet in vitæ ſtatu libertate hominis intelligi debeat, primum, & quidem invictum habet argumentum cauſſa ipſa ſermonis, ac ſeries. Studet ibi Sapiens à peccato committendo deterrere homines; & ſi quid mali fecerint, admonet, ut ne cauſſam illius & invidiam in alium transferant, ſed ſibi imputent ipſi; utpote quos ad peccandum nulla res alia præter ipſorum voluntatem compulerit. Non enim culpam in Deum rejicere poſſunt; nec is auctor, & ſuaſor poteſt eſſe peccati: quippe qui impios nec amat, nec iis opus habet: & hominibus poteſtatem dedit quamcumque in partem flectendæ voluntatis; & verò cavendi delicti, amplectendæque virtutis. Cùm igitur loci illius hæc ſententia ſit; quid abſurdius, quàm ad vitandum peccatum incitare homines eo velle, quòd primus illorum parens liberam ejus poteſtatem antequam peccaret habuit, ſi eam peccando tam ſibi, quàm poſteris amiſit? Nam ſi rectè ratiocinatio iſta procedit, poterat eâdem ad hoc uti, ut homines ad omnes corporis, animíque moleſtias, famem, ſitim, ægritudinem, ac mortem ipſam denique propulſandam hortaretur: tum ad priſtina illa, quibus innocens vallatus erat Adamus, capienda, fruendáque commoda: quòd id olim in poteſtate primus ille parens habuerit. Quòd ſi dementis eſt argumentari ſic, vide an non contumelioſi in Deum ſint, qui illius verbo parem, & camdem ratiocinationem, ac ſententiam ſubjiciunt, dum illis interpretantibus, Eccleſiaſtici auctor ad illum liberæ voluntatis uſum excitat Adami poſteros, quem ſolus ante peccatum Adamus exercere potuit; illi ipſi, quos alloquitur, parentis ſui culpa poſſe deſierunt.

VI. AC vel cetera ejuſdem loci, quæ pertexit Sapiens, vos erroris admonere poterant. Nam ſubinde ſic ſcribit: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſſione.* Quibus verbis, & ſequentibus hîc omiſſis, cauſam affert, cur pro eo ac vivendo, & utendo arbitrio ſuo mortales egerint, merita mercede compenſandi ſint, bona videlicet aut mala; nimirum quòd ſub ſapienti, ac forti, & nihil ignorante judice Deo, nullum impune malum, nullum ſine præmio bonum præterire poſſit. Quæ ratio pervicaciæ ipſi frenos injicit, ut ad illum pertinere ſtatum ſapientis iſta præcepta, & monita fateatur; qui cum homine primo communis ſit poſteris ejus omnibus, quos ſolos ad honeſtam vitam illis inſtrui, incitaríque nemo dubitat.

Hùc accedit, quod poſtrema illa verba Sapiens ex Moſe deſcripſit: qui cùm legem Iſraëlitis edidiſſet, ad eam obſervandam iiſdem, quibus Eccleſiaſtici locus ille, rationibus, & hortamentis utitur: * *Juxta te*, inquit, *eſt ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud.* [* Deut. 30. 14.] Quibus obſervandæ legis poteſtatem penes illos, & in ipſorum poteſtate libera eſſe demonſtrat; Dei adjuta gratia; quæ in iſtis intelligenda ſemper eſt, etſi nulla ſæpè fiat ejus expreſſa mentio. Pergit deinde Moſes: *Conſidera*, inquit, *quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum*, &c. Apparet hæc poſtrema Moſis penè ab Eccleſiaſtici auctore deſcripta eſſe verbatim; adeoque non ad ſolum innocentis Adami ſtatum referri debere: de quo nihil Moſes ibi cogitabat: ſed ad univerſum pertinere genus hominum, quos ad laudabilem uſum ingenitæ ſibi facultatis ſuo uterque tempore ſtudebat impellere.

VII. POSTREMÒ ut vel impudentiæ ipſius ora præcludam, teſtes advocabo Græcos, Latinóſque Patres; qui utroque illo Moſis, & Jeſu Siracidæ teſtimonio probare conati ſunt; liberum in Adami poſteris eſſe voluntatis arbitrium. quod profectò ridiculè facerent, ſi ad ſolum innocentiæ ſtatum, ut Vincentius, Armacaníque ceteri cum hæreticis interpretantur, amborum effata ſpectarent.

Horum teſtium primus ſit Auguſtinus, quo ex uno pendere ſe, tam falſò, quàm inſolenter jactitant. Ille igitur in libro de gratia, & libero arbitrio, capite ſecundo, probare volens, non, fuiſſe in Adamo antequam peccaret; ſed, eſſe hodiéque liberum in hominibus arbitrium, cùm alia complura Scripturæ teſtimonia profert; tum illud, de quo agimus, Eccleſiaſtici, adverſus eos, inquit, *qui de ipſo Deo ſe excuſare volunt.* Ac poſtquam verba ipſa deſcripſit, *Ecce apertiſſimè videmus*, inquit, *expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Eſt autem illud animadvertendum, Auguſtinum ex profeſſo librum illum ſcripſiſſe, ut erroris genus duplex refelleret: quòd nonnulli *ſic gratiam Dei defendebant, ut negarent liberum hominis arbitrium: aut quando gratia defendebatur, negari exiſtimabant liberum arbitrium:* Idcirco ſtatim initio libri multis Scripturæ teſtimoniis oſtendit eſſe in homine liberum arbitrium: deinde ejuſdem auctoritate Scripturæ, gratiam ad benè agendum ſuppeditari divinitus, eámque neceſſariam eſſe demonſtrat. Quamobrem ut cùm de gratia loquitur, & ejus neceſſitatem approbat, non aliam intelligit, quàm quæ præſenti convenit humanæ naturæ ſtatui: ſic liberum in homine probans ineſſe voluntatis arbitrium, non ad alium, quàm præſentem ejuſdem naturæ ſtatum reſpexit: alioqui ſtulta tanti viri, & inepta eſſet altercatio.

VIII. * JUSTINUS Martyr in Apologetico ſecundo, [* Juſt. p. 63.] poſtquam multa de voluntatis humanæ libertate diſſeruit, quam προαίρεσιν ἐλευθέραν, id eſt *liberam electionem*, vel *facultatem homini conceſſam ad turpia vitanda, & honeſta deligenda* definit; hanc ipſam indifferentem poteſtatem iiſdem, quibus uſus eſt Petavius, aliique Catholici, Scripturæ verbis adſtruit; maximè illo loco Deuteronomii, ex quo ſumptum Eccleſiaſtici celebrem alterum paullò antè diximus: *Ecce in conſpectu tuo bonum, & malum. Elige bonum.* Sic * Origenes in [* Tom. 2. p. 302. E.] Epiſtolam ad Romanos, ambo illa teſtimonia in unam commiſta ſententiam, ad oſtendendam liberam in utrumque propenſionem voluntatis affert. *Ecce poſui ante faciem tuam vitam & mortem, & ignem, & aquam.* * Serapion [* To. 2. Auct. Bibl. 859.] quoque Thmuitanus in libro contra Manichæos, quem *egregium* vocat Hieronymus, eumdem locum citat. *Ecce poſui coram te vitam, & mortem: elige quod vis.* Tum Chryſoſtomus in * homilia xciv. tomi ſexti. [* P. 867.] Tertullianus etiam libro ſecundo contra Marcionem, capite quinto, liberi vim arbitrii in utrumque minimè determinatam probat ex eo, quòd Veteris auctor Teſtamenti legem Iſraëlitis edidit, ac deinde *proponere ſe* dixerit *ante hominem bonum, & malum, vitam & mortem.*

* Ennodius præterea Ticinenſis, eumdem illum, in [* Lib. 2. ep. 19.] quo hodie verſatur Armacanorum natio, errorem exagitans,

gitans, qui liberum arbitrium in una tantùm parte, quæ deterior eſt, valere ſtatuit, Scripturæ illud opponit: *Ecce aquam, & ignem, ad quod vis, porrige manum:* ex eóque demonſtrat, etiam in eo ſtatu, qui peccatum Adami conſecutus eſt, eamdem reperiri liberi arbitrii poteſtatem.

Sed in infinitum abibit hæc noſtra diſputatio, ſi percenſere ſingulos velim, qui ut liberi arbitrii, cujuſmodi in Adami poſteris exiſtit, vim & proprietatem deſcriberent, illo Eccleſiaſtici loco, & ſimilibus uſi ſunt, quos Catholici Scriptores annis abhinc centum & triginta contra Lutherum, & Calvinum, * ceteróſque liberi everſores arbitrii adhibere cœperunt: ut Joannes Cochleus, * Joannes Eckius, ac fermè omnes ceteri.

* Lib. 1. de lib. arb. Teſt. 1.
* In Enchir. c. 31.

CAPUT XXI.

1. *Colligitur ex ſuperiori diſputatione, eſſentialem libertatem poſitam eſſe in indifferentia, ſive poteſtate utriuſque.* 2. *Quod ex variis illius deſcriptionibus, & vocabulis, quibus Patres liberum arbitrium exprimunt, oſtenditur.* 3. *Tum ex Scriptura.*

I. LIBERÆ hominum voluntatis, ſive liberi arbitrii notio, ut hactenus demonſtratum eſt, in eo conſiſtit, ut ex pluribus ſibi ad eligendum objectis, ac propoſitis, unum ſuopte nutu, & arbitrio capeſſere homo poſſit, rejectis aliis: quam *electionem* nominant: Græci προαίρεσιν. Hanc libertatis definitionem negat * Vincentius *eſſentialem* eſſe; ſed *accidentalem* vocat, eam videlicet, quæ biſariam dividitur in libertatem *contradictionis*, & *contrarietatis*: & hac ſophiſtica diſtinctione eludi abs ſeſe putat omnia Scripturæ, ac Patrum teſtimonia, quæ libertatem hominis in eo conſtituunt, ut facere, aut non facere; hoc eſt eligere vel non eligere poſſit, pro eo ac libitum fuerit.

* Lib. 1. c. 22. & ſeq.
* Lib. 1. c. 21.

Atqui ridiculum eſt, tot illos Patres, quos in libro quarto Tomi primi, & in tribus de libero arbitrio libris enumeravi, quorúmque ſententias de naturalis illius facultatis proprietate, uſu, & officio, tam diſertas, expreſſáſque retuli, adeo ſui oblitos, & quid agerent, quáve de re diſputarent, ignaros, aut immemores exſtitiſſe, ut eo conſtanter omiſſo, in quo libertatis humanæ eſſentia poſita eſt, ſolam ejus accidentem, minimèque neceſſariam affectionem perſequi maluerint. Sed utcumque ſeſe res habet; certè cùm de libera voluntate inter nos agimus; in illa, inquam, Catholicæ partis cum Lutheranis, Calviniſtis, & Armacanis, contentione ac rixa de hominis libertate, nullam aliam intelligimus, quàm illam ipſam, quæ *liberum arbitrium* propriè dicitur; quæ auctore S. Thoma, & antiquis omnibus ſuffragantibus, ipſóque adeo confitente Vincentio, ejuſmodi eſt, qualem tot illa, quæ dixi, Patrum teſtimonia declarant.

* In 2. Strom. pag. 265.
* Cap. 40.
* Nemeſ. c. 29. πρᾶξίς ἐστιν ἐνέργεια λογική.
* Athan. Orat. 4. p. 100.
* Baſil. lib. de Spir. c. 16.

II. HÆC eſt naturalis illa vis voluntatis ac poteſtas, quam *electivam* S. Thomas appellat, ut * Vincentius agnoſcit. Hanc Græci omnes προαίρεσιν vocant. Quam * Clemens Alexandrinus πράξεων ἀρχὴν vocat, hoc eſt, *principium actionum*, quæ πράξεις propriè vocantur; quemadmodum &. * Nemeſius. * qui πρᾶξιν eſſe dicit *rationalem operationem.* Ita principium earum actionum, quæ *humanæ* nuncupantur, hoc eſt liberæ, eſt προαίρεσις ſive voluntas, quatenus *vis electiva* dicitur. Hanc ita definiunt, & ea circumſcriptione verborum deſignant, ac delineant ſancti Patres, quæ *electionem* in utrovis de duobus aſciſcendo, vel reſpuendo liberam, & indifferentem ſignificant: cujuſmodi vocabula hæc indicant crebrò ab illis uſurpata, αὐτεξούσιος, αὐτοκράτωρ, αὐτόνομος, αὐτοπάνητος, αὐθαίρετος, & alia pleraque: quæ à nobis in unum collecta, explicatáque leges capite XIII libri primi de libero arbitrio. Illam præterea dicunt * *ſuis in utramque partem librari momentis.* Vel * *pari in virtutem, aut vitium libratione pendere;* ut Baſilius loquitur: ſive, * ut idem alio loco ſcribit, *naturam hominis ſui juris ac liberam eſſe, quòd in utramvis partem propendere poſſit ad eligendum bonum, vel malum.* Tum * Cyrillus Alexandrinus ait, *propriis momentis, & ſuopte nutu in utrumvis tendere liberam, & neceſſitatis expertem; ut juſtè laudem ex rectè factis, & ex contrariis pœnas recipiat.* * Item προαίρεσιν id eſt, *vim electivam, & libertatem in utramque partem poteſtatem* dicunt *ſuam*, ut

* Baſil. 3. cont. Eun. p. 81.
* Cyr. lib. 2. in Joan. p. 155.
* Vide lib. 5. c. 3. Tom. 1. Dogmat. Theol. Petav. § 5.
* Baſil. Seleuc. Orat. 1. de Ad.

Baſilius Seleucienſis. Complures verò in eo conſiſtere naturalem iſtam poteſtatem aſſerunt, * ut *bonum facere, vel non facere poſſit:* vel * *alterutrum eligere.*

III. QUID quod Deus ipſemet liberum hominis arbitrium compellans, & ejus propriam vim, naturámque deſignans eo ipſo, quod utrumque proponere ſe illi dicit, bonum & malum, vitam & mortem: ſtatim peculiarem illius, quâ ejuſmodi eſt, hoc eſt libera, functionem exprimit, ita ſubjiciens, * *Elige ergo vitam* Eſt ergo voluntatis electio, fructus & efficientia illius propria. quatenus libera eſt poteſtas. At electio circa ea verſatur, quæ contingentia ſunt, & non neceſſaria, nec uno definita: eáque ex conſultatione ſequitur; quæ neceſſitati naturalis propenſionis opponitur: ut ex S. Thoma, Græciſque Patribus ſuprà notavimus. Quapropter libertatis vera, & unica ratio, conditióque indifferente illa poteſtate ad utrumvis amplectendum, & eligendum metienda videtur: qualem humanæ, & divinæ ſapientiæ conſulti tam crebris, & manifeſtis ſententiis expreſſam tradiderunt; non quam ex paucis, iíſque dimidiatis, & multis eorum dictis, aut furtim inſidioſéque ſublectis, vel prava, & violenta interpretatione detortis, utcumque corradere potuerunt Calvinus, & Lutherus; qui communem cum fide ac candore ſenſum exuerunt.

* Æneas G. z. p. 387. Vide Peta. lib. 1. de lib. arb. c. 23.
* Marcus Erem. lib. de Juſtif. § 56.
* Deut. 30. 19.

Denique *liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali, media vis eſt* (hoc eſt indifferens,) *quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt:* ait Auguſtinus capite XXXII libri de ſpiritu, & littera.

CAPUT XXII.

1. *Expenditur Auguſtini locus ex libro de Correptione, & gratia ab Armacanis objici ſolitus, in quo de auxilio ſine quo non, & quo agimus, diſſerit.* 2. *De ſola perſeverantiæ gratia ibi Auguſtinum loqui.* 3. *Qualis ea fuerit Adamo conceſſa.* 4. *Cujuſmodi ſit ea, quæ per Chriſtum conceditur.*

I. ADVERSUS illa, quæ de liberi arbitrii natura, ex communi, & Catholica ſententia hucuſque diſputavi, multiplex eſt querela Lenis. * Sed hæc palmaris; quòd ſi ejuſmodi liberæ voluntatis actio eſſe debet, ut omnibus ad eligendum neceſſariis adminiculis poſitis, elici, aut non elici poſſit, gratia Chriſti in ſola *poſſibilitate* conſtituta ſit: ac tantum poſſe velle tribuat, non autem *acta*, & reipſa velle. Ex quo *famoſum illud S. Auguſtini libro de Correptione, & gratia, cap.* 10. 11. 12. *& toties alibi firmatum inter gratiam ſtantis, & lapſi hominis diſcrimen confundit.* Hoc enim inter utramque gratiam intereſſe ex Auguſtino putant Armacani, quod Adamo data divinitus gratia hoc tantummodò concedebat, ut poſſet velle rectè agere, ac Dei ſervare præceptum; non autem, ut reipſa vellet, & quod juſſus erat faceret. Chriſti autem gratia, non ſolùm tribuit ut poſſit homo, ſed etiam ut velit, ac reipſa faciat. Ideo priorem gratiam appellari dicunt ab Auguſtino, *auxilium ſine quo non fit;* vel *gratiam poſſibilitatis;* poſteriorem verò, *adjutorium quo fit, ut non tantùm poſſimus velle, ſed etiam ut reipſa velimus.*

* Vinc. lib. 1. c. 24. p. 116.

Hic ille eſt locus, in quo valdè ſe jactat Armacanorum natio, quémque omnibus in colloquiis, & in publicis, privatiſque ſermonibus, in circulis, in conviviis, in concionibus, apud doctos, & indoctos, ubicumque ſe occaſio dederit, uſurpare ſolent. Itaque mirandum fuiſſet, ſi hanc cantilenam theriacæ ſcriptor prætermitteret.

II. EGO verò adverſus illa, quæ de gratiâ ejúſque cum arbitrio libero conſenſu, nimium liberè Libertus Frodomondus ingeſſit non multis agam; neque factum illius imitabor, qui talia mandare libris eſt auſus contra Apoſtolicæ ſedis interdictum, quo nominatim notatus, & ambuſtus, pretium nuper abſtulit intempeſtivæ, & immodicæ libertatis. Hac ergo prætermiſſa controverſia, & ad arbitrium dilata Romani Pontificis, ut de Auguſtini loco iſto, & utroque gratiæ genere, quoad licet, diſputem; hoc imprimis aſſevero, nihil in illo loco vidiſſe, nec auctorem dogmatis, & *Patronum* Armacanum, nec hujus *libertum* Vincentium.

Auguſtinum docere illic aſſerunt quid univerſè gratia

tia Chriſti parta meritis, ab ea diſtet, quæ Adamo antequam peccaret, indulta eſt. Hoc ego contendo eſſe falſiſſimum. Non enim de quacumque Chriſti gratia ibi agit Auguſtinus: ſed de ſola perſeverantia, ſive perſeverante gratia: quod ex tota illa diſputatione facilè conſtat. Nam capite decimo, quo illam utriuſque gratiæ comparationem auſpicatur, ita quæſtionis ſtatum expoſuit: *Hinc exoritur alia quæſtio, non ſanè contemnenda; ſed in adjutorio Domini, in cujus manu ſunt & nos, & ſermones noſtri, aggredienda, atque ſolvenda. Quæritur enim à nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeverare uſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus, qui certè ſine ullo vitio factus eſt rectus.* Itaque quæſtionem proponit hujuſmodi decimo in illo capite, utrum Adamus *gratiam perſeverantem*, ſive *perſeverantiæ donum* acceperit. Cui reſpondet ſic in eodem capite; nec eam primitùs Adamum, neque Angelos accepiſſe; ſed eam illorum libero arbitrio Deum voluiſſe permittere; ut *in eorum vita priùs oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Quare hominem initio condidit *in ſtatu recto, ac ſine vitio:* in quo *ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, acciperet merito hujuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem.* Igitur perſeverantiæ donum non à Deo ſuſceperunt Angeli: ſed per liberum ſuum arbitrium, quam acceperant à Deo gratiam, perſeverantem fecerunt, quicumque ex illis in officio permanſerunt. Adamus verò neque donum illud accepit, neque perſeverare in accepta gratia voluit.

III. Ex capite xi, *Iſtam*, inquit, *gratiam non habuit homo primus, qua numquam vellet eſſe malus* (quod perſeverantiæ donum eſt) *ſed ſanè habuit, in qua ſi permanere vellet, numquam malus eſſet*, &c. *Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet.* Ac ſubinde luculentiùs perſeverandi gratiam, qualis Adamo, & Angelis eſt data, ſic exponit: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem: in ea quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere ſi vellet: ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet; quia non deerat adjutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet: ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.*

Tum in fine capitis perſpicuè indicat gratiam perſeverandi primo conceſſam homini, fuiſſe gratiam, cujus ope poterat non peccare, ſi tamen hoc vellet. Cùm enim dixiſſet. *Prima ergo libertas voluntatis erat poſſe non peccare: noviſſima erit multò major, non poſſe peccare:* mox de utraque ſcribit ſic. *Prima erat perſeverantiæ poteſtas, bonum poſſe non deſerere: noviſſima erit felicitas perſeverantiæ, bonum non poſſe deſerere.* Quod & capite duodecimo diligentiùs inculcat, & cauſſam etiam explicat, cur perſeverantia in illo ſtatu innocentiæ, libero hominis arbitrio permiſſa ſit. *Ut ergo non acciperet*, inquit, *hoc donum Dei, id eſt, in bono perſeverantiam primus homo: ſed perſeverare, vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati, perſeverandi committeretur arbitrium.* Quoniam igitur *fortis & ſana voluntas erat primi hominis*, ut eodem capite poſtea dicit: ideo ejus arbitrio permiſſa eſt perſeverandi poteſtas.

IV. At verò poſt Adami lapſum, perſeverantia, quæ merces antè futura erat, facta eſt donum gratiæ. *Nunc autem per peccatum perdito bono*, (ait capite xi) *meritò in his qui liberantur* (hoc eſt prædeſtinatis) *factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Et in libro de dono perſeverantiæ, capite vii. *Non eſt hac omninò*, inquit, *in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt, fuerat in homine, antequam caderet*, &c. *Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.* Quare potentior hominibus per Chriſtum data gratia eſt, qua fieret, ut non ſolùm perſeverare poſſent, ſi libero arbitrio vellent; ſed ut perſeverare vellent: *Proinde etſi non interim lætiore nunc*, ait * Auguſtinus, *verumtamen potentiore gratia indigent iſti.* Itaque * *tanto ampliùs datur adjutorium per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verumetiam tantum, ac tale ſit ut velimus. Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus; verumetiam velle quod poſſumus.* Nam primus homo *acceperat poſſe* perſeverare, *ſi vellet: ſed non habuit velle quod poſſet: nam ſi habuiſſet, perſeveraſſet.* * Aug. de Correp. c. 11. * Ibid.

Et in capite duodecimo, manifeſtiùs utriuſque gratiæ diſcrimen exponit his verbis: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur; ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verumetiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* Mox illius adjutorii, quod Chriſti donatur meritis, vim & efficaciam declarat, multò priore illo, quod Adamo tributum eſt, valentiorem: quia * *poſtquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis* * Aug. ibid. *adjuvanda remanſit infirmitas*, &c. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur*, &c. *Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.*

V. Ex iis omnibus Auguſtini ſententiis, quas hoc loco neceſſariò deſcripſimus, illud apertè conſtat, quod demonſtrandum ſuſcepimus; non illic agere ſanctiſſimum Doctorem de qualicumque Chriſti gratia, quæ vel reprobis, vel etiam prædeſtinatis tribuitur: ſed de ea dumtaxat, quæ Prædeſtinatorum propria eſt, & primaria, nempe perſeverantia, ſive *adjutorio perſeverantiæ*. De quo dubitare, vel rixari poterunt ii ſoli, qui aut Auguſtinum numquam, niſi fortè in Armacanorum ſcriptis legerint: aut minùs ab ea facultate parati ſint, qua quæ legunt, intelligant, ac diſcernant. Etenim in illis tribus capitibus, quæ Vincentius deſignat, x. xi. & xii. cùm de adjutorio illo loquitur, ubique *permanendi*; ac *perſeverandi*, & ſimilia vocabula conjungit, quibus in ſuſcepta gratia fortem & invictam ad uſque finem conſtantiam ſignificat. Ut cùm in undecimo capite ſic ſcribit: *Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo non ſolùm poſſe quod volumus, verumetiam velle quod poſſumus.* Et inſigniter capitis initio duodecimi, *adjutoria* diſtinguens duo, *unum ſine quo aliquid non fit*, quale datum Adamo eſt ad perſeverandum: alterum *non ſolùm ſine quo non fit, verumetiam quo fit propter quod datur*, cujuſmodi eſt, quod per Chriſtum obtinetur; prioris exemplum ex alimentis repetit. Nam *ſine alimentis non poſſumus vivere*, inquit, *nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit ut vivamus.* Poſterioris autem exemplum ducit *ex beatitudine, qua cùm data fuerit homini, continuò fit beatus:* quod genus cauſſæ *formale* dicitur, cùm applicatione rei denominantis, ſubjectum tale denominatur. Hujuſmodi eſſe *donum perſeverantiæ* per Chriſtum conceſſum adſtruit, quo *perſeverantia ipſa donatur.* Verba ipſa * proximè antè deſcripſimus: * §. 4. quæ ſunt, Primo itaque homini, &c. ex quibus certiſſimè conſtat, *adjutorium illud quo*, non aliud eſſe gratiæ genus, quàm perſeverantis, & electorum propriæ, quod & cetera capitis iſtius oſtendunt: tum quod, abſoluta illa diſputatione de adjutoriis, in decimotertio capite poſuit, quod ſic exorſus eſt: *Hæc de iis loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei.* ac deinceps de Prædeſtinatis reliqua pertexit.

CAPUT XXIII.

1. Pergitur in illuſtrando loco illo S. Auguſtini. 2. Non pertinere ad quamcumque Chriſti gratiam. 3. Qui differat Chriſti gratia ab ea, quæ data eſt Adamo: ac primùm exponitur cujuſmodi hæc fuerit: tum qualis Chriſti meritis parta.

I. NEMINEM equidem paullulùm intelligentem arbitror fore, quin, ſi attentè illa conſiderare velit, quæ ſunt antecedenti ſcripta capite, conſequens ex iis mecum eſſe ſentiat, ad ſolum perſeverandi adjutorium Auguſtini verba illa ſpectare. Ut cùm duo illic inter ſe comparentur auxilia gratiæ; alterum, quod eſt parenti primo datum, jure appelletur id, ſine quo perſeverare nullo modo poſſet, (* *Si enim hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, quamprimùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent.* Adjutorium quippe *defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*) Alterum autem tale eſſe ſtatuatur, nonmodò ſine quo perſeverari nequeat; verumetiam quo fit, ut omninò perſeveretur. Perſeverantiæ quippe donum, quia ſolis ad vitam æternam prædeſtinatis convenit, ejuſmodi eſſe conſtat, ut quibuſcumque datur, ii non modò poſſint perſeverare, ſi velint: ſed etiam quod poſſunt, *actu*, & reipſa velint: non ullâ voluntati adhibitâ neceſſitate, ſed certa, & *infallibili*, ut Scholaſtici loquuntur, efficacitate ac potentia gratiæ, qua * *indeclinabiliter*, & *inſuperabiliter aguntur* (ut ſcribit Auguſtinus) Quod ab eo fit, * *qui*, quod idem aſſerit, *ſine dubio habet humanorum cordium quò placuerit, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* * Cujus gratiæ, *quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur*, (nempe qui à Patre docentur, & audiunt, ut ad Filium veniant *ſecreta* quadam *gratia*, & prædeſtinati ſunt, ut ibidem docet) *à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.*

* Aug. de Correp. c. 12.
* Ibid.
* Ib. c. 4.
* Aug. de Præd. c. 8.

II. AT Vincentius magiſtri ſui veſtigia perſequens, Auguſtini verba illa, quatenus *adjutorium quo fit* exprimunt, ad omnia ſpectare volunt præſidia gratiæ Chriſti, etiam nullo, ut in reprobis, continuata perſeverantiæ dono: vel ab eo nonnullis disjuncta & interrupta peccatis, ut in electis, ac prædeſtinatis nonnumquam accidit. Quæ illorum ratio ab Auguſtini ſenſu, ac ſententia mirum quantum recedit; non minùs, quàm ab fide, ac regula Catholica. Hinc illud abſurdum, & hæreticum commentum, qui eſt novæ ſectæ, velut character; nullam in rerum natura eſſe gratiam, quam *ſufficientem* vocant, quæ ab *efficaci* diſtincta, culpa hominis irrita ſit, & effectu careat: ſed omni penitus gratiæ Chriſti fructum ſuum conſtare, nec eam ab ullo pulſantem reſpui. Quæ omnia, & his connexa, & conſentanea paradoxa, quibus Eccleſiaſtica pax & concordia paucis ab hinc annis labefactari cœpit, ex uno illo perperam & contra mentem auctoris accepto Auguſtini loco propagata ſunt. Quod quidem oſtenti inſtar habendum, ac prodigii mihi videri ſolet. Quis enim non obſtupeſcat, aut non manifeſta divinæ iræ ſignificatione contigiſſe putet, quod hoc tempore videmus, homines in ceteris minimè contemnendos, adeo futili argumento, quod ex falſa unius loci interpretatione traxerunt, in tantam eſſe pravitatem erroris redactos?

Equidem non te arbitror, Vincenti, tam pervicaci, & obduraro fore animo, quin poſteaquam de Auguſtini ſententia illâ quæ à nobis hic ſcripta ſunt paullulùm tranquilla, & ſedata mente perpenderis; aut temerè ſuſceptam opinionem retexas: aut ſi hoc impetrare abs te non potes, minus deinceps caleas in iſtis jactandis, & inculcandis næniis, quarum ruinas, unica illa, qua hucuſque ſuſtinetur, fulturâ ſubductâ, videris.

III. * Nam quod periiſſe dicis diſcrimen omne, *quod inter gratiam ſtantis, & lapſi hominis intercedit, ſi Deus homini lapſo gratiam ſufficientem reddere debet, qualem primus homo habuit*, vehementer erras: neque quid ſit gratia, tum univerſè, tum Adami propria, ſatis intellexiſſe videris.

* Vinc. lib. 1. c. 24. pag. 112.

Adamus in priſtino illo ſtatu innocentis vitæ duplici à Deo vallatus eſt genere gratiæ; altero exteriori, altero interiori, & animum afficiente. Horum primum, quatenus peculiariter illi tributum eſt, bonorum omnium, atque commodorum larga erat, affluénſque copia: tum præcipua quædam Dei tutela, & providentia, illud omne removentis, prohibentiſque, quod animi pacem, ac quietem, & ſalubritatem corporis, ac perennem amœnitatis jucundiſſimæ fructum interpellare poſſet. De hoc genere gratiæ loquitur * Auguſtinus, cùm ſic ſcribit: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Immò verò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus prorſus nullum patiebatur malum.* Ad hanc gratiam pertinet animi dominatus in corpus, ejúſque ſenſus & appetitus longè perfectiſſimus, ex quo ſumma * *felicitas* oriebatur, & *non peccandi facilitas.* * Cùm *nulla vixa à ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace frueretur.*

* Lib. de Correp. c. 11.
* Ib. c. 12.
* Ib. c. 11.

Secundum gratiæ genus partim ſtabile ac permanens fuit, partim fluxum, ac tranſiens. In priore ponenda eſt *bona voluntas. In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum*, * ait idem Auguſtinus. Hæc illa eſt *originalis juſtitia*, ex omnium virtutum, fidei cumprimis, ſpei, & caritatis: tum ceterarum, quæ in mente, aut voluntate reſident concurſu, concentúque collecta. Ad poſteriorem, *actualis*, ut vocant, illapſus gratiæ, inſpirationeſque pertinent, *& omnis illuminatarum mentium pius motus*, ut loquitur auctor epiſtolæ ad Demetriadem, quæ inter * Ambroſianas exſtat, & *quidquid viſorum ſuaſionibus agit* etiamnum *Deus ut velimus*, non ſolùm *extrinſecus*, ſed etiam *intrinſecus*, *ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*, * ait Auguſtinus. Hic autem interior afflatus gratiæ, vel ſola mentis illuminatione conſtabat: vel etiam voluntatis permotione, quam ſuavitatis cujuſdam ad rectè agendum occuparet illecebra. Nam utrumvis dici probabiliter poteſt.

* Ib.
* Ep. 33. col. 170.
* Aug. de Spir. c. 34.

IV. NUNC autem, poſt primi parentis culpam, partim eadem, partim diverſa ſuppetunt adjumenta gratiæ. Ac primum illud externæ providentiæ, quod beati, & incorrupti ſtatus proprium fuit; eo interrupto, velut fractis tubulis è fonte ſaliens aqua, ſuppreſſum penitus exaruit. Itaque malis omnibus, & incommodis, quorum vis hactenus compreſſa fuerat, circumſideri mortale genus, infeſtarique cœpit; ut per ærumnas, erroréſque multiplices infelix, & animi corporiſque cruciatibus referta vita traheretur. His ſublevandis, & ad ſalutarem exercitationem dirigendis, impenſior, &, ut humano more loquar, vigilantior adhiberi cura debuit. Ea partim externa gubernatione, partim interioris auxilio gratiæ, ut in Adamo, continetur. Sed utramque copioſiorem, ac vegetiorem, imbecillitas hominis major, & ſuperandorum malorum, per quæ ille volvebatur, difficultas poſtulabat. Interiori certè, cujus in intellectum, ac voluntatem officia partita ſunt, nova operæ facta eſt acceſſio; cujuſmodi priſtino in ſtatu nulla fuit. Nam ad concupiſcentiæ inſitam ægritudinem curandam, ac violentos ejus retundendos impetus, præſentius remedium, & robuſtiorem, quàm antè, vim adhibere illam oportuit. Hinc * *medicinale ſalvatoris auxilium* ab Auguſtino vocatur: & * *liberatrix gratia*, & * *medici gratia*, & * *opitulatio ſalvatoris*, tum *victrix*, & *victorioſa*; & aliis vocabulis appellatur, quæ conflictum, & moleſtam, ac laborioſam operam ſignificant. Verùm de hac medicinali gratia, & ejus efficientia; tum quemadmodum ab ea diſcrepet, quæ eſt innocenti adhoc Adamo conceſſa; non eſt iſtius loci, inſtitutíque diſſerere: nec ea repetere placet, quæ ſuper hoc argumento latiùs * explicavimus, adverſus Armacanam ſcholam; quæ Vincentius ne litteram quidem attigit; cùm in minutis quibuſdam exagitandis nimius, & odioſus fuerit.

* Aug. lib. de nat. & gra. c. 34.
* Id. ep. 105.
* Id. de nat. & gra. c. 39.
* Ib. c. 42.
* To. 1. lib. 10. c. 16. & ſeq. nec non To. 3. lib. de hær. Pel.

CAPUT XXIV.

Errata Vincentii deinceps collecta per ſaturam. 1. Poſſibilitatis gratiam negat eſſe gratiam Chriſti, idque ipſum refellitur. 2. Ejuſdem mendax calumnia de Molina, Leſſio. 3. Et de Petavio.

I. DUDUM laboris iſtius, & inquiſitionis in tuam, Vincenti, theriacam, piget: ac diu eſt, quod de

Digitized by Google

de exodio cogito. Infinita ſunt omnis generis errata Opere in iſto tuo, quod præ manibus habeo, quæ ſi ſingillatim excutere velim, ac de unoquoque, pro eo ac meretur, & tua ratio poſtulat, dicere, ultra modum hæc lucubratio procedet. Itaque, quod ſupereſt, nonnulla per ſaturam in hoc caput, & ſequentia hujus libri conjiciam abs te peccata, in illa, quæ de poſtremò tecum agere inſtitui, enucleanda gratia.

[* Vinc. lib. 1. c. 34. pag. 112. & 113.]

* Scribis *gratiam poſſibilitatis*, quæ ex Chriſti meritis datur, ad divina præcepta ſervanda, Pelagianam eſſe gratiam. Hoc nimirum eſt, quod vos falsò certè, Catholicis exprobrare ſoletis; adjutorium illud, quod homini bonum ut velle, vel agere poſſit, neceſſarium prædicant, non eſſe Chriſti gratiam: ſed hoc ſolum, quo reipſa, & actu volunt, aut faciunt. Pelagius *poſſibilitatem* ad benè agendum neceſſariam, ſolam naturalem facultatem eſſe dicebat, hoc eſt liberum arbitrium; & eam eſſe gratiam interpretabatur, quam Scripturæ prædicant: ut * in libro de natura & gratiâ Auguſtinus affirmat. Qui & fatetur ſe, cùm *Dei gratiam*, ſive *adjutorium, per quod eſſe homo abſque peccato poteſt*, apud Pelagium legiſſet, *lætitia repentè perfuſum, quòd Dei gratiam non negaret, per quam ſolam homo juſtificari poteſt.* Sed poſtea deprehendiſſe, gratiæ, ac poſſibilitatis nomine ſolùm intelligi ab eo liberum arbitrium cum legis notitia. Non dubitaret igitur Auguſtinus veram Chriſti gratiam in *poſſibilitate* illa conſiſtere, ſi eam in *caritate*, hoc eſt in illuminatione mentis, & voluntatis permotione collocaret Pelagius: uti paſſim tum in illo libro; tum in eo qui eſt de Chriſti gratia, aliiſque demonſtrat: quam * appellat *inſpirationem flagrantiſſimæ, & luminoſiſſimæ caritatis.*

[* Cap 10. & 11. & 40.]

[* Lib. de grat. Chr. c. 35.]

Hanc verò nos, aliique, quibus conviciaris, κακηγορῶς καὶ ἄδικα, κἄδικα, illam, inquam, gratiæ poſſibilitatem, quam Auguſtinus in Pelagio deſiderabat, ut plane Catholicus eſſet, Molina, Leſſius, ceteri, quos Armacani immeritò vellicant, agnoſcunt, ac prædicant. Quid te verò ſcientem attinet, falſo illos crimine traducere, cùm ex illorum omnium ſcriptis facilè refellatur?

[* Vinc. lib. 1. c. 16. p. 71.]

II. Nam * quòd Molinam aſſeris, *aliam in homine lapſo, quàm S. Auguſtinum, libertatem finxiſſe, quæ gratiam, ut domina pediſequam ducat*; tam verum eſt, quàm quod alibi occinis, illum eumdem, malè abiiſſe ex eo judicio, quod de illius opinione Romæ eſt habitum. Quam ineptam, commentitiamque fabulam validiſſime confutavit doctiſſimus Theologus R. P. Petrus à S. Joſepho ex Foliantinorum familia, in eo libro, quem de hoc argumento, nuper edidit, ac *de Theologia hujus temporis* inſcripſit. * Ejuſdem genii, & aliquantò etiam minùs conſiderata eſt P. Leonardi Leſſii criminatio, * quòd in quadam precatione ita ſcripſerit, *Poſuiſti, Domine, omnia in arbitrio noſtro, perinde ac ſi ſolis naturæ viribus regnum obtinendum eſſet. Juſtificati enim per gratiam tuam, non minùs facilè in juſtitia accepta perſeverare, & legem divinam implere poſſumus, quàm hominibus politicis per naturam facile eſt juſtitiam politicam externamque in ſe tueri, & legem civilem implere.* Exclamat ad hæc Vincentius, ac perſonæ, quam ſibi impoſuerat, & *lenitatis* oblitus, *Sempiterne Deus*, inquit, *qualis eſt iſta precatio!* Tu verò quid habes quod in ea reprehendas? *Quomodo igitur*, inquis, *homo juſtus tam inſtanter orat ſibi dari quod Deus jubet, ſi ſic in arbitrii ſui manu illud teneat?* At ὦ νῶν, num divinæ gratiæ præſidium excludit Leſſius, & in *ſolius arbitrii ſui manu* poſitam eſſe legis obſervantiam, aut in accepta juſtitia perſeverantiam dixit? Nonne *per gratiam* ait facilitatem iſtam, & perſeverandi poteſtatem ſuppetere? Quinetiam proximè ante illa quæ deſcripſiſti verba, ea poſuit Leſſius, quæ ſubdolè abs te ſuppreſſa ſunt. *Juſſiſti nos* (ait Leſſius) *eſſe ſecuros ex parte tua præparato nobis auxilio, quo certiſſimè juſtitiam retinebimus, & ſalvi erimus, niſi per nos ſteterit, niſi auxilium oblatum neglexerimus, & tua nos gratiæ ſubtraxerimus.* tum iſta pertexit; *Poſuiſti, Domine, omnia, &c.* Amabo te, Vincenti, ecquid iniquiſſimæ accuſationis, & quiritationis illius pudet? An tu negare potes, in noſtra eſſe poteſtate uti *præparato nobis* ad perſeverandum *auxilio*, & quo minus id fiat, vitio noſtro, non adjuvantis gratiæ contingere. Nam quòd indignè fers dixiſſe Leſſium, eâdem aſpirante gratia, *non minùs facile eſſe homini juſto, legem Dei æternam, quàm homini politico legem civilem externam implere*; quàm hæc abſurda ſit querela, non vides? Ecce tibi gloriatur Propheta * David ſe legem Dei *ſuper aurum, & topazion* diligere; eam *melle ac favo* dulciorem ſibi videri: in ea non ambulare, ſed currere ſe dilatato per caritatem, & gratiam corde. Quæ poteſt obſervandæ legis major eſſe facilitas, quàm in eo homine, qui in illa ſe non paſſibus incedere, ſed curſu properare teſtatur? Plus aliquid etiam pollicetur Iſaias. * *Qui ſperant*, inquit, *in Domino mutabunt fortitudinem: aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.*

[* Vinc. in Præf. ad 1 ect.]

[* Leſſ. in Prec. Sect. 7. de Præd.]

[* Pſ. 118.]

[* Iſa. c. 40. 31.]

III. Par eſt indoles expoſtulationis illius de * nobia, quòd ſcripſerimus, *eos, qui efficientiam gratiæ proximè in ſolam derivari intelligentiam, ac per eam in voluntatem trajici putant, procul à Pelagiani, vel Semipelagiani contagione erroris abeſſe.* Adderes, quæ ibidem adſcripſimus, *dum ita neceſſariam illam eſſe ſtatuant, ut ſine ea præveniente, homo credere, ſperare, diligere, aut pœnitere non poſſit ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: ut * Tridentini Patres loquuntur.* quæ tu more tuo detruncaſti.

[* Lib de hær. Pel. c. 10. § 15.]

[* Seſſ. 6. can. 3.]

Hac quidem ſententia non video quid dici verius poſſit. Nihil enim velle poſſumus, niſi priùs mente cognitum perceptúmque ſit: quæ perceptio illuminatione aliqua fit: qui primus eſt medicinalis gratiæ fructus, quo intelligentiæ cæcitas radiantis veritatis luce diſcutitur.

CAPUT XXV.

1. *Vincentii error, & falſa interpretatio loci cujuſdam Auguſtini de Correptione & gratia, & aliorum in quibus de* auxilio ſine quo non *&* quo *agitur; tum de* poſſibilitate. 2. *Poſſibilitatem rectè agendi, gratiam eſſe, negat Vincentius: idque refellitur.* 3. *Idem gratiam primi hominis naturalitatis aliquid habuiſſe dicit.* 4. *Quod in Michaële Baio damnatur.*

[* Vide ſup. c. 23.]

[* Lib. 1. c. 34. p. 112. & 113.]

I. DIXI * te in Auguſtini loco illo, qui eſt in libro de Correptione & gratia, mirandum in modum allucinari. * Tu *auxilium ſine quo non*, de quo illìc agitur, cum *poſſibilitate*, vel *poſſibilitatis gratia*, de qua in libro de Natura & gratia diſſerit idem Auguſtinus, ſine ullo diſcrimine permiſces. Sed erras, Vincenti. Auxilium illud *ſine quo non*, quod in libro de correptione, & gratia, capite undecimo ponitur, eſt adjutorium Adamo datum, quatenus ad perſeverantiam refertur, & cum ea comparatur. Hoc autem potiſſimum Auguſtinus in ſtatu illo innocentiæ, ejuſque propriis adjumentis collocat; in quibus creatum eſſe primum hominem docet; & quibus cum perſeverare ſi vellet poterat; non autem ſine illis poterat. His autem opponit multò certiora, & effectu numquam fruſtranda ſubſidia gratiæ, quæ ad perſeverandum, electis per Chriſtum ſubminiſtrantur; quæ tam efficacia ſunt, ut non ſolum *perſeverandi poſſibilitas* per ea, ſed etiam *perſeverantia* ipſa donetur. Igitur *auxilium ſine quo non*, quatenus ab *auxilio quo* diſtinguitur; eſt gratia perſeverandi, ſed non *infallibilis*, ut vocant. Auxilium verò *quo* eſt eadem gratia, quatenus *infallibilis* eſt. Eadem porrò eſt utrobique gratia, ſi naturam ipſam ſpectemus, & quam Scholæ nuncupant, *phyſicam entitatem.* Hæc autem vocabula, *ſine quo non*, & *quo*, præciſe quà ad *perſeverantiam* ordinantur, auxiliis gratiæ tribuit Auguſtinus.

At idem contra Pelagium diſputans in libro de natura & gratia, *poſſibilitatem* appellat, & conſiderat, quà eſt Chriſti gratia: quemadmodum & in libro, quem inſcripſit de gratia Chriſti apertè ſignificat. Nam in illis libris veram benè agendi poſſibilitatem, cum falſa, & Pelagiana contendit: quam in ſola naturali facultate hæreſis iſta ſtatuebat, ſi de abſolutè neceſſaria loquimur. Auguſtinus vero in fide, & caritate, ſive in *illuminatione intellectus*, & pia motione voluntatis; quæ eſt Chriſtiana *poſſibilitas*: cui ſi liberè aſſentimur, cùm *diſſentire poſſimus*, ut ait Tridentina ſynodus, *poſſibilitati* effectus adjungitur. ſin autem oblatum illud auxilium reſpuimus, * *in vacuum illam Dei gratiam recipimus*, ut Apoſtolus loquitur.

[* 2. Cor. 6. 1.]

[* Vinc. 16 p. 113.]

II. CUJUS verò frontis eſt, * negare poſſibilitatem rectè agendi eſſe gratiam Chriſti? Nonne Chriſtus ipſemet

Digitized by Google

* Joan. 15. 5. * 2. Cor. 3. 5.

met contrarium docuit, cùm Apoſtolis dixit, * *ſine me nihil poteſtis facere?* Apoſtolus item ad Corinthios ita ſcribens, * *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, quid aliud quàm benè inchoandi *poſſibilitatem* ſignificat.

* In Pſ. 70. p. 307. B.

* Auguſtinus quoque, *Non erat*, inquit, *in poteſtate tua, ut non naſcerêris ex Adam: eſt in poteſtate tua, ut credas in Chriſtum.* An non *poteſtas credendi in Chriſtum*, ab hoc ipſo eſt, ſine quo nihil poſſumus? Aut cùm * alibi dicit, *in poteſtate hominis per Dei adjutorium poſitum eſſe, ut non conſentiat Satanæ:* éſtne ut citra Chriſti gratiam, *poſſibilitas* illa conſiſtat? Rurſus in libro ſecundo de Actis cum Felice Manichæo, capite quinto, *Qui legem*, inquit, *ſervare non vult, in poteſtate ejus eſt, ſi velit.* Itáne *poſſibilitas* illa *ſervandæ legis*, à natura eſt, aut aliunde, quàm ab adjutorio gratiæ Chriſti? Sed reliqua porrò flagitia videamus.

* Hom. 12. lib. 50. Hom.

* P. 213.

III. Ait * Vincentius, *gratiam primi hominis aliquid naturalitatis admixtum habuiſſe, ut ſecundùm divinæ ſapientiæ, & bonitatis regulas, naturæ humanæ recenter conditæ, & adhuc innocenti quodammodo deberetur.* En portentum Armacanæ Theologiæ. Gratia Adamo conceſſa *non fuit mera gratia, ſed naturalitatis aliquid habuit*, quia *natura humanæ quodammodo debebatur.* Cur tandem, aut quo nomine debebatur? *Cùm enim imago Dei*, inquit, *intellectu, & voluntate prædita, naturales creatoris ſui leges, quas obſervare debet, impreſſas à natura habeat, & tamen ſine gratuito Dei adjutorio eas obſervare nequeat, debuit hoc ſapientiæ ſuæ Deus (ne naturam deformem, & quodammodo mancam relinqueret) ut neceſſario divinæ gratiæ adjutorio imaginem ſuam roboraret.* Quid hac ratiocinatione futilius? Ergone quidquid divinæ ſapientiæ convenit, aut bonitati, aut quoquomodo rationi conſentaneum eſt, id ſi faciat Deus, ac creaturis præſtet, gratia non erit, eo quòd naturæ ſit illarum quodammodo debitum? Si hoc argumenti genus tolerabile eſt, ac vel tirone, non dicam Theologiæ, ſed inſtitutionis Chriſtianæ dignum; liceat impune gratiæ eſſe negare, quòd Dei unigenitus Filius pro peccatoribus eſt crucifixus. Hoc enim divinæ ſapientiæ ſuæ, ac bonitati debebat. Quàm multa ſunt à Græcis, Latiníſque dicta Patribus, cur hominem Diaboli fraude deceptum, ab eo liberari æquum, ac juſtum fuerit, à quo fuerat antè procreatus! Quod & ſapientiæ, ac bonitatis & æquitatis cujuſdam, juſtitiæque fuiſſe prædicant: *ut incommutabilis Deus* (quod * ait S. Leo) *cujus voluntas non poteſt ſua benignitate privari, primam pietatis ſuæ diſpoſitionem ſacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam, contra Dei propoſitum non periret.* Innumera ſunt tum ab eodem Leone, tum ab aliis ad idem argumentum graviter copioſéque diſputata, dum hoc explicant, cur interfuerit divinæ ſapientiæ, ac poteſtatis, quæ eſt Dei Filius, ac Λόγος omnium conditor, priſtinum in ſtatum revocare genus hominum ſuapte culpa, & inſidiis Satanæ dejectum ac perditum; præſertim cùm ad imaginem Dei conditus, ab imagine ipſa, quam eſſe Dei Filium interpretantur, inſtaurari debuerit. Addunt & de modo liberandi, ac redimendi non pauca; ut juſtitiæ divinæ fuiſſe probent, non vi hominem, & potentia, ſed ratione, & æquitate, ſine dominantis injuria vindicare. Hæc & alia id genus infinita, ex Vincentianis principiis, non ſunt gratiæ beneficia; quoniam ſibi, id eſt ſapientiæ, bonitati, juſtitiæque ſuæ Deus iſta debebat, ut deformatam imaginem ſuam, & creatoris ſui legibus obligatam, ad has ipſas exequendas *neceſſario divinæ gratiæ adjutorio roboraret.*

* Serm. 2. de Nativ.

IV. Hanc opinionis porrò pravitatem hauſit Vincentius ex cœno damnatarum Propoſitionum Michaelis Baii in eâdem Academia Lovanienſi, in qua perſonatus hodie Gallus Arauſicanus docet, Profeſſoris quondam regii. Nam inter Propoſitiones à Pio V Romano Pontifice notatas, & Gregorii XIII, ac demum Urbani VIII decretis eidem cenſuræ ſubjectas, octava ex libro primo Baii, de meritis operum, capite quarto deerpta ſic habet: *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera: ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ, non rectè vocantur gratia: quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.*

* Lib. de Correp. & grat. c. 11.

* Auguſtini verò locus ille, quem Vincentius affert, nihil ad rem attinet. Non enim ex eo, quòd adjutorium divinum Angelis, vel homini neceſſarium fuit, idcirco debitum illis fuit; vel gratia propterea eſſe deſiit: cùm ſtirps, & radix neceſſitatis illius, ex liberali & gratuita Dei beneficentia repetatur, qua illos ad eorum naturæ minime debitam conditionem attollere voluit, quæ tale requireret opitulatricis gratiæ ſubſidium. Quod autem non omnis ratio *debiti* cum *gratiæ* proprietate pugnet, luculenter diſſerit S. Thomas in prima Parte Summæ Theologicæ, * quæſtione XXI.

* Art. 1. ad 3.

CAPUT XXVI.

Falſa argumentatio Vincentii diluitur, quam contra Catholicos inſtruit, de gratia Adamo data, & Chriſti meritis parta.

* P. 214.

I. Eadem Auguſtiniani loci παρερμηνεία denſiſſimas offudit erroris tenebras * Arauſicano Vincentio, dum pro magno abſurdo Catholicè ſentientibus Theologis objicit, horum ex ſententia ſequi, adjutorium olim Adamo datum, Chriſti eſſe beneficio reſtitutum. Adeo peregrinus eſt in trita, pervagatáque re, in quam tot antiquorum dicta conſentiunt: Chriſtum Dominum ea recuperaſſe, ac repræſentaſſe nobis, quæ in Adamo perdidimus: velut fidem, ſpem, caritatem, juſtitiam, & quæ generali vocabulo *gratia* continentur: quatenus eorum capax eſt ſecundus, ad quem irrevocabili decreto ſumus addicti, collapſæ naturæ ſtatus. Quamquam, ut capite tertio ac viceſimo dixi, longè ſit uberius, ac potentius gratiæ præſidium Chriſti nobis meritis acquiſitum: præſertim quod ad perſeverandum datur. Nam quibus conceditur, ii non modò perſeverare poſſunt, ad ídque gratiæ auxilio juvantur, ſine quo non poſſent: ſed eo ipſo fit, ut revera perſeverent. At in ſtatu innocentiæ, non tale eſt Adamo tributum, quo perſeveraret; ſed quo perſeverare poſſet. Eidem in ceteris, quæ citra perſeverantiam rectè aliquando geſſit, ejuſmodi ſuppeditatum eſt auxilium, non modò ſine quo non poſſet agere; ſed etiam quo reipſa honeſtè, & laudabiliter ageret. Si enim hoc defuiſſet, in accepta bona voluntate neque vel breviſſimo illo tempore, quo in poteſtate fuit Creatoris ſui, manere poſſet, neque reipſa manſiſſet.

* P. 215.

II. Atenim, pergit Arauſicanus Lenis; * *Si homini lapſo, qui natura humana legibus adhuc aſtringitur, Deus gratiam ſufficientem reddere debet, eo ipſo, quo homo leges illas ſervare tenetur, & earum prævaricatio ei imputari poteſt ad culpam: ergo non magis homini lapſo, quàm primo homini, ſalvatore eſt opus, cùm divina æquitas, pergens naturam lapſam, ægrámque creare, non minùs debeat gratiam ſufficientem illi ſuperaddere, quàm olim condens naturam ſtantem, & ſanam in primo parente. Quid ergo opus Incarnatione, & Cruce Chriſti, ſi gratia ad ſalutem ſufficiens debuerit homini lapſo, iſto alio titulo dari? Unde nec gratia iſta erit mera gratia. Sed quodammodo naturæ lapſæ debita; perinde ac olim fuit debita innocenti.* Hæc Vincentius. Contra quæ illud opponimus, quod antecedenti jam dictum eſt capite: neque ſufficientem gratiam innocenti datam Adamo, ad eam ſervandam naturæ legem, quâ erat obligatus, *debitam fuiſſe*, vel *naturalitatis aliquid habuiſſe*; nec eam, quæ poſt lapſum primi parentis, homini ſufficitur; quod falſò putat Vincentius: ſed utramque meram eſſe gratiam; meréque gratuitum beneficium: quod ex ſola bonitate, ac miſericordia profectum eſt. Poſteriorem verò, de gratia & gratuita, liberalique donatione haud paullò plus habuiſſe, quàm alteram Adamo præſtitam: quòd de ingrato, & inimico benè mereri, majoris eſt beneficentiæ, quàm de amico, & eo, qui re nulla injuria violarit.

Atqui nemo ſine idoneo gratiæ ſubſidio legi, qua tenetur, obſequi poteſt, ait Vincentius. Succurrendum igitur illi erit à Deo, qui hanc homini neceſſitatem obſervandæ legis impoſuit: ut non liberalitatis, & gratiæ, ſed officii ac debiti ſit neceſſariæ opis illa tributio. Succurret ſanè Deus, neque ſuſceptas à ſe partes deſeret gratuitæ, ut jam dixi, benignitatis: ſed ita profectò, ut ſi vellet, ſine ulla cujuſquam injuria negare poſſet.

III. Peccaret ergo, inſtant rurſus Armacani; & quidem in eo, quod in poteſtate ſua non haberet; idque *illi imputaretur ad culpam.* Hoc telo potiſſimùm in

nos

Digitized by Google

* Vinc. lib. 2. p. 166. nos * *ferox & maſculus* ille Vincentius, ut ejus verbis utar, impetum fecit. Verùm puerilis hæc petitio levi declinatione ſic à nobis eluditur. Finge hominem idoneo deſtitutum auxilio gratiæ: Legis hic quidem exequi mandata non poterit: & in eo peccati aliquid admitiet, quòd etſi naturale præceptum implere, ſaltem utcumque poteſt, gentilium philoſophorum more conetur, careat hic illius voluntatis impetus *rectitudine*, ut vocant, ea, quæ abeſſe non debet, ut ad Deum referatur. Itáque peccatum id quidem erit, hoc eſt defectus aliquis: qui tamen minimè ad culpam imputabitur, nec ad reatum; quo pœna committitur.

Plurimùm autem *peccatum* inter, & *culpam* intereſt. quod quia neſcire videris, Atauſicane Vincenti, diſces à principe Theologorum, qui in prima parte ſecundæ, quæſtione viceſima prima, articulo primo & ſecundo; nec non in Opuſculo ſecundo, quod eſt Theologiæ Compendium, capite centeſimo viceſimo, eruditè ac diſertè illud expoſuit.

CAPUT XXVII.

Non omne peccatum eſſe culpam, ac quid inter ambo hæc interſit: quod ex S. Thomæ, tum S. Auguſtini auctoritate comprobatur.

I. QUAMVIS ad finem lucubratio hæc noſtra feſtinet, nondum tamen ſtilum avocare poſſum ab hoc loco, qui præcipuam Armacanæ ſectæ, ac Vincentio erroris anſam obtulit. Itaque de peccati, & culpæ differentia ſummatim ea perſcribam, quæ S. Thomas in
* In 1. 2. qu. 21. art. 1. iis, quos commemoravi, libris explicavit. Scribit * ille primùm, latiùs malum patere, quàm peccatum: ſicut & bonum, quàm rectum. *Qualibet enim privatio boni in quocumque conſtituit rationem mali. Sed peccatum propriè conſiſtit in actu, qui agitur propter finem aliquem, cùm non habet debitum ordinem ad finem illum:* qui ordo *rectitudo actus* dicitur. *Quando autem à rectitudine tali actus aliquis recedit, tunc incidit ratio peccati. In his verò, quæ aguntur per voluntatem regula proxima eſt ratio humana; regula autem ſuprema eſt lex æterna. Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem, ſecundùm ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus eſt rectus: quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum.* In articulo deinde ſecundo, ſic ſcribit: *ſicut malum eſt in plus*, id eſt latiùs patet, *quàm peccatum; ita peccatum eſt in plus, quàm culpa. Ex hoc enim dicitur actus culpabilis, vel laudabilis, quòd imputatur agenti. Nihil enim eſt aliud laudari, vel culpari, quàm imputari alicui malitiam, vel bonitatem ſui actus. Tunc enim actus imputatur agenti, quando eſt in poteſtate ipſius, ita quòd habeat dominium ſui actus.* Ex quo concludit, *rationem laudis vel culpæ in ſolis actibus voluntariis conſtitui, in quibus idem eſt malum, peccatum, & culpa.* Ceterùm *voluntarium* hic ſanctus Thomas *perfectum voluntarium* appellat: quod idem eſt cum *libero arbitrio:* eóque ſolo in poteſtate, ac dominio actus ſuos habere voluntas dicitur,
* Cap. 3. & 5. ut ex eodem * ſuprà demonſtravimus. Quare ut non omne malum eſt peccatum, ſic nec omne peccatum eſt culpa: ſed hoc ſolum, quod ex voluntate, id eſt libero arbitrio, & electione committitur. Potéſtque peccatum dici actio quælibet, quæ *ad ultimum finem non refertur*
* Ib. art. 4. (ut idem * S. Thomas oſtendit) eóque ipſo deficit: nec tamen imputatur in culpam, niſi ex deliberatione, & libera voluntatis electione procedat.

II. RURSUS in Compendio Theologiæ, capite CXIX. *Malum* universè ait eſſe *privationem, & defectum:* idque ſpectari dupliciter: primò *ſecundùm quod in natura ſua conſideratur; ut cæcitas eſt quoddam malum animalis:* Deinde *ſecundùm quod per actionem ordinatur ad finem:* atque hoc modo *malum actionis ad aliquem finem ordinatæ, ad quem non debito modo ſe habet, peccatum dicitur, tam in voluntariis quàm in naturalibus. Peccat enim medicus in actione ſua, dum non operatur convenienter ad ſanitatem; & natura etiam peccat in ſua operatione, dum ad debitam diſpoſitionem, & formam rem generatam non producit; ſicut cùm accidunt monſtra in natura.* Mox capite CXX, de *defectibus*, quos *morales* nominant, agit: & in iis peccatum verſari docet. *Si igitur in actionibus non voluntariis*, inquit, *ordinatis ad finem defectus accidit, peccatum tantùm dicitur. Si autem in voluntariis, dicitur non ſolùm peccatum, ſed culpa, eo quòd agens voluntarium, cùm ſit dominus ſuæ actionis, vituperio dignum eſt & pœna.*

Atque hoc præſtantiſſimus ille Theologus ex magiſtri ſui S. Auguſtini doctrina tradidit. Hic enim peccatum à culpa differre non obſcurè indicat: ut in libro de Perfectione juſtitiæ, capite ſexto, *ideo eſſe culpam hominis* dicit, *quòd non eſt ſine peccato, quia ſola hominis voluntate factum eſt, ut ad iſtam neceſſitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poſſit.*

III. SIC in libro primo Retractationum, capite XV. Qui *neſciens peccavit, non incongruenter*, inquit, *nolens peccaſſe dici poteſt, quamvis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit*, &c. *Quia voluit, ergo fecit, etiamſi non quia voluit, peccavit, neſciens peccatum eſſe quod fecit. Ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit. Quiſquis autem ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, utique volens peccat.* Ibi peccatum aliud à nolente factum, & neſciente conſtituit; aliud à ſciente, & volente. Prius eſt peccatum, ſed culpæ, ac reatus expers: poſterius habet utrumque. Nam & *fit quod non debuit*, in quo peccati ratio conſiſtit: & quia ſciens voléntque fecit, reus eſt ſupplicii: ideóque culpa dicitur, non alterum, quod eſt tantummodò peccatum.

Sciendum eſt autem duabus rebus conſtare peccatum propriè dictum; quorum alterum Auguſtinus actum nominat; alterum, reatum. *Actus* eſt, quem defectum vocant, ſive aberrationem ab regula, quæ eſt recta ratio, quam Græci *ἁμαρτίαν* nuncupant. *Reatus* eſt obligatio, qua quis ob crimen admiſſum luendæ pœnæ eſt obnoxius. Utrumque cui convenit, *culpa* dicitur. Nam ſola hæc ut vituperationem, ita pœnam meretur. Quod autem prius tantummodò continet, peccatum, non culpa nominatur. Itaque Concupiſcentiam per Baptiſmum remitti in *reatu*, & manere in *actu*, affirmat * Auguſti- * Lib. 6. cont. Jul. c. 5.
nus. In nondum regeneratis & actu, & reatu manere. Ideo peccatum in his, non culpa vocatur ab * Apoſto- * Rom. 7.
lo. Quippe hæret adhuc in illis originale peccatum; propter quod *non proprietate voluntatis, ſed origine reos teneri* ait * Auguſtinus. Qui & hoc universè verum eſſe * Lib. 1. Retr. c. 15.
dicit, quod adverſus Manichæos in libro de duabus animabus ſcripſerat; *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis, & inſaniæ eſt:* adeóque peccato etiam originali convenire; *quia ex ejus origine tenentur rei parvuli, qui non fecit quod facere potuit, divinum ſcilicet ſervare mandatum.* Quare peccatum Originale, antequam regeneratione ſolvatur, vera culpa cenſetur, *quia ex illius origine rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero & ad faciendum, & ad non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abſtinendi ſumma poteſtas erat.*

IV. Cetera, quæ vel ab ignorantibus fiunt, vel quoquo modo voluntariè, id eſt liberè non agentibus, peccata ſunt, non culpæ; quia nemo ob id pœnam commeruit, quod neſciens fecit. Itaque ſive fidelis, ſive infidelis, opus aliquod, ab recta ratione deficiens admiſerit, quod ejuſmodi eſſe neſciret, peccatum fecit, quod culpa non eſt; nec imputatur ad pœnam: quemadmodum de Abimelecho rege Geraræ
* Scriptura refert, qui uxorem Abraami Saram, *ignorans, & juſtus*, hoc eſt nulli ob id affinis culpæ, * Gen. 21.
quòd ſororem eſſe neſciret, abduxit: Deo inſuper *juſtum* illum, & *innocentem* in ea re fuiſſe pronunciante. Quæ quidem *imprudentia*, & *ignorantia*, peccatum ſimul, & pœna fuit originalis peccati: ſed culpæ, uti dixi, ac reatus expers fuit.

CAPUT XXVIII.

1. *Vincentii & Armacanæ ſectæ falſa opinio; in eo etiam, quod neceſſe eſt, & vitari non poteſt, adultos homines eſſe culpabiles.* 2. *De gratia ſufficiente. quæ aliquot Auguſtini teſtimoniis adſtruitur.*

I. HUIC Auguſtini, & S. Thomæ; immo Catholicæ fidei decreto obnunciat Armacani patroni libertus Frodomondus; cujus tanta eſt ſeveritas, ut ob illa etiam peccata, quæ vitari non poſſunt, & ob mandatum qualecumque prætermiſſum, quod obſervatu

erat impoſſibile; culpam & reatum ſempiterni ſupplicii miſeris hominibus infligat. Etenim ſine gratia Chriſti nihil rectè fieri, neque legi naturali, ac divinæ obtemperari poſſe, prorſus exiſtimat. De hoc autem adjutorio gratiæ duo quædam aſſerit ex Patroni ſui doctrina: * alterum, nullam, niſi effectum habeat, gratiam eſſe Chriſti: quod *auxilium quo fit*, appellat: auxilium autem *ſine quo non fit*, quam *ſufficientem gratiam* vulgò nuncupant: non eſſe Chriſti, vel novi Teſtamenti gratiam. * Alterum, non omnibus etiam Chriſtianis, Chriſti gratiam ſuppetere. quod & inde conſequens eſſe res ipſa per ſeſe docet. Cùm enim non ſolùm infideles; ſed etiam Chriſtiani, innumera, & atrocia quotidie peccata committant, neceſſe eſt ex Armacanis illis duobus effatis, Chriſti eos gratia caruiſſe, nec adjutos ad illa eſſe vincenda irritamenta cupiditatis: quam, ſi adjuti eſſent, proculdubio ſuperaſſent: quoniam adjutorium illud numquam fructus ſuus, & effectus deſtituit. Plectetur itaque morte perpetua, & æternis ſuppliciis addicetur, qui juſſus exequi quod impoſſibile ſibi erat (De grandioribus loquor; ne quis parvulos importunè hìc admiſceat) ob idipſum minime eſt obſecutus. Non capit humanus animus crudelitatem ac barbariem tantam: quæ eo repudianda magis eſt, quòd immerito ſibi auctorem inſcribit Auguſtinum: quem quidem ab hac contagione longè remotum fuiſſe, cùm illa, quæ attigi ſuprà; tum innumera, quæ prætermiſi, ejuſdem teſtimonia demonſtrant.

* Vinc. lib. 1. c. 24. pag. 112. & ſeq.

* Ib. p. 114. & ſeq. & lib. 2. c. 3. Sect. 4.

II. Ex his autem pauca hoc loco libet adnotare, velut clauſulam velitationis iſtius: in quibus momenti plurimùm ineſt, ad *ſufficientis*, ut vocant, *auxilii* adſtruendam ex Auguſtino fidem; atque ut eam deeſſe nulli, cui mandatum à Deo ſit editum, vel invitus Arauſicanus Lenis agnoſcat.

Auguſtinus in libro de gratia, & libero arbitrio, capite xvi. ita ſcribit: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, Non juberet Deus quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides quæ orando impetrat quod lex imperat.* Hic primùm cogitandum eſt, Pelagianos de mandatis iis loqui, quæ omnibus in commune propoſita ſunt; ut eſt naturæ lex; à qua cùm nemo ſit exceptus, neceſſe eſt eam omnibus, ſine ullo diſcrimine præcipi. Igitur à *nemine non poſſe fieri legem*, quod Pelagiani dicebant, confitetur Auguſtinus. Nunc operæpretium eſt, ſcire quemadmodum, & quo præſidio freti hoc habeant, ut mandatum exequi poſſint: quod ipſum ſuppeditari omnibus oporteat: ſiquidem poſſe debent omnes, quibus à Deo lex eſt edita. Reſpondet Auguſtinus, poteſtatem faciendi quod Deus jubet, in eo ſitam eſſe, non quòd gratiam adhuc acceperint, quâ proximè legem impleant; ſed quâ hanc ipſam impetrare queant. Hæc eſt orationis ad Deum fundendæ gratia, & poteſtas: quam alibi idem * Auguſtinus brevi & ſententioſo dicto ita complexus eſt: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Quam ſententiam Tridentina ſynodus uſurpavit in Seſſione vi, capite xi.

* Lib. de nat. & grat. c. 43.

III. Quocirca nemini non eſt parata gratia illa, ſive *fides*, ut eam vocat Auguſtinus, id eſt affectus orandi. ſi enim alicui ſufficiens auxilium ad orandam, & impetrandam uberiorem illam, & mandatorum executricem gratiam deeſſet, juberet aliquid Deus, quod ille cui juſſum foret, facere homo non poſſet. atque ita mandata Dei illi eſſent impoſſibilia; qui eo careret adjutorio, per quod omnibus poſſibilia eſſe cenſet Auguſtinus: nempe orandi gratiâ, qua vis & robur obtinetur ad præſtanda legis officia.

Hæc eſt prima omnium gratia, quæ gratis omninò, ac ſine meritis tribuitur; per quam actuoſa, & præcepti operis efficax altera provenit; ut ibidem docet Auguſtinus his verbis: *Certum eſt enim nos mandata ſervare ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit ut volendo faciamus.* Ex quo voluntas duplex, duplici expreſſa gratiâ colligitur: una inchoata, & rudis adhuc, qua poſſe facere volumus; altera robuſtior, qua quod volumus poſſumus. Utramque capite ſequenti manifeſtiùs indicat, ſic ſcribens: * *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam.* Tum paucis interjectis, *Et quis iſtam*, ait, *etſi parvam, dare cœperat, caritatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?*

* Id. de grat. & lib. arb. c. 16.

IV. Secundus Auguſtini locus ex libro de Correptione & gratia, capite ſeptimo, eſt ejuſmodi: *Juſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm dicentium, non accepimus perſeverantiam: quoniam poteſt dici; homo! in eo quod audieras, & tenueras, in eo perſeverares, ſi velles: nullo modo autem dici poteſt, id quod non audieras, crederes ſi velles.* Igitur qui perſeverantiam non habuerunt, culpa ſua non habuerunt; quam ſi voluiſſent, haberent utique. Poterant igitur habere: & hæc ipſa poſſibilitas, gratia eſt ſufficiens, ſive, ut Apoſtolus loquitur, *ſufficientia*, quæ non ex nobis, *ſed ex Deo eſt.*

Tertius locus ex Sermone ccxlix de Tempore, eamdem paratam & ſufficientem gratiam, quamvis vitio noſtro irritam demonſtrat: ubi de tentationibus diſputat. *Nemo dicat*, inquit, *à fornicatione ſe cuſtodire non poſſe. Fidelis eſt enim Deus, dicit * Apoſtolus, qui non permittit nos tentari ſupra id, quod portare poſſumus: ſed faciet cum tentatione proventum. Talis unicuique homini tentatio datur, ſive in carnis deſiderio, ſive in ambitione ſeculi, vel etiam in quacumque tentationis moleſtia, qualem aut cum laude vincere, aut cum opprobrio ſuccumbere poterit.* Ergo qui ſuccumbit tentationi, ideo cum opprobrio id facit, quia cum laude illam vincere poterat. Hæc autem poſſibilitas, ut * ſuprà ex Auguſtino demonſtravi, nihil aliud niſi gratia eſt.

* 1. Cor. 10.

* Vide Peta. To. 1. lib. 10. c. 16. §. 14. & ſeq.

Idem rurſus in libro ſecundo de peccatorum meritis, & remiſſione capite xvii, *Cùm voluntate*, inquit, *humana, gratia adjuvante divina, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſem faciliimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt.* Non hæc *faciliima*, nec *veraciſſima* eſſet reſponſio, ſi non poſſent. Poſſunt igitur ſi velint: atque ut voluntatem paratam habent, ſine qua velle non poſſunt: ita & gratiam, quia ſine hac adjuvante, ut & ſine voluntate, non poſſunt.

CAPUT XXIX.

Epilogus, in quo querela Vincentii Lenis occurritur de aſperitate Petaviani ſtili.

Et me quiſquiliarum iſtarum jamdudum piget; in quas everrendas non illam quidem jucundam; ſed neceſſariam hactenus operam contuli: & hìc finem moleſtiæ hujus aliquem decrevi facere. Quamquam difficile eſt in tot, tàmque gravibus caſtigandis erroribus adhibere modum orationi ſuæ; & habere in poteſtate juſtiſſimæ indignationis impetus: cujus, quò longiùs progredimur, eò ſe majora irritamenta proferunt. Sed abrumpenda tamen hoc loco eſt in immenſum alioquin itura diſputatio noſtra; ubi pauca de Vincentiana expoſtulatione dixero. Queritur homo lenis, ac modeſtus, Novæ ſectæ parentem, & auctorem cum grege ſuo, inclementer à nobis habitum, & iracundas in illos, acerbáſque voces eſſe conjectas: quas inſuper augendæ invidiæ cauſſâ, noſtris ex libris, ubi ſparſim poſitæ erant ac diſſipatæ, in unum collegit. Hoc verò illiberale, ac malignum artificium nemo æquus & prudens laudaverit. Quis enim neſcit, genus hoc orationis pugnax, & contentioſum, quod in refellendo poſitum eſt, niſi nervos, & aculeos habet ad inſtandum, fractum, enectúmque langueſcere? At hujuſmodi, hoc eſt ad bellandum comparata ſcripta illa noſtra ſunt: è quibus vocabula iſta Vincentius non minùs alio digna, quàm eo, in quem erant collata, deſcripſit. Ea porrò ſi, ut ſunt, ſuis diſpoſita locis, & conſerta legantur, multis ex ipſo contextu ſermonis mitigationibus leniri ſentias: minimum ut acrimoniæ; urbanitatis, & elegantiæ nonnihil habeant. Eadem ab juncturis, & compagibus revulſa ſuis, & in unum congeſta, ſitu mutato, mutant indolem, & aliud ſapiunt. Ita cibis ſale, vel aceto perſperſis jucundè paſcimur: ſalem merum, vel merum acetum nemo ad victum adhibeat. Sic in ſectili pavimento, vermiculatóque opere, teſſellæ ſingulæ ſuis aptæ locis, & connexæ eleganti varietate delectant: ſin eas reciſas, & avulſas in acervum comportes, nihil præter deformia rudera, & verſicolorem

ſicolorem glaream reliqui facies. Tale iſtud eſt, quod ad infamandum Petavium Vincentius excogitavit; ut minùs, quàm cuperet, dicta leniter ac blandè, variis ex locis per quæ erant diſtributa corraderet, & ſub unum aſpectum poneret. Quàm ejus calliditatem, & malitiam minùs equidem miror, nec ea multùm moveor. Illud potiùs videndum quale ſit, quod magis ægrè fert, ac dolentiùs queritur, nimis me in Armacanorum inſectando dogmate vehementem fuiſſe.

Verùm non eſt quod criminis iſtius notam valdè reformidem; in quo vel auctores, vel ſocios habeo innumeros tum doctrina, tum ſanctitate præſtantes, & illuſtres viros, quorum exemplo nos, inſtitutóque tueri poſſumus: hoc eſt antiquos illos omnes Patres, qui adverſus graſſantes ſuis temporibus novitates errorum certamen inſtituerunt. Qui cùm in ceteris faciles eſſent, & tractabiles, in hac una re, diſſimiles ſui, hoc eſt aſperi, & implacabiles fuerunt. Hoc enim præclarè noverant, quod de peſtiferis id genus hominibus verè ſcripſit auctor graviſſimus Gregorius * Nazianzenus, *Pravos homines lenitate ac manſuetudine non inflecti.* Quod in Apollinariſtis tum primùm prodeuntibus experientiâ comperiſſe ſe dicit, & errorem ſuum fatetur. * *Exiſtimabam*, inquit, *fore ut lenitate mea manſuetos, & placidos eos redderem, ac paullatim emollirem: atque hoc mihi ſpe fingebam. Verùm, ut apparet, minimè illud animadverti, me deteriores illos feciſſe, ac per intempeſtivam iſtam philoſophiam Eccleſiæ detrimentum attuliſſe.* Jure itaque * Ruſticus diaconus affirmat, *Turpe eſſe revera, & indecens contra aſſerentem perverſa nos pro veritate frigidiores inveniri.* Et * Lactantius Chriſtianos Scriptores redarguit, qui contraria fidei dogmata refellentes, *neque vim perſuadendi, neque ſubtilitatem argumentandi, neque ullam prorſus acerbitatem ad revincendum habere potuerunt.* Acerbitatem ecce, hoceſt τὸ πικρὸν, καὶ στρυφνὸν, ut eſt in Veteribus gloſſis, quod Latinè *aſperum*, & *amarum*, atque *auſterum* ſonat, in refutandis fidei contrariis erroribus requirit Lactantius. Quam ſeveritatis in refellendo perſonam cùm adverſus gentiles pro Chriſtiana religione certantibus (de his enim ibi præcipuè loquitur) aſſumendam ſtatuat; multò magis ad oppugnandas hæreſes adhiberi eam oportet. Etenim poſterius hoc genus infidelitatis, etſi priore minùs latè patet, eſt eo tamen deterius, ac pernicioſius: uti brevi hoc, ſed memorabili dicto, & oraculi inſtar habito, teſtatur * Epiphanius. χείρων ἡ κακοπιστία τῆς ἀπιστίας, hoc eſt, *Perverſa fides infidelitate ipſa deterior eſt.* Cujus rei hanc affert rationem. ἡ μὲν γὰρ ἀπιστία πίστιν λαμβάνουσα διορθοῦται· ἡ δὲ κακοπιστία ἀνατραπεῖσα, δυσχερῶς σωζομένη, εἰ μή τι ἂν ἄρα χάρισμα ἄνωθεν ἐπιφοιτήσῃ. Id eſt; *Etenim infidelitas ſuſcepta fide corrigitur: prava fidei deſperata emendatio eſt: quæ ad ſalutem difficilè emergit, niſi ſingularis aliqua gratia divinitus aſpiret.*

Immo verò, quod etiam atque etiam notandum arbitror, inter hæreſes, perditiſſimæ, ac deteſtandæ maximè ſunt eæ, quæ parvo admodum diſcrimine ab recta & Catholica profeſſione diſtant. Siquidem, ut prudenter animadvertit * Ambroſius, *vinci illi vel facilè poſſunt, vel facilè vitari, quorum prima propoſitione omne conſilium peccatoris proditur. At verò hi, quibus multa nobiſcum paria ſunt, facilè poſſunt innoxias mentes, & ſoli Deo deditas fraudulenta ſocietate percutere, dum malorum ſuorum virus per bona noſtra defendunt. Nihil enim periculoſius his hæreticis eſſe poteſt, qui cùm integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac ſi veneni gutta, meram illam, & ſimplicem fidem Dominicæ, & exinde Apoſtolicæ traditionis inficiunt.*

Strenuè igitur, & cùm animi, tum orationis impetu toto propulſanda, vel obruenda potiùs eſt illa fidei & ſalutis inimica peſtis: cujus vel in ſola *ſuſpicione quemquam eſſe patientem* vetat * Hieronymus adverſus Joannem ſcribens Patriarcham Hieroſolymitanum.

Hujuſmodi commotæ, irritatæque pietatis ardor quantus in illis exſtiterit, quos auctores habere Petavium paullò antè dixi, ſanctiſſimis, graviſſimiſque Patribus, quæ ad nos pervenerunt illorum ſcripta fidem faciunt; ut Ignatii, Irenæi, Clementis, Athanaſii, Epiphanii, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Nyſſeni, Cyrilli; &, ne ſingulos appellem, omnium ferè, qui contra nefariarum hæreſum portenta, ingenii, & eloquentiæ arma ſumpſerunt. Quorum libri probris, & conviciis, ac mordacibus, & aculeatis vocibus, ſententiiſque ſcatent; dum errorum, ac ſectarum artifices ipſos non minùs, quàm eorum falſa dogmata, non parcè, ac molliter, neque ſumma, ut ita dixerim, cute vellicant: ſed acuta, & penetrabili acie ſtili cruentant, & lacerant.

Tales enim ad opprimendam vitii; ac mendacii labem, veritatis eſſe, ſapientiæque ſermones admonet * Syneſius; nempe ἀῤῥενωπὰς, καὶ σεμνὰς, καὶ ἀτεράμονας ἔχοντας, hoc eſt *mares, & graves, ac rigidos.* Ἀλλ' ὅπῃ παρείκοι καὶ λυπήσειν ἀναπείσονται, καὶ ἀπειλοῦσι δήξεσθαι τὴν καρδίαν, οὐκ ἐν χρῷ μόνον, ἀλλὰ καὶ μέχρι, εἰ ὅπως τι δυνηθεῖεν ὠφελήσειν. Id eſt, *ſicubi facultas data fuerit, moleſtos fore ſe, & cor ipſum non ſe ſtrictim duntaxat eſſe puncturos: ſed ad imum uſque penetraturos minantur: ſi ea moleſtia cuipiam prodeſſe queant.* Denique *ſunt*, inquit, παιδαγωγοί τινες ἀπηνῶς σωφρονισταὶ, καὶ βαρεῖς ἐντυχεῖν, hoc eſt *ſeveri quidam in caſtigando pædagogi, & in congreſſu moroſi ac difficiles.*

Quòd ſi quis iſtud ipſum, quod ex Petavii, & Ricardi lucubrationibus fecit Vincentius, ex illorum quos dixi, Patrum commentariis liberiùs, & aſperiùs dicta decerpſerit, ea ſic congeſta, ſupra uſitatum indicis modum, in ingens, atque amplum volumen excreſcent.

Iraſceris Petavio, ac Ricardo, Rodomonde Vincenti, & quiritando publicam imploras fidem, quòd in Armacanos, hoc eſt in hæreſim veſtram, & vos ejus principes, & anteſignanos commotiores fuerint. Non ferunt auriculæ tuæ ſub hoc elogiu traduci Novum, & hæreticum dogma, appellarique, *opiniones portentificas, canoras nugas, interpretationes malitioſas, calumnias inſidioſas, inſulſas novitates, ineptas fabulas.* Diſplicet tibi, ſectæ illius θεομάχους audire, *libertatis everſores, liberi arbitrii corruptores, novæ libertatis architectos, amore novitatis excæcatos:* & quod caput eſt, [illegible], quod tu homo Græcè valdè doctus *malo ſpiritu afflatos* interpretatis: de quo paullò pòſt dicam.

Tu igitur ob illa, & ejuſmodi alia, quæ in hæreſim veſtram meritò jactata legeras, exarſiſti protinus iracundia; neque continere ſtomachum tuum, vel *lenitatis*, quam ſponte tibi indideras, mimum, ac perſonam ad finem uſque ſervare potuiſti. Itaque ambas iratus buccas inflaſti; ac cùm alia nimis iracundè; tum hæc ſanè horrenda jeciſti: * *Quis veritatis ignarus non homines, ſed hominum monſtra eos eſſe: ex Canibalis, aut montibus Riphæis hùc advecta non putet?*

Quid ſi hæreſim veſtram non illis, quæ in Indiculum redegiſti, tolerabilibus utique dictis, & uſitatis notaſſent illi iſti, quos *Canibalos, & ex montibus Riphæis advecta monſtra* nominaſti; ſed iiſdem uſi in Armacanos, id eſt hæreticos eſſent, quæ antiquiſſimi, & ſanctitate, ac doctrina celeberrimi Patres uſurparunt? Quid ſi *vaniloquos, mentis ſeductores, Chriſtum mercantes, verbi Evangelici caupones, ſycophantas, fructus mortiferos, progeniem maledictam, inimicos crucis Chriſti, feras homicidas, ſementem Diaboli nequam, cippos, & ſepulcra mortuorum, ſerpentes, dracunculos ſquammoſos, aſpides, baſiliſcos, ſcorpiones, lupos, & ſimias*, & cetera ejuſdemmodi illos nominaſſent, quæ in epiſtolis ſcripſit Ignatius? Quid ſi *viperas, ſtelliones, ſcorpios, ceraſtas, aſpidogorgonas, lacertos, bicipites ſerpentes, venenatos crabrones, dipſadas, bupreſtas, ſcarabæos, ſepticipites hydras; cantharidas, efferatiſſimas beluas*, vocarent? quæ quidem, & iis plura in Novorum auctores dogmatum contorquet Epiphanius. Quid ſi Athanaſium imitati, illorum *patrem* dicerent *Diabolum*? ſi eoſdem *ad omnem impietatem projectos, hypocritas, nullo pacto Chriſtianos; immo Chriſtomachos, dæmonum ſimiles, apoſtatas, latrones*; innumeris denique aliis vocabulis appellaſſent, quibus idem in hæreticos deſævit Athanaſius?

Poſſunt ſimilia quamlibet multa Patrum dicta commemorari, quibus, tamquam ſpiculis, & præacutis jaculis, ſuccreſcentes hæreſes, cum earum repertoribus confixerunt. ſed in paucis iſtis ſpecimen dediſſe ſufficiet.

Hîc tu mihi, Vincenti, forſitan occurres; ab antiquis illis fidei Catholicæ defenſoribus, talia in hæreticos probra & convicia meritò eſſe conjecta: In vos autem, veſtrámque ſectam minimè convenire, qui nec hæretici eſtis; & pura, ſinceráque Auguſtini decreta repræſentatis: * cujus *profundiſſima doctrina lucidiſſimam facem* veſter ille *accendit* antiſtes, in quam ex tenebricoſu illo *profundiſſimæ doctrinæ* ſpecu *oculos attollunt* identidem

Margin notes, left column:

* Naz. ep. 77. [illegible]

* Ib. [illegible]

* To. 4. Bib. PP. 820. A.

* Lib. 5. fine c. 1.

* Epiph. in Ancor. p. 13.

* Lib. de Div. Fil. c. 1. quod in Orat. 49. Naz. legitur p. 728.

* Lib. con. Joan. Hier. 659. B.

Margin notes, right column:

* Orat. de reg. init.

* Vincent. Præf. lib. 2. p. 164.

* Vinc. lib. 2. p. 159.

tidem myſtæ, & conſecranei tui, ne vertigine tentati in præceps ruant.

Ain'tu verò? Non ſunt hæretica, quæ ex Lutheri, Calvini, ceterarúmque peſtium venenis [illegible] ille Iprenſis Auguſtinus expreſſit? Non eſt hæreticum, liberum hominis arbitrium dicere cum ſolo pugnare violento; cum eo verò, quod neceſſarium eſt, nec aliter fieri poteſt, conſiſtere? Quam quidem opinionem S. Thomas *hæreticam* olim eſſe judicavit. Non eſt hæreticum, aſſeverare, Legem à Deo per Moſem Judæis datam, ex profeſſo fomentum, ac præmium terrenæ, ac vitioſæ cupiditati promiſiſſe? Non eſt hæreticum, negare gratiam ullam ſufficientem à Deo ſubminiſtrari, qua benè, ſi velint, agere homines, & peccata vitare poſſint? Non eſt hæreticum, affirmare Deum ad ea facienda homines præceptis ſuis obligare, quæ præſtare nequeunt? Quod ex proximè antecedente dogmate neceſſariò eſt conſequens. Quid illa? Parúmne ſunt hæretica, Amorem concupiſcentiæ, quo in Deum feruntur homines, eſſe vitioſum, & peccatu contaminatum? Item, Attritionem ex gehennæ timore conceptam, in vitio, ac delicto eſſe ponendam? Tum hoc etiam inconſtanter ab Armacano dictum, & iſti contrarium; Eumdem gehennæ metum, etſi bonus ſit, & ad peccatum delendum utilis, atque à Deo, & Spiritu ſancto proficiſcatur, tamen ex Chriſti gratia minimè fieri? Aut iſtud, ignorantiam, quam invincibilem vocant, à culpa non excuſare? Si hæc pauca de multis raptim & tumultuariè collecta de magiſtri tui libris ac tua, Vincenti, *theriacâ*, dogmata hæretica non ſunt, quid hæreticum appelles non video. Certè ſana & Catholica nemini ſano, & Catholico videri poſſunt, cùm tot Romanorum Pontificum decretis notata, & inter *hæreticas*, *erroneas*, *ſuſpectas*, *temerarias*, *ſcandaloſas ſententias* relata, damnatáque fuerint. Exſtat hac de re Pii V Conſtitutio, quam Gregorius XIII, & Urbanus VIII Pontifices ratam poſtea novis decretis eſſe juſſerunt. Quorum ad eludendam, labefactandámque vim quas non artes, ac præſtigias hactenus adhibuiſtis! Sed de calliditate, vel contumacia potiùs veſtra, quæ hæreticam prorſus indolem ſapit, déque ſubdolis interpretationibus, quibus contra ſupremam auctoritatem ad hanc uſque diem repugnatis, nihil hic attinet dicere; præſertim cùm ea res, veſtráque illa fraus ſic aliorum opera ſcriptiſque patefacta, illuſtratáque ſit; nihil ut ad iſta novi, indictique poſſit accedere. Hæc ad purgandam ſtili noſtri in vos acerbitatem peroranda duxi, *Vincenti*, quæ vel iniquiſſimis cenſoribus probaturum me eſſe confido. Quòd ſi durus, ac moleſtè querulus nihilominus eſſe pergis: certè, quod reliquum eſt, in te, exemplúmque tuum intueri jubebo; & hoc cogitare, quàm ſit indignum, eam te moderationis, ac patientiæ legem aliis ferre, quam tibi ipſe non præſcribas.

Enimverò feſtivus, ac lepidus es homo, Vincenti. Tu in aditu ipſo theriacæ tuæ longam explicaſti querimoniam de Petavio, & Ricardo, & in ſcribendo aſperitate amborum, & iracundia: quam etiam diſplicuiſſe narras *viris eruditis veritatis conſciis*, qui *negabant ſe vix unam Ricardi paginam ſine ira, & flamma, ac libri è manibus abjectione, poſſe legendo percurrere*. Addis, *te plauſtra denique conviciorum, quæ in illum ſanctum & eruditiſſimum Epiſcopum* (Illum nempe, cujus librum, *cui titulus eſt Auguſtinus*, *multas ex propoſitionibus* olim ab Romanis Pontificibus *pro hæreticis*, *erroneis*, *ſuſpectis*, *temerariis*, *ſcandaloſis & in pias aures offenſionem immittentibus damnatas continentem & renovantem*, ſub excommunicationis pœna *legi*, *ac retineri* vetuit nuper Urbanus VIII, approbante, qui nunc eamdem ſedem obtinet, Innocentio X) quæ igitur in illum, pariter ac vos *Petavius*, *& Ricardus jecerant*, ea tibi *regerere* nec *ultum*, nec *curam fuiſſe* profiteris. *Sciebam quippe*, ais, *infirmitatis ſignum, & fœminarum morem eſſe, ut ſuperatæ ad convicia convertantur; & à S. Hieronymo audieram: Maledicentibus remaledicere, nihil prodeſſe ad cauſam.* Cùm hæc tam magnificè lectoribus tuis de te, ac ſcribendi genere inſtitutóque tuo pollicitus eſſes, ubi ad rem veniſti, omnium illorum, ac tui ipſius oblitus, in illud ipſum *infirmitatis ſignum*, *ac feminarum morem* relapſus es, *ut maledicentibus remalediceres*, *ac plauſtra conviciorum* in eoſdem, à quibus erant jacta, *regereres*, *αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον*, ut Heſiodio præcepto morem gereres. Relege theriacam tuam, & quanta ibi ſint in Petavium, & Ricardum ἀλαζονεύματα, maledicta, convicia, dicteria, ſcommata in illos jacta recognoſce. Quæ quidem tuo uſus exemplo in ſubjecto Indiculo collecta deſcribam.

Vincentii Lenis, id eſt Liberti Frodomondi Lovanienſis Doctoris, modeſtiæ ſpecimen ex illius libro, qui Theriaca inſcribitur.

PRIMUM libri titulus ipſe convicio non vacat. Nam *theriacam, adverſus Petavii, & Ricardi libros* proſcribere, quid aliud eſt, quàm *venena* illorum libros eſſe dicere, & auctores ipſos pro venenariis, & maleficis traducere? Jam utraque Præfatio primi ſcilicet, ac ſecundi libri tota eſt λοιδορητική. In priore, Petavianam eloquentiam ludibrio habet homo latinitatis in ſcribendo ſpurciſſimæ. In poſteriore, Petavii ac Ricardi mores ſatirico felle perfundit. Cetera per ſaturam congeſta ſunt ejuſmodi.

Philoſophia Petavii, & Ricardi pſeudoperipatetica: Petavii & Ricardi crepitacula, quibus S. Auguſtinum, & veritatem circumſtrepunt; ambo in vertiginem, & errorem inciderunt; Ixiones *nubem pro veritate amplexantes. Vehementer Petavius fallit, & fallitur: perpetua ejus hallucinatio: Ambo in adverſarios ſuos ſpumeu lingua depluunt, flammea ira detonant: genius & conſilium gladiatorum iſtorum: ſexcenta ſimilis flamma ſplendida Petavii bilis exſpuit. Quis te genius à mente tua, ſic derepentè alienavit? Quis veritatis ignarus, non homines, ſed hominum monſtra eos eſſe, ex Canibalis, aut montibus Riphæis huc advecta non putet? ferox & muſculus es, mi Ricarde.*

Iſta ignorantiæ craſſæ nebula, in qua duo illi homines perpetuò ambulant, errare pleraque omnia eos fecit, quæcumque erraverunt, & deliraverunt. Dura tua menti fortiter hæc imprime Ricarde. Similes Adrumetini Reverendi Patris Molinæ. Item de Ricardo, *Vis verbum unum, ſed valdè verum audire? Omnes lectioni S. Auguſtini pauliſper aſſueti vident tirocinium tuum hic eſſe, nudiuſtertius cœpiſſe eum legere; & ut nemo animoſulus, ſicut tu es, facilè imaginatur alium ſe potiorem eſſe, in brevi tua clepſydra longam & pertinacem illius Reverendiſſimi Epiſcopi diligentiam voluiſſe metiri.* Obſervetur hoc Frodomondi perinde contumelioſum, ac ſermonis incondita barbarie viroſum maledictum. Pergit deinde: *Itaque, mi Ricarde, diſce poſthac ſpecioſiùs, & credibiliùs mentiri; &, ſi me audis, ingenioſam Ovidii Naſonis Metamorphoſim leges, & imitabere, ut te doceat magis conſequenter fabulari, & rebus vaniſſimis colorem aliquem, & veriſimilitudinem aſpergere. Ricardus & Petavius furiosè aſſultant. Et ut magis mireris, ac Ricardi cæcitatem videas. Peſſima tua cauſa talibus indigebat teſtibus, ut fieret dignum patella operculum. Nec Ricardi ſtoliditas hic ſtetit. Neſcio an riſu crepare debeam cum Democrito. Quis enim veritatis oculis hanc rem intuitus, non defleat hominum aliàs eruditorum cæcitatem, & judiciorum depravationem, ubi ira, invidia, aut ſequior affectus intellectum eorum obnubilat, & præcipitat? Quàm ſalſum, & puerile eſt quod fabularis! Legat te quiſquis volet, & vacat, probationes tuas illicò frigus, & nugas videbit. Quæ omnia te indigna, puerilia, & ſtulta ſunt. Hæc eſt illa tam clamoſa hodie Petavii philoſophia, ex philoſophorum hujus ſeculi imaginatione figurata. Si me medicum conſulant, dilutius poſthac bibent; aut, ut Carneades, bilem exſpuent candido helleboro. Tota Petavii, Ricardi, Suarez, Molinæ, Leſſii, Raynaudi diſputatio videtur mihi fermè eſſe de lana caprina, & quærere nodum in ſcirpo. Theologorum commune placitum ſophiſtica adulteratione infamat Ricardus. Velle autem ſimilibus ventis, librorum ſuorum molem inflare, nonne eſt hominum, qui in talibus parergis & nugarum diverticulis tempus, & paginas perdunt?*

Diſce aliis telis, Ricarde non puerilis iſtis pomis nobiſcum & cum S. Auguſtino μυλομαχεῖν. Veterem ſuum, & confutatiſſimum errorem errat Petavius.

Hæc ſunt modeſtiſſimi hominum Vincentii, & cùm maximè lenitate utentis ſua, in Petavium, & Ricardum dicta clementer, & humaniter. Quæ ſi quis ad illud referat, quod in utriuſque libri Præfatione ſponte ſua denunciavit, ſe abſque conviciis, & acerbitate reſponſurum illis ambobus eſſe; non poterit, quin & tantam rideat levitatem hominis, atque à ſuis cogitatis, decretiſque diſcordiam: & os illius miretur, qui quam

* Vinc. Præl. ad Lect. p. 3.

in adverſariis ſuis reprehendit aſperitatem, & impotentiam, hanc in eodem ipſo, ubi reprehendit, libro non imitatus modò fuerit, ſed etiam longo intervallo ſuperarit.

Age enim quid eſt in Ricardi, & Petavii libris, quo ſe, ſuóſque maximè violatos, & offenſos conqueri poſſit, quod non in eos acerbiùs, iracundiùſque retorſerit? Eſt tamen, inquit, unum atrox inter cetera, & intolerabile maledictum, quòd Armacani ſectatores Græco vocabulo πλχῖνας Petavius appellet: quod ille *malo ſpiritu afflatos* interpretatur. Offendit eadem illa vox & Armacani defenſorem noſtratem in Apologetico ſecundo; in quo protervè, ac parum pudenter in D. Habertum invectus eſt, tunc cathedralis Eccleſiæ Pariſienſis Theologum, nunc Vabrenſem Epiſcopum, virum pietate ac doctrina longè præſtantiſſimum. * In illo libro de πλχῖνος vocabulo μαίνεται ὑπὸ ἀνατῶν: ac *veneficum*, aut *dæmonem* interpretatur. Et ex Græcæ linguæ ſcriniis reconditiorem vocem petitam à me eſſe dicit, ut duplex illud convicium ſub uno nomine in Armacanum jacerem. Atqui non tam arcanum, aut exquiſitum vocabulum iſtud eſt, nec tanto ſtudio ex interiore helleniſmi copia repetendum: ſed ejuſmodi, ut ſolos linguæ iſtius tirones abſterreat. Ac ridiculum prorſus utrique hoc illi contigit, Anonymo ſcriptori Apologetici, & Theriacæ Vincentio. Ambo iſta voce perculſi cùm de vi ejus & proprietate Lexica ſua conſuluiſſent, nihil præterquam quòd inibi exſtabat, expromere de illa voce potuerunt. Et neſcio quo caſu accidit, ut Vocabulariorum auctores, etiam accurati & eruditi, velut Theſauri locupletiſſimi Scriptor Stephanus, eas ſolas notiones perſecuti ſint, quas illi ſolas attigerunt. Verum præter hos, etiam φθονερὸς, & ψογερὸς ſignificari auctor eſt Euſtathius, ad Iliadis librum nonum pag. 772. hoc eſt *invidos, & obtrectatores.* Hoc ſenſu tum in Oratione quartâ Themiſtius: tum Syneſius epiſtola CLIV nomen illud uſurparunt: & eorum nos imitatione πλχῖνας haud inſcitè vocavimus homines illos; quorum ſectam, ac diſciplinam non aliunde ſciunt omnes, quàm ex odio & inſectatione diſſimilium ſui, & invidia eſſe conflatam.

* Apolog. lib. 2. c. 15. p. 122.

Satis arbitror pro Catholico dogmate ad hujus oppugnatricem Vincentii theriacam eſſe reſponſum. Quod ſi cui breviùs, quàm vel pro argumenti copia; vel pro mole adverſarii Operis feciſſe videor; velim ambo iſta legat, inter ſéque componat: tum ſciet profectò, ſi res ex Vincentiani libri merito ponderetur, nihil ad hunc refutandum pluribus; ac ne noſtris quidem illis fortaſſe paucis opus fuiſſe.

APPROBATIO PROVINCIALIS.

EGO STEPHANUS CHARLETUS *Societatis* JESU, *in Provincia Franciæ Præpoſitus generalis facultatem concedo, ut liber cui titulus eſt*, Elenchus Theriacæ Vincentii Lenis, *à P. Dionyſio Petavio compoſitus, & trium ejuſdem Societatis eruditorum virorum judicio approbatus typis mandetur: in quorum fidem has litteras manu mea ſubſcriptas meique officii ſigillo munitas dedi. Flexiæ 20. Octobris 1647.*

STEPHANUS CHARLETUS.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. INCITA de Latinitate Vincentii expoſtulatio. pag 265

II. 1. Controverſia ſtatus. 2. Vincentii prævaricatio, & dogmatis proditio: dum repudiatam à magiſtro ſuo Peripateticam Philoſophiam ad liberi arbitrii doctrinam adhibet. 266

III. Liberi arbitrii ratio conſtituta ex Peripatetica philoſophiæ decretis à S. Thoma præſertim explicatis in Summa Theologica. Præcipuè notanda capita quinque de libertate hominis ex eodem. 267

IV. 1. Eadem ratio liberæ voluntatis ex Ariſtotele probatur, tum Nemeſio, Joanne Damaſceno. 2. Pelagianos rectè de illa ſentientes probavit Auguſtinus. 4. Suffragatur & communi doctrinæ Michael Baius. 268

V. 1. Fucus Vincentii theriacopolæ in libertatis vocabulo. 2. Hujus vocis ambigua notio, ac vera libertatis proprietas expoſita. 3. Liberi arbitrii vocabulum ad evitandam calumniam uſurpandum, cujus nota aliquot ex S. Thoma præſcripta. 4. Meritum non aliunde oriri, quàm ex uſu liberi arbitrii. 5. Itémque laudem, & vituperium. 269

VI. 1. Vincentiana de libertate contra ſuperiorem S. Thomæ doctrinam diſputatio. 2. Ejuſdem falſa interpretatio S. Thomæ. 3. Refellitur ex eodem S. Thoma. 4. De libero arbitrio tota eſt quæſtio, non de voluntate. In illo vera, & formalis eſt libertas, non in quavis motione voluntatis: quod uberiùs declaratur. 5. Quomodo in aliis voluntatis actionibus virtute contineatur libera electio. 270

VII. 1. Liberi arbitrii eſſentia perperam ab Vincentio definita. 2. Quæ refutatur Imperium in quo ſitam ſit. 3. Quomodo voluntas movere ſe dicitur. 4. Voluntatem ſibi non imperare propriè. 271

VIII. 1. Abſurda confectaria Vincentianæ doctrinæ. 2. Ex ea ſequi omnem voluntatis actionem eſſe liberam, etiam in amentibus & parvulis. 272

IX. 1. De neceſſitate opinio S. Thomæ. 2. Huic contrariam tuetur Vincentius, qui omnem neceſſitatem arbitrio libero adverſam vocat coactionem; adeóque duplicem conſtituit, ſed perplexè, & obſcurè. 3. Diluitur Vincentianæ ſententiæ cavillatio. 5. Malè ab eo neceſſitas cogens explicatur. 6. Et refellitur ex iiſdem, quos citat, auctoribus. 273

X. 1. Inſignis Vincentii error in quodam S. Thomæ loco uſurpando. 2. Qui quidem exponitur. 3. Et oſtenditur nihil ad cauſſam Vincentii pertinere. 4. Cujuſmodi neceſſitatis genera ibidem declarentur. 274

XI. 1. Quid inter brutorum appetitum, & hominis libertatem interſit. 2. Quod ex S. Thoma declaratur. 3. Tum illuſtratur ex Hierocle Pythagoreo. 4. Quid diſtet ab eodem appetitu brutorum, hominis voluntas non liberè agens, ſed neceſſariò. 275

XII. 1. Vincentii aſtus in explicando diſcrimine neceſſitatis, qua bruta feruntur, & parvulorum, aut amentium. 2. Fruſtra ex imperatrice vi voluntatis ab illo peti, quæ nulla circa neceſſaria ſit. 3. Pecudum, maximéque aſinorum petitum ab Vincentio teſtimonium eluditur. 5. Ludicrum ejuſdem λοιγμα. 276

XIII. 1. Cyrillus Hieroſolymitanus perperam appellatus à Vincentio. 2. Ovis exemplo libertatis ac meriti rationem explicat. Et ludicra Vincentii opinio de brutorum appetitu. 3. Qui circa finem ultimum clarè cognitum liberè ferri voluntatem, falsò putat, & laudem etiam inde promereri. 4. Sed in laudis ambigua ſignificatione cavillatur. 277

XIV. Ex Vincentii opinione ſequi Spiritum S. produci à Deo liberè, & ex arbitrio libero. Ex quo horrenda blaſphemia ſequuntur. 278

XV. 1. Vincentium fruſtrà Patrum teſtimonia cumulaſſe ad opinionis ſuæ faciendam fidem. Ex iis nihil ab illo effici. 2. Voluntarium ſæpè pro libero ab auctoribus uſurpari, & voluntatem pro libero arbitrio. 3. Vincentium libertatem ita deſcribere, ut non cuicumque voluntatis actioni, ſed ei, quæ eſt liberi arbitrii propria, duntaxat conveniat. 4. Ejuſdem deſultoria levitas, qui aliàs liberum arbitrium cum ſimplici voluntate confundit, aliàs ſeparat. Quæſtionem hic eſſe de ſolo arbitrio libero. 5. Quomodo pacificari controverſia iſta debeat. 279

XVI. 1. Ridicula Vincentii jactantia. Voluntarium, & ſpontaneum ſæpè pro libero ſumitur. Damaſceni locus ab eodem contra ſe productus. 2. Quo liberi arbitrii propria ratio continetur. 280

XVII. 1. Vincentii falſa definitio libertatis. 2. nata ex inſcitia Latinæ vocis imperii. 3. Ejuſdem de actu reflexo voluntatis fabula. ibid.

XVIII. 1. Ariſtotelis locus perperam intellectus, & expoſitus à Vincentio. 2. Nec non Damaſceni. Cui laus propriè conveniat. 281

XIX. 1. Quæſtio ab Vincentio commota, utrum voluntas quo ſe inſtanti movet, duplex judicium propoſitum habeat. 2. Reſpondetur re unicum, virtute eſſe duplex: quoniam eligibile eſt quod offertur voluntati, adeóque utile, & contingens, non neceſſarium 3. De indifferentia voluntatis: in qua fruſtra conſlictatur Vincentius. 282

XX. 1. De locis Scripturæ, quibus liberi arbitrii deſcriptio continetur. 2. Vincentii ſtropha in eo loco, qui eſt Geneſ. quarto. 3. Nec non in altero, Eccleſiaſtici decimo-quinto. 4. Cujus falſa interpretatio refellitur, quæ teſtimonium illud, & alia ſimilia refert ad ſtatum innocentiæ. 5. Quod ex ipſa orationis ſerie redarguitur. 6. Tum ex Veterum conſenſu. ibid.

XXI. 1. Colligitur ex ſuperiori diſputatione, eſſentialem libertatem poſitam eſſe in indifferentia, ſive poteſtate utriuſque. 2. Quod ex variis illius deſcriptionibus, & vocabulis, quibus Patres liberum arbitrium exprimunt, oſtenditur. 3. Tum ex Scriptura. 284

XXII. 1. Expenditur Auguſtini locus ex libro de Correptione, & gratia ab Armacanis objici ſolitus, in quo de auxilio ſine quo non, & quo agimus, diſſerit. 2. De ſola perſeverantiæ gratia ibi Auguſtinum loqui. 3. Qualis ea fuerit Adamo conceſſa. 4. Cujuſmodi ſit ea, quæ per Chriſtum conceditur. ibid.

XXIII. 1. Pergitur in illuſtrando loco illo S. Auguſtini. 2. Non pertinere ad quamcumque Chriſti gratiam. 3. Quâ differat Chriſti gratia ab ea, quæ data eſt Adamo: ac primùm exponitur cujuſmodi hæc fuerit: tum qualis Chriſti meritis parta. 286

XXIV. Errata Vincentii deinceps collecta per ſaturam. 1. Poſſibilitatis gratiam negat eſſe gratiam Chriſti, idque ipſum refellitur. 2 Ejuſdem mendax calumnia de Molina, Leſſio. 3. Et de Petavio. ibid.

XXV. 1. Vincentii error, & falſa interpretatio loci cujuſdam Auguſtini de Correptione & gratia, & aliorum in quibus de auxilio ſine quo non & quo agitur; tum de poſſibilitate. 2. Poſſibilitatem rectè agendi, gratiam eſſe, negat Vincentius: idque refellitur. 3. Idem gratiam primi hominis naturalitatis aliquid habuiſſe dicit. 4. Quod in Michaële Baio damnatur. 287

XXVI. Falſa argumentatio Vincentii diluitur, quam contra Catholicos inſtruit, de gratia Adamo data, & Chriſti meritis parta. 288

XXVII. Non omne peccatum eſſe culpam, ac quid inter ambo hæc interſit: quod ex S. Thoma, tum S. Auguſtini auctoritate comprobatur. 289

XXVIII. 1. Vincentii & Armacanæ ſectæ falſa opinio: in eo etiam, quod neceſſe eſt, & vitari non poteſt, adultos homines eſſe culpabiles. 2. De gratia ſufficiente, quæ aliquot Auguſtini teſtimoniis adſtruitur. ibid.

XXIX. Epilogus, in quo querela Vincentii Lenis occurritur de aſperitate Petaviani ſtili. 290

DIONYSII

Digitized by Google

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS,

E SOCIETATE JESU,

De Adjutorii ſine quo non, & Adjutorii quo, verâ germanâque notione, ab Iprenſibus præſtigiis vindicata,

BREVIS DISSERTATIO,

In quâ novæ ſectæ fundamentum penitus evertitur.

Ad Illuſtriſſimum quemdam Præſulem.

CAPUT I.

Exponitur præſentis diſputationis occaſio, & quæſtio ipſa conſtituitur.

QUÆSISTI nuper à me, (PRÆSUL ILLUSTRISSIME) quid de novo illo, & latiùs propagato dogmate ſentirem, quod ab auctore Janſenio, Janſenianum appellari meruit. Huic Inquiſitioni meæ cùm ita reſpondiſſem, falſum mihi, & ab Catholicæ fidei norma alienum videri: occurriſti mihi ſtatim, & unum excepiſti, quod ab illis jactari vulgò ſolet: qualecumque tandem illud eſt, Auguſtinianum eſſe, nec eſſe veriſimile, doctorem tantum hæreticum fuiſſe. Illud unum verò, ad illius purgandam invidiam ſatis eſſe debere, quod pro certo traditum ſit ab Auguſtino: nec enim non Catholicum judicari oportere, quòd abſque dubio conſtet auctore ab illo proditum fuiſſe. Hic verò, cùm ſepoſitâ illius auctoritate, quæri de illo, rogante te, placuiſſet, negarémque ab Auguſtino, tale aliquid mandatum eſſe litteris, & ut periculum rei iſtius inter nos fieret, etiam atque etiam poſtularem, & quem præcipuum haberent fundum illius decreti, proferre te juberem; non impigrè occurriſti ſic: cùm eſſent plurima, quæ ad fulciendam hanc opinionem identidem ex Auguſtino teſtimonia depromerent, unum præ ceteris uſurpare quaſi decretorium. Sciſcitante verò me ſtatim ecquod illud eſſet, nec interpoſita mora, illum dixiſti eſſe locum, qui in libro de correptione & gratia, capite XI, & XII. legitur; ubi Auguſtinum Janſenius duo gratiæ genera, ſive auxilii ad benè agendum, genera duo conſtituere aſſerit: unum, quod vocat *auxilium ſine quo non*; alterum, *auxilium quo*: ac prius ejuſmodi eſſe, ut abſque eo nihil agere poſſimus, quamvis cum eo non ſemper agamus. Quemadmodum cibus ejuſmodi eſt ut ſine illo vivere nequeamus, quamvis cum eo & eo adhibito, non ſemper vivamus. Alterum, quod *auxilium quo* nominat, tale eſt, ut neque ſine ipſo agere poſſimus, & cum ipſo ſemper ac neceſſariò agamus. Verba Auguſtini hæc ſunt ex capite 12. libri de correptione & gratia. *Aliud eſt*, inquit, *adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit; nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen dum affuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium eſt enim, non ſolùm ſine quo non fit, ſed etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit eſt, & ſine quo non fit: quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & ſi data numquam fuerit, numquam erit: alimenta verò non conſequenter faciunt, ut homo vivat, ſed tamen ſine illis non poteſt vivere.*

Quibus poſitis ſubjicit id Auguſtinus, cujus gratiâ comparationem illam in medium adduxerat: ac primo homini datum eſſe dicit *adjutorium perſeverantiæ*, quale ciborum illud erat ad vitam conſervandam, nempe, *non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.* Huic auxilii generi alterum opponit ſic; *Nunc verò ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non ſolùm tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum, non niſi perſeverantes ſint.*

Hic ille locus eſt Auguſtini, quod unicum * Janſeniani commenti firmamentum ac præſidium eſt. Nam ex eo duplex gratiæ genus conſtituit, quorum prius eſt quod naturæ ſanæ proprium fuit, quale in ſolo Adamo extitit, antequam peccaret: Poſterius, quod naturæ lapſæ congruit, ac medicinale dicitur. Inter quæ duo, diſcrimen illud ſtatuit; *quòd prius adjutorium* (verba ſunt Janſenii) *ante ruinam erat tale, ut influxus adjutorii, perinde atque voluntatis in opus, ab ipſo liberæ voluntatis uſu penderet, adeòque ſalva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia. Nunc verò poſt ruinam tale eſt, ut faciat annuere & influere & velle voluntatem.* Quod diſcrimen ita declarat; *Nam aliud*, inquit, *ejuſmodi eſt, ſine quo voluntas velle non poſſit, ſic tamen, ut velle & nolle, uti vel non uti adjutorio, in ejus libero relinquatur arbitrio: aliud quo fit determinatè ut voluntas velit; eſt enim illius naturæ, ut hoc ipſo, quo voluntati datur, confeſtim velit.* Primi generis in exemplum affert, *lucem reſpectu oculorum, ſpeciem reſpectu intellectus; ſic enim adjuvant, ut ſine illis quidem non poſſit opus fieri, non tamen illis præſentibus efficiatur ut fiat, ſed hoc à liberæ voluntatis nutu pendet, quæ hujuſmodi adjutorium & in uſum aſſumere, & negligere poteſt. Secundi generis adjutorium non eſt tale, ſed hoc ipſum quod ſuapte efficaciâ facit influere facultatem, nec facultatis ipſius libero arbitratui ſubjacet, ſed invictè facit, ut hoc vel iſtud arbitrium arbitretur & velit. Talis eſt influxus omnis cauſa formalis. Hoc ipſo quippe, quo adeſt juſtitia, fit juſtus animus, & ſine illa juſtus eſſe numquam poteſt.*

* Janſen. p. 40. B. 10. 3.

Hæc ſumma eſt Janſenianæ ratiocinationis, quam ego falſam & ineptam, & homine indignam erudito eſſe contendo: quod deinceps ita planum faciam; ut ſi quid in illis ingenui pudoris eſt, eo frontem illorum ac vultum oppleri neceſſe ſit. Hoc igitur agamus.

CA-

CAPUT II.

In quo falſa Janſenii argumentatio convincitur.

UNDE igitur convinci ac redargui tantus error commodiùs, apertiúſque poteſt, quàm ſi Auguſtini verba & ſententias cum Janſenii verbis ſententiiſque conferamus? Age verò, duo colligit Janſenius, ad idem opus præſtandum, adjutoria, ſive auxilia gratiæ. Hæc qui audit, quid aliud cogitare poteſt, quàm cauſas duas efficientes ejuſdem operis & effectus? At in Auguſtini verbis non duæ cauſæ efficientes conferuntur inter ſe, ſed altera dumtaxat efficiens, altera formalis: quod ſubinde declarabitur. Deinde Auguſtinus non de uno genere gratiæ loquitur, ſed de uno dumtaxat dono perſeverantiæ: ſiquidem in duobus illis capitibus de ſola perſeverantiâ diſputat, eámque diſtinguit duplicem, alteram quæ Adamo tributa eſt, quando ſerpentis & conjugis ſuæ pulſatus illecebris, à Deo adjutus eſt, ut contra illas perſeverare (ſi vellet) poſſet. Alteram, qua prædeſtinati poſt Adami culpam peculiari Dei favore & gratiâ, perſeverantes ſiunt.

Inter hæc verò perſeverantiæ genera duo, notanda etiam atque etiam hæc differentia; quod prior, meram habuit Dei opitulantis efficientiam, qua efficienter Adamo qualemcunque motum ingenerabat gratiæ, ut externis tentamentis reſiſteret. Poſterius autem genus electorum proprium, nullam ea ſeſe realem & poſitivam (ut vocant) Dei adjuvantis effectionem requirit, ſed poteſt ſine ulla tum Dei, tum hominis actione conſtare. Quæ res, quia permagni momenti eſt, intentum lectorem deſiderat. Sciendum eſt itaque, perſeverantiam, ſi generatim definiatur, hoc unum poſtulare, ut ſit homo in ſtatu gratiæ ſanctificantis, & ut in eo ſtatu mors illum occupet, quod in parvulis poſt Baptiſmum ſtatim è vita ſubtractis manifeſtè cernitur: De quibus liber * Sapientiæ, in famoſo illo, & ab Auguſtino libenter uſurpato loco; *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius;* meritò poteſt intelligi. Quis autem ſine perſeverantiæ dono ſalutem adeptos illos fuiſſe dicere audeat? & iidem tamen actualis (ut vocant) gratiæ, funditus expertes fuerunt. Ergo illorum perſeverantia nihil habuit præter ſtatum gratiæ & amicitiæ Dei, & mortem illi ſupervenientem. Quæ cùm ita ſint, duplex nobis diſcernendum eſt perſeverantiæ donum; unum quod *paſſivum* appellare poſſumus, in quo de ſuo nihil homo confert, ut in parvulis evenit, aut iis, qui cùm juſti ſanctique ſint, ſine ullo certamine, nec opinatò moriuntur: alterum genus eſt quod actuoſum & laborioſum meritò vocetur, quale in Martyribus fuit, qui in agone ipſo invictè perſtiterunt, quibuſque continuò & ſine ceſſatione actuale Dei auxilium, quæ proprie gratia eſt, adſpiravit ad extremum uſque ſpiritum. De hoc ſecundo genere potiſſimùm agit Auguſtinus, in illo loco de correptione & gratia. Comparat enim perſeverandi donum fortiſſimis illis athletis, ad perferendos, & ſuperandos diriſſimos illos cruciatus à Deo ſubminiſtratum, cum illo, quod Adamo tributum eſt, in leviſſimo illo agone, in quo cum blandimento conjugis, ac mollibus illecebris certamen habuit: quorum exitus ita inter ſe comparat, Adami quidem, his verbis. * *Denique ille Adam, & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium, libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate.* De Martyribus verò ſic: *Iſti autem, non dico terrente mundo, ſed ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in fide, cùm videret ille bona præſentia, quæ fuerat relicturus, iſti futura, quæ accepturi fuerant, non viderent.* Quocirca confert donum illud perſeverantiæ, quo Martyres, ut reipſa perſeverarent, adepti ſunt, cum eo, quo accepto, Adamus perſeverare potuit, quando ab uxore ad violandum Dei mandatum impulſus eſt: nec tamen re ipſa perſeveravit; cum hoc (inquam) ſolo Adami conflictu, confert Martyrum certamen, & horum perſeverantiam ultimam, cum temporaria illa, cujus tum obtinendæ poteſtatem Adamus habuit. Non enim mentionem facit perſeverantiæ (ut vocant) finalis Adami, quam poſt peccatum, per pœnitentiam ex meritis Chriſti conſequutus eſt: nec illius quam ex propriæ merito voluntatis, ut idem loquitur Auguſtinus, obtinuiſſet, ſi in accepta juſtitia originali permanſiſſet.

* Sap. 4. 12.

* cap. 12. de corrept.

CAPUT III.

Multis aliis rationibus falſa novi Dogmatiſtæ eliditur opinio, & vera Auguſtiniani loci ſententia comprobatur.

QUÆ hucuſque de Auguſtini loco illo, & præpoſtera Dogmatiſtæ novi interpretatione diſputavimus, plus ſatis idonea ſunt, ad novi commenti coarguendam falſitatem, cujus auctor ita cæcus fuit, ut manifeſtam & coruſcantem oculis mentis lucem Auguſtini verborum prorſus non videret. Quam ut preſſiùs hoc in capite conſtringamus, vel hoc unum conſiderari volo; quod Auguſtinus ſecundum gratiæ genus, quod naturæ lapſæ proprium eſt, nihil aliud eſſe vult præter cauſam formalem, hoc eſt formam ipſam, qua ſubjectum tale eſt ac nominatur. Affert enim in illius exemplum beatitudinem ipſam, non quæ beatitudinem efficit in homine, ſed qua beatus eſt. Neque enim cauſa formalis, ſive forma, à qua tale quidpiam nominatur, ſe ipſam producit, ſed applicat ſe, & nullo alio ſuperaddito, tamquam effectu ſuo, ſubjectum tale conſtituit ac denominat. Quemadmodum juſtitia non producit in homine juſtitiam, tamquam formalem effectum ſuum à ſe diverſum, ſed eſt ipſamet forma, qua ſubjectum afficitur & formatur, appellatúrque juſtum. At Janſenius ſecundum gratiæ genus, quod eſt naturæ lapſæ, ſic explicat, ut effectum realiter à cauſa diſtinguat. Ait enim, * *ſecundi generis adjutorium non eſt tale, ſed hoc ipſo quo datur, ſimul uſus ejus, & influxus poteſtatis datur. Eſt enim hoc ipſum, quod ſuapte efficacia facit influere facultatem.* Ubi perſpicuum eſt, adjutorium illud gratiæ, ab effectu ſuo re ipſa differre. Si quidem ait, hoc adjutorium facere influere facultatem: ex quo neceſſariò conſequens eſt, idem illud adjutorium, non eſſe influxum facultatis ejus opinione illum. Quis enim adeo deſipiat, ut adjutorium illud, quod à Deo datur, & naturæ vires excedit, vitalis actio ſit voluntatis, hoc eſt, influxus ipſius, quem idem donum efficit? An verò beatitudo formalis, quâ ſancti beati ſiunt, facultatem illam animi, quæ beatitudinis ſubjectum eſt, facit influere, ut beatitudinem ipſam producat? Nónne eo ipſo, quo beatitudo formalis & actualis (nec enim formalis ulla eſſe poteſt, quæ non ſit actualis) in anima eſt beati, beatus eſt? Quomodo igitur adjutorium illud, ſi eſt gratia naturæ lapſæ, conſenſum efficere poteſt, ſi eſt cauſa formalis, qua conſentimus? aut quomodo ſuapte efficaciâ facit influere facultatem, & utique conſentire; cùm cauſa formalis conſentientis voluntatis, ſit ipſa conſenſio, quam Janſenius ait, poſt applicationem adjutorii illius à facultate produci. Quis hunc nodum Oedipus diſſolvat? aut quis non pugnantem ſecum, & in ſeipſam incurrentem inſcitiam, temeritatémque cognoſcat?

* Janſ. to. 3. lib. 2. cap. 4. pag. 402. cap. 2.

Rurſus Sole coruſcante meridiano clarius eſt, Auguſtinum in illo loco, non de quolibet adjutorio gratiæ, quo natura lapſa juvatur ad benè operandum, ſed de illo ſolo verba facere, quo re ipſa & actu perſeverat, hoc eſt de perſeverantia ipſa, cui hoc eſſentiale eſt, ut mortem conjunctam habeat. Unde ſi rectè cogitare volumus, perſeverantia complexum aliquid eſt ex poſitivo & negativo, ſive privativo. Ita enim nec aliter, perſeverandi, ſive perſeverantis hominis juſti cauſa formalis eſt, quàm ſi utrumque concurrat, nimirum poſitivum unum, hoc eſt ſtatus gratiæ, & alterum privativum, quod in morte conſiſtit. ſic utrumque perſeverantia eſt, & perſeverantis hominis cauſa formalis, ſicut beatitudo beati, & juſtitia juſti.

Ex quo magis intelligitur novi Dogmatis abſurda ratio, quæ adjutorium illud, quod ab Auguſtino commemoratur, ad cujus notionem & eſſentiam vitæ privatio pertinet, & quod ſolis electis convenit, ad omnia gratiæ actualis & efficacis auxilia pertinere contendit. Quo conceſſo, jam nulla novi Teſtamenti gratia eſt, niſi quæ mortem habet adjunctam, quod incredibiliter eſt abſurdum.

At expoſitio à nobis allata plana eſt, facilis eſt, omnis eſt obſcuritatis & ambiguitatis expers. Hinc enim agnoſcimus, quorſum Auguſtinus dixerit, tale eſſe do-

oum

num iſtud, quo non tantùm perſeverare poſſunt homines, ſed etiam non niſi perſeverantes ſint; quoniam cùm donatur adjutorium iſtud, perſeverantia ipſa donatur.

Unum ſupereſt hoc in loco conſiderandum, utrumque illud gratiæ genus, adjutorium ab Auguſtino eſſe nominatum; cùm tamen, ſi propriè ac præcisè loqui velimus, adjutorii vox, cauſæ dumtaxat efficientis ſignificationem habeat: quippe adjutorium eſt, quo ad agendum, vel aliquid conſequendum adjuvamur; at cauſa formalis non eſt adjutorium ejuſmodi, ſed eſt forma ipſa, quâ tales efficimur; ſicut beatitudo non adjuvat nos, ut beati ſimus, ſed eſt forma ipſa, quâ beati ſumus. Nihilominus ita loquutus eſt, & loqui voluit, ut eodem vocabulo generis unius, duas doni perſeverantiæ ſpecies comprehenderet. Quid autem in vocabulo hæſitare attinet, ſi res ipſa & mens Auguſtini perſpecta ſit?

Ad hæc omnia, quæ de loci illius Auguſtini enarratione, déque ſiniſtrâ novi Dogmatiſtæ ſententiâ huc-uſque diſputavimus, poſtremum hoc adjungi debet, voces illas, *adjutorium ſine quo non*, & *adjutorium quo*, etiam alio in loco, eóque unico, eodem ab Auguſtino uſurpatas fuiſſe, ſed longè alio ſenſu ab eo quem illis ſubjicit Janſenius: nempe in libro de geſtis Pelagii capite primo: ubi adjutoria ſine quibus, ejuſmodi eſſe dicit, *Sine quibus illud ad quod adjuvant, effici non poteſt, ſicut ſine navi navigat nemo, nemo ſine voce loquitur, nemo ſine pedibus graditur, nemo ſine luce intuetur, & multa ejuſmodi: unde eſt etiam illud quod nemo ſine Dei gratia rectè vivit.* Tum ita pergit, *Alia verò ſunt adjutoria, quibus ſic adjuvamur, ut etiamſi deſint, poſſit alio modo fieri propter quod enquirimus: ſicut tribula ad fruges terendas: pædagogus ad puerum ducendum*, &c. Hæc Auguſtinus, in quibus *auxilium quo* contrario ſenſu accipit ac novus Dogmatiſta, longéque abeſt, ut tale illud eſſe velit, quod rem omninò conficit, & ita quidem, ut ſine eo reipſa non fiat.

CAPUT IV.

Explicatur ac diſſolvitur quod pro novi Dogmatiſtæ ſententiâ, & Auguſtiniani ab eodem allati loci interpretatione poteſt objici: tum operis totius concluſio.

SED ne quid in illo Auguſtini loco latebræ relinquam novi Dogmatiſtæ ſententiæ, quod unicum cauſari fautores illius ſectæ poſſe video, quantumvis leve ſit, nolo prætermittere. Contra hoc igitur, quod injuriâ feciſſe illum arguit, ut quod Auguſtinus de ſola perſeverantiâ, & ei ſubjunctâ morte ſcripſit, id illum ad omnem actualem ut vocant, & excitantem gratiam tranſtuliſſe, quâ animus pulſatur à Deo, ut velit, agátve benè, etiam citra mortem; adverſus hoc igitur à nobis objectum, præſcribere ſic argumentaríque poſſunt, Auguſtinum de eo perſeverantiæ genere illîc agere, quod actuoſum & laborioſum ſuprà nominavi, quale in Martyribus fuiſſe docui. Hanc ergo gratiam, qua illorum mentes corroboratæ ſunt, ad acerbiſſimos illos cruciatus pro Chriſti nomine tolerandos, & vincendos, talem in eis efficientiam habuiſſe, poſſunt illi dicere, ut invictâ quadam neceſſitate, conſenſum ab illis expri-meret, ſublatâ libertatis indifferentiâ ad conſentiendum vel diſſentiendum: atque hoc efficacitatis gratiæ medicinalis exemplum, ſic in Martyribus Auguſtinum attuliſſe, ut ad cetera etiam adjutoria gratiæ vellet extendere. Poteſt hoc, inquam, ab adverſariis utcumque proferri. Verùm hæc tergiverſatio prorſus eſt futilis, neque cum Auguſtini verbis conciliari poteſt. Imprimis enim mera hæc eſt Janſenii divinatio, ſic Auguſtinum pro arbitrio interpretantis, & ex interpretatione ſua, tamquam ex liquida, & concepta illius auctoritate, inventum ſuum adſtruentis. Atqui ad novi Dogmatis, tamquam Auguſtiniani, conſtituendam fidem, diſertas Auguſtini voces proferre opus erat: non eo uti argumentationis ſuæ *medio* (ut vocant) quod & ipſum maximè probationis egeret. Hoc enim eſt Tuſcum litigium, ut idem loquitur Auguſtinus, cùm lis lite reſolvitur. Quocirca, quod Auguſtinum aſſerit perſeverantiam ibi commemoraſſe, tamquam unam aliquam generis ſpeciem, ut, quod de ea diceret, referri vellet ad reliquas ſpecies ſub eodem gratiæ nominè, ac genere comprehenſas, hoc (inquam) gratìs confictum, falſúmque eſſe defendimus: negamus de omni actuali gratia loqui iſtic Auguſtinum; ſed de una tantùm agere perſeverantiâ dicimus: quod ex toto contextu orationis perſpicuè colligitur. Nam & ad explicandum, cujuſmodi gratiam intelligat, beatitudinis utitur exemplo: ut quemadmodum qui beatitudinem accipit, eo ipſo fit beatus, non quòd beatitudo aliquid in eo agat & efficiat, etiam neceſſariò, & citra indifferentiam, quo fiat beatus; ita, qui donum illud accipit perſeverantiæ, eo ipſo perſeverans ſit, & nihil aliud niſi perſeverans; non quia gratia illa perſeverantiæ, perſeverantiam in illo efficit, ſed quia perſeverantia eſt. Deinde qui tergiverſatione illâ uti velit, duo neceſſe eſt in dono perſeverantiæ illîc ab Auguſtino diſtingui aſſerat; unum, quod eſt perſeverantia ipſa formalis; alterum, quod eſt actuale auxilium gratiæ ad perferendum martyrium. De priori nulla controverſia eſt, quin neceſſariò perſeverantem faciat. Itaque totum in eo vertitur negotium; ut novi Dogmatiſtæ non illud aſſumant, ſed probent ac demonſtrent, in illô loco Auguſtini, quem fundamenti loco novitati ſuæ ſubſtruunt, affirmari adjutorium illud actualis gratiæ, quo voluntas eorum adjuta & roborata eſt, ut tormentis reſiſterent, eidem voluntati neceſſitatem attuliſſe, indifferentiam ademiſſe, adeo ut in eorum poteſtate non eſſet, gratiæ illi reſiſtere: hoc, inquam, evincendum illis fuit ex Auguſtini verbis, ut inde quod volunt efficerent: quod quia nullô modo facere poſſunt, deſinant pro Auguſtiniano jactare frivolum, & alienum à Catholica regula commentum novæ opinionis & hæreticæ.

Hæc mihi (Præsul Illustrissima) de exorta inter nos quæſtione proponenda videbantur: quæ ut eſt ingenii tui acumen & candor, facilè me tibi probatutum eſſe confido; atque ita quidem, ut majorem in modum obſtupeſcas, tantam repentè vim è doctorum ſubſelliis huic inſulſæ fabulæ plauſorum & fautorum extitiſſe. Circumſpiciat enim animo; & expendat apud ſe prudens ac ſobrius quiſque, quantos decem abhinc annis motus ac tumultus in Chriſtiana republica novitas illa concitarit: ut in Catholica parte recens ſit conſtituta ſecta, & hominum corroborata ſtudiis, Eccleſiaſticam unitatem & concordiam, fœdiſſimo diſſidio conſciderit: ut pro vetere ac recepta Catholicos inter doctrinæ profeſſione, nova ſit & contraria fides introducta; nec alia planè, quantumvis diſſimulet ac latere ſtudeat, quàm quæ in Luthero & Calvino, ceteríſque peſtibus damnata, & ſub anathematis pœna proſcripta fuerat. Sed ut de damnatione, ac ſcelere recentis iſtius perfidiæ nihil modò dicamus, & in ſolam ejus novitatem intendamus animos: certè rationi conſentaneum illud fuit; ut qui Catholicum nomen omne eò inſtitueret adducere, ut mutatâ & ejuratâ veteri de gratiâ perſuaſione, novam acciperet, ex Auguſtini libris accerſitam (quandoquidem benè de gratia loquendi ac ſentiendi unica hæc & certiſſima regula proponitur) certam & liquidam, ac minimè dubiam & ancipitem Auguſtini mentem in medium afferret; ut ſine ullâ controverſiâ, qui Auguſtini verba legeret, ſtatim illam agnoſceret. Atqui hujuſmodi eſt novum illud Dogma, quod pro vetere profitendum induxit Eccleſiæ Catholicæ novæ artifex ſectæ Janſenius, ut in Auguſtini libris nullo modo ſit expreſſum, ſed ſolâ divinatione & opinione illius affictum. Quod hactenus in uno Auguſtini loco perſpicuè declaravimus, quem tanti ille fecit, ac toties inculcavit, nullum ut aliud firmamentum novæ ſuæ ſententiæ ſubſtruxiſſe videatur; hunc certè penè ducenties in opere ſuo repetiit, quod quidem ab Calvino didicit, qui in Antidoto contra Concilium Tridentinum, ad eamdem, velut Tridentinis decretis adverſariam doctrinam affirmandam, oppoſuit; quod ejuſdem poſtea ſectatores impigrè fecerunt. Quamobrem, ut eò revertar, quod dicere inſtitueram, & huic diſſertationi clauſulam apponam; ſatis mirum & miſeratione dignum eſt, Catholicos homines, ſpretâ vetere doctrinâ, novam iſtam tamquam Auguſtinianam repentè eſſe complexos, ac ſibi tam luculenter imponi paſſos eſſe; ut pro Auguſtiniano id arriperent, quod nuſquam ab Auguſtino vel leviſſimè uſurpatum, ſola illi externi hominis, nec valdè docti, libido ac temeritas affinxit.

FINIS.

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS, E SOCIETATE JESU, EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.

NUNCUPATORIÆ.

EPISTOLA PRIMA.

LUDOVICO XIII. Regi Chriſtianiſſ.

Nuncupatoria Themiſtii.

FIDISSIMOS regum monitores ac conſiliarios eſſe libros, Ptolemæo regi dixiſſe Phalereum illum Demetrium narrant (LUDOVICE REX CHRISTIANISSIME.) Quòd quæ vel offenſionis metu reticere, vel per adulationem ſupprimere vivi ac ſpirantes nonnumquam ſolent; ea muti illi atque mortui impunè ac fidenter commoneant. Sed nequaquam ille mihi ſatis quæ in rem eſſent explicaſſe videtur; cùm de librorum genere toto, nullo eorum delectu ac diſcrimine, regibus præſcripſit. Ac multò ſanè prudentius alter hic eadem ex ſchola philoſophus, quem ſub Auguſtiſſimæ M. T. nomine publicare ſum auſus. Qui apud Valentinianum Imperatorem, ætate atque indole tui ſimillimum diſputans, præclarè ita conſtituit: *Non eoſdem privatis hominibus, & principibus ſermones, ac libros accommodatos, atque idoneos eſſe. Sed nimirum, ut amictus, ædes, equi, currus, ac miniſtri, ceteráque quæ ad cultum pertinent corporis, ornatiora illis, quàm ſibi ſubjectis, & ſplendidiora ſunt, ita diſciplinas ac libros non communes iiſdem, ac vulgares attribui, ſed proprios atque præcipuos oportere.* Cujuſmodi eos eſſe definit, *qui teneris principum mentibus alti atque exaggerati animi magnitudinem quamdam & gravitatem inſtillant: Quique reges illos priùs, ac moderatores eſſe ſui, quàm aliorum rectores ac gubernatores, doceant: Ac denique qui diviniſſimi præſtantiſſimíque cùm ſint, divinam in eos & conditionem, & appellationem transfundant.* Quòd ſi ullius umquam lucubratio Scriptoris in hoc regiorum, ut ita dicam, librorum grege cenſenda meritò fuit; non vereor ut Themiſtianæ Orationes ſuum in eo locum ac dignitatem tueantur. Sunt enim hæ & ab homine ſapiente, ac philoſopho ſcriptæ, & eo genere ſapientiæ prædito, quod non otioſum, & incluſum domo, ac ſcholis hæſit: ſed cùm publicam ad rerum adminiſtrationem, tum Principum maximè inſtitutionem effloruit. Quo quidem utriuſque paris propè ac conſentientis induſtriæ nomine, Romanis Imperatoribus, quorum ætate vixit, in paucis acceptus fuiſſe, & apud eos plurimùm auctoritate ac potentia valuiſſe dicitur: viciſſim verò, quam apud eoſdem collegerat gratiam, multis ac præcipuis in eos ac remp. officiis compenſaſſe. Quo enim in loco habitum illum neceſſe eſt fuiſſe, qui præfectura ab iis ampliſſimæ urbis ornatus, atque ad ſenatorium ordinem aggregatus; ad eorum intimam amicitiam, & familiaritatem pervenerit? Quàm verò egregiè de utriſque, Imperatoribus dico, ac rep. eſt meritus; cùm ſive illos optimis ac ſaluberrimis documentis inſtrueret; ſive graſſantem in hujus viſcera quorumdam ex impietate ac ſævitia peſtem oratione comprimeret! Sed nihil in eo, mea ſententia, ſic enituit, quemadmodum regiis in liberis erudiendis dexteritas, ac ſolertia. Cujus in duorum inſtitutione, Valentiniani ſcilicet, atque Arcadii, non obſcura ſigna ac veſtigia defixit. Atque horum in altero ſuſcipiendo, ampliſſimum virtutis ſuæ ac ſapientiæ fructum cepit, cùm judicio ſummi poſt hominum memoriam Imperatoris; tum præterea præconio ejuſdem celeberrimo, & maximo. Nam cùm à Theodoſio eſſet, qui tum in Occidentem reipub. cauſâ proficiſcebatur, in concione productus; huic ille quem tum habebat unicum imperii ſucceſſorem, ac generis, Arcadium, coram S. P. Q. commiſit. Quem noſter adeò honorificè in fidem ſuam ac diſciplinam receptum, eximiis, & tantæ Majeſtatis amplitudine digniſſimis præceptis atque inſtitutis formavit. Quæ ſunt ab eodem magna ex parte hiſce in orationibus conſignata ac relicta. Ut ad reliquos quos habes monitores ac conſiliorum participes tuorum, percommodè veterem illum, & peregrinum poſſis adjungere. De quo cùm cetera intelliges egregiè, atque admirabiliter dicta; tum illud profectò divinitus ſacris ex oraculis deductum. *Cor Regis in manu eſſe præpotentis Dei: proindéque quid agat, ac quemadmodum ſe gerat etiam atque etiam videndum. Nec enim decere, ut pravum quippiam, aut impurum, aut crudelitatis atque inhumanitatis vitio ſuffuſum ei inuratur cordi, quod ſanctiſſima illa benigniſſimaque manus circumferant.* Præterea; *Vivam & animatam legem eſſe Principem, delibatamque ex cæleſti mente, ac ultimam terris providentiam, quam ad alterius imitationem fingi accommodaríque neceſſe ſit.* Jam iſta præclarè. *Nullum eſſe clementia, ac ſubditorum ſibi caritate præſidium Regi certius, ac conſtantius. Optimum illum principem habendum, quem non timeant, ſed cui pertimeſcant ſui. Amorem porrò in eos regum & benevolentiam, pietate in propinquos, ac præſertim fratres, poſteriorem eſſe, atque ab eodem derivatum, & profectum.* Mitto cetera ejuſdem argumenti ſanè copioſa, quæ tu hiſce in orationibus reperies; digna prorſus regalibus inſtitutis, nec mediocri olim tibi floreniſſimi ad Imperii adminiſtrationem adjumento futura. Hæc mihi (CHRISTIAN. PRINCEPS) non admonendi tui, aut oſtentandi muneris noſtri causâ præmonſtranda ac præcinenda neceſſariò fuerunt; ne quis aliter meum iſtud conſilium interpretetur quàm velim: méque non doni ipſius opportunitate commotum, ſed levitate & arrogantia impulſum

ſum exiſtimet; meæ ut in hoc edendo Scriptore operæ ex nominis tui ſplendore celebritatem quærerent. Equidem minimè dubito, quin, ſi propiùs aliquis noſtrûm hoc ad munus oculos ac mentem adjecerit, non modò conſilii mei rationem vehementer probet, ſed illud unà ſtatuat; ſubtrahi hoc M T. qualecumque demum eſt, ſine aliquo flagitio non poſſe. Etenim ſi ii qui theſaurum aliquem, regiarum maximè opum, alicubi defoſſum repererint, offerre ſtatim Principi, & ad ejus fiſcum atque ærarium referre jubentur: ego qui hunc diſciplinæ regiæ, & ſapientiæ theſaurum, ſepultum Græciæ monimentis ac latebris in lucem protulerim, non nefarii cujuſdam peculatus arguar, ſi eumdem alteri potiùs repræſentem, atque adjudicem, quàm tibi? Quamquam, etſi nullo alio tibi nomine obſtrictus eſſet ac debitus Themiſtius; ſatis tamen ad ſui commendationem iis in dotibus haberet præſidii; quibus præſtantiſſimos Impp. conciliare olim ſibi atque allicere potuiſſet. Secundùm quos, ut probare ſe tibi poſſit, & in juvandi informandique tui aliqua parte numerari; magis erit, quòd oblatum longo intervallo tam inſignem ac regium alumnum ſibi gaudeat, quàm eo te nomine devinctum, atque obligatum velit, quòd ejus nullo tibi beneficio utendum decreveris. Quamobrem habebis hoc à nobis (Christianissime Rex) conſecratum, atque oblatum verè regium munus; hoc eſt, regum inſtitutorem, ac præceptorem philoſophum; & eumdem, ut ante dixi, utiliſſimis regi documentis ac monitis refertum. Adde etiam ex iiſce tuis, hoc eſt, inſtauratis à te nuper Societatis Jesu ſcholis in lucem tui nominis excitatum. Hanc verò ille poſtremo loci prærogativam ad id auxilio fore ſperat ſibi, ut id, quod unà peregrinus homo cupit, Latino cultu donatus Regni tui jus eum tuo favore & gratia conſequatur. Deus te huic imperio diu florentem atque incolumem conſervet. Lutetiæ Pariſiorum xi. Kal. Septemb. CIↃ. IↃC. XVIII.

Epistola II.

HENRICO BORBONIO
Metenſi Epiſcopo.

Nuncupatoria Orationum latinarum.

UT qui prætereunti viam intento digito demonſtret, benè is quidem, & humaniter faciat: Princeps Illustrissime) ſin deducat ac præeat ipſe, longè utiliùs officioſiúſque ſe gerat: ſic eloquentiam qui uſu artis ipſo, exemplóque diſcipulis informant, multò fructuoſiùs operam ſuam iis collocant, qui ſolis illam præceptis, ac dicendi ratione præſcribunt. Eſt illud verò inſtitutionis genus cùm poſteriore iſto laborioſius per ſeſe; tum docenti ipſi periculoſius. In quo & actorem ex diſceptatore fieri neceſſe eſt: & omnium hominum judiciis, nonnullorum etiam invidiæ, famam ſuam, exiſtimationémque ſubjicere. Sed cùm ſingulari ſcholarum noſtrarum felicitate in earum ſis curam diſciplinámque traditus, & ad hanc eloquentiæ quam profitemur inſtitutionem gradatim perveneris; nihil, qua quidem in re ſtudiis tuis commodare poſſem, vel laboris defugiendum putavi, vel invidiæ ac periculi deprecandam. Feci igitur non admodùm invitus, tibi ut ejus artis ſpecimen aliquod offerrem, cui te cumprimis hoc tempore deditum eſſe, non tam optabamus omnes, quàm ſummâ noſtrâ cum voluptate ac gratulatione quotidie videmus. Simul ut, quoad in me ſitum eſſet, cuidam tuæ poſtulationi ac voluntati ſatisfacerem. Quæſiſti enim de me ſæpiùs quod latinè dicendi ſcribendique genus probarem maximè: propterea quòd tanta eſſet inter eruditos homines ſermonis ac ſtyli varietas; neque deeſſent, quos Ciceroniana illa ſimplicitas offenderet: in quâ minùs aliquantò lacertorum ac virium ineſſe; reconditioris verò doctrinæ locum omninò nullum eſſe crederent. Ego verò cùm unum nihilominus intuendum Tullium, unum imitandum dicerem: id mihi optimum videri, quod illius ad exemplar quamſimillimè eſſet effictum: negarem faſtidioſos illos ac delicatos tanti faciendos eſſe, qui non judicio repudiaſſent hunc elegantiæ nitorem, ſed deſperatione formidaſſent: vehementer hoc tibi penitúſque perſuaſi: deinceps ut in illius lectionem

& imitationem acriùs incubueris, nec è ſinu tuo umquam ac complexu depoſueris. Quamobrem ut judicii opinioniſque meæ non teſtem ſolummodò vocem; ſed firmiorem aliquem obſidem teneres, has ipſas orationes in tuo nomine apparêre volui: in quibus quid ego dicendo conſequi ſtuderem, quidve ceteris proponendum arbitrarer, tibi imprimis, (Illustrissime Princeps) ſecundùm te autem ceteris, qui à me tecum inſtituuntur, velut perpetuo monimento teſtatum relinquerem. Jam ſi idipſum, quod eſſe optimum perfectiſſimúmque judico, aſſecutum me eſſe profitear, nimiùm arrogans ſim, & ineptus. Ciceronianum quidem me eſſe, hoc eſt eam, quam iſti contemnunt, ſermonis facilitatem ac candorem imitari, voluiſſe præ me fero. Equidem non parvo tibi, ac reliquis, quos dixi, uſui hæc noſtra confido fore: quæ tametſi longè abſint à ſummo; quòd ad ejus utcumque ſimilitudinem ſunt expreſſa, in iis paullulùm licèt hærentem ad grandiora illa, & magnifica conſurgere. Nam ut teneras vites agricolæ, antequam proceris arboribus applicent, humilioribus adminiculis ad aſcenſum conſuefacere ſolent: ſic ad Tullianæ facundiæ majeſtatem aſpirantibus utile eſt interim in inferioribus, nec diſſimili tamen genere, conſiſtere. *Vix enim* (ait Quintilianus) *prima ſe elementa ad ſpem tollere effingendæ, quam ſummam putant, eloquentiæ audebunt: proxima amplectentur magis. Utile igitur eſt habere, quos imitari primùm, mox vincere velis. Ita paullatim & ſuperiorum ſpes erit.* Ad ſummam non hæc tibi, tamquam abſoluta, perfectáque, ſed ut horum meditandorum ac comparandorum adjumenta proponimus. Ut hoc porrò meum in re ſtudium, ac munuſculum gratiſſimum tibi ſit, adeò non vereor: ut vel eo tibi nomine dicandum putaverim, quo abs te probatum ac receptum, ad ſcholarum noſtrarum fructum, publicámque commendationem longiùs ſeſe auctoritate tua diffunderet.

Epistola III.

HENRICO BORBONIO
Epiſcopo Metenſi.

Nuncupatoria Soteriorum ad Sanctam Genovefam.

GRatus erga cælites animus, ingratus in homines ac beneficiorum immemor eſſe non poteſt (Princeps Illustrissime.) Sive ab eodem ambo hæc affectu proficiſcuntur: ſive poſterius priori illi proximum ac ferè conſequens eſt, & eo fortaſſe notabilius, quòd ejus, quem in oculis habeas, quàm quem mente ſola contempleris, oblitum videri, multò eſt ad animi labem ac fœditatem inſignius. Itaque cùm cæleſti urbis patronæ debitum ſingularibus ejus in me beneficiis munus ac monimentum pararem, in eodem voluntatis in me tuæ, meritorúmque teſtimonium ac memoriam exſtare volui. Quorum vel hoc ipſo mihi viſa eſt aptior opportuniórque conjunctio, quòd & regii ſplendore generis, & ingenii ac morum indole, & dignitatis, quam deſponſam jam ac deſtinatam habes, amplitudine proximè cælites ipſos attingis. Quò minus de hoc tibi probando, conciliandóque munuſculo, quod in eo genere fieri vulgò ſolet, laborare debeo. In quo primum illud eſt longe honorificentiſſimum ac maximum; quod cujus in tutela cùm urbs ipſa, tum urbis præſertim academia conquieſcit; cujus ſplendorem ac decus domicilii contuberniique tui acceſſione cumulaſti: hujus tibi ornandæ prædicandæque patrocinium à me modò defertur. Tum alterum illud, quod tuâ potiſſimùm intereſt: (quamquam non tuâ magis quàm Francici totius nominis cauſſâ optandum iſtud eſt) ut ei Divæ, quæ morborum omnium propulſatrix, ac ſalutis & vitæ conciliatrix eſt, hoc veluti patrocinii collegio commendatum quamdiutiſſimè animo te pariter ac corpore florentem & incolumem habeamus. Vale. Lutet. Pariſ. CIↃ. IↃC. XIX.

Epistola IV.

ANTONIO BORBONIO
Comiti Moretæo.

Nuncupatoria operum poëticorum.

UTrum majori tu cum fratre ſcholis noſtris ornamento ſis, an eæ viciſſim utrique aliquando futuræ ſint, dubitari (Princeps Illustrissima) meritò poteſt. Nam & amplum illis ac perhonorificum eſt, ad regiæ ſtirpis inſtitutionem cùm Chriſtianiſſimi Regis judicio eſſe delectas, tum à vobis ipſis ultrò ac libenter aſcitas: & pro utriuſque indole facilè conjici poteſt, quantum diſciplinâ ſua decoris ſint vobis ac ſplendoris allaturæ. Nam quod paucorum opinione, uſu verò propemodùm inveteravit omnium; nihil admodum principibus noſtris artes iſtas afferre dignitatis: tam per ſeſe eſt falſum & ineptum, quàm à teipſo, ut de fratre tuo modò taceam, præclarè ac conſtanter refellitur. Qui quo ex tempore hùc ad nos deductus es, adeò omni cura ac cogitatione ad eas incubuiſti: ut cùm & generis ſplendore, & ingenio ſolertiáque æquales anteeas omnes, tum ſtudio, & amore diſcendi, navitate, induſtriâ, diligentiáque ſuperaris. In quo per illud mihi jucundum, & ad indolis tuæ conjecturam egregium videtur, quòd ita omnes ſcholaſtici officii partes comprehendiſti, ut ad poëticam vehemens te mentis impetus, atque ardor impelleret. Quod ipſum excellentis in adoleſcentulis ingenii ſpecimen habet; & ſine afflatu quodam, divináque vi mentibus inſitâ fieri, Platone teſte, non poteſt. Mihi verò ad id, quod jampridem deſtinaveram, ſanè opportunum accidit; ut poſteaquam illuſtriſſimo principi, fratri tuo, Metenſium Epiſcopo, orationes, quod ejus ſcholæ ordiniſque proprium genus eſt, obtuliſſem: tibi eam partem reſervarem, quæ & tirocinio magis tuo, & inflammato illi poëtices ſtudio, ac voluntati congrueret. Sed utriuſque lucubrationis partes variis à me temporibus elaboratas, ac diſſipatas, poëticæ verò etiam ſparſim in lucem editas, unum in corpus, ſic tamquam civitatem ac coloniam, redegi. Quare uti Veteres ſuos quibuſque coloniis, quorum in tutela eſſent, genios attribuiſſe legimus: ſic ego te poëtici hujus operis præſidem ac patronum adoptavi. Immo verò quemadmodum in mari periclitantibus fraternum illud ac geminum ſalutare ſidus eſſe dicitur: ſimiliter in hac invidiæ ac malevolentiæ tempeſtate, ad quam hodierna ætas incubuit, ad utrumque mihi, te cum fratre ſcilicet, confugiendum eſſe duxi. Quorum ſicut luce ac ſplendore colluſtrari ſcholas noſtras initiò dixi: ſic benigno quodam afflatu meipſum modò contra procellas omnes & injurias tutum fore magnoperè confido. Vale. Lutet. Pariſ. CIↃ. IↃC. XVIII.

Epistola V.

FRANCISCO BRULARTO
Vallis Regiæ Abbati.

Nuncupatoria Panegyrici Henrici Magni.

ANnus jam ab infeliciſſimo illo die agitur (Vir Illustrissime) quo cum Chriſtianiſſimi, atque invictiſſimi Principis obitu penè totius regni miſerrimum funus, ac fatale conjunctum eſt. Ex quo quantum privatim ad Societatem noſtram mœroris, ac calamitatis pervenerit, neque tu ignoras, & quæ in nos hactenus inde coorta jactatio eſt apertè id, palámque declarat. Quam ubi primùm lætior paullò rerum facies, ac ſerenitas excepit, fecit ea res ut acriùs aliquantò me ab malorum noſtrorum ſenſu ad egregii Principis, atque optimi ſanè parentis memoriam referrem. Ac ut eam aliqua animi mei ſignificatione proſequerer, quod ſub ipſum illius exitum præſtare earum me moleſtiarum importunitas prohibuerat, per delectos è grege noſtro adoleſcentulos nuperrimè ſum aggreſſus. Neque verò lacrymis jam noſtris, ac luctu parentare ei viſum eſt: ſive hoc taciti ad id temporis abundè fecimus, ſive iſtud ipſum in præſtantiſſimis viris, ac perpetuò famæ celebritate victuris ſuperfluum eſt: in quos illud utique de Lyrico convenit;

> *Abſint inani funere næniæ,*
> *Luctuſque turpes, & querimoniæ*
> *Compeſce clamorem.*

Argumentum igitur de illius laude potiùs, ac prædicatione ſumpſimus. Quod tibi, cujuſquemodi eſt, juſtiſſimis, ac neceſſariis de cauſis nuncupavimus. Ut enim de ſplendore familiæ, ceteriſque domeſticis ornamentis taceam, quibus inducti vulgò allicere ſibi illuſtrium virorum patrocinia ſolent; tuus id certè egregius in noſtros amor, ac ſingularis exigit, quos paterna quadam benevolentia complecti, atque omnibus officiis fovere non deſinis. Adde hunc ejus eſſe collegii fœtum, cui pridem abs te conſtitutum in hac urbe, atque attributum domicilium eſt, cujúſque propemodùm auctor, ac conditor fuiſti. Quo tibi nomine cùm debitus ille præ ceteris, atque obſtrictus ingenii fructus eſt, tum verò gratiorem, atque acceptiorem fore confidimus. Nam & quas quiſque ſeverit arbuſculas, earum quamlibet exiguo proventu oblectari plurimùm ſolet: & hoc ipſum, quod tibi indidem repræſentamus, ejuſmodi eſt, ut reipſa mediocre; ſpe, atque exſpectatione magnum; animo ſit, ac voluntate præcipuum. Vale. Remis Cal. Novemb. an. CIↃ. IↃC. XI.

Epistola VI.

NICOLAO VERDUNO
Senatus Pariſienſis Principi.

Nuncupatoria Orationum Juliani.

MOlestum me interpellatorem dixerit aliquis (Præses Amplissime) qui tibi prolatis jam rebus, ac forenſibus negotiis intermiſſis, otioſo eſſe ne in communi quidem otio permittam. Verùm qui & de dignitatis illius, quam ſuſtines, amplitudine, & occupationum tuarum, quæ aliis temporibus ſummæ eſſe ſolent, magnitudine cogitarit: magis erit quòd pudorem à me in aſciſcendo patrono, quàm in adeundo opportunitatem, ac prudentiam requirat. Quorum illud ut abs te judicatum iri exiſtimem, neque egregia tua humanitas patitur, qua te infirmis etiam admittendis, audiendiſque facilem præbes: & ingenii ac doctrinæ vis excellens prohibet; quæ ne ab eo quidem abhorret genere litterarum, à quo eſt illud, quod modò tibi conſecramus, profectum. Quas profectò artes adhibere potiſſimùm in ceſſatione & otio ſoletis: ut in quibus rebus meditandis domicilium quoddam aſſidui laboris conſtituimus, eas nonniſi in ludo, & animi oblectatione numeretis. Erunt fortaſſe qui illud non improbent, quod tuo patrocinio ad lucubrationum noſtrarum auctoritatem uti decreverim; ſed hoc tamen exiſtiment, quemvis potiùs, quàm hunc Chriſtianorum hoſtem, nomini tuo inſcribendum fuiſſe. Contra quos plura hoc loco dicerem, ſi in ea te eſſe ſententia putarem; quorum crimine aliquo notata, & flagitioſa vita fuerit, eorum cum improbitate mentionem pariter ac memoriam proſcribi oportere. Quod quia neque cum tuo hominis ſapientiſſimi judicio, neque cum rei veritate, aut quotidiano uſu conſentaneum eſt, & multa leguntur à contaminatis & impuris hominibus haud impurè ſcripta; dabis hanc mihi facilè veniam, ut innocentiſſimorum ſcriptorum integritas favore tuo & gratia ab auctoris invidia ſublevetur. Tametſi ejuſmodi illa ſunt, quæ modò tibi damus Juliani monimenta, ut nihil ad famam ſuam præſtandam cujuſquam excuſationem deſiderent. Nam cùm eo tempore ſcripta ab eodem eſſe conſtet, quo ſanus adhuc atque incorruptus eſſet: nihil iis ex conſecuta morum perverſitate contagionis, ac labis afflatum eſt. Atque hoc nimirum habent præ ceteris editis hactenus illius operibus ſingulare ac præcipuum. Quæ quamquam implacabili Chriſtiani nominis odio, & atrociſſimis in Galilæos, ut ille vocat, convitiis referta ſint; tamen & ſtudioſè à clariſſimis viris quæſita, atque in lucem emiſſa ſunt; & eadem quotidie non modò ſine offenſione ulla, ſed etiam cum maxima approbatione ac voluptate tractantur. Quamobrem hoc tibi

gratiora

gratiora aliiſque hæc noſtra, ac jucundiora putavi fore: quod neque iiſdem illa impietatis ac ſceleris notis inuſta ſunt, neque eo carent, cujus hæc gratiâ aſciſcuntur, doctrinæ elegantiæque fructu. Quod verò ſepulta hactenus tenebris, nunc primum in tui luce nominis apparere incipiunt, eò majorem ex novitatis illecebra cupiditatem ſui allatura confido. Etenim ſi vetuſti lapides, numi, marmora, aliàque ejuſmodi monimenta non tam utilitate placent, quæ plerumque nulla in iis eſt, quàm ipſo genere vetuſtatis: ob idque & eruuntur ſedulò, & obſcuris ſæpè ambiguiſque rebus auctoritas ex iis arceſſitur: nemo erit tam à ratione relictus, opinor, qui non mutis illis atque inanimis rebus, Veterum lucubrationes ac ſcripta, hoc eſt penè ipſius antiquitatis vocem anteponendam judicet. Quibus cùm multa ad ſermonis proprietatem, & ornatum, tum ad ſcientiam, atque hiſtoricam lucem, & ſcitu digna, & neceſſaria contineantur. Huc quidem in noſtro pleraſque res geſtas commemoratas reperies multo quàm in iis illuſtriùs, qui eaſdem commentariis ſuis atque hiſtoriis mandarunt. Ejuſmodi ſunt Magnentiana illa tempora, & receptum à nefariis tyrannis ac recreatum imperium. Itémque longè celeberrima illa Niſibenæ civitatis obſidio: ac cetera à Conſtantio ſuſcepta adminiſtratáque bella, quæ partim Scriptorum paucitate, partim feſtinatione paullò erant negligentiùs atque obſcuriùs prodita: partim denique quòd qui illa eadem Panegyricis hiſce à Juliano prærepta, ac diligenter explicata legerent: ab iiſdem iterandis ſuo judicio ſunt ac voluntate deterriti. Etenim Zoſimus libro hiſtoriarum tertio, cùm ad Perſicum bellum, ac Niſibis oppugnationem veniſſet, ſupervacuum videri ſibi ait rei geſtæ narrationem, ordinemque pertexere, cùm jam Cæſar ipſe peculiaribus hoc ſcriptis anteà præſtitiſſet. Quorum illud ſtatim elogium adjecit: Ea verò ſi quis in manus ſumpſerit, maximam in dicendo vim hominis ac facultatem intelliget. Quæ omnia ad primam poſtremámque iſtarum orationum, ſed hanc potiſſimùm, mea quidem ſententia pertinent. In qua de barbarorum irrito ad eam urbem conatu pari fide elegantiáque diſſeruit.

Habes igitur (Præses Ampliss.) conſilii in hoc edendo, dicandóque tibi Scriptore, mei rationem ac ſummam. Quod ut approbare eique ſuffragari velis, cum à te tua, ut initio dixi, ſingularis humanitas, amórque erga has litteras impetrabit, tum in ſocietatem noſtram propenſus animus ad hoc agendum hortabitur. Mea enim cauſâ, ut privatim aliquid elaborem, neque ea fert, quæ in me eſt obſcuritas omnium rerum ac tenuitas: & qualiſcumque ſum, officio tibi malo, ac re ipſâ eſſe, quàm ullius prædicatione, præſertim propria commendatus. Sed cùm illud animo cogito: ejuſmodi quiddam, nuper à me Chriſtianiſſimo Principi munus oblatum, mirificè ei gratum, ac jucundum accidiſſe, non poſſum non eumdem à te mihi fructum laboris mei operæque polliceri. Et quoniam hæ ſunt & à Principe ſcriptæ, & ad Principem habitæ olim orationes, neminem ad earum patrocinium magis idoneum commodioremque eſſe duxi viro illo qui quemadmodum aut apud reges dicendum, aut regibus loquendum eſſet præclarè cognoſceret. Qui cùm ſummi ordinis ſit, publicique conſilii princeps, ita in jure dicendo, æquitatéque moderanda regiam & perſonam, & auctoritatem ſuſtinet, ut ejus vox quædam ſit regiæ mentis ac voluntatis interpres, & purpureæ veſtis fulgor ipſe Majeſtatis illius amplitudinem demonſtret. Quibus regiæ poteſtatis inſignibus ut regiam æquè, cùm in admittendo hoc meo munere, tum in fovendis noſtris ſublevandiſque, benignitatem adjicere pergas, magno abs te opere contendo. Vale. Fixæ Andegavorum. VII. Calend. Novemb. A. D. CIↃ. IↃC. XIII.

Epistola VII.

JOANNI NICOLAIO

Regiarum rationum in Pariſienſi Curia primario Præſidi.

Nuncupatoria Tragœdiæ Carthaginienſium, cujus ille Agonotheta fuerat.

Qui levioris in lucem argumenti ſcripta, & monimenta proferant (Præses Illustrissime) ea ſe vel graviori cujuſpiam auctoritate ductos, vel quotidianis amicorum precibus coactos; omninò verò invitos, & reclamantes edere, ac vulgare profiteri ſolent. Quod eo conſilio fieri à pleriſque interpretor, ut ingenii, induſtriæque fructum, quamminimo cum periculo famæ ſuæ, atque exiſtimationis percipiant. Ego verò quantumvis Drama hoc noſtrum, ex quo tempore publicè regiis hiſce in ſcholis auditum eſt, poſtulatum à me ſæpè, & flagitatum meminerim, nullam hoc tamen ad excuſationem audaciæ meæ, ac deprecationem valere patiar: neque me illud negabo, tibi ut potiſſimùm offerrem, ſtudio, ac voluntate feciſſe. Quod ego non arrogantiâ ulla, ac levitate, aut verò fiduciâ operis impulſus, palam ingenuéque fateor. Sed hoc totum ideo ſuſceptum à me eſſe confirmo; tibi ut homini de nobis optimè merito, cùm veterum in nos officiorum, tum recentis illius munificentiæ, cui Tragœdia hæc potiſſimùm ſerviit, grata aliqua comprobatio viciſſim extaret. Eſt enim illa ipſa ſuperiore anno in ea celebritate propoſita, quæ præmiorum in adoleſcentes noſtros dividendorum gratia tuis auſpiciis indicta eſt. Neque verò perpetuam hanc eſſe ſcholarum noſtrarum rationem, ac conſuetudinem ignoras; ut quotannis conſtitutis cujuſque generis ſcriptionum præmiis diſcipulorum noſtrorum alacritas excitetur. Id quod ad inflammandos mercedis & gloriæ ſpe eorumdem animos mirificè pertinere putandum eſt. Ejuſmodi igitur tum in illis fuit, cùm in theatrum commiſſis Carthaginienſibus noſtris, Munerario te, ac Brabeuta præmiorum eſt legitima illa diviſio conſecuta. Cujus in eos tam prolixæ liberalitatis, ac beneficii, quo minùs privatim à ſingulis haberi gratiæ poſſunt, communem in hunc locum vocem omnium, & gratulationem contulimus. Eſt hæc publica ſalutandi tui, atque hujus offerendi munuſculi cauſa (Præses Amplissime.) Mea verò privata atque præcipua eſt, quòd & ſingulare quoddam in me ſtudium ac benevolentiam præ te aliquot abhinc annis tuleris, & quæ à me tibi ingenii monimenta oblata identidem erant judicio tuo comprobaris; meaſque, ut ille dixit, aliquid eſſe nugas putaveris. Quamobrem non poſſum equidem auctoritate ac patrocinio non libenter uti, primum ampliſſimi hominis & præſtantiſſimi: deinde in alumnos noſtros liberalis ac magnifici: tum in ordinem noſtrum ſocietatémque propenſiſſimi: poſtremò cujus tam inſignem anteà prærogativam judicii ac voluntatis habuerim. Quam quidem in præſentia ſpe noſtra atque exſpectatione vel cumulatiorem futuram, facilè ſuaviſſima illa tua, ac fuci omnis expers humanitas perſuadet. Vale. Fixæ Andegavorum Cal. Dec. CIↃ. IↃC. XIII.

Epistola VIII.

GULIELMO VAIRIO.

Franciæ Procancellario.

Nuncupatoria Breviarii hiſtorici Sancti Nicephori.

Quo primùm tempore Magiſtratus ampliſſimi dignitatem adeptus es, (Vir Illustrissime) communis hic omnium ſenſus fuit, non minùs litterarum incolumitati, quàm imperii ſaluti eſſe proſpectum. Etenim quod de civitatibus à Platone dictum eſt, multò id magis ad artium ſtudia diſciplináſque pertinet: tum eas demum felices futuras, cùm aut ſapientes præeſſent, aut ſapientum illi ipſi qui præeſſent auctoritate regerentur. Ea porrò te ſapientia hominem eſſe, qualem conſtituendis civitatibus adhibendam Plato cenſuit, jamdudum publica quædam populi vox, ac conſtans totius regni fama celebravit. Quod ipſum adeò leve non eſt, ut in eo divinitatis aliquid ineſſe vetere ſit proverbio contritum. Idem verò multò certiùs cùm anteacta vita omnis, tum (ut nondum ab alieno ſuffragio diſcedatur) graviſſima de te Principum judicia comprobarunt. Quorum alter ampliſſimi te Conſilii principem fecit: alter ab unius provinciæ cura totius ad regni moderationem convertit. Sed hic poſtremò quantum ſapientiæ tuæ cum Regina Matre tribueret oſtendit; cùm ambo te ultimis è Galliæ finibus exciverunt, quem formidoloſis temporibus in quadam velut imperii ſpecula collocarent. Siquidem pacato mari, tranquilloque cœlo facilè cuivis gubernatori creditur, vel mediocriter perito: in

periculo nemo eſt qui non eum, ſi poteſt, adſciſcat, quem ſcientiſſimum, prudentiſſimúmque cognorit.

In quo unum eſt minimè prætereundum, quod ad hoc negotium multum intereſſe ſentio. Nam plerique, qui prodeſſe ſapientia ſua publicè ſtudent, operoſam illam dumtaxat, ac rebus gerendis exercitatam adhibent; eam verò, quæ in libris doctrinisque cernitur, tamquam civitatibus inutilem, feriatis hominibus relinquunt. Tu verò ſic utramque admirabiliter complexus es; ut cùm nemo tractandarum rerum majore peritia ſit, tum uſu litterarum, ac philoſophiæ ſtudio his temporibus antecellas.

Hanc enim primus inter Gallos, ut ille quondam in Græcia Socrates, languentem in ſcholis ab otioſa contemplatione, morum ad utilitatem uſúmque tranſtuliſti. Tum ea monimentis mandaſti plurimis, quibus & dicendi civibus tuis, & vivendi tibi etiam ac reliquis exempla præſcriberes. Quibus in libris ita virtutis tuæ imaginem expreſſiſti, ut eos unà velut pignora, obſideſque Gallis traderes: ut quæ tua futura eſſet reip. gerendæ ratio, tamquam ex Prætoris edicto, cognoſcerent; neque eam umquam licere crederent, quam rure tibi impoſuiſſes, perſonam detrahere. Quod quidem paucis his menſibus, ex quo præeſſe ei muneri cœpiſti, egregiè eſt à te perfectum: neque quiſquam dubitat, cujuſmodi hæc initia ſunt, quin brevi per te hujus Imperii ſalus conſtitui, ac legum auctoritas recuperari poſſit.

Hac tu graviore curâ ſimul ac perfunctus eris, & majora illa regni negotia ſapienter explicaris, tum te ad hæc noſtra, nec minùs tamen ad benè beatéque vivendum neceſſaria, convertes, ac litterarum tuarum ſalubritati dignitatique conſules. Venit enim mihi in mentem, qui tuus ante paucos dies partim à me auditus, partim ab aliis exceptus ſermo fuerit; cùm tu illud profitebare: nihil tibi gratius umquam exſtitiſſe bonis artibus artiúmque peritis, neque in poſterum, quo major ſublevandi eſſet facultas, ulla in re defuturum.

Quamobrem ut ejus vocis conſiliique meminiſſes, tamquam admonitorem allegavi Nicephorum noſtrum: qui tibi cùm privatim ſui, tum communi nomine litterarum patrocinium deferret: ſimul etiam rogaret, quòd in iis tractandis profitendiſque noſtra ſocietas elaboret, partem ut ad eam aliquam ſolicitudinis hujus benevolentiæque transferres: ut iis quibus ſæpè jactata eſt moleſtiis perfuncta, non tam ipſa conquieſcere poſſit, quàm & Eccleſiæ officiis omnibus & doctrinarum ſtudiis, vigiliis laboribúſque ſuis commodi aliquid afferre. De me verò quod præcipuè poſtulem nihil eſt, niſi ut audaciæ in te interpellando meæ ſic ignoſcas, ut amori erga te voluntatique faveas. Vale. Lutetiæ Pariſ. vi. Calend. Sep. A. D. CIↃ. IↃC. XVI.

EPISTOLA IX.

FRANCISCO CARDINALI Rupifucaldo.

Nuncupatoria operum S. Epiphanii.

Melioſne ſit, & conſultius (Cardinalis Illuſtriſſime) peſtiferarum hæreſeon neſaria dogmata conſignare litteris, an ea tacere penitus, jure inter ſapientes quæritur. Ac nonnullos minùs ſectarum ipſa deſcriptio, diligens præſertim, & enucleata, delectat. Alii cautione quadam ac delectu opus eſſe judicant; ut eæ ſolùm prætermittantur, quæ aut vetuſtate jam obſoleverint, aut inſigni fœditate, ac ſpurcitia contaminatæ fuerint. Utroſque movet ea cauſſa potiſſimùm: quòd cùm univerſè decretorum ejuſmodi recordatio pernicioſa ſit; tum eorum mortifera contagio, quæ obſcœnæ voluptatis lenociniis partim incautos alliciunt, partim invitos, ac repugnantes afflatu nihilominus quodam turpitudinis, & odore perfundunt. Quamobrem quòd Epiphanius Gnoſticorum, Baſilidianorum, Carpocratianorum, Origenianorum arcanas, ac deteſtandas libidines tam diligenter expreſſerit, non illud quidem viri ſanctiſſimi factum, conſiliúmque reprehendunt: ſed eorum omnium memoriam oblivione conteri fuiſſe ſatius putant; & Græcè, uti ſcripta ſunt, relinqui modò atque à peritioribus dumtaxat legi oportere ſtatuunt. Itaque latinè ut ea nos interpretemur, ac promiſcuam flagitiorum conſcientiam, communémque faciamus omnibus, probandum minimè eſſe contendunt.

Contra quos omnes tam Epiphanii noſtri, quàm noſtrâ etiam cauſâ diſputandum breviter exiſtimo. Ac priores quidem illi, quibus totum iſtud negotium diſplicet, hæreſeon abſtruſa, ac recondita myſteria mandare ſcriptis, ſummum ac ſingulare veritati præſidium opinione ſua detrahunt. Hoc enim extorquent; quo naſcentes identidem, ac redivivæ mendaciorum ſectæ validiſſimè propulſari à nobis, evertique poſſint. Eſt quidem ejus, qui in hæreſim vel moliendam, vel tuendam incubuerit, animus in omnem audaciam ſine ullo pudore projectus. Sed nemo eſt tamen ex illis abſurdarum opinionum patronis, quem non utcumque convicti olim erroris, ac damnati pudeat. Sint ſanè, uti ſunt, ferrei omnes hæretici: ſint pervicaces: iidem ſe in ipſo ardore, agitationéque diſputandi ad reſiſtendum acriùs fingant: tamen qui id didicerit; quique certis veterum teſtimoniis compererit, antè ab antiquis Patribus, & Conciliis, publicóque Chriſtianorum conſenſu agnita ac repudiata dogmata illa, quàm illi ipſi, quos ſequitur, eorum interpolatores exiſterent; vix erit, opinor, ullus, cujus niſi frangi, edomarique contumacia potuerit, non languidiores ſaltem habeat eruptiones, & impetus; ac paullatim per ſeipſam refrigerata, atque enervata concidat. Habent igitur hunc fructum commentarii illi, qui hæreſibus ſcribuntur, ut in unaquaque ætate fautores perfidiæ ac ſatellites ſuos in illis, quos quidem erubeſcant, principes auctoréſque recognoſcant.

Jam qui certas ex hæreſibus, eaſdémque vel obliteratas, vel turpitudine infames omitti jubent, difficilem quamdam moderationem poſtulant: cujus ne ipſi quidem uſum, rogati à nobis, expediant. Etenim ſi hoc certò polliceri poſſent; opinionum illa portenta, poſtquam oppreſſa, ac ſepulta ſemel eſſent, numquam niſi in libris exſtarent, emerſura denuò, neque ſuis ea illis buſtis, ac cineribus excitanda; nihil conſilio huic iſtorum prævertendum putarem. Sed cùm nihilominus ſtatis temporum intervallis eadem illa monſtra amputata toties, ac jugulata reviviſcant: cùm idem hæreſum illarum architectus, inventórque Diabolus, etiam omni librorum extinctâ memoriâ, perſeveret: cùm iiſdem artibus, & machinis, eadémque ad illas inſtaurandas calliditate ac nequitia ſit præditus: neque nos iſtorum ille delectus adjuvat; & adverſus redintegrati morbi periculum priſtina illa certiſſimáque ſubſidia comparanda ſunt. Potuerit ſanè ante annos aliquot, imò ſæcula, deſignatio illa certarum hæreſeon ad ſcribendum, & opportunitas jactari; cùm pauciores adhuc eſſent, nec tam diverſis ac diſſimilibus ex formis, prodigiiſque conflatæ. Hoc quidem tempore, quo emortuas pridem ſuperiorum ætatum hæreſes revocatas in lucem, ac renovatas cernimus, ne dubitationi quidem illi, ac quæſtioni locus ampliùs eſt relictus. Quod enim fuit in omni antiquitate genus opinionis ac ſectæ tam horrendum, tam inuſitatum & obſoletum? quis tam obſcœnus, & abominandus error? quod perfidiæ genus tam palàm omnium voce condemnatum, quod non parentum noſtrorum memoriâ fautores aliquos, ac ſectatores habuerit? parum eſt de Arianis illis conqueri, aut Macedonianis, Eunomianis, Neſtorianis, & iis etiam antiquioribus Manichæis, Sabellianis, Samoſatenis: ceteráſque veteris Eccleſiæ faces ac tempeſtates perſequi: in quibus præter dogmatis falſitatem nulla, aut obſcura fœditatis diſciplina fuit: quæ omnes in Germania, Polonia, Pannonia, Ruſſia, alibi denique renatæ ad hanc diem graſſari, & increbreſcere dicuntur. Illæ ipſæ ſpurcidiſſimarum libidinum inventrices hæreſes, ac magiſtræ, quæ promiſcuos concubitus, ac reliquam corporis turpitudinem oſtentabant, quæque uno Gnoſticorum vocabulo contineri nonnumquam ſolent, iiſdem in locis in Adamianos, Pikardos, Waldenſes, Lugdunenſes pauperes, ceteráque portenta veriùs quàm nomina redundarunt. Veniam ad Galliam noſtram, ac noviſſimam Calviniani labem dogmatis, atque peſtem, quæ in illius gremio conſedit. De qua veriſſimè hoc mihi videor eſſe dicturus: velut ſentinam illam orbis eſſe terrarum, in quam veterum, & recentium ſectarum, errorumque colluvies confluxit: ac quidquid hæ-

reſeon

reſeon hactenus extitit, de quo legere aliquid, vel audire potuimus, ex eo libatum eſſe, ac derivatum aliquid; atque ex abhorrentibus monſtrorum omnium partibus, ac figuris, ultimum illud, ac reliquis horribilius eſſe concretum.

Quamobrem cùm & ubique terrarum, & hîc apud nos priſcarum ſeſe hæreſeon, ac ſectarum venena diſfundant, ad illa, quæ ſuprà dixi, præſidia confugiamus, & medicorum imitemur induſtriam. Quorum majores cùm eoſdem humanis ingruere corporibus, ac recurrere morbos intelligerent, eorum origines, progreſſiones, proprietates, caſuum, atque eventorum exempla, tum remedia diligenter in libris notarunt: quæ dum poſteri legunt, contra illos ipſos alieno ſe uſu, experientiâque confirmant. Ita nobis quibus aſſiduum eſt iiſdem cum erroribus, velut morbis ex intervallo recrudeſcentibus, ac jam antè cognitis, certamen ineundum: utiles ſunt commentarii antiqoârum hæreſum: ex quibus non earum modo notitiam adipiſcimur; ſed ad illas etiam, ubi renatæ fuerint, profligandas, eadem paramus auxilia, quibus, cùm primùm naſcerentur, extinctæ ſunt.

Quo in genere cùm multorum Patrum egregiè ſit labor, ac cum laude verſatus; quem tu tamen, ſive diligentia, ſive ubertate eruditionis, ac copia, cum Epiphanio conferas, reperies ex omni antiquitate neminem. Non enim ille brevem dumtaxat hæreſeon indicem ceterorum more conſcripſit: quemadmodum Auguſtinus, Philaſtrius, Hieronymus, Damaſcenus, copioſiùs etiam Theodoretus, atque alii complures inſtituerunt: nec illorum tantummodò opiniones ac dogmata, res etiam ab earum auctoribus ac principibus geſtas accuratiſſimè propoſuit. Sed quibus armis inſuper, aut illarum petitiones depelli, aut viciſſim illæ peti, expugnarique poſſent, uberrimè doctiſſiméque monſtravit. Quibus etiam de cauſis Πανάριον, ſive, ut Anaſtaſius Sinaita in qoæſtionibus, ac Photius cum Græcis aliis habet, Πανάρια, id eſt, *medicam arcam*, ſive *capſulam* ac *thecam*, opus illud inſcripſit: ut in eo ſciremus contra mortiferos, ac venenatos ſerpentium morſus, adeóque morbos omnes hæreſum, ſaluberrima remedia contineri.

Quocirca perſæpè ſum equidem Auguſtinum, vehementérque miratus: qui in libro de hæreſibus ad Quodvultdeum, cum Epiphanii meminit, hæc de illo in præfatione poſuit: *Noſter verò Epiphanius Cyprius Epiſcopus abhuc non longè humanis rebus exemptus, de octoginta hæreſibus loquens; ſex libros etiam conſcripſit, hiſtorica narratione commemorans omnia, nulla diſputatione adverſus falſitatem pro veritate decertans. Breves ſanè ſunt hi libelli: etſi in unum libellum redigantur, nec ipſe erit noſtris, vel aliorum quibuſdam libris longitudine comparandus. Hujus brevitatem ſi fuero in commemorandis hæreſibus imitatus, quid à me brevius poſtulare, vel exſpectare debeas non habebis.* Hæccine, quæſo, de Epiphanii panario Auguſtinum ſcribere? affirmare opus eſſe perbreve: &, ſi in unum libellum redigatur, tam mediocri mole, & amplitudine futurum? negare denique aliud iis in libris, præter ſimplicem hæreſeon hiſtoriam, ſine ulla mendacii oppugnatione tractari? Atqui & ubertimi ſunt de hæreſibus Epiphanii libri: & adverſus ſingulas fuſe, accuratéque diſputat: nec illud ipſum poſtremò, quod omiſſum ab Epiphanio, à ſe verò factum iri dixerat, ut adverſus ſingulas hæreſes diſſereret, aut in illo de hæreſibus libello, aut in alio Auguſtinus ipſe præſtitit. Nihil enim præter ſectarum omnium ſummam errorúmque capita complexus eſt. Quod poſtremum, ut admirationem auget; ita prius illud non levem ſuſpicionem facit, Epiphanii panarium ipſum, opuſque adverſus hæreſes integrum Auguſtinum nondum, illa cum ſcriptis proderet, vidiſſe: ſed illius dumtaxat Epitomen, atque ejuſdem fortaſſis Anacephalæoſin, ſive breviarium ex ſingulorum tomorum, & hæreſeon argumentis, & capitibus collectum. Quamquam illud etiam movet, quod in ſex libros aſſerit Epiphanii opus eſſe partitum. At id ſecus ſe habet. Nam in tres dumtaxat libros tribuitur. Libri omnes in tomos ſeptem. Quare illud Auguſtini ſingulare eſt, quod LVII. hæreſi, quam Pſallianorum vocat, Maſſalianorum Epiphanius, ſubtexoit: *Proinde ille de octoginta hæreſibus ſeparatis viginti, quas ante adventum Domini exſtitiſſe, ſicut ei viſum eſt, computavit, reliquas poſt Domini aſcenſum natas ſexaginta, breviſſimis libris quinque comprehendit, atque omnes in ſex libros totius ejuſdem ſui operis fecit concludi.* Tres in libros Panarium omne dividitur. Primus tomos continet tres: quorum in priore viginti illæ ſunt Chriſto antiquiores hæreſes. Alter earum, quæ poſt Chriſtum exortæ ſunt, tredecim colligit. Totidem poſtremus. Ac ſi librorum nomine tomos Auguſtinus intelligit, dempto ſuperiore illo, qui viginti ex hæreſibus conſtat, reliqui ſex erunt, non ſeptem. Quare fuerit illius operis, ſive Epitomes alia ratio, partitióque neceſſe eſt, quod ſe Auguſtinus legiſſe, & imitari voluiſſe demonſtrat.

Sed à minuta illa, & anguſta diſquiſitione ad id redeo, quod de Panarii commendatione ac fructu diſputare cœperam. Nam ad illud, de quo agebatur, Catholicæ religionis patrocinium, & hodiernarum everſionem hæreſum opportunitates inoumeras & adjumenta ſuppeditat. Primum quòd de ejus auctoritate, propter & Scriptoris vetuſtatem, & illuſtrem inter Patres dignitatis locum, ne ipſi quidem obtrectatores antiquitatis, ac bonorum hoſtes omnium dubitant. Deinde quòd præcipua quæque decreta fidei, quæ opinoſiſſimi homines his temporibus ioficiari audent, tam expreſſis ab illo teſtimoniis approbantur; quæ autem iis illi coorraria defendunt, ſuos ad auctores, hoc eſt hæreticos, revocata veteres, tam graviter, ac crebrò refutantur; ut quem adhuc falſitatis iſtius non pudeat, communem ante ſeoſom, quàm modeſtiam, verecundiámque perdiderit.

Hæc de Epiphanio noſtro adeò magnificè, ſplendidéque jactata quàm vera ſint, planum in ſingulis Lutheranorum, & Calviniſtarum erroribus facerem, ſi id aut Epiſtolæ brevitas fineret, aut alium, quàm te (CARDINALIS ILLUSTR.) oratio hæc à nobis inſtituta reſpiceret. Sed id aut alio fortaſſe loco præſtabimus; aut ad certos hodiernis è Scriptoribus remittemus, qui in eam partem ſtudioſè, ac ſanè utiliter incubuerunt. Tibi verò nota magis illa, quàm mihi ſunt; qui quantus vir Epiphanius fuerit, quantúmque Panarii iſtius momentum ſit, non aliena commendatione, ſed ſtodio ipſe tuo, experientiáque didiciſti. Ac quicquid hactenus vel de auctoris hojus præſtantia, vel hæreſeon labefactandarum ratione paullò verboſiùs explicavi, non id tuâ cauſſâ, neque ut quod abs te diſcere debeo, hoc te ipſe docerem, pertractare volui: ſed ut conſilium de hac editione meum expoſitum tibi, à téque probatum, manaret ad ceteros, tuóque ſe judicio, & auctoritate defenderet. Quam ego prærogativam voluntatis, humanitatiſque tuæ dignitate ipſa muneris, ac pretio impetrare malui, qoàm, qoæ trita, & pervagata præfationum ſeges eſt, ornandis tuis laudibus, ac virtutum tuarum præconio colligere. Nam apud te de te ut verba faciam, ſingularis, quæ in te eſt, gravitas, ac modeſtia non patitur. Neque te ambitiuncula iſta, &, quod eſſe jucondiſſimum omnium acroama dicitur, ornamentorum tuorum, atque inſignium prædicatio delectat. Itaque non alio ſequeſtre, ac conciliatore gratiæ tuæ uſus, quàm Epiphanio ipſo, ad tutelam nominis tui, patrocitiiúmque confugi. Quod ut mihi defuturum non eſſe confidam, facit amor imprimis erga litteras tuus: tum pietatis, religioniſque cognitus omnibus, ac perſpectus ardor, quibus ex ambobus ſtudiis noſtræ illæ in Epiphanium collatæ operæ, vigiliæque proficiſcuntur. Faciunt excellentes ingenii artes, virtuteſque ceteræ: quibus Eccleſiæ principatum jamdudum publica omnium vota, ac ſuffragia deſpondent. Facit poſtremò prolixus tuus in ſocietatem noſtram, ac multis indiciis perſpectus, atque exploratus animus: tum nonnullus quoque tenuitati noſtræ patefactus jamdiu ad benignitatem tuam aditus, ac receptus. Quorum omnium ſummam breviſſima hac, certiſſimáque voce complectar: neque te dignius, quàm qood à me modò defertur, offerri tibi munus poſſe; neque digniorem, cui illud offerrem, te uno reperiri potuiſſe. Vale. Lutet. Pariſ. An. ineunte M. DC. XXII. XVIII. Cal. Feb.

Epistola X.

GABRIELI ALBASPINÆO Aurelianenſi Epiſcopo.

Nuncupatoria appendicis ad Epiphanianas animadverſiones.

QUoti in clericorum querelis, & controverſiis vetera Eccleſiæ jura præſcribunt (Præsul Ampl.) ut Epiſcopi ſe arbitrio, judicióque ſiſtant; id in hac quadam lite noſtra libenter ad te venio, ſtudioſéque facturus. Accuſatus enim à clerico tuo clericus & ipſe quondam tuus: tum injuriarum in te falsò, & immeritò poſtulatus, non alium, quàm teipſum mihi judicem; immo verò defenſorem ac patronum quæſivi. Editus eſt enim paucos ante menſes obſcurus quidam libellus à Maturino Simonio Aurelianenſis Eccleſiæ Decano: cujus ſpecies & inſcriptio quidem ipſa diſpunctiunculas neſcio quas de pœnitentiæ ritu vetere in Eccleſia pollicetur. Sed in epiſtola, quam in fronte tibi operis inſcripſit, poſtquam vetiſſimis te laudibus, at longè merito tuo minoribus, ornavit, de me ita queritur: cùm ingenui ſit animi profiteri, per quos profeceris, idipſum factis ſuis non probaſſe Petavium: qui quæ in ſchedis tuis à ſe lecta eſſe dicit, ea, te nuſquam laudato, publicare anteverterit. Caput eſt hoc accuſationis illius, criminiſque noſtri: tum libelli conſcribendi finis unicus. Reliqua diſputatio omnis, quam ſeptem capitibus complectitur, acceſſionis locum habet. Itaque languida eſt, ac debilis illius de ritu pœnitentiæ conſequens oratio; & ut cetera non deſint, nuda & ſimplici auctoritate dicentis, non probationibus argumentiſque nititur: ut indicio ſit non præcipuè id illum agentem, ad alterius inſtituti occaſionem iſta ſcripſiſſe. Ego verò, poſtquam attentè diligentérque circumſpexi, méque in omnes partes cogitatione converti, intelligere non poſſum, qua re adductus ille, quem neque de facie hactenus novi, neque cum eo uſum aliquem, ac ne leviſſimi ſermonis commercium habui; cujus denique nomen aliunde, quàm ex Diſpunctiuncularum inſcriptione, non didici; ita in me commoveri potuerit, tam ut incredibilia de me ſua illa epiſtola vulgaret. Equidem Decanum Aurelianenſis Eccleſiæ non modò Chriſtianum, & Catholicum, ſed etiam virum bonum ac probum eſſe ſtatuo, neque Chriſtianæ legis, & divinæ, fraternæque caritatis oblitum. Atque eo magis admiror, id ætatis, prudentiæ, ordinis, ac dignitatis hominem, non dicam hæc finxiſſe de me, ſed undecumque tandem accepta, tam credidiſſe facilè, ut aliis etiam perſuadere voluerit. Nam quid eo crimine, quod nobis objicit, vanius eſt, aut minori veritatis ſpecie conjunctum? Schedas me tuas (Præsul Amplissime) antequam Animadverſiones noſtras ederem, legiſſe dicit. Quod longè aliter habere, non tu ipſe modò ſcis; ſed amicis etiam noſtris ea de re querentibus palam teſtatus es. Tametſi ſchedas me legiſſe tuas non ille quidem dicit apertè; ſed obliquè, & captioſè loquitur: ut qui minùs attentè ipſius verba percurrunt, illud ipſum affirmari putent; atque ejuſmodi de nobis ſuſpicionem auferant. Rurſus ſi de tam perſpicua falſitate redarguere quiſpiam illum voluerit: eò confugere poſſit, non ſe ſchedas iſtas à nobis dixiſſe eſſe lectas: ſed quod in ſchedis tuis ipſe legiſſet, de quo ſermonem ſæpè tecum habuiſſem, id me edere in vulgus antevertiſſe. At ego me tecum fateor, cùm aliis de rebus, quæ ad doctrinam pertinent, tum de Eccleſiaſticis moribus, & antiquitate non rarò diſputaſſe; ac de nonnullis, quæ minùs habebam explicata, quæſiſſe: nec mediocrem ſanè fructum ex hoc uſu tuo, ac colloquio cepiſſe; cùm iis etiam, quæ à te reſpondebantur, partim aſſentirer penitus; partim fretus æquitate, humanitatéque tua contradicerem. Nam cùm hodie te nemo rerum illarum ſcientia & exercitatione ſuperet; tum candore illo, & facilitate mirificè præſtas: ut eorum, quæ ſapienter aſſeris, non, ut ille, qui contra me ſcripſit, auctoritate ſola fidem extorqueas; ſed liberum cuique judicium, & integras quæ velit tuendi ac diſputandi partes relinquas. Quod ad ea verò pertinet, quæ de pœnitentia, déque ceteris Eccleſiæ ritibus in Epiphanianis animadverſionibus commentatus ſum, ea me ſcio, Dei ope, ac beneficio, non aliunde mihi, quàm labore & induſtria mea, aſſidua Veterum lectione, aliquot annorum uſu ac meditatione peperiſſe. Poſſum Diſpunctori, accuſatoríque meo de ſingulis, quæ illic tractavi, capitibus, eaſdem illas, quibus uſus ſum auctoritates, iiſque multò plures in adverſariis meis notatas ac perſcriptas oſtendere, quas ex Tertulliano, Cypriano, ceteríſque PP. & antiquis Conciliis, ac Canonibus, ut Scriptorem quemque legebam, ſtudioſè multis ab hinc annis obſervaveram. Sed neque χρηστομαθίας iſtas, neque ſi quid ex illis ſolerti ratione, aut conjectura deduxi, tanti æſtimo, ut pro tantillarum rerum vindicanda poſſeſſione ſuſcipiendas ſimultates, & altercationes exiſtimem: nedum ut ex incerta, falſáque ſuſpicione certam nomini alicujus infamiam, invidiámque conſciſcam. Ac vel tuam ille ſaltem (Amplissime Doctissimeque Præsul) moderationem imitari vellet: qui cùm luculentiſſimum ac laudatiſſimum illud opus Eccleſiaſticarum obſervationum poſt animadverſiones noſtras ederes, de plagio illo ne littera quidem conqueſtus es; quod recenti re, & ab eo, cuja hæc erat, fieri maximè conveniebat. Tu verò, cùm certis de capitibus contrà atque ego ſentires, nihil in nos aſperè tamen, inclementérque dixiſti: atque ita tuam homo non minùs prudens, quàm eruditus opinionem explicaſti, ut exiſtimationi noſtræ, amicitiæque parceres. De hac in me lenitate uti jure tibi maximam gratiam habeo; ita Diſpunctori meo ſuccenſere poſſum, qui eamdem aliena in cauſſa non adhibet, quam in tua tibi decoram, & honeſtam putaſti. Quamobrem quod contra me utcumque ille ſcribere, & errata mea caſtigare voluit, non modò non reprehendo; ſed quoquo animo fecerit, bonam in partem accipio. Video enim id & communium intereſſe litterarum, & honeſtè ac laudabiliter poſſe fieri; cùm nemo ſit qui aut aliqua re non peccet; aut ab errore ſuo, ſic tamquam malo, ac morbo ſe quodam eximi optare non debeat. Hunc igitur redarguendi mei conatum fero non invitus: hoc conqueror, ſine injuria, contumeliáque, cùm poſſet, magis iſtud ipſum noluiſſe facere. Alterum enim tolerabile eſt, ut dixi: alterum cujuſmodi ſit, ne is à me violatum ſe putet, nolo verbis meis exprimere. Equidem quòd adverſus Catholicos, & illius præſertim ordinis viros ægrè adducor ut ſcribam, etiam laceſſitus; quamlibet iniquam ejus reprehenſionem non ſolùm patienter tuliſſem, verùm etiam tacitè, ſi hactenus conatus ille procederet, ut in probabili quæſtione, contra opinionem noſtram, non adverſus tuam (Præsul Amplissime) immo verò communem Eccleſiæ doctrinam veniret. Hoc enim reſtabat unum, ut in pleriſque, quæ pronunciare ſatis habuit, non ſolùm à tuis ipſis, quorum ſe vindicem, atque interpretem facit, ſcriptis, & auctoritate recederet; ſed à communi Catholicorum judicio magnopere diſſideret. Caput eſt ſecundum Diſpunctiuncularum, quo quid ſit dare pœnitentiam, planè contraria, ac tuum, & Eccleſiæ dogma fert, ratione, prudens, an imprudens expoſuit. Omitto nunc cetera, quæ re in ea, quam inſcriptam nomini tuo apparere volui, diſputatione legere malo, quàm ex brevi hac epiſtola curſim levitérque cognoſcere. Quam quidem Diatribam noſtram quiſquis attentè, ac patienter exceperit, non minùs ad iniquam depellendam criminationem, honeſtam nobis; quàm ad tuam, & Eccleſiæ propugnandam illuſtrandámque doctrinam, piam ac neceſſariam fuiſſe judicabit. A te verò (Præsul Amplissime) poſtremò illud poſtulo, quod impetraturum me eſſe confido; ut contra criminatores meos integrum mihi tuum animum, benevolentiámque conſerves: tum ut de me viciſſim tibi polliceare; fautorem me dignitatis tuæ, non, ut quidam, alienis diſpungendis laboribus; ſed more bono, probóque, tuendis quoad licet, monimentis tuis, perpetuò futurum. Vale. Lutetiæ Pariſiorum CIↃ. IↃC. XXIV.

Epiſtola XI.

LUDOVICO BORBONIO
tum Enguiennenſium Duci nunc Principi Condæo.

Nuncupatoria Rationarii temporum.

SI ipſæ per ſe loqui artes, diſciplinæque poſſent (Illuſtrissime Princeps) magnas profectò tibi, ac tuo parenti, ſummo viro, gratias agerent: nec minùs ſibi de hoc honore gratularentur, quem ſunt ad hanc diem maximum veſtro de ſe judicio conſecutæ.

Eſt enim hoc, quanti vos illas feceritis, illuſtre teſtimonium; quòd amplitudinis uterque tantæ, ille te in earum ſinu, ac gremio educari voluerit: tu earumdem convictu, & contubernio poſteriores aulæ delitias, & amœnitates duxeris. Hoc eſt, inquam, prorſus amplum litteris noſtria, & magnificum; regia te ſtirpe puerum, & indole ſic illis tractandis aſſueſcere, non ut earum magiſtros ad te domum evoces; aut oblectamenti, & acroamatis adhibeas loco: ſed ut ad illorum ædes ultrò accedas ipſe quotidie: neque in ſcholarum officiis obeundis proprium tibi quicquam præter ceteros aſſumas. Quare cùm ſempiternum vobis nomen, ac famam uterque comparatis; tum exemplum huic, & ſequenti ætati ſtatuitis, quanto illas in pretio haberi deinceps oporteat. ut id ex opinione evellatur hominum, quod pleriſque ordinis illius vel palàm, vel uſu tacito ac judicio perſuaſum videtur: ut quiſque ſummo loco natus eſt, ita minimum cum otioſis illis, & inertibus ſtudiis habere commercii. Quòd ſi quis jactare audebit in poſterum; non Alexandri M. non Caroli noſtratis; non reliquorum, quos ex antiquitatis memoria proferre ſolemus: ſed recentiore iſto tuo, & illuſtriſſimi parentis tui facto refellitur. Hoc igitur, ut dixi, nomine quàmmaximas ſe ambobus vobis gratias debere litteræ profiterentur, ſi uti ſermone poſſent: tum qui hoc poſſunt, fautores illarum, & amantes, prolixè, ac cumulatè facient: & hujus commendationem laudis adjungent ad ceteras, quarum ſegetem, ac materiam olim in illuſtriſſimo parente tuo confectam habent: in te verò nihilo minorem, & his, quæ præ te fers, generis, naturæque bonis conſentaneam fore confidunt. Quam de te conceptam omnium opinione ſpem ratam exploratamque reddunt tot illa præſtantium, quæ vel id ætatis habes, indicia virtutum. Eſt omninò divinum neſcio quid in vobis principibus; & communi captu altior indoles; quæ vos ſecernit à vulgo; & ad hominum imperia, magnáſque res, & arduas capeſſendas natos eſſe demonſtrat. Atque ut in apum genere ſigna quædam regibus indita ſunt, quibus facilè dignoſcuntur ab reliquis: aut ut Spartorum poſteri lancea; eburneo humero Pelopidæ; Seleucidæ ancora; naturalibus aliis alii notis inſignes erant: ſic eſſe ſolet eximium aliquid in magnis viris; quos ſupra ſortem aliorum non tam conditio generis, quàm omnia gubernantis, ac ſuum cuique deſcribentis ordinem Dei voluntas extollit.

Ejuſmodi in te eſſe illa didicimus: primum acre, & excellens ingenium; cujus eſt ad omnes capiendas artes tanta celeritas, ut undecimo jam ætatis anno primas in Eloquentiæ ſchola eruditionis induſtriæque teneas: animus item honeſtæ laudis, ac gloriæ incitatus ſtimulis: crebra cum adverſario de doctrinarum genere omni certamina; neque certaminibus rariores palmæ, ac victoriæ. dum tu quidem æquales inter, omnium rerum, quibus ornari ætas iſta ſolet, principatum obtines; &, ſive parentis hortatu; ſive tuapte ſponte id aſſequeris, quod cuidam in militiam profecturo principi ſuus apud Homerum pater præcepiſſe legitur,

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

ut umbratili hac, & ludicra dimicatione præludas iis triumphis puer, quos matura pòſt ætate juſtis ex hoſtibus, præliiſque reportabis. His, quæ ſplendidiora videntur vulgò, multò accedunt illa potiora; flos quidam integritatis, ac nitor, nullis vitiorum maculis oblitus: docilis natura, & ad fingentis arbitrium tenera, & flexibilis: tum candidi mores, & amabiles; atque adverſus omnes, etiam infimos, ſumma lenitas, affabilitáſque ſermonis: Chriſtianæ denique, ſine fuco, pietatis diligens amor, & cultus. Hæc, & ejuſdemmodi cetera, magna per ſeſe, tamen in te nonniſi ſemina ſunt, & initia, quibus ad dignum principe decus tuus ſenſim adoleſcit & perficitur animus.

Sed ego laudum hic tuarum præconium non decrevi facere. Id opus cùm erit, primùm univerſos, quod dicere cœperam, eò conſpirare, nitique ſimul oportebit, qui doctrinarum perſequuntur ſtudia: tum ſocietatem noſtram neceſſe erit ex omnibus; cujus inſtitutioni tuus te numquam ſine laude nominandus pater addixit. Quod cùm ageret, unà præclarum obſidem, ac pignus dabat ſingularis de ea exiſtimationis, ac voluntatis ſuæ; & illius in te viciſſim obligabat fidem, ut quibus poſſet rationibus cùm amplificandæ gloriæ tuæ, tum juvandis, ac provocandis ſtudiis tuis incumberet. Ego itaque, qui, quòd & ex illa ſocietate ſum, & ingenuis delector artibus, utriuſque lege officii teneri me ſentio, eo ipſo defungendum mihi hoc tibi inſcribendo opere ſtatui: in quod hiſtoriam omnem ab orbis initio ad ætatis noſtræ tempora, quanta potui brevitate, diligentiáque contuli. Sic enim commodare primùm me putavi poſſe ſtudiis tuis: quorum præcipua pars in hiſtoriæ, & antiquitatis ſita eſt ſcientia. Hanc verò non decoram ſolum principibus, ſed etiam perutilem eſſe, jure perhibent ſapientes viri: ſive quòd civilis ex illa prudentiæ diſciplina petitur; dum ex alienis exemplis, & caſibus, quid in ſuis, vel communibus gerendis rebus tenendum, vitandúmque ſit, addiſcunt homines, nullo ſuo labore, ac periculo: ſive ex tam aſſidua rerum humanarum, fortunæque, quam illìc legunt, viciſſitudine, & imperiorum, ac civitatum occaſu, parvi iſta facere conſueſcunt, & in iis tuendis, aut appetendis modum adhibere cupiditatibus ſuis; atque ad ſolidæ, conſtantiſque gloriæ fructum, qui ex una virtute, & pietate capitur, conſilia ſua transferre. Hunc uſum hiſtoriæ legendæ vel eſſe præſtantiſſimum, non ſemel admonet gravis imprimis auctor Otho Friſingenſis, præſertim his verbis, quæ in ſecundi libri fine poſuit: *Hæc omnia*, inquit, *mutantium rerum mala (ut ita dixerim) quotidiana mortalium mortes, ad veram, ac permanentem æternitatis vitam nos mittere deberent.* Ejuſmodi tu motum, vitæque fructum, non ſolùm utiliùs; ſed etiam, quæ tua eſt ingenii bonitas, jucundiùs, quàm illum ſcientiæ, cognitioniſque, cujus eſt vehemens imprimis amor in pueris, ex hoc noſtro libro colliges. Atque hinc poſtremò, de duobus illis erga te officiis, quæ mihi cum univerſa ſocietate propoſita debere eſſe dixi, conſequens fiet alterum; ut, ſi privatis adhuc nullis tuis, illuſtriſſimi certè tui parentis in me meritis; tum in noſtram ſocietatem utriuſque communibus, debitum à me viciſſim honorem, & cultum hac qualicumque nominis tui commendatione perſolvam. Vale. Lutetiæ Pariſiorum CIↃ. IↃC. XXXII.

Epiſtola XII.

LUDOVICO XIII.
Regi Chriſtianiſſimo.

Nuncupatoria Theſeon Philoſophicarum, ex perſona Ludovici de la Valette.

QUæ ſunt artes tractandi imperii duæ (Rex Christianissime) eæ mihi videntur ab Ægyptiis in Mercurii effigie conſideratè admodum deſcriptæ. Hunc enim Deum, quo ſignificari eum unà vellent, qui ad capeſſenda imperia foret appoſitus, non ut ceteros ſingulari aliqua forma, ſed duplici juvenis pariter, ac ſenis imagine pinxerunt. Quorum alter affecta jam ætate rerum uſum, ac ſapientiam: alter verò juvenili formâ, robur ac firmitatem declarat. Quòd ille demum perfectus ſit animi ſtatus, iſque ad ceterorum gubernationem idoneus Princeps, quem utriuſque ornamenti par, ac conſentiens dignitas commendat. In quo nullus eorum hominum errori locus relinquitur, qui præter generoſam animi fortitudinem nihil præſtandum adeò Principi putant; quique ab eo ſapientiæ ſtudium, tamquam otioſum ſegregant: id quod non magis veritati ipſi, quàm hominum ſapientiſſimorum judicio repugnat.

gnat. Itaque eò ſanè feci libentiùs, ut tibi florentiſſimi regni Principi in hac noſtra philoſophica concertatione, velut quoddam ſapientiæ patrocinium deferrem; neque id à Majeſtate tua alienum arbitrarer, in qua ambo iſta imperii ornamenta ſic paullatim excitari, atque augeſcere videmus, ut Ægyptiam illam perfecti Principis imaginem non mortuam atque fictam, ſed vivam animatámque circumferas. Etenim cùm ea ſis ætate, quæ quotidianis incrementis virium acceſſione firmetur; eâ porrò indole, ac virtute præditus, ut magnum in te Henricum parentem tuum vivum adhuc quodammodo ac ſpirantem intueamur: quis non in utroque, te ac parente tuo, ambarum virtutum conſortium agnoſcat? Atque utinam eam nobis effigiem, quæ unam adhuc fortaſſis annorum maturitatem deſideret, expolias in dies, & illuſtriorem efficias. Hoc mihi cum tibi ſubjectis omnibus populis, immo cum toto fermè terrarum orbe commune votum ac publicum eſt. Illud obſervantiæ erga te meæ privatum ac præcipuum teſtimonium. De quo tibi commendando nihil ego ſum magnopere ſollicitus: eſt enim ex eo primum ſapientiæ ſacrario depromptum, quod & Auguſtus olim Pater tuus ad commune totius regni commodum erexit, & in quo Regii ſui Cordis domicilium conſtituit. Ut ex eo facto intelligeremus, quanta apud eum ſapientiæ exiſtimatio foret, qui etſi bellica virtute præſtaret ceteris, unicam tamen ſibi ſapientiæ ſedem optarit, cui Cor illud virtutum omnium arcem committeret. Deinde ab eo derivatum eſt, qui tibi penè ab ortu tuo, mancipio & uſu addictus fuit in ſingulos dies, quoad maximi parentis tui auctoritate in regium hunc ſeſe ludum transferret. Jam cui potiùs repræſentari hunc ingenii mei fructum convenit, quàm ei, qui ut omnino meum exſtare poſſet aliquid, operâ ipſe ſuâ perfecerit? Cumque is majore omnium neſcias mœrore, an calamitate præreptus ſit, ejus certè hoc debebatur & ſucceſſori juris, ac filio, & virtutis perinde ac in nos benevolentiæ, & voluntatis heredi? Quamobrem (ut in diſſolvendo hoc nomine ſummam breviter ſubducam) accipies hoc qualecumque eſt, ut à ſapientiæ ſtudio, perhonorificum: ut à domeſtico olim tuo, jucundum: ut à Majeſtati tuæ devotiſſimo, officii plenum; ut à parentis tui debitore, tibi devinctum penitus, & obſtrictum.

Epistola XIII.

PETRO JANNINO
Regiæ Gazæ præfecto.

Nuncupatoria Theſeon Philoſophicarum ex perſona Joannis Gault.

Puderet me (Vir Ampliſſime) ad puetiles haſce penéque ludicras exercitationes abuti ſplendore nominis tui, niſi id ſapientiſſimorum hominum Majorum exemplo didiciſſem, ne ab ludorum quidem auctoritate ſummæ dignitatis amplitudinem abhorrere. Etenim illi non modò Deos ſibi ludorum ſpectaculis propitiandos putarunt, verùm etiam clariſſimorum hominum poſt obitum memoriam nullâ aliâ re magis, quàm eorumdem celebritate conſecrarunt. Sed erant ea tum ferè ſpectacula cruentata hominum cæde & ſanguine, quòd iis rebus affici mortuorum manes atque expiari crederent. Nos verò cùm ſolemnium ludorum apparatu annuam Principis illius memoriam proſequamur, qui naturâ fuit ab omni cæde & crudelitate ſemper alieniſſimus, par eſt æquè moribus illius conſentaneos, hoc eſt, cruoris expertes ac pacificos præberi. Apud quem quo in loco fueris, quantumque gratiæ & auctoritatis habueris, ex iis ornamentis, eóque gradu intelligimus, quem illius voluntate maximum atque ampliſſimum es conſecutus. Quantum verò in eum viciſſim ac regnum univerſum contuleris, ut vetera illa longè præclariſſima taceam, quotidiana certè in ejus conjugem ac filium & maxima & utiliſſima officia teſtantur. Illius igitur te Principis curatorem ludorum veluti quorumdam ac moderatorem eſſe vehementer cupimus, ut ex tuo, quod ille magni ſemper fecit, nomine, gloriæ plurimùm ac ſplendoris acquirant. Verùm ſatiſne ſapere videor, qui ludum exercitationem hanc ſapientiæ ac præſtantiſſimæ diſciplinæ ſpecimen appellem? Sed nimirum uti ſi Achillis fraxinum puer aliquis, aut Pygmæus Herculis clavam arripiat, ut id ſeriò maxime faciant, ludere illos meritò tamen exiſtimes; ſic illa arcana exquiſitiſſimarum artium atque dogmata cum à me ventilantur homine imperito ac rudi, tametſi ſummo conatu id agatur, apud vos tamen ſic tamquam pueriles impetus atque infantium ludicra cenſentur. Sed neque Ageſilaum illum puduit, id ætatis ac gravitatis hominem, domi colludere cum puerulis videri; neque tu, quâ te in omnes facilitate atque humanitate eſſe comperi, alienum gravitate ſeveritatéque tuâ eſſe ſtatues. Ego verò pro egregiis tuis in me meóſque meritis atque officiis, quis meus viciſſim eſſet ſenſus, quomodocumque teſtari malui, quàm impudentiæ ac temeritatis ſuſpicionem nimiùm vereri. Tu (quandoquidem ex eventis conſilia ponderari ſolent) ſi ad meum hoc factum judicium tuum & probationem adjunxeris, facies, rectè ut à me ſapienter proviſum omnes exiſtiment.

Epistola XIV.

CAROLO BELLOMANORIO,
Cenomanorum Epiſcopo.

Nuncupatoria Theſeon Philoſophicarum ex perſona Claudii Bellomanorii *fratris.*

Qui nobilium atque illuſtrium virorum, iiſdem quibus ego de cauſis, opem ac præſidium implorant (Præsul Ampliſſime) cùm temeritatem ſuam atque audaciam excuſare vehementer ſolent, tum leviſſimum iſtud ipſum quod offerunt, nec par illorum eſſe dignitati profitentur. Qua ex oratione hoc plerumque conſequuntur, ut vel pudenter, ac parum ambitioſe feciſſe, vel patronorum ſuorum auctoritatis & gravitatis rationem habuiſſe videantur. Ego verò qui te primi hujus experimenti ducem mihi ac patronum aſciverim, utrumvis illorum apud te præſtare ſupervacuum exiſtimo. Non enim divinarum præſtantiſſimarúmque artium, quarum hic tibi ſpecimen præbemus, pondus imminuere ſine aliquo flagitio poſſum; neque porrò ejus quod à me modò fit, pœnitere me, aut aliter, quàm ita uti fit, fieri oportere judico. Nec ad illa tantum neceſſitatis ac germanitatis jura reſpicio, quorum opportunitate ac fiducia parciùs tamen uti ſuadet tam excellentis quæ eſt in te auctoritatis amplitudo: ſed illud dico te mihi ad ea Philoſophiæ ſtudia auctorem atque hortatorem fuiſſe. Quare qui poſſum dubitare, quin cujus operæ mihi ac diſciplinæ commendator exſtiteris, ejus fructum aliquem atque indicium à me profectum, tibi oblatum ſis gratiſſimum habiturus? Neque verò, quòd in eo ſim genere rudis adhuc atque infans, nec exquiſitum tibi aliquid aut ſerium afferre poſſim, eò minùs fidem tuam ac præſidium appellare debui. Primùm enim neque aut ita de me arroganter ſentio, ut me tam exiguo tempore difficillimis in artibus multùm aſſequi debuiſſe, aut verò potuiſſe ſtatuam; nec te tam inhumanum, aut imprudentem judico, ut quatenus ab hoc uſu atque ea ætate poſtulandum ſit, nequeas diſcernere. Deinde, ut de me aliquid etiam audaciùs prædicem, eo illud omne conſilio ſuſceptum eſt, ut me genere tibi ac communione ſanguinis propinquum, etiam in hac imbecillitate mea, nequaquam degenerem eſſe conſideres: ut quamvis nondum ad illum ſapientiæ ac Philoſophiæ Solem aſpirare propiùs atque evolare poſſim, in illius tamen lucem ac ſplendorem, à te præſertim adjutus ac ſuſtentatus, quantumvis debilem atque infirmam oculorum aciem defigam. Quamobrem nihil eſt quod ultrà factum illud meum, quod tibi eſſe ſcio jucundiſſimum, probare magnopere contendam. Et hoc quod à me excuſatum hactenus eſt, magis quia ita fieri ſolet, quàm quod neceſſe fuerit, velim à me putes eſſe factum. Deus te cùm mihi, tum Eccleſiæ tuæ quamdiutiſſimè ſalvum & incolumem conſervet. Vale.

Epiſtola XV.

ANTONIO SEGUIERIO
Senatus Pariſienſis Præſidi.

Nuncupatoria Theſeon Philoſophicarum, ex perſona Dominici Seguierii *nepotis.*

QUod te in ponendo Sapientiæ tirocinio abuti præſertim auctore ac patrono voluerim (Præses Amplissime) tantum abeſt mihi ut excuſandum magnopere ſit, ut ſi cuivis id ex omnibus præter te unum deferrem, quærendæ mihi ob hoc ipſum cauſæ fuerint, cur alteri potiùs quàm tibi. Nam cùm poſt parentis mei obitum omnibus id erga me officiis egeris, ut parentis mihi loco eſſes, ejúſque tibi perſonam ac ſtudium imponeres, omnia, quæ quidem ei à me debebantur, æquum eſt in te unum viciſſim transferri. Quare quod illi, ſi viveret, longè accideret ſuaviſſimum, ut aliquem de iiſce meis litteris, atque exſpectatione ſua caperet fructum, idem non vereor, ut ei quoque, qui ejus mihi inſtar ſit, gratiſſimum eveniat. Tibi quidem certè; quem non ſolùm artes illæ delectant, quæ ſunt in ſapientiæ magiſterio ac diſciplina poſitæ. ſed qui earum vim, atque uſum non privato modo vitæ inſtituto, ſed maximis reipublicæ partibus tractandis diligenter expreſſeris. Ut quod nos contemplando ac diſputando ægrè admodum aſſequimur, ut ſtudioſi ſapientiæ dicamur, id tu agendo potiſſimòm obtinueris, ut ſapiens & ſis, & eſſe ab omnibus exiſtimeris. Quamquam non tam ex rerum adminiſtratione tibi ſapientiam quæſiſſe, quàm ad illam ipſam attuliſſe jam inſitam, atque innatam videris. Etenim illa tua Urbana Prætura, quod tu initium attingendæ reipublicæ feciſti, habuit non tironia probabilem ſedulitatem & operam, ſed veterani & exercitatiſſimi ſolertiam atque induſtriam. De qua ita omnes ſtatuunt: in ea reliquis omnibus, Magiſtratus illius gerendi normam ac diſciplinam fuiſſe præſcriptam. In illa verò deinceps Regia, uti vocant, Advocatione ſuſtinenda, par & eadem commendatio egregii animi, ac ſapientia fuit. Quem tu (hoc uno diſſimilis tui quòd melior & præſtantior in dies) longè maxima acceſſione cumulaſti, cùm in tranſalpinis regionibus diuturna ac perhonorifica legatione functus es. Atque ejus quidem mandato principis, cui ipſum probare ſe poſſe cùm virtutum ceterarum erat, tum prudentiæ certè ac ſapientiæ firmum imprimis ac grave teſtimonium. Sed hic quanti poſtremò te faceret, in mandando ſubinde ampliſſimo honore teſtatus eſt. Etſi non tam id ornandi tui cauſâ fecit, quàm ut, quod reliquis abs te in muneribus perfectum viderat, ei dignitati multùm de tuis ornamentis ponderis atque amplitudinis accreſceret. Puderet me iſta de te, quæ cum aliquo meo ſplendore conjuncta ſunt, apud te præſertim dicere, niſi adeo pervagata eadem, atque illuſtria forent, ut non tam ambitionis mihi crimen metuendum ſit, quòd ea de te prædicaverim, quàm imperitiæ deprecandum, quòd uſque eò leviter ac negligenter attigerim. Verùm omnis illa, ut antè dixi, oratio eò pertinuit, mei ut apud te decreti, ac conſilii ratio exſtaret, neque ejus auctoritatem rei deſugeres, quæ tam conjuncta tibi, támque apta moribus tuis, ac conſentanea videretur. Nam cetera illa quæ ab aliis ſtudioſè ſane commemorari ſolent, miſſa facio, propinquitatis, & neceſſitudinis jura. Quæ tum à me fortaſſe proferentur, cùm nonnulli meæ hac in parte audaciæ ſeverior aliquis Senatoriam illam auctoritatem, ac gravitatem opponet. Tu enim mihi ut eam objicias, quæ tua mihi cognita facilitas, atque humanitas eſt, equidem nihil metuo. Quem etiam propterea mihi incolumem diu, ac ſuperſtitem precor, ut habeam apud quem poſtea ſimilis quidem animi, ac voluntatis, diſſimilem tamen fructum, ac multò uberiorem collocem. Vale.

Epiſtola XVI.

LUDOVICO CAUMARTINO
Regi à ſanctioribus Conſiliis.

Nuncupatoria Theſeon Philoſophicarum ex perſona Francisci *filii.*

MAgno jampridem animo cùm ad reliquas capeſſendas artes, tum ad hoc poſtremò ſapientiæ ſtudium acceſſeram, (Pater optime) quòd ita faciendum eſſe auctore te potiſſimùm atque hortatore didiceram. Sed major etiam, quàm initio provideram, iiſdem urgendis ac proſequendis adhibenda vis fuit. Sive tanta rerum partim dignitas, partim varietas atque obſcuritas ineſt, ut eam neceſſe ſit incredibili animi contentione ſuſtineri: ſive tamdiu peregrinari ab oculis tuis, atque interim præſentia tua carere nos oportuit. Quod profectò non modò pro amore erga te meo longe mihi moleſtiſſimum accidit: ſed auxit inſuper curam ſolicitudinemque noſtram; ac vehementer acuit, quòd eò acrius de me judicium tuum, ac ſeverius fore perſpicerem. Etenim quarum rerum quotidiana acceſſione cernenda paullatim aſſueſcimus, eæ fallunt oculos conſuetudine ipſa, & in exigendo dijudicandóque proceſſu hebetiores quodammodo faciunt. Quorum autem incrementum nonniſi longo intervallo, ac ſimul univerſum objicitur, ea infinitæ de ſe exſpectationi, ac cupiditati admodum ægrè ſatisfaciunt. Ac tu quidem non, ut plerique parentes ſolent, vel in prima illa rudioris ætatis inſtitutione domi apud te detineri me, atque in ſinu, tuo, & complexu verſari paſſus es. Sed uti Theſeum ferunt, cùm infans adhuc eſſet, ita à parente longinquam in tutelam, ac cuſtodiam ablegatum, ut non prius ad ſe veniendi poteſtatem is faceret, quàm ingenti ſaxo revoluto, quod adultæ jam ætatis eſſet indicium, ſub illo conditum enſem ad ſeſe reportaret: ſic me ex peregrina illa diſciplina, in quam multos jam annos à te ſum traditus, ſine aliquo corroborati ingenii ſpecimine revocari omninò non ſinis. Quod ego ipſum (Pater optime) ne me diutiùs abeſſe à te cuperes, repræſentandum modò tibi, atque offerendum eſſe duxi. In quo ſi mihi vel prædicandi tui, vel excuſandi, conciliandique mei partes aut voluntate tua detractæ, aut propter utriuſque conjunctionem, eſſe ſupervacuæ videntur, gratulandi certè nihilominus ſunt relictæ. Atque ut imperator ille neſcio quis certaminum ſuorum victoriarúmque præcipuum hunc eſſe fructum exiſtimabat, quòd eas eſſet viva adhuc matre ſua, ac ſuperſtite conſecutus: ita mihi ob hoc præſertim gaudendum eſſe cenſeo, quòd te non ſolùm conſcio, ſed patrono etiam ac defenſore in illud me ingenii certamen induſtriæque commiſerim. Verùm ne nimiùm de me magnificè ſentire, ac mihi, dubio præſertim exitu, omnia temerè polliceri videar, modum adhibebo gratulationi meæ, idque unum, quoad votis aſſequi potero, contendam; ut quemadmodum ſplendori nunc & ornamento mihi es, eriſque perpetuò; ſic ego viciſſim, quod eſſe patri ſapientem filium regum ille ſapientiſſimus monet, gloriæ tibi aliquando, certè voluptati eſſe poſſim. Vale.

Epiſtola XVII.

ΟΥΡΒΑΝΩι ΤΩι ΟΓΔΟΩι
μεγίστῳ ἀρχιερεῖ.

Προσφωνητικὴ τῆς ἐμμέτρου τῶν Ψαλμῶν παραφράσεως.

ΘΕΙ'ΟΝ εἶναί τι χρῆμα τὴν ποιητικὴν, καὶ ἐκ τῆς ἄνωθεν ἐπιπνοίας ὁρμώμενον, πάλαι τοῖς σοφοῖς δέδοκται καὶ λογίοις ἀνδράσι, (Μακαριώτατε Πάτερ) καὶ τοῦτο μὲν οἵ γε πλεῖστοι καθόλου, καὶ ἀδιακρίτως ἀπεφήναντο, ὡς ἱερὸν ἅπαν, καὶ ἔνθεον ἡγούμενοι τὸ γένος τῆς ποιήσεως. Πλὴν ἔστι τοῦτο ἁπλῶς πως, καὶ ἁπλῶς εἰρημένον οὐκ ἀληθὲς πάνυ γε καὶ δεῖ. χρὴ δὲ δήπου ἀκριβέστερον διελόντας εἰπεῖν, ὡς διχῇ φερομένης τῆς τέχνης, ἡ μὲν περὶ τὰ ψευδῆ, καὶ μυθώδη, ἢ καὶ ἄσεμνα, καὶ φορτικὰ καταγινομένη, φορτική τις ἐστι καὶ αὐτὴ, καὶ συρφετώδης, οὐδὲν μέγα, καὶ γενναῖον ἀποτίκτουσα, μηδὲ λαμπρᾶς ὁπωσοῦν τῆς ἐκ τῶν σοφῶν ἀποσημειώσεως ἄξιον. ἣν τοῦτό γε ἕνεκα προσοικόν ἐστιν ἀποδο-

ἀποδυσπετῆσαι, καὶ κρείττω φθέγγονται, καὶ ἐς μεγαλοπρέπειαν πᾶσι τὸν ῥίπτοιν, καὶ πετρῶν κατ᾽ ἠλιβάτων· οἷα περὶ τῆς πενίας οὐκ ἐν δέοντι τις ἀπερρίψε τῆς γραμμολογίας. Καὶ τοῦτο μὲν περὶ τοῦ ποιητικοῦ εἴδους πλείω λέγειν ἀφίημι, τοσοῦτον ἐπειπών, ὃ καὶ Ἀρίστιππον λέγουσι τὸν φιλόσοφον, μύρῳ χρισάμενον· ὡς τοὺς μαλακούς, καὶ ἐλευθερίας ἐπιφθέγξασθαι· δεῖ κακοὺς κακῶς ἀπολωλέναι τοὺς τοῦ μύρου τὴν ὠφέλειαν εἰς λοιδορίαν διαβεβληκότας. Ἀλλ᾽ ἦν ἄρα τι καὶ τοῦτο φρίκος ἱερὸν τῆς ποιητικῆς ἐμβριθὲς τῷ ὄντι, καὶ κόσμιον, καὶ πάσης ἀναθυρσίας, καὶ ἀσελγείας ἀλλότριον· ὃ ἀμφὶ τὰ θεῖα στρέφεται, ἢ τὰ καλά, καὶ σεμνὰ· ὃ δὴ περὶ πολλοῦ ποιητέον, καὶ ἐγκρατεῖν τοῖς γε νοῦν ἔχουσι, μεμνημένοις ὡς ἄρα εἰς πολλά, καὶ καιριώτατα ἐστὶν ὅθεν ὁ βίος ἀφυλάττει, ἀφορμὴν ἐκ τοῦδε λαβόντων ἀνθρώπων τοῦ τῶν ἀναγκαίων, καὶ προσπαθέντων ἀντέχεσθαι. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ τοιαῦτα ἡ ματαία τις προστρεχομένους ἀηδίαν, καὶ τραχεῖαν τὰ κατ᾽ ἀρχὰς ἐμποιεῖ· ὡς ῥᾳδίως ἀφίστασθαι, καὶ ἐνδιδόναι, διὰ τὸ ἀσθενὲς τῆς ἡμετέρας φύσεως, καὶ ἀψίκορον, καὶ πρὸς τὰ ἡδέα ἄλλως ἀντίφορον πέφυκεν ἐκ τοῦ εὐθὺς ἐπιβοηθεῖν τοῖς συμφέρουσι τὸ τῆς ἐμμελοῦς ψυχαγωγίας ἥδυσμα· οἷς δελεασθέντες ἡμεῖς ῥᾷον ἐκεῖνα προσιέμεθα. ὥσπερ οἱ παῖδες τὸ πικρότερον τῶν φαρμάκων, μέλιτι περιχριομένης τῆς κύλικος.

Ἀμέλει, ὥσπερ τῶν ἀρχαίων ἔφησέ τις, συγγενῆ οἰονεί τινα τὴν ἐμμέλειαν ὑπάρχειν, δι᾽ ἧς ἡ ψυχὴ συμπλέκεται πρὸς τὸ σῶμα, καὶ συνάπτεται· τοῦτό μοι δοκεῖ οὐκ ἀπεικότως ἂν ἐφαρμόσαι ἐπὶ τὸ προκείμενον· ὥσπερ γὰρ συγγενῆς ὁμοίαν τὴν ποιητικὴν ἐμμέλειαν, ἢ τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς συμβιβάζων, καὶ συναρμόζων οἶδε τὴν ψυχήν. Τούτου γοῦν ἕνεκα καὶ τοὺς πάλαι νομοθέτας λόγος ἔχει, τοὺς σφῶν νόμους ἐμμέτρους εἰς ἔθος παραδοῦναι ταῖς πόλεσι, καὶ τοὺς παῖδας μανθάνειν κελεῦσαι· ἵνα διὰ τῆς ἐκ τῶν ῥυθμῶν, καὶ ἁρμονίας τέρψεως εὐκολώτερον αὐτοὺς εἰς τὴν μνήμην παραδέξωνται· καὶ τῷ μὲν δοκεῖν ᾄδωσι μέλη τινά· τῇ δ᾽ ἀληθείᾳ, καθ᾽ ὃν πολιτεύεσθαι μετ᾽ ἀλλήλων χρή, τὸν τρόπον ἐκπαιδεύωνται. ὃ καὶ βέλτιον, οἶμαι, πάντων ἐκεῖνος συνιδὼν τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ σχεδιασάμενον τῆς τῶν Ἑβραίων ἀσθενείας, τὰ πολλὰ καὶ χρησιμώτατα τῶν ἱερῶν βιβλίων, ἐν οἷς τὰ τῆς ὀρθῆς, καὶ κατὰ τὸν νόμον πολιτείας κεφάλαια, ἢ προφητεύματά τινα, καὶ παραινέσεις πρὸς ἀρετὴν ἦσαν, διὰ μέτρων, καὶ μελῳδίας ἐξέθετο· ὥς φησιν ὁ Ἱερώνυμος φερώνυμος ἱερὸς ἀνήρ, καὶ τριβὴν περὶ τὰ τῶν Ἑβραίων μαθήματα, καὶ ἐμπειρίαν οὐκ ὀλίγην κεκτῆσθαι δοκῶν. ὃς καὶ τούτου μάρτυρας παρέχει τόν τε Ἰώσηπον, καὶ τὸν Ἀδαμάντιον Ὠριγένην. Καὶ τὰς μὲν ἄλλας ἐῶ τῶν βίβλων, περὶ ὧν κἂν ἀμφισβητοίη τις μὴ οὕτως ἔχειν. περὶ δὲ τῶν τοῦ Δαβίδου Ψαλμῶν οὐκ ἔστιν ὅς οὐ τῷ μακαρίῳ ἐκείνῳ συντίθεται, οὐ μόνον ἐμμέτρως ἐκδεδόσθαι φάσκοντι· ἀλλὰ καὶ παντοίων ῥυθμῶν, καὶ μελῶν πεποικίλθαι χάρισιν· οἵοις τά τε τοῦ Πινδάρου διαύγεσιν, καὶ τὰ τοῦ Ἀλκαίου, ἔτι δὲ καὶ Σαπφοῦς, καὶ τοῦ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις ἐν μνήμῃ, καὶ δόξῃ Ὁρατίου Φλάκκου. οὓς δὴ ξύμπαντας, καὶ τοὺς λοιποὺς δὲ τοὺς μάλιστα παρὰ τοῖς Ἕλλησι, καὶ Λατίνοις ἐπὶ τῇ ποιητικῇ δυνάμει διαλάμψαντας, ἐνὶ καὶ σμικρῷ τῷδε βιβλίῳ τοσοῦτον ὁ Δαβίδης ὑπερηκόντισε, οὐ τῷ μεγέθει μόνον, καὶ τῇ ἀξίᾳ τῶν νοημάτων, ἀλλ᾽ ἔτι κάλλει, καὶ ἀγλαΐᾳ, καὶ γλυκύτητι· ὡς ἄμεινον, καὶ ἀκριβέστερα πάντα πάλαι ὡς πρὸς μόνον ἐκεῖνο δοκεῖν. Ἐντεῦθεν δὲ καὶ τοῦτο σαφῶς ἀποδείκνυται, τὸ ὑπ᾽ ἐμοῦ εἰρημένον, εἰς τὰ πλεῖστα εἰς χρείαν, καὶ ὠφέλειαν συμβαλλόντων τῶν βιβλίων, προνοίᾳ τινὶ τοῦ κρείττονος, ἀκριβέστερον τῶν ἄλλων εἰς κάλλος ἐξήσκηται. Τοιαύτη γὰρ ἡ τῶν Ψαλμῶν βίβλος, οἷα πᾶσιν, ὅ, τι περ ἐν πάσαις τῆς ἁγίας γραφαῖς ἔνεστιν ἔφολκον, ἐν ἑαυτῇ συλλέγειν. ὥστε οὐκ ἄν τις ἁμάρτοι, ἐπιτομήν τινα πάντων τῶν θεοπνεύστων λογίων εἶναι ταύτην ἀποφαινόμενος. Ἄλλα
„ μὲν γάρ φησιν (ὁ μέγας Βασίλειος) προφῆται παιδεύουσι,
„ καὶ ἄλλα ἱστορικοί, καὶ ὁ νόμος ἕτερα, καὶ ἄλλα τὸ εἶδος τῆς
„ παροιμιακῆς παραινέσεως· ἡ δὲ τῶν Ψαλμῶν βίβλος τὸ ἐκ πάν-
„ των ὠφέλιμον περιείληφε. προφητεύει τὰ μέλλοντα, ἱστορίας ὑπομιμνήσκει, νομοθετεῖ τῷ βίῳ, ὑποτίθεται τὰ πρακτέα· καὶ ἁπαξαπλῶς κοινὸν ταμεῖόν ἐστιν ἀγαθῶν διδαγμάτων, τὸ ἑκάστῳ πρόσφορον κατὰ τὴν ἐπιμέλειαν ἐξευρίσκουσα. Οἷς συνῳδὰ γράφων ὁ μέγας καὶ αὐτὸς ἐπίκλην Ἀθανάσιος, οἰονεὶ παράδεισον εἶναι λέγει τὴν βίβλον τῶν Ψαλμῶν. ἐπειδὴ τά τε πάντων ἐν ἑαυτῇ κατέχει τῶν λοιπῶν ἀγαθά· καὶ ἰδίᾳ δὲ οὐκ ὀλίγ᾽ ἄττα συνεισφέρει. Προσθείην δ᾽ ἂν ἔγωγε τοῖς ὑπ᾽ ἀμφοῖν λεγομένοις, ὡς τῆς ὁσίας, καὶ ἐνθέου ποιητικῆς, ὅς περὶ ἔφθην εἰπών, παράδειγμα τοῦτο, καὶ κανόνα ὁ θεὸς ἐκθέσθαι τοῖς τῶν θείων λογίων ἠθέλησεν· ἵνα εἴ ποτέ τις τῶν χαριεστέρων τῆς ἐκ Μουσῶν τέρψεως δεόμενος, ἀπεργάζεσθαί τι τοιοῦτο ἀξιοῖ, πρὸς ἐκείνην μάλιστα τὴν ἰδέαν ἀπευθύνοιτο. ὃ δὴ πολλοὶ μὲν πάλαι προαιρούμενοι, καὶ μάλα τινὰ σώφρονα, καὶ χριστιανικῆς ἐπαγγελίας οὐκ ἀνάξια μελετήσαντες, τὴν λύραν ἔκρουσαν· οὐ δὲ καὶ τῶν ἄλλων διαφερόντως ἐπιχειρῶν, τοσοῦτον τῆς ποιητικῆς κατὰ πάντων ἰδέας τὰ πρωτεῖα· ὡς ἐκ τῶν σοι πάλαι προφαινομένων ἰδεῖν ἔξεστιν ἅπερ ἔτι θαυμάζων κατ᾽ ἀξίαν ἔχομεν ὅτι καὶ νῦν πολλάκις ἐπαλλήλως, μὴ οὐχὶ πολλὴν ὡς νεαροῖς ἐπιλήψεσθαι. ὅτῳ πολλή τις ἐπανθοῦσα χάρις ἐπιτρέχει, δοκεῖ καταθέλξαι τοὺς τῶν ἀκροωμένων ψυχάς, καὶ πρὸς ἑαυτὴν ἐφελκύσασθαι. Ἀλλὰ μὲν οὕτω διακεῖσθαί σε πρότερον ἰδιωτεύοντα, πρὶν ἢ ἀρχῆς τοσαύτης ἐπιτυχεῖν, καὶ ἐς τὰς ὑπὲρ τῶν ὅλων φροντίδας ἐμβατεῦσαι, θαυμαστὸν ἴσως οὐδέν, οὐδὲ σαφὲς οὕτω τεκμήριον οἵας γνώμης ἔχεις, καὶ διαθέσεως πρὸς τὴν ὑπ᾽ ἐμοῦ, καὶ πάντων τῶν φρονίμως ἐπαινουμένην ποιητικήν. τὸ δὲ καὶ νῦν ἐν ἄκρῳ σε καθεστῶτα τῆς ἀνθρωπίνης ὑπεροχῆς, καὶ πλείστων πραγμάτων ὄγκον αἰρόμενον, καὶ οἷον ἀφ᾽ ὑψηλῆς τινος σκοπιᾶς, ὅλην τῆς διοικήσεως ὀφθαλμοῖς περιλαβόντα τὴν ὑφ᾽ ἥλιον, ὅμως οὐδὲ τῆς πρὶν ἐρωμένης ἀποσχέσθαι· φιλοφρονήσασθαι δὲ καὶ αὐτὴν οὐδὲν ἧττον, καὶ διὰ τιμῆς ἄγειν, καὶ τῆς παρρησίας μεταδοῦναι, ἱκανὸν εἰς πίστιν, ὅπως περὶ αὐτὴν ἔχεις αὐτός, καὶ ὡς ἔχειν ἑτέρους δεῖν ἡγῇ. Τοιγαροῦν τοὺς πρὸς ἐκείνην οὐκ ἀφυῶς διατιθεμένους ἄνευ παρρησίας οὐκ ἀλλότριον σεαυτοῦ νομίζεις· οὐδέ τι καὶ τέχνης ἔργον ἀπαντῶν καὶ κομιζόμενόν σοι παρ᾽ αὐτῶν εὐμενῶς δέχεσθαι, καὶ σπουδῆς ἀξιοῦν. Τοῦτο μὲν οὖν οὐ παρ᾽ ἄλλων σοι πυθόμενος, ἀλλὰ πείρᾳ μαθὼν αὐτὸς διαχωρίζοιμι ἄν. καὶ αὐτὸ τοῦτο νῦν ὑπ᾽ ἐμοῦ προσφερόμενόν σοι μάλιστα δῶρον ἐπιεικῶς ἀφορμὴν ἐντεῦθεν ἔλαβεν. Καὶ γὰρ μετὰ τῶν ἄλλων μαθημάτων, ἅ σοι πολλά, καὶ παντοῖα περίεστι, κἀκείνων ἐμπειρότατος, καὶ ἐξ ἴσου ἐραστὴς ὤν, πρὸς τοῖς Ῥωμαϊκοῖς ἔτι Ἑλληνικοῖς· παρ᾽ ἡμῶν ἥττονος οὐκ ἀπεῖχες τῷ μὲν ἐπὶ ταύτην παρόρμησας τὴν τῶν Ψαλμῶν ἑρμηνείαν, καὶ ἔκδοσιν. Οὐκοῦν τινὶ λαβὼν παρὰ σοῦ τὸ σύνθημα, τέως μὲν ἀφειδῶς ἐμαυτὸν ἐπὶ τὴν παροῦσαν πραγματείαν φέρων ἐπέδωκα. καὶ νῦν ἀμφοτέρων ἕνεκα θαρρῶ, σοῦ τε, καὶ τῶν μετὰ σοῦ πάντως ἐνδεξομένων ὡς ἐπὶ τῆς προσδοκωμένης παρὰ σοῦ εὐνοίας ἀποδεξόμενος. ἧς ὅμηρον ἔχω τὴν προϋπάρξασαν ἤδη εἰς ἐμὲ φιλανθρωπίαν, καὶ πρόσληψιν· ἔτι μὲν χαλεποῖς ἐκείνοις, καὶ ἀπροσδοκήτοις δικασταῖς χρησάμενος· ὑφ᾽ ὧν ἀδικος τηλικούτῳ ἐπαγόντος ἀξιώματι, ὑφεῖναί τι τοῦ ὄφρυος, καὶ μεταβαλεῖν πρὸς τὸ ἐπιεικέστερον.

Ἤδη γε μὴν ἐκ τῆς τύχης ἑτερόν τι προστεθεῖσα τῷ δωρήματι, ὅμοι συνοίσεται ἔσεσθαί σοι τὸ βέλτιον, καὶ κατὰ γνώμην ἀπαλλάττειν. Εἰς γὰρ τουτοὶ τὸν καιρὸν ἀπήντησεν ἡ τοῦ συγγράμματος ἔκδοσις, καθ᾽ ὃν εἰς χαλεπήν, καὶ βαρεῖαν, ὥς φασιν, ἀῤῥωστίαν ἐμπεσών, παρὰ δόξαν ἀνέλαβες· ὅπερ ἐν χάριτος, καὶ εὐεργεσίας μοίρᾳ τῆς μεγίστης οἱ ἁπανταχοῦ Χριστιανοὶ τίθενται. Οὐδεὶς γὰρ ἦν αὐτῶν, ὃς εὐθὺς ἀπάσας οὐ συνεπάθησέ τι νοσήσαντί σοι, καὶ ἦρε τὰς χεῖρας εἰς οὐρανόν, τὰς ὑπὲρ σωτηρίας τῆς σῆς ἱκετηρίας ἀνατείνων τῷ θεῷ, καὶ ὡς ἐπὶ κοινῇ συμφορᾷ τῆς οἰκουμένης ἀγωνιῶν. ἐπειδὴ δὲ ὑπὸ τῶν ἐκτενῶν ὑπὲρ σοῦ τῆς ἐκκλησίας προσευχῶν δυσωπηθεὶς ὁ θεός, ὡς τῶν δεσμῶν πάλαι τὸν Πέτρον, οὕτω σε τοῦ κινδύνου, καὶ τῆς ἀῤῥωστίας ἀπέλυσεν, οὐκ ἔστιν ὅς οὐ περιχαρὴς ἐγένετο, καὶ τῷ διασώσαντί σε τὰς εὐδεχομένας χάριτας, ὡς ἴδιον ἑαυτῷ διαφέρον, ἀπέτισε. Καὶ νῦν αὐτὸς πανταχόθεν, ἔκ τε τῶν πόλεων, καὶ ἐκ τῶν βασιλέων, καὶ ἀρχόντων, συχνὰς εἰς τὴν Ῥώμην πρέσβεις ἀφικέσθαι τοὺς προσκυνήσοντάς σε, καὶ συνησθησομένους, καὶ τὸ λοιπὸν εὐξομένους τοῦ βίου μακρότατόν σοι, καὶ εὐδαιμονέστατον ὑπάρχειν. Τούτοις τοίνυν κἀγὼ τὸ μέρος συνεισφέρειν αὐτὴν δεῖν ᾠήθην, καὶ κοινῆς ἅπτεσθαι εὐτυχίας, καὶ χαρᾶς, ὥστε δὴ καὶ ἐνδείξασθαι, καὶ φιλοφρονουμένης μετασχεῖν. Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ προσεῖναι αὐτός, καὶ τὰ σωτήρια παρὼν ἑορτάζειν οὐχ οἷός τε ἦν, θεῖον ἀντ᾽ ἐμοῦ τὸν μελῳδὸν ἔπεμψα, οὐ μόνον, ἀλλὰ πολλὰς χαριστηρίους ᾠδὰς πρὸς κιθάραν ἁρμόσοντα· καὶ προσείπῃ δὲ τῷ προσεῖναι, καὶ ἐναρμονίῳ τῆς ὑμνῳδίας τήν τε σαυτοῦ ψυχὴν ἡδίω στήσοντα, καὶ τὰ λείψανα τῆς ἀῤῥωστίας ἀποτρίψοντα. Δεινὸς γάρ τις τῶν νοσημάτων θεραπευτὴς ὁ κιθαρῳδὸς ἐκεῖνος· καὶ οὐ μόνον καθ᾽ ὃν ἔζη χρόνον τὰς ψυχὰς κατεπᾷδων ὠφέλει, καὶ τὰ σώματα τῶν καμνόντων· ἀλλὰ καὶ νῦν καθ᾽ ἑκάστην εὖ πάνυ τά τε παλαιὰ τραύματα ἐξιᾶται, ὥς φησιν ὁ Βασίλειος· καὶ τῷ νεοτρώτῳ ταχεῖαν ἐπάγει τὴν ἐπανόρθωσιν. καὶ τὸ νενοσηκὸς περιποιεῖται· καὶ τὸ ἀκέραιον διασώζει· καὶ ὅλως ἐξαιρεῖ τὰ πάθη. Εἴη δή σοι, ὦ μακαριώτατε Πάτερ, τηλικαύτης τοῦ ἡμετέρου πρέσβεως, καὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης μελῳδίας ἀπολαῦσαι· ὡς ἐμπλησθῆναί σε τὸ ὑπ᾽ ἐκείνου που ᾀδόμενον· δηλαδὴ τὸ γῆρας ἀποξύσαντα, εὐλογεῖν σε τὸν Κύριον τὸν λυτρούμενον ἐκ φθορᾶς τὴν ζωήν σου· τὸν στεφανοῦντά σε ἐν ἐλέει, καὶ οἰκτιρμοῖς· τὸν ἐμπιπλῶντα ἐν ἀγαθοῖς τὴν ἐπιθυμίαν σου. ἀνακαινισθήσεται ὡς ἀετοῦ τὴν σὴν νεότητα. ὅπως ἐπὶ μήκιστον τὸν χρόνον ἐξακολουθῶν τῷ τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων θρόνῳ, τοῖς ὁμοίοις πολλάκις ἐκ Μουσῶν δώροις, καὶ ἀναθήμασι παρ᾽ ἡμῶν στεφανῷῃς.

EPISTOLA XVIII.

ΟΥΡΒΑΝΩ ΤΩ Η΄.

μεγίστῳ ἀρχιερεῖ.

Προσφωνητικὴ τοῦ Ἐκκλησιαστοῦ ἐμμέτρως μεταφρασθέντος.

ΠΑΛΙΝ ἰδοὺ προσιέναι σοι τολμῶ (Μακαριώτατε Πάτερ) καὶ δῶρον προσφέρειν ὃν ἔχω κάλλιστον, καὶ οἰκειότατον μὲν ἐμοῦ·

ἐμοί· σοὶ δὲ μάλιστα κεχαρισμένος, τὸ ἀπὸ τῆς ποιητικῆς δηλαδή, καὶ ταύτης Ἑλληνικῆς· ἐν ἀμφοῖν εἰς ἄκρον ἐληλακώς, εἰς ἐθελομίαν τὴν καθ᾽ ἑαυτὸν ὑπερβολὴν ἀπολείπειν οὐδενί, τοὺς ἀμηγέπη τούτων μετέχοντας, καὶ εἰ πάντας ἀμούσους ἔχων δόξαντας, ἡμᾶς δὲ τῆς τυχούσης, καὶ παῤῥησίας ἀξιοῖς. καὶ τοῦτο τῷ μεγέθει τῆς ἀρχῆς, καὶ ἀξιώματος τοσοῦτο ὑπερβαίνων ἅπαντας, ὥστε οὐδὲ ἐφικτὸν εἰπεῖν λόγοις καὶ παιδεύμασι τῶν αὐτῶν διαφέρεις. Ἐγὼ μὲν οὖν τοιαύτης, καὶ θαυμαστῆς οὕτω εἰς τοὺς φιλολόγους διαθέσεως τῆς σῆς δὶς καὶ τρὶς ἤδη πειραθείς, τέταρτον δὴ τοῦτο προσέρχομαί σοι. οὐχ ἧττον ἢ πρότερον ἐλπὶς ἂν κατὰ τὸ ἴσον, ὁμοίως, καὶ, εἰ σύ γε εὐχοι, τῶν βελτιόνων ἐπιτυχεῖν. Μάλιστα δὲ οὐκ ἐγώ, ἀλλ᾽ ἕτερός τις σύνοιδα πρὸς τὸ ἀντ᾽ ἐμοῦ παιδὸς πρεσβείαν ἀναδεξάμενος, καὶ ἐπίδοξος ἂν ῥᾶον ἢ ἐγώ. καὶ μετὰ πλείονος τῆς ἐξουσίας εἰς ὄψιν σοι, καὶ ὁμιλίαν ἥξων· ἄνω δὴ πάντων πάλαι θνητῶν σοφώτατος γεγονώς, καὶ κοινὸς τῷ τῶν ἀνθρώπων γένει τρόφιμος ὑφηγητὴς ὑπὸ θεοῦ κατασταθείς· ὡς καὶ ἐπίκλην Σοφὸς παρὰ πάντων ὀνομάζεσθαι. Ἀμέλει καὶ Ἐκκλησιαστὴς τούτου ἕνεκεν ἐπιγέγραπται ἐν αὐτῷ τούτῳ, ὃ εἰς ἑρμηνείαν, καὶ μετάφρασιν ἐξελεξάμην, βιβλίῳ· οὐδενὶ πάνδημον, μᾶλλον δὲ πανηγύρεως τι πλῆθος εἰς ἓν ἀγείρας ἀνθρώπων εἰς ἀκρόασιν, καὶ μάθησιν τῶν πρώτων, καὶ πρὸς τὴν σωτηρίαν τεινόντων.

Ὧν τὸ κεφάλαιόν ἐστιν, ὡς οὐδὲν ἡγεῖσθαι τὰ παρόντα. ἐπεὶ παρέσπαρταί τι ἐστι, καὶ τάχα τι σκιᾶς, ἢ ὀνείρου δίκην ἀφιπτάμενον ἐν ᾧ δὴ τήρησι, μόνον, καὶ πῆξιν οὐκ ἔχοντα, οὐδὲ λαβεῖν ἀσφαλῆ ὑποτεινόντα τοῖς κατέχειν πειρωμένοις. Οὐκοῦν βέλτιον εἶναι παρὰ πολύ, καὶ φρονίμου ἀνδρὸς ἔργον, τὰ πρὸς τὴν βραχὺ ὄντα. καὶ φροντίδας γέμοντα βίου μετρίως κεχορηγημένον, μὴ πλειόνων ὀρέγεσθαι, μηδὲ ἀπλήστως ἔχειν. ἀλλὰ τοῖς ἐκ θεοῦ δοθεῖσι στέργοντα, τούτοις πρὸς ἀπόλαυσιν, καὶ δίαιταν χρῆσθαι, τὸ ἐκείνου δεσπότη, καὶ λόγον ἀπαιτήσοντα πάντων φοβουμένους ἅμα, καὶ ὑμνοῦντας θεόν.

Τοιαῦτα, καὶ πλείω τούτων ἕτερα παραινῶν, καὶ εἰς ἐπήκοον ἡμετέραις ἀκοαῖς καθ᾽ ἑκάστην ἐνηχῶν ὁ Ἐκκλησιαστής, πρὸς ὁσίαν, καὶ μακαρίαν σε κεφαλὴν ἔστιν προσιὼν δεόμενος, μετὰ τὸ ἑαυτοῦ πατρὸς πεμπόμενος ὑπ᾽ ἐμοῦ· τὸν ἐν ἁγίοις Προφήταις ἐξοχαζόμενόν φημι, Δαβίδην τὸν θεοπάτορα· ἵν᾽ σὺ Ἑλληνικὴν μετὰ μέλους ἰόντα φωνὴν φιλοφρόνως ὑποδέξῃ. τούτῳ ἂν κατ᾽ ἴχνος ἀκολουθῶν ὁ παῖς, καὶ δὴ θαῤῥῶν εἰς μέσον παρέρχεται, εἰς κόσμον ἐπιδειξάμενος, καὶ χρῆμα τῷ γεννήσαντι ὅμοιον.

Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ βασιλεύς μέν ἐστιν ὁ Ἐκκλησιαστὴς οὗτος· δίχα δὲ δορυφορίας οὐκ εἰκὸς πρόοδον ποιεῖσθαι τὸν βασιλέα· διὰ τοῦτο λαμπρόν τινα θεραπείαν αὐτῷ παρέσχηκα· οἱονεὶ παρ᾽ ἐμοῦ τῶν ποικίλων Ἑλληνικῶν· ἔστι δὲ ἂν καὶ Ἑβραϊκῶν, τοῦτο παρέλειν ἐποίησα. ὥσπερ μετὰ διαφόρους ἤδη καιροὺς καθ᾽ ἓν ἕκαστον ἐκδεδωκώς, συμμετρίαν ἔδοξέ μοι ποιεῖν, καὶ εἰς τιμήν, καὶ προσθήκην ἀπονέμειν τοῦ Σολομῶντος· τό τε ἄλλο, καὶ ὅπως τῇ ποικιλίᾳ ταύτῃ καταπλαιζόμενον τὸ διήγημα τερπνὸν πολλήν σοι μετὰ τῆς ἀφελείας ἐπιδαψιλεύσῃ τὴν ψυχαγωγίαν. τοῦτον οὖν ἐὰν ἴδῃς, καὶ εὐμενεῖ γνώμῃ τε καὶ προσώπῳ προσιέναι οὐκ ἀπαξιοῖς, πρέποντά τε ποιήσεις τῇ ἀρετῇ σου, καὶ ὁμολογοῦντα τῷ τρόπῳ ἡμερότητι, καὶ φιλανθρωπίᾳ· πρὸς δὲ πλέον χαρίσῃ σύ, καὶ εἰς δίχας τεθνηκέναι δεῖν ποιῶν προθυμοτέρους ... ὡς ἐπὶ μακρότατόν τι τὸν χρόνον τῷ τοῦ Πέτρου θρόνῳ ἐκαθιδρυμένον σε, καὶ μετὰ γνώμην ἄγειν τὸ ἐνκεχειρισμένον σοι ... τιμῶντι, ἐν εἰρήνῃ, καὶ λιπαρῷ τῷ γήρᾳ εἴς τε τὸ παρόν, καὶ πρὸς τὸ μέλλον δεξιῶς, καὶ εὐδαιμόνως διαπεπόμενον.

Epistola XIX.

ΦΙΛΕΛΛΗΝΙ ΝΕΑΝΙΑι.

Προσφωνητικὴ τῆς μεταφράσεως τῶν τοῦ Κικέρωνος παραδόξων.

ΙΔΟΥ᾽ καινόν σοι παρ᾽ ἐμοῦ προσέρχεται παιδείας δῶρον Ἑλληνικῆς· ὅπερ σύ τι λαβὼν ἰδιότης ἐμοῦ· κἀγὼ δεομένῳ δώσειν ὑποσχόμενος, ἀδυνάτερον τινὰ χάριν ἐπὶ τῇ παραλαβούσῃ, ἣν εἰς σὲ προσκατεθέμην, τῆς πρὸς ἐκεῖνα δηλαδὴ τὰ μαθήματα χειραγωγίαν, καὶ συμβολήν. Μέμνημαι γὰρ ὡς οὐ περὶ πολλῶν διαλεγομένων ἡμῶν, καὶ θαυμασίαν τινὰ δείξαντός σε πρὸς τοὺς Ἑλληνικοὺς λόγους ὁρμὴν ἔχειν, κἀμοῦ ἀποδεξαμένου, ἐπί τε τούτους διὰ πολλῶν οὐχ ἥκιστα παρακαλοῦντος μαθεῖν ἔφης ἐθέλειν, πᾶς ἂν μεγάλην τις ἐν βραχεῖ, καὶ ῥᾳδίαν ποιήσειε τὴν προκοπήν. ὑπολαβόντος δέ αὖ ἐμοῦ, καὶ τοῦτο μάλιστα πρόργου ἂν γενέσθαι φήσαντος τοῖς ἑλληνίζειν ἐπιχειροῦσιν, εἴ τις τὰ τῶν πάλαι ἐπὶ τῇ Ῥωμαϊκῇ διγλωττίᾳ διαλαμψάντων συγγράμματα εἰς ἑλληνικὴν μεταφράζειν πειρῷτο τὴν διάλεκτον, (οὕτω γὰρ ἂν τελείαν λήψεσθαι, καὶ ἕξιν ἔμμονον τῆς ἐν ἀμφοτέροις εἰδήσεως τε, καὶ δυνάμεως, πεῖραν διδαχθέντα συντόμως ἂν διὰ μακροῦ τῆς τῶν παραγγελμάτων διεξόδου μόλις ἂν ἐφικέσθαι δυνάσθαι) ταῦτ᾽ ἄρα, καὶ τὰ ἄλλα τοιαῦτα λέγοντος ἐμοῦ. οὐ χαλεπῶς ἐπείσθης· καὶ αὐτόθεν εἰς ἔργον ἐχώρει σοι τὸ πρᾶγμα. ἀλλ᾽ ὅπως ὁδῷ μᾶλλον προβαίνοι· καὶ εἴ πῃ τι καὶ ἀποσφαλείη τὸ ἐγχείρημά σοι τοῦ ὀρθοῦ παρατραπείη, (οἷα κατ᾽ ἀρχὰς συμβαίνειν εἰκὸς τοῖς ἀπείροις ἔτι, καὶ νεωστὶ τούτου τῶν μαθημάτων ἡμμένοις) πρόχειρον ἔχῃς τὸ τοῦτο διορθοῦσαι δυναμένην βοήθειαν· ἔδοξα κἀγὼ ἐν μέρει τοῦ σαυτοῦ δεήσεσι, καὶ πλοῦτον ἐπιβαλόμενος, ὥσπερ σοι μεθοριον ὁδὸν ὑφηγούμενος, κατ᾽ ἰδίαν καὶ αὐτὸς ἐξελληνίζειν ὡς ἐδυνάμην κάλλιστα, καὶ ἀπεργάσασθαι· ἵνα τοῦτον πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων οἱονεὶ τύπον καὶ ὑπογραμμόν, βέλτιον ἀπεικάζοιμι. Ἐπειδὴ δ᾽ αὖ ἵνα ἐκ πάντων ἐκλέξω τὸν Κικέρωνα ἀμφοῖν ἔδοξεν ἡμῖν, τὸ μὲν πρῶτον ἀπὸ τῶν ἐκείνου ἀρξάμενος ἐπιστολῶν, ἔπειτα ὡς μεταφράζειν ἐνεχείρησα. Εἶτα ἀπὸ τούτων εἰς τὸ πρῶτον τῶν περὶ τῶν Καθηκόντων τελῶν μετέβην, ἐντεῦθεν ὀλίγα ἄττα ἐξειργασάμην. ἀλλὰ καὶ τόδε τὸ ἐγχείρημα, διὰ τὸ πολύστιχον τοῦ συγγράμματος ἀφείς, ἐπὶ τὰ Παράδοξα, οὕτω δὴ ἐπιγραφόμενον βιβλίδιον, τὴν ὁρμὴν ἀπηρεισάμην· ἀμφοῖν ἕνεκα δὴ τούτοιν, ὅτι ὁ μὲν ὄγκος σύμμετρος ἔδοξεν εἶναι, καὶ διδασκαλικός. ἡ δὲ ὑπόθεσις γενναία τις ἐφαίνετο, καὶ φρονήματος μεστή· ὡς ἐν πλείω ἐνὸς κεφαλαίοις. πάντα τῇ τῶν χριστιανῶν φιλοσοφίᾳ τῇ πλαστοτάτῃ ... ἐφαρμόζειν. Ἔστι δὲ τὸ κεφάλαιον τουτὶ αὐτὸ χρῆμα μὲν Στωικόν· τοῦ δὲ ὀρθοῦ λόγου οὐδὲν ἧττον, ἢ τῆς ἀληθοῦς ἡμῶν εὐσεβείας ἀπᾴδει, πολλὰ δὲ ἴσα ὄντα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ μηδὲν πλέον εἰς κακίας λόγον πλημμελεῖν τὸν ἑαυτοῦ πατέρα κτείνοντα, ἢ ὕπερόν τινα τῶν οὐδὲν προσηκόντων. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων διασκέψασθαι οὐ τοῦ παρόντος ἐστὶ καιροῦ. τὸ δὲ νῦν ἔχον ἐκεῖνο δὴ τὸ συγγραμμάτιον τοῦ Κικέρωνος οἷον χάριν πλέον ἀπηργασάμενος, εἰς κοινὴν ἁπάντων τῶν φιλελλήνων χρῆσιν, καὶ ὠφέλειαν ἐξέδωκα, σοὶ καὶ ταῖς ἡμετέραις, ὥσπερ ἔφθην εἰπών, συγγραφαῖς ἡγούμενον τῆς προοιμίας τοῦ περὶ τῶν Καθηκόντων πρώτου βιβλίου, καὶ δυσὶ ταῖν ἐπιστολαῖν. ταύτην τοίνυν δεξάμενος, τὴν πραγματείαν, καὶ τοιαύτῃ χρώμενος ἐν δέοντι τῇ ἀφορμῇ, λύσῃ τάχα κατὰ τὰ ἑλληνικὰ λαμπρῶς ἐπιδεδωκώς, καὶ τῶν αὐτῶν τοι δίαυλον διατρέχοντας ἥλικας, καὶ συμφοιτητὰς οὐκ ὀλίγῳ παραδραμών. Ὄναιο γοῦν τῆς ἄγαν φιλομαθείας· καὶ τὸν τὸ Γυμνάσιον ἐπαληθεύων, γένοιο πολυμαθής. Ἔῤῥωσο.

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS, E SOCIETATE JESU, EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

PHILOLOGICÆ.

EPISTOLA I.

Jacobo Mallebrancquio Societatis Jeſu.

QUAM in ſcribendo mihi rationem præſcripſiſti, eam in reſpondendo ſequar; & ſine ambitu, ac verborum inani præfatione de iis, quæ in percontatione tua poſuiſti, ſententiam dicam.

Ut igitur à Gregorio noſtro Turonenſi initium faciam; nihil erit, quod hac de re litteras noſtras deſideres; ſi libros noſtros de Doctrina Temp. quos anno ſuperiore in lucem emiſimus, in promptu habeas. Nam lib. 11. cap. 11. huic quæſtioni cumulatè ſatisfecimus. Nihil certius quàm quod Chronologus iſte neſcio quis, cujus meminiſti, opinatus eſt: Paſchalem controverſiam, de qua Gregorius lib. V, cap. XVII, in annum incurrere Chriſti 577, quo ſecundus Childeberti erat in curſu: alteram verò, cujus idem Scriptor mentionem facit lib. X, cap. XXIII, unà cum eclipſi Solis, anno congruere Chriſtianæ æræ 590. uti nos capire illo copiosè diſputamus, & Scaligerianum παραλογιſμὸν redarguimus. Hactenus ergo controverſia inter vos eſſe nulla debet.

De S. Martini obitu aſſentiri nullo modo poſſum, neque Gregorio, etſi is in errore conſtans eſt, nec alteri qui Gregorii lapſum ſequi, aut etiam augere voluerit. Nam Gregorius annum illius morti præfinit 397, qui ſcilicet Coſſ. habuit Cæſarium, & Atticum. At Scaliger ſplendidiùs etiam aberrat, qui biennio antevertit, & ad annum accommodat 395. Nos annum vel 400, vel 401. ponimus. quorum alteruter decimus ſextus eſt ab anno 386; quo Evodius Conſul fuit. quotum illum quo mortuus eſt S. Martinus, annum computat Severus Sulpitius, Dialogo III. de vita S. Martini. Hæc à nobis lib. XI. de Doct. temp. c. XLVII pluribus explicata reperies.

Venio jam ad ipſum inquiſitionis caput, & ἄπορον Chronologicum, de quo quid ſentirem præcipue flagitaſti. Annos te dicis illos, quos ex Gregorio paullò antè deſignavimus, cupere eſſe non 577, & 590; ſed uno minùs, 576 & 589, idque rationibus tuis magis congruere. atque hoc utrum per nos liceat interrogas. Quæ dubitatio ad ipſum caput communis æræ transfertur. Nam cùm Salianus noſter, hortatore me uſus, natalem Chriſti in eum annum conferat, qui Coſſ. habuit Auguſtum XIII. & Silvanum, & æram vulgarem uno antecedit anno: ex quo factum eſt, ut quod Lunæ deliquium à Baronio in annum Chriſti 16 conjectum eſt, id ex Saliani calculo conveniat anno 15: eodem jure ſuſpicaris poſſe & annos illos qui numerantur 577 & 590, uno minus putari 576: 589. Quibus ut faciliùs reſpondeam; nonnulla de Chriſtiana æra, annòque natali Chriſti; ac de Baronii aliorùmque rationibus explicanda videntur.

Quorum hoc primum ac præcipuum eſſe debet: aliud eſſe communem, & Chriſtianam æram, ſive epocham: aliud annum Chriſti, qui ab eo natali proximus eſt, quem ſibi quiſque privata opinione ſtatuit. Etenim æra Chriſtiana fixa eſt, & immota loco, neque pro ſententiarum varietate mutatur. Eſt enim ejuſmodi, quam vulgò numerare conſuevimus; quam & *uſualem* propterea nonnulli vocant. Ab hac annus iſte computatur milleſimus ſexcenteſimus viceſimus octavus. Horum annorum primus incidit in annum Urbis Varronianum 754, editionis Julianæ 46, cyclo Lunæ 2, Solis 10. Sive autem Chriſtus Dominus anno proximè antecedente, id eſt Juliano 45, cyclo Lunæ 1 Solis IX, in lucem editus ſit, VIII Cal. Jan. ſive uno anno, vel biennio, vel pluribus antea, poſteàve ſit natus: nihilominus hæret in eodem anno Juliano XLVI æra Chriſtiana. neque propterea cycli mutandi ſunt. Itaque aliud eſt, uti dicere cœpetam, æra Chriſtiana; aliud verus Chriſti natalis annus. Quæ res obſervatione mediocris, uſum Chronologicis in rebus maximum habet; cujus ignoratione complures in computandis temporibus errore lapſi ſunt. Quippe annum illum, quo natus Dominus vulgò creditur, hoc eſt, qui communis æræ principium proximè antecedit: alii eum eſſe putant, quò Coſſ. fuère Lentulus & Meſſalinus: alii quo Conſulatum inierunt Auguſtus XIII, & Plautius Silvanus. Illorum ſectam Baronius, horum Onufrius amplexus eſt. Sed cùm annus ille, quem dixi, Conſules habeat Cornelium Lentulum, & Calpurnium Piſonem: priores biennio; poſteriores anno uno falſi ſunt. Itaque priores duo Annalium tomi ad Probum uſque, vel Diocletianum, biennio peccant. Quod ut vitarent nonnulli, æram Chriſtianam ab anno natali, quem verum exiſtimabant, in Chronico ſuo diſtinxerunt. Idque auctore me Salianus noſter uſurpavit. Quod niſi feciſſet, toti illi ſex Annalium tomi unius anni parachroniſmo vitioſi eſſent. Qua de re copiosè diſputatum à nobis eſt lib. XII de Doctrina Temporum.

Nunc ad te, & tua, care Pater, quæſita revertor. Intelligi ex iis, quæ dicta ſunt, opinor, poteſt, tametſi anno uno Chriſti natalem antecapias, eúmque conferas in Conſulatum Auguſti XIII, & Silvani; nihil in æra Chriſtiana propterea poſſe mutari. Ac ſunt aliqua, quæ tu in epiſtola tua poſuiſti, quæ cujuſmodi ſint extricare non poſſum. *Igitur* (inquis) *ſi iiſdem cum Saliano Coſſ.*

Baronium

Baronium anno uno prævertenti mihi quadrant ſolis illæ, & lunæ eclipſes, quæ habentur anno æræ Chriſtianæ primo, num etiam de duabus illis Gregorii Paſcha dubitatibus idem ſit intelligendum &c. Atqui ſi iiſdem cum Saliano Coſſ. utare, non uno anno Baronium antevertas; ſed ſequare potiùs. Hic enim Coſſ. præfinit Lentulum & Meſſalinum; quibus annus Julianus XLIII competit: Salianus Auguſtum XIII, & Silvanum, quorum Conſulatus in annum Julianum XLIV incidit. Deinde ut de æra Chriſtiana loquaris, quam perperam à Baronio biennio anteceptam diximus: pro eo ac ſtatuis uno tantùm anno prævertetur. Itaque annus ille qui à Baronio numeratur Chriſti XVI, in Chronologia tua putandus erit XV: cùm ſit revera XIV. Qui annus Auguſti morte, & Lunæ defectione celebris eſt quæ in Pannonia conſpecta eſt, Septemb. XXVII. Quod ad inſequentes annos attinet; monui jam à Diocletiani primordio deinceps Baronianam Chronologiam cum rei veritate congruere. Cujus ratio reddita eſt à nobis lib. XI, cap. XXIX de Doct. temp. Quare nihil debet in annorum ſerie commutari: neque poteſt annus 577 à te numerari 576. Neque porrò Aſtronomicæ tabulæ, vel cyclorum rationes demi aliquid ex annorum numero; vel addi patiuntur. Quòd ſi annum exempli cauſſâ 577 vel 590 uno minùs numeres; non jam æræ Chriſtianæ vulgaris annus uterque tribuetur: ſed novæ alteri quam tu ſoli tibi ſtatueris.

De Ambroſii Epiſtola ſic habendum eſt; mendoſos eſſe codices, in quibus ſcriptum eſt annus 80 Diocletiani, pro 89. Loquitur enim de Paſchate anni 373. quo cyclus Lunæ fuit 13. Decima quarta Paſchalis IX Cal. Apr. At anno 93. Diocletiani, id eſt Chriſti 377. decima quarta Paſchalis incurrit in IX Aprilis. Itaque vel hoc argumento noveris mendoſum eſſe S. Ambroſii textum; quòd eodem die, anno utroque terminum Paſchalem contigiſſe ex illius oratione conſequens ſit. Atque hoc jamdudum ab aliis animadverſum eſt.

Ad ſummam, etſi annos illos, vel quoſlibet alios antevertas, nihil tamen in æra communi, quod ad biſſextilium, vel cyclorum ordinem ſpectat immutare poteſt. Neque verò Salianus ſi ad iſta tempora perveniſſet, alios quàm qui à me commemorati ſunt annos in Chronologia ſua poſuiſſet: ſed perinde ac Baronius cum communi calculo conſenſiſſet.

Hæc ad quæſita tua longiùs fortaſſe, quàm pro epiſtolæ modo; ſed explicari breviùs iſta non poterant, quæ tum demum accuratiùs intelliges, cùm libros noſtros legeris: in quibus nihil eſt, quod eò pertinêret, omiſſum. Tuis me precibus, ac ſacrificiis plurimum commendo. Vale. 1628.

EPISTOLA II.

Joanni Billio Societatis Jeſu, Muſſipontum.

CAPIO laborum meorum, ſtudiorúmque fructum, qualem mihi propoſueram, dum alienis juvandis quantulacumque inde opportunitas redundat. Eſt omnino ſpiſſa res ac moroſa, defectionum, præſertim ſolarium putatio, quam methodo noſtra ſublevari poſſe non diffidimus. De qua nonnulla ſunt à te propoſita quibus ſine ulla mora, ac pompa, ſingillatim breviterque reſpondebo.

Primum illud eſt; an cùm apparens ſyzygia veram præcedit, ut accidet in novilunio anni 1652, gradus & minuta reſpondentia tempori parallactico detrahere oporteat, an addere, aſcenſioni rectæ ſectionis meridiani, & eclipticæ. Reſpondeo; cùm apparens antecedit veram, detrahi oportere: cùm ſequitur veram; adjici. Siquidem aſcenſio recta ab initio Arietis in conſequentia numeratur; hoc eſt ab occiduis partibus æquatoris versùs ortivas. Unde quò longius eſt intervallum, eò magis promovetur Arietis initium occidentem versùs; ac magis ab ortivis partibus recedit. Proinde ſi apparens novilunium citiùs, quàm verum, incidat: de aſcenſione, quæ veri momento congruit, tantùm ſubtrahi debet, quantum interjecto temporis ſpatio confectum eſt.

Secundum eſt, de praxi ſolis altitudinis obtinendæ per can. X cap. XII: an ad eruendum arcum diſtantiæ inter nonageſimum gradum, & verum locum luminarium in ecliptica, locus verus luminarium è nonageſimi gradus ſitu deducendus ſit. Reſpondeo utriuſque differentiam, arcum eſſe qui quæritur.

Tertium eſt de motu horario vero ad parallacticum tempus metiendum. De quo ſic habeto, omninò ex can. VII cap. XI colligendum.

Poſtremò quod ad umbræ unionem attinet, ea pendet ex Solis anomalia. Etenim quando lucidum corpus majus eſt oppoſito, & umbram faciente, quò ab hoc altiùs attollitur, eò major umbra projicitur; quò verò propius eſt, eò minor umbra fit. Ideo quò apogeo propinquior eſt Sol, eò majores umbræ ſunt; adróque variatio minor eſt, quæ ex perpetua regula de umbra detrahitur.

Hæc ſunt epiſtolæ tuæ quæſita. De quibus ſi paullò tardiùs reſcripſi; primùm eorum accuſanda ceſſatio eſt, à quibus ſeriùs quàm pro eo tempore, quo data ponitur, mihi eſt reddita. Tum alia interim erant ſub manum, quæ omnino antevertenda negotio iſti fuerunt. Quòd ſi tibi gratum id erit; mittam aliàs accuratiſſimam ſolaris eclipſeos διαγραφὴν per ſingulos canones exactam; uti ſimiles meditanti typi inſtar, & exemplaris eſſe poſſit. quod nonnullorum hîc rogatu facere inſtitui; & affecta jam res erat, cùm hæc ſcriberem. ſed ea fortaſſe tirone dignior eſt, quàm in his ſtudiis detrito, & exercitato, cujuſmodi te aut eſſe, aut fore propediem auguror. Uranologium noſtrum, ſive Auctarium operis de Doctrina Temporum puto jam apud vos exſtare. In eo multa Hipparchi, aliorúmque veterum Aſtronomorum errata ſane pudenda detecta à nobis animadvertes; ut alia recentiorum omittam, præſertim Scaligeri, cujus liber de Anteceſſ. Æquin. funditus hîc evertitur. Vale. 1630.

EPISTOLA III.

Antonio Lalouvero Societatis Jeſu, Toloſam.

SERIUS licèt aliquantò, ad quæſita tua reſpondeo, quæ unis litteris IV Kal. Maias datis expoſuiſti (nam ſuperiores, quas commemoras vidi equidem nullas.) Ne autem citiùs tibi ſatisfacerem juſtæ cauſſæ, & graves interceſſerunt. Ac de ſingulis eo ordine dicam, quo abs te ſunt propoſita. Primum eſt de ſtellarum *συνανατολῇ*, & *συγκαταδύσει*, de quibus regulæ quædam in Auctario præſcribuntur; quas in nonnullis fallere aſtronomica ratio demonſtrat. quod ne ipſe quidem diffiteor. ſed eas qualeſcumque non à me conditas, ſed à Peucero, Vineto, aliiſque traditas, ex vulgaribus methodis, ac commentariis exſcripſi: ac nihil ideo mutavi, quòd ſi quid à vero diſcrepanr, id ſit perleve, ac raro, & in exigua dumtaxat elevatione poli accidat. Velut ubi æquale eſt ἔξαρμα declinationi maximæ zodiaci in uno haud ampliùs circulo contingit: in duobus verò tantùm, ubi citra declinationis maximæ modum polus attollitur. Quod quia perpuſillum eſt, ut dixi, & in iis ſphæræ poſitionibus, ad quas obſervationes ſuas inſignes aſtronomi direxerunt, minimè fit: idcireo cùm ab vulgatæ methodi conditoribus neglecta iſta cautio eſt; tum à me dum illas inde transferrem inſuper habita. Poterit tamen, ſi qua deinceps editio nova curabitur, de ea re lector admoneri.

Alterum caput eſt de horizonte, quem neſcio cur planum omnem eſſe definias: cùm ſit omninò duplex. Nam alius eſt planus; alius conicus, ut diſertè Cleomedes docet in fine libri I. Ibi enim argumento illi reſpondens, quo effici videbatur non habere terram unius puncti rationem ad cœlum ex eo quòd è ſublimi proſpicientibus ampliùs parte cœli dimidia pateat: ita diſputat; non inde conſequens eſſe terram cum mundo comparatam non puncti inſtar eſſe: quòd ex editioribus locis plus dimidio cœlo conſpiciatur: ſed ſi ex plano ſpectantibus id accideret. Eſſe enim horizontem duplicem: τὸν μὲν ἐκ τῶν χθαμαλῶν ὁριζόντων, ἐπίπεδον ὄντα. τὸν δὲ ἐξ ὕψους ὁρωμένων, κωνοειδῆ, καὶ ὄντα καὶ καλούμενον. Hoc ſi verum eſt, tum rectè profectò pag. 146 Uranologii in ſchemate propoſito diameter horizontis αἰσθητοῦ & κωνοειδοῦς ex A, è ſpecula conſtituitur tangens AB. Hunc enim Cleomedis locum præ oculis habebam dum de horizonte illa ſcriberem.

Quod horizontem illum, qui ſupra terræ globum, quem in puncto contingit, ad cœlum uſque porrigitur, totum

totum viſu diſcerni non poſſe obiter docui: nolo dictum illud ad exactam Mathematicorum ſubtilitatem exigas; quod ad popularem magis uſum ſermonis convenit. Non enim ideò non eſt ſenſilis, quia pars ejus aliqua latet, opaci mole corporis oppreſſa, ſicut illius, qui per terræ centrum trajicitur: ſed quoniam humani viſus acies anguſtioribus circumſcripta ſpatiis cum illius intervallo adæquari non poteſt, quatenus in infinitum extenditur: maximè cùm λόγῳ θεωρητὸν appelletur, & ab αἰσθητοῦ diſtinguatur. unde conſequens ſit, non eſſe ipſum αἰσθητόν. Sed utcumque res habet, expungi pauca illa verba malim, quàm ſenſilem horizontem cum majore confundi, hoc eſt ejus partem conſtitui; quod & Salmaſius aſſerit; & placere tibi video. Atqui non ſolum contrarium ex Cleomede demonſtratum eſt: ſed etiam ſi ita eſt, ut vis, hoc ipſum, quod mihi objicis, in te recidet. Nam ſi horizon αἰσθητὸς plana ſuperficies eſt, & pars maximi, ac λόγῳ θεωρητοῦ, conſentaneum eſt, totum ipſum circulum, cujus pars exigua dumtaxat ſenſilis dicitur, conditionis alterius eſſe, miniméque ſenſilem. Quod quia epiſtolæ modum excedit, aliàs peculiaribus ad te litteris latiùs explicabo. Vale.

EPISTOLA IV.

Antonio Lalouvero Societatis Jeſu, Toloſam.

JAMDUDUM auriculam vellunt mihi binæ tuæ litteræ, quibus nihil hactenus reſcripſi: ſed cauſſam meam apud vos aget, ac pro me reſpondebit Rationarium meum, cujus exemplaria mitto tria, è quibus tibi unum accipies, reliqua duo PP. Beſſonio, & Fagonio à me offeres. Nova eſt editio, & priori non ſolùm uberior, & emendatior; ſed novo etiam ordine confecta, cujus in Præfatione ad Lectorem rationem expoſui.

Dicet hic vobis liber in ſe recenſendo, commutando, reſarciendo, ſic occupatum fuiſſe me; uti litterarum omnium, quas benè multas interim accepi pænè memoriam excuſſerit: ſed duarum imprimis à te poſtremarum, quæ quòd paullò difficilioris erant argumenti, plus ad reſpondendum ſtudii flagitabant, ac temporis. Quod utrumque ne nunc quidem, quantum ſatis erat adhibere integrum fuit: nec niſi raptim, illas ac celeriter percurrere potui.

Itaque minùs accuratam ad præcipua capita reſponſionem hanc habebis; in qua primùm illa ponam, de quibus poſteriore tua epiſtola meminiſti.

Theonis obſervationes duas cum Tabulis noſtris neutiquam congruere ſcribis; quarum altera ſolarem ἔκλειψιν, lunarem altera deſignat. Ego poſterioris illius, quòd expeditiores ſunt, calculis poſitis, idem quod mones animadverti: Solares nondum attigi. Sed ſcire debes eclipſeon rationes, quæ ex Ptolemaicis tabulis confectæ ſunt, ab hodiernis ſæpiùs abire longiùs; velut Alphonſinis ac Prutenicis, ne id Pariſinis præcipuè vitio vertas. Quod ex uno exemplo poteris intelligere lunaris deliquii, cujus deſcriptio tradita eſt in 8. de Doct. Temp. p. 496, & ſeq. Mihi cùm per otium licebit, duas illas Theonis ad aliorum quoque tabulas exigam; noſtrarum ut explorem fidem.

Alexandrinorum intercalarem diem inter 28, & 29 Auguſti Romani inſeri cùm dixi, nihil aliud ſignificare volui, niſi ſitum ejus fuiſſe inter ultimum τῶν ἐπαγομένων, & Neomeniam Thoth, ſi quæ Auguſti 29 ſæpiùs reſpondet. Quod rudi ac pingui minerva, non exquiſita ratione pronunciaſſe me fateor. Similiter atque Græci Computorum artifices dicere ſolent Thoth anni Alexandrini fixi ſemper incipere Juliani Auguſti XXIX. quod minimè verum eſt, ſi accuratè ac præciſè loqui velimus.

Jam Alexandrinorum intercalaris dies in anno fixo, citra controverſiam incidit in annum eum, qui Romanum biſextilem proximè præcedit; ut ex Ambroſio demonſtravimus, qui in epiſtola 83, diem 28. Pharmuthi, ſive 238 à Neomenia Thoth, cum IX Cal. Maii componit, hoc eſt XXIV. Martii, anno Chriſti 360. Unde neceſſe eſt primam diem Thoth Auguſti XXX die contigiſſe.

Hîc de integritate loci Ambroſiani dubitare videris, quod in quibuſdam codicibus, VII Cal. Maii legitur.

At in numero dierum Pharmuthi nulla eſt varietas: nec dubium eſt quin 28, ſcripſerit Ambroſius. Id ſi verum eſt, tum verò Pharmuthi 28 dies cum Aprilis 23, ſive IX Cal. Maii comparatur. Nam nullo alio die, quàm Apr. 23, Dominica Paſchalis iſto anno incidit.

Nec minùs illa ſunt certa, quæ de initio τῆς ἀποκαταστάσεως anni fixi Alexandrini tradidimus in X de Doct. Temp. cap. 73. ubi contra communem opinionem ſtatuimus Alexandrinos annum fixum, & ἀπλανῆ uſurpare cœpiſſe ex anno Juliano XXI, Urbis 729. Per. Jul. 4689. Nabonaſſari 724 ineunte.

At tu annum antecedentem Periodi Jul. 4688 ei negotio præfinis Theone reclamante; qui in libro τῶν προχείρων κανόνων ſcribit annos ab æra Nabon. ad mortem Alexandri fluxiſſe 424. (in contextum Operis noſtri perperam irrepſit CCCCXXXIV) ad illam verò ἀποκατάστασιν, annos 723. Non eſt obſcura Theonis, & ante hunc Ptolemæi conſuetudo, dum annorum ſummam computant ab epocha quapiam. Tum enim annos integros ac finitos colligunt. Ut cùm annos 424. uterque numerat ab initio Nabon. ad mortem Alexandri ſive Thoth Philippi, ſignificat annum 425. novam æram auſpicari, expletis jam annis 424. Ad hunc modum ab æra eadem Nabonaſſari ad ἀποκατάστασιν Alexandrini anni, integri fluxerunt anni 723. Proinde cùm anno 724 Nabonaſſari cœptus eſt annus fixus Alexandrinus. Atqui annus iſte 724 iniit anno Juliano XXI, Per. Jul. 4689. quo Neomenia Thoth primum ad Auguſti XXIX diem pervenit. Hoc igitur ipſo anno, uti ratio poſtulat, Alexandrini annum fixum, & Romano ſimilem adhibuerunt. quod & Metochitæ locus ibidem commemoratus à nobis indicat. De Michaele Pſello, quo uno conjectura tua nititur, non deeſt quod reſpondeam. Sed quia non eſt ad manum liber illius, ab divinatione abſtinere ſatius duco: cùm præſertim ad inſtitutum noſtrum Theonis graviſſimi, eruditiſſimique Mathematici teſtimonium ſufficiat. Nam quòd hujus, & Metochitæ verba de civili anni ſtructura, non aſtronomica, interpretari ſtudes, aſſentiri non poſſum. Primùm quia civilis annus illorum ætate fixus erat, non vagus, & Nabonaſſareus. Deinde quòd cùm aſtronomicam methodum iis in libris traderent, ad eámque neceſſarias epochas, & annorum ſummas præſcriberent, non aliam quàm illius artis propriam computandi rationem adhibuerunt. De Pſello idipſum, quod de ambobus illis ſcribis, ſuſpicari proclivius eſt. Ut anni illius fixi & Alexandrei duplex velut initium fuerit: alterum verum, quod anno iſti per ſe convenit, & ab eo qui fuit Per. Jul. 4689, ducitur; alterum ratione Tetraëtericorum epilogiſmorum, quod poſterius Michael Pſellus uſurpavit.

De Panodori loco, ſive Georgii ex Panodoro, quo uſus ſum pag. 159, non muto ſententiam. Annus V Auguſti ex illius mente non alius eſt quàm Julianus XXI, Urbis conditæ 729, Julianæ Periodi 4689. cujus anni majorem partem occupavit annus ille quintus. Quod Theonis locus antè deſcriptus indicat. qui annum V Auguſti deſiiſſe ſignificat anno Periodi Julianæ 4689, eumdémque eſſe cum 723 Nabonaſſari. Etenim Mathematici omnes Græci, Ptolemæus, Theo, & ceteri, annos regum, & imperatorum ex illo canone ſumpſerunt quem κανόνα τῶν βασιλειῶν nominant, íſque in libro τῶν προχείρων κανόνων apud Theonem legitur: qualem nos in 2. Rationarii editione conjecimus in calcem partis poſterioris. In eo canone ab æra Philippi Aridæi ſive mortis Alexandri M. ad finem Cleopatræ, & initium Auguſti anni ſunt 294 (malè in editione noſtra, quam ex vitioſis apographis expreſſimus 292, quod caſtigandum eſt) à Nabonaſſaro 718. ita ut I Auguſti ſit Nabonaſſari 719, & quintus ſit 723. Itaque anno labente Julianæ editionis XXI, qui XXII à Georgio putatur ob πρόσληψιν anni Alexandrini à 29 Auguſti, vel Conſtant. à Cal. Sept. cœpit annus τῆς ἀποκαταστάσεως. Atque idem imperitè XVI annum Julianum Auguſtei imperii annum XVI numerat, quaſi duplex illius epocha ſit; altera Romani imperii ab exordio Juliani anni. altera Ægyptiaci à morte Cleopatræ, hoc eſt ab anno Juliano exeunte 16, Urbis 724, Per. Jul. 4684. Quod verò ſcribit τετραετηρικὴν ἡμέραν inculcatam anno V Auguſti, ſive ut Theo loquitur μετὰ τὸν ε΄. ſic explicandum eſt, non ut anno illo intercalatum ſit. Nam neque anno illo, quem tu præfinis, & iniiſſe vis Auguſti XXX, Per. Jul. 4688, intercalaſſe pu-

tandi ſunt. cùm intercalaris utique dies ad anteriorem annum 722 Nabonaſſari, cui arrogatur, non ad proximè ſequentem referri debeat.

Nam quod aſſeris annum 22 Auguſti ab ejus Triumviratu profectum ex mente Georgii, cadere in annum Per. Jul. 4692, id non ſolùm Theo, ſed etiam Georgius ipſe refellit. Hic enim aut in annum XVI Auguſti pleroſque Alexandreæ ἄλωσιν conferre, qui ſine dubio annus eſt Julianus XVI, Urbis 724, Per. Jul. 4684. à quo quintus annus ejuſdem Auguſti ab Theone numeratur, inciditque in eum, quem diximus, Per. Jul. 4689. Quare nulla iſtic latebra eſt divinationis ullius.

In epiſtola S. Ambroſii anno Diocletiani 76, æræ Chriſtianæ 360, cyclo Lunæ 19, ritè Paſcha celebratum eſt IX Cal. Mai. Luna XXI, ſi Neomenia ad 3 Aprilis diem aſcribatur, ut Ambroſius aliique Veteres fecerunt. At anno Diocletiani 103, Chriſti 387, aureo numero 8, Paſcha incidit in VII Cal. Maias, ſive Aprilis XXV diem Luna XXI. Siquidem aureus numerus 8, ad Aprilis V diem adjungitur. Anno item Diocletiani 93, Chriſti 377, aureo numero 17, Paſcha celebratum 16 Cal Maias, Luna 21. Hæc ſunt certiſſima. Movet te hoc unum quòd anno Diocletiani 76, cyclo 19, Luna non 21, ſed 20, in Aprilis XXIII incurrerit. Id conſentaneum eſt Bedæ, aliorumque recentioris ævi methodo, qui cùm Lunæ ſaltum in Julii XXX diem contuliſſent, ac ſyzygiam illam, quæ Cal. Jul. inibat uno die mutilaſſent præter ordinem, verſuram fecerunt in altera illa quæ eodem cyclo, V Martii incipit; quam præter ſeriem plenam ex cava fecerunt. At Veteres aureum numerum 19 imputabant Aprilis 3, ibidémque Lunæ ſaltum, vel ut elegantiùs Græci τ̃ ἐξαίρεσιν inſtituebant. Teſtis eſt hujus rei Ambroſius in epiſtola iſta de qua hîc agimus. tum Dionyſius Exiguus in epiſt. 2, qui Lunam 15, cyclo 19 docet in 15 Cal. Maias incidere. Nos in Calendario noſtro recentiores ſecuti ſumus; & perplexi neſcio quid, ad eam rem explicandam attulimus; quod ad eum modum caſtigandum erit ut aureum numerum 19 ex mente Veterum diem Aprilis 3 obſidere dicamus; ex recentiore methodo 4 diem. In altera noſtri Operis editione, quam propediem inſtituemus; priores forſitan anteponendi erunt, & cyclus 19 ad illorum præſcriptum applicandus ad diem 3 Aprilis; aut certè de hac varietate monendus Lector. Quòd autem ante biennium quàm epiſtolam ſuam dictaret, Paſcha XI Cal. Apr. & 30 die menſis accidiſſe refert, id variè ab eruditis viris exponitur. Mullerius annum Chriſti 384 fuiſſe cenſet. & menſem illum iniiſſe vult Martii XXII.

De hoc ἐπέχω. Neque enim ut ſuſpicaris, hoc Paſcha conferimus in LXXXIV Diocletiani. quod tibi miror in mentem venire potuiſſe. cùm Ambroſius de anno LXXXIV Diocletiani ne litterâ quidem meminerit. nos autem ad exemplum methodi anni Alexandrini annum LXXXIX aſſumpſerimus, qui nominatim ab Ambroſio commemoratur. Sed oſcitantia typographi monſtrum ibi lectionis peperit, quæ ſic ordinandâ eſt, anno Diocletiani LXXXIX *decimam quartam incidiſſe* IX *Calend. Aprilis*, & *Paſcha prid. Cal. April.* ut ad oram noſtri codicis à me adſcriptum reperi antequam litteras tuas accepiſſem. Ejuſmodi in libris noſtris παροράματα ſunt plura quàm vellem. quod mirari deſinet, qui & numerorum tractationem moroſam, ac lubricam, & argumenti ſubtilitatem, & operarum barbariem recordari voluerit. Atque hoc non tam veniæ abs te impetrandæ, quàm opis, ac ſubſidii gratiâ commemoravi. ut quoniam libros iſtos legere non dedignaris, ſi quid in his errati deprehenderis, id in ſchedula perſcriptum identidem ad me ne graveris mittere. Tum quidquid erit aliud, quod in rem noſtram eſſe judicabis, de eo me certiorem facias. Et ſunt nonnulla, de quibus tecum agam ſimulatque plus ad opus illud recognoſcendum otii nactus fuero. Vale.

EPISTOLA V.

Petro Poſſino Societatis Jeſu, Toloſam.

MAGNAM de te mihi ſpem fecerat P. Fayonius: majorem tu ipſe tuis litteris feciſti, quas & eruditas, & grata quadam ingenuitate conditas nuper accepi. Etſi minùs eâ parte delectarunt, qua tu me nimiis, &, ut verum ſcias, falſis etiam laudibus oneraſti. niſi quòd eatenus hic error placebat, quod amico ab animo, noſtrique ſtudioſo qualecumque hoc profectum videbam. Sed ſi amare me, & amari viciſſim à me vis, fac illius recordêre, quod in ſimili re ſcriptum ab Auguſtino vehementer probare ſoleo. *Non mihi placet* (inquit epiſtolâ VII) *cùm à chariſſimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum. Profectò enim non me, ſed pro me alium ſub meo nomine diligunt, ſi non quod ſum, ſed quod non ſum diligunt. Nam in quantum me noverunt, vel de me verum credunt, ego ab eis diligor. In quantum autem mihi tribuunt quod in me non cognoſcunt, alium talem, qualem me putant, non me diligunt.* Ergo quia is abs te diligi malo, qui ſum, quàm qui falsò tibi eſſe videor; ſic quem habes de me, opinionis errorem abjicias velim, nihil ut de amore, ac ſtudio remittas. Equidem ſi te, pro eo, ac præſens, vel ſperatus deinceps ingenii tui fructus eſt, ornare cupiam; ulciſci me laudando te, ac vicem referre poſſum. Etenim ut hoc omittam, quod poſtremis ſuis litteris tuus mihi de te collega ſignificavit, & eo utar, quod ex tuis intelligere per me ipſe potui, non exigua laus primùm alacritati tantæ debetur, quanta te inflammari omne ad honeſtarum diſciplinarum genus oſtendis: tum ex iis percontationibus, quas in epiſtolæ tuæ fine poſuiſti, non eſt obſcura divinatio, vel qui modò ſis iſtis in ſtudiis, vel multò magis qui ſis poſteà futurus, ſi parem his initiis progrediendi conſtantiam adjunxeris. Quam ut adhibere pergas, hortarer equidem, ſi id eſſe opus exiſtimarem: ac niſi, ut epiſtola tua fert, refrenandus mihi magis ardor tuus, quàm incitandus hortatione mea videretur. Quamobrem hac minimè neceſſariâ omiſſa parte, reſpondebo conſultationi tuæ, qua meum conſilium exquiris, quam te ſtudiorum inire viam, ac præſertim in perdiſcenda hiſtoria, Chronologiáque quid ſequi oporteat. Nam cùm eam ex libris noſtris inſtitueris petere, atque ii duplici genere conſtent, quòd alii meram hiſtoriam pollicentur, hoc eſt rerum geſtarum expoſitionem: alii toti ſunt τεχνικοί, quibus ſola annorum methodus traditur, dubitare te ſcribis, utri te potiùs addicas, cùm in ambobus ſimul operam collocare nequeas. Mihi verò ex commodo tuo partiendus hic labor videtur: ut ſi utrumque eodem perſequi tempore non potes; des te illi potiùs parti, quæ perpetuam hiſtoriam continet: non ſolùm quia facilitatis plus habet, minúſque tricarum; ſed etiam quòd ad uſum ſcholarum, & illius profeſſionis, quam ſuſtines, multò eſt neceſſaria magis. Quòd ſi interim otii aliquid nactus fueris, ſubſeciviqve temporis, valdè auctor tibi ſum, ut & partem alteram adjungas, & quod affectum jam à te eſſe ſcribis, id perficias. Credi enim vix poteſt, quantum ad illuſtrandam, ac muniendam hiſtoriam utilitatis afferat methodus illa: immo quàm ſine hac cæca iſta ſit; neque ſe tueri, ac ſibi opitulari ipſa poſſit. De qua re ſcripſi aliàs in Prolegomenis Operis de Doctrina Temporum: quo minùs hîc ea repetere attinet. Te verò, quâ & ingenii præſtantiâ, & voluntate eſſe video; ſi eumdem, quem inſtituiſti, curſum tenes, plurimùm hac in arte, ceteriſque conſecuturum eſſe, pro certo habeo.

Reliqua eſt epiſtolæ tuæ pars altera; quæ duplicem inquiſitionem continet totidem de locis, ad quæ breviter ſic accipe. Diodori labem illam annorum 12, vel 13, jampridem à nobis animadverſam habes in XII de Doct. Temp. pag. 274, & 275. tum in libro IX cap. LXV. Sed errorem hunc eſſe Diodori iſtic aſſero. Tu ſic excuſari hominem poſſe conjicis, quaſi conſultò ita fecerit, ut Olympiadas tres de numero detraheret, quas ἀνολυμπιάδας Elei nominarunt; eæque, teſte Pauſania, fuerunt VIII, XXXIV, & CIV. His enim ſuppreſſis, μεταχειρισμὸν ais, annorum duodecim admiſiſſe Diodorum: Hoc idem de Polybio ſuſpicabatur Georgius Herwartus in portentoſo illo libro, cui *Novæ, veræ, & exactæ Chronologiæ* tam falsò, quàm confidenter titulum inſcripſit. contra quem in IX de Doct. Temp. cap. XLVII. accuratè diſputamus. Quæ autem illic adverſus eum argumenta collecta ſunt, eadem contra conjecturam tuam valent. Itaque cùm libros noſtros penes te habeas, tu hinc illa petere potes; ego hîc longior eſſe non debeo.

De ortu Alexandri M. & Plutarchi loco quod ſecundò quæris; non eſt quod valdè confligemur, dum ea pro certis teneantur, quæ de Olympiadici agonis tem-

pore illic expoſuimus. Sanè ex paucis illis quæſtionibus, ut jam dixi, capio ingenii tui ſpecimen, quod ad iſtas artes unicè factum in eâdem palæſtrâ, ſi me audis, diligentiùs exercebis. Nihil enim hoc tempore aliud eſt; in quo vel ad divinam procurandam gloriam utilius; vel ad ſocietatis noſtræ decus, ac ſplendorem illuſtrius; vel ad privatum animi tui fructum jucundius elaborare poſſis. Quòd ſi qua in re ſtudiis tuis commodare potero: quoniam ita tibi perſuaſiſti, nonnullum ad ea præſidium in me tibi eſſe poſitum; ego quidquid illud eſt, totum ea lege tibi defero, ut ſi in reſpondendo ero tardior, viciſſim ignoſcas; ac me meo commodo id agere permittas. Vale. Lut. Pariſ. XIII Cal. Dec. CIƆ IƆC XXXIV.

EPISTOLA VI.

Petro Poſſino Societatis Jeſu, Toloſam.

QUò plures ad me litteræ tuæ veniunt, eò magis judicium meum confirmant, quod de tua indole, ingenióque feci, ex quo te primùm noſſe potui. Vel illæ poſtremæ ut elegantes erant, & eruditæ, atque, ut Attice dicam, πεπινωμένας! Quibus quidem reſpondeo feriùs, more meo; ne itidem ut aliàs feci, occupationes meas, aut aliorum litteras, quibus peræquè ſatisfaciendum eſt, excuſare pergam. Quamquam te video in eadem eſſe cauſſa, qui poſt tertium, quàm acceperas, menſem reſpondiſti litteris meis. Cujus tibi culpæ, ſi quam agnoſcis; quod te malo non facere; facilè do veniam; dum tu mihi ſimili in re viciſſim ignoſcas. Nimis in amicitia importuni ſunt, per quos in hoc litterarum officio negligentibus interdum eſſe non licet. Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν. Ego verò & ſtudio tuo gratulor, quod in illo doctrinæ genere collocare pergis: & conſilii mei, quo te ad illud inductum, incenſumque eſſe profiteris, capio fructum. Quod meum beneficium, quando ſic eſſe vis, eatenus agnoſco, ut ejus mihi tuendi, ac promovendi impoſitum onus exiſtimem. Itaque cùm hortari te, ut idem illod agas, numquam deſinam: tum, ſi quid uſus noſter levare laborem tuum poteſt; hinc tibi quantum voles aſſumendi perpetuam copiam faciam. Noncad ea, quæ in epiſtola tua percontatus es, paucis, atque ordine reſpondebo.

Imprimis de Excidii Trojani tempore non muto ſententiam. Contigit enim ex mente Dionyſii Halicarnaſſenſis, eo anno, qui eſt à nobis expoſitus in IX de Doct. Temp. capite XXXI. Quæ verò de Neomenia Hecatombæonis objici poſſunt ex primo libro, ea rectè ipſe diſſolvis. Nam illîc nihil niſi hæſitationem noſtram aperuimus; quæ rationi & auctoritati ceſſit in nono libro. Videntur civilis anni Attici conditores Neomeniæ præſertim rationem habuiſſe: quam tamen intercalaris menſis longiùs arcebat interdum ab ſolſtitii cardine: ut ex typo Calippicæ periodi conſtat, quem in libro 2, pag. 72 deſcripſimus. Neque verò hanc ipſam Calippicam methodum civilem fuiſſe puto: ſed aſtronomis cognitam; ita tamen ut ad eam civilis anni caſtigatio exigi potuerit.

De Lunari defectione anni Per. Jul. 4650. probo induſtriam tuam: quam ut experirer, raptim ejuſdem calculos poſui; qui quoniam à tuis leviter diſſentiunt, hic eos adſcribam. Anno Periodi Julianæ 4650, cyclo ſolis 2, littera E, Lunæ 14, Plenilunium Eclipticum commiſſum eſt Romæ die 7 Novembris feria ineunte 1, hora poſt noctem mediam 2, 53, *M.* 1. *Sec.* Ad quod tempus hi ſunt medli motus.

Motus Solis ab Æquin.	*Anom. Solis*
S. G. M. Sec.	*S. G. M. Sec.*
7. 13. 35. 9.	5. 6. 22. 33.
Anom. Lunæ.	*Motus Latitud.*
S. G. M. Sec.	*S. G. M. Sec.*
5. 22. 15. 43.	11. 23. 31. 39.

		M.	*S.*	
Proſthaphæreſis	Solis 0.	50.	49.	S
	Lunæ 0.	41.	27.	S

Differentia 9. *M.* 24. *Sec.* Tempus, horæ 0. 18. *M.* 26. *Sec.* S. Verum Plenilunium hora 2. 34 *M.* 35. *Sec.* Accuratius horâ 2. 36. *M.* 19. *Sec.* Phyſicum hora 2 46. *M.* 11. *Sec.* Motus latitudinis medius 11. 23. 21. *M.* 14. *Sec.* Verus, 11.22.39. *M.* 57. *Sec.* Latitudo auſtralis 38. *M.* 2. *Sec.*

		M.	*Sec.*		*M.*	*Sec.*
Semidiameter	Lunæ	16.	59.	Summa	63.	2.
	Umbræ	46.	31.			
	Solis	15.	57.			

Differentia ſummæ ſemidiametrorum Umbræ ac Lunæ, & latitudinis, 25. *M.* 0. *Sec.* Digiti eclipticí 8¹⁴⁄₁₇ id eſt ferè 9

Quadratum latitudinis, 9207524 *Sec.*

Quadratum ſummæ ſemidiametrorum umbræ ac Lunæ, 14303524 *Sec.*

Differentia, 9096000. *ſec.* Radix quadrata 3015. *Sec.* quæ ſunt 50. *M.* 15. *Sec.* quæ dant horam 1. 28. *M.*

Igitur initium defectionis hora poſt mediam noctem 1. 18. *M.* 11. *Sec.*

Medium defectionis hora	2.	46.	11
Finis hora	4.	14.	11
Duratio horarum	2.	56.	*M.*

Examen veræ ſyzygiæ.

	S. G. M. Sec.
Motus Solis medius	7. 13. 34. 28
Media Lunæ diſtantia	5. 29. 51. 25 A
Locus Lunæ medius	0 0 42. 20. S
Verus locus Lunæ	1. 12. 43. 33
Verus locus Solis.	7. 12. 43. 36 S
Reſiduum	5. 29. 59. 57

Deſunt ad exactiſſimæ Oppoſitionis calculum ſecunda 3.

In epilogiſmo tuo Reſiduum erat, 5. 29 49. *M.* 26. *Sec.* ſed ἀπροσεξία eſt. Nam ex tuis calculis ſuperſunt omninò, 5. 29. 59. *M.* 26. *Sec.* Etenim verum locum Lunæ ponis 1. 12. 43. *M.* 20. *Sec.* de quo ſubtrahis Verum Solis 7. 12. 43. *M.* 54. *Sec.* Reſtant igitur 5. 29. 59. *M.* 26. *Sec.* Itaque accuratior, quàm putabas, fuiſti. Redeo ad ψηφολογίαν noſtram. In ea ſemidiametrum Lunæ contra Tabulas noſtras, adeóque Tychonianas, uſurpavimus minutorum 16. *M.* 59. *Sec.* non 17. *M.* 59. *Sec.* quod eò feci, & ut deinceps facias cenſeo, quoniam qui Tychonianas tabulas ediderunt, per imprudentiam uno minuto aberrarunt: ut Chriſtianus Longomontanus obſervat libro 1 Theoricorum, cap. VIII. qui caſtigatiorem proinde tabellam edidit p. 174. quam adhibere nos oportet.

Curtii locus ille de Syracuſanorum expeditione in Africam jamdudum notatus eſt à Radero in Commentariis ad eum auctorem, & erroris damnatus. Jure id quidem, ſi de Agathocle intellexit. Eſt enim haud mediocris ἀναχρονισμός. Sed quid ſi aliàs eôdem Syracuſani navigarunt? Tametſi nuſquam, quod meminerim hiſtoria talis exſtat. Illud alterum de Alexandri ſucceſſoribus, in quo ab ſacra hiſtoria diſſentire videtur, copioſè Serrarius in Commentariis ad Macc. expoſuit. Omnium facillima ratio mihi videtur, diviſiſſe dici regnum ſuum Alexandrum, quòd Perdiccæ, à quo diviſum eſt poſt ejus mortem, ſummum jus, & adminiſtrationem dato annulo permiſerit. Vale. Lutet. Pariſ. III. Cal. Jun. CIƆIƆCXXXV.

EPISTOLA VII.

Petro Poſſino Societatis Jeſu, Toloſam.

NON excuſabo tarditatem meam, cujus utrique noſtrûm impunitatem volo eſſe propoſitam: nec illa tamen aut libenter utar, aut licentiùs, quam erit neceſſe.

Mitto integrum Rationarium editionis poſtremæ in duos tomos partitum, ac paullò longioris formæ, quàm prius erat; quam octuplicatam officinæ vocant. Secundus

dus tomus, qui eſt altero dimidio ferè minor, Diſſertationem illam de Photino, ac Sirmienſi Concilio continet: quam ſic excudi mandaveram, ut & conjunctim cum opere reliquo, & ſeparatim legi poſſet. Id eò feci libentiùs, ut hoc te munuſculo provocarem, quòd ad illud te doctrinæ genus incitari prope divinitus ſentio. Neque verò quiſquam, meo judicio, vel idoneus magis eſt; vel majori exſpectatione ingreſſus in illa ſtudia, quàm tu: ſi & conſtans voluntas erit; & otium ſuppetet; quod deinceps abundantius fore videtur; ubi te oneri illi conſueſeceris profeſſionis novæ, ac ſanè laborioſæ; præſertim cùm ad publicas ſcholas acceſſit etiam privata noſtrorum inſtitutio. Sed utcumque tuæ res habebunt, nolo te ab cœptis aliqua difficultas abſterreat; quæ tanta eſſe nulla poteſt, quin iis ingenii viribus, & hac induſtria, quæ in te eſt, ſuſtineri, ſuperarique poſſit. Adjungerem ad illa tua præſidia, pollicitationem operæ meæ; méque tibi fautorem, & adjutorem laboris iſtius offerrem, ſi id valdè neceſſarium crederem. Sed cujuſquemodi tandem illud eſt, quod à me proficiſci in te poteſt, equidem tibi ejus, quàm voles, benignam copiam, ac liberalem faciam. Incumbe modò, uti cœpiſti, & fortem animum affer ad id, quod reliquum eſt illius artis: quod fortaſſe non ita magnum eſt, & eò minùs operoſum, quòd jam es conſecutus. Neque verò deſiſtendum tibi interim eſt ab illo ſtudio, & exercitatione dicendi, ac ſcribendi, cui te neceſſariò deditum eſſe ſignificas. Nam utrumque ubi concalueris, haud ægrè præſtabis. Tum ambo illa ſtudia neque genere ſejuncta ſunt; neque pugnant invicem: ſed conjuncta ſunt potiùs, & mutuis ſubſidiis aluntur, ac ſeſe fulciunt. Quòd autem ad Græca Latinè vertenda tua te voluntas impulit; tamquam auſpicatus per iſta publicam ad lucem aditus pateat, conſilio iſtîc opus eſt.

Meum ſi requiris; ego non te nimiùm occupationi huic addictum eſſe volo: nec in eo caput cœnæ tuæ conſtituere. Plus enim habet ea res tædii, ac moleſtiæ, quàm operæpretii, aut certè ſplendoris. Etſi minùs hoc te alterum ſolicitat. tamen otium tuum & ætatem melius collocare potes. Quare leviter hoc attingas cenſeo: téque Veterum ad lectionem & eruditionem illam variam, imprimis autem antiquitatis, & hiſtoriæ transferas.

Nunc ad illa veniam capita duo, de quibus percontatum te eſſe memini. Horum prius erat de anno, quo Æſchines contra Cteſiphontem, ac Demoſthenem dixit. De quo cùm Photius à Plutarcho diſſentiat; ego Plutarchi potiorem eſſe cauſſam arbitror; qui Prætore Ariſtophonte id eveniſſe refert in Vita Demoſthenis. Movet ut ita ſentiam gravis auctor Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui in epiſtola ad Ammæum pag. 124 edit. Vecheli de Oratione Demoſthenis, quæ eſt de Corona, ſic loquitur: Οὗτος γὰρ μόνος εἰς δικαστήριον εἰσελήλυθεν μετὰ τὸν πόλεμον ἐπ' Ἀριστοφῶντος ἄρχοντος μὲν ἐνιαυτῷ μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, ὀκτὼ δὲ μετὰ τὴν Φιλίππου τελευτήν, καθ' ὃν χρόνον Ἀλέξανδρος τὴν ἐν Ἀρβήλοις ἐνίκα μάχην. Ariſtophon Prætor incurrit in annum Per. Jul. 4384, qui proximè iniit poſt Arbellicam pugnam. Chæronenſe verò prælium cadit in annum Periodi Jul. 4376. à quo nonus eſt is, quo Præturam adiit Ariſtophon: idémque ſeptimus à Philippi obitu, qui Pythoro Prætore contigit anno Per. Jul. 4378. Quare uno circiter anno abeſt ab exacto Dionyſii calculus. Cujus in verbis mendoſa vox eſt illa ἐνιαυτῷ. ac neſcio an ſcripſerit ὀκτὼ ἐνιαυτοῖς μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην, ut Plutarchus habet, qui ex Dionyſio videtur accepiſſe. Id ſi eſt verum, tum unius anni, vel biennii error erit, niſi pro ὀκτὼ, ἐννέα ſcripſit; & uterque terminus in ſumma comprehenditur. Omninò Ariſtophonte Prætore, & anno Per. Jul. 4384, dictæ ſunt orationes illæ celeberrimæ, paullò poſt Arbellicam victoriam, hoc eſt anno ferè vertente.

Vellem de oratione Demadis, quod alterum fuit percontationis caput; ita mihi ratio conſtaret. Sed ea perdifficilis eſt. Parum abeſt, quin litem orationi illi de ſtatu moveam: hoc eſt, quod te quoque ſuſpicari video, ſuppoſititiis adſcribam. Sed nolo temerè ſtatuere. Quare aſſenſum ſuſtineo. Eſt autem & mutila, & argumenti obſcurioris. de quo placet interim conjectura tua; donec certius aliquid odoremur. Poſtquam iſta ſcripſi, relegi iterum accuratiùs; ac priorem noſtram ſuſpicionem firmavi. Mihi quippe dicendi genus minimè forenſe, ac pugnax, & πολιτικὸν videbatur; ſed languidum, ac lacertorum nihil habens: cujuſmodi non puto fuiſſe Demadis; quem πανοῦργον, hoc eſt vafrum, & callidum oratorem fuiſſe ſcribit Suidas. Quamobrem eò revertor, ut Sophiſtæ cujuſdam μελέτη, & umbratilis declamatio fuerit. Quæ tu autem Latinè ex ea vertiſti, magnoperè mihi placent: niſi quòd paullò eſt tua interpretatio diffuſior. Porrò locus ille, qui proximè verba illa ſequitur, quæ à te Latinè facta ſunt, manifeſtè mendoſus eſt. Eum ita reſtituere conabar. Ἅπαντ' ἂν ἔλεγχον φοβοῦμαι τοῦ πράγματος, ἀλλὰ δὴ τὸν ἄδηλον φθόνον· ὃς εἰ κρίνει τοὺς ἀδικοῦντας, ἀλλὰ φύεται ἐπὶ τοῖς δυνατοῖς λέγειν, ἢ πράττειν, vel ἐπιφύεται τοῖς δυν. λεγ. Invidiam ait imminere, infeſtámque iis eſſe, qui dicendo, agendóque valent, quod veriſſimum eſt. Aut hæc, aut his ſimilia ſcripſit Demades iſte verus, an ementitus. Vale, mi Pater, méque ſacrificiorum ac precum tuarum participem facito. Lutetiæ Pariſiorum, Eidibus Maiis CIↃIↃCXXXVI.

EPISTOLA VIII.

Ægidio Bucherio Societatis Jeſu, Tornacum.

HABEO munus à te longè optatiſſimum, ac ſuaviſſimum, Commentarium de Doctrina Temporum ad Aquitanum Victorium. Huic debitam à me gratiam ut non haberem ſolùm; ſed etiam pro virili parte referrem, tantiſper has litteras diſtuli; dum Rationarii noſtri abſoluta eſſet editio; quam novam, ac priori longè caſtigatiorem, & uberiorem inſtitueram. Quod nunc opus ad te mitto impar quidem ei, quo me provocaſti; nec ejuſmodi, ut Heſiodio illi reſpondeat, quo benè meritos remunerari jubet.

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι.

niſi quòd ea nos clauſula excuſare poteſt, αἴ κε δύνηαι quæ non minùs in exæquando, quàm in ſuperando beneficio rationem haberi vult ejus, quantum quiſque poſſit. Commentarium tuum attentè, & uti res poſtulat, nondum legere potui. quod me ſpero propediem facturum. Nam, ut abſint cetera, ſatis magnam ad legendum illecebram præbet tum inſcriptio eadem, qua nos uſi antea fuimus: tum argumenti in pleriſque germanitas: tum à nobis poſtremò tua nonnulla diſſenſio. quæ omnia cupiditatem noſtram incredibiliter acuunt: ut ex amborum comparatione utra veriora ſint æſtimare poſſimus. Sed hoc otii, uti dixi, majoris eſt; quod ad hæc recolenda ſtudia mihi jampridem defuit. Hoc ſimulátque nanciſci potero, ſi id tamen non ingratum tibi eſſe perſpexero: quæ mihi in mentem venerint, non contentioſo, ſed cupido inquirendæ veritatis, & benevolo animo perſcribam. Spero enim, à me cœptum hoc ſcribendi ad te officium, aliarum deinceps litterarum mutuæque inter nos conſuetudinis initium futurum.

Non potui tamen facere, quin pauca quædam hîc adſcriberem, quæ ſe primum ad impetum volutandi commentarii illius obtulerunt.

De Cyrilli epiſtola, quam in Appendice Operis noſtri de Doct. Temp. edideram; aliqua ſunt, in quibus à me diſcrepas. Primum quòd anno Chriſti 443 putas eſſe ſcriptam, & in ea Paſcha pronunciari anni 444. Atqui data potiùs videtur, ut nos poſuimus, anno 419. ut Paſcha ſit anni 420. Scripſit enim hanc epiſtolam Cyrillus ad Aurelium Carthaginienſem Epiſcopum, alióſque Præſules Africanos, qui Synodicam ad ipſum ac ceteros Patriarchas ſcripſerant, ut ex eorum ſcriniis authenticos canones Nicæni Concilii repeterent; de quibus inter ipſos, & Rom. Pont. Zoſimum orta lis erat. quod ex Tom. 1. Conciliorum licet intelligere. At ante annum 443 jamdudum exceſſerat Aurelius. ſiquidem anno 430 Capreolus Epiſcopus Carthaginienſis fuiſſe legitur: qui ad Epheſinam ſynodum litteras dedit, quibus de obitu S. Auguſtini certiores Patres fecit, cùm illum ad Concilium Theodoſius invitaſſet.

Huic Cyrilli epiſtolæ ſubjecta erat in Sirmondiano MS. lacinia quædam, quam minimè germanam eſſe, cùm ex aliis multis conjecturam fecimus, tum ex eo, quod Latinorum regulam commemorat, ac refellit, quorum neque nomen, neque inſtitutum Cyrillus un-

quam didicit. tum denique quòd Paſcha in eadem lacinia conceptum longè ſit citerioris ætatis; ut in notis ad illam epiſtolam probavimus.

In epiſtola Proterii pag. 84. S. Athanaſium credis deceſſiſſe anno Chriſti 373, non ut vulgò perſuaſum eſt, 371. Verùm non modò Socrates lib. IV, cap. XXI Gratiano II, & Probo Coſſ. mortuum eſſe teſtatur, qui eſt annus 371. ſed etiam Alexandrinorum Epiſcoporum ſucceſſio, quæ eſt apud Nicephorum in Chronico. Ibi enim anno quintodecimo ab Athanaſii obitu, Theophilus illius urbis Epiſcopatum adiiſſe legitur. Creatus eſt autem Arcadio & Bautone Coſſ. ut Socrates tradit lib. 5. cap. 12. qui eſt annus 385. Proinde neceſſe eſt Athanaſium obiiſſe anno 371. Proterium verò, niſi mendoſus eſt locus, per hallucinationem Athanaſii nomen edidiſſe.

Hæc de argumenti parte illa, quæ in tuis commentariis expeditior erat raptim ad te ſcribere volui. Interim ab communi Domino fauſta, & fortunata tibi omnia precor; idque ut viciſſim mea cauſſa facias in ſacrificiis precibúſque tuis enixè peto. Vale.

EPISTOLA IX.

Georgio Schonbergo Societatis Jeſu, Friburgum.

MIHI verò per illud optatum eſt, uſum inter nos mutui officii conſuetudinémque litterarum deinceps inſtitui: quam cùm à me tam enixe poſtulas; facis abundantia quadam modeſtiæ; ut quod ego quantivis comparare debueram, id à me tribui tibi beneficii loco deſideres. Dabo igitur operam, ne te, ſi minùs ſpei exſpectationíſque tuæ, ſtudii certè mei, voluntatiſque pœniteat. Cujus ut ſpecimen aliquod modò præbeam; quæ duo à me requirebas, ad ea reſpondebo paucis; ac de Solis deliquio primò dicam, cujus accuratam διαγραφὴν in epiſtola tua poſuiſti.

Quæris ecquid ſuperioris anni defectio, quam in Natalem ipſum Domini Aſtronomicæ tabulæ conferunt, hìc à nobis obſervata fuerit. Equidem nihil illo die libentiùs vidiſſem quàm ſerenum, liquidúmque cœlum, & ad cœleſtium rerum obſervationes idoneum: ut de Solari deliquio, quod ex tabulis prædixeram, oculis, ac reipſa comprobarem. Sed magno dolore noſtro contigit, totus ut ille dies obſcurus abiret, ac nubilus, ac ne Solis quidem ipſius intuendi copiam ullam faceret. Quamquam ut vel apertiſſimo tum cœlo frui licuiſſet, haud ſcio quàm à nobis penitiùs diſcerni defectio illa potuerit. Nam neque trientali amplior in Europa ſumma illius obſcuratio contigit: & Lutetiæ vel initium duntaxat illius proſpici potuiſſet. qua de re in Prognoſtico monueram.

Atqui ex eo calculo, quem è Tychonicis tabulis diligenter inſtituis, medium etiam illius Lutetiæ conſpici potuit. Scribis enim initium ejus incidiſſe hora poſt meridiem ſecunda, 32′, 15″: Medium hora tertia, 49′, 3″: Finem hora quinta, 5′, 51″. Sol hac in urbe hora ferè quarta poſt meridiem occidit. Quare aliquantò Solis occaſum ſumma obſcuratio præceſſit.

Verùm minimè dubito, quin media defectio occaſo jam ſole commiſſa fuerit; cujus rei certiùs cognoſcendæ gratiâ ex Tychonicis tabulis iſtud ipſum deliquium denuò ſubduxi, ejúſque ψηφοφορίαν hìc periclitandi gratiâ perſcripſi.

Calculus ecliptici Novilunii anno 1629 Decemb. XXV. ex Tychonicis tabulis

* * * * * * * * * * * * *

Τὸ διάφορον calculi veſtri, ac noſtri minutorum eſt initio 26, in medio 23. quo intervallo tardiùs à nobis exhibetur.

Cùm nos iiſdem tabulis utamur, mirum videri poſſit, unde tanta ψηφισμῶν varietas orta ſit. Id eò factum animadvertimus, quòd tu ad proſthaphæreticum tempus computandum verum horarium motum adhibueris, ego medium, ſive æquabilem aſſumpſerim. Prius illud ex Tychonis præſcripto, & exemplo factum eſſe non diffiteor: ſed in eo minimè audiendus eſt, præſtátque mediis illis motibus, quàm veris uti. quod ego certiſſima ratione comperi. Etenim ſi quis Tychonicas omnes Lunarium, ac Solarium eclipſeon τηρήσεις ad fidem illius tabularum exigat, ſi proſthaphæreticum tempus per verum motum horarium ſubducat, longiſſimè ab obſervationum momentis aberit; ſic ut hora propemodum integra diſtet. Quod ut primum animadverti, ſane vehementer obſtupui; déque re tota lectorem admonui in libris de Doct. Temp.

In quo ſciendum illud eſt: quò differentia mediæ ad veræ ſynodi major eſt, eò abnormiorem eſſe calculum: quò verò minor eſt, eò minùs referre utrum horarium motum ad proſthaphæreticum tempus accommodes. quod ego Tychoni arbitror fraudi fuiſſe. Quo enim exemplo uſus eſt, in eo proſthaphæreticum tempus perexiguum eſt.

Hoc primum caput eſt epiſtolæ. Alterum erat, uti Danicam Aſtronomiam à bibliopolis noſtris emerem, ad vóſque mitterem. Feci ut rogatus eram, ac Sebaſtiano Cramoſio typographo noſtro id negotium dedi: qui ſe Nanceium haſce litteras cum libro miſſurum recepit. Habebam & librum alterum vegrandem, Theologiam Moralem P. Laimanni, quam hac in urbe quidam typographus recudit. Is rogatu meo unum exemplar auctori ipſi dono dedit; quod ego penes me habeo: nec aliud, quàm opportunitatem mittendi illius exſpecto. Qua de re velim certiorem Laimannum facias, ad cúmque typographi illius litteras perferendas cures: qui ſe præſtò fore pollicetur, ſi quid novi Pater ille typis noſtris committere velit. Vale.

EPISTOLA X.

Stephano Vito, Societatis Jeſu.

GRATULOR Animadverſionibus noſtris, ſi quidem tale in iſtis fuit aliquid, quod tantum virum tam incredibiliter afficeret. Etſi hoc ego non illarum adſcribo merito, quod in eo eſſe genere mediocre arbitror: ſed modeſtiæ, & humanitati tuæ, cujuſmodi in Homero candorem animi Oratione I miratus eſt Themiſtius, qui principem illum poëtarum nihil fermè ait ſine aliqua laude nominaſſe: uſque adeò ut & flagella ipſa ſplendida, & ſubulcum regem, & viliora quædam ſplendidis vocabulis appellet.

Cujus etiam in te candoris ac modeſtiæ fuiſſe illud interpretor, quòd quæ meliùs per te ipſe ſcire, atque extricare poteras, de iis conſulere me, ac percontari malueris.

De quibus inquiſitionis capitibus, ne in præfando ſim, excuſandoque longior, ſingillatim & ordine reſpondebo.

Ac primum de Paſchate quod à Judæis anno illo, quo paſſus eſt Chriſtus, celebratum fuit, perſpicuum eſt typographi mendum, qui XXI Martii pro XXIV edidit. Nam XXIV Martii ex Epiphanii ſententia primus dies azymorum actus eſt à Judæis; cùm pridie ejus dici verus in cruce agnus eſſet occiſus.

De Ancyrana Synodo Semiarianorum veriſſimum eſt, quod nos pag. 319 ſcripſimus, eam anno Chriſti 358 incidiſſe.

Quod ad Francos attinet, non eſt dubitandum Epiphanii tempore in illis ipſis, quæ dixi, locis habitaſſe, hoc eſt trans Rhenum, ac cis Albim fluvium; ubi Chauci, Anſivarii, Cheruſci, Chamani, Sicambri, & Friſii collocantur. Teſtatur hoc Ammianus Marcell. l. XX. qui de Juliano ita ſcribit: Julianus in limitem Germaniæ ſecundæ egreſſus, omníque apparatu, quem flagitabat inſtans negotium, communitus, Trajectenſi Moſæ oppido propinquabat. Rheno deinde tranſmiſſo, regionem ſubitò pervaſit Francorum, quos Anſivarios vocant.

Eoſdem Francos Salios appellat Ammianus L. XVII. *Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos conſuetudo Salios appellavit.* Salii porrò ab Sala fluvio nomen acceperunt, qui eſt Iſala fluvius, qui in eodem illo tractu in Rhenum fl. vel in flevum lacum effunditur. Sed vide quæſo Philippi Cluverii Germaniæ lib. III. c. XX. Panegyricus Maximiano, & Conſtantio dictus: *Multa Francorum millia, qui Bataviam, aliáſque cis Rhenum terras invaſerant, interfecit, depulit, abduxit.*

Eumenius Paneg. *Bataviam ſub ipſo quondam alumno ſuo à diverſis Francorum regibus occupatam omni hoſte purgavit.*

Nec

Nec me movet, quòd Hieronymus Francos inter Saxones, & Alemannos habitare ſcribit. Nam late diffuſa gens, & ſub eodem nomine varios io populos diviſa non unas ſedes, neque continuas occupavit.

Quæria deinde, quemadmodum congruat anno Chriſtianæ & vulgaris epochæ XXXI, Chriſtum feria VI paſſum eſſe; Martij XXIII, luna cœleſti XII; cùm alio loco ſcripſerim plenilunium aontigiſſe Martii XXVI, feria 3. unde conſequens ſit, feriam VI incidiſſe in XXIX Martii, & lunam cœleſtem XVIII.

Facilis eſt reſponſio. Nam feria VI tam Martii XXIII, quàm XXX accidit. Sed antecedentem ob eas cauſas ſumpſimus, quas in Animadverſ. pluribus explicata habes. Fuit autem XXX Martii feria VI, non XXIX. Littera quippe G anno illo locum habuit. Sed in Diagrammate, quod pag. 149 propoſitum eſt, horæ & fragmenta, cum 12 excedunt, ad ſequentem diem, feriámque pertinent.

Miror abs te negari Bedam auctorem eſſe librorum illorum, qui de Temporum ratione, & de Natura rerum inſcripti ſunt. Atqui in calce hiſtoriæ libros à ſe editos recenſens, illos ipſos nominatim refert. Nam qui de Æquinoctio inſcribitur, is in veteribus manuſcriptis non Bedæ, ſed Philippi Presbyteri titulo legitur.

Quod ſcribis de annorum Chriſti computo, qui veteri more ab eo anno, quo fuit in utero, numerari incipit, is eatenus à me damnatus eſt, ſi ætatis anni putari indidem incipiant. Siquidem communi more hominum, & inſtituto ætatis annus primus ab eo momento repetitur, quo infans in lucem editus eſt. Non igitur reprehenſum à me illud eſt, quòd æra Chriſtiana utcumque ab anno Incarnationis deducta ſit: ſed quòd plerique in annorum ætatis Chriſti numerum procedere juberent eum, quo in ſacro virginis matris utero geſtatus eſt.

Ritum illum celebrandi Paſchatis contra Catholicum uſum, qui pertinaciſſimè ab Scotia obſervatus eſt, meritò hæreſim appellavi, cùm Epiphanium, alióſque PP. ſecutus; tum ipſummet, quem patronum advocas, Bedam. Hic enim libro II Hiſtoriæ, cap. XX, Hilarii Papæ deſignati litteras recitat; in quibus ita loquitur: *Reperimus quoſdam provinciæ veſtræ contra orthodoxam fidem novam ex vetere hæreſim renovare conantes. Paſcha noſtrum, in quo immolatus eſt Chriſtus, nebuloſa caligine refutantes, & quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes.*

Scotorum nomen cum gemino ut in antiquis libris exſtare memini: nec ab conjectura tua ſum alienus, Epiphanium Σκότιον ita ſcripſiſſe.

Quod Auguſtini ſermones aliquos pſeudepigraphos ſub illius nomine laudavi, nullum ex eo veritati præjudicium facere volui. Sed ita plerumque mos eſt, ut quibus titulis vulgò inſcribi ſoleant libri, Veterúmque tractatus, cum iis citari conſueverint. Quod ipſum de libello qui Bedæ nomine editus eſt de loquela per geſtum, intelligi volo.

Marianum Scotum haud temerè ab communi errore ætatis illius exceperim, quæ in annis illis duobus & viginti ridiculè conflictata eſt. Nullam enim ad hanc diem editionem vidi Chronici illius, in qua non illud appareret.

Hæc ad quæſita tua quàmpotui breviſſimè: quorum partem maximam, quæ quidem ad annos temporáque pertinet, pleniùs in Opere noſtro de Doctrina temporum explicavimus. Quod autem paullò fui in reſcribendo tardior, facilè hanc culpam cùm æquitas & humanitas tua; tum infinita hoc tempore varietas occupationum à me deprecabitur. Quæ numquam tamen tantæ, aut tam graves eſſe poterunt, quin, ſi quid de me ſciſcitari præterea velis, hanc qualemcumque reſpondendi operam non curis omnibus ac negotiis antiquiorem habeam. Vale.

EPISTOLA XI.

Arnoldo Cathio Societatis Jeſu, Ruremundam.

EODEM die litteras ad me Lutetiam ſcribebas, quo ego Rothomagum, & in oram illam Neuſtriacam Lutetiâ proficiſcebar. Qua in excurſione ſex admodum hebdomadas poſuimus. Itaque non priùs litteras tuas vidi, quàm peregrè ſum reverſus. Quod eò ſcribo; ne meam in reſpondendo tarditatem, ac negligentiam accuſes.

Equidem doctorum, ac piorum hominum litteris & conſuetudine plurimum delector: tum quòd mutuum hoc officii genus inter nos exſtare deinceps poſtulas, hoc verò gratiſſimum eſt ſponte id oblatum eſſe, quod expetere ipſe, ac prior impetrare debuerim. Nam ut communia illa neceſſitudinis jura prætermittam, quæ nobis abſentes etiam eodem ex ordine, ignotoſque conciliant; quæque ita commendas, ut ad ea propius tamen inter nos aliquid, ac familiarius velis adjungi: certè doctrinarum iſta conjunctio, quibus uterque incredibiliter dediti ſumus, acriores mihi ad hujus amicitiæ cupiditatem ſtimulos admovit. Quocirca tibi de hoc io me ſtudio ac voluntate primùm habeo gratiam: tum ut immortalem, ac perpetuam hanc eſſe velis, magnopere peto. De me quidem tibi polliceor: nullo me officiorum genere conſervandæ huic amicitiæ, immo amplificandæ ornandæque defuturum.

Quod ad ea verò quæſtionum capita pertinet; de quibus quid ſentiam ſciſcitaris: etſi intelligo non tam hæc diſcendi cauſſâ, quàm litterariæ iſtius ſanciendæ conſuetudinis injecta eſſe; tamen reſpondebo breviter. Igitur Chriſtianam æram anno ab Orbe condito quarto & octogeſimo ſupra nongenteſimum ac ter milleſimum exordiri placet. Etenim ſua cuique putandorum temporum ratio eſt, à nobis iſta certis de cauſſis eſt conſtituta; quas in Tomo II operis de Doctrina Temporum uberrimè tradidimus. Neque verò id ἀπόδειξις mera: ſed majori ex parte conjectura nititur. Quare qui aliter exiſtimet; non magnum flagitium fecerit. Sit ille modò ſibi conſtans; & Chronologiæ ſuæ rationes ita ex parte moderetur; ne cum anterioribus poſteriora, vel utraque cum hiſtoria, & obſervatione diſſideant.

De Orbis conditi tempore, ac cardine, ego cum Judæis, cum Serrario noſtro, aliiſque ſentio, autumno potiùs, quàm vere procreatum eſſe. Cur huic illam opinionem præferam, eodem ex opere repetendum eſt. Poſtremò de anno Chriſti natali, de quo maxima in libri XII parte diſſeruimus; noſtra illa ratio eſt: ſi Joſephi, ac Dionis auctoritatem ſequi velimus: Dekerianam ſententiam, quæ communem natalem annis quatuor antevertit; aut Keplerianam, quæ unum addit annum, valde probabilem: immo neceſſariam videri. Quæ cùm hactenus offenſionem apud earum rerum minùs peritos, & invidiam habuerit (nam & ab Annalium conditore tam ipſam, quàm ejus auctorem Dekerium inclementer acceptum meminimus) hoc quidem tempore tuendæ illius; ſic quaſi vindicandæ libertatis vexillum è Capitolio ſublatum eſt. Etenim, quod jam ſciſſe te arbitror; libellus quidam ab hinc biennio hic editus eſt, auctore M. Antonio Capello Franciſcano, Doctore Theologo, idémque Magiſtri ſacri Palatii, ac cæterorum quorum ea cognitio eſt, ſubſcriptione, Romæ probatus. Quo in libro Natalis Chriſti ſex annis ante communem, & hactenus in Eccleſia receptum uſum collocatur. Qua in quæſtione tractanda, ut & ceteris non diſſimilis argumenti, cùm imperitiſſimè verſetur; fuit enim, quantum ex hoc opere conjici poteſt, ejus quam inſtituebat artis apprimè rudis: non tam illius imperitia me movet, quàm quod iniquitate temporum, & certorum hominum importunitate factum video, ut illius inventi gloria Dekerio, ac ſocietati noſtræ detracta, ab alienis, & indignis interverſa ſit. Sed hac de re, veſtra potiſſimùm, hoc eſt Belgicæ provinciæ curatio eſt: quorum ὁ μακαρίτης ille popularis fuit. Hujus exſtare alicubi Annales audio: ſed vereor ut ii, quamlibet elaborati, uni illi Diatribæ, ac Theſi Gretzienſi reſpondeant. Vidi enim ab illo de Chronologicis quæſtionibus explicata quædam; quæ minimè mihi probabantur. Sed hæc modum epiſtolæ hujus excedunt: quam ita denique concludam, ut me ſacrificiis ac precibus tuis enixè commendatum eſſe cupiam. Vale.

EPISTOLA XII.

Brunoni Cognato Carthuſiano.

De tarditate mea non purgabo; cujus diuturna me conſuetudine propemodum jam pudere deſiit. Et ſunt profectò tam multæ ſæpiùs eodem tempore mihi ſcribendæ litteræ, (præter quotidianas, ac neceſſarias commentationes) vix ut ſufficere queam omnibus, & vadimonium vel differre longiùs cogar, vel funditus deſerere.

Hoc non temerè condonaret mihi alius; ac de contemptu, vel incuria, graves querelas faceret. Abs te verò (mi pater) ut impunè laturum me ſperem facit egregia humanitas, & facilitas tua: cujus ego fiduciâ, breviùs quàm tu fortaſſe cuperes, reſpondebo litteris tuis, déque ea quam diligenter elaboraſti, vitæ Chriſti ſerie, meum judicium perſcribam, non ut cenſor aliquis, qualem me eſſe vis, ſed ut quivis è numero conſultorum ejus artis. Scribis videri tibi paſſionem Chriſti Domini rectè conferri in annum eum poſſe, qui ſit communis æræ triceſimus: ei rei præfinis Aprilem, ejúſque diem ſeptimum. Cetera nobiſcum habes communia. Chriſtianam epocham annis antevertis quatuor: duo non ampliùs obiiſſe paſchata, in tertio mortem ab illo ſuſceptam aſſeris fuiſſe.

Mihi verò unum illod in tua ratione diſplicet, quòd ex ea conſequens ſit, baptiſmum Chriſti in annum incurriſſe communis æræ octavum, & viceſimum. Is eſt autem Julianæ caſtigationis tertius & ſeptuageſimus: quoniam Chriſti annus primus, ut ſcis, ineunte cœpit anno Juliano ſexto & quadrageſimo Hoc ſi verum eſt; baptiſmum adierit oportet anno Tiberii decimo-quarto ineunte. Nam obiit Auguſtus Cæſar anno æræ communis XIV, menſis cognominis XIX die, Juliano LIX. indidémque Tiberii ducitur initium. Quare decimus-quintus ejuſdem Tiberii cœpit anno Chriſti XXVIII, Juliano LXXIII, ex Auguſto menſe: ejuſdémque anni menſe quinto nondum vertente, Chriſtus ad Joannem ſe contulit VIII Eid. Jan. anni Chriſti XXIIX. Atqui Lucas Evangeliſta refert, anno quinto-decimo Tiberii Cæſaris Joannem inſtinctu Dei ad prædicandum publicè prodiiſſe. Hoc verò cum chronologia tua neutiquam convenit.

Neque te potes hac interpretatione defendere; Lucam annos Tiberii τῷ πολιτικῷ putare cœpiſſe. Id ſi eſſet, à Paſchate, vel Niſan, hoc eſt verno tempore, initium caperet, uti Judæis mos fuit. At Chriſti baptiſmus Paſchate poſterior eſt: à quo decimus-quintus procedere debuit. Omnino vis eſt afferenda Lucæ, ut ad tuas rationes illius teſtimonium accommodes. Proinde neque mihi, neque, opinor, alteri ſententiam approbabis tuam. Quæ hoc ipſo præterea minùs eſt plauſibilis, quòd cum vetuſtiſſima traditione pugnat, in quam pænè omnes antiqui conſentiunt: qui Martio menſe Chriſtum eſſe paſſum exiſtimant. Reliquam vitæ Chriſti διαγωγὴν, & harmoniam tuam excutere, & omnis longum eſt, & minimè neceſſarium. Hanc eâ parte caſtiges cenſco, quâ priori illi ὑποθέσει de anno paſſionis innititur.

De Carthuſienſis ordinis primordio, déque horribili ſpectro redivivi, ac divino judicio damnati Canonici nihil alterutram in partem pronunciavi: ſed ea tantùm referre ſatis habui, quæ ab hiſtoricis tradita, vel omiſſa compereram. Quare non eſt quòd mihi quiſquam eo nomine ſuccenſeat. Te velim mei eſſe memorem in tuis apud communem Dominum precibus, ac ſacrificiis, & à me reverendis Patribus D. Priori ac D. Vicario ſalutem dicere. Lutetiæ Pariſiorum Prid. Cal. Maias CIↃIↃCXXXIV.

EPISTOLA XIII.

Mirum eſſe tibi viſum ſcribis me in libris de Doctrina Temporum Dekerii noſtri ſententiam de annis vitæ Chriſti, hoc eſt natali ipſius anno tenuiſſe; & hoc mihi eſſe conceſſum, quod olim negatum illi fuit, eam ut publicè poſſet expromere. Negandi porrò cauſſam hanc fuiſſe quòd à Baronii opinione diſſentiret.

Ego verò, ut ad capita ſingula reſpondeam, valdè miror, qui hanc ad aures tuas querelam detulerunt, non eos attentius animadvertiſſe, quis meus hac de re ſenſus eſſet, ac quid illis in libris ſuper ea quæſtione ſcripſiſſem. Non enim Dekeriana illic à me propugnata ſententia eſt; neque communis ac Baroniana deſtituta ratio; ac ne certa quidem à me propoſita eſt, quam præcipuè defenderem, ſed, ut in ambigua, & ancipiti controverſia; ita ſum verſatus, ut ejus ſtatum conſtituerem, ac quid utrimque diſputari ſoleret, afferrem in medium: ego neutri parti fautor apertè, ac ſuffragator accederem.

Communis annorum Chriſti computus, quo vulgò nos utimur, cujúſque nunc nonus ac viceſimus annus ſupra milleſimum & ſexcenteſimum agitur, cœpit ineunte anno Julianæ editionis quadrageſimo ſexto, Olympiadis CXCIV anno quarto labente, quo Conſules fuerunt Auguſtus XIV, & L. Æmilius Paulus. Ita Chriſtus natus fuerit antecedente anno deſinente, Cornelio Lentulo, & Calpurnio Piſone Coſſ. Hoc extra controverſiam eſſe debet, quod & noviſſimè Salianus noſter Annalium tomo ultimo ἀποδεικτικῶς oſtendit. Hoc unum de anno Chriſti natali in meis libris aſſeveranter poſui: cetera neutram in partem definita ſunt. Primus hoc ſæculo Dekerius annis quatuor antequam vulgaris iſta ratio ſumit ortum eſſe, ſub alieno nomine defendiſſe dicitur: alii biennio; alii quinque, ſex etiam alii annis anteverterunt. Ego, ne cui opinioni præjudicarem, ita ſum complexus omnes, ut quid cuique conſequens eſſet exponerem: nullam, ut dixi, peculiarem ſequerer ipſe. Mea itaque ratio hæc fuit, quam in fine diſputationis totius capite VI libri duodecimi pag. 228, explicavi; ſi Joſephi, ac Dionis auctoritatem admittimus abire non poſſe, quin aliquot annis vulgarem Chriſti natalem verus anteceſſerit: ſepoſitis verò ambobus illis, ac neglectis, communem Chriſti annorum compotum unica ratione poſſe defendi; quam pleniùs eo, quem indicavi, loco perſcripſi. Demum verò ita concluſi: *Aut igitur Hiſtoricis illis abroganda fides erit: aut quæ ex eorum narratione concluduntur, pro veris minimèque dubiis ampleſtenda.* Hæc eſt aſſenſum ac judicium inhibentis, non affirmantis oratio. Cui conſentaneum eſt Chronicon noſtrum. Ibi pag. 370 ad annum Julianum XLI adſcriptum eſt: ex calculo Joſephi, & Dionis Chriſtum natum videri anno illo. tum Baronianam, aliáſque ſuis quamque temporibus adnotavi. Quod meum conſilium non ſolùm reprehenſionis expers, ſed etiam neceſſarium fuit. Nam qui id mihi operis ſumpſeram, ut Chronologicas quæſtiones quàm poſſem accuratiſſimè pertractarem, nihil omninò, quod in unoquoque capite anceps, & impeditum foret, omittere debui: majore autem quàm in hac re factum eſſe dixi, uti æquitate non potui. Ac ſi quem noſtra de Joſepho, ac Dione cunctatio non delectat, utrumque contemnat, ſi lubet: & ad communem de natali Chriſti πρόληψιν, meam quoque ſententiam adjungat. Quamquam illa ipſa Baronianis à calculis, atque à vulgari computo diſſidens, & Chriſti natalem annis aliquot antevertens opinio, ut invidiam habuit, cùm eſt audita primùm: ſic hodie nullo periculo, palam ac liberè propugnari poſſe videtur: poſtquam eam Romanorum doctorum, ac Magiſtri ſacri palatii ſubſcriptio, atque auctoritas approbavit.

Etenim anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo-quinto, cum in hanc urbem Illuſtr. Card. Franc. Barberinus Legatus veniſſet, allatus eſt Româ, & eo jubente hic apud nos editus liber Marci Antonii Cappelli Franciſcani Conventualis, De cœna Chriſti ſuprema, déque præcipuis vitæ ejus capitibus. Quo in libro non ſolùm Dekerianæ illi ſententiæ patrocinatur auctor, ut ante quatuor annos quàm vulgò putatur, natus ab illo Chriſtus ponatur: ſed duos etiam, quod hactenus inauditum erat, adjungit: ſex, inquam, totis annis citiùs natum eſſe Dominum aſſerit, ut qui cùm ſcribebat, vulgò numerabatur milleſimus ſexcenteſimus ac viceſimus quintus, eumdem triceſimum primum ſupra ſexcentos ac mille putare non dubitet. Hoc unicum pænè eſt Diſſertationis illius argumentum, hic ſcopus, ut communem, ac Baronianam evertat æram; novam autem illam, & Dekeriana longè capitaliorem aſtruat.

Habes igitur quod querulis illis opponas. Nam neque anticipatrix illa natalis Dominici conjectura, Catholicæ, aut Romanæ fidei decretis contraria eſt; immo

ad

ad amuſſim cum ea conſentiens, ut Romanis ipſis approbatoribus placet: neque nos tamen hanc qualemcumque, tueri, ac ſequi volumus. Quorum alterutrum ad purgandum opus meum ſatis eſſe poterat: utrumque verò nullum in poſterum vel obtrectandi exteris, ac malevolis, vel noſtris mecum expoſtulandi locum debet relinquere.

Te ad extremum precor, ut me meáque omnia ſic amare, tueríque pergas, viciſſim te ut coli à nobis, amaríque confidas. Vale.

EPISTOLA XIV.

Gottifredo Vendelino V. Cl. Lovanium.

FREQUENS mihi de te ſermo (CL. VENDELINE) cum Heriberto Roſweydo noſtro per litteras fuit; cùm te is hominem Mathematicarum artium, & imprimis Aſtrologiæ ſcientia præſtantem eſſe diceret; idémque cùm ex aliorum fama didiciſſem; tum ex nupera tua lucubratione doctiſſima ſpécimen aliquod ipſe cepiſſem. Quæ res amorem in me primùm excitavit tui; tum notitiæ, conſuetudiniſque tecum ineundæ deſiderium accendit. De quo cùm ad Roſweydum noſtrum ſemel, iterúmque ſcripſiſſem; illius ſe conciliandæ ſequeſtrem, atque interpretem fore pollicitus eſt: ac nuperrimè id ut aggredi auderem, non hortatus eſt ſolùm; ſed eam rem tibi gratiſſimam fore ſignificavit. Neque verò genus illud mutuæ ſcriptionis perſequor, quod nihil admodùm, præter ſimplicem, & manem benevolentiæ, ac voluntatis oſtenſionem continet; cujuſmodi ferè quotidianarum epiſtolarum argumenta eſſe ſolent: ſed actuoſum, ac neceſſariis de rebus, præſertim quæ ad doctrinarum ſtudia pertinent, ſuſceptum. Id adeò verum ut eſſe cognoſcas, certis de Aſtrologia quæſtionibus initium à me huic litterario commercio dabitur: de quibus veterem mihi à te ſcrupulum, immò inſcitiam, eximi valdè cupiam.

Harum prima ſit illa de Lunæ diametris apparentibus; quarum in conjunctionibus & oppoſitionibus parem eſſe magnitudinem, omnes ante Tychonem Aſtrologi crediderunt, princeps omnium Tycho majores in oppoſitionibus eſſe, quàm in conjunctionibus animadvertit. Quæ res in defectionum Solarium æſtimanda quantitate magnam varietatem affert. Etenim ex Tychonis hypotheſi nunquam Lunæ interventu totus Sol obduci poterit. quod tamen ſecus interdum accidit. Nam & Sol totus aliquando defecit: & ejuſmodi à ſe viſum in Luſitania deliquium, Clavius anno Chriſti MDLX memoriæ prodidit; ut in libro de Optica Aſtronomica, capite VIII Keplerus affirmat. Taceo non pauca ſimilium exempla deliquiorum, quæ in Annalibus, & hiſtoriis non ſemel occurrunt. Quorum omnium damnare fidem temerarii hominis ſit; ne dicam impudentis. His de cauſſis Keplerus ille, quem dixi, Mathematicus hac ætate celebris, Tychonicæ opinioni tot ſæculorum, ſcriptorúmque teſtimonia, imprimiſque Clavii, non dubitavit anteferre. Verùm ut Tychonis auctoritate ſpretâ, τῇ τῶν ἀρχαιοτέρων ὁμαλίᾳ ſequamur; non minor quæſtio, ac difficultas orietur. Nam pleraſque conſtat Solis defectiones non *totales*, ut vocant, fuiſſe; quas integras vetus illa methodus exhibebit. Ne longè exempla repetantur. Anno ecce Chriſti MDCXXI, Maii XX ex Gregoriana recenſione, Sol defecit; non utique totus. Nam & Lutetiæ, ſub octavam horam (quo tempore maxima fuit obſcuratio) etſi Solis aſpectum turbidus, ac nebuloſus aër intercepit: non tamen caligo tanta exſtitit, ut integrum ſidus defeciſſe crederes. Qui autem Gergobinæ ad Elaverem. (Id oppidum eſt, quod Molinas hodie vocant, quódque ab Avarico Biturigum bidui ferè diſtat.) tum Fixæ Andegavorum deficientem Solem viderunt, beſſem circiter; aut; ad ſummum, dodrantem obſcuratum fuiſſe, teſtati ſunt.

At anno illo Chriſti MDLX, quem deſignavit Clavius, Tychonicæ diametri decem ferè digitorum eclipſin referunt. Equidem ſi ea voto meo res agatur, ac per Aſtrologiam veſtram liceat, priſcam illam τῶν ἀρχαιοτέρων ὁμαλίαν Tychonis regulis libenter antepoſuerim. Eſt enim rationibus noſtris, & hiſtoricis obſervationibus conſentanea magis. Cujus rei inſigne habes exemplum in illa Solis defectione; quam tum accidiſſe refert Herodotus, cùm Cyaxares cum Alyatte pugnabat: quam hactenus ab aſtrorum, temporúmque conſultis diu ac fruſtra quæſitam nos in annum Per. Jul. 4117, ineunte quarto Olymp. XLV, conjicimus: ut eſt in lib a. de Doct. Temp. cap 1. Hæc ipſa verò, ſi Tychonis abaco utimur, paullò plus dodrante colligit. ſin diametrorum æquabilitatem retines, longè major exiſtet.

Caput eſt alterum inquiſitionis noſtræ, ſuper æquatione temporis, quæ ad compenſandam dierum inæqualitatem aſſumitur. Nam Chriſtianus Longomontanus Tychonis diſcipulus lib. 1 Theor. cap. II, pag. 45, unicam cauſſam inæqualitatis illius retinuit; quæ ea obliquitate arcuum eclipticæ naſcitur: ejúſque tabulam ad Solares etiam motus accommodatam præbuit cap. III. pag. 59; damnatis reliquis, & ea maximè, quæ ex Solaris motus inæqualitate, & diſtantia ab apogeo petitur. Quod etſi naturæ ipſi, ἀποδείξει repugnare videtur: nos tamen ut tirones noſtros tricarum iſtiuſmodi moleſtia liberaremus, ſimplicem illam & παχυμερῆ Longomontani methodum in tabulis Pariſinis uſurpavimus. Tu velim quid ea de re ſentias, nobis explices.

Tertium, quod abs te ſciſcitari libet, in eodem opere de Doctrinâ Temporum libro VIII, cap. VIII propoſuimus p. 438, & 439. Ubi de Proſthaphæretico tempore non levis dubitatio animis noſtris inſederat: ecquid ad illius putationem verus horarius motus (quod hactenus Aſtronomi omnes fecerant) an medius (quod ſolus Mullerius præſtitit) adhibendus videatur. Tu velim, locum illum conſulas, & expendas. ubi tamen in paradigmate p. 439 error irrepſit in calculo latitudinis Lunæ. Nam pro 10, 19, 36′, 21″; ſcribendum, 5, 23, 33′, 36″.

Hæc ſunt, erudititiſſime Vendeline, de quibus conſulendum te modò putavi: ad quæ velim, quod tuo commodo fiat, pro tua humanitate, prudentiáque reſpondeas.

Nos Diatribam de Diluvio tuam in dies exſpectamus. De quodam Ciceronis loco Roſweydus neſcio quid indicavit. Ego verò de hujus loci ſententia non valdè tibi repugnem: de Olympiadum verò tempore novæ illi, quam contra ſcripſimus, opinioni nullo modo conceſſerim: &, niſi fallor, ἀπόδειξιν, cujuſmodi in iſtiuſmodi eſſe poteſt, communem ſententiam adſtruximus. Vale, méque tuis apud communem Dominum precibus, ſanctiſque ſacrificiis commendatum habe. Lutet. Pariſiorum. Octobris aaii. A. MDCXXVII.

EPISTOLA XV.

Gottifredo Vendelino V. Cl. Antverpiam.

SATIS longam epiſtolam tuam perbrevem fecerunt tot illa condimenta primùm doctrinæ multiplicis, ac reconditæ; tum æquitatis, ac φιλαληθείας: cujus cùm in ceteris partibus, tum in ea præſertim, quæ de tempeſtate Olympiadum erat, jucundiſſimam ſignificationem dediſti. Ibi enim, etſi contrà, atque ego, ſentires, ſic opinionem affirmaſti tuam, noſtræ ut nihilominus rationem haberes: & conciliatorem te partis utriuſque, quàm alterius oppugnatorem eſſe malles. Ego verò, cùm in altero vinci abs te me patiar: alterum certè imitando conſequar; pari ut æquitatis in diſputando, ac veritatis tibi amore reſpondeam. Quod ipſum eâdem ab illâ, quam poſtremam in epiſtolâ tuâ poſuiſti, Olympiadum quæſtione ὕστερον πρότερον aggrediar.

Scribis de Olympici ludicri καιρῷ diſſenſionem noſtram ita poſſe componi ſi id conſtituatur; Iphiti ſæculo Solſtitium æſtivum celebrandis iis ludis eſſe delectum: poſteà verò, paullatim prolabentibus Neomeniis, ſub ætatem Xerxis, ſolidis duobus menſibus peſſum epocham iſſe, & ad Parthenonem à Carcinone migraſſe, ibi, ne ulteriùs excurreret, Metonis enneadecaëteride, quaſi injecto freno, eſſe cohibitam. Hoc ſi ritè abs te probetur; viceris ſanè: ego in tuam ſententiam ſponte diſcedam.

Duo ſunt omninò, quibus illud efficere ſtudes, argumenta: quorum alterum Herodoti, ac Thucydidis comparatis inter ſe teſtimoniis; alterum Philoſtrati auctoritate nititur. Herodotus imprimis libro ſeptimo, per id tempus refert, quo Leonidas cum trecentis Spartanis, ceteriſque ſociis ad Thermopylas occupandas profectus

fectus eſt, Lacedæmonios, reliquas ſuas, ſociorúmque copias cogere in unum ſtatuiſſe celebratis Carniis, & Olympiis: quorum tempus amborum in hæc negotia commodùm inciderat. Rurſus idem Herodotus octavo libro: Olympia jam, inquit, & Carnia præterierant, cùm nunciata clade Leonidæ, Iſthmus muro vallaretur. Igitur in unum eumdémque menſem Carnea, & Olympia cadebant. Atqui Carneus menſis: quem utique ſic appellabant, quòd in eo Carnia peragebantur, extremus æſtivorum fuit, ut libro v. Thucydides docet. Ergo & Olympici agones in tempus exeuntis æſtatis incubuerunt.

Alterum teſtimonium ex Philoſtrato ſumitur, qui Apollonium ſcribit ſub initium autumni in Græciam navigaſſe, atque ad Olympia veniſſe. Hæc ſunt cauſſæ tuæ firmamenta præcipua: quæ nos tamen de ſuſceptâ ſententiâ dimovere non poſſunt. Etenim primùm illud de Carneis eam vim habet, opinor, non ut Olympia cum Carneis autumni initio; ſed ut Carnea cum Olympiis per illud tempus æſtare, hoc eſt, ſub ipſum Solſtitium, celebrata fuerint. Nam quòd Olympicus agon ſeptuageſimus-quintus, in quem Xerxis expeditio convenit, longè ante cardinem autumnalem, adeóque æſtiva tempeſtate, commiſſus fuerit, teſtis eſt Herodotus. Scribit is octavo libro, navale Perſarum ad Artemiſium certamen media æſtiva tempeſtate contigiſſe. ἦν μὲν τὸ ὥρης μέσον θέρος. At ſubinde Olympica ludicra commiſſa docet idem pag. 298. Quippe poſt Leonidæ, Spartanorúmque cladem, navalis ad Artemiſium pugna conſeritur. Secundùm hanc Perſica claſſis ab Artemiſio in Hiſtiæum appulit. Xerxes verò, cùm ad Thermopylas viginti Perſarum millia cecidiſſent, Græcorum quatuor millia; ne tantæ ſuorum ſtragis indicium exſtaret, ac terrore ceteros impleret; mille tantum relinqui; reliqua omnia cadavera humo juſſit obrui. Inde ſocios claſſiarios ad ſpactaculum excivit: quibus longè pauciores Perſas, quàm Græcos occubuiſſe vaniſſimo commento perſuaderi voluit. Interim transfugæ ab Arcadia veniunt ad Perſas. qui percontantibus quid rerum Græci tunc agerent, reſponderunt, illos Olympicis ludis intentos eſſe. Quocirca cùm prælium ad Thermopylas paullulùm μέσον τὸ θέρος antecesſerit; quo tempore ferè ad Artemiſium pugnatum eſſe dicit Herodotus: Olympia verò non multò poſtea celebrata ſint; cùm cæſorum cadavera adhuc inſepulta jacerent: quis non videt mediam circiter æſtatem Olympicos ludos occupaſſe?

Atenim Carnea eodem ferè tempore, quo Olympia, peracta ſunt. Fateor. ſed vel ſtatione ſua dimoveri menſis iſte potuit, annali quapiam, uti fit, interveniente labe: vel Carnea conceptiva fuerint; ut apud Romanos Latinæ feriæ: vel ejuſmodi aliquid ignotum nobis acciderit, ſive iſto anno; ſive altero, quem Thucydides deſignat. Ut ambiguum ſit, æſtivum tempus, an autumnale, propria, & naturalis Carnei menſis ſedes fuerit, à quâ nonnumquam alienam in tempeſtatem ſeu lunaris calculi vitio, ſive de induſtria migraverit. Nam quod ad ordinarium illius ſitum attinet; cùm Plutarchus in Nicia Καρνεῖον μῆνα apud Syracuſanos Attico Metagitnioni reſpondere dicat; videtur & apud Lacedæmonios idem illi tributus eſſe locus: à quo tamen interdum in anteriora, vel conſequentia promoveri potuit.

De Philoſtrato, ſi attentè legeris, næ tu aliter ſenties. Non enim Apollonius Olympiadicorum certaminum tempore, aut ad eam celebritatem affuit, cùm ex Italia fugeret; ut interpretaris: ſed in Olympiam, id eſt, locum ipſum pervenit, ubi agones illi committi ſolebant. Quibus cùm Græci perfuncti jam eſſent, & in patrias ſuas revertiſſent; ſimulatque nunciatum eſt eò Apollonium ex Italia veniſſe: tam inuſitatæ rei fama concitati; tum illius videndi, audiendique ſtudio permoti, frequentes accurrerunt. Itaque Philoſtr. lib. VIII, c. VI non illum dicit εἰς Ὀλύμπια veniſſe, ſed ἐς Ὀλυμπίαν. In quo Latinus interpres haud probè, qui identidem, *in Olympia* vertit: vel *ad Olympiadem*.

Sane cùm capite VII importunum juvenem Domitiani ſautorem ita compeſcit, πέμπτον Ὀλυμπιάσιν ὑπὲρ τὸν ἐρωτῶν, non minus, Ὀλυμπιάσι pro loco ipſo, atque adeò pro Ὀλυμπίᾳ, uſurpari cenſeo. Siquidem, ut eodem capite planus iſte dicit, πανήγυριν non ſolum τὴν τῶν ἀνθρώπων σύνοδον, ſed etiam locum ipſum ſignificat.

Unus eſt Ciceronis locus, qui opinioni tuæ favere videtur. Hic enim lib. XVI epiſt. ad Att. epiſtola VII gratulatur ſe, cùm VII Eid. Sext. à Leucopetra profectus eſſet in Græciam, Auſtro vehementi ad eamdem Leucopetram rejectum, ne ad Olympia navigaſſe putaretur. Hoc ut ad mentem tuam interpretemur, nempe in Auguſtum Olympia ceciderint. Hecatombæon Calippicus cœpit anno illo; qui Julianus ſecundus, periodi Calippicæ quartæ quinquageſimus nonus fuit; die XVI Julii, feria v. Proinde Metagitnion Auguſti xv. Exeunte ergo Sextili agones in Olympia celebrati ſunt, ſi in Plenilunio id actum ſit; non Boedromione. ſed de Ciceronis loco illo ampliùs cogitandum. Etſi probabile eſt, Olympicos ludos certis de cauſſis, velut ob tempeſtates, aut peſtilentiam, aut id genus alia, in unum, vel etiam alterum menſem rejectos fuiſſe. Quippe qui in ſequentem etiam annum dilati quandoque fuerint: quod Neronis tempore, eodem jubente accidit. Sed de Olympico ludicro nimiùm multa: nunc ad μηνιαί-ων pergamus.

De ſemediametris lunaribus penè perſuaſus ſum: præſertim ſi Tychonicis detrahatur aliquid. quas uno plerumque ſcrupulo longiores eſſe Longomontano videtur lib. I Theor. pag. 174. Poterit ad hanc controverſiam dirimendam operæpretium aliquod facere Solis illa defectio, quæ anno M. DC. XXX, Julii x continget. Hanc enim integram æquabilium ſemidiametrorum methodus exhibet. Tychonicæ verò digitorum plus minùs XI, 20′.

De temporis perequatione vereor ut obtinere poſſis. Nam ut propter ſigniferi λοξότητα dierum anomaliam incidere, vincit ratio: ſic ex inæqualitate Solaris ſub ecliptica motus, quam ἐκκεντρότης efficit, inæquales oriri dies, non minùs illa perſuadet. Eſto enim, exempli cauſſâ, Sol vero ſitu in Arietis puncto; ſitque proſthaphæreſis adjicienda graduum 2, 2′, 0″. Medium æquinoctium erit in gradu Piſcium 27, 58′, 0″. Gradus 2, 2′, diurno motu minuta horaria poſtulant 8′, 8″. quibus apparens tempus medio majus eſt. atque idcirco de æquabili tempore ſcrupula totidem auferenda ſunt, uti κανονικὸν, & apparens exiſtat. Atenim ex accuratiſſimis tuis obſervationibus ſupervacaneum id eſſe genus æquationis aſſeris.

Verùm aut in tabulas tuas, aut in epocham, ſive radicem conferri culpa poteſt; quarum alterutris pluſculum attributum ſit. Quidvis denique potiùs affirmandum videatur, quàm ut evidentiſſimæ ἀποδείξει fidem abrogemus. Sed de obſervationibus tuis paullò pòſt. Antequam à peræquandi temporis ratione diſcedam, unum abs te ſciſcitabor, quid de Ptolemaïca, ceterorúmque πράξει hoc in negotio ſtatuendum putes: qui non minùs epochæ, ſive radicis, quàm propoſiti temporis, medios motus, & aſcenſiones rectas colligi jubent, ac priores è poſterioribus ſubtrahi. Atqui radicis tempus, cùm æquabile ferè ſit, non φυσικὸν, peræquationem nullam deſiderat, quæ hac illi methodo tribuitur. Nonne breviùs ac certiùs eòdem pervenire licet, ſi propoſiti tantummodò temporis medii motus, aſcenſionéſque rectæ inter ſe conferantur? Hoc tu mihi velim reſpondeas.

Ut ad obſervationes tuas modò veniam; valdè in iis multa ſunt, quæ me movent. Has enim ad Pariſinas tabulas noſtras diligenter exegi: de quibus tabulis pauca quædam commemoranda ſunt. Cùm igitur ad has condendas modum lunaris anni Prutenicum cum ejuſdem generis, hoc eſt Prutenicarum tabularum epocha, ſive radice tam epactarum, quàm anomaliæ lunaris aſſumpſiſſem: quarum illa Tychonica major eſt ſcrupulis horariis 18′, 39″: hæc ſcrupulis ferè 12′ gradus unius, animadverti poſtea ſatius eſſe Tychonicam utrobique epocham ſive radicem adhibere. Quod ex poſtrema illa lunæ defectione potiſſimùm didici, quæ Januarii XX hoc anno commiſſa eſt. Hanc enim Pariſinæ tabulæ citiùs reddunt, quàm reipſa deprehenſa fuerit. Nam ejus medium conferunt in horam 9, 6′ poſt meridiem. initium hora 7, 5′. moræ initium hora 8, 12′. finem moræ hora 9, 48′. Duratio moræ hora 1, 36′. Toti eclipſi competunt horæ 3, 50′. Tychonicæ quoque tabulæ medium ejuſdem hora 9, 6′. reddunt in meridiano Pariſienſi: cetera itidem ut noſtræ. Danicæ quoque tabulæ Longomontani eodem cum Tychonicis momento repræſentant. Alphonſinæ veræ ſyzygiæ momentum hora nona, 11′, 16″. Atqui longè poſt illa tempora vera oppoſitio contigit. Sanè intercurrentibus identidem nubibus, & lunæ, ſiderumque proſpectum eripientibus, ſolum

obſcurationis

obſcurationis initium, ac moræ; neutrius verò finis accuratè deprehendi potuit. Videtur itaque illius initium ſub horam à meridie ſeptimam, 30′ incurriſſe. Nam alius 7, 27′; alius 7, 35′ notavit. Eſt in hac urbe peritiſſimus quidam obſervandi artifex, & affabrè factis, atque exquiſitis inſtrumentis præditus, qui τήρησιν ſuam nobiſcum communicavit. In ipſo puncto ingreſſionis in umbram Caniculæ altitudinem obſervabat Gr. 28, 3′, 20″. initio moræ Gr. 36, 20′. Paullò poſt finem deliquii (nam moræ exitus prorſus animadverti non potuit) altitudo erat Arcturi Gr. 9, 30′. Ex quibus initium eclipſis congruere videtur in horam 7, 35′. Moræ initium hora 8, 35′. Finis deliquii totius hora 11, 7′. Quæ omnia non ſolùm à Pariſinarum; ſed etiam Tychonicarum, & Alphonſinarum tabularum ψηφισμοῖς nimiùm diſtant. Ob id Tychonicam radicem Prutenicæ anteferendam cenſui. Ad hunc modum recenſitis Pariſinis tabulis, rurſum deliquii iſtius epilogiſmum ad calculos reduximus. Eſt autem longitudo Pariſienſis grad. circiter 24, 25′. Initium itaque defectionis ſub horam cadit à meridie 7, 23′, 11″. Moræ initium hora 8, 29′. finis moræ hora 10, 7′. finis eclipſis hora 11, 13′. In illa deſcriptione, quam in calcem libri VIII de Doct. Temporum conjecimus, quædam per imprudentiam ſunt notata præpoſterè. Cum enim proſthaphæreticum tempus ſubtrahendum eſſet horarum 5, 37′; idque de media ſyzygia, id eſt hora 2, 50′ poſt mediam noctem eximendum eſſet; uti reliquæ fierent horæ 9, 24′. nos pro 9. horis, 8 ſcripſimus. quæ labes in cetera redundavit. Ita cùm dimidiæ durationis ſcrupula ſint 62′, & motus horarius 32′, ex quo ſcrupulis 62′ competit hora 1, 56′. nos horam 1, 40′ attribuimus. Hæc igitur caſtiganda ſunt. Spero ad illum, quem dixi modum, conformata radice, omnium, quæ quidem exſtant hodie, Pariſinas tabulas exquiſitiſſimas fore. Ceterum ad recentiorem illum epilogiſmum, utramque temporis æquationem aſſumpſimus. Quòd ſi alteram, quam cum Longomontano detrahis, abjudicaſſem, quæ 4′ ferè ſcrup. colligit, enimverò propiùs ad obſervationem ratio noſtra perveniret. Age verò quemadmodum cum obſervationibus tuis tabulæ iſtæ conſentiant, periculum faciamus. Tres ſunt à te propoſitæ Lunæ defectiones: quarum prima anno M. DC. XVI Romæ, ut ais, inventa fuit hora 3, 20′ poſt mediam noctem. ſecunda Bethaſiis obſervata eſt anno MDCXXIV, Sept. XXVI; cujus medium incidit in horam 8, 20′ à meridie. tertia denique anno MDCXXV eodem in loco deprehenſa eſt hora 1, 32′ à media nocte Martii XXIV. Ex iis Lunæ defectionibus, media cum abaco noſtro admirabiliter convenit: reliquæ duæ plurimùm abhorrent: poſtrema maximè. Subjiciam è Pariſinis tabulis trium illarum calculum: ut de re tota certius poſſit à te fieri judicium.

Calculus plenilunii ecliptici, quod anno MDCXVI *contigit Auguſti* XVIII.

Plenilunium medium incidit Lutetiæ hora 7, 37′, 15″ à media nocte diei 18 Aug. ad quod tempus ii motus conveniunt.

Longit. Solis *M. Sec.*	*Anom. Solis* *M. Sec.*
5. 5. 52. 1	1. 29. 52. 32
Anom. Lunæ *M. Sec.*	*Motus Latitud.* *M. Sec.*
6. 30. 20. 54	11. 26. 38. 16

Proſthaphæreſis exactiſſima Solis eſt 1, 44′, 1″ S. Lunæ 0. 41′. 27″. A. Summa proſthaphæreſeon 2, 25′, 28″, quæ horas efficiunt 4, 46′, 26″ ſubtrahendas; ut ſit Plenilunium verum tempore communi. Lutetiæ commiſſum eſt hora 2, 50′, 49″ à media nocte. Romæ verò hora 3, 40′, 49″. Æquatio temporis eſt 40″ S. Plenilunium ergo hora 3, 40′ præciſè.

Calculus Plenilunii ecliptici, quod anno MDCXXIV, *Sept.* XXVI, *accidit.*

Media oppoſitio cadit in Sept. XXVII, hora 8, 43′, 54″ ſi radicem Prutenicam aſſumimus: ex Tychonicâ verò, hora 9, 2′, 43″ Lutetiæ. Bethaſiis, hora, ut opinor 9, 11′, 13″. Quamvis enim Bethaſiorum tuorum longitudo minimè abs te concipiatur; tamen ita ratiocinabar: quoniam tabulæ Prutenicæ Lovanienſem meridianum horæ 1, 24′ intervallo diſtantem faciunt occidentem verſus à Monte regio Boruſſiæ; meridianus porrò Lutetiæ hora integra cum ſcrup. 31′ occidentem verſus ab eodem meridiano remotus eſt, conſequens eſſe, uti 7′ horariorum ſcrupulorum diſcrimen ſit inter Lovanienſem & Pariſienſem; ſi hic graduum in longit. 24 præciſe ponatur, quòd ſi graduum ſit 24, 25′, ut Longomontano placet, diſtabit ſcrup circiter 5′. Quamobrem, cùm Bethaſii tui ſex Brabanticis leucis ad orientem diſtent Lovanio: quæ horaria ſcrupula colligunt 1′, 30″ circiter, ex eo ſit ut Lutetia diſtet à Bethaſienſi meridiano, ſi grad. ſit 24; hora 0, 8′, 30″. quibus ad horam 9, 2′, 43″ adjectis, efficitur oppoſitio media Bethaſiis hora 9, 11′, 13″. ad quod tempus hi ſunt medii motus.

Longitudo Solis *M. Sec.*	*Anom. Solis* *M. Sec.*
6. 6. 32 27	3. 0. 23 38
Anom. Lunæ *M. Sec.*	*Motus Latitud.* *M. Sec.*
8. 11. 49 5	6. 3. 41 31

Proſthaphæreſis exacta Solis 2. 2′. 42″ S. Lunæ 4, 23′, 32″ A. Summa, 6, 36′, 4″ horæ 13 præciſè, ſubtrahendæ. Plenilunium verum Bethaſiis Sept. XXVI, hora 8, 11′, 13″ à meridie. Medius motus in longitudinem Solis tempore veræ ſyzygiæ eſt 6. 6. 0′. 25″ Verus 6. 3. 57′, 43″. Aſcenſio recta veri loci, 6. 3′, 37″. Differentia medii motus & aſcenſionis, grad. 2, 23′. quibus competunt horaria ſcrup. 9′, 32″. Quoniam aſcenſio recta minor eſt medio motu, ideo adjicienda eſt æquatio temporis ad commune tempus. Oppoſitio itaque vera phyſico tempore contigit Bethaſiis hora 8, 20′, 45″ à meridie. Motus latitudinis medius tempore veræ Oppoſitionis 5, 26, 31′, 33″. Verus autem 6, 1, 44′, 55″. Latitudo vera auſtralis, 5′, 40″. Lunæ ſemidiameter eſt 16′, 19″. Umbræ caſtigata, 45′, 5″. Summa ſemidametrorum, 61′, 24″. Scrupula incidentiæ 61′, 7″. Scrupula moræ dimidiæ, 28′, 2″. Motus horarius verus 31′, 24″. Ergo dimidia duratio poſtulat horam 1, 51′, 47″. Dimidia mora hor. 0. 51′, 47″.

Initium eclipſis hora	6, 28′, 58″
Moræ initium hora	7, 28, 58
Medium eclipſis hora	8, 20, 45
Finis moræ hora	9, 12, 32
Finis eclipſis hora	10, 12, 32
Tota duratio moræ hora	1, 43, 34
Tota defectio tenuit hor.	3, 43, 34

Ex tua delineatione.

6. 28′ 0″	Poſt meridiem Sept. 26
7. 30 0	
8. 20 0	
9. 10′ 0″	
10. 12′ 0″	
1. 40 0	
3. 44′ 0″	

Calculus Plenilunii ecliptici, quod incurrit in annum MDCXXV, *Martio menſe.*

Plenilunium medium Lutetiæ contigit Martii XXIII hora 13, 26′, 51″, à media nocte. Bethaſiis hora 13; 35′, 21″.

Longit. Solis *M. Sec.*	*Anom. Solis* *M. Sec.*
0. 1. 11. 52	8. 25. 1. 33
Anom. Lunæ *M. Sec.*	*Motus Latitud.* *M. Sec.*
2. 16. 55. 5	0. 7. 42. 54

Proſthaph. exquiſita { ☉ 2, 2′, 47″ A / ☽ 3, 55′, 24″ S.

Summa 5. 58′, 11″. Horæ 11, 45′ A.

Oppoſitio vera contigit Bethaſiis hora 1, 20′, 21″ diei XXIV Martii. Motus medius Solis 0. 1, 40′, 41″.

Verus, o, 3, 43′, 26″. Aſcenſio recta veri loci gr. o. 3, 24′. major eſt motu medio gr. 1. 43′. quibus competunt horaria ſcrup. 6′, 52″. S. Plenilunium phyſico tempore Bethaſiis acciderit hora 1, 13′, 29″. Motus Latitudinis medius o. 14, 11′, 17″. Verus, o. 10, 16′, 9″. Latitudo vera 53′, 8″. Summa ſemidiametrorum 59′, 10″. Ergo eclipſis fuit digitorum 2, 13′. Scrupula incidentiæ 26′, 2″. Motus horarius 29′, 52″. Poſtulat igitur incidentia, horam o. 52′, 2″.

Initium eclipſis Bethaſiis	hora	o. 21′, 27″
Medium	hora	1. 13, 29
Finis	hora	2, 5, 31
Duravit	horam	2. 44, 4.

At ex epilogiſmo tuo

Initium hora	1	4′	à med. noctis diei 24 Martii
Medium hora	1	32	
Finis hora	2	o	
Duravit horam	o	56	

Ex his Pleniluniis ſecundum cum obſervatione tua paria facit; prorſus ut admiranda ſit tam exacta concordia: primum, & tertium magnoperè diſcrepant. Illud ſcrup 20′. iſtud initio ſcrup. 42′. 33″. in medio ſcrup. 18′. 31″, in fine ſcrup. 5′. 31″. Quamobrem dubia mihi eſt obſervatio: vel in litteris tuis erroris aliquid irrepſit. Primum quia veriſimile non eſt tantulo tempore tranſactam fuiſſe, ut horam non expleverit. Deinde quia Tychonicæ tabulæ longiùs etiam ab obſervatione quam Pariſinæ, recedunt. Nam oppoſitionem veram conterunt in horam 1, o′, 35″. Unde initium cadet in horam o, 8′, 33″. Diſcrimen hujus & obſervationis, ſcrup. 55′. 27″, quod immane eſt. Vide ſis igitur, amabo te, ecquid te adverſaria tua fefellerint. ac, ſi ita videtur, ſummam τηρήσεως, id eſt altitudines ſtellarum aliquot abs te per illud tempus notatas adſcribito; tum medios ipſos motus ex tabulis tuis expromptos. quæ quidem cujuſmodi ſint ſcire admodum cupiam. Mirum enim eſt, quod tu ſcribis, citra æquationem dierum, accuratiſſimè momentum obſervationis ex illis eſſe confectum. Velim & eclipſeos noviſſimæ hoc anno conſpectæ modum, ac rationem perſcribas. Neque enim acerrimos oculos tuos etiam tenebris obducta Cynthia latere potuit.

Ad extremum de Gemino quod percontaris; ſcito me initiò cùm Opus illud de Temporum Doctrina meditarer Chronicon nullum, hoc eſt τὸ τῆς τέχνης ἀποτέλεσμα, conficere, atque adjungere voluiſſe. Sed Appendicem Scriptorum aliquot maximè Græcorum, qui de Computiſtica methodo, & iſtiuſmodi argumento dignum aliquid edidiſſent: quorum penes me copiam nonnullam habebam. Inter hos Gemino locum ſuum deſtinaveram; cujus tum liber ad manum erat ex bibliotheca Thuana. Nam alterum exemplum nullo pretio comparare poſſis. Neque enim Lutetiæ, quod equidem ſciam, exſtat aliud. Verùm Typographi rationes conſilium meum omne diſturbarunt. Hic enim Chronologicum à me ſpecimen improbe flagitarit: quod in calcem operis conjectum cum majorem in molem poſteriorem tomum exaggeraſſet, viſum eſt prius illud in aliud tempus rejici oportere. Eſt autem, quoniam & hoc ſcire voluiſti, Geminus Græcè, Latinéque Lugduni Batavorum editus anno 1603, quam editionem ſecundam oportet eſſe: nam ab Scaligero diu ante hoc tempus laudabatur Geminus. Auctor eſt eximius, & à me diligentiſſimè perlectus: cujus, uti dixi, novam ἔκδοσιν non deſpero. Tu de Hipparcho tuo ſedulò fac cogites: de cujus verſione nihil comperi. Vellem & Theonis εἰς τοὺς προχείρους κανόνας liceret adjungere. qui ἀποθεωρίαν omnem Solis ac Lunæ complectitur, & in pleriſque bibliothecis cum blattis, tineiſque conſligit. Sed à typographis ægrè illud exprimas: qui in librorum editione non bonitatem, ſed compendium æſtimant. Gaudeo tamen te Hipparcheum tuum φιλοτίμημα reperiſſe cui tandem induceres. Nihil abs te prodibit, niſi te, tuáque quam unicè veneror, & exoſculor, ſcientia, & eruditione dignum. Vale. Dominus te litium, ac forenſium tricarum laqueis expeditum quàm diutiſſimè ſalvum, & incolumem nobis, ac communibus litteris conſervet. Ego id abs te viciſſim, poſtremóque petam, uti mei ſanctiſſimis tuis in precibus ſacriſque memineris. Lutetiæ Pariſiorum VI Cal. Martias A. CIƆIƆCXXVIII.

EPISTOLA XVI.

Gottifredo Vendelino V. Cl. Bruxellas.

PAULLÒ poſtquàm poſteriores tuas accepi, allatus eſt mihi ex Hiſpania liber, contra ea, quæ de anno Græco, & aliis quibuſdam primo de Doctrina temporum libro diſputaveram, editus à Juriſconſulto neſcio quo: qui laureolam ſibi ex hoc muſtaceo quæſivit. De quo quid ſentiam, non eſt hujus loci dicere. Cujus autem gratiâ iſta retuli; conjicere potes, quàm cupidè quicquid erat libri devorarim. Itaque ſepoſitis tantiſper curis ceteris, in id intentus unum, penè ſum tuarum litterarum oblitus. Acceſſit & commotiuncula quædam ex ποδάγρᾳ, quæ me dies aliquot primùm lectulo; deinde cubiculo affixit. Inter has moras exciderunt mihi litteræ tuæ: quas ut reperirem, excuſſi ſcrinia omnia, omnes forulos, & chartas. Nec is tamen laboris ſucceſſus mihi, qui Evangelicæ viduæ amiſſam drachmam requirenti, fuit. Quare quod à me litteris iſtis petieras: (nam petiiſſe te neſcio quid memini) hoc, quia cujuſmodi ſit neſcio, perficere modò nequeo. Poſthac verò, ſi eas litteras nactus fuero, aut ſi eadem denuò reſcripſeris, effectum dabo. Tametſi litteris iſtis minimè exſpectationi reſponderas meæ. Dederam enim anteà longiſſimas: quibus & ad ea, quæ in prioribus tuis poſueras, accuratiſſimè reſpondebam: & alia præterea percontabar: de quibus miror te mentionem feciſſe nullam. Nam illas ad te perveniſſe certis auctoribus comperi. Unum eſt, quo querelam noſtram paulùlum ſuſtines; quòd poſtremas, quas amiſi, properanter exaraſti. Hoc enim in illis recordor fuiſſe. Quam tu quoque ceſſationis meæ cauſſam ad ſuperiores adſcribas licet. Nam & pleniorum à te litterarum exſpectatio pigriorem me fecit. cui tu, quando voles, facies ſatis. Voles autem, ſi nos & litteras noſtras amas, quàm primùm erit commodum. Rodolphinæ tabulæ à Keplero editæ ex Tychonis doctrina prodierunt. De his quod tuum ſit judicium aveo ſcire. Vale interim, méque, ut cœpiſti, & amare, & communi Domino commendare perge.

EPISTOLA XVII.

Gottifredo Vendelino V. Cl. Bruxellas.

MOVEBAR aliquantulùm ceſſatione tua, quòd cum longiores ad te litteras dediſſem, variiſque de rebus percontatus eſſem, nihil abs te viciſſim exiret, præter perbreves illas; quibus, quaſi meas nondum vidiſſes, quas tamen datas tibi conſtabat; alia omnia perſcripſeras. Sed extra culpam fuiſſe te, allatæ poſtremò pleniores litteræ tuæ fidem fecerunt: quas Maio menſe abs te datas Septembri exeunte circiter accepi. Id quemadmodum, ac cujus culpâ contigerit, melius de eo cognoſces, cui perferendas ad nos tradideras; quàm ego ab ignoto homine ſcire potui, qui mihi neſcio quò properans obiter eas in manum dedit.

Verùm quò diutiùs exſpectatæ ſunt, eò deſideratiores, ac jucundiores tarditate ipſâ fuerunt. Itaque non eas ſolùm cupidè legi: ſed legendas etiam obtuli doctis hominibus, qui hic ſunt, in eo ſcientiæ genere, cujus tu hodie principatum tenes cumprimis eruditi. quibus vehementer illa tua in obſervando fides, & induſtria probatur. Ac ſunt alii, qui earum ſibi copiam à me fieri magnoperè cupiunt: quod eò diſtuli, ut illas relegens ipſe, ac coràm intuens, ad ea, quæ ſcribis, reſponſionem noſtram accommodare poſſem. Ac cùm duo ſint illarum capita; alterum de Olympiacorum certaminum tempore; alterum de obſervationibus, & eclipſibus; poſterius hîc quidem omittetur à nobis; quod nec ad inquirenda iſta ſatis otii nunc habemus; neque propter ejus feſtinationem, cur haſce committimus, longiores eſſe poſſumus.

Tua itaque ratio eſt; Olympicos agones videri autumno potiùs, quàm æſtate commiſſos eſſe. Quod ex Polybii primùm auctoritate confici putas. Hic enim libro V, pag. 378 edit. Græcolat. profeſſus eſt, ſe ab

Olympiade cxl hiſtoriam ordiri ſuam. tum lib. v pag. 330, peracta æſtate Olympiadis iſtius annum primum exiiſſe dicit eo tempore, quo Saguntum Hannibal expugnavit. Id autem autumno contigit. Quare annus primus Olympiadis autumno deſiit. Hoc tuum eſt argumentum. Mihi verò nihil inde concludi videtur aliud, quàm Polybium ab autumno annorum ſuorum initia cœpiſſe. quod ultrò concedimus. Atqui de ludis ipſis agimus, non de civitatum popularibus annis, quos earum pleræque, poſt Macedonum, ut opinor, dominatum, ab autumno repetierunt: ſic ut anno tetraëteridis illarum deſinente quarto, ludi in Elide peracti ſint: primus poſt confectos agones proceſſerit. Hanc rationem putandorum annorum adhibitam à Polybio perſuadet illud, quod Saguntinum excidium, & Hannibalis in hiberna profectio incidit in φθινόπωρον ejus anni Juliani, quo ab æſtivis diebus annus Olympiadis cxl ſecundus inierat. In quo dignum illud eſt obſervatione, quod ex eodem Polybio collegiſſe mihi videor; Achæos, cùm à verno tempore, vel ineunte æſtate, hoc eſt ortu Vergiliarum, annos hactenus auſpicati eſſent: paullò ante Polybii tempus, inſtituiſſe ab autumno numerare. Etenim Polybius, cùm de Achæorum popularis anni principio, vel fine loquitur, particulam τότε adjicit; vel per tempus illud ita computatos annos fuiſſe ſignificat. Sic initio libri v. τὸ μὲν οὖν μετὰ τὴν Ἀράτου τοῦ νεωτέρου στρατηγίαν ἔτος ἐτύγχανεν διεληλυθὸς περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν. οὕτω γὰρ ἦγε τοὺς χρόνους τὸ τῶν Ἀχαιῶν ἔθνος. Circa Vergiliarum ortum annos tunc inchoabant Achæi. quod Maio circiter exeunte ſæculo iſto fiebat, initio Geminorum. Item libro v, pag. 305 loco illo, quem affers, bis adverbium τότε poſuit. Nam de Arati magiſtratu loquens, ὁ δὲ χρόνος, ait, αὐτῷ τῆς ἀρχῆς μάλιστα ΤΟΤΕ πῶς διῄρητο. τὰς γὰρ ἀρχαιρεσίας Αἰτωλοὶ μὲν ἐποίουν μετὰ τὴν φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν εὐθέως. Ἀχαιοὶ δὲ ΤΟΤΕ περὶ τὴν τῆς Πλειάδος ἐπιτολήν. Mox, ἤδη δὲ τῆς θερείας ἐνισταμένης, καὶ μεταλλάξαντος Ἀράτου τοῦ νεωτέρου τὴν στρατηγίαν, ἅμα πάντα τὰ πράγματα τὰς ἐπιβολὰς ἐλάμβανε, καὶ τὰς ἀρχάς. Tunc ait Achæos ab ortu Vergiliarum annum incepiſſe, θερείας ἀρχομένης; meſſis ineunte tempore, hoc eſt æſtate. quod miror à te redditum, *peracta æſtate.* Cùm igitur τότε ab ortu Pleïadis annum exorſos eſſe populares ſuos dicat; ſatis oſtendit, aliud cùm iſta ſcriberet, anni principium uſurpaſſe. idque adeo circa Vergiliarum occaſum; quomodo Ætolos ex antiquo feciſſe teſtis eſt non uno loco Polybius. Ita verum erit utrumque, tam Polybium annos hiſtoriæ ſuæ ab autumno cœpiſſe, quàm Olympicos ludos in æſtatem mediam incidiſſe.

De Halicarnaſſenſi, & menſibus illis quatuor reſiduis ad explendum annum illum, quo reges Urbe pulſi ſunt; mihi cum Onufrio convenit. de quo habes libro x de Doctrina temporum, cap. xxii.

Quod ad Marcelli, & Criſpini Conſulatum attinet, digna ſanè res eſt quam diligentiùs perſcrutemur. Incidit is in annum Urbis Varronianum ıↄxlvi, quo Olympias cxliii celebrata eſt in Græcia. Livius, & ex eo Onufrius, aliique, per id tempus ineundo Conſulatui ſolemnem diem fuiſſe produnt Eidus Martias. Januarius porrò ſub idem tempus in Septembrem, vel Octobrem Julianum cadebat; ut in libro ii de Doct. temp cap. lxxviii demonſtravimus. Quare Novembrem, vel Decembrem occupabat Martius, eóque tempore Criſpinus obiit ex vulnere. Nam Livius lib. xxvii, *Exitu*, inquit, *hujus anni, T. Quintius Coſ. Dictatore comitiorum, ludorumque faciendorum cauſſâ dicto T. Manlio Torquato, ex vulnere moritur.* Non igitur æſtivo tempore, uti conjicis, ſed hieme potiùs creati ſunt novi Conſules, & æſtate inſequente Olympia celebrata ſunt. Quæ res ut argumentationem tuam evertit; ſic admirationem habet, quòd ex eo conſequens ſit, Marcelli, & Criſpini Conſulatum anno ferè ſolido eum ipſum antevertiſſe, qui in faſtis vulgò tribuitur. Nam ut iniiſſe magiſtratum velimus illos Decembri Juliano anni Per. Jul. 4505, à Palilibus annus U. C. Varronianus ıↄxlv initium habuit, inſequens æſtas anni Per. Jul. 4506 ludos illos exhibuit, labente adhuc iſtorum Conſulatu. Atqui Livius exitu anni, utique Romani, mortuum eſſe Criſpinum ait, & à Dictatore comitia celebrata, cùm æſtate proxima, oempe anno Per. Jul. 4507, inſtarent Olympici ludi. Hic igitur hæreo; ac neſcio an Livius hallucinatus ſit, qui exitu anni facta iſta dixerit, quæ ineunte æſtate conti-

gerunt. Dignus omninò eſt hic tè vindice nodus, hoc eſt homine docto pariter, & acuto.

Thucydidis ille locus, quem ex libro v; pag. 379 edit. Vechel. profers, non id ſuadet, Olympia anno illo, ſaltem Auguſto celebrata. Nam Panathenæa majora Hecatombæone fiebant, ejúſque xxiii die, ut auctor eſt Proclus lib. i Comment. in Timæum Platonis. At Hecatombæon ſæpè in Junium incurrebat, ætate illâ maximè, in qua lunaris annus Atticus plerumque fluctuabat. Neque tamen, ut ne in Auguſtum Olympia ceciderint, valdè repugnem; immo verò tardius etiam aliquando. quod ſuperioribus litteris faſſus eram, Ciceronis illo èx epiſtolis ad Atticum teſtimonio commotus. Verùm id legitimum tempus non fuit; ſed caſu aliquo incidit; quemadmodum Neronis juſſu alio, quàm mos ferebat, anno eadem illa ludicra peracta meminimus. Nos de ſolemni, & ordinario tempore inter nos quærimus; quod ego mediam æſtatem arbitror fuiſſe; tu in autumnum relegas.

Ex hoc porrò Thucydidis loco Scaligeri novus error animadverti poteſt: qui pag. 86 Animad. Euſeb. ad annum ↀↄↄↄↄↄcclii notat, quocumque demum tempore inſtituta ſint Panathenæa, certum eſſe anno tertio Olympiadis inſtituta fuiſſe. Ex quo confirmari putat ea, quæ de methodo Atticæ, & Olympicæ periodi libro i de Emend. temp. & in Iſag. Canon. præſcripſit; uti nimirum ad methodum Atticæ, de Olympica detrahantur anni xxxviii. Quòd commentum libro i de Doct. temp. evertimus. Hoc verò de Panathenæis quod ſcribit, falſum eſſe Thucydides oſtendit, qui eodem anno, & Olympia, & Panathenæa majora celebrata refert.

De Nemeis, quod poſtremum objicis, ſcito hæc duplicia fuiſſe, alia æſtiva, alia hiberna: ut libro i de Doct. temp. cap. xxxiii docuimus. Quibus adde ſcholia Pindari, quæ Nemea tradunt Panemi xii celebrari Is Junio, vel Julio noſtro reſpondebat. Ergo *ex Nemeis Olympia* rectè dixit Ariſtoteles. Nam illa proximè, ut vides, Olympia præceſſerunt.

Poſtquam ea, quæ de Olympiadum tempore diſputaſti, penitus explicata ſunt; libet alia quædam abs te ſciſcitari, quæ me per hoſce dies plurimùm exercuerunt. Fortè enim accidit, ut de Ortu, & Occaſu ſtellarum tam vero, quàm apparenti commentarer aliquid. Ad id Scriptorum veterum loca varia conquirenti, & examinanti mihi, Agatharchidæ apud Photium Cod. ccl; col. edit. Græcolat. 1375. perdifficilis occurrit, de quo quid ſentias ſcire à te pervelim. Scribit ille felicem Arabiam inter cetera mirificum hoc habere. Κατὰ γὰρ Μαιμακτηριῶνος ὃς ἄγεται παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, οὐδεὶς ἀστὴρ τῶν ἑπτὰ φαίνεται μέχρι φυλακῆς πρώτης· ἐν δὲ Ποσειδεῶνι, μέχρι δευτέρας· ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς τῶν μηνῶν, κατὰ λόγον. Fac Mæmacterionem Octobri, vel Novembri reſpondere. Ergóne ſeptem ſtellæ Cynoſuræ in Arabia occidunt? Nam de Cynoſura loqui videtur. Sin eſt ut majorem, id eſt Helicen intelligat; doce, amabo te, quænam, & ubi ſeptem illæ ſint. Nam xxii circiter in illa notantur. tum quemadmodum Mæmacterione, ante primam vigiliam noctis, illarum nulla compareat; Poſideone verò, ante ſecundam vigiliam; & ita deinceps. Magno me tibi beneficio devinxeris, ſi de ea re quod judicium tuum ſit, accuratè perſcripſeris. Ecce autem ἄπορον aliud. Plinius lib. xviii, cap. xxvi, Vergilias oriri dicit vi Eid. Maias. at libro ii, cap. xlvii, diebus poſt æquinoctium autumnale xliv occidere. Libro verò xviii, c. xxv, ex Euctemonis ſententiâ occidere die xlviii poſt æquinoctium autumnale. totidem & Varro l. i. de re Ruſt. c. xxviii poſt vernum æquinoctium ortui præfinit; & Columella lib. ix, cap. xiv. Occidere porrò Vergilias poſt æquinoctium autumni die xxx Varro ſcribit; Columella die xl. Plinius lib. xviii, cap. xxv ſcribit Heſiodum ſtatuiſſe matutinum occaſum Vergiliarum in æquinoctio autumnali: Thaletem xxv die ab æquinoctio: Anaximandrum, xxix: Euctemonem, xlviii. Apud Ptolemæum quoque libro de inerrantium ſignificationibus, inſignis eſt varietas. Ego verò Pleïadum ortus, occaſúſque varios per triangula ſphærica diligentiſſimè ſubducens, longè ab iis diverſa reperi. Nam cùm longitudo Pleïadum anno Chriſti ↀↄxc à Tychone conſtituta ſit in gradu ♉ 24, 24′: ſi, ut Longomontano placet, octava ſphæra in conſequentia gradum unum promovet annis lxxii, conſequens eſt anno primo Juliano longitudinem illarum fuiſſe in ♉ i, 24′: At Tha-

letis Mileſii ſæculo; id eſt anno Per. Jul. 4113, in gradu ♈ 23, 14′. Metonis autem, & Euctemonis, id eſt anno Per. Jul. 4283, in gradu ♈ 26, 12′. Heſiodi porrò, ſi quidem is vixerit, uti nos conjecimus, anno Per. Jul. 3713, poſt ἅλωσιν Trojanam, circiter annis CLXA; longitudo Pleiadum erat in ♈ 17, 34′. Quibus animadverſis, omnium illorum temporum ortus, occaſúſque computavi, quorum indiculum ſubjiciam.

	Anno Per. Jul. 3713	*A. Per. Jul.* 4113
Occaſus heliacus	♈ 2. 51′	♈ 9. 46′
Ortus coſmicus	♈ 9. 0	♈ 16. 0
Occaſus acronychus	♈ 17. 0	♈ 24. 40′
Ortus heliacus	♈ 13.42′	♉ 15. 53′
Ortus acronychus	♌ 9. 0	♌ 16. 0
Occaſus coſmicus	♌ 17. 0	♌ 24. 40′

	Anno Per. Jul. 4283	*A. Per. Jul.* 4669, *qui eſt Julianus* 1
Occaſus heliacus	♈ 12. 42′	♈ 17. 46′
Ortus coſmicus	♈ 19. 0′	♈ 22. 8′
Occaſus acronychus	♈ 27. 44	♉ 3. 17′
Ortus heliacus	♉ 18. 46′	♉ 29. 33′
Ortus acronychus	♌ 19. 0′	♌ 22. 8′
Occaſus coſmicus	♌ 27. 44′	♏ 3. 17′

Conferantur ea modò cum illis quæ ex Plinio, Columella, & ceteris adduximus Occaſus coſmicus anno 1 Juliano cecidit in eum diem, quo Sol in gradu 3, 17′ Scorpii verſabatur; qui dies Octobris circiter XXVIII erat, ab æquinoctio Cæſaris, XXXV. Idem & in ceteris diſſidium ab obſervationibus antiquorum. Verùm cùm occaſus coſmicus, ſive matutinus, tunc fieri dicatur, cùm ſtella è diametro Solem objecta reſpicit: non poteſt eo momento conſpici, quòd ſplendore Solis obducatur. Itaque dies aliquot emetiendi ſunt ad occaſum uſque φανερόν. quæ fortaſſe cauſſa Veteribus fuit, uti longius intervallum matutino ſtellarum occaſui tribuerent. Tu velim ad ea mentem, & induſtriam advertas tuam, atque id explices nobis, quantum ab occaſu coſmico putes intereſſe dierum ad apparentem ſtellæ φάσιν, & aſpectum; utrum id ea crepuſculorum ratione pendeat; tum pro climatum differentia, & crepuſculorum, quantum ab occaſu Solis tempus intercedat. Ad hæc interſitne multùm, è montis vertice, an è patenti planitie ſtella conſpiciatur.

De Sirii ortu, & occaſu non minùs perplexa mihi quæſtio naſcebatur: propterea quòd oriri Leonem ingrediente ſole, tam in Ægypto, quàm in Græcia, & Italia, plerique Veterum affirmant: quod ſecus habere eadem illa triangulorum methodo deprehendiſſe videor. Rurſus Plinius libro XVIII, cap. XXIX, ſcribit IV. Cal. Maias occidere Canem, *cui præoccidere caniculam neceſſe ſit*. Ibi Caniculam vocat τὸ σείριον. At hic ut oritur ante Sirium, ita poſt eum occidit. Itaque præoccidere Caniculam interpretabar de canario ſacrificio, de quo Feſtus in *Rutilæ canes*. etſi duriuſculum id loquendi genus videtur. Cenſorinus XIII Cal. Aug. exoriri dicit in Ægyptiaco caniculam. Atqui canicula anno primo Juliano exortum heliacum faciebat in Ægypto in ♋ 16, 56″, Julii X. Quamobrem omnibus retro ſæculis ante hunc diem oriebatur: quippe cum in conſequentia ſtellatus orbis perpetuò moveatur. Quinam ergo verum poteſt eſſe, quod Firmicus, & Solinus cap. XXXIV prodiderunt, Ægyptios veteres, qui ab ortu Sothios annum ſuum majorem inchoabant, eum ipſum ſtatuiſſe in XIII Cal. Auguſti?

Poſtremum ζήτημα ſit, quid eſſe cauſſæ cenſeas, cur Plinius, Columella, Ptolemæus ille libro de inerrantium ſignific. cùm æquinoctia, & ſolſtitia fieri velint in 8 lignorum parte, ingreſſum tamen in arietem e. c. conſtituant in Martii XVIII; ingreſſum quoque Solis in ♋ Junii XVIII, & ita deinceps. quod perſpicuè falſum eſt: uti lib. IV de Doct. temp. cap. XXVII oſtenſum eſt.

Erant & alia quædam, de quibus tripodem tuum conſulere decreveram, ſed ne in immenſum exeat epiſtola, quæ jam juſto longiùs excrevit; tum ut iis, quas poſtea ſcribemus, proprii aliquid argumenti reſervetur, hîc finem faciemus. Sed primùm exorandus nobis es, ut neque lunares tuas tabulas, ac ſolares; neque Diluvium, quorum omnium guſtum nobis præbuiſti, diutiùs exſpectari ſinas; tum ut amare nos pergas, & apud communem Dominum ſedulò in ſanctiſſimis tuis ſacrificiis, precibúſque commendatos habeas: quod ego viciſſim à me tibi polliceor. Vale Vir eruditiſſime, ac Puteanum meo nomine reſaluta. Lutetiæ Pariſiorum Cal. Novemb. CIƆIƆCXXVIII.

EPISTOLA XVIII.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

Ut habeas quo diuturnam interpretandi moleſtiam ſubleves, ac defatigatum animum oblectamento aliquo revoces, tertium jam Maſtigophorum mitto, quo ſuperbiſſimi, inſolentiſſimique Grammatici faſtus retunditur. Triplex ille lorarius uni illius libro eſt objectus. Quod quibus de cauſſis factum ſit, ex Epiſtolis, quæ ſingulis præfixæ ſunt, cognoſces. Quæ ſit homuncionis illius facultas, & eruditio, tametſi aliis ex ejuſdem lucubrationibus ſcire jam potueris, pleniùs ac manifeſtiùs tres illi Maſtigophori demonſtrant. ſed eſſet capitis iſtius inſcitia tolerabilis, ſi bonæ mentis, aut communis ſenſus particulam haberet aliquam: quod poſterius aliquantò minus, quàm illud prius, in eo cernitur. Cum hoc Calviniſtici gregis alumno fervida momento rixa nobis exarſit, quam adeo ludibundi, ac velut aliud agentes hactenus toleravimus. Apparet id hominis à Scaligeriani nominis fautoribus, ac ſemichriſtianis conductum, quibus jampridem ægrè eſt, numen illud ſuum à nobis deſpici, ejúſque Chronologicis in rebus imperitiam traduci. Etenim vix credibile eſt, quantum ſe commoverint, ex quo tam multa illius à nobis errata detecta ſunt, tum verò longè plura, & ſtupidiora palam eſſe facturos oſtendimus. Quæ cùm ne intelligere quidem ipſi propter rerum illarum inſcitiam poſſint, fumeum iſtum Grammaticum, & audaculum objecerunt, qui nos ab graviorum contentione ſtudiorum ad tricas illas, & vocabulorum conflictus, atque ineptias reflecteret. Sed in dies nihilominus alter ille procedit labor; qui quidem ubi prodierit, quas turbas excitabit! Non dubito quin Batavi omnes & Germani, ac noſtrates Calviniſtæ ὥσπερ σφῆκες κεκεντρωμένοι, in nos involent. Verùm inſaniant ac dirumpantur licèt: vincet aliquando veritas; & Thraſonis illius fucus diluetur.

Quæ de Solis Lunæque deliquiis vir ille doctus adnotavit, neque mihi probantur, & ſunt à mente Dionyſii, niſi fallor, aliena. Quo anno diéque paſſus eſt Chriſtus, duplex incidiſſe deliquium ait, alterum παρὰ φύσιν, & prodigioſum, nempe ſolare; alterum ordinarium, & Lunare. Utriuſque porrò mentionem in illa S. Dionyſii epiſtola fieri. Verba Dionyſii. Ἀμφότεροι γὰρ τότε κατ' Ἡλιούπολιν ἅμα παρόντε τε, καὶ συνεστῶτε παραδόξως τῷ ἡλίῳ τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν· οὐ γὰρ ἦν συνόδου καιρός· αὖθίς τε αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἐνάτης ὥρας ἄχρι τῆς ἑσπέρας εἰς τὸ τοῦ ἡλίου διάμετρον ὑπερφυῶς ἀντικαταστᾶσαν. *Ambo enim tunc Heliopoli cùm unà eſſemus, Lunam in Solem admirabiliter incurrentem aſpiciebamus. Non enim Synodi tempus erat. ac rurſus eamdem ab hora nona ad veſperam in oppoſitam Soli è diametro partem reſtitui.* Hæc de Solari deliquio interpretatur. Pergit Dionyſius: Ἀνάμνησον δέ τι καὶ ἕτερον αὐτόν· οἶδε γὰρ ὅτι καὶ τὴν ἔμπτωσιν αὐτὴν ἐξ ἀνατολῶν ἑωράκαμεν ἀρξαμένην καὶ μέχρι τοῦ ἡλιακοῦ πέρατος ἐλθοῦσαν, εἶτα ἀναποδίσασαν, καὶ αὖθις οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ καὶ τὴν ἔμπτωσιν, καὶ τὴν ἀνακάθαρσιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ κατὰ διάμετρον ἐναντίου γεγενημένην. *Quin & alterum illi in memoriam revoca. Scit enim nos incidentiam ipſam ab Oriente cœptam animadvertiſſe; atque ad ſolarem uſque terminum eſſe progreſſam. exinde verò repedaſſe: nec eadem parte incidentiam, & emerſionem; ſed ex diametro oppoſita contigiſſe.* Hæc verba ex illius diſputatione non ad priorem, ac ſolarem; ſed lunarem eclipſin referuntur. qui & illa, μέχρι τοῦ ἡλιακοῦ πέρατος, *ad finem uſque ſolis, ſive crepuſculi veſpertini*, eſſe dicit. quo tempore deſiit eclipſis Lunæ.

Ego verò dum attentè Dionyſii locum illum expendo, nullum ibi veſtigium conjecturæ iſtius agnoſco; quod eruditi viri pace dictum velim: atque adeo tam alienam eſſe judico, nihil ut magis excogitari poſſit. Primùm ἔμπτωσις illa, quam ab Oriente cœptam aſſerit Dionyſius,

Dionyſius, non poteſt ad Lunæ defectionem transferri, quæ anno communis æræ xxxiii, Aprilis tertia commiſſa eſt. Hujus enim ἔμπτωσις Heliopoli conſpecta non eſt. Plenilunium enim ἀκριβὲς ex noſtris tabulis contigit Heliopoli hora 4, 40′, 14″ à meridie. Initium defectionis hora 3 ferè. Finis hora 6, 21′. Incidentiæ, & emerſionis duratio fuit horæ 1, 40′. Totius duratio horæ 3, 20′. Cum igitur incidentiæ tempus omne occaſum Solis hora 1, 20′ circiter anteceſſerit, videri prorſus Heliopoli non potuit. At Dionyſius ἔμπτωσιν illam ἐξ ἀμφιβόλου ἐναντίαν proſpexit. Non eſt igitur Lunaris ἔμπτωσις.

Secundò ἔμπτωσις illa non alia poteſt eſſe, quàm cujus antea meminit his verbis, παραδόξως τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν. Atqui hæc ipſa non in umbram, ſed in ſolem incurſio facta dicitur.

Tertiò, poſt ἔμπτωσιν ſcribit Dionyſius Lunam denuò repedaſſe. poſt Lunarem verò ἔμπτωσιν in umbram nullus ἀναποδισμὸς Lunæ fuit: ſed deinceps rectum, & naturalem curſum tenuit.

Quartò, Dionyſius refert non eadem ex parte, Lunæ incidentiam, & emerſionem accidiſſe. At in Lunari eclipſi, utraque ab eadem parte cœpit.

Denique nihil apertius eſt, quàm Dionyſium poſterioribus illis verbis, ἐμπτώσεως & ἀναπληρώσεως, quas paullò antè propoſuerat, modum ac rationem explicaſſe, proindéque Solaris, non Lunaris eclipſis. Hæc enim nulla prorſus eo die commiſſa eſt, quo paſſus eſt Chriſtus, hoc eſt æræ communis anno xxxi. quem in lib. xii de Doctrina temporum adſtruximus.

Plurimùm me ſacris tuis precibuſque commendo: ſed & P. Andreæ Schotti, quem ego ſalutatum à me cupio. Vale. Lutet. Pariſ. 2. Apr. An. 1623.

EPISTOLA XIX.

Heriberto Roſweydo Societ. Jeſu, Antuerpiam.

QUÆ de Frontonis noſtri obitu renunciata tibi eſſe ſcribis, nimiùm vera ſunt. Mortuus eſt Septembri menſe jam affecto; neque majus nobis, qui illum unicè dileximus, quàm cæteris omnibus, qui quidem ipſum vel fama noverunt, ſui deſiderium reliquit. Cauſam mortis attulit vegrandis calculus, qui in ejus veſica poſt obitum repertus eſt, unciarum quinque pondo. Inter hos cruciatus poſt longam cum morte luctationem, Sacramentis omnibus rite perceptis, ad Chriſtum evolavit. Nos ei mœrentes ſolita pompa parentavimus.

De Dionyſio Areopagita tibi citra ullam dubitationem aſſentior: neque quicquam ſtrenui illi patroni hactenus proferunt, ὅ, τι οὐκ ἄῤῥητον ἄμεινον. Itaque fruſtra Pariſienſis ille cum Athenienſi confunditur. Æſopi fabulæ, fabulæ non ſunt, præ commento illo Pariſienſis Areopagitæ. Ita & ὁ μακαρίτης Fronto ſentiebat, & hodie Sirmondus noſter, & quicumque reconditiores paullò litteras attigit. Qui aliter ſapiunt, ὄναιντο τῆς ἐθελοκακίας. Savaronis poſthumum opus nullum ad hanc diem prodiit: ſed neque proditurum putat ullum Sirmondus. Dextri Chronicon, hominis eſt imperitiſſimi ἄπιστον, & ἀπόκρυφον πλάσμα: & omninò ψευδεπίγραφον, ab Hiſpano aliquo nebulone confictum. Quis lucumonis iſtius confidentiam non miretur, qui ſe erudito huic ſæculo fucum facere hiſce quiſquiliis putaverit? Si quid cauſſâ tuâ deinceps potero, faciamus Frontonis operam minùs hac in parte deſideres. Vale mi Pater, & pro nobis communem Dominum precare. Luteriæ Pariſiorum Decemb. xii. An. MDCXXIV.

EPISTOLA XX.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

CRædo jam poſtremas meas ad te allatas eſſe; quas nondum, cùm noviſſimè ſcriberes, eò perveniſſe, iis ipſis ex litteris intellexi. Scripſeram in illis de Joanne Eleemone, cujus in hiſtoria παραχρονισμὸν meum ſuſpectum te habere dicebas. Ego verò rectiſſime id animadverſum puto, quod ad Nicephori Breviarium, & in lib. xi de Doctrina Temporum oſtendi; mortem incomparabilis illius viri in annum Heraclii vi, Chriſti IↃCXVI incurrere, paullò antequam Saes à Choſroë miſſus Alexandriam occuparet. quod eodem illo anno contigiſſe, Theophanes, aliique teſtantur. Nam quod in Notis ad Vitas Patrum, ſubitam illam Perſarum irruptionem fuiſſe dicis, torrentis inſtar exundantium, ac ſubinde, relicta, quam obtinuerant, Alexandria, Ægyptoque, domum reverſorum; id ex eo convincitur, quòd iidem illi Perſæ victoriam perſecuti Africam expugnarint, ac Carthaginem obſederint, & cùm eam capere non potuiſſent, ad illius oppugnationem parte copiarum relicta, in Perſidem abierint. Hoc enim argumento eſt, neque poſſeſſione illos Ægypti ceſſiſſe; ſine qua ſtolidè admodum in Carthaginis obſidione perſeveraſſent: &, quòd vaſtata Ægypto, occupatáque, diſceſſiſſe narrantur, non ſic intelligendum, nulli ut in illa remanſerint: ſed ut impoſitis præſidiis, ceteri in Perſidem ſeſe receperint. Hæc noſtra, &, ut opinor, veriſſima ratio: quæ & Sirmondo noſtro probatur. Vitarum Patrum novam editionem nondum accepimus. Scripſi ad Vendelinum copioſe ſatis de quibuſdam Aſtronomicis quæſtionibus. Quod ad illum verò Ciceronis locum attinet, non diſſiteor, quin & de ludis Scenicis explicari poſſit. itáque ad Vendelinum ipſum ſcripſimus. Sed de Olympiadum tempore, puto ἀποδεικτικῶς rem confectam in calce Operis noſtri. Ac fieri ſanè aliquando potuit, uti ſolito tardiùs Olympiaci illi agones inſtaurarentur. Sed de legitima, & ordinaria tempeſtate ſermo nobis ac diſputatio fuit: quam in mediam æſtatem incubuiſſe certiſſimum habeo. De libro illo cujus titulum edidiſti, nihil comperi. Exſtat non abſimilis argumenti ante annos circiter 9 à quodam Remenſi editus de Romanorum viis. Quem ſi nondum habes, propediem mittendum curabimus.

Nonnum Heinſii necdum penitus evolvi. Videtur in pleriſque μετεωρολογεῖν, & πάγχυ σκοτεινολογεῖν. Non tamen deeſt eruditio. Nos in Juliano ſubſecivâ operâ ludimus. Et jam propè ad exitum pervenit. Genevenſes Scaligerianum Opus de Emend. temporum excudunt. Credéſne illos ipſos ſequeſtrem me, ad emerendum privilegium, quod à Marilliaco Procancellario impetrare ſe poſſe diffidebant, interponere voluiſſe? Sanè virum ad me doctum familiarem meum allegarunt, cui juſtis id de cauſſis negavimus.

Exſpecto quid illi ipſi nova in editione, vel Germani, aut Batavi pariant. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Novemb. xix, CIↃIↃCXXVII.

EPISTOLA XXI.

Auberto Miræo V. Cl. Antuerpiam.

EXCELLENTEM in omni litterarum genere doctrinam tuam, cùm ex vetere de te fama; tum ex libris tuis cognoveram, (VIR CLARISS.) candorem humanitatémque, quòd nihil commercii tecum habueram, nondum perſpexeram. Hujus mihi fidem litteræ tuæ fecerunt, quas ad me ſuaviſſimas, jucundiſſimáſque Rubenius attulit, qualem ſcribis, perbrevi illo, quo mecum unà fuit, tempore cognitus adoleſcens, hoc eſt eruditus, ac probus, & antiquitatis peritus. Quem quidem & tua commendatione, & merito illius facio plurimi, & quibus officiis potero complectar. Sed is ad me non plus ſemel adiit; & quidem opportunè: cùm eodem tempore Sirmondus noſter, & Andreas Quercetanus apud nos eſſent, quibus ille quas habebat abs te litteras obtulit. De Rationario noſtro quod tam amanter, ac benevolè prædicas, laus eſt iſta facilitatis, ac bonitatis tuæ, non ingenii, ac facultatis noſtræ, quam in Opere illo mediocrem explicavimus. Verùm eo ipſo magis placere mihi cœpit, quòd tanti illud facere te dicis, vir antiquitatis omnis, hiſtoriæque peritiſſimus. Sanè incredibili hac in urbe ſtudio hominum hic liber exceptus eſt: adeò ut paucis menſibus exemplaria omnia diſtracta ſint; & jam de altera editione cogitemus: quam ſic inſtitui à me plerique cupiunt, meram ut rerum hiſtoriam ab Chronologicis probationibus divellam, eámque primam in partem conferam; altera, quæ ſunt τεχνικὰ, & ἀποδεικτικὰ contineat.

tineat. Aiunt enim complures, quos unius hiſtoriæ ſtudium allicit, quæſtionum iiſce tricis, ac minutiis abſterreri, quas iiſdem cum rerum narratione capitibus incluſimus. In anno natali Chriſti, quem cum Deckerio conſtitui, ſuffragatores vos eſſe gaudeo, te, inquam, & Bucherium noſtrum. Hujus verò Victorianum Canonem videre geſtio: quem ſi ex ſolis Sirmondi ſchedis expreſſit, vereor ut germanum approbare poſſit. Nam multa illic aliter, ac Victorinus inſtituit, ordinata memini: prorſus ut interpolatum eſſe crederem. Alioquin in Appendice Operis de Doctr. Temp. unà cum reliquis, quæ ex iiſdem Sirmondianis ſchedis excerpſimus, ſuum etiam illi Canoni locum dare decreveram. Opus de viris militaribus per Belgicam, cujus ſpem facis, eò cupidiùs exſpectamus, quòd id tale fore confidimus, qualia tua eſſe ſolent, docta, accurata, & recondita. Vale. 1632.

EPISTOLA XXII.

Petro Crugero Dantiſcanæ Reip. Mathematico.

ETsi ſui quiſque nimius eſt fautor, & ſcriptorum ſuorum acerrimus æſtimator, ac ſæpè immodicus: numquam equidem mea tanti ipſe feci; tibi ut, ceteriſque ſimilibus tui, hoc eſt eruditiſſimis viris, tam vehementer probatum iri confiderem. Nam ut in illis fidem, ac diligentiam adhibitam eſſe, mihi ſum conſcius; ita nihil eſſe fateor, quo tu doctior ab eorum tractatione poſſis recedere, vir, ut cetera taceam, Mathematicis ſtudiis tam luculenter excultus; quæ res unà cùm admirationem doctrinæ iſtius; tum verò deſperationem imperitis ſolet afferre. Verùm utcumque res cecidit; ſive tu nonnihil labore noſtro proficere potuiſti: quod tuis litteris teſtatus es; ſive id alliciendæ benevolentiæ noſtræ cauſſâ, comiter, ut mos eſt, magis quàm ſeriò jeciſti; eſt quod meis libris gratuler, qui mihi tantum boni pepererunt; te ut præſtanti doctrina virum & amantem mei redderent, & amicitiæ noſtræ, ac conſuetudinis appetentem. Cujus equidem deinceps tibi quàm voles, liberalem copiam faciam: ac ſi quid eſt, in quo mea tibi opera deſiderari poſſe videatur, de eo uti ſcribas hortor, immo etiam obſecro. Nihil enim gratius ea re poteſt accidere.

Ad annum Græcum quod attinet, in quo tibi plenè ſatisfactum à me eſſe negas, in libro IV Diſſertationum variarum, quas ſub Uranologii titulo nuper edidimus, ita multa diſputavimus, nihil ut penè reliqui de hoc argumento mihi fecerim. Sed videlicet exſpectandæ erunt litteræ tuæ, quibus & hoc, & cetera expones omnia, de quibus conſuli me oportere duxeris. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Petro Crugero V. Cl. Dantiſcum.

PRobari tibi quod in noſtra Temporum Doctrina præcipuum, ac veluti caput eſt, valdè id me quidem delectat, Crugere vir doctiſſime. Non enim aliter facere poſſum, quin gaudeam, cùm te præſtantem iis artibus virum, ac longo earum uſu detritum habere me fautorem ſentiam: ut ſi qui in poſterum à me diſſideant, aut etiam oppugnent, facilè eos omnes unius tui fretus auctoritate contemnam. Quòd verò pauca quædam ſunt, nec illa καίρια, in quibus à mea ſententia diſcedis, fero non moleſtè: dum, quod tu ſcribis, ſalva ſit in primis illis, & præcipuis judiciorum noſtrorum conſenſio. Quamquam illa ipſa, de quibus vel exiſtimare aliter, atque ego faciam; vel quemadmodum intelligam, dubitare viſus es, ejuſmodi ſunt, ut, ſi ad ea quæ dicam adverteris, nihil concordiæ illi noſtræ offutura confidam.

Horum primum eſt; quod in II. de Doct. Temp. cap. VIII dixi, octaëteridem Græcorum, qualis à Gemino deſcripta eſt cap. VI, p. 20 edit. noſtræ, ſic initio conſtitutam, ut eſſet illius modus dierum $2923\frac{1}{2}$, non 2922 præciſè, ut Scaligero videtur. Hæc mea ratio duplici abs te argumento refellitur. Primùm, quòd diſertè Geminus aſſerit dierum 2922 principiò fuiſſe Græcorum octaëteridem. Secundò, quòd ſi tam exactè cum Lunari curſu vetus illa periodus adæquata foret, non eſſet tanta in anno civili perturbatio conſecuta, quantam Ariſtophanes demonſtrat. Verùm ad illa facilè reſpondebo tibi. Nam quod de Gemini ſententia quæritur, qualis ea ſit, meliùs ex ipſo quàm ex oratione mea cognoſces. Scribit ille octaëteridem diebus 2922 definitam eſſe: ſed ita tamen, ut alterna quaque octaëteride, hoc eſt poſt ſingulas heccædecaëterides, triduum adjiceretur; ut cum Luna paria faceret annus civilis. Hoc qui dicit, eum neceſſe eſt heccædecaëteridem, dierum facere 5847. Eam ſummam ſi bifariam partiare, nimirum cuilibet octaëteridi dies imputabis $2923\frac{1}{2}$. Ergo in hunc modum ſeſe res habuit. Propoſitum fuit antiquis illis temporum artificibus, civilem annum cum Sole pariter, ac Luna conciliare. Id verò προσθαφαιρέσει, hoc eſt adjectione dierum, & eorumdem detractione identidem repetita faciebant. Quocirca dies attribuerunt octaëteridi 2922; ut Solis motui ſatisfacerent qui in annis 8 totidem colligit. Rurſus quoniam ab Lunari ratiuncula modus ille deficiebat; eo quòd die $1\frac{1}{2}$ ampliùs octaëteris Lunæ continet, quàm Solaris; idcircò poſt alteram expletam octaëteridem triduum addebant. Verùm, quòd hac ratione civilis annus, dum Lunæ veſtigia perſequitur, ab Sole deflectit; & triduum ſuperfluum acquiritur in qualibet heccædecaëteride; adeòque 30 dies in decem heccædecaëteridibus; hinc poſt heccædecaëteridas 10, qui ſunt anni 160, menſis integer tricenarius expungi ſolebat. Hæc Geminus in illo capite. Ex quibus evidens eſt, conditorem octaëteridis id in animo habuiſſe, quod dixi, ut eſſet modus octaëteridis dierum $2923\frac{1}{2}$ tametſi primam nonniſi 2922 diebus explicaret. Quod adeo anni noſtri Lunaris exemplo declarari poteſt. Si quis enim interroget, quem illius modum Paſchalis noſtræ auctor methodi finierit, nemo dubitabit, quin diebus 354, 8, 44, &c. taxaverit. Atqui plerique anni non ampliùs diebus habent 354 præciſè. Verùm quoniam horarum, & ſcrupulorum ἐπουσίαι certis annis furtim, & latenter inſinuantur, cùm integrum diem perfecerint; ideò cùm de anni conditione, & quantitate quæritur, ſuperfluorum iſtorum dierum habenda ratio eſt, déque iis ſua cuique attribuenda portio.

Nam quod ad labem illam civilis anni pertinet; quæ Ariſtophanis ſæculo tanta non fuiſſet; ſi ad Lunæ curſum tam propè octaëteris accederet: primùm ad hoc non tam mea quàm Gemini ipſius debet eſſe reſponſio: cujus à me ſententia præſtari debet; non ſententiæ veritas, & conſtantia. Deinde perfacilis mihi conjectura videtur, quid Athenis acciderit; unde in Lunares Neomenias iſtud vitii redundarit. Eſt enim credibile, intercalationem iſtam tridui in una alteráve heccædecaëteride prætermiſſam eſſe; quod ſatis fuit, ut ea, quam objicis, perturbatio Neomeniarum civilium exiſteret.

In prima Metonis Neomenia, anni Per. Jul. 4282, fugit me ratio. Nam calculis accuratiùs ſubductis, invenio ex Pariſinis tabulis novilunium verum in Athenienſi meridiano Julii 25, hora 19, 43′ poſt mediam noctem. Nihil proclivius eſt, quàm hallucinari in numeris iſtis, ac ſummis ponendis. quod mihi tunc eveniſſe fateor. Cujuſmodi erratis nulli iniquiores ſunt, quàm imperiti, & harum litterarum expertes. Quo minùs de te laboro, viro docto, & in iſto genere artium imprimis exercitato.

Tertium caput ſupereſt percontationis tuæ: de quo paullò longior inſtituendus eſt ſermo. Habet enim præclaram θεωρίαν; quæ, ut ſpero, eruditione tua non erit indigna.

Mirum tibi videri ſcribis, quid ſit, cur in II de Doct. Temp. cap. XIII dixerim, Neomeniam primam anni Græci, non ſemper ſolſtitii cardine poſteriorem fuiſſe; ſed eum interdum anteceſſiſſe diebus 14, vel 15: adeò ut Neomeniæ primæ canon plenilunium fuerit; quod numquam ſolſtitium antevertere debuerit; non autem novilunium. De anno verò Metonis ita ſtatui, Neomenias illius eumdem ſolſtitii præceſſiſſe cardinem: non tamen diebus 14 vel 15 anteriores illas poſui, ut ex diagrammate conſtat, quod ex Gemini præſcripto p. 63 delineatum eſt. Sed de anno Græco vetuſtiore; qualis

Digitized by Google

qualis in octaeteride deſcriptus erat, nihil præter opinionem habemus, & ἀναλογίαν uſus inſequentium temporum. In Metonicæ periodi deſcriptione methodus noſtra demonſtratione nititur. Quod igitur ſciſcitaris; cur anno 1 Periodi Metonicæ, qui fuit Per. Jul. 4282; cùm ſolſtitium 27, Junii contigerit, Neomenia prima à me collocata fuerit Julii 16, diebus poſt idem ſolſtitium 19, non Junii 16. qui duodecimus fuit ante ſolſtitium: ſi quidem Neomenia etiam 14 vel 15 diebus ſolſtitio anterior eſſe potuit; huic ut reſpondeam, paullò altiùs repetenda diſputatio eſt.

Græci, ut auctor eſt Geminus, octaeteridas uſurpabant initio: in quibus embolimæi anni fuerunt 1, 5. 8. Poſtea Euctemon, ſive ut alii, Meton, enneadecaeteridem invenit; in qua embolimæi aptiùs ordinati ſunt. Horum proinde ſitus fuiſſe videtur in annis 3, 6, 8, 11, 14, 17, 19. Hoc etſi Geminus expreſſè non ſignificet; tamen ex iis quæ dicentur paullò pòſt fiet conſequens. Secundùm hæc Calippus Metonicam emendavit Periodum; in qua nihil omninò mutavit in embolimorum ſitu, quod teſtatur Geminus. Quocirca non abſurda eſt conjectura noſtra lib. 11. de Doct. Temp. cap. XIX, Calippum id unum ſpectaſſe, ut labantem Metonis periodum fulciret; adeòque in ſuo parapegmate non novum periodo ſuæ caput, & initium præfixiſſe; ſecundùm quod diverſa embolimæorum annorum progreſſio fieret: ſed ab 8 anno Cycli Metonici caſtigare orſum, reliquos ejuſdem cycli decemnovennalis annos, ac tres deinde cyclos integros; tum 7 annos de quarto propoſuiſſe; ut ſummam compleret annorum 76. in quibus embolimæi erant iidem, qui à Metone conſtituti fuerant. Quare cùm 8 Metonicus embolimæus eſſet, primus Calippicus, quem octavum fuiſſe Metonicum diximus, embolimæus itidem fuerit oportet. ac deinceps ejuſdem Calippicæ periodi 4, 7, 10, & 12, qui erant Metonici 11, 14, 17, & 19. In ſequentibus deinceps enneadecaeteridibus, eadem embolimæorum ſeries repetitur. Quòd autem Calippi primus annus octavus Metonici cycli fuerit, ex eo colligitur. Nam Metonis annus primus incurrit in annum Per. Jul. 4282. Calippi verò, in annum 4384. Hic centeſimus tertius eſt ab illo. Porrò ſi 103 per 19 dividas; fient integræ periodi 5, & anni 8 de ſexta. Igitur primus annus Calippicæ 1 periodi fuit octavus ſexti cycli Metonici. Utriuſque Periodi initium ab Hecatombæone ſolſtitiali menſe ductum eſt, quod in 11 de Doct. Temp. probavimus. Sed nihilominus intercalaris menſis fuit Poſideon, qui circa ſolſtitium hibernum extitit. Quod argumento eſt; olim anni Attici cardinem fuiſſe brumale, non æſtivum ſolſtitium. His animadverſis ad utriuſque Periodi ſtructuram moliendam vide quibus rationibus inducti ſimus, & ut nihil ex ſola opinatione; ſed evidenti freti auctoritate de ea re ſtatuerimus.

Apud Ptolemæum lib. IV extant exempla quatuor obſervationum aſtronomicarum, in quibus certi anni Calippicæ periodi notantur, ex quibus diagramma confecimus in lib. VI diſſert. ad Uranolog cap 11: annorum Calippicæ periodi 36, 37, 47, & 48 qui ſunt Metonici cycli, ut ex ſuperioribus liquet, 5, 6, 16, & 17. Ex his duo embolimæi fuerunt 37, & 48 Calippi; Metonis 6, & 17; reliqui emboliſmo caruerunt. quod ἀποδεικτικῶς ex eodem Ptolemæo colligimus lib. VI Diſſert. ad Uranol. cap. 11, p. 120. quem librum quia penes te eſſe video, non hîc argumenta repetam, quibus illud approbavimus. Conſtat ergo annos 6, & 17 in Metonico cyclo intercalares fuiſſe; non fuiſſe 5 & 16. Ex quo reliqui colliguntur: nimirum 3, 8, 11, 14, & 19. Porrò cùm cyclus, ſive periodus in orbem continuò redeat, ac prioris fini poſterioris ſuccedat initium: primus annus Metonis, ante quem nondum erat inſtituta periodus, qui eſt in Juliana periodo 4282, ſic à nobis cogitandus eſt, quaſi intercalari anno, hoc eſt decimo nono cycli alicujus anterioris proleptici proximè ſucceſſerit. ut ſi Metonis cycli jamdudum antè cœpiſſent, annus ille qui ab æſtate anni 4281 in æſtatem anni 4282 propagatus fuiſſet decimus nonus, idemque intercalaris eſſe debuerit. Anno 4282 novilunium tam Junii 16, quàm Julii 16 obſedit diem. Non potuit Meto Junii 16 Neomeniam primam cycli ſui conſtituere. Id enim ſi feciſſet, primo ipſo cycli anno intercalare debuiſſet, quod hypotheſin evertit. Alioqui ſequenti anno Neomenia Hecatombæonis in 6 incidiſſet Junii, nimiúmque diſtaret ab epocha ſolſtitiali. Primus itaque Metonis Hecatombæon ἀποδεικτικῶς, ut initio polliciti ſumus, oſtenditur Julii 16 contigiſſe. Ex hoc vero principio ceterorum deinceps annorum Neomeniæ pertexuntur; ac neceſſariam habent dierum certorum ſeriem; quam in Metonici cycli diagrammate in 2 de Doct. Temp. c. 9 deſcripſimus. Tertius enim exempli cauſſâ, Neomeniam habuit 25 Junii: de quo miror dubitaſſe te, cur non 14 Junii cœperit: quaſi nos alibi, quàm 25 Junii in laterculo collocemus. Hic porrò embolimæus eſſe debuit; atque ideò ſequentis Neomenia incurret in 13 Julii. Jam octavus annus Neomeniam exhibet Junii 29. Eſt autem embolimæus, ut ſuprà demonſtravi. Proinde Neomenia ſequentis anni diffundetur in 18 Julii. Nam ſi 18 Junii cœpiſſet, non eſſet id, quod ratio poſtulat, intercalaris annus octavus. Ac velim iſtud obſerves; ex primo anno, & ejus Hecatombæone, pendere cycli totius contextum, in quo id unum obtinetur, ut ne primi menſis plenilunium ſolſtitii cardinem anteverrat. Quòd autem ejuſdem primi menſis Neomenia longiùs ultra cardinem excurrit; tum quòd ultimi plenilunium cardine ipſo ſit interdum poſterius: non hæc valdè movere nos debene. Hoc enim vitari non poteſt. ac ne ipſe quidem effugit Scaliger; neque ceteri, qui Neomeniam primi menſis nunquam ſolſtitii metas anteceſſiſſe putant. Nam apud Scaligerum tam in Metonis, quàm in Calippi cyclo, Hecatombæonis Neomenia nonnunquam in Julii 24, 25, & 27 relegantur; cùm tamen ſolſtitii cardinem in 8 Julii ille ipſe conſtituat. Quocirca meritò idem à nobis uſurpatum eſt in vera & ἀποδεικτικῇ διατάξει utriuſque Periodi, quod in poſtulatitia & temerè conficta ſibi ille ſumpſerat. Id enim neceſſariò faciendum eſſe, embolimæorum annorum ἀκολουθία perſuadet.

Nam quòd Metonem exiſtimas ad octavam Cancri partem reſpectum habuiſſe, mihi quidem non probas. Sive enim octavam partem appellas eam, quæ octavo die poſt ſolſtitium Metonicum incidit, Julii 4: ſive in ipſum octavum Julii diem conferas, propter antiquum ſitum ſolſtitii in Calendis Juliis; quem obſervatum deinceps ariolatus eſt Scaliger: neutrum poteſt conſiſtere; & utroque modo, vulgato in errore verſari videris. Inveteravit enim hæc opinio; Veteres non in ipſa æquinoctialis, ac Zodiaci ſectione æquinoctialem poſuiſſe cardinem: neque ſolſtitium in eclipticæ ac ſolſtitialis circuli tactione: ſed octavo poſt ambas gradu ac die. quod præ ceteris obnixè defendit Scaliger; & nobis ipſis aliquando perſuaſit. Verùm acriùs perſpecta re, lib. 2. Var. Diſſert. ad Uranol. c. 4 & ſeq. tum lib 5. cap. 2 falſum iſtud eſſe, primi, ut opinor, deprehendimus. Ibi enim evidenter oſtenſum eſt, Veteres illos, qui in octavis partibus æquinoctia, ſolſtitiáve fieri cenſuerunt, has ipſas octavas partes non poſteriores ſectionibus circulorum, & tactionibus inſtituiſſe: ſed ſignorum cardinalium initia totidem gradibus antevertiſſe: adeo ut octavæ illorum partes in mutuas circulorum συναφὰς inciderent. Quocirca pars octava Cancri ſecundum Metonem, ſi quidem eam rationem tenuit, non in diem cadit octavum ab 27 Junii, quem ſolſtitio præfixit. ſed iſto ipſo die 27 Junii octava Cancri pars exiſtit: principium verò Cancri Junii 20. Verum hoc eſſe comprobant faſti veteres quos Ovidius, Columella, Plinius aliique ſecuti ſunt. Sed nihil facis, niſi ea legis quæ de hoc argumento copioſè diſſerimus in Uranologio. In quo aſtronomorum veterum, & imprimis Hipparchi errata graviſſima ignota vulgò patefecimus: qui dodecatemoria ſignorum cum aſteriſmis confudit; & Eudoxum, Aratum, alióſque præter meritum ſæpè caſtigat. Quæ ſi tuo aliorúmque doctorum judicio probata eſſe cognovero, non injucundum laboris mei fructum capiam; præſertim ſi te, ac reliquos ætatis hujus doctos Mathematicos ad illuſtrandam veterem aſtronomiam, ac pleraque perficienda, quæ in hac parte adhuc intelligo deeſſe, exemplo meo incitare potuero.

Ad extremum de obſervatione illa ſubeuntis ſub Solem Veneris anno ſuperiore ſic habeto: audiiſſe me de nonnullis, qui ſe eam [illegible] & eclipſin Solis animadvertiſſe dicerent; ejúſque beſſem obſcuratum

tum fuiſſe: quod in chartula teleſcopio ſubjecta deprehenderint. Sed quòd nec iſti valdè ab aſtronomia, & iſtiuſmodi peritia parati ſunt; & nonnulli ejus intelligentiores cùm eodem tempore in id incumberent, nihil omnino viderunt; ſuſpecta mihi eſt obſervationis illius fides: præſertim quæ ὁλοσχερῶς; immo incredibilis ſit. Quis enim beſſem ſolaris diſci ab Venere obſcurari poſſe ſibi perſuadeat? Itaque nolo fidem adhibeas. Vale vir eruditiſſime & noſtris laboribus favere perge. Deum viciſſim precor, ut tibi gratiâ ſuâ aſpirare velit; ac te incolumem conſervet.

EPISTOLA XXIV.

Petro Crugero V. Cl. Dantiſcum.

Olim me ad te ſcribere cunctantem verberant ſæpiùs, & officii admonent partim populares tui, qui identidem huc veniunt: partim me verò ceſſationis hujus meæ ſuppudet. Sed is es, & eo genere ad me ſcribis epiſtolarum, ut neque parvo tempore, neque non diu, ac longè meditato mihi ſit opus, qui tibi reſpondeam. Quod dum accuratè facere cogito, & vacuum tempus exſpecto ad illa recolenda ſtudia, è quibus quæſtiones tuæ ducuntur; quòd iſta jamdudum tractare deſii: longior imprudenti mihi dies obrepſit. Sed compenſabo tarditatem hanc diligentia reſponſionis hujus; atque unà cum ſorte multiplicatum fenus tibi perſolvam.

Igitur ad ea, quæ penultimis tuis propoſuiſti, ſingillatim, ordinéque reſcribam.

Ex iis fuit illud primum, quod jam inter nos agitari cœptum erat, de Græca octaëteride; quam Geminum docui ab initio dierum factam putaſſe $2923\frac{1}{2}$. tu primùm 2922; poſtea correctam, & ad illum modum redactam. Uter veriùs ſentiat, non aliunde, quàm ex Gemino ipſo cognoſcitur. Enimverò, ſi quis hunc attente legat, non dubitabit, quin hoc ipſum, quod dixi, planiſſimè doceat. Scribit p. 19 & 20 editionis meæ, antiquos eum quæſiiſſe circuitum annorum, qui Solis Lunæque numeros impleret, ad idque quadruplicem ab iis tentatam eſſe Periodum. Prima fuit dieteris, in qua menſes omnes tricenarii erant. Sed hujus vitium ſtatim eſſe deprehenſum ait. Itaque ad octaëteridem ſecundò tranſierunt, in qua duo illa dicit eſſe quæſita: alterum, ut cum Solis motu orbis ille congrueret: alterum ut & Lunæ reſponderet. Horum prius aſſecuti ſunt deſcriptione menſium 96, qui alternis pleni eſſent, & cavi; & intercalarium trium ac tricenariorum, ut in totum eſſent menſes 99, dies 2922, quot anni octo Juliani continent. Tum ita pergit: cùm iidem intelligerent, iſta quidem ratione Solis ſe curſum aſſecutos, ab Luna verò deficere, quoniam menſis ἀκριβῶς ſupra dies $29\frac{1}{2}$, habet inſuper diei partem triceſimam tertiam: octo verò Lunares anni pleni, diebus conſtant $2923\frac{1}{2}$; hoc eſt uno die, & $\frac{1}{2}$ ampliùs, quàm prior habet deſcriptio; ideo alternis octaëteridibus triduum adjeciſſe; in octaëteridibus verò 20, qui ſunt anni 160, menſem integrum exemiſſe. Hæc Geminus uno & eodem inſtituto facta memorat. Nam ad utrumque genus octaëteridis eumdem ſolaris anni modum accommodat, qui eſt 369 dierum & $\frac{1}{4}$ ex quo contextus ille ſimplex octaëteridis ortum habuit, dierum 2922. Idémque & in poſteriore forma continuatur, ut ſcribit pag. 21. Ex quo ſic argumentari licet. Quoniam id ab initio quæſierunt octaëteridis Græcæ conditores, ut periodum haberent, quæ Solis pariter ac Lunæ rationes exhauriret; qualiſcumque tum ab illis fabricata eſt, ejuſmodi eſſe profectò debuit, ut rationes peræquaret utriuſque ſideris. Atqui ſolem jam tum ſciebant diebus moveri $365\frac{1}{4}$, ut ibidem docet Geminus. Ex quo & octaëteridis modum illum profluxiſſe dicit, qui dies colligebat præcisè 2922.

Ergo & in poſteriori genere octaëteridis, ſi quidem diverſi, ut vis, & inſtituti fuit & temporis, idem ſpectare illos oportuit: ac proinde numerus ille dierum $2923\frac{1}{2}$, perinde juſtis è Solaribus ſpatiis, ac Lunaribus ex eorum opinione conſtare debuit. Quorſum enim octaëteridem conſtituerent, niſi ut Solis ac Lunæ numeros omnes exhaurirent? Quod non fieret, niſi dies $2923\frac{1}{2}$ uti plenos novem & nonaginta Lunæ circuitus; ita octo ſolis annos implerent. Quare qui diverſam hujus poſterioris Octaëteridis inſtitutionem eſſe velit; neceſſe eſt idem Solaris anni menſuram perinde diverſam faciat: hoc eſt, dierum 365. hor. 10, 30'.

Atqui Geminus unam, & eamdem utrobique Solaris anni quantitatem fuiſſe vult. Non igitur novam, ac diverſam octaëteridis ordinationem hanc eſſe credidit, ſed unius generis, in qua 96 menſes alternis pleni cavique dies colligunt 2832, & additis intercalaribus tribus, hoc eſt diebus 90, conſiunt dies 2922. Sed in fine octaëteridis ſecundæ triduum additur. Ideo ordinarius quidem modus dierum eſt 2922, verus autem & exactus, $2923\frac{1}{2}$. Quemadmodum annus noſter dies ordinarios habet 365 reipſa $365\frac{1}{4}$ hoc eſt quartus quiſque 366. Sanè Geminus in hac tota deſcriptione Octaëteridis, continenti oratione utitur; & eoſdem ſignificat triduum in fine Octaëteridis addidiſſe; quos paullò antè dixerat alternaſſe plenas, caváſque, atque embolimos ternos indidiſſe. Neque animadverſo prioris Octaëteridis vitio tranſitum ad alteram eſſe factum indicat. Vide enim amabo te, quæ ſit orationis illius ſeries. Primùm * dixit Græcos initio quæſiiſſe Periodum aliquam in qua anni cum Sole congruerent, menſes cum Luna; hoc eſt, cujus menſes annique civiles ſinguli lunares eſſent; tota verò Periodus in annos ſolares partita nihil reſidui faceret. Ita enim interpretandus hic locus eſt, non ut annos ipſos ſingulos civiliter uſurpatos ad ſolem deſcriptos velit; menſes verò ſingulos, ad Lunam. quod anni genus ne fingi quidem cogitatione poteſt. Ergo ut hoc aſſequerentur, imprimis Octaëteridem amplexi ſunt: in qua menſes alternis plenos, cavóſque conſtituerunt, uti ſuprà dixi, 96, & tres inſuper embolimos erogarunt, ut eſſet Octaëteris dierum 2922, quæ in octo æquales annos partita, ſingulis dies attribuit $365\frac{1}{4}$ qui ſolaris anni modus jam tum ab illis agnitus eſt, ut * eodem loco docet. Ita quod primum erat è duobus, adepti ſunt, ut anni eorum cum Sole concordes eſſent: reſtabat alterum, ut & cum Luna menſes ac dies congruerent. Hoc ut efficerent, menſis lunaris dies $29\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{33}$ multiplicarunt in 99, ut exiſterent dies in tota Octaëteride $2923\frac{1}{2}$ [illegible], inquit, τὰς δ' μηνὸς ἡμέρας, &c. Quinam? nempe illi de quibus locutus eſt: qui Octaëteridem ratione Solis abſolutam; ratione Lunæ, mancam, & affectam inſtituerant. Illi, inquam, qui Solis annum diebus metiebantur $365\frac{1}{4}$, ut ibidem memorat. Iidem illi & dies adjecerunt per ſingulas hecædecaëteridas, tres, & poſt decem hecædecaëterides unum menſem eximebant. Hæc anni prima & integra fuit ordinatio: quæ veteris Græciæ propoſito ſola reſpondere poſſet, quod ejuſmodi fuiſſe docuit, ut per omnes annorum periodos non Solis dumtaxat, aut Lunæ, ſed utriuſque curriculum explerent.

Finge enim duas ac diverſas octaëteridas & inſtitutiones fuiſſe primùm dierum 2922; deinde $2923\frac{1}{2}$. Ergo conſequens eſt, utramque Periodum Soli non minùs reſpondiſſe, quàm Lunæ. Quare poſterior per 8 Solis annos diviſa, dabit anni ſolaris modum ex illorum opinione, dierum 365, horarum 10, 30'. quam Geminus tradidit, annum utrobique dierum habitum $365\frac{1}{4}$. Porrò cùm ab octaëteride tranſit ad enneadecaëteridem, vide ut loquitur, ὕστερον, inquit, [illegible], cùm prioris vitium deprehendiſſent. tum Solis annus in ea non, ut antè dierum conſtitutus eſt $365\frac{1}{4}$, ſed $365\frac{5}{19}$, hoc eſt 365, 6, 18'. 56''. 50'''. 31''''$\frac{11}{19}$. Ad ſummam, invictum argumentum habeo ex anni Solaris modo, quem in utraque forma octaëteridis, eumdem ſtatuit Geminus.

Atenim contra me eſt Ariſtophanes, qui Neomenias civiles ætate aberraſſe ſua ſignificat: quod neutiquam eveniſſet, ſi jam tum adeo exactæ ſyzygiæ in uſu fuiſſent, ut vix in annis 160 uno die peccarent. Ita mihi objiciebat in epiſtola tua priore. Cui ſic à me ſatisfactum eſt: videri triduum illud ἐμβόλιμον interdum ab Hierophantis quorum erat anni procuratio, neglectum fuiſſe. ut in ſimili re Pontifices Romæ fecerunt, qui Merkedini intercalationem pro arbitrio ſuo prætermittebant, aut alieno repræſentabant tempore, ex quo anni conſecuta perturbatio eſt. Tu verò conjecturam hanc reprehendis, & *feſtinanti excidiſſe calamo* ſcribis; *quippe*, inquis, *lumen Lunæ præfulgidum erat veſperi, ut poſt-*

poſitione

* P. 19.

* P. 20.

poſitione peccaris Neomenia civilis non anticipatione. Sed amabo te nónne magis iſta reſcribenti *feſtinavit calamus tuus?* Nam ut aliud nihil dicam, certè in idem recidiſti, quod pro abſurdo mihi objicis. Etenim ſi erravi propterea quòd de annis totius hecccædecaëteridis 5847 dies três expunxi, hoc eſt octaëterides duas dierum conſtitui 5844; tu in eâdem es cauſſa, qui octaëteridem unam dierum fuiſſe tum pugnas 2922: hoc eſt, duas dierum 5844. Quare non eſt à veri regione avia conjectura noſtra, de triduo, aut etiam pluribus diebus plerumque neglectis ac ſuppreſſis. cui tu fruſtra Ariſtophanem opponis. Hic enim in Νεφέλαις, Lunam id ſolum conquerentem inducit, quòd non ritè dies Athenis ordinarent.

κοὐκ ἄγειν τὰς ἡμέρας
Οὐδὲν ὀρθῶς, ἀλλ' ἄνω τε, καὶ κάτω κυδοιδοπᾶν.

quod, inquam, ſúſque déque dies haberent: adeo ut feſta Deorum neutiquam ſuis temporibus occurrerent. Ubi neque προεμπτώσεως, neque μετεμπτώσεως ulla ſignificatio eſt. Ac de octaëteride Græcorum vetere, ſatis multa.

Caput eſt alterum epiſtolæ tuæ de anno, ac Periodo Metonis, cujus deſcriptionem in ſecundo de Doct. Temp. à me conditam, probas tu quidem, neque aliter inſtitui oportere ſtatuis: ſed illud inquiris, cur cùm novilunium anno primo Periodi illius tam in 16 Junii, quàm 16 Julii ceciderit; in hoc poſteriore Meto primam ſuam Neomeniam fixerit potiùs, quàm in priore. Hujus tu cauſſam prioribus litteris hanc reddideras, quod populare ſolſtitium in octavo tum Cancri, hoc eſt Julii 4 collocatum fuerit, quem limitem enneadecaëteridi ſuæ Meto poſuerit: ita ut plenilunium nullum cardinem illum anteverterit.

Sed contra hanc conjecturam multa diſputavimus in ſecundo Variarum ad Uranologion, capite v. quæ nunc quoque vera putamus. Itaque non poteſt nobis illa ratio probari. Sed inſtas, & meliorem à nobis exigis, cujus nullam in noſtris libris ſignificationem eſſe dicis. Etſi id minimè eſt neceſſe, tamen nonnulla ex eo capi poteſt, quod in primo, cap. 8, pag. 11, & ſecundo, cap. 10, p. 57, 58, docuimus, quam hoc loco breviter exponam. Meto enneadecaëteridem ſuam ſic inſtituit, ut ad civilem annum caſtigandum ejus uſum referret. Erat autem civilis hic annus per octaëteridas digeſtus. proinde ad octaeteridas emendandas methodum ſuam accommodare ſtuduit. Scribit Diodorus lib. XII, Metonem enneadecaëteridem ſuam ediđiſſe, initio ducto à die 13 Scirrhophorionis. Hoc Diodori dictum quàm abſurdè Scaliger acceperit, non neceſſe eſt hîc repetere. ſatis enim id illo in loco fecimus, atque etiam verè ſic interpretati ſumus: Metonem cùm annum ſuum publicaret non præfractè priſtini anni, & octaëteridis intercidiſſe curſum: ſed ultimi menſis reliquos dies in Parapegmate deſcripſiſſe, putà Scirrhophorionis octaëterici diem 13, 14, 15, &c. Lababat tunc octaëteris Attica, & diebus aliquot peſſum ire cœperat, ut ex Ariſtophane tute ipſe colligebas. Itaque Scirrhophorionis veteris dies illos 13, 14 &c. ſic adnotavit, ut ad eoſdem caſtigatos dies adſcriberet. Ut ſi triduo, vel quatriduo τῇ μετεμπτώσει peccaſſe velis Lunarem ſyzygiam: ita ut 13 civilis dies, eſſet accuratæ, ac cæleſtis 16 vel 17; ad Scirrhophorionis popularis, & depravati, 13 diem; adſcripſit lunaris, & deinceps noni Scirrhophorionis diem 16, vel 17: ac deinceps ſyzygias reliquas ea ſerie continuari juſſit. Ex quo ratio illa, quam dixi peti poteſt, cur Neomeniam primam in 16 Julii potiùs, quàm 17 Junii Meto collocarit, (fuit enim Scirrhophorion ex ordine cavus, ut ab 17 profectus Junii in 15 Julii deſierit.) Nimirum, quòd octaëtericus vitioſúſque Scirrhophorion, idémque poſtremus, ab ſolſtitialibus metis longè ſummotus illum locum occuparet; è quo ſolicitandum eſſe Meto non cenſuit, ſed ad exactiores lunæ calculos revocandum. Volo & illud animadvertas, quod in eodem opere demonſtravimus; tametſi initium anni Græci & Attici ab æſtate repeteretur, ac primus eſſet menſium Hecatombæon, nihilominus conſueviſſe Atticos intercalarem menſem in hibernum tempus conjicere, ejúſque menſem qui Poſideon dictus eſt. Quare quod ad epocham anni civilis ſpectat; major ducta ratio eſt ſolſtitii brumalis, quàm æſtivi. Tum verò, quod caput eſt, ſcire debes; non illud curaſſe Græci anni conditores, ac Metonem ipſum, ut ſingulorum annorum capita propiùs ad ſolſtitium accederent, ſed hoc in primo dumtaxat Periodi anno tenuiſſe. Quo conſtituto, ceteros deinde propter emboliſmorum deſcriptionem longiùs evagari neceſſe eſt, qui quaſi catena quadam è ſuperiorum ſerie nectuntur. Ergo anno primo Periodi Metonicæ, in laterculo noſtro Neomenia Gamelionis 10 Januarii diem obſidet, qui propiùs abeſt à ſolſtitio hiberno. Ut hac ratione canon epochæ Neomenia potiùs eſſet, quàm plenilunium, de quo in 1 libro pag. 15, & 16. dubitavimus. Sed ea cautio in anno, uti dixi, primo Periodi dumtaxat eſt adhibita, ceteris impunitas eſt data longiùs à metis excurrendi. Sed eò revertor, quod paullò antè docui, eámque te cauſſam notare cupio, de qua percontatus eras, cur anno primo Metonis, Hecatombæonis Neomenia Julii potiùs 16, quàm Junii 17 adjudicata ſit. Nam probabilis ea maximè videtur, quòd tum octaëtericus, & popularis annus cui fulciendo præſidium nova ex periodo Meton accerſiverat, longiùs ab legitimo cardine deſciviſſet.

Quod verò admones de diſtantia Solis & Lunæ, tempore mediæ oppoſitionis, vel oppoſitionis, per motum verum horarium putanda: ſcito me conſultò medium motum adhibuiſſe cum Mullero; cujus cauſſam reddidi pag. 438, & 439 To. 1. de Doctrina Temp. Vide locum ac tute ipſe periculum facito; & nodum illum expedi. Experieris autem iis in exemplis, in quibus proſthaphæreticum diſcrimen magnum eſt. Nam in minoribus non valdè id apparet.

Cardinem ſolſtitii Metonici medium videri, non exactum, ac verum, ſcripſi in Variarum Diſſert. p. 131. quod te minùs delectat. Et tamen in idem recurris poſtea; immo calidiori facinore, nihil verum inter, ac medium diſtinxiſſe tam illum, quàm ceteros ſtatuis: quod ſanè incredibilius eſt, quàm quod ſcripſeram. Sed nolo pugnare.

De Hipparcheo anno, vel periodo, non multùm à mea tua ratio diſcrepat. Fateris enim, quod planè demonſtraſſe videor, Hipparchum ex obſervationibus anni Solaris modum conſtituiſſe. De antiquioribus aſtronomis facilè remitto. Nam & Geminus, quod tu notaſti, ſolarem Metonis annum ex enneadecaëteride dierum 6940 colligit. De Hipparcho puto aliter ſentiendum. Hujus annus Lunaris dierum eſt 354, 8, 48′, 40″, cujuſmodi anni 304 cum emboliſmis menſibus 112 dies numerant 111035, 0. 48′, 53″, 20‴. Diſcrimen horum, & Julianorum totidem, dies 0, horæ 23, 11′, 6″, 40‴. Non igitur annis 304 juſta fit unius diei προέμπτωσις. Neque præciſè dies habet 111035 annus ille magnus Hipparchi, ut eum Cenſorinus appellat. Unde ex ejus diviſione modus anni Solaris definiri non potuit; ut trecentis annis unum expungendum diem ſciſceret, quia propè abeſt hic numerus à 304. quod ita demum uſurpari poſſet; ſi in annis 304 juſta peræquatio fieret. At non fit: Nam præterpropter anni 312 requiruntur, ut ſolidus dies perimatur. Non igitur 300 anni idcirco præfiniti ſunt, quia propiùs accedunt ad eum numerum, quo præciſa fit unius diei προέμπτωσις. Non enim 12 anni vel eo plures, exiguus, & inſuper habendus numerus videri potuit accurato homini, & aſtronomiæ principi. Sed de hac re nimiùm multa. Te velim perpetuò mei eſſe memorem, & eodem in me animo, quo cœpiſti: cujus mihi fidem poſtremæ tuæ litteræ fecerunt. quas qui huc attulit Joannes Roſenbergius præclarus juvenis, peſſimè habitum ſe à piratis noſtratibus queſtus eſt. Quod mihi vel ejus, vel tuâ, vel noſtrâ etiam cauſſâ plurimùm dolet.

Utinam bellicis iis tumultibus pax aliquando ſuccedat, quæ & Chriſtianis regnis, & Eccleſiæ ipſi tranquillitatem, atque otium afferat. Ita enim fiet, ut & litteræ noſtræ, & litteratorum commercia refloreſcant. Miſi ad te Diſſertatiunculam quamdam de Concilio Sirmienſi, & damnatione Photini; in qua haud vulgaria niſi fallor, pauca ſunt; ignota certè hactenus, & ab nemine comperta. Nunc Rationarii editionis poſtremæ tomos duos adjeci, grati erga te animi pignus, & diuturnæ ceſſationis meæ compenſationem.

EPISTOLA XXV.

Joſepho Mariæ Suareſio V. Cl. Romam.
Is poſtea Epiſcopus Vaſionenſis fuit.

PEto abs te primùm (Vir Eruditissime.) tarditati ut ignoſcas meæ, quòd eruditiſſimis, ſuaviſſimíſque litteris tuis tanto intervallo reſpondeam. Tum verò tibi, ac per te, ſi id nimiùm arrogans non eſt, fautoribus illis meis gratiam habeo, quantam capere maximam poſſum: etſi pluris amborum animum in me, quàm judicium de me (ſi is ſum, qui eſſe volo) facere debeo. Equidem quantumcumque ineſt in me facultatis, & ingenii, totum id Sanctiſſimo D. N. & ſecundùm hunc Eminentiſſ. Cardinali Barberino devotum, & addictum eſſe jamdudum cupiebam: poſtquam verò tantoperè iis intellexi probatum eſſe ſtudium, atque officium meum; majoribus ad id incitamentis, & aculeis urgeri me ſentio.

Ad te porrò quod attinet: quódque te amicitiam noſtram dicis expetere; facit hoc abundantia benignitatis tuæ; ut quod ambire, ac poſtulare debueram prior, id occupares, & exemplo tuo præire velles. In quo ut à te victum me eſſe fateor, ſic obſequio, cultúque conſuetudinis illius inferiorem me eſſe te deinceps non patiar. Ex eâdem profectum humanitate etiam illud interpretor, quòd te lucubrationibus meis tam valde affici prædicas. Quo ego fructu, ſi quid in iſtis humani ſpectare vellem, majorem, jucundioremque capere non poſſem. Sed prodeſſe me malo, quàm commendari lectoribus meis: tametſi utrumque eſt optandum. Sed in te prius idcirco locum non habet, quòd nulla re à me potes abire doctior: itaque poſteriore ſum contentus.

Poſtquam amori tuo provocationique ſatisfeci; nunc reſpondebo quæſtionibus tuis. Eæ ſunt de Juliani editione noſtra omnino duæ. Primùm enim moleſtum id tibi eveniſſe ſcribis, quòd cùm Galli ad Julianum epiſtolam ex Vaticana bibliotheca ad me miſſam inter reliquas ederem, Nicolai Alemanni qui eam Latinè interpretatus erat, nomen omiſerim. Simul illud inquiris, quid cauſſæ ſit, cur eidem huic epiſtolæ obelum impreſſerim, ſpuriámque judicarim.

Ad hæc nobis longo ſermone opus non erit. Primum enim de Alemanno interprete divinare quî potui? cujus nomen ab Holſtenio poſitum eſſe non memini. Mihi verò cum Nicolao Alemanno, quoad vixit, uſus & conſuetudo litterarum fuit: & mortui, propter ſingularem doctrinam & humanitatem, vivit apud me recordatio. quem ego tantillo hoc honore non fraudaſſem; ſi illum auctorem eſſe ſciſſem Latinæ hujus interpretationis: tametſi non magnam ex ea laudis acceſſionem ejus habere fama potuiſſet.

Eamdem porrò eſſe confictam ab otioſo Græculo, & ſuppoſititiam epiſtolam, ex eo conjectura fit, quòd imperitè admodum Gallus in ea Cæſar Julianum fratrem alloquens dicat ipſum, quantum quidem ferebat rumor, ἀποϛῆναι τ̃ προγονικῆς θρησκείας τ̃ ἐκ προγόνων παραδοθείσης: hoc eſt, ut Alemannus noſter reddidit: abdicaſſe primam religionem, quam à majoribus acceperat. Πρόγονοι ſunt, ut ex Platone vertit Cicero, generatores: ut ſunt avi, proavi, atavi. Itaque Gallus Julianum ait ab avis & proavis ſuis Chriſtianam accepiſſe fidem. Quo quid fingi poteſt obtuſius? Galli, & Juliani pater fuit Conſtantius Conſtantini Magni frater ex Theodora Maximiani Herculei privigna. Uterque ille Conſtantio Chloro genitus eſt, cujus origo ad Claudium Imperatorem à nonnullis refertur. Neutra verò de ſtirpe προγόνων Chriſtianam religionem ad Gallum, Julianúmque tranſmiſere: cùm omnes gentiles, & à Chriſto alieni fuerint: perſecutores etiam nonnulli Chriſtianorum. Quare planus iſte tamquam ἐξ ὧν προεγράψαμεν ſe ipſe prodidit. Mitto de Juliano id dicere, quod ex Hiſtorico conſtat, etſi jam olim profanis ſuperſtitionibus occupatus à Chriſtianis ſacris abhorreret, numquam tamen ſuperſtite Conſtantio, ſaltem ante Galli obitum, id præ ſe tuliſſe: ſed diligenter occultaſſe. Unde veriſimile non eſt, famam ejuſmodi, qualem impoſtor ille deſcribit, ad Gallum pervaſiſſe. Sed hoc minùs ad conjecturam eſt efficax. Illud validum & ἀναντίῤῥητον. quod mihi quidem: credo etiam & tibi, viro docto, & perſpicaci, perſuadebit; non inanem fuiſſe ſuſpicionem meam. Vale, méque ut inſtituiſti & amare, & in tuis numerare perge.

EPISTOLA XXVI.

Caſimiro Sarbievio Societatis Jeſu, Romam.

QUam multa nobis eodem tempore negotia ſint; hoc eſt doctrinarum tractanda genera (neque enim aliis rebus occupamur) tametſi prædicare ipſum fortaſſe putidum eſt, tacere tamen penitus non oportet. Credo enim mirari te, ac ſubiraſci mihi, quòd tamdiu jam acceptis litteris tuis nihil ad te ſcripſerim, ſic quaſi contemnam, aut officio iſto tuo, ac tam prolixa voluntatis erga me tuæ, amicitiæque ſignificatione non valdè movear. Tu verò neutrum ut de nobis ſuſpicêre, pro communi caritatis lege, próque ſingulari de te judicio meo, majorem in modum abs te peto. Nam nec eum eſſe te, quem parvi facere debeam, vel ex eorum litteris, quibus cum vivis quotidie, vel ex tuis ipſe cognovi; & quod ultrò te notitiam, ac familiaritatem noſtram expetis, non poteſt non eſſe gratiſſimum. Primùm quoniam id, niſi jam nos amares, non faceres. Eſt autem cùm amari per ſe jucundum ipſum: tum ſi ab altero provoceris, redamare neceſſe eſt, ac mutuum referre αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴ κε δύνηαι. Deinde tanta cum humanitate, ac modeſtia primum illum ad amicitiam noſtram aditum tibi paraſti; ut nimius etiam hoc in genere fuiſſe, & plus aliquantò, quàm neceſſe fuerit, voluntati erga nos tuæ indulſiſſe viderere. Quare prius illud magis me tuis in litteris delectabat. Nam quòd invidioſis me laudibus præter veritatem, prætérque meritum oneraſti, adeò neque placuit, neque placere debuit; ut niſi alterius, quod mihi ſuaviſſimum eſſe dixi, jacturam vererer facere, aut nihil omnino, aut ſeveriùs ad te ſcriberem. Quamobrem iſtam etiam cauſſam tarditatis in ſcribendo meæ ad ſuperiorem illam occupationum, ſtudiorúmque noſtrorum debes adjungere. Quamquam hæc ſanè præcipua fuit, quòd eodem tempore tam multa támque diverſa molientem ceterarum penè rerum oblivio capiebat, aut ut earum aliquando recordarer, quod de reſcribendi hoc officio negare non poſſum, identidem aliud in tempus otiúmque differrem. Sed cujuſmodi noſtræ illæ occupationes fuerint, inſequens annus oſtendet. De acumine nimis tu quidem ſubtiliter & acutè: vix ut ipſe ſatis intelligam quæ tu fortaſſe breviùs attigiſti, quàm ut nos humi repentes aſſequi poſſemus. Ego de acuto quatenus in oratione dictiſque cernitur, (nam in ceteris infinitè patet) ita ſentiebam: id ita vocari, quod & præter communem uſum exſpectationémque ſit, & cum re, qua de agitur maximè conjunctum. Ita ſit ut ad genus τ̃ πρός τι pertinere videatur, ac tam diſſentanea, quàm conſentanea ambitu ſuo contineat. Hanc acuti deſcriptionem exempla illa perſuadent, quæ in epiſtola tua poſuiſti, quæque aliunde colligi innumerabilia poſſunt. Quæ ſi diligenter animadverteris, duo quædam ineſſe videbis, propter quæ tum acuta nominantur; tum audientis animum admirabilitate, aut etiam jucunditate percutiunt: nimirum quod & παρὰ προσδοκίαν accidunt; & mirificè ad rem attinent. Quæ enim ſunt ejuſmodi, altiùs penetrant, & inſignius ſui veſtigium animis imprimunt. Hoc verò eſt τ̃ ὀξέων, id eſt acutorum proprium. Mea hæc eſt de acumine acutóque ſententia, quantum celeri mentis agitatione, ſubitóque impetu conſequi potui.

Tu cùm Opus de Acumine quod polliceris elucubrabis, non dubito, quin pleniùs & acutiùs tibi ipſe reſpondeas. Vale interim, & nos amare perge.

Digitized by Google

EPISTOLA XXVII.

Rolando Mareſio V. Cl.

ITA prorſus eſt, ut ſcribis, erudite MARESI, neque valdè mirari attinet, perpaucos ætatis hujus homines in utroque doctrinæ genere eſſe præſtantes, tum eo, quod elegantibus, ac po●tis artibus conſtat; velut Grammaticâ, quam Criticem Polybius appellat; & variarum linguarum ſcientiâ: tum nobiliore altero, cujus regnum Philoſophia, & Theologia inter ſe partitum obtinent. Atqui ſumma eſt, inquis, amborum conſenſio, & uſu ſecum, ac conſuetudine copulantur; ut à ſe mutuò divelli, ac diſſociari neutrius interſit. Verè id quidem à te commemoratum arbitror: ſed cur mirum videri non debeat, cauſſæ ſunt admodum multæ: è quibus vulgares, & obviæ ſunt iſtæ; amplitudo ſingularum, & propemodum infinitas; breve ſpatium ætatis; neceſſarii ad otium ſubſidii, reique familiaris anguſtia; corporis imbecillitas; turbulenta tempora, & ſtudiis inimica pacis; complura id genus alia, quæ ingenii retundunt, & hebetant aciem, ardorémque reſtinguunt. Sed eſt una reconditior adhuc, & ſolis alumnis nota Chriſtianæ ſapientiæ; quæ ex ſummi, & hominum amantiſſimi creatoris providentia petitur: quæ quidem ſimiliter ac terrarum per diverſas regiones indolem, & ubertatem; ſic animorum proclivitatem, captúmque mirabili varietate diſpenſat: ut non promiſcuam omnibus omnium copiam indulgeat. De hujuſmodi diſſimilitudine locorum præclarè hoc alicubi Chryſoſtomus; Deum certarum rerum proventum quibuſdam dediſſe terris, negaſſe ceterarum; ac viciſſim quod his detraxit, aliis attribuiſſe: ne contenta ſuis opibus, & nullius egens aliqua, exterorum contemptum incolis ſuis afferret: atque ut alterna illa copiarum egeſtas, & compenſatio, omnes inter ſe conciliatos, & pacatos haberet: ex quo longinquæ peregrinationes, commeationéſque gentium, & commercia terrâ marique negotiantium: quibus mutua generis humani caritas, & ſocietas alitur. Licet iſtud ipſum ad ingenuo dignas homine diſciplinas transferre. Nam alios præſtare aliis artibus, & inventis voluit Deus; nec ab uno tamquam communi fonte, quæ ſcire cuperent, haurire ſingulos: ne ſe ille arrogantiùs efferret, atque inter homines cujuſdam principatum divinitatis aſſumeret. Vide, amabo te, quàm multi ſint, in una quapiam etiam inferiorum artium, qui quòd multis anteferri ſe vident, infra ſe poſitos omnes deſpiciunt, próque nihilo ducunt. Eſt in hiſtoriis fuiſſe medicum neſcio quem: Menecratem opinor vocabant: qui cùm ex profeſſione hac & ad quæſtum, & ad nominis gloriam profeciſſet, amore, opinionéque ſui miſerè perditus, Deum ſe appellavit ipſe, & appellari ab omnibus voluit: credo quòd vitæ, necíſque, itidem ut Deus eſt, arbiter haberi cuperet. Quid in reliquis ſtudiis? Duo epiſtola tua commemoravit, unum Grammaticorum ſive Criticorum: alterum Philoſophorum. Nam de Theologis *ἄσημά μοι κείσθω*. Ergo ut utroſque paucis perſtringam: ſcis priorum poſtremis his ſæculis duobus quanta vilitas fuerit: in pleriſque verò quæ animorum feritas, & immanitas: quanta in eorum libris libido rixandi; quanta ſtili petulantia: quàm ſæpè parvis de rebus, de litterulis, ac voculis internecina orta ſint odia, & certamina: tamquam de ſalute patriæ, déque capite ſuo, & civium omnium agatur.

De Philoſophis nihil ad hoc teſtimonium addi poteſt, quod in ea, quæ eſt ad Romanos epiſtola, graviſſimum, ac veriſſimum dixit Apoſtolus: ubi poſtquam illos in omni doctrinarum genere perfectos exſtitiſſe docuit, eóque perveniſſe, ut ex intima rerum creatarum contemplatione ad creatoris ſe cognitionem attollerent; tandem ipſis refert ſuam fuiſſe fraudi excellentem, & propè divinam ſcientiam: quâ elati, & inflati in horrendam cæcitatem prolapſi ſunt. *Quoniam cùm cognoviſſent Deum; non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Verùm ne longiùs in iſtis eruditorum perſequendia minis ſermonem protraham, & ut eò me revocem, unde ſum ad illa delapſus: non alia mihi viſa cauſa veriſimilior eſt, propter quam Deus, cujus unius nutu infima quæque, præſertim humana gubernantur, terminis quibuſdam definiri voluit ingeniorum modulum atque captum: ut aliorum egentes operâ, viciſſim & ipſi de ſua libenter accommodent: nec ſe ſolos *αὐτάρκεις*, & fortunatos exiſtiment.

Atque hæc quidem benè perſpecta, & conſiderata ratio id quidem poteſt, ac debet efficere, ut litterarum cupidi in omnibus diſciplinis excellere ſe poſſe diffidant; nec hujus rei gratiâ nimiùm doleant: non autem ut certo delecto genere, in quo habitent, & præſtare ſtudeant, non ex ceteris, illius, quam arripuerunt, adjumenta, vel ornamenta conquirant. Scitum illud eſt apud Xenophontem Socratis; non omnes omnibus perfectè diſcendas, & exhauriendas eſſe artes: ſed tantùm de ſingulis capiendum, quantum neceſſe videbitur. Quod ſi fieret, plus eſſet eruditionis in pleriſque, ac perturbationis, & moleſtiæ minùs. Hoc igitur ſequantur, qui benè docti eſſe cupiunt, & unam de cunctis amplectantur ſcientiam; in qua ſedulam, & præcipuam operam collocent: ex aliis verò, &, quoad fieri poteſt univerſis, tantùm deguſtent, ac derivent; quantum ſatis ſit ad excolendam, illuſtrandámque primariam. Ita fieri poterit, uti compos omnium ſit unus; qui quidem ſobriè tamquam vino, ſic illarum cognitione uti velit ad ſalubritatem, non ad ingenii oſtentationem, & jactantiam. Tum illa verò epiſtolæ tuæ querela præcidetur; quæ arctiſſimo inter ſe nexu colligatas, & fœderatas artes diſtrahi non æquo fert animo, & ad priſtinum orbem revocari jubet; uti mutuo ſibi emolumento, & ſplendori eſſe pergant. Tunc & boni Philoſophi, non mali Grammatici; & hi viciſſim, ſi id curent, Philoſophi probabiles eſſe poterunt: quales & olim fuiſſe tibi aſſentior, & hoc tempore, ſi me audierint, non deſpero fore. Nec de Philoſophia dumtaxat ita ſentio; ſed etiam de pervagata in ſcholis divinarum rerum ſcientia: cui & ipſi plurimùm ex humanitatis ſtudiorum commercio adjumenti comparare licet; præſertim ex Grammatica: ſaltem ut in rebus ſuis explicandis derſâ barbarie, conditam nitore aliquo ſermonis orationem afferat. Quamquam non is ego ſum, qui inconcinnè, & ſubruſticè loquentem Theologiam, deridendam, vel damnandam omnino cenſeam: quod nonnulli faſtidioſi, ac delicati ſtomachi faciunt. Et quoniam meum tractandæ illius inſtitutum commendabat epiſtola tua, idque placere ſibi ſignificabat, quòd in Theologicis exponendis dogmatibus, ſermonis offenſionem vitare ſtuduiſſem, paullulùm hic immorari volo, ac tibi illos excuſare munditiæ in loquendo negligentes, & eorum apud te cauſam agere.

Ac Latinitatis quidem in ſcribendo puræ, elegantíſque copia quàm non paratu facilis ſit, nemo te meliùs exiſtimare poteſt: qui & in eo multùm elaboraſti, & laboris fructum hac ætate ſingularem es aſſequutus. Illud verò cùm per ſeſe, & in omni genere argumenti ſpiſſum, operoſúmque ſit: tum multò difficilius eſt, cùm obſcuris, nec politæ antiquitati cognitis in rebus diſputandis adhibetur. Quod equidem duabus de cauſis evenire arbitror. Altera eſt, quòd eodem tempore in duo, & quidem genere diſſimilia, ſcribentis animum dividi neceſſe eſt: cùm & rerum ſubtiliſſimarum intricatas notiones evolvere, & quibus eas verbis ornet, ac veſtiat, cogitare interim oporteat. Altera eſt cauſa inferioris ætatis, & noſtræ propria; quòd ſpinoſæ, ac perplexæ commentationes illæ, in quibus enodandis defuiſſe noſtris Latinæ cultum dictionis docti homines queruntur, novæ ſunt, & priſcis illis Romanæ concinnitatis auctoribus inuſitatæ; ac propterea nullo ab iis ornatu ſermonis expolitæ. Ita fit, ut cùm vivere jamdudum Quiritium lingua deſierit; nec aliunde, quàm ex illorum monimentis, exquiſitarum vocum, & locutionum copia ſuppetat: hoc deſtituta præſidio noſtrorum induſtria, nihil dignum vetere opulentia poſſit expromere. Quo minùs iraſci convenit acutis illis, & ſollertibus viris; qui cùm Philoſophicas, & Theologicas quæſtiones enucleare inſtituiſſent, ita ſe penitùs in earum contemplationem infixerunt, ut omni cura elocutionis abjecta parum Latinè ſint locuti. Quos enim in talibus edniſcrendis adhibere magiſtros ex erudita antiquitate potuerunt? aut qui-

bus tandem vocibus illa declararent, quorum nullum iſtorum in libris veſtigium relictum cernerent? Itaque neceſſitatem verterunt in legem, & inventa, cogitatáque ſua rudi, & incompoſito ſtilo ſic inſuevere proloqui: ut jam philoſophorum, & ſcholaſticorum more ſermocinari, ſit idem, quod barbarè, opicéque dicere. Atqui fuit aliquando tempus, cùm Scholaſtici nomen, & quod ab eo deflexum eſt, Scholaſtice loqui, in præcipua docti, & elegantis ſermonis laude poneretur. Nam & Scholaſticum appellare mos fuit eruditum, & in bonarum artium diſciplinis exercitatum hominem: & Scholaſticè dicere, vel ſcribere, idipſum erat, quod ex arte, præceptiſque rhetorum affabrè factam orationem contexere. Nunc mutata ſunt tempora; cúmque his, uſus & conſuetudo loquendi. Quod arbitror moderatè ferendum vobis eſſe leporis, & urbanitatis amatoribus, ac cum Latinæ facultatis inopia compenſandam tot acute inventorum ſollertiam. Quamquam non ad omnes generis iſtius, & ſectæ Theologos querela veſtra pertinet. Nam aliqui inter eos extiterunt, ſi minùs, quàm vos, facundi, & ornati; non tamen putidi, ac ſatis commodè, boniſque verbis, divinis de rebus explicantes. Quis autem amplius aliquid ab illis requirat? niſi forte dicendi veneres, & oratorios calamiſtros diſciplinæ utriuſque natura deſiderat.

Verùm de hoc argumento non eſt propoſitum hîc agere: quod in prolegomenis tomi primi Theologicorum dogmatum cumulatè præſtiti: ubi illud expoſui, quodnam ſit Theologicis quæſtionibus tradendis accommodatum dictionis genus: & cujuſmodi in illis conſcribendis ſim ipſe perſecutus. Cujus ad extremum ſumma hæc eſt confecta; neque turpiter, ac non Latinè loquentem decere eſſe Theologum: ut de Philoſopho modò taceam: neque tamen oratorio illo fuco, & pigmentis pueriliter excultum. Quod decori, & ad uſum congruentis ſermonis temperamentum cùm eſſem meis illis in dogmatibus exprimere conatus, inventus eſt tamen ex illa fæce Armacanorum Theologorum, cui noſtra hæc in Latinè ſcribendo cautio, ingenua, ut opinor, & neceſſaria diſpliceret; ac mihi quod nimis diſertus, & ut interpretabatur, Ciceronianus eſſe mallem, quàm trito, inveteratóque more inamœnus, & incomptus, probro verteret. Adeo difficile eſt ſatisfacere omnibus, & infectum, inolitúmque non minùs animis, immo multò his magis, quàm corporibus, morbum, & vitium eluere. Ego verò aſpernari leviſſimos homines, & eorum convitiis nihil moveri quotidie condiſco: præſertim in illis, quæ tu cùm tanti facias, & ab ea, quam moroſus iſte vituperavit, parte commendes: ineptus ſim, ſi priori illi meo, ſubſcriptione corroborato tua, obſcuri & ignoti theriacopolæ judicium anteponam. Vale, méque, uti facere inſtituiſti, amare perge.

EPISTOLA XXVIII.

Valda me delectat impetus ille animi tui, quo te in litterarum ſtudia ferri video. Nec minùs illud afficit: quòd ad eum ardorem judicium affers & prudentiam. Id adeo ex illa tua poſtulatione intellexiſſe videor, quâ methodum & ordinem quemdam à me elicere cupis, quo tu deinceps in illo curſu progredi poſſis. Faciam ergo quod jubes, nec tui tantùm cauſſâ, ſed etiam aliorum quos idoneos judicaveris, certam quamdam rationem explicabo, non illam quidem reconditam, ſed ejuſmodi quam tibi & aliis, qui perinde ac tu curſum hunc litterarium auſpicantur, certiſſimam & expeditiſſimam fore confido.

Qui igitur in ipſo docendi tirocinio, privatim conſulere ſibi, ac ſuorum ſtudiorum habere rationem inſtituunt: tria potiſſimum perſequi, & in iis elaborare oportet. Primum eſt orationis utriuſque ſtilus, hoc eſt ſolutæ numeris, ac devinctæ; alterum Græcæ linguæ peritia; tertium varietas eruditionis, & Latinorum, Græcorúmque Scriptorum uſus & conſuetudo. In his præcipuè tribus illorum occupandus eſt labor. Sed hoc imprimis admonendi ſunt, unum aut alterum annum duabus in primis exercitationibus, hoc eſt procudendo Latino ſtilo, ac Græca eruditione collocandum eſſe, tertium uſu jam ac diſciplina maturioribus paullatim adeundum.

Matutinum ferè tempus in recolendis primùm Rhetoricæ præceptis, Cicerone legendo, ac ſcriptione tranſigant. Præcepta per id tempus non aliunde quàm à Soaris elementis, ac technicis Ciceronis libris, haurienda ſunt. Igitur primos omnium oratorios evolvat, tres, inquam, qui de oratore ſunt inſcripti; tum oratorem ad Brutum, qui ad artificium illud, quod vocant oratorium, ac nitorem orationis, & cultum, ſingularia adjumenta ſuppeditat. Adjungat & recentiores aliquos qui de figuris ac numeris breviter, accuratéque ſcripſerint, cujuſmodi nunc Strebæus occurrit. Quamquam ut è Cicerone præſertim, & Quintiliano, lepos iſte diſcendus orationis eſt, ab illo etiam uſus ornamentorum omnium, atque exempla comparantur.

Primum & ſecundum fere menſem in ſola præceptorum lectione, ac Ciceronis tractatione, ſine ulla ſaltem ſeria ſcribendi exercitatione, conſumat. At particulas interim orationis aliquas, velut exordia, communes locos, ſcriptitare nil prohibet, tamquam periclitandi ſui, vel ejus quod legerit, imitandi gratiâ. Caveat ne Ciceronem cùm in manus ſumpſerit in ſeligendis ac deſcribendis loquendi formulis, ac figuris, & id genus ceteris, abutatur otio. Quin pauciſſima per id tempus annotet, ne contentio ipſa legendi, quæ ſingularem in nobis eloquentiæ formam poteſt exprimere, toties interpelletur. Exacto ad ſummum altero menſe, ſcribere deinceps aliquid incipiat, & quod legerit imitando conſequi. Scriptiones porrò in omni cauſarum genere verſentur, ac nonnumquam etiam epiſtolæ ad exemplar Ciceronianum elaborandæ ſunt.

Primis menſibus poëticam ne attingat omnino, donec Ciceronianam elegantiam penitus animo ac ſtilo combiberit: reliquis deinde bis terve per hebdomadam, Latinum carmen meditari poterit; ad ídque prius Virgilii ſe tractatione perpoliat, quem unum in heroicis admirari æmularique convenit, Statio, Claudiano, ac reliquis tantiſper omiſſis, donec Virgiliano charactêri ſic aſſueverit, nihil ut ex deteriore allini atque adhæreſcere poſſe confidat. Nam in omni, quæ quidem ſeriò ſuſcipitur, exercitatione ſcribendi, conſectandum illud eſt, uti certum propriúmque genus exprimatur, non ex variorum ac diſſimilium Scriptorum imitatione, mixtum atque confuſum. Errat autem, qui aut Ciceroni ſoluta in oratione; aut in carmine, Virgilio auctorem anteponit ullum.

Multùm verò Latinæ ad orationis facultatem pertinet, præter Ciceronem adhibere certos interdum è recentioribus, qui ſe Ciceronianos fuiſſe ſtuduerint, cujuſmodi eſt Perpinianus, Muretus, Manutius, Sadoletus, Longolius, & Itali quidam ſuperioris ſæculi. Nam & illorum conſuetudine, neſcio quomodo paullatim ad Ciceronis imitationem aſſurgimus, & ea tractant argumenta quæ ſunt uſui noſtro, & ſcholis accommodatiora; cum alioqui Ciceronis orationes in forenſibus controverſiis, à quibus alienæ ſunt exercitationes noſtræ, pænè conſiſtant univerſæ. Sed illi rariùs, & curſim adeundi ſunt, in uno verò Cicerone commorandum, in ejúſque lectione propemodum habitandum: ut is ſe plurimùm profeciſſe ſciat cui, ut ait Quintilianus, Cicero valdè placebit. De ſtilo dixi: proximum eſt, ut de Græcæ linguæ diſciplina præſcribam.

Tametſi primis, ut dictum eſt, menſibus, perpoliendi ſtili Latini primaria eſſe cura debeat: eodem nihilominus tempore, ut ne ſimilitudine occupationum fatigetur animus, ſed nonnulla varietate recreetur, certæ Græcis horæ ſeponendæ ſunt, maximè pomeridianæ. Principio Grammaticæ præceptiones revocandæ in memoriam erunt, atque uſu continuo, & mutua quoque contentione, penitus in animo defigendæ; tum auctores tentandi initio faciliores, quales ſunt Æſopi fabellæ, Plutarchi apophthegmata; Aphthonii progymnaſmata, cum fabulis; vitæ Plutarchi, Xenophontis opera, Lucianus, Herodianus, Iſocrates, Heliodorus, Demoſthenes, Plato, Themiſtius. Inter legendum non nimis ſunt enucleanda, & ad vivum reſecanda ſingula, ſed mediocri vocabulorum & orationis luce contenti quamplurima percurrant, intelligántque nulla alia ratione Græcæ linguæ copiam, quàm multa, & conſtanti Veterum lectione comparari. Quoties aliqua vox occurret, cujus ſignificationem neſciunt, eam in

pugillari

pugillari notent, quem libelli in morem ſecum habeant, & collectas voculas identidem recogniſcant, mandéntque memoriæ.

Bienniu confecto, ſuperiores quidem exercitationes, quoad licet, retinendæ ſunt: ſed de temporis in exercendo ſtilo diuturnitate deducendum, deque Græcis aliquid, quod in eruditionis variæque doctrinæ ſtudio collocetur. Ea ex Veteribus maxime retinenda, quæ quidem hiſtoriæ, antiquitatis Romanæ, Græcæque, & utriuſque ſcriptorum uſu continentur. Sed antequam in hiſtoriam ſeſe penitus immergant, duo comparata debent eſſe præſidia; alterum Coſmographiæ, vel Geographiæ; Chronologiæ alterum; utraque tamen initio, ſed hæc poſterior maxime, leviter adumbranda erit, non accurate penitúſque perſcrutanda: poſtea ſi uſus & voluntas erit, major adhiberi diligentia poterit.

Hiſtoriarum ab Romanis repetendum eſt principium, in quibus Livium cum Dionyſio Halicarnaſſenſi componet; ad eóſque, duces applicabit Sigonii Faſtos, idque adeò ſtudebit Romanæ ut antiquitatis, & hiſtoriæ ſit apprimè peritus. Quam in rem Sigonii, Onuphriique libros omnes, qui de Romanis antiquitatibus moribuſque diſputant, attentè perlegat. Ab ea porrò parte, quæ de Magiſtratibus agit, ordiatur: cujus, ut & partium reliquarum, ab Roſino rudimenta petuntur.

Criticos recentiores, ut Lipſium, Turnebum ac ceteros, ſubſecivis horis, ac certis per hebdomadam temporibus leget, & eorum ipſemet exemplo quæ inter legendum caſtigatione, obſervationéque digna judicaverit, de iis conjecturas ſuas in commentariolum redigat.

Locos communes deinceps ſtudioſè conficiat: quorum qui contemnit uſum, nihil unquam iis in ſtudiis inſigne conſequetur. Sed ea tantum ſeligat quæ minùs trita vulgò, aut ad uſum certe quotidianum neceſſaria cognorit: quæ verò jam aliorum lucubrationibus occupata ſunt, & commentariis libriſque comprehenſa, ea ſummatim delibet, & ad fontes ipſos digitum intendat. Ob id communes inſtituere locos non antè expedit, quàm ſit paullulùm uſu librorum, judicióque maturior.

Temporis partitionem utpote jam doctrina corroborati ſibi præſcribent ipſi: quæ pro ætate cujuſque ac profectu, tum ſchola cui præficiuntur, non uniuſmodi præſcribi poteſt.

Ad hæc omnia genera privatarum exercitationum, adjungendum eſt diligenter ſtudium Latini ſermonis, non ejus ſolum, qui majore otio, & labore, in meditatis, & affabrè quodammodo factis orationibus expromitur, ſed quotidiani, & familiaris. Is eſt duplex: nam alter in privatis colloquiis, alter in ſcholis, enarrandis auctoribus aſſumitur. Ac cum ſit utrumque dicendi genus ab oratorio diverſum; quod eo minùs limatum, & ad Ciceronis archetypum incurioſius exactum eſſe debeat: poſterius tamen, quod in prælectiones inſumitur, majorem ut ornatum, & copiam, ſic operam, & contentionem requirit. Quocirca formandi ſunt ad utramque palæſtram domeſticis aſſiduiſque commentationibus præceptores noſtri: atque in familiari quidem ſermone multùm adjuvat, proprias rerum omnium appellationes, partim obſervatione Latinorum veterum, partim recentiorum quorumdam lectione condiſcere: qualis eſt nomenclator Hadriani Junii, prædium ruſticum Caroli Stephani: ex antiquis autem Columella, Plinius, aliique ſimiles, qui in magna rerum, ac verborum ubertate verſantur. Cavendum eſt autem, ne in pedeſtri illo ſermone, longiores, ac numeroſos circuitus, & proprias oratorum dicendi formulas immiſceant, quod pauciſſimi hodie devitant. Fatendum eſt enim plures hac ætate reperiri qui copioſè, & diſertè, quàm qui Latinè loquantur: cujus rei cauſa hæc eſt, quòd Latinam linguam non aliunde quàm ex libris, ac lectione comparamus. ita fit ut cùm libri numeroſo illo verborum, ac ſententiarum ambitu concluſam orationem præbeant, idem dicendi genus imprudentes, etiam ad uſitata colloquia transferamus: quod eſſe vitioſum ſermonis vernaculi ſimilitudo demonſtrat. Si quis enim itidem loquatur ut ſcribi ſolet, is non hominum more confabulari, ſed nugari, aut inſanire putetur.

Ad orationis perpetuæ facultatem, quam ſcholaſticam ſanè nominemus, magnopere conducet privatim ſibi proſpicere quemque: ſi id minus in commune fieri poſſit: crebróque ſecum, vel cum aliquo de collegis ſuis, Latinè conferre ſermonem, tum fabulas & hiſtorias, primùm meditatò, pòſt interdum ex tempore dicere, alias de iis quæ apud auctores legerit, prælectionis in modum, quaſi ad diſcipulos verba facere: quæ quò libentiùs ſuſceperit, eò ad docendum paratior, & inſtructior accedet. Nam ex omnibus ſcholarum officiis id eſſe difficillimum conſtat, Latinè dicere: ſic ut expeditè, non tractim ac titubanter id facias, tum verò eleganter & ornatè.

Hæc habui quæ de ſtudiorum ordine, paucis, & quoad poteram accuratè, perſcriberem. Tu niſi quid melius his habes, iis utare cenſeo, ac meam cauſam apud communem Dominum agere pergas. Nihil hoc mihi gratius facere potes. Vale.

EPISTOLA XXIX.

NUPER his contractioribus noctibus, cùm inſomniâ laborarem, ſubiit animum hæc recordatio: clariſſimos quoſdam viros in pari cauſſa Perſii prologum Græcè vertiſſe. Quos ut imitarer, temperare mihi non potui, quin & ego quid hac in re poſſem experirer, ac tecum communicarem, ut ſomnii perinde ac vigiliæ fructus tibi aliquis exſtaret. Sic igitur Latinos illos ſcazontas Græcis totidem expreſſi.

Οὔτ' αὖα πίγξα χεῖλε' ἱππίῳ κρήνῃ,
Οὔτ' ὄναρ ἄκρησιν ἐνδεφοῖσι Παρνασσοῦ
Εἶδον, ποιητὴς ὡς ἀθρόωσθεν φανῶν.
Ἑλικωνίδας, καὶ ὠχελῶσαν Πειρήνην
Κείνοις ἀφοίδω, ὧν κατ' εἰκόνας σίψας
Κιττὸς διερπεῖ. ἀλλ' ἐς ἱερὰ ποιητῶν
Ἡμιπαγάνης τύμον εἰς ἐπ@ πέμπω.
Τίς ψιττάκοις ἤρθρωσε τὸ σφῶν χαῖρε;
Κίττας τε τίς δίδαξεν ἀνδρικὴν φωνήν;
Τέχνης καθηγεμών, νόω τε δώτηρ
Γαστήρ, φθεγμάτ' ἐκμαθεῖν δεινή.
Εἰ δ' αὖτε δολιχὸν νομμάτων φανεῖ ἐλπίς,
Κόρακας ποιητὰς, καὶ ποιητρίας κίττας
Ἄδειν δοκοίης Πηγασίδων μέλος.

EPISTOLA XXX.

Joſepho de Voiſin V. Cl.

LIBER tui ſpecimen, quod ad me recenſendum, caſtigandúmque miſiſti, VIR CLARISSIME, reliquit me ex cenſore, ac magiſtro, rediens ad te, admiratorem ſuum. Adeo multa in eo legi præclara, & ſcitu digna. Sed imprimis argumento ipſo placuit: quod amplum per ſe ac magnificum, tractatione ipſa ſplendidius illuſtriúſque feciſti. Quid autem Chriſtiano Theologo jucundius atque optatius eſſe debet, quàm quod illic agitur, ut fidei dogmata ex ipſorum, qui implacabiles ſunt illius hoſtes, Hebræorum placitis, & decretis adſtruantur? Sed ineſt prætereà illo tuo in opere non vulgaris iſte fructus, quòd inveteratus ex eo convincetur error non minùs bonis artibus, quàm Chriſtianæ rei pernicioſus. Nam ſunt plerique nec obſcuri, nec contemnendi ceteroquin homines, quibus Hebraiſmi ſtudium, vel omninò diſplicet; vel tantum in eo collocari operæ, minus profectò placet. Quod ipſum duabus de cauſis ſentire illos animadverti. Primùm quòd inde præſidia ſubminiſtrari putant novitatis in religione plus æquo cupidis hominibus, quibus ad Catholicæ ſimplicitatis, auctoritatiſque contemptum illorum acuitur, & armatur audacia. Deinde quòd ita perſuaſum habent, nihil in reconditiore Rabbinorum ſupellectili, præter commentitias res, & aniles, ac ludicras contineri ſabulas: quos quidem accuratiùs explorare, uti nihil obſit (quod tamen difficile ſit credere) certè nihil ad veram, ſolidámque ſcientiam admodum interſit. Hæc igitur duo quæ Hebraicarum litterarum alioquin appetentes, abſterrere ſolent, tuo illo ex opere depelli, ac refutari magno-

perè gaudeo. Nam & diſcent qui hoc legere volent, quanto ad rem Catholicam tuendam, & ornandam adjumento diſciplina iſta eſſe queat, ſi non minùs prudenter, quàm eruditè tractata fuerit: & non pauca ineſſe iſtic intelligent, quorum ne graves quidem, & apprimè pios, Theologos pœnitere debeat.

Atque ut deſint cetera, quanti tandem illud æſtimandum eſt, quòd ex tuo armamentario in promptu nobis ea ſunt, quibus recentiorum ex illa fæce Judaiſmi frangi, ac revinci contumacia poterit? Quæ hominum natio etſi plumbea ſit, & communem cum vera pietate ſenſum, ac rationem amiſerit; tamen dum ſe majorum ſuorum ſententiis, quorum proxima eſt apud illos ab ſacris libris, immo par æqualiſque dignatio, tam perſpicuè refelli viderint, non poterunt, niſi dedoceri, ac reſipiſcere velint, ſine pudore aliquo, & æquiore in nos animo diſcedere. Non eſt autem in cenſu, & apparatu Chriſtiani Doctoris ac Theologi, poſtremo numeranda loco vis, & facultas illa Judaicæ coarguendæ perfidiæ: ut à quo populo lucis, & ſalutis per Chriſtum in nos primordia derivâta ſunt, nos in illum viciſſim eadem iſta, per quæ ſalvi ſumus, fidei & Chriſtianæ veritatis beneficia conferamus. Mihi quidem, ut de me profitear, non parva videtur futura hæc acceſſio ad Theologicorum noſtrorum Dogmatum commentationem: in qua me ſcis occupatiſſimo nunc animo otióque verſari. Tum verò impenſiùs hortor, ut in eo, quod feliciter inſtituiſti, quoad tuo, publicóque commodo poteris, graviter & impigrè perſeveres: itaque prorſus habeas; primâ iſtâ lucubratione tuâ non perfunctam & abſolutam apud nos fidem & induſtriam tuam; ſed ad uberiora poſthac iiſdem ex Hebræorum, & ingenii tui fontibus proferenda, devinctam, & oppigneratam teneri.

Verùm hæc adhuc ſperanda ſcilicet, & poſtmodum opera, ſtudióque tuo fruenda ſuccedent. Quod autem moliris in præſens, & cujus mihi guſtum ac ſpecimen repræſentaſti, ſi iis quæ legi, cetera, uti confido, reſponderint, magno mihi tum ad illam, quâ ſum erga te uſus, hortationem incitamento ſunt: tum ad communem exorandum Dominum, tibi ut ad exequenda reliqua, corporis animique vires ſuppetant: & illius, quod jam edideris, fructus ex communi utilitate, & proborum ac doctorum approbatione conſtet. Vale, vir eruditiſſime, & me uti facis, amare perge.

DIONYSII

Digitized by Google

DIONYSII PETAVII AURELIANENSIS, E SOCIETATE JESU, EPISTOLARUM LIBER TERTIUS.

OFFICIOSÆ.

EPISTOLA I.

Urbano VIII. Pontif. Maxim.

DIFFICILE eſt bonis in rebus, ac proſperis modum tenere: (SANCTISSIME PATER) & quos ſecunda quædam favoris aura provexit; ii longius, quàm initiò putabant, aut quàm pudentes decet, nonnumquam feruntur. Id adeo in me ſum expertus ipſe: qui nuper honorifico S. T. judicio, & Apoſtolicis ornatus litteris, contineri non potui; quo minùs ad eum me benignitatis portum, quem mihi ſemel patefactum videram, eâdem ſpe rurſus, ac fiducie referrem. Hoc verò eatenus majore, quàm dudum, audacia nunc inſtitui facere, quòd te non ſolùm publicè appellare ſum auſus cum ejus generis munuſculo, quo mihi ad gratiam tuam aditum paraveram: ſed has etiam privatas adjeci litteras, parum fortaſſe verecundè, pænéque familiariter. Verùm ut hoc ſuſciperem, cùm tua priſtina in me benignitate, tum quodam inſuper religionis ac pietatis officio ſum adductus. Cujus officii ratio etſi eſt à me verſibus iis expoſita; quibus Latinum, Græcúmque poëma nomini tuo conſecravi; eamdem tamen ſolutis, ac dilucidioribus verbis iterari hoc loco patieris.

Colitur hac in urbe incredibili populi veneratione B. Genovefa: quam multis, maximiſque miraculis illuſtrem, imprimis vero curatione morborum, Pariſienſes ſibi olim patronam adoptarunt: éſtque illius nomini dicatum cum æde ſacra Cœnobium; cujus Abbas eſt hodie Eminent. Franc. Cardin. Rupifucaldus, virtutum vir omnium laudibus excellens. Hujus ego juſſu, & hortatu ante annos undeviginti Officium ut vocant, Eccleſiaſticum Sanctæ illius Virginis de integro ſcripſi; quod Romam ille miſit, ad ſacrorum Rituum Congregationem; ut ejus decreto probatum manaret in publicum, & uſui omnibus eſſe poſſet. Ac decretum quidem de illo jamdudum ſacra Congregatio fecit: ſed ab ſcrinii magiſtro iſtud impetrari non potuit. Quocirca ab S. T. enixè peto, ut quod ſacra illa Congregatio ſanxit, ratum eſſe jubeat, nobiſque Decreti illius copiam facere dignetur. Eſt illa quidem perexigua poſtulatio, nec tantæ majeſtatis auribus fortaſſe digna, ſed pro meo erga ſanctiſſimam patronam amore, ac ſtudio, id in magni beneficii loco numerabo, fiámque ad preces pro tua incolumitate fundendas alacrior, ut Sanctitatem tuam, (quod à Deo ſupplex optare ſoleo) his affixam Eccleſiæ gubernaculis, ac pro voto omnia gubernantem, quàm diutiſſimè conſervet. Vale.

EPISTOLA II.

Urbano VIII. Pontif. Maxim.

VERISSIMUM illud eſt, BEATISSIME PATER, quod de Romana urbe Veterum quiſpiam dixit, longiùs eam Chriſtianâ religione ac pace, quàm armis fines imperii protuliſſe. Cujus rei fidem antea nos ex annalium repetere memoria ſoliti eramus: nunc oculis ipſis quotidie uſúque noſtro, iis in locis populiſque aſpicimus, ad quos propagandi cauſsâ Evangelii jamdudum ſumus profecti. Nam cùm hos in extremis ſitos Mundi partibus, & ab orbe noſtro Romaníque communione nominis, non tam vaſtiſſimo terræ ac maris interjectu, quàm immanitate ac barbarie disjunctos, ad oblatam lucem accurrere tam cupidè ardenterque cernimus, atque ignotum cum Chriſto, ſedis Apoſtolicæ nomen & principatum admittere: neque de eo, quod dixi, dubitare poſſumus; & illi ipſi tanti auctori boni Chriſto, ac tibi hujus vicario gratulandi finem nullum facimus. Hunc nos gratulationis officiique ſenſum, quamdiu intra modum conſtitit, ac coerceri ſe paſſus eſt, tacitum inter nos habuimus; neque ad tantæ majeſtatis notitiam per nos ipſi propagare auſi fuimus. Sed ubi quotidianis auctus ſucceſſibus majorem efferbuit in modum; vicit pudorem omnem ac verecundiam, méque ſimul obſcuritatis oblitum meæ coëgit privatim de iis ad Sanctitatem tuam litteras dare. Itaque dabis hanc audaciæ meæ veniam, ſi pro officii mei munere, ac rei magnitudine, id mihi ſumo, ut de rebus noſtris novæque Eccleſiæ quæ hîc ſub auſpiciis Sanctitatis tuæ coaluit, ea perſcribam, quæ tibi non ingrata nec injucunda confido fore.

Regionem incolimus, quæ in Americæ parte Septentrionali ſita, nova vulgò Francia dicitur. Ea ſecundùm ſancti Laurentii flumen extenditur: quod longè latéque exporrectum, magni inſtar maris habet. Hujus ripas Francorum aliquot familiæ obtinent; quibus ſacra miniſtrant ſocietatis noſtræ homines: ſummáque inter ſe pace ac tranquillitate vivunt omnes, ſub ejus ductu ac tutela, qui Regis nomine hanc provinciam adminiſtrat. Is equum eſt Melitenſis, D. Montemagnius, rarâ vir pietate ac prudentiâ: cujus exemplo & auctoritate plurimum inter Gallos virtutis ſtudia promoventur.

Jam barbarorum & indigenarum vagi alii ſunt, nullâ certâ ſede ac domicilio; alii per pagos habitant: omnes partim venatu, ac piſcatione; partim Indico frumento, pauciſque terræ fructibus, miſeram atque inopem vitam ægre tolerant. Bella inter eos pænè continua

ſunt;

ſunt; ac prælio captorum hoſtium, itidem ut per totam Americam fieri ſolet, carnibus veſcuntur. Horum tamen complures longâ noſtrorum patientiâ obſequióque deliniti, paullatim manſueſcere cœperunt, ac feritate poſitâ ad Chriſti ſe fidem applicarunt. Nam & ædiculas ſacras, quas illic eaſtruximus, non infrequentes adeunt, & doctrinæ Chriſtianæ faciles attentáſque aures accommodant, & baptiſmum ardenter petunt. Quibus autem id conceſſum eſt, ſacramenta & ſæpiùs, & magno ſenſu pietatis uſurpant. Horum etiam nonnulli noſtris conſiliis ac precibus adducti vagari deſierunt, ac fixis ſedibus juxta nos habitant. Quæ unica ſumméque neceſſaria eſt ratio, quâ Chriſtianam ad fidem transferri, & in ea contineri poſſint. Nam ſi certas habere domos, & in commune degere, agróſque colere inſtituerint; ſpes eſt totam hanc propediem barbariem Chriſtianam fore, ac novam illic inſtituendam Eccleſiam, quæ non minima ad Sanctitatis tuæ decus ac paſtoralem ſolicitudinem futura ſit acceſſio. Quam in rem dum totis viribus incumbimus, Sanctitatis tuæ pedibus affuſi petimus, uti conatus noſtros Apoſtolicâ benedictione àc gratiâ proſequi, & naſcenti huic Eccleſiæ eadem, quæ Indis pridem attributa ſunt, beneficia impertiri digneris.

EPISTOLA III.

Ad S. D. N. Urbanum VIII.

Nomine Religioſorum ordinum totius Franciæ.

JAMDUDUM Beatitudini tuæ cognitum eſſe confidimus, Beatiſſ. Pater, quantæ identidem hîc turbæ fieri ſoleant, ſuper religioſis ordinibus, eorúmque privilegiis, quæ ad juvandam operâ ſuâ Chriſtianam rem ſedis veſtræ beneficio ſunt adepti. Quos contentionum tumultus cùm per hos dies inſtaurari Chriſtianiſſimus Rex animadverteret, dignum pietate ſua, & providentia putavit, maturè opis aliquid afferre; ne ad publicæ quietis perniciem diſcordia illa pertineret. Itaque de conſilii ſententia nuperrimè decrevit, nihil Religioſis negotii ob hanc rem faceſſere quemquam oportere: neque prohibendos eſſe, quo minùs jure uti ſuo, privilegiiſque omnibus poſſint: quòd ſi qua de iis, aut eorum uſu lis & controverſia eſſet orta, eam S. T. cognitioni, & judicio permitti voluit. Præclarè ille quidem, & ut Rege Chriſtianiſſimo, ac primario Eccleſiæ filio dignum erat, ut de Eccleſiaſticis cauſſis communem ad parentem, atque Eccleſiæ principem referret; neque ſacris diſceptandis controverſiis civilem auctoritatem interponeret. Quamobrem & illius nos regii decreti, & temporum noſtrorum neceſſitas hortata eſt, ut ſupplices ad S. T. pedes accideremus; indéque neceſſaria præſidia peteremus pacis, & otii; quibus conſtitutis, tum Eccleſiæ Gallicanæ; tum S. T. & Epiſcopis omnibus commodare alacriùs noſtrâ operâ poſſimus. Quòd ſi privata tantummodò noſtra res ageretur, B. P. minùs laboraremus. Nunc id præcipue nos movet, quòd hæc omnis cauſſa verbo noſtra eſt; re autem vera, ſedis Apoſtolicæ, Eccleſiæque totius. Caput enim hoc jurgiorum omnium eſt, atque id unum crimen, & hæc accuſationis ſumma prætenditur; quòd Religioſos, Pontifices Romani certis privilegiis honeſtatos, & ab Epiſcoporum jure exceptos eſſe voluerint: quódque functionum aliquot extra ordinem iis poteſtatem fecerint. Atqui ſi quod ineſt in eo crimen, beneficii aliquid ab Romana ſede capere; totum eſt eorum, qui dederint; eorum, qui acceperint, nullum. Sed illa, cujuſquemodi ſunt, renunciare, iiſque ſponte cedere, neque ſine flagitio poſſumus; neque cum damno, ac periculo volumus; primùm animarum: quibus niſi hic utilis viſus eſſet Religioſorum labor, numquam ad id eos Romani Antiſtites adhibuiſſent; nec eorum poteſtatem tot edictis, privilegiiſque muniſſent: deinde ſedis ipſius Apoſtolicæ, cujus auctoritas in contemptum venit reprehenſione illius actorum; ſi aut iſta judicatum erit non potuiſſe, quibus vellet; aut non debuiſſe conferre. Nam & ea formula diplomatum ferè omnium eſt, quibus illa Religioſis beneficia tribuuntur, uti *motu proprio* edita dicantur. Quæ vox hanc habet vim, ut nec eblanditum precibus, nec ambitioſè quæſitum: nec importunitate, quod datur, expreſſum appareat; ſed ultrò delatum, ac certo judicio, & voluntate conceſſum. In pleriſque verò nominatim cauſſæ continentur, quibus inducti Romani Pontifices hæc illis danda eſſe judicarunt. Quamobrem quæ poteſt Apoſtolicæ auctoritati ſedis injici plaga major, quàm ſi tot ejus conſultis ac decretis impunè derogare licet? Noſtra verò quàm erit illa vehemens culpa, ſi hæc ipſa ſupremæ jura majeſtatis, commiſſa fidei noſtræ, & quaſi in ſinum conjecta, dilabi, ac deperire patimur? Tum enim juſta de privilegiis iſtis inimicorum querela videri poſſit, ſi vel commiſiſſe nos conſtet, cur indigni iis habeamur: vel præſtitutum ab S. T. finem, ac modum exceſſiſſe. Quin igitur tale, ſi poſſunt, in nos quippiam proferant; eòque crimine apud S. T. reos faciant? Tantum abeſt ut hoc iniquo animo laturi ſimus; ut etiam gratiæ loco ſimus habituri, & id ipſum emendaturi, quidquid erit, in quo jure illos offenſos eſſe S. T. decreverit. Quamdiu quidem nullum ab iis facinus noſtrum, ac nulla publica, privatáque fraus, ſed unum privilegii, & immunitatis nomen objicitur: fortiter illorum petitioni reſiſtimus; nec de ea ſtatione, in qua nos collocaſti, injuſſu tuo decedimus. Hanc nos judicii totius, actioniſque formulam, quæ una juſtiſſima videtur, eò magis hoc tempore præſcribimus, quòd quidam ex Epiſcopis noſtratibus dicitur ad S. T. litteras dediſſe, quibus id ait laborare ſe, ut quod jus, atque æquum eſt obtineat.

Cui tam juſta, & honeſta poſtulanti non modò nihil contradicimus, ſed etiam ultrò favemus; & idipſum, ne jure vinci nos putet, ab S. T enixè petimus, uti de hac omni cauſſa priùs accuratiſſimè cognoſcat; & quid pro ſe quiſque juris habeat, intelligat: tum ſuis ponderibus æſtimatâ re, quaſi ſub ſummi, ac verendi judicis oculis, cujus in terris vices gerit, ſententiam ferat.

Hoc ſi impetramus modò, quod in præſens unum agimus, taciti cetera feremus; vel alteri potiùs tempori reſervabimus, quæ hîc ab nonnullis indigna quotidie patimur: nec de aſſiduis unius præſertim hominis injuriis expoſtulabimus, qui vetere in Religioſos omnes inſtinctus odio, adverſus univerſum illorum ordinem ſtili ſui impetum, aciémque convertit. Neque hactenus, ut eorum, ſi qua ſunt, cujuſmodi profectò nonnulla ſunt, vitia reprehenderet: quod quidam etiam Catholici, ut minùs conſideratè cùm id neque privatim fit, neque neceſſariò; ita tolerabiliter faciunt: ſed ut illorum vitæ ſtatum, ac profeſſionem in crimen adduceret: Religioſos, inquam, generatim omnes, propter paucorum odium, nullo ſuo præcipuo dedecore, ſed ſolo vitæ inſtituto notatos probris, & conviciis, aculeatis dictis & facetiis ad populorum contemptum & ludibrium vocavit quo ſuo facto hæreticos, qui hîc ſunt, adeo delectat ut in horum conventiculis, hominis iſtius adverſus Catholicos & Religioſos ſcripta incredibili clamore ac plauſu recitentur. Quæ jam magna ex parte ſcire te arbitramur, ac Nunciorum tuorum litteris certiorem eſſe redditum: ac tum libros etiam ad te miſſos eſſe; tum graviſſimorum integerrimorúmque partim præſulum, partim doctorum de illis judicia, ex A. D. IX. Feb. an. 1634. Ex quibus omnibus intelliges non magis ab homine illo contra nos, quàm contra Catholicas partes implacabile odium eſſe ſuſceptum. Quòd niſi Chriſtianiſſimi Regis divina mens ac prudentia vigilaſſet; etſi non plura & atrociora, quàm nihilominus facit; minùs tamen diſſimulanter occultéque ſcriberet: tum armati impunitate & auctoritate publica, hoc eſt diplomate Regio libri, palam vi ad nocendum majore volitarent; quod nunc quidem utcumque fieri deſiit, poſtquam & rei per ſe indignitate motus, & noſtris adductus precibus benigniſſimus princeps effrenatos hominis impetus, paullulùm conſilii ſui auctoritate repreſſit. Quod eatenus egerunt, ut hoc unum ſtatuerent, nullos niſi à Theologis recognitos publicéque probatos libros excudi licere: ac qui ſecus Typographus feciſſet ei multam irrogarent. De hoc verò quem ſignificamus Epiſcopo, ac de lite illa quæ ceteris nobiſcum eſt orta, rem integram S. T. judicio reſervarent. Quo majore animo ſumus ac fiducia, B. P. eòque nos ipſo fortunatos ducimus, quòd eum nobis quem optabamus litis arbitrum divina pariter & humana ſuffragia dederunt. Ergo illud poſtremum rogamus,

quod

quod exoratum iri facilè credimus, ne nos S. T. pendère diutiùs in hac cauſſa velit. Sed quod ex æquo bonóque eſſe videbitur, nihilo tardiùs, ac tantæ rei periculum hortatur pro poteſtate conſtituat: ut ex adverſariorum importunitate, velut longa jactatione recreati, in ſinu Apoſtolicæ Sedis acquieſcamus, tamquam portu quodam tranquillitatis ac pacis; ubi metu omni curáque perfuncti, ardentiores nos ad ea quæ numquam intermiſimus, Chriſtianæ rei augendæ ſtudia, & obſequia in Romanam Eccleſiam, & pro incolumitate S. T. ac ſalute vota, referamus. Vale.

EPISTOLA IV.

Franciſco Cardinali Barberino.

JULIANUM noſtrum tam abs te vehementer expeti (EMIN. CARD.) quàm mihi ex tuis litteris oſtendit Emin. Card. Bagnius, dupliciter gaviſus ſum. Nam & tanto Principi curæ eſſe qualemcumque lucubrationem noſtram, per ſe jucundiſſimum fuit: & habet ea res non obſcuram ſignificationem amoris in litteras, earúmque cultores tui; quales eſſe nos, ſi non facultas earum, & eruditio; at ætas ipſa probat, quam in illarum ſtudio pænè univerſam tranſmiſimus.

Quamobrem ut de priore illo, mea quod intereſt privatim gratulari debeo, quòd niſi idem, quem cùm hic eſſes mihi es teſtatus, tuus in me maneret animus, mea tam amanter non requireres: ita de altero nec habendæ tibi gratiæ; neque gaudendi, ac benè in poſterum ſperandi præcipuæ meæ ſunt partes, ſed doctorum omnium, doctrinarúmque potiùs ipſarum, quæ à pleriſque iſtius ordinis deſtitutæ, idoneum jam te ſibi patronum deſtinant, cujus præſidio ac tutela ſolitudinem ſuam orbitatémque defendant. Quod tu quidem (EMIN. CARD.) à patruo tuo S. D. N. velut propinquitatis jure proprium habes ac domeſticum decus: qui quantus ſit, non ſolum ſummis illis, & præſtantiſſimis in ſtudiis, ſed in politis etiam & communibus iſtis, poetica illa ſcripta declarant omni leporis & elegantiæ flore depicta, quibus principatum antè Muſarum, quàm Chriſtiani orbis, communi ſuffragio eſt adeptus.

Hujus dum m exempla, & veſtigia perſequeris, facis quod te facere cupimus omnes, & ut perpetuò velis, hortamur: ut autem quàm diutiſſimè, feliciſſiméque poſſis, maximis à Deo precibus optamus. Hæc mihi benignitas & humanitas tua (Emin. Card.) fiduciam dedit, ut non ſolùm, quem flagitaras, Julianum ad te noſtrum mittere; ſed & ſcribere inſuper auderem, peteréque ut me meáque in Emin. tuæ clientelam recipias. Adjeci porrò Juliano comitem lucubratiunculam alteram; epinicium carmen, quod anno ineunte ſuperiore, in Rupellam, ac Chriſt. Regis triumphum Græcè, Latinéque cecini. quod ut per ſeſe recens adhuc offerre tibi ſum veritus: ſic alterius modo deſiderati abs te muneris haud ingratam hanc acceſſionem fore decrevi. Tu hanc audaciam noſtram, conceptámque de te ſpem, ratam ſolita tua humanitate facias velim; atque hoc munuſculo velut oppigneratam in perpetuum obſervantiam meam ac devotionem tibi eſſe confidas. Vale.

EPISTOLA V.

Franciſco Cardinali Barberino.

UT qui Solem intueri cupiunt (CAADIN. EMIN.) cùm in eum oculos intendere propter imbecillitatem nequeant, ſpeciem illius in aqua, vel in nube contemplari ſolent: ſic cùm Romanus adeundus mihi Pontifex eſſet, neque tantæ ſplendorem majeſtatis ſuſtinerem, ad te vivam, & expreſſam non tam generis propinquitate, quàm indole, ingenio, ac virtute, illius imaginem reſpexi. In quo ſi vel parum pudenter egiſſe, vel importunum eſſe me quiſpiam putet (Poſſunt enim id alii de meo facto judicare, quod pro tua ſingulari bonitate minimè abs te vereor) non illud ipſum temeritati ulli meæ, ſed tuæ benignitati, ac facilitati tribuere debebit. Quam cùm incredibilem in te jamdudum homines prædicent, præſertim ſtudiis doctrinæ deditis: ego verò majorem opinione fuerim expertus; primùm hac in urbe coràm, cùm te ſalutandi, ac colloquendi gratiâ conveniſſem: tum abſens poſtea: cùm tibi litteris meis, ac litterariis munuſculis ſemel, & iterum obſtrepere ſum auſus: putavi ne nunc quidem improbè facturum me eſſe; ſi ad eamdem mihi tam perſpectam humanitatem confugerem, atque hoc impetrare ſtuderem, ut qui in Sanctiſſimi D. N. patrui tui nomine divulgatus liber ad Urbem mittitur, hunc offerre per te ipſe velles, ac favore tuo, & patrocinio commendatiorem reddere: Quod eò majore de tua voluntate ſpe facio; quòd illius, cui inſcriptus eſt, juſſu & hortatu in lucem prodiit. Qui cùm à me, ut Latinos antea; ita Græcos verſus exegiſſet, & ego quos in promptu habebam, eo genere confectos Pſalmos aliquot miſiſſem, non gratum habuit modò, quod dederam; ſed ad ejus id quod reliquum erat abſolvendum, auctor & incitator fuit. Inter hæc incidit ægritudo illa; quæ non minùs Chriſtianos omnes hoc dignos nomine, quàm vos illius propinquos, mœſtos, ac ſolicitos habuit: qui id intelligerent, in uno capite, præſertim temporibus iſtis, periclitari communem Eccleſiæ tranquillitatem, ac ſalutem. Ea me res ſuſpenſum aliquamdiu tenuit, & cunctari coëgit; ne intempeſtivam tanto in luctu Muſicam, oſtenderem. Sed poſtquam diſcuſſo hoc periculo, lætior nos de illius ſalute rumor afflavit; tum ita ſum animo concitatus, uti mora mihi omnis, quo minùs inceptum perficerem, gravis ac moleſta videretur.

Affuit tandem optatis meis divina bonitas, ut quanta poteram induſtria elaboratum hoc opus ad exitum perducerem. Quod etſi per ſeſe levius eſt, quàm ut ſub tantæ majeſtatis nomine apparere, & in ejus conſpectum venire debeat, tamen non dubito, quin illud libenter ſit accepturus: vel quia delectatur iis ſtudiis, ex quibus profectum illud eſt; vel quia impulſore hortatoréque ipſo prodiit: vel quia gratia, commendatióque tua multùm ei pretii ac dignationis adjunget. Peto igitur: ut ex duobus quæ miſi, illius exemplaribus, alterum SS. D. N. à me offeras, tibi alterum habeas; & hanc meam ſive audaciam, ſive fiduciam, bonam in partem accipias. Ego verò Deum viciſſim precor, ut quam patruo tuo Summo Pontifici ſoſpitatem; tibi communem cum bonis omnibus lætitiam indulſit: eam quàm maximè conſtantem, ac diuturnam eſſe velit. Vale.

EPISTOLA VI.

Franciſco Cardinali Barberino.

MAXIMUM è noſtris litteris fructum reportaſſe videor judicii veſtri (CARO. EMIN.) quod de me ambo feciſtis, tu, & patruus tuus S. D. N. qui Græca, Latináque mea carmina tam impensè probaſtis, mihi ut in ipſo Parnaſſi culmine præſtantes inter poetas locum daretis. Ego verò grave mihi ex hoc, onus impoſitum eſſe ſentio, tuendæ veſtræ de me exiſtimationis; ne quàm proclive fuit veſtra in me concitare ſtudia: tam non ſit ea deinceps retinere, iiſque reſpondere facile. Quamobrem omnis à me adhibenda diligentia eſt, ac novo ingenii, induſtriæque proventu in dies elaborandum, ut vos numquam amoris in me tanti, ac voluntatis pœniteat. Quod à me quidem pro virili parte perpetuò deinceps curabitur. Et nunc illius utcumque remunerandæ in me bonitatis; grati certè animi ſignificandi gratiâ, ſpecimen offero recens, Græcum itidem, Latinúmque carmen; quod in S. Virginis Genovefæ, patronæ veteris commendationem edidi. Cui quantus hac in urbe honos habeatur; cum hìc legatione fungerere, coràm videre potuiſti. Privatim verò quantum illi debeam, tum mihi ipſe ſum conſcius; tum id publicè ſum teſtatus ante annos circiter viginti; partim eodem, ac modò, verſuum genere; partim novo edito illius Officio; quod Romæ eſt in ſcrinio Congregationis ſacrorum Rituum. Nunc ut meum hoc munuſculum, quod ad proſpera anni ineuntis auſpicia ſub S. D N. nomine apparere volui, ei gratum, acceptumque ſit, tua mihi benevolentia, & humanitate eſt opus; quam ſuperiore anno ſimili in re ſum expertus. Peto igitur ut hoc illi carmen à me offerre, commendationéque tua

proſequi ne graveris. Simul illud precor, quod in Odenuncupatoria poſui, Officium ut Eccleſiaſticum ſanctæ illius Virginis, quod apud ſacrorum Rituum Congregationem exſtare dixi, ratum, ac probatum illius decreto ad nos redire jubeas. Vale.

EPISTOLA VII.

Franciſco Cardinali Barberino.

NE quod damnoſi patres familias ſolent, ut in acquirenda re, quàm in conſervanda diligentiores ſint: idem in S. D. N. patrui tui tuáque fovenda gratia & benovolentia committam, operam à me omnem adhibendam eſſe duxi (CARD. EMIN.) Itaque quibus illa modis eſt initio parta; iiſdem ut eam retineam amplificémque, ſi poſſim, identidem ago, novis ingenii induſtriæque offerendis fœtibus. Cujuſmodi paucos ante menſes ad te mittendum curavi, libellum quemdam diſſertationum Eccleſiaſticarum, in quo tum Epiſcoporum omnium nomen ac dignitatem: tum Epiſcoporum Principis S. D. N. decus & auctoritatem propugnavi, contra impudentis cujuſdam non minùs quàm indocti hæretici obtrectationem & calumniam. Quem quia pergratum tibi accepi fuiſſe: non dubitavi quin è veſtigio alterum adjungerem, molliori elaboratum genere ac ſtilo, & ad oblectandam S. D. N. ſenectutem, magis accommodato: qui quibus iſte liber efflorеſcit ex artibus, eas & amavit ſemper, & in iis principem inter ætatis hujus eruditos locum eſt adeptus. Eæ ſunt Græcarum litterarum facultas, & poëtica. Nam Salomonis Eccleſiaſtem elegiacis verſibus Græcis redditum ejus inſcripſi nomini; & ad te, confiſus humanitate tua miſi, ut per te Concionatori noſtro aditus ad Sanctitatem illius facilior, & receptus uti peregrino certior pateret. Facies igitur pro ſolita tua benignitate, & in me præſertim voluntate, uti S. D. N. munuſculum illud, quod alioqui non ingratum confidebam fore, ſit etiam tantæ commendationis acceſſione jucundum. Vale.

EPISTOLA VIII.

Franciſco Cardinali Barberino.

QUOD poſtremis litteris meis eram pollicitus eo nunc defungor (CARD. EMIN.) ac Theologicorum dogmatum ad te mitto priores Tomos tres: quod opus favoris, ac gratiæ tuæ fiducia, hortatúque fretus in lucem edidi. cùm me tu quidem tempora verentem iniqua melioribus ſtudiis, ac propterea cunctantem auctoritate confirmaſti tua, bonóque eſſe animo juſſiſti. Quam ſingularem, mihíque perſpectam fidem tuam appellare jam poſſe videor, & ad tuam clientelam, ac patrocinium me meáque ſtudia conferre. Quod eò diligentius, ac ſpe majore facio, quòd cùm hæreſes propemodum omnes, quæ hoc tempore infeſtam habent Eccleſiam, illo in opere ſim inſectatus, offendi non paucos, acres homines, & ad ſcribendum impigros; qui jam aliquid meditari contra me dicuntur. * * * * * *

EPISTOLA IX.

Franciſco Cardinali Barberino.

LÆTUM & incolumem iſtic agere te, ubicumque es, incredibiliter gaudeo, & ut deinceps in eo pergas, quibus poſſum à Deo precibus contendo. Quod autem ne in iſta quidem peregrinatione, litterarum curam, ac litteratorum patrocinium intermittis: facis quæ & te digna ſunt, & ei animo ac propoſito conſentanea, quod jampridem ſuſcepiſti, tuendi amplificandíque res honeſtas & præclaras, ac præſertim doctrinarum ſtudia, quibus impensè idcirco faves, ac delectaris, quòd apprimè iis excultus, & eruditus, eas quaſi peculiares ac domeſticas habes. Nam quòd mei quoque rationem ducere te hoc ipſo nomine profiteris, vellem idem in re eſſet quod in judicio, & exiſtimatione de me eſt tua. Sed nec moleſtè fero falli te hoc in genere, ut quoquo modo tanti mihi viri amorem ac benevolentiam adjungam; & quod facultati deeſt, obſequendi ſtudio, & voluntate alacrius ſuppleam. Quod ut facere in re hac incipiam, de qua ad me ſcripſiſti, enitar quantum in me erit, ſi quid tamen in eo præſtare poſſum. De quo quid in præſens habeam, exponam tibi breviter.

Mihi cum Hugone Grotio (vellem τῷ μακαρίτῃ dicere poſſem) uſus aliquis interceſſit communione partus iſtarum artium; & quòd, ut benè noſti, ſpes interim illius juvandi nonnulla in me ſita videbatur. Cum illo itaque, uti ſæpè ipſum inviſebam, & viciſſim ille me, frequentes de litteris ſermones habui. Ac memini me de illo frequenter audiſſe, cùm diceret; conſilium ſibi eſſe Suecicos Annales conſcribere: idque ſe jamdiu commentari. Utrùm verò Opus illud abſolverit, an in Adverſariis tantùm apparatus illius extet, certi nihil habeo. Eliciam tamen & expiſcabor ſi quid potero; poſtquam ejus uxor, quæ nunc Lutetiæ habitat, & ruſticandi cauſâ unum jam menſem abeſt, ad urbem reverterit. De lucubrationibus reliquis, quarum mentionem facit Holſteinius, nunc primùm audire cœpi, nec ille quidquam mihi ſignificavit. Quare & iſta poſt feminæ reditum curanda nobis erunt: dedíque jam negotium tui obſervantiſſimo Cramoſio, ut exploret quonam hic tempore futura ſit, & pro virili parte ſi quid poteſt odoretur. Hoc velim perſuaſum habeas, nihil mihi gratius ac jocundius accidere poſſe, quàm aliquâ re ſtudio tuo & voluntati morem gerere.

Qua ex precatione ſcribendæ hujus epiſtolæ initium feci, in eamdem deſinam, ac Deum enixè rogabo, ut te perpetuò ſalvum ac beatum velit. Vale.

EPISTOLA X.

Franciſco Cardinali Barberino.

ETSI te peregrinantem in Gallia, & hac urbe, nuper libentiſſimè videbam: quòd humanitate tua, ac ſuaviſſima conſuetudine propiùs uti licebat; multò tamen lætor magis ibi ubi maximè vis, Romæ te eſſe, ac tuis rationibus poſteriorem animi fructum habeo, quem ex uſu colloquióque tuo capere ſolebam. Sic enim interpretor te ad illam velut arcem tum Eccleſiæ, tum doctrinæ revocatum, majori utrique quàm alibi uſpiam præſidio, & emolumento fore; quod & major domi, quàm peregrè, copia præſtò tibi ad commodandum eſt affutura: & ex arduo, eminentíque loco circumjectis in omnes partes oculis, quod uſui ſit poteris meliùs proſpicere. Non enim dubito, quin eodem ſemper in honeſtarum rerum ſtudia, & eorum cultores, animo ſis, quo fuiſti hactenus, & quo fore te perpetuò in omni, qui tibi mecum fuit, ſermone præ te tuliſti. Quò magis, reſtitutum te eſſe patriæ, ac librariæ tuæ ſupellectili gratulor iterum, ac gaudeo: eámque meam tum lætitiam, tum futuri ſpem non mediocriter confirmavit, curæ illius, & humanitatis ſpecimen, tu quod in me brevi poſtquam iſtuc reverſus ea ſpatio temporis edidiſti. Accepi enim primùm Juliani epiſtolam illam ἀνέκδοτον, quam ad me juſſu tuo miſit Lucas Holſtenius. tum Syneſii varias lectiones: & utroque nomine ingentes tibi gratias ago. Ego verò, uti viciſſim tibi cœpti mei ratio conſtet, quod ipſum curæ ut ſit tibi ſumma tua benignitas & prolixa in me voluntas facit: libros hoc anno duos in lucem emiſi; alterum Apologeticum adverſus Fromondum Lovanienſem Theologum; alterum de lege & gratia: quos te accepiſſe jam arbitror. Certè ut quamprimùm ad te mitterentur, Sebaſtiano Cramoſio diligenter mandaveram.

Nunc quartus Dogmatum Theologicorum Tomus eſt ſub prælo, ejúſque folia jam excuſa ſunt octodecim: ac ne juſto voluminis moles grandior ſit, fortaſſis in partes duas dividendus erit. De Epiphanio quoque recognoſcendi ab noſtris Bibliopolis injecta mihi cogitatio eſt, quòd nulla penes illos exempla reliqua ſint. Vellem cum Vaticanis MSS. conferendi mihi facultas eſſet.

De Maximi Operibus quòd plurimùm ſtudes, ut idoneus exiſtat aliquis qui Latinam illorum interpretationem,

Digitized by Google

tionem; ac deinde quod conſequens eſt, editionem ſuſcipiat: meritò quidem id optas. Magni enim intereſt Theologiæ noſtræ, ut eruditiſſimus ille Scriptor Latinè Græcéque loquens edatur in lucem.

Deum rogo ut te in omnes amplificandæ rei Catholicæ ac litterariæ rationes incumbentem perpetua ſua gratia & providentia dignetur. Vale.

EPISTOLA XI.

Andreæ Schotto, Societatis Jeſu Antuerpiam.

DATIS ad te ſuperiore anno litteris, primum hunc oblatum mihi ad familiaritatem tuam aditum eſſe gratulabar: cùm eodem tempore Julianum noſtrum mitterem; cujus nondum editas aliquot Orationes publicam in lucem extuleram. Sed ſive caſu aliquo interceptæ illæ litteræ ſunt, ſive dignæ non fuerunt, ad quas reſcriberes, doleo meam in hunc uſque diem exſpectationem vacuam, atque inanem fuiſſe. Equidem malo id eorum, in quos inciderint, vel negligentiâ, vel malevolentiâ, culpâ denique factum arbitrari, quàm ſecus aliquid de tua in me voluntate ſtatuere: quem ad hominum commendationem atque famam non minùs humanitatis, ac facilitatis audio, quàm doctrinæ, atque ſcientiæ attuliſſe. Utcumque verò contigerit, novo hoc periculo tentandum mihi eſſe decrevi: cùm ſe novi itidem muneris, ac libri occaſio dediſſet. Quem quidem ex hoc Henriceo Gymnaſio publicatum atque emiſſum: utroque nomine, quod & meum eſt, & ab eo loco profectum, tibi fore jucundiſſimum duxi. Sed ne gratis hoc qualecumque à nobis acceperis: primùm ſcito non unis tibi litteris compenſandum eſſe: tum ſi qua in re conatus his in litteris noſtros adjuvare poſſis, vel moleſtum me exactorem, atque aſſiduum futurum. Atque ut jam nunc guſtum aliquem noſtræ importunitatis præbeam: velim mihi, ſi quid ex Ammiani Marcellini, vel Epiphanii de hæreſibus, vel Silvarum Statii M. S. in excerptis habeas, ad me viciſſim tranſmittas. Nam de Epiphanio jamdudum, Gretſeri noſtri hortatu, cogitabam. Quod ego ſine veterum librorum ope aggredi nullo modo poſſum. In aliis, quos plerumque lego, peræquè eſſe multa video, quæ emendatione, & caſtigatione opus habeant; quam præſtare nemo ſanus ſine eorumdem Archetyporum auctoritate debeat. Quamobrem ſi quid in ea re potes, ſublevari à te, ac juvari magnopere cupio. Quod certè potes, tuis ut me precibus, ac ſacris commendatum habeas, hoc verò impensè à te, tuiſque flagito. Fixæ Andeg. Id. Dec. MDCXIV.

EPISTOLA XII.

Andreæ Schotto, Societatis Jeſu, Antuerpiam.

CUM in eo eſſem, uti prioribus tuis litteris reſponderem, quas V Kal. Jan. ad me dederas, novas ecce me abſente Belga quidam mercator attulit; qui ad annuum urbis hujus mercatum, opinor, venit. Ad utraſque igitur compendio ſic habeto. N. noſter qua cœpit indole ad pietatem, ac religionem quotidianos progreſſus facit. Ei, ut commodè ſit hac in urbe, quoad poterimus, ego & Sirmondus operam dabimus. Morellus Typographus domum illi ſuam, ac menſam obtulit: ſed ea lege, uti filioli ſui ſtudiis præſit. Verùm honeſtiore illum aliquantò eſſe loco ſtudemus, quod quidem ipſius merito facimus. Iſidorum tuum Sirmondus accepit; de cujus editione cum eodem Morello diligenter egi, neque is abhorrere viſus eſt. Holſteinius quoque noſter ſuam ad id operam Sirmondo detulit. Venit enim ad nos ante dies circiter octo, cum eóque Hugo Grotius; quem ego jamdudum & mea ſponte, & hortatu tuo convenire, & alloqui cupiebam. Factum utriuſque voto ac deſiderio ſatis illo die. Nam perdiu valdéque familiariter unà fuimus. Homo eſt, quantum judicare poſſum, probus ac candidus; nec ab Holſteinii exemplo, quod & ſperas, alienus. Nos nihil prætermittemus, quod quidem præſtari à nobis poſſit, ut hominem Chriſto Domino, ac ſaluti conciliemus.

Scripſit ad me nuper ex Hiſpania Petrus Caſtellarnavius Societatis noſtræ Sacerdos, Petri Alexandrini Martyris Opuſculum de Cyclo penes ſe eſſe Græcum, idque, ſi vellem, ad me eſſe miſſurum, ita enim ſe à te meo nomine rogatum; ut ſi quid in operis illius, quod molior editionem poſſet, benignè conferret. Plurimùm verò Bartholomæum Morlanezium Cæſaraugustanum apud me commendavit, ad eúmque uti ne gravarer ſcribere, enixe petiit. Hoc igitur agamus. Opus noſtrum de Doctrina Temporum ſub prælum propediem exibit. Quo minùs jam inchoatum ſit, chalcotyporum tarditas fecit, qui æneos typos (novis enim ad id opus eſt) lentè nimis excudunt. Vale.

EPISTOLA XIII.

Andreæ Schotto Societatis Jeſu, Antuerpiam.

TAM multa mihi eodem tempore curanda ſunt, ut penè tuarum me litterarum oblivio ceperit. Sed earum tandem refricavit memoriam Antuerpienſis ille juvenis, qui ſibi datum negotium à Scholarum veſtratium Præfecto dixit, libellos ut aliquot Græcos emeret, quos mihi recognoſcendos, ac probandos attulit. Qui cùm mihi ſalutem abs te nunciaſſet unà, & ſe propediem hinc abiturum eſſe dixiſſet, digna mihi deprecandæ ceſſationis illius occaſio viſa eſt, quam ſine meis ad te litteris elabi non ſinerem; & ut ſuperiorem tarditatem hac ſaltem officii mei particulâ compenſarem. Luſitanorum patrum adventus in hanc urbem, & collegium noſtrum, perjucundus nobis omnibus accidit. Mea verò privatim illis opera neceſſaria non fuit. Nam in profeſſorum ædibus habitarunt, quamdiu iſtic morati ſunt: & apud nos ſemel tantùm prandio ſunt excepti. Lucas Holſteinius ſæpè ad Sirmondum venit. Is & animo, & corpore bellè ſe habet: & eſt ſanè tuo ſtudio, ac benevolentia dignus. Penes hunc, Athanaſii ſchedæ illæ ſunt, de quibus ſcribis, & in earum, ut opinor, editionem interitus eſt. Nam Athanaſii Opera Græcè ac Latinè ſuperiore jam anno prodierunt. Vidi & Libanii Tomum alterum publicè proſcriptum, quem nondum legi. Operis de Doctrina Temporum editio ſic nos occupatos habet, ut alia de re ferè nulla hoc tempore cogitemus. Quo mihi vos æquiores oportet eſſe, ſi in ſcribendo tardiùs veſtro voto reſpondeam. Vale.

EPISTOLA XIV.

Andreæ Schotto, Societatis Jeſu, Antuerpiam.

EGO verò & Marianæ opuſcula legi diligenter, quæ de anno Dominicæ Paſſionis, déque Arabum annis edidit, neque quicquam in illis admodum inveni, quod non tralatitium ſit: in eo verò, quod eſt de Paſſione Dominica, etiam falſa multa, & pugnantia reperi. quod pace tanti viri dictum velim. Tibi porrò quantas poſſum gratias ago, qui me, litteráſque meas novis in dies caritatis officiis tibi demereri ſtudes. Vellem aliquid reponere poſſem tam prolixa in me benevolentia non indignum. Quod unum in præſentia poſſum, Deum precor, uti te mea vice remuneretur. Quæ ad Sirmondum mandaras, exhauſi diligenter: ille jam ſe plenè de omnibus ad te ſcripſiſſe dixit; putaréque litteras ad vos ſuas perveniſſe. Itaque nihil hìc ea de re ſignificari opus eſt. Holſteinium, & Grotium dudum non vidi. Opus noſtrum de temporum doctrina ſuum curſum tenet. Quartus jam ſub prælo liber eſt. Scripſeram abhinc menſibus aliquot ad Caſtellarnavium, qui ad me Cæſaraugustâ litteras dederat, unáque & ad Morlanezium: ac Græcum Andreæ Cretenſis Computum, quod erat ille pollicitus, hortabar ut mitteret. Nihil ad hanc diem reſponſi illinc habui. S. Maximi Græcum Computum penes me habeo, quod Romæ exſcribendum curavi. Sed tam multæ, tam amplæ in eo Tabulæ, circulique ſunt, ut vix typis exprimi poſſe univerſa confidam. Vale.

EPISTOLA XV.

Andreæ Schotto Societatis Jeſu, Antuerpiam.

TRiduum vix interceſſerat poſtquam ego ad te ſcripſeram, cùm domi noſtræ Lucam noſtrum Holſteinium offendi: quem & meo & tuo nomine complexus, quas ad me noviſſimè dederas oſtendi, & iis uti cùm reipſa tum litteris ad te ſuis ſatisfaceret, & has ipſas ad me mitteret hortatus ſum. Cùm in ſe utrumque recepiſſet, neutrum hactenus quod ſciam, præſtitit. Nunc Romam, ut audio profecturus eſt cum Cardinali Spadano olim hac in orbe Rom. Pont. Apocriſiario, cujus in familiam, comitatúmque ab Antiſſiodorenſis Epiſcopi convictu, contubernióque tranſiit. Quod illi benè vertat. Nam juveni & erudito, & humaniſſimo ſavemus. Spes eſt illum in aliquam curationis Vaticanæ Bibliothecæ partem venire poſſe. Id ſi evenerit, non minùs tibi quàm nobis jucundum erit, ac commodum. Operis noſtri de Doctrina temporum editionem tandem ſuperiori menſe ad exitum perduximus. Hujus exemplar unum mitto, quod tibi & Heriberto Roſweydo commune eſſe cupio. M. DC. XXVIII.

EPISTOLA XVI.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

THomam Kempiſium popularem veſtrum; ac ſolidæ pietatis magiſtrum & accepi libens, & quod illuſtriſſimo viro Marillaco offerendum illius exemplum dediſti, curavi ut ad eum in comitatum perferretur: quò tum Sebaſtianus Cramoſius Typographus noſter aut ipſe proficiſci, aut certum hominem allegare ſtatuerat.

Quòd ſi in urbe ille tunc fuiſſet: tametſi pro ampliſſima quam ſuſtinet dignitate, multis graviſſimiſque negotiis occupatus eſt, ad eum nihilominùs adiiſſem, corámque munus illud commendaſſem. Id ſi erit poſtea commodum, fortaſſe faciam. Vendelinianum Opuſculum, cujus ſpecimen ad me miſiſti, non tam doctrinæ temporum refert, quàm aſtronomicæ illius meræ, quæ minima quæque momenta ſubtiliter accuratéque perſequitur. Nam cujuſquemodi ſit Solis ab Æquatore λόξωσις ac declinatio; tanta eſſe non poteſt, ut διάμετρον diſcrimen faciat; quod ego ipſe in condendis Tabulis ſum expertus. Novas enim Operi noſtro de Doctrina temporum intexui, quas Parilinas inſcripſi. in quibus certa à nobis Solarium motuum, & epilogiſmorum inita ratio eſt longè ſimpliciſſima, & quod caput eſt, omnium quæ prodierunt hactenus, exactiſſima. Quorum omnium fidem innumeris exemplis munivimus. Nam inter alia, Solis ac Lunæ defectiones propemodum omnes, quæ quidem ab antiquis, & idoneis auctoribus memoriæ proditæ ſunt, ex abaco noſtro ſcrupuloſè delineavimus: in quo diligentia cum difficultate certat. ut præ hoc uno, Scaligeri conatus omnis, pænè ludus fuerit. Nunc Chronologia, quam & typographi, & amicorum preces expreſſerunt ut in calcem operis conferrem, moram afferet editioni noſtræ. Arnobii MS. codex, id quod de Rigaltio perſæpè cognovi, ab urbe transferri non poteſt. Verùm ille variantes ſe lectiones, & quicquid ſcitu dignum erit, adnotaturum recipit. Quam in rem operam & ipſe meam tibi polliceor: ſi quibus de locis conſulendum priùs ad me perſcribas. Sirmondo, & Machaldo ſalutem abs te dixi, qui viciſſim ambo teſalutant: hic etiam litteras dedit. Vale.

EPISTOLA XVII.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

VEllem quod à me tam aſſiduè támque ſtudioſè flagitas, ratione aliqua perficere poſſem, ut Arnobii codicem ipſum è regia Bibliotheca mitterem. Sed neque per ejus curatores id licet: neque conſilii, præſertim hoc tempore videtur, tantillis de rebus principibus viris obſtrepere, ne aut iſti minùs ſe quàm velint, poſſe in hac re conficienda ſentiant: eóque ſubirati eſſe nobis incipiant: aut illi vel tentatum a nobis iſtud invitis ſe ac repugnantibus ægre ferant, & alieniore deinde ſint à nobis animo: nos ab utriſque nihil præter offenſionem, & invidiam colligamus. De Vendelini opuſculo habeo gratiam. Allatus eſt ad me ſub idem tempus Errici Puteani Lovanienſis profeſſoris libellus de Olympiadibus. Quis eum miſerit ignoro: in eo verò nova iis de ludis conjectura diſputatur; ſed inanis & ludicra; cui refutandæ paginas aliquot; Operis in fine, ſepoſuimus. Hoc verò jam ad exitum propè pervenit. reliquum eſt enim præter Indicem nihil, cui ad ſummum octo dies imputamus. Ita biennium ſolidum totidem excudendis tomis impenſum erit; ac longiſſimi & moleſtiſſimi laboris fructus exiſtet. Sirmondus tibi ſalutem dicit, & grande ſatis volumen, ſed idiomate ſcriptum noſtro, Bibliothecæ veſtræ deſtinat, è duobus alterum quæ partim à Typographo, partim ab auctore nobis oblata ſunt. Argumentum operis eſt de familia Vergicenſi, quæ in Sequanis hodie principem locum tenet. Id ſi erit opportunum, negotiatori illi dabimus: cui ad haſce litteras accipiendas in perendinum condixi. Sin nullus inter illius ſarcinas locus eſt, Sebaſtiano Cramoſio commendabitur. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

CUm ad te & Andream Schottum litteras paullò antè dediſſem: novas ecce mihi abs te popularis quidam veſter attulit, cum Kempiſii libello, quem recentibus, & elegantibus typis nuper edidiſti: cujuſmodi & alios hic compingendos, ad vóſque mittendos Typographus noſter accepit. Ego verò cùm de tuo conſtanti erga me ſtudio, ac voluntate, plurimùm gaudeo; tum de munuſculo iſto gratiam non habeo modò; verùm etiam refero. Mitto enim operis de Doctrina temporum noſtri Tomos duos, quos tandem ſuperiori menſe feliciter abſolvimus, & Illuſtriſſimo Cardinali Ricolocio dicavimus. Cui cùm illos offerremus, peramanter ac benignè nos habuit; ſibique id eſſe gratiſſimum officii genus oſtendit. Quod ſit operis illius inſtitutum; quodve doctrinæ genus, ac ſcientiæ polliceatur; cùm ipſum per ſeſe loquetur, tum in Prolegomenis utriuſque partis, ſed prioris maximè declaravimus. quorum acrem diligentémque comprehenſionem lectioni librorum noſtrorum anteverti cupimus. Scaligerianum de Emendatione Temp. opus Genevæ Allobrogum tertiò jam recudi certiſſimè cognovi. quod mihi optatiſſimum accidit. Nam eo vendibiliores erunt noſtri, quò hujus, quem contra ſcribimus, parabiliores erunt libri; qui hoc tempore inventu rariſſimi ſunt. Tametſi ut eorum interim deſiderium tolerabilius eſſet, opere in noſtro perfecimus, in quo ſingulis pænè capitibus Scaligerianæ doctrinæ ſummam breviùs, & quàm ab ipſo factum eſt planiùs, ac dilucidiùs explicamus. Scripſimus & adverſus Chronologicas quorumdam Diſſertationes, ſed eorum ferè tacitis nominibus, idque vel ſparſim toto in Opere, vel ſeparatim in Lib. nono pag. 58; ubi capitibus aliquot & in calce libri XII, à pag. 266. ſalſam abſurdámque popularis cujuſdam veſtri conjecturam refellimus. de quo ſuperioribus litteris ad te ſcripſeram. Id quam ille in partem accepturus ſit neſcio: exiſtimationis quidem ipſius, ut & Catholicorum ceterorum, contra quos neceſſariò diſputamus, ſic à nobis habita ratio eſt, ut veritatis ac fidei aliquantò plus haberetur. De hoc, ut de reliquis quæ eodem pertinebunt, certiores nos facies. M. Antonii Cappelli Diſſertationem de anno natali, & Paſſionis Chriſti, ante biennium hinc ad vos miſimus. Hujus in doctrinam capitibus aliquot inquiſivimus. Hæc eo ſcilicet deſignavi, ad eáque digitum intendo, ut te ad eorum lectionem impellerem. Vale.

EPISTO-

EPISTOLA XIX.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

OLim ad vos libros illos perveniſſe puto; quos tibi curaveram: tum ex Sirmondi litteris certiorem te iis de rebus eſſe factum, de quibus ad me poſtremis tuis ſcripſeras. quas cùm Sirmondo legendas dediſſem, is ſe cumulatè omnibus perfunctum eſſe proximè datis ad vos litteris dixit. Quare nihil hìc attinet eadem iteratò perſcribere. Ad illos porrò quinque libellos, quos noviſſimè poſtulaſti, ſextum addi volui, qui eſt M. Antonii Cappelli Franciſcani de cœna Chriſti ſuprema, contra Vecchiettum Italum quemdam, qui ſe Ægyptium ab Ægyptiaca legatione, ſic quaſi Africanum, aut Aſiaticum appellavit. Is Auguſtæ Vindelicorum habitat: ibique vegrandem Chronologiam edidit: ubi multa novè, abſurdeque docuit; quæ Romani Cenſoris animadverſione notata ſunt, & à Capello confutata, brevi libello, quem ad te mittendum curavi. Ego verò & immane illud opus Vecchietti, & hunc alterum Cappelli non legi modò, ſed etiam diligenter excuſſi: & quod meum de utroque, ſed de iſto potiſſimùm, judicium eſſet, tibi aliàs exponam, tum cùm ſcilicet alterutrum legeris.

Opus de Doctrina temporum in dies procedit. Vix eſt tamen ut infra vertentem abhinc annum poſſit abſolvi. Hæc me cura modò revocat, & ultrà producere hanc epiſtolam vetat. Vale.

EPISTOLA XX.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

BInas à te litteras accepi: priores, V Cal. Junias; poſteriores, VI Eid. Jul. datas. quamquam iſtæ non tam epiſtolæ, quàm memorialis libelli ſpeciem habebant. Eas mihi veredarius Antuerpienſis vir honeſtus, ac probus obtulit; unàque florenos centum numeravit, quos tibi ad librorum emptionem ſeponi, aſſervarique juſſit. Dabo equidem operam, ut in hac re neque fides noſtra, neque diligentia requiratur. Sed duo mihi ſignificari clariùs velim: alterum, ecquid veredario, ſive curſus publici magiſtro commendandi libri illi ſint, quos deinceps curabimus; vereor enim ne majoris id impendii futurum ſit: an parabilior, & damnoſa minùs opportunitas identidem quærenda. Alterum, de genere librorum. Nimis enim eſt infinitum, quod mihi præſcripſiſti, uti in eos libros inſumerem, qui ſtudiorum tuorum interſint. Ac de M. Antonii Cappelli Opuſculo ſtatim Cramoſium noſtrum admonui. Spero me illud veredario veſtro daturum: ſin minùs, certè propediem mittetur. De altero, qui eſt de Viis militaribus Romanorum, ex eodem noſtro Typographo quæram; cui in hodiernum condixi. Notitiam Epiſcopatuum Galliæ à Roberto editam puto jam te habere. Salmaſii in Solinum, ſive potiùs in Plinium, immanis & odioſus commentarius in dies exſpectatur. Simul atque prodierit, rectà ad vos illicò. Julianum Auguſtum prælo ſubjecimus. Jam plagulæ duæ vel tres expreſſæ ſunt. Menſes aliquot hic nobis labor extundet. Libri noſtri de Doctrina temporum paſſim hìc leguntur. Et apparet quoſdam valdè eſſe commotos: quorum penè quotidianas in nos coitiones fervere didicimus. Tum ab Germania, vel vicinis veſtris, hoc eſt è nidulo quondam ἀνταγωνιστοῦ noſtri, neſcio quid minatum. Contra hæc animum obfirmabimus.

De Vendelino, ſi is tibi familiaris eſt, quædam τεχνικὰ de Solis, Lunæque diametris ſciſcitari pervelim. ſed non eſt ſatis otii modò. Sirmondus noſter tibi, ut & Andreæ Schotto ſalutem dicit: quam & ipſi meo quoque nomine impertias velim, méque in ſacrificiis & precibus commendatum habeas. Lutetiæ Pariſiorum XIII Cal. Aug. MDCXXVII.

EPISTOLA XXI.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

COmmodum aſceticam hebdomadem, inibam; cùm ad nos poſtremæ tuæ litteræ pervenerunt. Itaque ſetiùs datæ mihi ſunt; neque tabellarium vidi. Quod autem Cappelli Diatribam nondum miſerim, fecit magnitudo pretii. Libellus eſt trium & viginti foliorum à Claudio Morello τῷ μακαρίτῃ editus. Hujus vidua tam cari illum æſtimat, non minoris ut florenis tribus emere liceat. Quæ res & mihi, & Cramoſio noſtro meritò ſtomachum movet: mihi verò præſertim; qui, quanti liber ille ſit, meliùs intelligo. Eſt enim imperitiæ, inſcitiæque pleniſſimus. Quare tanti non eſt, ut in eum ſumptus iſte faciendus ſit. Sed ſi tu nihilominus vel iniqua illa conditione curari tibi velis; dabo operam ut propediem accipias ac fortaſſe ne mandatum quidem tuum exſpectabo: ſed Cramoſio negotium hoc ipſo die committam. De Cappello pleniùs habes in utroque Tomo de Doctrina Temporum. Penes Sirmondum noſtrum Theodoreti ſcripta ſunt, à μακαρίτῃ Frontone noſtro prælo deſtinata; ut & Cyrilli; & Nicephori hiſtoria. quæ ſuo tempore in lucem exibunt. De Joanne Eleemoſynario quæ ſcripſi, vera puto. Nam à nobis eſt annorum ratio, quam ad Nicephori Breviarium ante annos XIV, & in Tomo 2 de Doct. Temp. diſputamus. Quæ tu ad Vitas Patrum ſuper hac quæſtione ſcripſiſti, nondum legi: neque verò otium adhuc eſt. Nam ad iter accingor, quod in menſem unum Rothomagum, & in alia quædam oppida veſtro citeriora ſuſcepi. Ubi domum rediero; tum & hoc tibi, & cetera mandata curabimus. Vale.

EPISTOLA XXII.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

LOnginqua demum ex profectione ſalvi & incolumes domum revertimus. Hoc eo ſcire tua interfuit, ut ſi quid curatum iſtic de more velles, ad nos ſcriberes. De Cappelli Diatriba olim quid velis exſpecto. Nam iniquum illius pretium a Typographo exigi vel Cramoſius noſter exiſtimabat. cui tamen ut quoquo ære partum ad te mitteret, diſcedens mandaveram. Sed ab eo neglectam rem video. qua integra, rurſus quid tibi placeat inquiro. Abſoluta nuper eſt Euſebianæ προπαρασκευῆς, & ἀποδείξεως, editio Græcolatina. Hujus interpres eſt antiquus, ac ſeorſim jam editus. προπαρασκευὴν verò Franciſcus Vigerus Rhetoricam hoc in Gymnaſio jamdudum profeſſus, de non optima Græca Latinam fecit elegantem. Utrumque, ſi permiſeris, opus pecunia illa, quam penes me habeo, comparabitur; ſolutum autem, an compactum malis, id etiam præſcribes. Litteras à Cathio noſtro, Ruremundenſi Rectore, abſente me huc perlatas reperi. Scribo igitur ad illum; & ut noſtras Ruremundam curare velis, id abs te poſtulo. Salutatus à Sirmondo, viciſſim ut Schottum, Vendelinum, & Guevartium meo nomine compelles etiam atque etiam rogo. Lutetiæ Pariſiorum prid. Eid. Oct. MDCXXVII.

EPISTOLA XXIII.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

QUod prioribus tuis litteris reſponſi nihil reddiderim, non vel officii negligentiâ, vel oblivione meâ factum: ſed negotiatoris illius, qui litteras ad nos tuas pertulit, ſingulari quadam incogitantia dicam, an incuriâ. qui cùm me abſente domum illas attuliſſet, neque viſus eſt uſquam, & inſciis omnibus nobis inſalutatíſque diſceſſit. Huic igitur uni, non mihi, non Typographis noſtris ſuccenſere debes. Nam niſi iſte nos vana ſpe ludificaſſet, olim libros illos, quos mitti tibi poſtulaveras, pervehendos curaſſem. Jam enim paratos illos habemus, quos quidem nanciſci hac in urbe potuimus. Sunt autem hi Bibliothecæ PP. Græcorum Tomi

mi duo, quos tuo nomine à Typographis expreſſimus. tum alter * * * * Ceteri porrò, quos & prioribus in litteris, & in memoriali ſchedio, quod Antuerpienſis iſte juvenis nobis oſtendit, notaras, reperiri non poſſunt. Quamquam nihil à me diligentiæ prætermiſſum eſt. Sed & aliquantò etiam poſtea diligentiùs inquirentur. De juvene iſto, quem dixi, vellem tibi gratificari poſſem. Sed difficile eſt hac in urbe, peregrinum præſertim & ignarum linguæ hominem ad puerulorum inſtitutionem obtrudere. Nihil tamen, quod in me ſitum erit, omittetur. Vale.

EPISTOLA XXIV.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

INDICULUM librorum aliquot, quem ad me miſeras, Claudio Sonnio, uti mandatum erat, quamprimùm dedi. Cujus rei dum exitum exſpecto, longior mihi paullò dies abiit. Etſi ne ſcribi quidem ad te ea de re neceſſe fuit à nobis: cùm id Typographus noſter Sebaſtianus Cramoſius olim, & quidem non ſemel ſignificaſſe ſe dicat, libros illos hic reperiri minimè poſſe. Quare velim aliò, quod reliquum eſt de ratiuncula tua, transferas. Sunt autem triceni circiter floreni reſidui de centum. Prodiit hic nupperrimè liber de Officiis Palatinæ domus à Jacobo Gutherio editus: quem puto jam ad vos perveniſſe.

De Vitis PP. quas tandem accepimus, habeo gratiam. Spero me propediem Julianum, & aliud neſcio quid millurum, quod in Hiſpanum quemdam J. C. meditamur, qui nonnulla de anno Græco, peculiari Diatribâ vexat, quam barbaries illi & inſcitia dictaſſe videtur. Sed cujuſquemodi eſt, non ſine reſponſione prætererire debet: quod & PP. noſtri Madritenſes mihi perſuadent. Ad extremum noſtri te in ſacrificiis precibúſque memorem valere plurimùm cupio.

EPISTOLA XXV.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

ACCEPI centenos illos florenos à veredorum magiſtro; quos cum prioris ſummæ reliquo, uti mandaveris, expendam. Nonnihil enim de vetere ratiunculâ ſupereſt. Biduum jam hîc Cramoſium exſpecto; quem ad me cum breviario nominum adeſſe rogaveram, uti ea diſpungerem. Simul admonui, libros ut omnes ex indiculo tuo curaret: quod propediem fore confido. Scripſit ad me honeſtus ille vir popularis veſter, adoleſcentulique illius pater, quem nuper ad me miſiſtis, ſed Flandricè ſcripſit; cujus ego linguæ, juxtà atque ille Gallicæ, ſum ignarus. Credo nec ipſum Latinè ſcire: alioqui hac ad me potiùs lingua ſcriberet. Quo minùs ad eum ſcribere neceſſe habeo.

Ceterùm quid de ejus filio ſtatutum à nobis eſſet, poſtremis meis tibi ſignificavi, non ſine levi facti veſtri caſtigatione, quòd vernaculi noſtri ſermonis rudem omninò, contra interdictum noſtrum, huc miſeritis. Itaque tantiſper in calligraphi cujuſdam viri optimi contubernium ſepoſitus eſt, ut Gallicè condiſcat. Annua penſio eſt florenorum ducentorum quadraginta. Dabis operam uti pecunia ſuppetat. Nam ego fidem pro illo meam oppigneravi. Statim atque commodum erit, ad mercatorem perducetur. De Seleniaco exercitatore ὀϊζυρῷ. Non enim perpetuò melius illi fuerit ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο: immo Chriſto Domino, cujus ille ſervos protervè pulſat. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Julii XVIII. MDCXXIX.

EPISTOLA XXVI.

Heriberto Roſweydo Societatis Jeſu, Antuerpiam.

MULTUM ad immutandam indolem valent Mediomatrici veſtri. Magnetium ego antehac noveram miti hominem ingenio, ac placido, pacíſque magis quàm belli artibus deditum. At is ſimulatque pedem illic poſuit, Martium neſcio quid perſtrepere cœpit, ac velut claſſico nos ad arma pugnámque provocat. Macte nova virtute. Hac ego verò me ad hanc militiam, ut ſatis animatum, & impigrum eſſe puto: ita dandis præceptis, aut inſtruendis vobis minimè idoneum judico. Ac ſi quantum & me judicio tuo, ac laudibus extuliſti, & te, doctrinámque tuam præter jus fáſque ſummiſiſti, tantùm in utroque vice verſa contentionis explicem; faciam id quidem haud paullò, quàm tu juſtiùs. Sed vereor ne ambitioſè magis eniti, quàm officio certare videar. Itaque genus hoc certaminis omittam, tibíque de tam ardenti, ac divinitùs incitato in Reip. ac religionis hoſtes animo gratulabor, cujus explicandi opportunitas ibi ubi es deeſſe non poteſt, ac Deum opt. max. precor, ut tanto tuo deſiderio, piiſque conatibus parem fructum ac proventum indulgeat. De Temporum Doctrina, quam meis commentariis nuper illuſtravi haud ſcio quàm gaudere me; vos amicos meos gratificari mihi oporteat. Nam metuo ne magnum mihi malum dederint. quod & vobis adeo ipſis moleſtum fore non dubito.

Ac vellem equidem minore, quàm eſt, approbatione multorum Opus illud eſſet exceptum. Nunc me urit ille ſplendor, & pœnitere litterarum iſtarum propemodum facit. Mira res, inquies: fateor, & cujuſmodi ſit breviter expono. Perveniſſe ad vos famam arbitror Madritenſis Academiæ, quam Catholicus rex in urbe regia nuper inſtituit, & Societati noſtræ commiſit. In hac doctrinarum omnium profeſſores collocare ſtatuit, méque ipſum à R. P. N. Generali nominatim expetiit; tanto, ut ipſe ad me ſcribit, ardore, ac ſtudio; ut ad Chriſtianiſſimum regem ea de re, ſi neceſſe ſit, litteras ſe daturum dixerit. Quam illius voluntatem ita mihi R. P. Generalis expoſuit, ut niſi inſuperabilis quædam difficultas eſſet, eò me proficiſci æquum eſſe cenſuerit, ac propemodum imperarit. Sed antè tamen, cauſſæ ſi quid eſſet, quo minùs id poſſem, ut ad ſe ſcriberem juſſit. Quod cùm nuperrimè fecerim, ſuſpenſus adhuc rei totius exſpectatione ſum, eróque tamdiu; dum ex meis litteris de me pronunciarit. Hoc & noſtris pleriſque, & tibi præ ceteris doliturum eſſe, pro vetere amicitia noſtra, facilè ſentio. At ego ita ſum animo paratus, ut, poſtquam cauſſas meas omnes ac rationes expoſui, quicquid imperatum erit, fortiter perferam, & in illius poteſtate ſim. Sed hæc eò retuli, ut intelligeres non eſſe, quòd mea mihi Temporum doctrina valdè placeret: quam ego infectam, ineditámque mallem. Verùm

> *Τούτου μόνου γὰρ καὶ θεὸς στερίσκεται*
> *Ἀγένητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.*

Tu hac in re, quia me conſilio non potes, precibus certè ac ſacrificiis ſedulò adjuva. Edideram ante menſes fermè tres, Latinos, Græcóſque verſus de Rupellana expugnatione: qui cum aliis noſtrorum Latinis, Gallicíſque publicati ſunt. Horum quod unum habebam reliquum, tibi deſtinaram. Sed R. P. N. Rector intervenit, ac neſcio cui priùs obtulit. Tametſi perveniſſe jam ad vos librum illum arbitror. è quo præter Odem dedicatoriam, priores duo Panegyrici, Græci autem verſus omnes mei ſunt. Hæc mea ſignificatio inſtar ejus erit, quod facere decreveram, uti ſeparatim ad te verſuum meorum libellum mitterem. Nam in eo, quem profectò vos habetis, quæ mea præcipua ſint agnoſces. Vale mi Pater, ac pro me communem Dominum precare. Vale.

EPISTOLA XXVII.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Alenconi.

ITA multis eodem tempore variorum hominum litteris, ac negotiis obſeſſus eram, penéque obrutus; ut ſi hîc adeſſes, corámque cerneres; juſtam tibi de mea tarditate conquerendi cauſſam non fuiſſe, vel tu ipſe faterère. Tametſi quorſum expoſtulatio tua ſpectet, non ſatis video. Nam cùm ad me recenſendum illud Dramatis initium miſiſti, id ut meo commodo, ac quàm ſolutiſſimo animo facerem, ſpontè es hortatus. Quare nihil eſſe putaveram, cur tantopere feſtinarem. Nunc poſterioribus tuis excitatus, intermiſſis omnibus, ad illa

tua

Digitized by Google

tua tractanda, & ut rogabas, caſtiganda me totum conſuli. Quàm id porrò diligenter, accuratéque præſtiterim, ex notis illis intelliges, quas ad oram adſcripſi. nec de iis plura.

Quod ea ſpectat de quibus ſciſcitaris, ſic habeto. Jecinoris caput in extis ſumma eſt hepatis fibra, quæ interdum coctura tabida, & evanida, in religionem, ominéque trahebatur. Contrà verò cùm extaret, & inſigniter appareret, proſperum rei promittebat exitum.

De ſortibus longum eſt omnia perſequi. Hæc percontationi tuæ pauca ſufficient. Sortes tales, ſive teſſeræ, erant ligneæ, notis aut litteris inſcriptæ, quibus ambigua futuris de rebus reſponſa continebantur. de quibus Ciceronem omninò conſule, libro de Divinat. ſecundo. Hujus ex verbis facile, quid ſit tolli ſortes, æquarique, potes cognoſcere. Scribit enim, cùm perfracto ſaxo ſortes erupiſſent, haruſpicum juſſu ex olea arcam eſſe factam, eáque conditas ſortes. Quæ quidem detractæ manu, ait ille, miſcentur atque ducuntur. Hic ego miſcere ſortes idem arbitror eſſe quod æquare. Uti cùm teſſeræ in fritillo, vel pyrgo, aut manu concutiuntur, ac miſcentur, quò incertior jactus ſit, adeòque ludentium æqua ſors, & par alea: nec improbi & exercitati veteratores quos velint bolos jaciant. Denique ſortes universè pro oraculis accipiuntur: credo, quòd antiquiſſima reſponſorum illa ratio fuerit. Habes ad ea quæ in percontatione tua poſuiſti. De haruſpicinâ porrò & ſortibus extant quorumdam commentarii, præſertim Bulengeri, quos ſi adhibueris, nihil erit quod longinqua reſponſa ſolicites. Vale, & pro me communem Dominum precare. VIII Cal. Jan. MDCXXVII.

EPISTOLA XXVIII.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Alenconi.

MIRUM te conjectorem Arubii tui, fecerunt (ſic enim Alenconios à Ptolemæo nominari quibuſdam placet, & eorum oppidum Vagoritum) qui & me, ut illa quondam ὡς βαρύχων agnoveris, & otioſiorem eſſe, quàm dudum ex eo ſis interpretatus, quòd ad quædam minuta deſcenderim. Sed ſi me videas, & quibus undique litteris circumſeſſus tenear, ut alia modò operoſiora taceam, næ tu de otio aliter cenſeas. Numquam me ſcito, quàm hoc tempore ſum, occupatiorem fuiſſe. Magnam enim litterarum annonam, & quantam hactenus non videram, hic mihi annus attulit. Scribo hæc ſub matutini temporis exitum: quod totum in iſto genere conſumpſi: ac cùm in pomeridianum plurimùm ſuperſit, cùm hoc acceſſerit, quartâ vix penſi mei parte perfunctus ero. Neque tamen propterea minùs tibi libenter in ſcribendo gratificabimur, ſi id cordi tantopere tibi eſt: & legendis quæ ad me miſeris, operam dabimus, quod me tibi vadimonium, antequam hinc abires, promittere coëgiſti. Sed, heus tu! quoſnam mihi, quæſo, verſus nominas? Nam nullos me ſcio præter eos vidiſſe, quos recenſeri à me volueras; ego verò ita ut juſſeras, notatos caſtigatóſque miſi. Præter hos nihil admodum hùc venit. Aut igitur in via de tabellarii mantica dilapſi ſunt; aut tu neſcio quid in bicipiti Parnaſſo de verſibus ſomniaſti. quod à me præſtari modò vigilans jubes. Gratulor vel tibi, vel Alenconiis tuis, prorogatam tibi docendi illic functionem eſſe. Hominem te quantivis oportet eſſe, cujus induſtria carêre civitas illa nequeat. Itaque tantum abeſt, id ut moleſtè ferre debeas, ut etiam admonendus ſis, ne te plus ea re deinceps ames, noſque contemnas. Nam quòd librorum paucitatem accuſas, eſt id quidem non ægrè ferre difficile. Sed, ut in malis, hoc habet commodi, ut ſedulitatem & gnavitatem acuat, quam librorum plerumque copia, & varietas obtundit. Ut ſtomachus, cùm uniuſmodi cibo paſcitur, in eo totus occupatur, ac facilius concoquit: ſic animus, quem varia, & multiplex lectio diſſipat, in uno genere collectus, totum explicat ſeſe, & ad id quod ſemel arripuit, firmius adhæreſcit. Ac nos perdiu in iiſdem librariis anguſtiis fuimus, nec antequam Lutetiam veniremus, ex iis emerſimus. Quò te majore eſſe animo decet, & in eorum, quos habes, lectione ingenium exercere tuum: antiquorum verò maximè; quos, qui initio magna in librorum copia ſunt, ferè faſtidire ſolent, dum & varia, & ut plurimum nova perſequuntur. quod capitale ſtudendi genus cave umquam imitêris. Nulla certior eſt litterarum pernicies, quàm cùm tale tirocinium inſtituitur. Meam tibi operam, ſi qua te neceſſariam putas, itidem ut antea, nunc quoque polliceri pergo. Sed ita ut ne aſſiduus ſis, ac ſeverus exactor: nec ſtatim atque ſcripſeris, ſic quaſi creditam pecuniam repræſentari jubeas. Vale; ac pro me communem Dominum precare. Lutetiæ Pariſiorum III Kal. Auguſt. 1628.

EPISTOLA XXIX.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Alenconium.

QUOD de mea vel admiratione, vel etiam ſtomacho conjicere te ſcribis, neutrum ſcito te aſſecutum: nec minùs infelicem μάντιν fuiſſe, quàm in triumpho regio nuper; cùm tu tibi, meum quid iſtic eſſet, indicari voluiſti. Atqui non illepide ὡς τῶ Θαρρύχων, ut illa fratrem, hoc eſt, neſcio quibus ex calamiſtris præfationis auctorem à te deprehenſum aiebas. Id verè, an ſecus, nihil dico. Tamen intererat exiſtimationis tuæ, ne hac in re quidem Criticum rudem videri. Sed ut eò revertar; neque mirari me factum tuum oportuit, quem aliter facturum non eſſe ſcirem: neque ſuccenſere tibi, qui id vereret potiùs, ne te alieniorem à me mea illa cunctatio redderet. Sed percommodè cecidit, ut qui ἱκεσίαν quædam ad expiandam hanc noxam comparare mihi ſtudebam, tibi ultrò placandus, & conciliandus viderer. Id adeo humanitas tua facit: quam non minùs, quàm ingenium amplector tuum, quod ſe quotidie novis indiciis effert. Vel oratio illa tua, quantam πρεπωδῆ iis in ſtudiis habet. De qua quod ſit meum judicium, accuratiùs, ac per partes, uti rogaras, explicare nihil attinet. Hoc unum habebis universè: magnam rem facturum eſſe te, ſi de ὄγκῳ, & grandiloquentia, quæ ſparſim eminet, nonnihil remittas, teque ad Ciceronianum nitorem, & inimitabilem illam ſimplicitatem accommodare ſtudeas. Vale. Lutetiæ Pariſiorum IV Cal. April. 1629.

EPISTOLA XXX.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

NON peſſimi debitoris eſt, cunctari in ſolvendo, dum ſe alieno ære, quantovis intervallo, liberare ſtudeat: etſi is commodior eſt, qui ad fidem, temporis etiam addit opportunitatem. Ego verò priori me ex genere eſſe fateor: idque, quia benè tibi ſum hac ex parte cognitus, non apud te excuſabo pluribus, neque propterea iraſci te mihi arbitrabor, aut officii pœnitere te tui, tamquam indigno, ingratóque feneraveris. Et verò fuit aliquid in epiſtola tua, quod mihi hanc qualemcumque culpam, & tarditatem injecit; quòd eo nitore, & ſermonis elegantia ſcripta eſt, ut huic è veſtigio reſpondere difficile mihi viſum ſit, ac vel vadimonium deſerendum, vel ſpatii ad reſcribendum, & otii ſumendum aliquid fuerit. Sed minimè committam, ut hoc ipſum agam, quo nihil mihi opus eſſe dixi, factum ut excuſem meum. Illud potiùs attingam, quod erat in tuis litteris, quódque mihi magnæ voluptati fuit; te in Biturigibus hoc aſſecutum, quod jamdudum optabas, animi æquitatem, & quietem. Oſtendis enim te majore, quàm aliàs umquam, in tranquillitate, ibi, ubi es, ac pace vivere. Id adeo Dei benignitate factum interpretor, qui tibi compenſationem hanc priſtini laboris & operæ conceſſit: ut deterſis moleſtiis, curiſque omnibus, totum te honeſtis officiis, ac vel publicis, vel privatis ſtudiis addiceres. Cum hoc tam jocundo, tamque optabili ſtatu, non eſt quod tu, non dico ſuperiorem illum (quid eſt enim eo laborioſius?) ſed vel maximè florentem, & omnibus refertum proſperis ejuſdem generis commutare cupias, aut ſecùs ac tum ſperabas, cecidiſſe res tuas doleas. Ita enim ſignificare viſa eſt epiſtola tua, & obductam jam cicatricem, præteritorum memoria refricare. Quod ut deſinas facere, & omnem illius temporis recordationem obteras, non hortor

tor ſolùm, ſed etiam obſecro. Non te pluribus admonebo, hominem non doctrinis tantùm, ſed uſu quoque ſimilium rerum eruditum; quo ex utroque genere petere medicamenta potes morborum iſtorum animi, & cùm tu te ipſe tibi, tum aliis opem, ac præſidium afferre. Me, quoniam id noſſe tua intereſſe putaſti, ſcito commoda ſatis uti valetudine: niſi commotiunculis interdum afficerer, quas in morbi reliquiis numero: ut & illud ipſum, de quo nominatim percontatus es, quod œdipus eſſe perſevero. Scis unde hoc nomen adeptus iſte ſit. Melius tamen, quàm dudum, ac longiùs adeóque in villam uſque ambulo. Ceterùm Romanæ profectionis mentio jam refrixit; immo eſt extincta penitus, nihil certè novi hactenus audio. Ea ſpe confirmatus totum me ad priſtina ſtudia & inſtituta retuli; ex quibus aliquid, ut ſpero, propediem exiſtet: quod ut maturiùs, & pro eo, atque tua, ceterorúmque ſpes eſt, fructu, & emolumento majore accidat, tuis me precibus, ac ſacrificiis etiam atque etiam commendo; tuet non Patrum, fratrúmque, qui illic ſunt, quibus à me ſalutem dicas velim. Vale, & pro me communem Dominum deprecare. Lutetiæ Pariſiorum v Eid. Decemb. CIↃIↃCXXXIX.

Jam iſtas R. P. Rectori obſignandas dederam, cùm poſtridie, alteræ mihi à te redditæ ſunt unà cum meis, ut ſi quid ad recentiores tuas novi eſſet quod ſcriberem, id poſſem addere. Mihi verò nihil admodum occurrit, quod ad ſuperiores adjiciam, niſi illud de poëmate noſtro, quod nudiuſtertius pronunciatum eſt in frequentiſſimo cœtu, ab Philoſophiæ quodam auditore, juvene docto; qui tam aptè, ac decenter, tantáque cum dignitate dixit, nihil ut ne tu quidem deſiderare ipſe poſſes, quem in talibus moroſi ac delicati faſtidii eſſe vidi. Itaque non malis fortaſſe verſibus multùm gratiæ, ac commendstionis attulit. Sed hæc omnia, uti & cetera quæ ſub ſole fiunt, ad Eccleſiaſtis κυρίαν δόξαν exigenda ſunt. Cujus libri duo jam capita priora, aliud agens, uti moris eſſe mei ſcis, & ut in Pſalmis factitavi, Græcis verſibus reddidi. Horum tibi capitum primum deſcripſi: tum ut contemnendis rebus infimis omnibus aſſueſcas: tum ut guſtum Græcitatis, quem tibi aſperſeram, non penitus obtundas. Atque hoc habebis mantiſſæ, vel ſenoris loco, ne de unis meis ad tuas binas conqueri poſſis. Volo autem, ſi quem illîc habes [illegible], & Græcarum elegantiarum non omnino rudem, cum eo ſpecimen iſtud communices: etiámne illi, qui meum nomen in libris ſuis traduxit? Etiam; ſi ita opus eſſe judicabis, & operæpretium in eo eſſe videbitur. Vale iterum, & à N. ſalutatus, & hunc etiam poſtremum, præter ſuprà memoratos alios, ſalvere à me jubeto.

EPISTOLA XXXI.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

QUAM non vacuo ſim ab negotiis animo, ex eo potes exiſtimare, quòd ſemel iterúmque laceſſitus, nihil tibi reſponderim. Ita ſeſe res habet, mi Pater, ut nec umquam majore ad quemquam voluntate ſcripſerim, quàm ad te cupiebam: neque ad id agendum, vel recordationis, vel idonei ſpatii ſatis habuerim. Non enim clam te eſſe arbitror, ex quo hinc Avaricum avolaſti, quàm variis, quámque negotioſis rebus occupatum id mihi tempus omne præterierit, quod ne nunc quidem liberius, ac ſolutius eſt, quàm antea. Sed fremitum tuum ultrà ſuſtinere non poteram: præſertim iis lectis verſibus, qui torporis in me ſi quid eſſet, excutere poſſent, & afflatu illo calefacere, quo ſunt à te ſcripti. Et habent ad nos excitandos argumentum non inutile, quòd aquæ, frigidi ſcilicet elementi, minimèque actuoſi, converſionem in vinum exhibent, rem utique vegetam, & ad languorem diſcutiendum aptiſſimam. Hinc ideo cepi initium reſpondendi tibi, quòd ea me res in poſtremis tuis ſingulariter delectavit. Sed heus tu! nonne carminum, ac ludicrorum ſatis eſt? Quouſque verò? At contineo me. Video enim te hoc idem objicere poſſe mihi: quem tu ſcire debes hoc anno Græca, Latináque carmina benè multa feciſſe. Græcè primùm Eccleſiaſtæ metaphraſim integram, imparibus, ut inſtitueram, verſibus: Latinè autem poëmata duo, alterum de expiata in Templo; alterum de ſalutata ab Angelo Virgine: quæ duo pòſt paullò, in utroque ſodalitio pronunciabuntur. Tertium in manibus habeo de concepta eadem Dei matre; cujus centenos jam verſus abſolvi. Verùm ne tibi nimiùm exemplo noſtro placeas: ſcis profectò, quantum à tua ſejuncta cauſſa mea ſit. Primùm tu ceteroqui piger es, & cùm animo, induſtriáque plus me valeas, laboris improbitate vinceris. Tum tu in minuta iſta totum immergere te ſoles, & πάρεργον facis ἔργον. Adeo res te prima quæque capit, & affixum tenet. Ego nullam in iſtis ſerii temporis particulam colloco: ſed eundo, redeundo, ambulando per urbem, per ædes, inter cœnandum, noctu, reliquis ſubſecivis horarum momentis, raptim illa meditari ſoleo. Hoc ſi ita facis, nihil ultrà verborum addo, quin tu facere pergas: ſed ſi aliter, ac more illo tuo quem vidi, agis iſtud; valdè reprehendendum puto. Habes in quo ingenium tuum, & otium fructuoſiùs ponas, occupationem te dignam, & elegantem, Scripturæ interpretandæ profeſſionem: quæ tibi, ſi ſapis, delicias iſtas excutiet, ac mollitiem: & verò morbum, quem [illegible] Græci, malaciam Latini Græco etiam vocabulo nominant. Quin tu, mihi ſi credis, Hebraicis litteris ſtudii aliquid imperties: ut ad enarrandas litteras ſacras eò fidentior, ac paratior accedas. Profectò operæpretium feceris, ſi iſta cures, dum mens, & ætas, & tempus ſinunt. Ego me, ſi qua re poſſum (poſſum autem in Hebræis aliqua) totum ut debeo, tibi offero. Vale, mi Pater, ac mei diligenter fac memineris in precibus, ac ſacrificiis tuis. Salutem à me dicas velim R. P. Rectori, quem ſpes eſt hic propediem fore: tum NN. ac ceteris, quos mihi notos ſcies. Lutetiæ Pariſiorum anno ineunte CIↃIↃCXLI, quem tibi ac reliquis omnibus auſpicatum precor, Januarii 3.

EPISTOLA XXXII.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

NOLI deinceps de lentitudine mea, vel litterarum raritate conqueri, vides [illegible] epiſtolas: quarum poſtremam incomitatam ne dimitterem; adjeci ad eam librum Græcorum carminum nuperrimè excuſum, quem ſummo Pontifici dicavi. Et interim dum Latina properantur, quibus ille [illegible] annectendus eſt; ſecrevi aliquot exemplaria, quæ in amicos diſtribuerem. Heri Nicolaum Borbonium adii, ut illi offerrem unum. Is multa de te cùm amanter, tum honorificè. Hebræa ſunt in illo Græco volumine quædam: quæ ſi non intelligis, habes ad manum qui ea tibi explicet, N. Hunc enim illius linguæ benè peritum oportet eſſe, qui Romæ publicè eſt delectus, ut coram legatis, aut principibus viris inter prandendum Hebraicè declamaret. Eo igitur utaris interprete cenſeo. Aut ſi minimè is placet: at tu te ipſe per te quantum potes enitere. potes enim, [illegible] hoc eſt, [illegible]. Brevi ſenties non me vanum monitorem fuiſſe: nec te operæ pigebit. Vale mi Pater, meique in tuis ſacrificiis, & precibus memento. Salvere à me jubebis R. P. Rectorem, [illegible] N. IV. Cal. Sept. CIↃIↃCXLI.

EPISTOLA XXXIII.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

SI hoc præſertim tempore, in quo tanta cuique eſt expediendæ rei ſuæ difficultas, tam acres, & aſſidui ſint ad exigenda nomina creditores, quàm tu es in appellando me: cùm multi alioqui ſint, plures adhuc eſſent, qui non bonis rebus ſuis citati, foro cederent. Quid enim? Ignorare ſcilicet hoc potes, ego quibus diſtrictus ſim, irretitúſque negotiis, ac pænè obrutus? cùm eodem tempore plura in manibus habeam, quà de integro ſcribenda, quà in lucem edenda jam ſcripta. Et tu tamen, quaſi otioſus hic ſedeam, urges, inſtas, objurgas, ſi minùs ad tempus reſpondeam: cùm eo vir bonus contentus eſſe debeat, ſi id aliquando quod debeo, quamlibet ſerò perſolvam. In quo quàm ſis iniquus

quæ animadvertes, ſi fabellam legeris, quam elegantiarum pater Horatius in epiſtola ſecunda libri ſecundi, Atticis, immo Romanis veneribus condiit. Cujus, quia eſt paullò longior., clauſulam hîc tibi ſolam exhibebo.

Prudens emiſti vitioſum. dicta tibi eſt lex.
Inſequeris tamen hunc, & lite moraris iniqua.
Dixi me pigrum proficiſcenti tibi: dixi
Talibus officiis propè mancum: ne mea ſævus
Jurgares ad te quòd epiſtola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas?

Hæc ego ſum præfatus, ut te adducerem, ſi poſſem, ab hac inclementia: & ut per te mihi interdum negligenti eſſe liceat. Sed ut tandem feriò tecum (iſta enim jocando ſcilicet adſperſi) vehementer gaudeo, quòd reſipuiſti denique: téque ab deliciis iſtis, hoc eſt, poëticis ſtudiis, ſic quaſi puerilibus avocamentis, ad ſolida, & virilia tranſdidiſti. Nam quòd meum mihi factum objicis: ptimùm quis te exemplo meo, periculo autem tuo, peccate cogit? Deinde quæ ſit mea cauſſa, paullùm attenderes, & quàm diſſimilis tuæ: de qua jam poſtremis in meis habuiſti. Hæc dixi, ut te ab imitando me dehortarer: quem ſcire debes adeo non pœnitere priſtini delicti, ut in eo adhuc perſeverem. Etenim non ſolùm Eccleſiaſten Græcis elegiacis verti, quem pænè jam expeditum à prælo nunc habeo, & brevi ad te mittam, Græco inſtructum comitatu ceterorum verſuum quos palantes in unum contuli: & cum epiſtola nova Græca, Urbano inſcripſi Pontifici ſummo. Sed Threnos inſuper Jeremiæ Iambicis trimetris Græcis nuper inſtitui reddere. At iſta quemadmodum tractem, quo tempore, quàm non importunè, jam, ut dixi, poſtremis tibi litteris meis expoſui. Nunc quod ad conſultationem tuam attinet; Scripturæ ſacræ ſtudium ab Hebræis ordiare cenſeo. Id enim apprimè ad eam rem eſt uſui; adeo ut qui illius linguæ ſit rudis, rudem eumdem eſſe conſequens ſit ſacrarum litterarum: quantumvis multis, ac benè amplis commentariis armatus ad id ſeſe conferat. Hoc eò magis conſilium probo, quòd ſtudium iſtud non te totum ſibi vendicabit, ſed cum eo conjunges & alia, quæ itidem neceſſaria videri tibi ſignificaſti; Conciliorum; ac veterum Patrum, & antiquitatis omnis Eccleſiaſticæ ſcientiam. Patres quo ordine pervolvas, non multum ad ſummam refert. Potes tamen ab antiquioribus legendis initium facere. Hiſtoriam Eccleſiaſticam ab Annalibus Baronianis repetes. In qua etſi nonnulla peccata ſunt: tamen ubi te uſu corroboraveris, paullatim ea recognoſces, & corriges. Nam Conciliorum legendorum ordo ſe ipſe prodit: cùm à primis quibuſque progreſſus ad poſteriora faciendus ſit. Habes ad omnia, pauca illa quidem: ſed ſi iis uteris, plus ſatis. Sin minùs adhibes; quid his plura requiras, cauſſæ nihil video. De Patre τῷ τ φ. σεγισῶν ita planè eſt, ut ſcribis: & ego coràm, atque uſu ipſo, aſpectúque didici. Quidvis potiùs tolerandum, quàm hæc injuria capienda fuit. Sed multa improviſò, ac præter opinionem incidunt: quæ magis facta damnamus; quàm ne evenirent providere potuimus. Μετὰ ϰ τόδε πᾶσιν ἐρρίφθω. Theologia noſtra curſum ſuum tenet. Jam enim tomus unus abſolutus eſt; alter multùm proceſſit. Tuis mihi precibus opus eſt, cùm maximè, ut quod inſtitui, feliciter ad exitum perducam. Eas igitur implorare pergo: uti mei in ſacrificiis tuis memineris. R. P. Rectori ſalutem à me plurimam dicito. ſimul illud; Luculli hoſpites, quibus quotannis operam dedimus, hoc primùm anno ceſſaſſe. Auguſti 4. 1641.

EPISTOLA XXXIV.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

CUm plurimæ in te ſint artes eleganti ingenio dignæ, nondum tu tamen conjector eſſe didiciſti. Vel illa tua nupera divinatio de Luculli hoſpitibus, quàm non ἄστοχος & ad rem fuit! Tu Gallinas neſcio quas ſomniabas. Sed videſis, quid apud Plinium libro 15, capite 25, Lucullus in Italiam invexerit, adſtipulante Tertulliano Apologetici capite undecimo. Hos ubi legeris, tum is facile, qui cum communicandum dixeram, ænigma tibi illud explicabit. Puto ad te perlatum fuiſſe volumen Latinorum noſtrorum carminum, quocum & Græcorum ſub eodem ſittybo compactum eſt alterum. etſi hoc ſeparatum jam ad te miſeram. Sed ἐπὶ τῷ καλῷ, ut me apud te ipſe prædicem. Habebis hic multa nova cum veteribus: & inter illa, Panegyricos B. Virginis, qui ſingillatim in ſodalitii exhedra dicti ſunt. Sed quod incurioſius emendationi illius libri præſui, tædio fractus tot correcturarum, quædam ſane fœda interim irrepſerunt. Velut p. 140. ver. 12. leg. *Purpureo lavit amne.* P. 206, ver. 15. *Triſte gubernaclum.* P. 228. ver. 4. *Hunc & forte olim ſuperet.* P. 236. *Erebóque poſcor.* Tu & hæc in tuo codice, & per te alii in ſuis emendabunt. Te enim auctore, ac fidejuſſore diſtrahi illìc mercem oportet iſtam. Ac me quoque, ſi quid præter illa inter legendum occurrerit, certiorem facies. Putabis callidè id à me tibi oneris imponi, ut te ad legendum adigam: nec te faller ſuſpicio. Velim ita quidem legas, ut & caſtiges, ac cenſoriâ notâ configas, ſi quid ad κριτικώτερον tuum acumen offenderit. Sed hoc ſeriò te nolim agere: verum quibus & vacabis horis, & per metamorphoſes tuas licebit: quas jam prælo deſtinatas audiebam: & hactenus quidem. Nam nihil harum vidi, præter ſpecimen illud, quod dudum ad me miſiſti, quod nihil lubentiùs omnibus Gratiis, ac Muſis expreſſum videbatur. Sed an non abundè verſuum eſt: nec jam hoc commentandi genere ſatur es, quod ab aliis te gravioribus, magiſque neceſſariis avocat; quidquid ex adverſo cauſere. Verumtamen fruere judicio tuo, ſi ita lubet, neque meum tibi conſilium placet, quod de Hebræis ex animo complectendis, penitúſque combibendis ſalubre dederam. Et tamen is vir es, qui tibi frigidè, ac malignè conſuli à me querare, nihilque præter vulgaria & quotidiana præcepta ſuggeri: cum tu recondita, & uſu illo digna, quem diuturnum in illis habemus, exſpectaveris. Atqui ſi tu communia iſta, & tamen, ut fateri debes, neceſſaria faſtidis, ac neglectim obis, quid arceſſitis illis, & exquiſitioribus opus eſt? Aggredere modò: quod jam fortaſſè feciſti; ac circa minuta illa, & στοιχειώδη animum exerce. Nam ad majora contendenti prima quæque arripienda ſunt, & in promptu poſita. Et errant qui compendii ſpe, tranſcurſis mediis, ad extrema propetant. Opus noſtrum plenis jam paſſibus procedit in dies: cujus editionem præſens, ut ſpero, annus abſolvet. Interim toto illo in procurando negotio opinione majorem capio laborem. cujus moleſtiam levat exſpectatus operæ fructus. Quem tibi aliorúmque, qui iſtic ſunt, noſtrorum precibus Deo acceptum, & Eccleſiæ fructuoſum confido fore. Velim ex omnibus nominatim à me ſalutes R. P. Rectorem, qui tibi ænigmatis œdipus erit: collegas tuos, & ſi quos noſti memores mei. Quibus omnibus viciſſim fauſta, & ſecunda quæque comprecor. Vale. Febr. 21. 1642.

EPISTOLA XXXV.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

PEr illud mirum mihi accidit, quod ex poſtremis tuis litteris didici, nondum ad te perlata eſſe Latina mea poëmata, quæ tanto antè miſeram. Cujus moræ cauſſas inquirenti mihi reſponſum ab illo eſt, qui hoc in ſe receperat, fratre Sebaſtiani Cramoſii; ſe tabellariis, ac veredariis librum illum noluiſſe dare, ne vectura cariùs conſtaret. Quod igitur in rem tuam, tuique collegii factum eſt, id bonam in partem debes accipere, neque duriùs interpretari, καὶ αἰνεῖν αἰνίγματα. De gripho noſtro αἰνιγματωδέστερος ſunt quæ ſcribis. Et tamen ſuccenſes, quod te nondum intelligere dixi. quod profectò verum eſt. Nam ad Gallinas neſcio quas redis, de quibus ne cogitaram quidem. Vidi ante aliquot dies Borbonium virum optimum, & apprimè tui ſtudioſum. Is ſe anno ſuperiore longam epiſtolam aiebat ad te miſiſſe: nec quid ea factum ſit, hactenus ſciſſe; ſuſpicari autem, tibi non eſſe redditam, quòd nihil reſponſi dederis. Idem ut ſuo te nomine ſalutarem,

multùm rogavit. Tertius jam operis noſtri tomus ſub prælum ire cœpit; quo abſoluto paullulùm interquieſcam, vel, ut eruditiùs loquar, interjungam. Id quod ego jamdudum cupio.

Commodum iſta ſcripſeram, cùm alter ad me faſciculus tuus allatus eſt: in quo erat metamorphoſis una de tuis, quas olim commentari te mihi ſignificaveras. Ejus aliquot è veſtigio paginas devoravi. Cetera ſubinde perlegam. Viſa mihi ſunt, quæ raptim obire potui, poëtico lepore condita, & imprimis Latina. Vale. 6. Jun. 1642.

EPISTOLA XXXVI.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

ET breviorem tibi: & minùs limatam epiſtolam rependam pro tua illa caſtigata & imprimis polita, quam ad me pridie Non. Octobres miſiſti. Cur quàm & ſoleo, & forſitan exſpectas, ſcribam modò breviùs, cauſſam dedit nec opinata faciendi hujus occaſio, quæ ſe mihi commodùm obtulit. Miſit enim ad me famulum ſuum Pariſienſis Senator Ponticarreus, qui cum unà pranſi ambo ſumus aliquando; rogatum ut commendatitiam epiſtolam ad Patres noſtros Bituricenſes ſcriberem, quò ſororis ſuæ filios ſtudiorum gratiâ mitteret. Eam ſum reſcribendi tibi anſam libenter amplexus; tum ut ne te longiùs differrem: tum ut excuſationis aliquid caperem ex illa feſtinatione, ſi minùs tuarum litterarum elegantiam aſſequi poſſem. Sed mitto quod non ſolùm longioris, ſed etiam juſtæ inſtar epiſtolæ eſſe debet, carmen tibi, quod jubente P. Rectore nuper effudi, in templum S. Franciſci Xaverii in ſuburbio S. Germani à Franciſco Subleto Noierio à fundamentis extructum. Ad quod ingenii tui, ac judicii limam admovere te volo. Simul illud rogo; uti pueros iſtos, de quibus initio ſcripſi, quàm commendatiſſimos & habeas ipſe, & aliis facias. Vale, ac Deum pro me precare. IV. Non. Dec. 1642. ipſo die B. Franciſco Xaverio ſacro.

Injunxerat P. Rector unicuique noſtrûm in templi partes ſingulas Epigrammata ſcribere: Ego tholum ſortitus eram. de quo illud habeto.

Dona pii: fortes hoſtis monimenta ſubacti
Suſpendunt medio bellica ſigna tholo.
Tu neutrum, Sublete, facis: ſed minùs utroque
Grandius, hæc per te condita templa voves.
Nec mirum eſt: pietas hoc major, opimque cupido
Victa tibi quovis fortior hoſte, parit.

EPISTOLA XXXVII.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

NON potuit alieniori tempore tuus ad me liber venire. Ita ſum negotiis & variis & neceſſariis non vallatus modò, ſed penè obrutus. Maximè verò in tomorum trium conficiendis indicibus crux mihi certiſſima conſtituta eſt. Nam tres in unumquemque deſtinavi, hoc eſt universè novem. Non potui tamen, quin tibi morem gererem, ac verſus tuos percurrerem: tum etiam quibuſdam noſtrorum, eruditi ac limati judicii legendos traderem. Quorum omnium mecum conſentiens judicium fuit: quod tibi, quoniam ita vis, & hortaris, paucis, & ingenuè perſcribam. Imprimis convenit, omnes illos cum primis Latinos eſſe; hoc eſt, dictionem habere caſtigatam, ac puram, & ad nitorem antiquitatis exactam; cujuſmodi eſt Catulli, Lucretii: quem tu in pleriſque adamare, & imitari videris: tum Horatii, & ſi quæ ſunt aliæ Latini floris veneres, deliciæque. Verùm illud de titulo & inſcriptione libri; ſcito nec mihi, nec illis quos adhibui in conſilium, probari μεταμορφώσεως dici opus tuum. Quod tu quidem præfatione tua purgare voluiſti. Sed minimè perſuades. Nam nihil minùs habent pleraque, quàm quod vocabulo iſti reſpondeat. exceptâ unâ vel alterâ hiſtoriâ. Quid autem attinet μεταμορφώσεις vocare tranſitus à morbo ad ſanitatem? Nimium, mihi crede, laxa eſt, & ampla nominis uſurpatio, quam vereor ut ſatis tueri poſſis. Etenim de Ovidio quod ſcribis, habet ille quidem ἐπεισοδίως plurima, & adventitia. Sed quæ non ex inſtituto, neque προηγουμένως: verùm alterius gratiâ; & ad nexum, ac velut commiſſuram ſabellarum, quæ propriè dictas habent μεταμορφώσεις, illigari ſentias. Tua ratio non eſt eadem. quippe nullam admodum attingis hiſtoriam, quæ propriè nomen illud mereatur; præter unam, ut dixi, vel alteram. Hæc de opere tuo, quoniam ſic jubes, putavi tibi ſcribenda. Ac nonnulla etiam ad marginem adnotavi, quæ parva commutatione meliora poſſe fieri crederem. Tu utrumque bonam in partem accipies, & idem in meis verſibus, ceteriſque ſcriptis, non me ſolùm æquo animo ferente, verùm etiam laudante, & hortante, fas tibi eſſe confides. Vale. Scripſi hæc uno propemodum impetu; properans ſcilicet; & ad ea, quæ ſunt præ manibus, animo geſtiens. Deum precor, ut te incolumem, ac fortunatum velit. VIII. Cal. April. CIↃIↃCXLIII.

EPISTOLA XXXVIII.

Franciſco Vavaſſori Societatis Jeſu, Avaricum Biturigum.

PRIORIBUS tuis litteris reſpondere meditantem genus alterum reſponſionis avocavit, quod multò urgebat magis, & defugere nullâ excuſatione poteram. Id quale ſit, neque tu ignoras, & jam, opinor, vidiſti. Altera cunctandi cauſſa fuit, quòd te propediem huc eſſe venturum intelligerem; ac coràm, te de meis, méque de tuis rebus cogniturum. Itaque ſtatueram nihil ad te litterarum dare. Sed expugnavit pigritiam meam poſterior epiſtola tua, quâ te de profectione monitum, neque nolente id me facturum eſſe ſignificaſti. Non is ſum qui meam operam tibi venditem, & oſtentem. Tantùm illud dicam, optatiſſimum omnibus, qui hîc ſunt adventum tuum, mihi verò longè jucundiſſimum futurum. Quamobrem te hortor, ut quàm citiſſimè potes, ad nos advoles. potes autem ineunte hebdomade ſancta. Quod in tempus exſpectari te à me ſcito. Interim quid poſt Paſchales ferias prælegere in ſcholis commodo tuo debeas, apud te conſtitues. Licet autem ex Novo Teſtamento quidquid voles capere, præter unam ad Romanos epiſtolam, quæ hoc ſemeſtri priore à nobis eſt expoſita. De Hebraïcis ſtudiis iterum appello te; & ut in ea gnaviter incumbas, moneo acriùs, & inſiſto. Et ſi jam te ſpero in litteris iſtis luculenter eſſe progreſſum. Quippe ita jampridem ſuaſeram, & te non aliter facturum receperas. Vive, vale, ac pro me communem deprecare Dominum: meôque nomine cum primis R. P. Rectorem ſaluta. ac de Luculli hoſpitibus in memoriam illi revoca: ſi tamen ſcis quid iſtæ ſint. tum Patres, fratréſque ceteros: maximè NN. quorum ego me precibus, ac ſacrificiis commendo IV. Non. Mart. CIↃIↃCXLIV.

EPISTOLA XXXIX.

Nicolao Borbonio V. Cl. Andomatunum Lingonum.

GRATISSIMA mihi tua recordatio eſt veteris amicitiæ noſtræ, quam ſibi te ſæpè eſſe teſtatum ſcripſit ad me Nicolaus Oudæus qui Lingonenſi familiæ noſtræ præeſt. Is te quoties domum convenit, toties de me exortum abs te ſermonem eſſe dicit cum præcipua ſignificatione priſtinæ in me tuæ voluntatis, & honorifica commendatione nominis mei. Quod utrumque quia nullo meo merito, ſed abundantia quadam bonitatis & humanitatis facis; eò pertinere debet non ut tanti me faciam, quanti me eſſe vis; ſed ut quoquo modo carum me eſſe tibi vehementer gaudeam. Ego verò neque amare te unquam deſii (Vir Clariſſime) & ea perpetuò prædicavi, quæ in te eſſe ſingularia perſpexi, ſummam ingenii eruditioniſque vim cum pari animi candore, & ἀφελείᾳ. Quorum alterum commune habes fortaſſe cum paucis: in utroque verò ſuperiorem, ut opinor, neminem. Quocirca libenter ea ſum uſus occaſione, ut quod jamdudum cupiebam, ad te ſcriberem, mutuámque conſuetudinem noſtram

longo

longo intervallo revocarem. Quod meum ſtudium, ſi tibi non ingratum eſſe cognovero, repetam illud quàm voles ſæpè, quantúmque tua illa tot modis infirma valetudo patietur. Nunc ne gratis hoc quodcumque eſt mutuæ ſcriptionis officium occupaſſe videar, peto imprimis abs te; me, quod hactenus feciſti, conſtanter ut ames, téque viciſſim amari confidas: tum ut Patres noſtros, qui illic apud vos degunt, eodem illo amore ac benevolentia complectare, & quibus potes auctoritatis tuæ præſidiis tegas, atque confirmes. Scribit ad me ille ipſe, quem paullò antè nominavi, Nicolaus, omnia abs te, quæ quidem optari ab ordinis iſtius homine poſſunt, exſtare in ſe hactenus amici animi, & benevoli ſigna; tibíque ut eo nomine gratias agerem litteris ſuis hortatus eſt. Id non ſolùm facio quantum poſſum, ſed etiam oro obſecróque ut ad hunc amorem in illos tuum, amoríſque ſignificationem nonnulla meâ cauſsâ fiat acceſſio. Ego ſi quid viciſſim tuâ gratiâ poſſum, etſi debitum jampridem tibi eſſe ſentio, dabo operam ut libentiùs, quàm umquam antea, & cumulatiùs à me perſolvatur. Vale.

EPISTOLA XL.

Nicolao Borbonio V. Cl. Andomatunum Lingonum.

NUPER ad me cùm ſcriberes (Vir Clariſſ.) vereri te dicebas neſcio quam meam Latinæ linguæ facultatem, quò minore ad me fiduciâ, quàm ad mortuum Ciceronem Petrarcha quondam, litteras dares. Hoc, niſi te penitus noſſem, jocandi, & illudendi mei gratiâ dictum interpretarer. Nunc vel amori erga me tuo; vel ſingulari animi de ſe nimiùm puſillè, de aliis magnificè ſentientis modeſtiæ malo tribuere. Ego verò, quod undecumque potiùs, quàm ex rei veritate profectum de me judicium intelligo, multò id in hoc meo facto de re juſtiùs uſurpare mihi poſſe videor. Nam cùm ad te ceterarum quidem humanitatis artium, ſed poëtices imprimis laude florentem; quædam hoc in genere à me nuper elucubrata mittam; vereri abs te mihi multò debeo magis, atque ingenio meo, facultatíque diffidere. Quod equidem facerem; niſi excellentem illam vim tuam, ac præſtantiam ſumma conditam humanitate, & amore in nos, ac benevolentia cognoſcerem. Pro qua id mihi tribui abs te peto, Latinos ut iſtos Græcóſque verſus non patienter modò legas, ſed etiam jucundè. Quòd ſi nihil aliud, certè argumenti genus ipſum impetrare poteſt: quod etiam, ut ad illos ſcribendos tanto me intervallo referrem, perſuadere mihi potuit. Scis enim quàm pridem, ab hiſce muſicis ſtudiis animum meum atque operam abduxerim, alióque tranſtulerim. Quò me identidem & ex intervallo referre minùs pœnitebit: ſi optimo hac ætate judice te, operæpretium ullum in his quæ tibi offero feciſſe videor. Vale.

EPISTOLA XLI.

Sichardo Gachiacenſi Abbati Perigniacenſi.

FRATRIS tui dignam æternitate memoriam, quam non longo elogio ſum complexus, mitto ad te, Reverendiſſime Pater, vel amoris erga illum & obſervantiæ teſtimonium, vel virtutis illo ordine dignæ formam & exemplar, cujuſmodi in vita ſua, & moribus expreſſit: De quo elogio profiteri hoc unum poſſum, nihil in eo vel ambitioſè confictum, vel ſupra rei veritatem auctum & amplificatum eſſe. Cujus rei cùm ipſe mihi ſum teſtis, tum ceteros omnes conſcios habeo, téque præſertim, qui omnium illum optimè noſti.

Galliardi Cornaci Abbatis Villalupani ad Angeverum in Turonibus, memoriæ ſacrum.

QUI *Toloſæ Senatorio genere ortus, majorum claritudinem animo ac virtute ſupergreſſus eſt. Septennis Lutetiam Pariſiorum, linguæ & ingenii formandi cauſsâ miſſus, ibidem excellentibus magiſtris Turnebo, ac Maldonato operam*

dedit. Toloſam rediens Joanne Corraſio celebri Juriſconſulto doctore tantùm profecit, ut vix duodeviginti natus annos, quod didicerat, magno concurſu, & approbatione profeſſus ſit. Poſtea in Senatum allectus, inde ab Ill. Cardinali Borbonio in contubernium adſcíſcitur quem ita ſibi demeruit, ut is in ejus amore, & obſequiis acquieſceret; conſilio verò penè in omnibus uteretur. Nec ille præpotentis amicitiâ præmia ambitioſè ſibi uſurpare inſtituit: ſed ad aliorum rationes, & humanitatis officia tranſtulit. Multa & fructuoſa ſacerdotia ultrò ſibi delata, majora quàm pro meritis ſuis cauſſatus, in alienos ſæpè derivavit. In magna ſpe rerum ampliſſimarum, cùm & purpureus jam ei galerus oſtenderetur, mortuo patrono, cui ut in ſecundis, ſic in adverſis fidem præſtitit, quadriennali & eo ampliùs, cuſtodia maceratus, ſeſe mox ad Carolum Lotharenum Mainenſem principem applicavit. Huic ſummis & difficillimis in negotiis, crebríſque legationibus induſtriam probavit ſuam. Eo quippe, & Janino velut fecialibus & interpretibus, pax inter Henricum M. & fœderatas partes coaluit. cujus ut apud Clementem VIII. Pont. Max. rationes exponeret, legatus Romam profectus, adeo ſe cùm ceteris, per quos iter habebat, Italiæ regulis, tum illi ipſi Pontif. commendavit, ut ad familiam ſuam ultrò eum invitarit: recuſantem honeſtiſſimo ad Mainenſem principem elogio proſecutus ſit. Romæ quoad ſuit, Gallicani regni commodis, & Henrico M. quod tum agebatur, cum Pont. Max. conciliando ſedulam, atque utilem navavit operam. quod ipſum Cardinalis Doſſatus litteris ſuis teſtatus eſt. Reverſum in Galliam, & in Villalupano cœnobio pietati, ac litteris deditum Mainenſis principis obitus interpellavit. à quo teſtamenti executor factus eſt: cùm in ſupremis mandatis id præcipuè filio mandaſſet, ut ex Abbatis Villalupani conſilio penderet. quod illi ſalutare deinceps fuit. In magna fortunæ varietate, ac civilibus bellis, irretitum factionibus principem aut continuit auctoritate ſua, aut ad officium denique revocavit. Ad eumdem Aquitaniæ deinde præfectum regiis litteris velut conſiliorum moderator ire juſſus, tam utrique, quàm provinciæ ſatiſfecit adeo ſecunda fama, ut ad eum rex ſuapte manu ſcribens, ſacri Conſiſtorii comitivam repræſentarit, Epiſcopum verò primo quoque tempore deſtinarit.

Secundùm hæc, Mainenſem principem novis civilium armorum turbinibus abreptum, ac poſt ceteros cunctantem, iterum regis ad poteſtatem, & obſequium adjutxit. Eidem poſtea Aquitaniâ tota legitima contra perduelles, & hæreticos arma circumferenti conſilio & auctoritate præſtò fuit. Eo mortuo, priſtinam ſe ad quietem, paciſque ſtudia convertit. In Villalupano itaque ſeceſſu quod reliquum ſuit ætatis per Catholicæ pietatis offi ia, & honeſtarum cultum artium exegit. Græcis, ac Latinis litteris apprimè doctus utroque genere pereleganter dictabat. Nullam non diſciplinarum partem à pueritia perſecutus; tum memoria ad ingraveſcentem ætatem uſque firma, ac præſente ſemper exſtitit. Veteres, ac recentes, peregrinas, & vernaculas omnes hiſtorias quàm fideliſſimè, jucundiſſiméque reddere ſolitus: nihil ut ejus convictu, ac colloquio ſuavius putares. Ad continuum orandi, cæleſtiáque tractandi ſtudium cùm virtutes ceteras, tum in egenos prolixum, ac liberalem adjecit animum. Præter uſitatas, & continuas ſtipes, quas prætereuntibus adſpergebat; quinquaginta ſenibus certam quotidie pecuniam ſuapte nonnumquam manu diſtribuit. In ſumma verò annonæ caritate, octingentis circiter diurnam ſportulam erogavit; in eóſque ſumptus æs alienum grande conflavit. Super legitima Quadrageſima, ac reliquorum temporum jejunia, quæ ne ſeptuagenario quidem major omiſit umquam, bina ſibi hebdomadis ſingulis indixit. Vicinorum circumquaque lites, & ſimultates pari auctoritate, ac prudentia compoſuit. His aliíſque Chriſtiano dignis homine ſtudiis intentus, ſaluberrima hactenus valetudine, nec ullis ætatis incommodis affecta, Sacramentis omnibus ritè perfunctus, inter religioſorum virorum complexus, quos Auguſtini exemplo pœnitentiæ Pſalmos identidem recitantes audiebat, placidum, ac fiducia plenum ſpiritum Domino commendavit III. Eid. Dec. ann. Chriſti CIƆIƆCXXVI.

EPISTOLA XLII.

Franciſco Bravo nobili Hiſpano, Antuerpiam.

NIHIL abs te conſultius fieri potuit, quàm quod feciſſe te ſcribis, ut ab armorum belliq́ue ſtrepitu, ad otium te litterarum, ac pacis ſtudia transferres.

Nam, ut tuâ quod privatim refert, omittam modo; illæ ipſæ, quarum ad conſuetudinem rediſti, litteræ jactutam maximam facturæ videntut; nec niſi ægerrimè, ferre poſſe, ut ea nobilitate, ea ad omnes diſciplinas indole, ac ſpe juvenis, hunc ſibi jam deſponſum ætatis, & ingenii florem à ſe abjiceres, alioque transfunderes. Quod autem hujus me tui conſilii ſautorem habere ſtuduiſti, eúmque tibi mutuam ad conſuetudinem noſtram aditum fore putaſti; in altero quàm non ſis ſpe tua falſus, meum de tuo facto quod expoſui judicium oſtendit: de altero vereor ne quem nimium opinione tua finxiſti, perpuſillum ex hoc uſu noſtro, amicitiáque fructum minorem certè ſama, exſpectationéque tua capias. De me enim qualiſcumque concitatus eſt hominum rumor, non poteſt non eſſe merito meo major. quanto ſit verò; ut alu non ſentiant, ego certè ignorare non poſſum, cui quò familiarior eſt, eò magis eſt imbecillitas inſcitiáque mea, quàm illis falſa quædam quæ in me apparet ſpecies nota doctrinæ Sed ut de me loqui deſinam; ad teque revertar; magnopere hic ſcito laudari ſtudium tuum, quod in eruendis è Laurentiana bibliotheca veteribus libris ponere te dicis. De quo plura Sirmondus noſter ad te ſcribet. Hic enim Catalogi tui, quam utrique mandaſti, curam in ſe recepit omnem, hactenus quidem, ut ſuper ſingulis quæ tu rogaras adſcriberet. Nam ut inveſtigari, expedirique iſtud ipſum, quod ad te ſcriberetur poſſet, communis cum illo ſolicitudo mea fuit. Ex ejus ergo litteris ea cognoſces, quæ de libris iſtis ab utroque ſcite voluiſti. Poſtremò quòd mihi ex celebri illa Laurentiana bibliotheca, facis quæ velim optandi copiam, accipio magni ac liberalis, & in me ſupra meritum prolixi animi ſpecimen; cujus ut te numquam pœniteat, quibus potero viciſſim officiis operam dabo. Deum interim precor; ut tam eximia indole, tantáque virtute, & humanitate, quæ eſt in te, dignos fructus propediem exiſtere, & in multos annos propagari patiatur. Vale.

EPISTOLA XLIII.

Vincentio Marinerio V. Cl. Valentiam.

JUSTISSIMA eſt querela de me tua (Eruditiſſime MARINERI) neque cauſſæ quicquam eſt, quin & meritò tu mihi ſuccenſeas, & ego quam voles pœnam commiſerim. Nam neſcio quâ meâ vel incuriâ, vel oblivione accidit, ut cùm aliquot ad me litteras dederis, ego nullas ad hunc diem reponerem. Id adeo non contemptu factum tui velim interpretere. Neque enim is es, qui contemni debeas: neque ut præter meritum roum poſſis, à me id certè metuendum eſt tibi. Ac ne ſolus hanc invidiam totam officii neglecti ſuſtineam; ſcito temporibus ipſis, ac momentis, quibus ad me tuæ perlatæ ſunt, quiddam eſſe tribuendum. Nam partim peregrè degenti mihi, partim neceſſarias in res intento, & occupatiſſimo datæ fuerunt. Itaque dum identidem quod præ manibus eſt reſponſioni prævertitur, longiùs, quàm par erat, extracta res eſt. Tuæ hoc æquitatis, & humanitatis erit, quamlibet gravem hanc condonare culpam, ac nihil proptèrea de amore in nos tuo remittere: quod uti ſcribis, ita facere te confido, vehementérque lætor. De libris tuis, quos huc miſiſſe te ſcribis, nihil equidem accepi. Neque ſi edantur in lucem, meum iis nomen inſcribi velim; immo verò id ne fiat magnopere poſtulo. Nam neque me tali honore dignor; & tu alios invenire potes, apud quos eam gratiam fructuoſiùs, honeſtiúſque colloces. Vale.

EPISTOLA XLIV.

Euſebio Nierembergio Societatis Jeſu, Madritum.

ET jucunda mihi roa de me ſolicitudo fuit, & quid faciendum eſſet admonentis, prudentiæ plena, & auctoritatis oratio. Ego verò exſtitiſſe aliquem, qui me contra ſcriberet neque miror, neque moleſtè fero: tantâ autem inſcitiâ, ac cùm ſtili, tum ingenii barbarie præditum hominem id inſtituiſſe; partim miror, partim etiam non meâ id quidem, ſed communium litterarum cauſſâ dolendum puto. Etſi magnam partem admirationis hujus litteræ tuæ ſuſtulerunt, quibus ita graphicè expreſſus homo iſte eſt: minimè ut mirum ſit ab tam vaſta, & agreſti indole tam ſactum & horribilem fœtum editum fuiſſe. De hoc mihi quid facto ſit opus, nondum ſtatui. Nam cum ad librum ipſum, auctorémque Alphonſum Caranzam reſpicio, planè ſcribendi conſilium abjicio. eſt enim uterque miſericordia, vel, ut ſeveriſſimi ſimus, contemptu, quàm odio & inſectatione dignior. Cùm autem ſubit animum meum faſtus hominis, ex imperitorum judicio collectus: is ne impunitate longiùs ſerpat, reprimendus, atque abſtergendus videtur. Itaque nondum, ut dixi, deliberatum mihi eſt, quid potiſſimùm ſequar. Ut autem ptius illud amplectar, exſpectandum nihilominus erit, dum alter neſcio quis illius liber ad nos venerit, cujus antecambulonem eſſe Diatribam ſuam ſignificat: & ad quem nobis pænè ſingulis verſibus digitum intendit. Hunc nos hactenus exſpectamus. Interim de hoc in me caritatis officio gratism tibi habeo maximam, quam, ſi qua re poſſum, remetiri cupio; tantiſper dum plenam ab communi Domino mercedem eo nomine capias; quam tibi ſempiternam, & uberrimam cupio. Vale.

EPISTOLA XLV.

Petro Caſtellarnawo Societatis Jeſu, Barcinonem.

GRATA mihi provocatio tua mutui inter nos officii, ac ſamiliaritatis fuit: nec jucunda minùs benè de me merendi voluntas primùm è Schotti noſtri; tum ex tuis litteris perſpecta. Scripſerat ille mihi jamdudum, ſe quicquid iſtiuſmodi ſcriptorum, quo me in genere verſari modò ſciret, ex Hiſpania, locíſque ceteris corrogare poſſet, diligenter eſſe curaturum. Adjecit amplis, ut ſolet, egregiíſque promiſſis facta etiam verbis ampliora. Ac cum illi plurimum eo nomine debeam, quòd tuam mihi notitiam, amicitiamque operâ ſuâ patefecit; tum non minores tibi grates habeo, quòd apud Bartholomæum Morlanezium, quem mirificè prædicas, ejuſdem te conciliatorem rei fore polliceris. Nihil eſt quod ejuſmodi hominum, qualem hunc eſſe litteris tuis ſignificaſti, amicitiæ anteponendum cenſeam. Feci itaque quod rogabas, & ad ignotum alioqui virom, ſed tua mihi commendatione probatum, litteras dedi. Quem quidem valdè gaudeo antiquitatis omnis, ac doctrinarum iſtarum eſſe ſtudioſum. Ei tu verò litteras velim meas offeras, cum prolixa voluntatis in illum meæ teſtificatione. De B. Petri Alexandrini Martyris Opuſculo gratiſſimum eſt quod ſcribis. præſertim eùm ſit perbreve. Nunc enim in eo ſum, ut Opus meum edatur in lucem, quo Doctrinam Temporum, & à Scaligerianis repurgatam fabulis ac nugis, & ad normam veritatis exactam copioſè ſum complexus. Ad hoc Appendicis inſtar accedent ſelecta quædam Græcorum ac Latinorum veterum Opuſcula, quibus Computiſtica methodus traditur. Cujuſmodi ſi quid in ſcriniis veſtris latet, id ego magni beneficii loco à vobis accipiam. Habemus hic typographos duos fratres, quibus cum Madritenſibus librariis inſtitoribus commercium eſt. Iis ego has litteras ad vos mittendas dedi, ſimúlque rogavi, ut ſi quid iſtinc ad me mitteretut, tutò perferendum curarent quod illi prolixè receperunt. Itaque niſi quid commodius ac brevius extrices, uti illorum opera ne gravere. Vale.

EPISTOLA XLVI.

Bartholomæo Morlanezio V. Cl. Barcinonem.

INCENSUS ſum Caſtellarnavii noſtri litteris, & egregia commendatione cùm virtutis, eruditioniſque tuæ, tum amoris in Societatem noſtram, ac laudum denique ceterarum, tibi ut notus, & amicus eſſe valdè cuperem. Ad hoc ille verò mihi perfacilem aditum ab humanitate roa pollicebatur, ſi prior ad te litteras voluntatis meæ, deſideriique teſtes, & obſides darem. Quod ille

mihi,

mihi, cui te par eſt maximè eſſe cognitum, faciendum cenſuit, id ne inſolens, ac tua dignitate alienum eſſet, vereri non debui. Vetus eſt præterea dictum

Αὐτόματοι δ᾽ ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴενται

quod ad bonorum convivia bonos admonet ſponte nec invitatos accedere. Quanto magis ad bonorum, & illuſtrium, hoc eſt tui ſimilium virorum uſum ac notitiam, nobis qui quidem boni eſſe ſtudemus, fas eſt etiam non vocatos perrumpere? Sed hanc meam, ſive quis audaciam interpretetur, ſive intempeſtivam cupiditatem ac nimiam, ſi æquitati tuæ probare poſſum; aut ſi meus ille ſequeſter & interpres fidem præſtiterit, non modò non pœnitendam mihi, ſed & gloriandam in omni eſſe vita ducam. Ac ſi multùm ad animorum conciliationem valet eorumdem ſtudiorum ſocietas & conjunctio: te illarum doctrinarum, quibus ab ineunte ſum ætate deditus, vehementi quodam amore flagrare, & in earum ſcientia longè principem eſſe, idem, qui tui mihi ſalutandi auctor eſt, Caſtellarnavius confirmat. Quo minùs dubitare certè debeo, quin tibi jucundum hoc officium meum, tua verò mihi humanitas ac benignitas in promptu ſit futura. Opus habeo præ manibus, ac propediem in lucem proditurum, quod de Doctrina temporum inſcripſi. In eo verò cùm populares multarum gentium annos accuratè diſputo; tum Eccleſiaſtici Paſchaliſque computi veteris rationem ac methodum. Quare quod ab eruditis tuique ſimilibus poſtulare ſoleo, id à te etiam atque etiam flagito, ut ſi cujus Græci Latiniſve Scriptoris ſuper hoc argumento lucubratio apud te exſtet, ejus mihi copiam facere non graveris. Id ego magno in beneficio, ac ſingulari reponam, & eo me nomine in ſempiternum tibi devinctum putabo. Vale.

EPISTOLA XLVII.

Hieronymo Aleandro V. Cl. Romam.

AMOR erga te meus (Hieronyme vir clariſſime) doctrinæ tuæ primùm famâ concitatus; poſteà etiam humanitatis opinione plurimùm auctus, poſtremò vehementer inflammatus eſt, cùm me abs te amari certis ex indiciis, atque ex Sirmondi noſtri ſermone cognovi. Quæ res eò mihi jucundior accidit, quod neque ullis meis meritis à te ſum amore laceſſitus, & idipſum, quod ego magna mihi mercede comparandum putarem, tibi ut amicus eſſem, tute ipſe ſponte tua detuliſti. Quare cùm eo nomine majorem me tibi in modum devinxiſti, tum audaciam feciſti; ut quod abs te impetrare ſtuderem, apertè planéque perſcriberem. Epiphanii, quem ego Latinè ſum interpretatus, novam & accuratiſſimam editionem jamdudum molior. Quam in rem pluribus mihi adjumentis opus eſſe non ignoras, ac veterum præſertim Manuſcriptorum copia: quam hîc nullam aut perexiguam habemus. Nam qui unus in Bibliotheca Regia codex eſt, is mendoſus eſt, & ad cuſorum exemplar expreſſus poteſt videri, adeo cum Baſileenſi illa vetere, ac depravata geminus eſt. Quamquam nonnulla ex eo, nec pœnitenda in operam noſtram contulimus: plura ex Schotti Antuerpienſis ſchedulis, qui ad Vaticanum Codicem Baſileenſem illam editionem olim exegerat: ſed minùs opinor diligenter, & ad unum dumtaxat exemplar, nec ultra paginam 171. hoc eſt tertiam ferè Epiphanii partem. In ceteris ſolâ conjecturâ nitimur.

Quare ni tibi id moleſtum eſt, hanc à me gratiam ineas velim, ut ſi quod in Vaticana Bibliotheca Manuſcriptum eſt, & eo quo Schottus uſus eſt plenius atque integrius, cum eo Epiphanii ſaltem reliqua conferri cures. Duo ad id video eſſe neceſſaria. Alterum, Codicem aliquem Baſileenſem excuſum; cujus ad oram variæ lectiones adnotentur. Alterum, quod fortaſſe difficilius eſt, hominem aliquem qui id peritè poſſit ac velit facere. Quorum neutrum imponi tibi à me eſt æquum, χρῆσθαι γὰρ δεῖ ταῖς φιλίαις, οὐκ ἀποχρῆσθαι, ſed utrique certa hac ratione provideri poteſt. Primum ut Baſileenſem illum aliçunde mutuò accipias, fidémque facias, pro eo me recentis noſtræ editionis exemplum aliud eſſe redditurum. Deinde, ut idoneum hominem vel mercedis interpoſita pactione quæras, cui hunc laborem poſſis injungere. Ego quicquid meo nomine ſpoponderis, diligenter præſtabo. Et quoniam Florentiæ in Magni Etruriæ Ducis Bibliotheca vetuſtiſſimum Epiphanii exemplar eſſe didici, vellem id per amicos, ſi illic tibi ſint, efficere poſſes, ut cum illo Baſileenſis Codex conferatur. Quod hoc modo confici poteſt, ſi dum Epiphanii reliqua illa quæ in Schotti ſchedulis deſiderantur, cum Vaticano comparantur, prior interim Baſileenſis pars Florentiam mittatur, quæ eodem tempore ad Florentinum caſtigetur, dum cetera cum Vaticano collata Florentiam mittas. Feci fortaſſis impudenter, qui tibi homini & graviſſimo, & aliis in rebus occupato tantum oneris indixerim: ſed nimirum quid à te, tuóque commodo vellem, liberè ingenueque præ me tuli. Tu ſi minùs id præſtare, ac ſi facturum te omnino negaveris, non modò non iraſcat; ſed deprecabor etiam culpam, atque alterum certe quod negare non potes, me ut ames nihilominus, meâque ipſe opera utare, magno abs te opere poſtulabo. Vale.

EPISTOLA XLVIII.

Lucæ Holſteinio V. Cl. Romam.

CUM præter officinam Sebaſt. Cramoſii nuperrimè tranſirem; paululum is me moratus à te litteras oſtendit, in quibus erat, uti tuo mihi nomine ſalutem diceret. Longo abs te intervallo repetitam mentionem mei, recordationemque veteris amicitiæ noſtræ gaviſus ſum: quam ne te priorem revocare occupaſſe putes, ſcire debes antè me Rationarii Temporum, cujus ſecundam editionem inſtituimus, exemplar ad te miſiſſe; idque illi ipſi Typographo noſtro mandaſſe, ut inter ſarcinas reponeret, quas Romam deſtinabat. Quas quia longo pòſt tempore, quam hinc devectæ ſunt, ad Urbem pervenire conſtabat, tamdiu ad te ſcribere diſtuli, dum ſuſpicari poſſem, librum illum ad tuas manus veniſſe. Hunc velim diligenter evolvas, & κριτικώτατον omne tuum acumen in eum explices; ut ſi quid ibi peccatum à me deprehenderis, de eo me certiorem facias; neque verecundia te ulla, aut amicitia noſtra deterreat; quin à me hanc gratiam ineas. qua nulla poteſt à te eſſe certior, mihíque jucundior. Scripſi ad Eminentiſſim. Patronum tuum Franciſcum Cardinalem Barberinum litterarum hac ætate perinde ac purpurati Collegii columen, cui tu velim quidquid iſtud eſt libri commendes. Vale. 1633.

EPISTOLA XLIX.

Mutio Vitelleſco Societatis Jeſu Præpoſito Generali, Romam.

AGNOSCO tuam in me verè paternam indulgentiam: dum quod jure tuo imperare poteras, id à me impetrare maluiſti: ac tam ardenti Catholici Regis ſtudio non cedendum putaſti antea, quàm me certiorem faceres, meamque de tota re ſententiam ac voluntatem cognoſceres. Quod conſilium de me tuum cùm eſt per ſeſe mihi jucundum, tum eò gratius eſt, quod illud ipſum, quod ſponte quiſque in ſuapte cauſſa faceret, id mihi mandaſti ultrò, ut ſi quod ad eam rem impedimentum haberem, id ingenuè profiterer, ac liberè. Ego verò, cum duo ſint, quæ in eam deliberationem incidere poſſunt, quorum alterum publice, hoc eſt vel Provinciæ noſtræ, vel totius Gallicanæ Societatis intereſt; alterum privatim ad me pertinet: prius illud, ne vel invidioſe aliquid de meipſo dicere, vel de ſocietatis in Gallia rebus timidè nimis augurari videar, omittam in præſens, ac ſuperiorum noſtrorum litteris ac prudentiæ reſervabo: alterum, quod modò agitur, ac nominatim requiris, quàm potero breviſſimè, ac veriſſimè perſcribam.

Scribis expeti me ab Catholico Rege, ut in conſti-

tutis ab eo nuper Madriti ſcholis, publicè doceam. Magnifica res, & illuſtris, & quam plerique diſſimili ac nos inſtituto vitæ, ac genere, non admittant modò libenter, ſed ultrò etiam arceſſant. Mea verò, cur eam provinciam defugiam ac detrectem, ratio eſt ejuſmodi: quòd neque ab ingenio ſatis; & à corporis viribus nullo modo paratus ſim, ut vel tam infinitæ de me exſpectationi ſatisfacere, vel peregrinationi iſti, commorationíque tolerandæ idoneus eſſe poſſim. Corporis valetudo, quàm alioquin imbecilla mihi ſit, teſtem habeo P. St. Charletum Aſſiſtentem: qui me Fixâ Lutetiam ad inſtaurandas ſcholas accitum, ſemel iterúmque graviſſimo, ac lethali morbo propè conſumptum meminit: ac biennio deinde toto lentâ & quotidianâ febriculâ jactatum, quæ me non antè dimiſit, quàm in patriam de medicorum conſilio profectus, paullarim me nativi, ac genitalis aeris hauſtu perfunderem. Quo ex tempore longè gravior quà ex nephritide, quà ex veſicæ calculo morbus acceſſit. atque hic imprimis: qui mihi perſæpè non inſuavem modò librorum, ac litterarum uſum; ſed vitam etiam moleſtam, & ejus optabilem terminum facit. Hic enim me demum exitus manet, & animo meo obverſatur in dies; ut vel acerbiſſimo cruciatu finienda propediem vita iſta ſit; cujuſmodi paucos ante annos Fronto Ducæus extinctus eſt: vel nihilo tolerabilior ſectorum, chirurgorúmque carnificina ſubeunda. Hæc me aſſidua cogitatione verſantem; hæc metuentem in dies, horum curâ, & animi atque corporis ægritudine confectum, quos tandem animos ad iſtam ſcholarum Hiſpanienſium pompam allaturum eſſe confidis? In quo nec illud omittam quod xx propemodum annorum experientiâ didici: mihi, quamlibet incolumi ac vegeto corpore, non ultra ſemi horam ad perpetuam orationem vires umquam, & latera ſuffeciſſe. Atqui publica in illa profeſſione legitimum horæ unius tempus eſſe ſolet. quod me nulla ratione explere poſſe, ſanctiſſimè tibi prædico, ac denuncio. Accedit perfrequens ex bile languor, qui æſtibus potiſſimùm, & caloribus irritatur, cujuſmodi in Hiſpania, mihi quidem ingraveſcente præſertim ætate prorſus intolerabiles exiſtunt. Inde enim accidit, ut neque extra conſuetam cœli temperiem ſine morbo, ac vitæ periculo, diu perſeverare poſſim, & quoties paullò longiùs iter pedibus facio: nam equorum, vehiculorúmque jactationem propter calculi moleſtiam perferre nequeo: continua febricula conflictor. Hæc, ut alia minutiora prætercam, quæ coram eloqui ſatius ſit, quàm in litteris iſtis ponere, me ab Hiſpanienſi illa profectione vehementius abſterrent; quæ cujuſmodi ſint, Paternitati tuæ ſtatuendum relinquo. Ego quidquid de me decreveris, tamquam divinitis editum oraculum libenti animo promptóque ſuſcipiam, & impigrè conabor exſequi. Vale.

EPISTOLA L.

Mutio Vitelleſco Societatis Jeſu Præpoſito Generali, Romam.

GEMINUM Paternitati tuæ hujus anni fœtum offero; libros à me editos duos, quorum alter Operis de Doct. Temp. reliquias continet; hoc eſt Scriptores aliquot Græcos majori ex parte jam in lucem editos, quorum lectione ac teſtimonio multùm in commentandis libris de Doct. Temp. fueram adjutus, quóſque tum unà edidiſſem, niſi majorem in molem ne opus illud excreſceret, veritus fuiſſem, ac ſatius ideo putaſſem in aliud differre tempus. quod mihi peropportunum incidit, cùm adverſus Hiſpani cujuſdam J C. Diatribam, de qua ad te ſcripſimus, quædam generis ejuſdem & argumenti publicavi. Alter non à me quidem editus neque nomine meo inſcriptus; ſed ex variis ac diſſipatis partibus collectus Juliani Cæſaris opera complectitur. Cujus Scriptoris orationes varias partim ab aliis, partim à meipſo ante plures annos in vulgus emiſſas auctore me Typographus in unum redegit, atque ut hoc facerem, quod ante tredecim annos deſtinaſſe me audierat, Eminentiſſ. Card. Barberinus non ſemel eſt hortatus, ídque per Emin. Card. D. Bagnium à me petiit. cùm priùs Juliani ipſius epiſtolam adjungendam reliquis ad me miſiſſet. Qua voluntatis, humanitatíſque ſuæ ſignificatione cùm meipſum inſigniter; tum librum ſibi meum oppigneravit. Itaque recentem à prælo ſtatim Cardinali Bagnio (ſic enim hic fieri voluit) ad illum perferendum dedi, cum litteris, quibus ei gratias egi. Quod meum munus, ſi commendatio tua, ubi erit commodum, acceſſerit; longè illi fiet acceptius. Eſt in Eminentiſſimi Cardinalis Bagnii comitatu vir quidam optimus, & humaniſſimus, illi à ſecretis, cui à Turri nomen eſt. Is duobus illis libris, quos ad te mitto, inter ſarcinas ſuas locum dedit, ſéque tibi coram daturum recepit. quæ res mihi & jucundiſſima fuit, & magnam ſolicitudinem exemit. Quod reliquum eſt, neque enim pluribus interpellare opus habeo, enixè te rogo, me meáque uti favore tuo, & apud communem Dominum, precibus tuis, & in ſacrificiis mentione aliqua proſequi digneris. Vale.

EPISTOLA LI.

Mutio Vitelleſco Societatis Jeſu Præpoſito Generali, Romam.

LIBROS Paternitati tuæ miſi nuper admodum duos, quorum alter reliquias Operis de Doctrina Temporum perſequitur, & auctores aliquos continet, quibus in illo commentando ſumus adjuti, quorum editionem, quia moles operis nimiùm jam excreverat, prorogandam putavi, déque eo lectorem admonui. Alter Julianus eſt Imperator, cujus ſcripta ſparſim à nobis, vel ab aliis antea vulgata, quædam etiam hactenus non edita, in unum conjeci corpus: idque hortante, ac propemodum jubente Eminentiſſ. Cardinali Barberino tandem effeci, cùm xv ferè totos annos diſtuliſſem. Spero utrumque tibi non ingratum fore munus, utile id quidem publicè confido fore. Hoc verò ab Avenionenſi quodam juvene accipies, qui Eminentiſſ. Card. Bagnio Apoſtolicæ ſedis apud Regem Chriſt. paullò antè Nuncio à ſecretis eſt, & ultrò ad id operam mihi ſuam detulit. Sed eos libros ſeriùs arbitror ad te eſſe venturos: quòd illorum iter moræ plurimùm habiturum video. Interim alterum mitto munus, natum anni hujus initio; carmen ſcilicet, quod in laudem Poëticorum Operum Sanct. D. N. Urbani Pontiſ. ſcribere à te ſum juſſus. Velim probari vobis induſtriam meam. animum certè quidem & obſequendi voluntatem, quæ me ad id genus lucubrationis ſola perpulit, alienum ætate noſtra, inſtitutíſque ſtudiis, quæ ad divinam Scripturam, ſanctóſque Patres, ac Theologiam univerſam tranſtuli. De quibus ſtudiis occupationibuſque noſtris habeo quod Paternitati tuæ ſignificem, & ad æquitatem tuam, humanitatémque confugiam. Ego poſtquam humaniores litteras profiteri deſii, ſacras litteras cupidè ſum amplexus, in quibus decimum hunc annum Lutetiæ ita verſor, ut ad illarum tractationem, ſanctorum quoque Patrum uſum, ac ſtudium adjungere ſoleam: quæ me magnopere res oblectat. Sed habet hæc profeſſio offenſionis iſtud, quòd infrequentiores, & paſſim contemptæ iſtæ ſcholæ ſunt, omniúmque animos contentioſa ac rixoſa Theologia ad ſeſe rapiat. Quæ res docentis infringit animum, & quantumvis invito & obnitenti tædium ſolet afferre. Huic incommodo, ſi qua via poſſet occurri cùm perdiu apud me cogitaſſem, id unum viſum eſt aptiſſimum, ut qui mos in Lugdunenſi provincia jamdudum tenetur explicandæ Scripturæ, in hac urbe, aut etiam provincia ſervetur: nimirum uti moralis Theologia, ſive Conſcientiæ caſus, ut vocant, & Scriptura ſacra alternis ſcholis explicentur; & ad utramque ſocietatis noſtræ omnium annorum auditores conveniant. Ita enim Præceptorum faſtidium, & iſta quam dixi ſolitudo levabitur. Neque grave id erit auditoribus, immo verò jucundius; & ad eas artes admittendas, quarum majore affici tædio ſolent; moralis, inquam, Theologiæ, & Scripturæ, multo vetere illo inſtituto commodius. Si quidem alternis vicibus diſtinctæ rerum illarum diſputationes uti fatigationis, ac moleſtiæ minùs habituræ ſunt, ſic ad eorum animos faciliùs adhæreſcent, quos ex intervallo repetita magis, quàm aſſiduè inculcata delectant. Equidem ſi id novum inuſitatúmque eſſet alibi, quod à te poſtulo, dum è re eſſe communi & iſtorum uſu ſtudiorum probare poſſem, impetratum iri non diffiderem. Non enim quicquid novum, id quia novum eſt repudiari idcirco debet: cùm

ne

ne vetus quidem eſſet aliquid, niſi novum antea fuiſſet. Cùm verò & in aliis provinciis olim receptum ſit; & illis ipſis, quibus maximè conſuli oportet, ſtudiis utile; & ab eorum profeſſoribus optandum, immo neceſſarium ſit: ſpero te & illorum omnium, quæ hactenus expoſui, & mei quoque privatim rationem aliquam eſſe ducturum. Vale.

EPISTOLA LII.

Mutio Vitelleſco Societatis Jeſu Præpoſito Generali, Romam.

NOVUM ante menſes aliquot exemplar miſi Rationarii Temporum; quod hîc à prælo recens exierat; non modò recognitum diligentiore cura; ſed auctum etiam, & alio, quàm dudum, ordine confectum. Id quia tardiùs perventurum eſſe Romam, tum ſuperiorum annorum experientia didiceram; tum Typographus noſter aiebat, cujus inter ſarcinas reponi juſſeram: minus tempeſtivè has dedi litteras, quas quia commendando illi muneri deſtinabam, ſic quaſi comites, ac pediſſequas, priùs ad vos adventare nolui. Nunc cùm inſtare jam tempus conjiciam, quo librum illum accipias, hanc epiſtolam ſcripſi, partim commendatricem ut dixi, munuſculi noſtri; partim ſtudii erga te obſequiíque mei teſtem; partim denique promerendarum apud Dominum precum tuarum, & ſacrificiorum conciliatricem, ac ſequeſtrem. Vale.

EPISTOLA LIII.

Mutio Vitelleſco Societatis Jeſu Præpoſito Generali, Romam.

NIHIL humanius fieri potuit litteris iſtis, quas nuper ad me P. T. dedit: quibus me Romam ut ad ſe venirem, & id quàm maximè meo commodo facerem, eſt hortata. quorum alterum in magni beneficii loco à pleriſque numerari ſolet, Romam ut omninò aſpirare liceat: alterum ſingularis in me cujuſdam voluntatis habet, indulgentiæque non vulgare teſtimonium. Cui tam prolixæ in me benevolentiæ, niſi quanta poſſum viciſſitudine amoris, ac grati animi reſpondeam: non illa ſolùm indignum me eſſe, ſed ne vita ipſa quidem me eſſe dignum exiſtimem. Sed quò prolixiori, ac liberaliori in me es animo: eò cavere diligentiùs debeo, ne quid ejuſmodi accidat culpâ diſſimulationéque meâ, cujus gratiâ tum te conſilii poſteà tui; tum me meæ profectionis pœniteat. Quamobrem ſtatim atque litteras tuas accepi, P. Provincialem conveni, deque eo quæſivi numquid de me ad illum ſcripſiſſes. Quod cùm negaſſet, conjecturam ex eo cepimus, non eam mihi profectionem præcisè abſoluteque à te mandatam eſſe: ſed deliberandi mihi, ac ſi quid aliter judicarem, ſignificandi copiam eſſe factam. Itaque de communi ſententia placuit, ut ſacrificiis, ac precibus commendata te Domino priùs; quidquid in mentem veniret, de quo te admonendum putarem, id impigrè, & audacter exponerem. Mihi verò ſedulò in eam curam, ac cogitationem incumbenti tum difficilis, tum plena periculi viſa illa profectio eſt; quòd neque pedibus tantùm itineris peragrare poſſum: & vehiculi perinde atque equi jactationem meritò pertimeſco. Quod enim aliàs ad te ſcripſeram, cùm de adeunda Hiſpania mecum ágeres, haud obſcura ſigna habeo latentis, & ad veſicam agglutinati calculi. qui quamdiu ſtipatus iſtîc hæret, mediocrem habet moleſtiam: idem ſi agitatione crebra, & ſuccuſſatione revulſus fuerit, intolerabilem afferet dolorem, ac planè mortiferum. Hoc ipſum metuens, equitatione, ac vectatione præſertim longiore uti deſii.

Accedit ad hanc cauſſam etiam altera non minùs gravis ſtudiorum meorum. Nam Opus quoddam in manibus habeo Theologicorum dogmatum: in quo Theologicæ quæſtiones omnes ex Scripturæ, veterúmque Patrum, & Conciliorum decretis, ac ſententiis diſputantur. Cujus jam primus Tomus affectus eſt, & ad edendum propemodum paratus. Hujus verò quod ſupereſt, neque Romæ perficere, neque alibi, quàm ibi, ubi cœptus eſt, niſi incredibili cum labore poſſum. propterea quòd ſchedæ omnes meæ, in quibus Scriptorum locos adnotavi, certis Bibliothecæ noſtræ libris, ac librorum paginis reſpondent, partim excuſis, partim calamo exaratis, qui iidem, aut ſimilis formæ, editioniſve reperiri vix uſquam omnes poterunt. Ita de integro elucubrandi ejus, quod jam confectum eſt, reſumendus erit labor. Hæc habui, quæ ſuper hac profectione mea tibi proponerem. Quæ ſi minùs probavero, ac ſi priore in ſententia perſeveres; in tua ero poteſtate; ac manibus, pedibúſque reptabo potius, quàm ut ſpem tuam fallam, quam de me in epiſtolæ tuæ initio poſuiſti, cùm te ſcire dixiſti apud me minoris eſſe cetera præ obedientiæ ſtudio. Exſpectabo igitur, dum novis litteris, tum mihi, tum P. Provinciali, quid ab utroque fieri velis, explices: quod ut propediem facere digneris, etiam atque etiam precor. Vale.

EPISTOLA LIV.

Mutio Vitelleſco Societatis Jeſu Præpoſito Generali, Romam.

PRIMUM ego felicem tibi hujus, quem inimus, anni curſum à Domino precor. Tum, ut mos eſt eodem tempore, quos caros habemus, eos pro viribus, donis ac munuſculis proſequi, idem apud te officium uſurpo; litterariúmque munus offero, Theologicorum meorum dogmatum Tomos tres à prælo recentes: in quibus Theologiæ partem illam complexus ſum, quæ de Deo, déque Angelis, & Opificio mundi diſputat. Quam quidem Divinarum rerum tractationem, non vetere illa, & ſcholarum uſu trita via, ſum ingreſſus: ſed novâ, & quod ſine invidia dictum ſit, nullius adhuc veſtigiis impreſſa. Non enim ſubtilem illam, & obſcuris Philoſophiæ tricis involutam Theologiam inſtitui: ſed ingenuam, & amœnam, ac de limpidis & nativis Scripturarum, Conciliorum, Patrúmque veterum fontibus liquidiùs profluentem: eamdémque non horridam, ac propè barbaram, ſed cultu quodam humanitatis hilaratam atque conditam. Hoc ſi inſtitutum probabis, animos mihi ad reliqua facies, quæ pari induſtriâ, & Divini Numinis fiduciâ proſequi ſtatui: ad idque P. T. preces & ſacra ſolito enixiùs imploro. Vale.

EPISTOLA LV.

Franciſco Piccolomineo, Societatis Jeſu Præpoſito Generali, Romam.

MAGNUM equidem ex R.P. Vincentii Carafæ obitu mœrorem ceperam, mihíque tecum, ac tota adeo Societate communem, quod & vir erat apprimè ſanctus, & omnibus ad benè regendam Societatem neceſſariis præſidiis inſtructus. Quamobrem incredibilis de eo ſpes excitata in omnium erat animis, fore ut eo præſide, ſocietas noſtra quàm optimo in ſtatu conſtituta floreret. Verùm ubi de electa in ejus locum P. T. ad nos fama pervenit, omnem illam animorum ægritudinem, velut novæ lucis exortu, repentina hilaritas abſterſit. Talem enim didicimus tanto viro ſubrogatum eſſe, qui nec diſſimilibus virtutum ornatus eſſet inſignibus: & iiſdem perſequendis veſtigiis, quem nobis fructum ex eo pollicebamur, deſiderari minimè pateretur. Faxit Deus, ut ſpem noſtram, quæ eſt de te quanta poteſt eſſe maxima, non æquet res ipſa tantùm, ſed etiam ſuperet: ac per tot acerbitates temporum, velut fluctuum agitationes, navis acta ſocietatis, in tutela præſtantiſſimi gubernatoris acquieſcat. Vale.

EPISTOLA LVI.

Gaſpari Gevartio V. Cl. Antuerpiam.

SERIUS aliquantò, quàm aut pro officio noſtro, aut exſpectatione fortaſſe tua, ſuaviſſimis, humaniſſimiſque tuis litteris reſpondeo (Gevarti Vir Cl.) quod citra ullam tamen injuriam amicitiæ noſtræ factum eſſe, tute ipſe fatebere: cùm, cur factum ſit, didiceris. Nam cùm amici cujuſdam tui commendandi gratiâ potiſſimùm ad me ſcripſiſſes; ac tuas ille litteras, neque mihi in manum dediſſet ipſe, neque cujus ad me opera perveniſſent, divinare poſſem: feci quod in ea re quivis faceret, ut reſcribendi tibi curam in hominis illius, ſi me aliquando conveniret, adventum & colloquium differrem: uti ſi quid ejus cauſâ præſtitiſſem, quod à me tu & illius pater (is enim unà tecum ad me ſcripſit) magnopere flagitabatis; utrique perſcriberem. Verùm neſcio quo modo contigit, ut & ad me hactenus ille non venerit; & ego, dum huic ſpei, opportunitatique præſtolor in dies, longius proceſſerim. Hæc non ſolùm excuſandi mei cauſſâ: ſed ut illius etiam, qui mihi abs te commendatus eſt, patrem certiorem reddas, ad te ſcripſi. Nam ad illum tunc denique proprias dabo, cùm de ejus filio, quod unicum litterarum ipſius argumentum erat, aliquid extricavero.

Nunc ad epiſtolam tuam venio: in qua per mihi jucunda primum exſpectatio tua fuit operis noſtri de Doctrina temporum, quod ante annos facilè quindecim ſuſceptum, octodecim abhinc menſibus ſub prælum habetur. Id verò propediem exſtabit. ſed vereor ut exſpectationem illam veſtram ſuſtinere poſſit.

De Gottifredo Vendelino ſcripſit nuper ad me Heribertus Roſweydus noſter, & libelli cujuſdam, qui etiamnum ſub typis eſt, titulum primámque plagulam miſit *de obliquitate ſolis:* cetera pollicetur, ubi in lucem exierint. Sed mirifica eſt alterius, quod, uti narras, idem ille molitur, inſcriptio: *Chaos temporum*, ſeu *vertigo opinionum de tempore orbis conditi.* tum alterum iſtud; *de Charactere Diluvii deſinentis.* In his temporum cardinibus, propter & antiquitatem, & hiſtoriæ ſilentium, ſumma ineſt obſcuritas: nec alibi divinationum & conjecturarum impunitas major. Sed quod illius inſtitutum ſit, tum ſciemus denique, cùm ejus liber prodierit.

De *Antonini vita*, cujus recenſionem meditaris, gratulor: & ut benè vertat, precor. Eſt hîc juvenis quidam Germanus, Hamburgenſis, ex Lutherano Catholicus, vir litterarum iſtarum, quantum intelligere potui, apprimè peritus: qui de ejuſdem libri caſtigatione, & editione, jamdudum cogitare ſe dicit. Sed maturum id illi eſſe non puto. Locum illum verò Nicephori, ubi M. Aurelii Antonini meminit, exſcripſit, mihíque dedit Sirmondus noſter, qui tibi ſalutem plurimam dicit. Hujus ego ſchedulam bis litteris adtexui. Deum precor, ut te tuáque omnia fortunet. Vale V. C. meáque, ſi qua in re commodare poteſt, operâ utitor. Lutetiæ Pariſiorum, Nonis Novembris. CIƆIƆCXXVI. Andreæ Schotto, optimo & eruditiſſimo ſeni, ſalutem à me dicito.

EPISTOLA LVII.

Gaſpari Gevartio V. Cl. Antuerpiam.

GRATUM tibi officium in te meum fore, ſperabam equidem, & ut eſſet, optabam: tam valdè placiturum eſſe neque ſuſpicatus eram; & ita cecidiſſe magnopere gaudeo, atque iſtud ipſum abundantiâ quadam factum humanitatis interpretor, ut quod leve eſt ac propemodum nullum; id non ſolùm agendâ, ſed referendâ quoque gratiâ, magnum & illuſtre videri velles. At ego te viciſſim de iſto munere quod ad nos miſiſti, amo plurimùm, & gratias habeo. quod idem & Sirmondus facit. Vendelinum tanti à vobis fieri, neque miror; & illius cauſſâ, valdè me delectat. Scripſit ad me ſanè quàm copioſas & eruditas litteras, certis de rebus, de quibus partim ſciſcitatus eram; partim eæ controverſæ inter nos erant, & dubiæ. Ad illas etiam uberiùs reſcripſi. Et ejuſmodi vir eſt; ut ex ejus amicitiâ, doctrinâque magnum jam fructum ceperim, & majorem poſtea capturum me eſſe confidam. Vale, Vir eruditiſſime, nóſque (uti facis) ama ſemper, ac tuis apud communem Dominum precibus commenda. Lutetiæ Pariſiorum VI. Kal. Mart. CIƆIƆCXXVIII.

EPISTOLA LVIII.

Gaſpari Gevartio V. Cl. Antuerpiam.

NON oblivione ſepultam, aut languentem apud me recordationem tui, ſed ſpirantem adhuc, majorem in modum excitarunt litteræ tuæ, & ut lætarer effecerunt: natam mihi hanc occaſionem longo ad te intervallo ſcribendi, quod jam pridem facere debueram. Sed ſcis quàm ſpiſſum ac difficile ſit uſitatas ac perennes ſtudiorum curas, & commentationes incidere, ac minimè neceſſariis de rebus obſtrepere homini, & in eodem privatarum occupationum genere, & in publicis tractandis negotiis aſſiduè defixo: qualem te eſſe, conjecturam ex illo munere facio, quod in illuſtri civitate ſplendidum geris. Verùm quoniam ultrò tu me hoc officio provocaſti, utar exemplo tuo, ac tibi viciſſim incolumitatem ac ſalutem, & felicem, optatúmque ineuntis anni curſum imprecabor.

Non melius erit illis, qui otium interpellare tuum, & hoſtili ſtilo laceſſere te ac vellicare ſunt auſi. Sed quod de novo tuo antagoniſta quæris; ſcire te volo, hominem eſſe laïcum, & conjugio implicatum, & alioqui probum ac pium. Quò fuit illius tota hac urbe mirabilius & inopinatius factum, quando in N. leviculâ de re, adeò intemperanter acerbéque commotus eſt: quod profectò nemini, ne amicorum quidem ſuorum, probare potuit. Sed non te præterit, quàm ſit non vatum ſolùm, ut ille dixit, verùm etiam Criticorum genus irritabile; & horum fortaſſe, quàm illorum, crebrius, ac vehementius. Mihi verò ſi credere vis, nolim qualecumque in te meritum illius eſt, impotentiùs in eum efferri te. qui ſi te noſſet, moréſque tuos, tecum aliter egiſſet, ac plus ille ſibi, quàm tibi, publicam ad famam, commendationémque, detrimenti attulit. De tua erga ſe benevolentia & Antitriſtani ſui commendatione gratias agit tibi Jacobus Sirmondus, téque cum primis ſalutat. Scis opinor, ante menſem circiter unum deceſſiſſe veterem tuum patronum Memmium, brevi intervallo poſt fratris ſui Avauxii obitum, quorum interitu duo Galliæ noſtræ lumina ſunt extincta. Ea videlicet humanarum rerum conditio eſt, nihil ut in illis niſi mortale ſit, & perpetuâ viciſſitudine ſuſpectum & anxium. Quò nos ardentiùs par eſt ad immortalem geſtire cum Chriſto vitam, & eò cogitata omnia & conſilia referre. Ita te ſentire, itáque facere confido, & ut perpetuò ſentias ac facias opto: meíque viciſſim, apud communem Dominum, ut memineris, oro & obteſtor. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Prid. Eid. Jan. CIƆIƆCLI.

EPISTOLA LIX.

Alberto Cicitio Societatis Jeſu, Dilingam.

HERI me abſente Mathematica tua Theoremata ad nos perlata ſunt. Poſtridie convenit me negotiator, ac ſi quid ad te vellem, quàm celerrimè maturare juſſit: ſe enim eodem die profecturum. Itaque raptim hanc epiſtolam exaravi; ut hoc ſaltem tibi grati animi teſtimonium præberem. Ago itaque gratias, & ſi qua re potero referre, deinceps enitar. Habebat idem ille nuncius à Laimanno noſtro mandati nonnihil de libris ſuis, quos hîc excuſos audierat. De qua re nihil hactenus ſcio. Dabo verò quamprimùm operam, ut ſi poſſim, quod à me petiit confectum reddam. Hunc interim à me plurimùm ſaluta. Vale.

EPISTOLA LX.

Stephano Menochio Societatis Jeſu, Romam.

QUOQUO modo benè mereri de te licet, id ego pergratum habeo, & amplector cupidè, permotus, & eruditione, quam ſingularem ex libris tuis comperi, & humanitate, quam multis teſtibus, ac prædicatoribus, jamdudum perſpexi. Itaque quantumvis leve fuit, quod mihi nomine tuo Bagotius noſter injunxit, pro viribus exſequi ſtudui, ut de Commentariorum Biblicorum nova editione, cum Typographis noſtris agerem. Ac quid principio actum à me ſit, cùm primum rem ſuſcepi; ex iis litteris quibus ſtatim Bagotio reſpondi, cognoſces. Quid deinde fecerim, ex me ipſe breviter exponam. Cùm ſocietatem inter ſe coiiſſent tres hac in urbe librarii mercatores, de tuis aliorúmque commentariis recudendis; litem illis movit Berterius, quòd Tirini ſe habere ſcholia ab illo recognita, & aucta diceret, quæ grandi ſibi ære pepererat: & à Franciæ Cancellario eorum edendorum privilegium impetrarat. Ea res ſocietati illi moras injecit. Tandem inter illos convenit, ut in eam ſocietatem quartus adſcriberetur Berterius. Id nunc opus urgetur prælo duplici, ut duo ſimul volumina cudantur. Quare ſciſcitanti mihi, velléntne tantiſper cœpto ſuperſedere operi, donec certiorem te de eorum conſilio facerem, negarunt id ſibi integrum eſſe: quòd operas jam conductas haberent, quas ſi dimitterent, vix recuperare poſtea poſſent. Itaque ſi quamprimùm ſchedas tuas mitteres, ſe ex iis quod reliquum eſſet, planè ut velles perſecuturos. Ex iis autem, quæ jam eſſent edita, quidquid novi adjectum foret, id ſe in unum collectum, operis in fine poſituros eſſe. Vale.

EPISTOLA LXI.

Terentio Alciato Societatis Jeſu, Romam.

DUPLICITER me litteræ tuæ delectarunt (Eruditiſſime Alciate.) Nam & plenæ ſunt ingenuitatis cujuſdam, ac candoris antiqui: & Chriſtianâ modeſtiâ ſuffuſum animum redolent, miniméque de ſe magna ſentientem. Ingenuitatis id primum eſt, quòd contra quàm mos hodie eſt, fuco omni detracto, rectà me ac nomine meo appellare inſtituiſti, nec per ambages titulorum, ac circuitus Reverentiæ ac ſimilium exorſus es, quæ à vobis Italis nos Galli didicimus: cùm ſimplex, probum, ac Latinum ſit, *tu*, *te*, *tuum*, dicere. Itaque te hac de cauſſa pluris facio, conſuetudinémque tuam, & quoniam ita vis, familiaritatem. Quod mihi quidem amplum, & honorificum eſt: cùm eâ ſis inter tuos Romanos auctoritate & gratiâ; ut non mediocri ornamento tua mihi ſit amicitia futura. A me verò quid in te viciſſim redundare poſſit, quo acceſſio tibi fiat aliqua dignitatis, equidem nihil video: neque cur tantopere id ambires, ac te adeo ſummitteres, cauſſa tibi ulla foret; niſi, quod alterum mihi in tuis litteris amabile viſum eſſe dixi, tua te ſingularis animi moderatio, & ab omni aliena faſtu benignitas ad id eſſet hortata; cujus id proprium eſt, benè ſentire de omnibus, & in judicando, ac laudando eſſe liberalem. Hæc cùm dico, pudore te aliquo fortaſſe perfundo. Quod ſi facio; vicem tibi reddo laudationis illius, quâ me tuis in litteris nimis invidioſè ac præter meritum decoraſti. Quo uno illarum excepto capite, nihil iis mihi potuit eſſe jucundius. Neque verò me ut tibi conciliares ſequeſtre ullo & interventore opus habuiſti. Vel ipſa leviſſima voluntatis tuæ ſignificatio, ad amorem tui, & quàm facillimam mei, mearúmque rerum omnium copiam tibi faciendam inflammare potuiſſet. Itaque ſic de me habeas velim: poſtquam intellexi tanti id abs te fieri, & in quodam lucro poni; quod vel minimè petenti ultrò deferendum à me foret, id omne tibi promptum ac paratum eſſe; quod quidem præſtari ab homine poteſt, reipſa quidem minore, quàm eſt opinione tuâ: ſed tamen & tui obſervantiſſimo, & officii amicitiæque cultore cum primis ſtudioſo. De Concilio Tridentino, gaudeo id tibi oneris impoſitum à majoribus fuiſſe. Non potuit, neque munus ullum dignius te, neque munere iſto, quàm tu es, dignior adhiberi. Spero tibi laborem hunc ex voto ſucceſſurum; ídque ut pro eo ac ſpero, ita vertat, Deum enixè precor: ac te, ut idem meâ cauſsâ facias, etiam atque etiam obteſtor. Vale.

EPISTOLA LXII.

Terentio Alciato Societatis Jeſu, Romam.

JAMDUDUM hîc rumor increbuerat, quatuor viros è ſanctiori Conſiſtorio delectos eſſe ab S. D. N. qui de famoſo Arnaldi libro, ejúſque placitis ac decretis cognoſcerent, déque iis ad Conſilium poſtea referrent. Intellexi autem ex litteris tuis, agi potiſſimùm in præſenti de ea libri parte, in qua de duobus Eccleſiæ capitibus diſputatur. Quo de argumento, quod à me petis, dicam breviter: falſos omnes, & partim inſcitia, partim malevolentia occæcatos eſſe, qui hoc ſcripto, vel ſermone diſſipant; aſſentiri me illorum opinioni, qui Petrum ac Paulum duo Eccleſiæ fuiſſe capita defendunt. Quam ſententiam prorſus ineptam, abſurdámque eſſe judico. Nam etſi duos Romæ Epiſcopos unus, quod ſciam, illos Epiphanius appellat: non ex eo tamen conſequens eſt, totidem Eccleſiæ totius capita fuiſſe. Etenim Apoſtoli omnes, totius Eccleſiæ Paſtores, & Epiſcopi fuerunt; hoc eſt, nullius loci finibus determinatam, & circumſcriptam poteſtatem, ac juriſdictionem habuerunt. Quod in libris de Hierarchia, poſt Bellarminum, ceteróſque Catholicos, oſtendimus. Verum tamen & horum omnium, & totius Eccleſiæ caput fuit Apoſtolus Petrus. Quæ vox capitis, non Apoſtolicam ſolùm, & Epiſcopalem functionem ſignificat, ſed eminentem præterea ſupra reliquos auctoritatis excellentiam: quæ ex voluntate Chriſti in unum eſt collata Petrum Apoſtolum, ab eóque propagata eſt in ſucceſſores deinceps Romanæ Urbis Epiſcopos. Itaque capitis appellatio in uno Petro præter Apoſtolicam dignitatem, & Epiſcopalem, quam utramque communem cum reliquis Apoſtolis obtinuit, præterque principatum Collegii Apoſtolici, quem ei nominatim Chriſtus detulit, hoc inſuper habuit, ut quaſi ordinaria poteſtas eſſet: hoc eſt, ut in ſucceſſores Petri Romanos Præſules, eo mortuo, propagaretur. Qua quidem prærogativa ceterórum Apoſtolatus caruit: quibus extinctis ſumma eſt illa, quam in Chriſtianos omnes gerebant, ſublata poteſtas. Inſulſi ergo ſunt, ac litis, novitatiſque cupidiores, quàm veritatis, nuperi iſti dogmatum conſarcinatores, qui duorum capitum fabulam commenti ſunt; in qua refutanda, non eſt conſtituendum operæpretium: quòd & ſummi apud nos viri, ac doctiſſimi jam illud argumentum occuparunt: & ad illam refellendam, pauca illa, quæ attigi in præſentia ſufficiunt. De me quidem, quod potiſſimùm rogaſti, ſic habeant qui ex te ſcire volunt quid de ea quæſtione ſentiam: numquam me duo Eccleſiæ capita vel per ſomnium eſſe crediidiſſe: & ut paullò antè dixi, Epiſcopi nomen ab capitis vocabulo ſejunxiſſe: quorum alterum in Romana Eccleſia commune tribuit Epiphanius Apoſtolis duobus: quod ipſum nihil aliud interpretor, quàm auctores & fundatores ambos illius Eccleſiæ fuiſſe. Hanc meam de ſingulari Eccleſiæ capite veterem & conſtantem fuiſſe ſententiam, tetraſticho teſte confirmare poſſum: quod ante annos ſeptem & viginti, cùm primæ Scholæ præeſſem hac in urbe, inter poëtica opera noſtra typis edidi de SS. Apoſtolorum Petri & Pauli feſto die, ac martyrio: quod epigramma, quia non invitis Muſis & Gratiis excidiſſe mihi videtur, hîc tibi deſcribam.

Cetera cùm ſimiles fuerint, cur ſtipite fixus
Alter, at huic ſævo tollitur enſe caput?
Nimirum caput ille orbis; capite hic minor uno:
Nec duo, nec nullum debuit eſſe caput. Vale.

EPISTOLA LXIII.

Joanni Bapt. Roſſio Societatis Jeſu, Romam.

OLIM tibi debitor eram non pecuniæ; ſed, quod amplius eſt, gratiæ: quòd meâ cauſſâ tantum elaboraſſes, quantum ab vereti amico, & multis ac magnis beneficiis mihi devincto vix ſperare poteram, homo nulla re tibi, niſi communi ſocietatis nomine conciliatus, & cognitus. Acceſſit ad officii cumulum nuper etiam pecuniæ debitio; quam pro me in Mediolanenſes libratios dependiſti, qui Themiſtianas orationes ex vetere exemplari juſſu meo deſcribunt. ita enim mihi Bernard. Bragelonius ſuis litteris ſignificavit: quas noviſſimas affirmabat Roma dare ſe: quod ſubinde ad nos in Galliam profecturus eſſet. Itaque monuit me, ne ullas Romam ad ſe ampliùs mitterem: ſed ad te deinceps ſcriberem; quem quidem rogaſſet, ut illius quod reliquum eſt Mediolanenſis negotii, exſcriptioniſque conficeret. Quoniam igitur hanc tibi curationem ex aſſe delegati paſſus es, pro tua caritate ac benignitate, feres me deinceps interpellatorem non minùs moleſtum: gratum quidem, ac tam prolixi in me ſtudii, beneficiique memorem. Atque hæc, duorum, quæ initio commemoravi, nominum prioris eſt ſolutio. De poſteriore, quod eſt pecuniæ, ſimul atque reſcivi ex ejuſdem litteris, egi cum Sebaſtiano Cramoſio Typographo noſtro, qui ſe ad Hermannum, veſtratem Bibliopolam, quîcum ipſi negotium eſt, ſcripturum recepit, uti tibi quantum neceſſe eſt ad impenſas eas, quæ jam factæ ſunt, & quæ poſtea fient, pecuniæ ſuppeditet.

Scribit idem ad me Bragelonius ægrè tuliſſe te, ac Mediolanenſibus illis exſcriptoribus ſuccenſuiſſe, tum ob immanitatem pretii, tum quòd Orationes aliquot jam à me editas ex veteri codice deſcripſiſſent, contrà quàm inter nos convenerat. atque ideo mandaſſe ut à ſcribendo ſuperſederent, donec certius à nobis aliquid accepiſſes. Verum peto abs te, uti ne intermitti patiaris operas, neque ſis de pecunia ſolicitus: quæ aliundè vobis mea fide ſuppeditabitur. Sed de eo velim iterum admoneantur, ut ne orationes illas deſcribant, quæ jam à me ſunt editæ. Quamquam pauca admodum ſupetſunt, ac non plures opinor tribus, aut quatuor. Velim autem, cùm ſchedas illas ad me mittes, faſciculo Cramoſii nomen inſcribas; qui ſe & ad te, & ad eum, quem antè nominavi Hermannum, de ſuppeditanda pecunia ſcripturum eſſe mihi promiſit. Vale.

EPISTOLA LXIV.

Joanni Bapt. Roſſio Societatis Jeſu, Romam.

PLURIMUM tibi debere me ſum profeſſus ſæpiùs: nec ſentiam aliter umquam, præque me feram. Nam non vulgarem operam navaſti mihi, ut quod ego maximè cupiebam, id effectum redderes; ac Themiſtianas mihi curares orationes illas, quæ magno flagitio jacebant in tenebris, nec ſe publico commodabant. Harum nuper ego quod erat reſiduum accepi: quo nomine gratias tibi immortales ago. Unum illud dolebat, quod tam ſpiſſè, ac maligne ſuppeditatæ ſint vobis pecuniæ: de quo egi cum Sebaſt. Cramoſio; ut quamprimùm Hermanno veſtrati Bibliopolæ mandaret, uti quod ex illa ratiuncula reliquum eſt totum diſſolveret. Putaveram nihil deinceps defore, quo minùs ex aſſe vobis ſatisfieret. Sed lentum negotium eſt, præſertim ut ſunt tempora, ab mercatoribus iſtis æs exprimere. Valebit illud ad augendam beneficii magnitudinem, quòd nonnullo incommodo, ac moleſtiâ tuâ, tuorúmque, ita meritus de me fueris. Et memorem me profectò ſemper habiturus es: ac ſi nihil aliud tuâ cauſſâ viciſſim queam; tibi ſaltem officio non deero, ut remuneratorem allegem vice meâ D. Jeſum; à quo precibus, & quibus aliis potero modis, impetrare ſtudebo, ut te ſuâ gratiâ, & ſoſpitate perpetuò dignetur. Vale.

EPISTOLA LXV.

Athanaſio Kirchero Societatis Jeſu, Romam.

QUEM ad me librum miſiſti, accepi pridem; non Prodromum illum, de quo inter nos actum eſt: ſed alterum, in quo linguæ Copticæ Grammatica, & vocabularium continetur; doctum opus, & laborioſum, & ingenio tuo ac eruditione dignum. Hunc ut primùm aperui librum, fortè in ſupplementum incidi, ſive diſputationes de anno & menſibus Copticis, & aliis ejuſdemmodi. Quæ cùm attentiùs legere ſtatuiſſem, & cum iis, quæ de eodem argumento commentatus olim fueram, conſerre; quò accuratiùs meam de illis ſententiam perſcriberem, id quod cupere te mihi ſignificaras: diem ex die protrahi longiùs ſivi, quàm deſtinaram. Adeo multis inter hæc interpellantibus me curis ac negotiis, ab officii ſum curſu revocatus. Hoc à te peto imprimis, ut ignoſcas: tum ut pro tanto munere, quàm ampliſſimas à me tibi gratias agi interim ſcias; dum haberi qualeſcumque occaſione datâ poterunt: poſtremò, quod facturum me ſignificavi, ut de anno Ægyptiaco & Sothiaco quædam adnotarem; id me per otium meditari, ac dudum intermiſſa recolere ſtudia iſta patiaris. Vale, mi Pater, méque in tuis numera, & communem pro me Dominum precare.

EPISTOLA LXVI.

N. Olyſſiponem.

PUDOREM me apud te, quòd ignotus, tantóque locorum intervallo diſtractus, ad ignotum ſcriberem: niſi eam vim caritatis eſſe ſcirem, ut alieniſſimos inter ſe mutua quadam officiorum ac voluntatum conjunctione ſociaret. Ac præterea, cauſſa mihi ad ſcribendum eſt ejuſmodi, nulla ut alia vel inuſitati conſilii, vel audaciæ in interpellando meæ, excuſatio poſſit eſſe juſtior. Quam quidem ego tibi breviter exponam. Aurelianenſis cujuſdam civis, popularis mei filius, paucis abhinc annis Pariſienſi mercatori, ac ſerici, ut opinor, inſtitoti ſe in familiam dederat. Hic ſtatim Olyſſiponem, qua in urbe negotiabatur, ad res ſuas procurandas juvenem deſtinat. Qui cùm aliquot annos ita illic verſatus eſſet, ut fidem induſtriámque ſuam vehementer probaret, poſtea neſcio quid rumoris allatum eſt, agere interim res ſuas juvenem, & in herili re tuenda & amplificanda, privati quoque commodi rationem habuiſſe nonnullam. Quod verè an ſecus jactatum adeo mercatorem commovit, ut is in Luſitaniam pòſt paullò profectus ſit. Ibi quid egerit, neque reverſus ille cuiquam ſignificavit, nec aliunde ſciri hactenus potuit. Scriptæ quidem paucos ante menſes ab adoleſcente ſunt litteræ, quibus ſuos admonebat, ne qua in re mercatori illi fidem adhiberent, néve illi quicquam concederent; ac ſe in reddendis rationibus ab illo eſſe circumventum querebatur. Mercator interim Olyſſipone reverſus, adoleſcentis parentibus vadimonium dicit, rémque ad capitalem cauſſam, & ad furti domeſtici crimen atque invidiam trahit. Ex quo miræ hìc tragœdiæ concitatæ ſunt. Quamobrem cùm de adoleſcente certi nihil compertum foret; oratum ad me parentes iſtius venerunt, ſibi ut hac in re, quibus poſſem rationibus, opem afferrem. Id ſe unum in præſens optare, ut quas ad illum litteras ſcriberent tutò perferendas curarem: neque enim ejuſmodi eſſe, cuivis ut eas auderent committere. Fecit hæc illorum ſolicitudo, ac mea in te ſocióſque noſtros fiducia, ut iis etiam ampliora pollicerer. Quorum ut fidem liberem, peto abs te majorem in modum, ac precor, ot de juvene illo, cujus nomen, ac domicilium ex litterarum, quæ ad eum datæ ſunt, inſcriptione ſcire poteris, inquiri jubeas, éique ipſi tradi litteras, ac ſi qua in re potes, hortatu, conſilio, auctoritate, omni ope denique peregrinum ſubleves; cum ea exceptione, quatenus id tuo commodo, atque ex Societatis

citatis more inſtitutóque poteſt fieri. Quòd ſi aut abeſt ille, aut nuſquam comparet, litteras ad nos velim remittas. id enim à me parentes ipſi poſtularunt. Poſtremò quicquid juveni ulla in re commodatum à vobis fuerit; id mihi præſtitum arbitrabor.

Quoniam aliena in re, ac commendatione, parum me fortaſſe pudentem præbui: idem ut in meâ mihi cauſſâ liceat, etiam abs te contendo: ſi meâ hoc tamen privatim intereſt, quod ad publicum fructum jamdudum à me comparatur. Cùm enim Opus quoddam de Doctrina Temporum adversùs Joſephi Scaligeri commenta de Emendatione temporum, aliáque id genus, pridem ſuſceperim, opus ad id fore mihi video, cùm alio rerum apparatu; tum variarum nationum Kalendariis ac Computis, Æthiopum præſertim, & Coptitarum, tum Orientalium, ut Sinarum, Japonum, Indorum, populorúmque ceterorum; quorum de annis magno ille conatu magnas nugas effutiit. Quas ut in reliquis facilè præſtiti, ſic in illis deprehendere, ac pateſacere, ſine propriorum cujuſque Kalendariorum adminiculo, non poſſum. Quare peto illud inſuper; ut ſi quid à veſtratibus, qui per illas regiones diſperſi ſunt, curari obtinerique poteſt, id mihi per litteras ſignifices. Summa autem hæc rei eſt, ut propriam cujuſque nationis, anni formam, ac menſium dierumque deſcriptionem: necnon & epochas, ſive annorum initia: tum intercalationes, ac cetera quæ eòdem ſpectant, Latinè quam fideliſſimè ab illis perſcripta mittantur. Hoc ſi impetravero, magno me à vobis beneficio devinctum putabo. Ac ſi quid eſt viciſſim, in quo meam hìc operam deſideres, ſtrenuè id à me præſtatum iri confide. Vale.

EPISTOLA LXVII.

PRIMUM hoc ad te ſcribo; à téque peto: quod & eo ipſo majori ſpe ſum ad impetrandum. Hoc igitur poſtulo, ut quem inter diſcipulos tuos habes N. non is quidem multò quàm nunc eſt commendatior ſit: ſatis enim te ſcio, ad id quod officii tui eſt ſponte tua concitatum, monitore, vel ſuffragatore neutiquam habere opus: ſed ut fidem de illo meam, & auctoritatem, quam in me nonnullam, ad eam rem eſſe ſuſpicati ſunt, apud ejus parentes liberes: præ téque feras, aliquid procuratione noſtra eſſe perfectum. Noſti quàm ſit hominum ejuſmodi improba, & ſupervacanea plerumque ſedulitas. Ea fecit, ut id à me, quod vel officio ipſo debitum putant, magni beneficii loco peterent, ad te ut accuratiſſimè ea de re perſcriberem. Dedi hoc non tam illorum precibus, non tam propinquitati ac ſanguini, quàm ſanctiori cuidam in Chriſto neceſſitati noſtræ: ut quanto ea nos arctiùs, quàm natura ipſa copularet ex eo periculum facerent, quod poſtulatione mea impetratum viderent. Hoc ut reipſa ex votóque ſuccedat, dabis, mi frater, operam, non tam acriori in illius profectu curando operâ ac ſolicitudine, ad quam nihil fortaſſe poteſt adjici, quàm genere quodam ſignificationis: quæ, cùm infinitè pateat, nihil certi tibi petitione mea præſcribo. Hoc unum rogo, ut quantum ſecundùm Deum cauſſâ meâ velis, hac una in re demonſtres. Vale.

EPISTOLA LXVIII.

QUAM te ratio tua ſefellerit vides; qui vacationum tempus, quo ad me ſcriberes, elegiſſe te eo conſilio ſcripſiſti, ut otii plus ad reſpondendum haberem; quòd per reliqui temporis occupationes minùs id poſſem facere. Atqui totum tibi ſpatium illud vacuum litteris meis abiit. non quòd tui me tædium, aut oblivio ceperit; cujus amorem cum perpetua recordatione ſanctiſſimum habeo: ſed quòd neque menſis ullus umquam impeditior mihi ſuperiore iſto fuit; & vixdum conſtitutâ tibi habitatiunculâ, paulliſper differendam reſponſionem putarem; dum tu fixo in loco, ac velut certa ſtatione conſtitiſſes. Quam quidem inter convictores tibi contigiſſe; tum tuâ, tum illorum cauſſâ gratulor. tuâ, quòd hanc aſſidui in Philoſophia laboris, contentioniſque non infructuoſam intermiſſionem nactus es: illorum verò gratiâ; quòd uſu, inſtitutionéque tuâ, haud paullò meliores fore confido; ſi tu is eſſe pergis, quem & fuiſſe cognovi hactenus; & futurum eſſe deinceps auguror. De N. quem tibi contubernalem eſſe gaudeo, omnia tibi polliceri potes; quæ & ab adoleſcente optimo; & ab tui peramante, & non imperito, exſpectari officia ſolent: quæ ut ab eo quàm in te maxima ſint; commendatione mea perficiam. Unum eſt, quod abs te viciſſim contendo, uti mei perpetuò ſis memor, ac me tuis apud communem Dominum precibus quàm diligentiſſimè commendes. Vale.

EPISTOLA LXIX.

Franciſco Hardiſio Societatis Jeſu.

SIC quaſi ad Areopagitam habendus mihi ſermo, non ad te ſcribenda epiſtola ſit, ita ſine ulla exordii pompa, poſtulatis tuis quambreviſſime ſatisfaciam. De Ciceronis lectione probo conſilium tuum. Nihil utilius perſequi modò potes, quàm quod facis; uti ſtilum tuum illius ſuavitate elegantiáque condias; ſic quaſi oleo, vel unguento, cutis tuæ ſcabritiem detergas ac lenias. Eòdem & Elegiaci carminis ſtudium pertinebit. Eſt enim molle ac tractabile genus & inſitæ tibi grandiloquentiæ depaſcendæ iſtud, quàm tragicum illud, aptius. Ne te tamen nimiùm demittas atque ex Audaci, timidus, & χαμαιπετὴς aliquando fias, τραγῳδεῖν funditus non veto: ſed cave ὀγκοστομῶδες inde aliquid ex conſuetudine in orationem tuam derives. Laudo argumenta, quæ tu tibi ſelegiſti. Ad Græca quod attinet, grammaticis te præceptis ſuffici antea cupio, atque ad obruſſam noſtram, cujus te oblitum non puto, penitus exigi: poſtea in legendis Scriptoribus diu, multúmque volutari. Neque tamen Græcæ ſcriptionis uſum funditus omittes. Utrumque igitur ita temperabis, pluſculum uti lectioni, quàm ſcriptioni tribuas; immo illud aſſiduè, hoc interdum adhibeas.

His à te quæſtiunculis petitus, viciſſim te unâ, & perbrevi laceſſam. Me puero frequens erat in patria rumor, N. Miniſtelli patrem in NN. familia Monachum fuiſſe. Id cùm ei à viris primariis objectum ſit, acerrimè ille negat, & in nupero libro, quem contra Cardin. Perronii Opus edidit, falſum id eſſe quovis pignore contendit. Ego dum in eam rem attentius inquirerem, certis auctoribus comperi, prorſus in N. Cœnobio, inter monachos, illius patrem meruiſſe. Tu velim rem ſubodorère: ſed cunctanter atque è longinquo arceſſito ſermone, velut aliud agens iſtud exprimas. Tum ubi homines caleſeceris, acriùs deinde veſtiges, eóque perducas, ut, ſi fieri poteſt, privatis e Cœnobii tabulis aliquid elicias. Hoc ſi ſtrenuè, naviterque perfeceris, magno me tibi beneficio devinctum putabo. Vale.

EPISTOLA LXX.

GRATISSIMA mihi fuit epiſtola tua ab ea parte, quam fortaſſe vix ſuſpicere. nam tu id alterius cauſſâ, & obiter injeciſti. Hoc enim ſcribis, convaluiſſe te penitus ex ea febricula, quæ plus aliquanto faſtidii habebat, quàm doloris, aut periculi. Ideo verò putas accidiſſe, quòd cælo iſtìc utare ſalubri & commodo, mirificéque naturam ad tuam facto. Hæc pauca obiter, ut dixi, ex occaſione jacta ampliùs me opinione tua delectarunt. non ſolùm quia te amo, & benè tibi, atque ex animi tui ſententia eveniſſe gaudeo; ſed etiam præterea cogitantem, quàm ſuaviter, utilitérque conſulat rebus noſtris Divina providentia, dum ad ejus nutum, hoc eſt, majorum arbitrium nos fingimus. quod utrique noſtrum documento eſſe poteſt; nullam eo certius ad animi ſecuritatem, & ſalutem iter eſſe, quàm quod tenere cœpiſti; ut illinc totus in omni tua vita pendeas. Cetera epiſtolæ tuæ non minùs jocunda fuerunt. Vel ſtilus ipſe, quantum habet nitoris & elegantiæ! cujuſmodi te conſectari genus in dicendo, ac ſcribendo, maximè cupio, & ut volo, in ſpe jam eſſe, quia

tuſtes habeo litteras tuas, equidem gratulor. Neque verò pluribus hortandus mihi es; neque qua te via pervenire illuc oporteat, accuratiùs es docendus. Habes enim quæ id mea vice faciat, illam methodum, quam ad gubernanda Noſtrorum ſtudia olim dictaveram: quam ſi ducem adhibeas, næ tu litteris iſtius generis noſtris ac præceptis carere potes. Quicquid autem in ſpecimen ad me miſeris, quod eſſe perbreve è re noſtrùm utriuſque ſit (Nam neque te temporis in deſcribendo placet jacturam facere; & ego quò breviora erunt, quæ ad me mittes, faciliùs, accuratiúſque recognoſcam) id ego perlibenter videbo. Nam nemo vivit hodie, qui aut voluntate quàm ego, majore ſit erga te, aut profectus in his litteris tui cupidior ſit: aut ejus ipſius vehementiorem ſpem, exſpectationémque ceperit. quæ ne nos aliquando fallat, cùm eſt tibi omni ſtudio laborandum: tum me quoque pro virili parte juvare te, nitique convenit. Vale mi frater, ac meo nomine Patres fratreſque noſtros ſaluta.

EPISTOLA LXXI.

NISI benè noti invicem eſſemus, ſuccenſere te mihi, me apud te diligentiùs excuſare par eſſet; quod nullas ad hanc diem litteras, ne tuis quidem aliquot acceptis, ad te ſcripſerim. Verùm tarditati huic facilè veniam dabis, neque cùm de animo, ac voluntate, certò ſcias, de hujus qualicumque ſignificatione tricari voles. Ego me jamdudum in ære tuo eſſe video, nec ad nomen reſpondiſſe. Sed profectò tam multa me officio iſti prævertere oportuit, ut de die in diem protrudenda illius recordatio fuerit. Ac quod ad te modò perbrevem hanc epiſtolam exarem, victus pudore feci, ut de neceſſario tempore particulam aliquam ſuffurarer, quam tibi imputare poſſem, ne pleno, ſummóque mecum jure contenderes. Venio ad te, quem paſſis velis in quæ ſtudia jampridem ingreſſus es, in iis curſum tenere video, ac mirificè gratulor. Omnino quod supereſt curriculi hujus (Nam propè te jam metas ſpectare puto) in Græcis conſumendum tibi cenſeo: ut quàm maximam illius linguæ copiam in annos conſequentes repoſitam habeas. Tametſi non multùm vacui tibi temporis ab ſcenico apparatu, & choragio reliquum fore provideo: quod te propediem occupatum tenebit. Sed enitere quantum potes, ut tibi ipſe non deſis, & ut temporis illius, ſic quaſi ex naufragio reliquias colligas. Plurimùm intereſt, benè paratum ab illo commeatu in Theologicum te mare committere. Vale.

EPISTOLA LXXII.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

MIROR quid tibi neſcio quo faſciculo velis, quem allatum ex Hiſpania, & à veredario receptum à me eſſe, poſtremis litteris ſcripſiſti. Equidem ex Hiſpania nihil à quoquam accepi: neque quid iſtud rei ſit prorſus intelligo. Enitar tamen, & ſi qua re potero, tibi non deero. De officio nominis Jeſu rem confeci, ac tria exempla miſi. Cujuſmodi autem ſit iſtud neſcio: neque enim hactenus videram. Edita ſunt nuperrimè Samuelis Petiti Critica quædam Miſcellanea: quæ niſi ad vos perlata crederem, aut ſi ea cupere te cognoſcerem, eâdem operâ miſiſſem. Exſpectabo quid ſuper hac re ſignifices. Gratum eſt quod de remiſſa iſtic perſecutione ſubjicis. Utinam ex integro conquieſcat; ac tam litteris, quàm Catholicæ religioni, ſua pax & auctoritas conſtet.

Scripſerat ad me nuperrimè N. de duobus liberis mercatoris Antuerpienſis: de quibus, quia dudum eos non videram, nihil tum certi potui reſcribere. Nunc quid agant, & quo in ſtatu res illorum opera mea, & conſilio conſtitutæ ſint, meliùs ex illorum litteris, quas ſe daturos eſſe dixerunt, quàm ex meis, eorum parentes intelligent.

Cùm ad me litteras dabis, pretium integris litteris inſcribe, quod tabellariis repræſentari ſolet. Nam ipſimet enorme ſcribunt, & exigunt. Ac, ſi me audis, per amicos potiſſimùm mittes, quorum frequens ultrò citróque profectio eſt. Ego me ſacris & precibus tuis enixè commendo. Lutet. Pariſ. VII. Calend. Maias CIↃIↃCXXX.

EPISTOLA LXXIII.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

DE rana veſtrate nondum audiveram. neque me verò ad omnes omnium ſtrepitus commoveri attinet. Sic enim brevi σφηκιὰν in me totam concitavero. Ita facti ſunt plerique, ut id etiam gloriæ ſibi eſſe ducant, aliis negotium facere, viciſſim ut habeant ipſi, & in aliquo eſſe numero videantur: quorum ſi latratus contempſeris, plus tibi quietis, illis moleſtiæ pepereris. In horum grege Hiſpanus ille haberi debuit, cui in Uranologio noſtro nuper occurrimus. Sed ejus tamen cur nonnulla iſtic ratio ducta ſit, quarti illius Operis libri Præfatio docebit. Εἰ δέ τι καὶ ἄξιον λόγου coaxaverit ὁ ἠλεὸς veſter, ἐμοὶ μελήσει ſtatim ac videre potuero. de quo Cramoſium rogavimus. Delrium veſtrum nuper ſtrenuè ulti ſumus, adverſus imperiti Grammatici proterviam, qui in Solinianis commentariis illum ſibi veluti ſcopum propoſuerat conviciorum, ac maledictorum omnium; quem, uti à nobis edoctus eſt, deinceps in aliis inſectandis moderatiorem, ac ſui minùs amantem confido fore. De Theodoro Studita nihil eſt quòd multùm labores. Habet omnes, exceptis pauciſſimis, orationes illius Sirmondus noſter, neque mihi ad iſta animum adjicere otium eſt in præſenti. De Dionyſio Areopagita memini me ad Roſweydum aliàs ſcribere. neque ſententiam muto. Vale mi Pater, ac pro me Deum precare. Lutetiæ Pariſ. XIII. Calend. Decemb. CIↃIↃCXXX.

EPISTOLA LXXIV.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

SERIUS poſtremis tuis litteris reſpondeo, quòd tum, cùm eas accepi, novum librum ſub prælo adhuc habebam, quem meis litteris comitem adjungere cupiebam. Hunc ego Rationarium temporum inſcripſi: in quem ſacras omnes, & profanas hiſtorias congeſſi, Chronologicis munitas rationibus, & inſtructas; nihil ut ἀλόγως & ἀμαρτύρως vel à me dicatur; vel ſciri ab lectoribus putetur. Quod in Turſellini Epitome neceſſe eſt accidere. Itaque nihilo plus illa, quam index aliquis, vel ſummarum rerum catalogus, hiſtoriæ ſtudioſos adjuvat. Hoc igitur munuſculum, & ξένιον à nobis accipies pro ſcitis illis imaginibus, quas ad me miſiſti. Reliqua, quæ erant in epiſtola tua, ſedulò curavi: de quibus jam te certiorem factum eſſe confido. Id enim in ſe Cramoſius receperat: qui & Rationarium ad te noſtrum miſiſſe ſe dicit. Vale. Lutetiæ Pariſiorum VIII. Cal. Mart. 1633.

EPISTOLA LXXV.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

NOLO putes me, deonerandi mei gratiâ, neſcio quid de pecuniola veſtra jeciſſe poſtremis meis litteris; tamquam eam à me curationem abjudicare voluerim. Ita enim ſuſpicari te ex iis, quas ad ſe dederas, mihi Talbotius noſter proximè ſignificavit. Ego verò quidquid ea de re ſcripſi, feci ideo, quòd jamdudum otioſam illam haberem; neque, ut ſolebas, libros eâ comparari tibi ampliùs peteres. Quare oblitum illius eſſe credideram. Nunc, poſtquam ſecùs rem habere didici, nolo ea de cauſſa quemquam adhibeas alterum; quòd ne moleſta mihi adminiſtratio iſta ſit, vereri te dicas. Nam non eſt: nec, ſi eſſet, non & hanc, & hac multò graviorem etiam, tuâ cauſſâ perferre cuperem. Pergam igitur, uti cœperam; niſi fortè aliter tuâ intereſſe

Digitized by Google

tereſſe judicabis. Rationarium noſtrum non injucundum fuiſſe vobis, admodum gaudeo. Magnis itidem hic, & in reliqua Gallia, ſtudiis hominum exceptum eſt. Quare prima jam editio propè eſt exhauſta: cum non minùs mille & quingentis venierit: ut jam de ſecunda cogitemus. Quercetano, ac Talbotio litteras tuas dedi. Libellum de Vita Sancti illius, quem à me petiiſti, mandavi Cramoſio noſtro, mihi ut diligenter conquireret. Eum ſimul accepero ad te mittam. Quod ad illas Cenomanorum Antiquitates attinet, ab Joanne Moreau perſcriptas, nondum eæ ſunt editæ: ſed in ſchedis illas legerat, quiſquis eas citavit. Vale, mi Pater, ac me ſacris & precibus tuis commendatum habe. Bucherio à me ſalutem: cujus Cyclum, ſimul exſtabit, videre cupio. Syneſium denuò typis commiſſum, ac luculentis acceſſionibus illuſtriorem redditum, tibi offero. Multa in Notas retuli, quæ ad Eccleſiaſticas antiquitates pertinent, quorum non ingratam vobis lectionem confido fore. Lutetiæ Pariſiorum III. Eid. Ap. CIƆIƆCXXXIII.

EPISTOLA LXXVI.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

QUAS ad me litteras miſiſti, Colonia datas à Kinckio, iis quam-primum potui reſcripſi; ac te precor, uti has ipſas Coloniam perferendas cures; niſi aliâ id viâ Cramoſius noſter, cui illas tradidi, fortè perfecerit. Optabat Rationarium noſtrum meo permiſſu illic edere: de quo me prius ab eo monitum eſſe, quàm ſumptus iſtos faceret, non tam meâ, quàm illius cauſsâ gaudeo. Nos enim alteram editionem ante menſes aliquot antevertimus; quæ propediem exiſtet. Hoc eum latere nolui. Nam multò priore illa erit accuratior, & uberior. Accepi jamdudum à Miræo tabulam Itinerariam: Bucherii Cyclum Victorinum hactenus non vidi; quem tamen proſtare mercalem apud vos audio. Eum velim mihi compares, & ad Cramoſium mittas, meo inſcriptum nomine. Ego quidquid inſumpſeris, ſtatim redhibebo. Sirmondus te reſalutat, ac felicem eum, qui inſtat, annum viciſſim apprecatur: quod ego, juxtà atque ille, facio; méque tuis ſacris ac precibus commendo. Lut. Pariſ. IV. Cal. Jan. CIƆIƆCXXXIII.

EPISTOLA LXXVII.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

LITTERAS tuas accepi cum munuſculo; de quibus maximam habeo tibi gratiam. Marcellus ille, cui, tamquam hic eſſet, inſcriptus erat faſciculus, jamdudum hinc abiit: éſtque modò Catalauni. Itaque, quoniam ſuccidaneum ibi nomen erat meum, reſignavi faſciculum, & quò quæque mittebatur epiſtola, eò ſingulas allegavi. Sirmondus eodem, quo ego, jure tibi gratias agit. Quercetanus, ad quem ſcripſiſti, litteras ad te dedit; quas cum his noſtris accipies. Plurimùm me tuis ſacrificiis ac precibus commendatum eſſe cupio. Lut. Pariſ. 17. Cal. Febr. 1633.

EPISTOLA LXXVIII.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

MIROR ad vos nondum perveniſſe Syneſium noſtrum; de quo cùm typographum, cui id dederam negotii, percontarer, ille ſe jamdudum miſiſſe dixit. Nolim eamdem eſſe fortunam Rationarii noſtri; cujus exemplaria mitto duo: alterum tibi, Auberto Miræo alterum. Hujus eſt editio nova prorſus, & multis partibus auctior, in qua quid mutatum ſit, quibúſque de cauſſis, rationem reddidi in Præfatione noſtra. Bucherii Doctrina Temporum, quam is ad me miſit, accepi, ad eumque ſcripſi. Multa in eo libro ſunt, de quibus aliter atque ille, ſentio. Nam pleraque, quæ illic attigit, à me pertractata fuerant in libris de Doctrina Temporum, & in Animadverſionibus ad Epiphanium. Tertullianum à ſe recognitum nuper hìc publicavit Rigaltius: quem ſi nondum habes, itáque jubes, ære illo, quod habeo penes me, comparabo, ad téque mittam. Voſſii liber de hiſtoria Pelagianorum, quem ante annos aliquot legi, reperiri hac in urbe non poteſt. Hic ſi apud vos eſt; velim quoquo pretio redemptum ad me mittas. Vale, mi Pater, ac pro me communem Dominum precare. Lut. Pariſ. Maii 13. 1634.

EPISTOLA LXXIX.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

SCRIPSIT ad me nuper V. Cl. Mænardus Andegavenſis, & quæ ab illo tuâ cauſâ poſtulaveram, cumulatiſſimè perfecit. Nam & vitam S. Girardi Monachi, velut in ſpecimen miſit, & indiculum præterea vitarum quas 12. voluminibus comprehenſas habet; ut ex illis ſeligas, quas exſcribi cupias. Huic enim ſignificavi, uti ne ſumptibus parceret, atque ut quidquid pecuniæ opus eſſet, id à Procuratore Fixenſis Collegii peteret. Accipies igitur ſchedas iſtas, & ſi quid ex illo Vitarum Catalogo deſcribi tibi velis, ad me ſcribes. Petraſanctium noſtrum hac iter habentem, uti rogaveras, quàm potui humaniſſimè ſuſcepi; eique, quantum tuâ cauſſâ vellem, indicare ſtudui. De ſex illis exemplaribus Exercitiorum, quæ mihi dono dediſti, habeo gratiam. Vellem & libri de Geſtis Pelagianorum copiam alicunde poſſes habere, eúmque nullo tuo incommodo ad me mitteres. Nam nullum hic venalem invenire poſſum. Id eo ſcribo, non ut cuiquam moleſtus ſim; ſed ut, ſi fortè in eum librum incidas, emere ne graveris; ego quidquid erit pretii, rependi curabo. Rationarii noſtri tertia jam adornatur editio, interim dum Colonienſes novam inſtituunt, quam in Francofurtenſi Catalogo profitentur. Ego me tuis ſacrificiis ac precibus enixè commendo. Lut. Pariſ. 6. Jan. 1635.

EPISTOLA LXXX.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

QUESTUS eſt nuper apud me Berterius, hujus urbis negotiator librarius, is qui ante biennium Antuerpiam profectus eſt, & te meo nomine ſalutavit, cùm ibi eſſet, haud modicam ſe pecuniam cuidam viduæ numeraſſe, hortante, ac propè fidejubente te, ut pro illa libros ad ſe aliquos mitteret. Ex eo verò tempore nihil ſe ab illa vel pactarum mercium, vel reſponſi elicere potuiſſe: tametſi ſæpiùs litteras ad eam miſerit, quas certò ſciat ab iis, quibus tradiderat, in manum illi datas fuiſſe. Quæ res profectò valdè me movet, quòd fidem illic & auctoritatem tuam, quâ ſolâ adductus, cum muliere iſta tranſegiſſe ſe dicit, periclitari videam. Quocirca plurimùm te rogo, ut hoc negotium, quàm celerrimè, & quàm minimo ſtrepitu confici cures, ac feminam iſtam juris officiique ſui commoneas; atque ut pacificè potiùs, & ſalvâ concordiâ decidi rem velit, quàm ad lites, ac tricas forenſes deduci. De cetero ſcire te velim Opus noſtrum Theologicum jam propè ad exitum perveniſſe; ac propediem me ad vos eſſe miſſurum. De eo verò, quod jampridem inchoaſti, certi aliquid expecto. Diu enim eſt, quòd inter nos mutuæ litteræ ceſſarunt. Vale, mi Pater, & communem pro me Dominum precare. Lut. Pariſ. Jun. 13. 1643.

EPISTOLA LXXXI.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

ACCEPI nuper admodum libros duos, quos ad me miſiſti à prælo recentes, ſine ullis tamen litteris.

ris. Præclarum opus, & dignum eruditione tua, & exſpectatione Catholici orbis, ac ſpe illa, quam de eo pii ac docti omnes olim conceperant. Equidem totum illud jam ſtudio, ac voluntate devoravi; legámque, ubi otium ero nactus, attentè. Nunc perfunctum me gravi, ac diuturnâ operâ, aliæ ſuper aliis occupationes exceperunt, de quibus ſcribam ad te propediem. Interim mitto viciſſim Tomos tres Theologicorum dogmatum noſtrorum. In his multa contra Calvinianam hæreſim, quam Janſenius noviſſimè ab inferis excitavit: maximè de Libero arbitrio. Spero hunc laborem noſtrum non ingratum fore Catholicis omnibus; utilem quidem eſſe cupio. De eo quid veſtrates Janſenio nimiùm addicti judicaturi ſint, ſciam ſi certiorem me facere dignaberis: quod à te enixè poſtulo, méque precibus tuis & ſacrificiis tuis commendo. Vale. Scripſi hæc noctu properans 12. Novemb. 1643.

EPISTOLA LXXXII.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

DIUTURNUM inter nos litterarum hucuſque ſilentium fuit: credo, quòd novi interim nihil accidit, de quo ſcribendum uterque putaremus. Id quia mihi contigit modò, prior ecce brevi ſermone ſilentia rumpo: ac ſalutem imprimis tibi dico plurimam. tum hoc enixè abs te poſtulo, ut adoleſcentem illum, à quo has noſtras accipies, cùm ipſius merito, tum commendatione noſtrâ, benignè & amanter excipias. Qui ſit, quibúſve de cauſſis eam ad vos profectionem inſtituerit: ex ipſo melius intelliges. Pergratum mihi facies, ſi quibus poteris, officiis, quæ quidem minime eſſe moleſta velim, illum tibi complectendum meâ cauſſâ fidéque ſumpſeris. De Vendelino nihil jamdudum audio. Quid eo factum ſit, & utrum Romam ierit, quò Cardinali Bagnio condixerat, ſcire aveo. Precibus ac ſacrificiis tuis valdè commendari cupio.

EPISTOLA LXXXIII.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

MAGNAM habeo tibi gratiam de tam prolixo in me ſtudio, benéque merendi voluntate, quam repetita identidem officia teſtantur. Vel poſtremum hoc quàm mihi jucundum accidit! quòd ultrò me libro illo munerasti, quem videre, ac legere meâ plurimùm intererſit. Hunc etſi nondum acceperim: tamen, quòd eum ad me miſiſti, pro accepto jam habeo, eòque tibi nomine debitorem me eſſe profiteor. Sed inquire obſecro, num Rhotomagum, quò deſtinatus erat, pervectus fuerit. Nimis enim magna interceſſiſſe mora videtur: niſi me aviditas mea fallit, ſcire cupientem quid in mala cauſſa tuenda, contra veritatem, & Catholicam fidem, pervicacis, & contentioſi hominis induſtria valeat. Quem quidem auguror conviciis, ac maledictis, quorum larga eſt Janſenianorum natio, in me, ac Ricardum efferbuiſſe. Quod de Opuſculis Baii ſcribis; (Nam Fromondi, quæ percenſes, offérſque, penes me habeo) velim, ſi eſt eorum apud vos copia, mittas ad me. Jampridem enim legere cupio: nec parum intereſt, à me illa non ignorari, quod illic novæ, ac peſtilentis ſectæ jacta eſſe fundamenta, complures aſſerunt. Mitte autem, ſi id commodum eſt, per fidos, & amicos homines, ne in tranſvectione, ut ſæpè evenit, intercidant. Mihi nunc præ manibus eſt Theologicorum Dogmatum Tomus quartus, de Incarnatione; & is majori ex parte jam abſolutus. Sunt & alia minuta Opuſcula; quæ ſimul edita erunt, ad te mittam. Vale. Lutetiæ Pariſiorum Junii 15. 1647.

EPISTOLA LXXXIV.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

ADHUC Vincentium Lenem exſpectamus; nec dum de eo certi aliquid accepimus. Id adeo negligentiâ factum eſt eorum, qui illum ad me per minimè idoneos homines miſerunt. Deinceps itaque, ſi quid tutò ad me perferri velis, Murſio committe, qui id in ſarcinas inculcet, quas ad Cramoſium identidem deſtinat. Sic enim oportere fieri, mihi Cramoſius ipſe ſignificavit. Quod autem poſtremis tuis oſtendebas, te libros aliquot partim Janſenianorum, partim Baii, miſſurum eſſe, ſi ita cuperem: reſpondi jam, de Janſenianis nihil oportere eſſe te ſolicitum: penes nos enim illos omnes eſſe, quos in epiſtola tua percenſes: at Baii opuſcula nec vidiſſe me hactenus, nec eorum hîc eſſe copiam. Quare magnopere illa legere, ſi fieri poteſt, expetam. Ubi Vincentium Lenem accepero, experiar quid tandem hominis ſit, & quantum nomini ſuo reſpondeat. Equidem, ut eſt Janſenianæ iſtius nationis indoles, non puto lenem, ac civili in me animo fore: ſed aſperum, truculentum; conviciorum, & inclementium dictorum oppidò liberalem. Doctor Ricardus te reſalutat, itidemque, ut ego, moleſtè fert, jacturam libri iſtius, quem magno redemptum velimus. Ego me ſacrificiis ac precibus tuis apprimè commendo. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, Junii 26. 1647.

EPISTOLA LXXXV.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

ELENCHUM Theriacæ Vincentii Lenis, noviſſimæ feturæ opus à me vulgatum ad te mitto. In quo ſpero id me conſecutum, quod in eo elaborando ſpectaveram; ut & quàm poteram breviſſimè, & accuratè tamen, ad ea reſponderem, quæ ab illo mihi objecta fuerant pro Ipreníi Armacano. Sic autem cum Doctore Ricardo operam partitus ſum, ut ea dumtaxat refellerem, quæ privatim ad me pertinebant: quæ verò ad illum præcipuè attinent; ea ipſi confutanda relinquerem. Quod ab eo ſtrenuè factum eſſe, teſtis erit liber; quem opinor miſiſſe illum tibi, paullò quidem meo craſſiorem. Nam plura in Ricardum, quàm in me Theriaca continebat. Non erat ſanè, quòd in tam inſulſo, & inficeto libro excutiendo temporis aliquanti jacturam facerem. Verùm tanti fuit primum in me Janſenianæ manus impetum factum fortiter excipere; & quid à me deinceps exſpectare deberent, in ea proluſione ſpecimen illis dare. Habeo jam affectum aliud Opuſculum de Lege Moſaïca, & gratia; in quo arcem peto factioſæ illius novitatis; & multa de timore ſervili, & attritione, pro dogmate Catholico contra illos diſputo. Quartus dogmatum meorum Theologicorum tomus propediem ſub prælum mittendus eſt, nihil ad iſtam contentionem ſpectans: præter pauca quædam, ubi de Chriſti libertate agitur. Sed quid illis Collectaneis factum eſt, quæ ad nos miſeras de hiſtoria Michaelis Baii? Plurimum intererit ea non ſupprimi à vobis, ſed quamprimùm in vulgus emitti: uti natæ ad perniciem fidei, & Eccleſiæ, nationis arcana propalentur. Deum oro, uti te ope ſua, & gratia perpetuò dignetur: méque ſacris & precibus tuis impenſiùs commendo. Lutetiæ Pariſiorum Februarii 14. anno 1648.

EPISTOLA LXXXVI.

Joanni Bollando Societatis Jeſu, Antuerpiam.

MISI ad te tomos duos de Incarnatione Chriſti, noviſſimè elucubratos, & à prælo recentes, quos ut quàm primùm perferendos curarer, typographo diligenter mandavi. Spero illos non inutiles, nec injucundos fore Catholicæ parti: quam in pleriſque controverſis capitibus adverſùs Lutheranos, Calviniſtas, Socinianos, ceteráſque peſtes, ac potiſſimùm Janſeniſtas illorum fraterculos, propugnare ſtudui. Tertius decimus certè liber totus in hoc argumentum inſumptus eſt. In quo tum Deum ſalvos omnes eſſe velle: tum verò Chriſtum ad univerſorum ſalutem, quantum in ſe erat, pertinere voluiſſe mortis, ac perpeſſionis ſuæ merita, accuratè demonſtratum eſt. Addita eſt & Diſſertatio quædam contra heterodoxum, cujus exemplar ſeparatim editum, & avulſum jam, ut opinor, à me accepiſti. Plurimi hîc Epiſcopi contra Janſenianam novitatem commoveri cœperunt, & in hujus damnationem incumbere.

cumbere. Romæ ab Inquiſitoribus fidei damnatus eſt libellus quidam, ab iſta ſecta nuper Gallicè ſcriptus & vulgatus ſub hoc elogio, *Catechiſmus de gratia*, in quo præcipua Janſenii venena collecta ſunt. Gaudeo Academicos Duacenos vexillum ſuſtuliſſe contra Lovanienſes Armacanos, ac palam defenſores ſe profiteri Catholici dogmatis: quod iſtorum aliqui vexare inſtituerant. Dominum precor, ut pacatis tumultibus, & diſſidiis, omnium animos, optato pacis, & concordiæ nexu, quàm arctiſſimè inter ſe devinciat: & ut pari cum Chriſtiana pietate progreſſu litteræ noſtræ ſuum tenere curſum incipiant. Vale mi Pater; ac mei in ſacrificiis precibuſque tuis ſac perpetuò memineris. Lutetiæ Pariſiorum Novembris XI. 1650.

EPISTOLA LXXXVII.

MAONA pridem conſtánſque de tua virtute, doctrináque, & propenſo in litterarum cupidos ſtudio, ad nos ſama pervenerat. Auxit hanc commendatione ſua, vir acerrimi judicii, ac ſingularis eruditionis Annatus, Aſſiſtens ſocietatis noſtræ: qui tum illa quæ de te memoravi non ſemel apud me prædicavit; tum hoc adjecit, neminem in bona tuenda cauſa, hoc eſt, Catholici dogmatis contra novas ſectas, auctoritate propugnanda, firmiorem te Romæ hodie vivere. Quæ res tantum in me tui excitavit amorem, ut quæ prima ſe mihi occaſio dediſſet, ea uti decreverim, ad ſingularem meam in te voluntatem, quod unum poteram, litterarum aliqua ſignificatione teſtandam. Hoc ut facere poſſem, peropportunè mihi hoc tempore accidit, cùm Theologicorum Dogmatum meorum Tomus quartus prodiret in lucem. Cognovi enim de Annato noſtro, priores tres, quos ante octo circiter annos elucubravimus, pergratos tibi fuiſſe. Quo majori ſpe ſum incenſus, non minus probatum iri tibi conſequentem hunc qui eſt de Incarnatione, propter argumenti copiam, & ubertatem, diviſus in partes duas. Accipies igitur hunc à me, pignus & obſidem voluntatis erga te meæ: ac mihi auram aliquam afflabis ſavoris ac patrocinii tui, quo adverſus malevolorum obtrectationes, quorum copioſa temporibus iſtis annona provenit, tutum me ac defenſum eſſe patieris. Ego verò tibi hoc viciſſim repromitto, nullo me umquam loco, amplificando honori tuo, quoad in me ſitum erit, defuturum. Vale.

EPISTOLA LXXXVIII.

Iſaacio Haberto Epiſcopo Vabrenſi.

EXPRESSIT à me nuper novam lucubrationem Armacanorum inſolentia: quæ ſcriptis & factis, Catholicam cauſam vexare non deſinit. De factis puto jam auditum abs te, quid ab illis adverſus ſacultatem veſtram moliti ſint, tribus abhinc menſibus; quáſve turbas iſtic conciverint: quibus idcirco narrandis ſuperſedendum mihi puto, quòd eorum ſamam in longinqua pervolaſſe, & ad vos uſque perveniſſe mihi videtur. E libellis verò, quos doctrinæ ſuæ venenis reſperſos, frequentes in vulgus, eodem tempore, diſſeminarunt; unus ille fuit, quem mihi reſutandum ſumpſi, ſcriptus ab Abbate anonymo: in quo Tridentini Concilii mentem ac ſententiam de gratia, ex Auguſtini doctrina, atque libris, interpretandam eſſe contendit. Quod quàm ſubdolè, callidéque ſuſceperit; non eſt obſcurum. Non tam enim ex Auguſtini mente, quàm ea ſua dictorum ejus expoſitione, Synodalia illius decreta ad hæreſim ſuam accommodare ſtuduit. Quod erat minimè tolerandum. Ideo reſiſtendum illorum conatibus, & verſutis eorum conſiliis intercedendum eſſe decrevi. Idque, libró de hoc argumento edito, pro virili parte facere ſum aggreſſus. Quem librum, ſtatim atque in lucem prodiit, ad te mittere deſtinabam. Sed moram injecit rumor quidam à Sebaſtiano Cramoſio confirmatus mihi: te propediem in hanc urbem eſſe venturum. Itaque ſuſtinui tantiſper, dum aut coràm, quod optarem maximè, videre te, ac meum tibi velut adventorium munuſculum offerre poſſem: aut certi aliquid de adventu tuo certiùs cognoſcerem. Sed cùm nihil adhuc explorati de eo liquidíque conſtaret, non potui differre diutiùs, quin officium meum teipſa tibi probarem, atque inter negotioſiſſimas, ſed Dei ac proximorum amore conditas, & utiliſſimas occupationes tuas, illud laxamentum præberem; non injucundum, ut arbitror tibi, mihi verò cum ad obſervantiæ erga te meæ teſtificationem; tum ad mutuam in me tuam corroborandam & amplificandam benevolentiam, non mediocre momentum allaturum. Ac ne tarditati meæ nimiùm ſuccenſeas, adjeci πάρεργον neſcio quid, è Latino Ciceronis Græcè redditum; quod ut in bonam partem accipias, méque ut feciſti hactenus, amare pergas, etiam atque etiam, Præſul Illuſtriſſime, precor.

EPISTOLA LXXXIX.

NÆ tu gratus homo es, qui tam puſilla in te officia mea tanti æſtimas, ut in iis commemorandis totam tuam epiſtolam conſumpſeris. Vellem dignius aliquod illius argumentum feciſſes. Etſi jucundius eſſe mihi nullum poteſt: non quòd tanta eſſe, quanta vis, merita in te mea judicem, aut verò videri tibi cupiam: ſed quòd tantilla ex re ſpecimen & conjecturam animi tui capio. Intelligo enim, quantum ſis majoribus acceptis beneficiis officioſus ac memor futurus, qui in tam parvis remunerandis tam præter modum copioſus eſſe voluiſti. Itaque uti tuâ cauſſâ plura velim, pluráque in dies enitar, tua me iſta liberalitas admonet: ſic tamquam agrum illum impendio majore, ac ſtudio colimus, qui commiſſa ſibi ſemina abundantiore frugum copia, & ubertate compenſat. Fac igitur ſciam, qua tibi in re, tuíſque rationibus commodare poſſim. Nam de Leonardo noſtro, cujus in Græcis operam præſtò tibi eſſe cupis, certò potes confidere. De te enim diligenter ad eum ſcripſi: neque dubito, quin poſtulatis etiam noſtris majora ſponte ſit ſua facturus. Vale, & quod agis, mei apud Deum memor, felix & incolumis vive.

EPISTOLA XC.

QUANTUM ex epiſtola tua voluptatis ceperim, is ita demum æſtimare poterit, qui quanti te faciam, quantúmque te amem, intelleserit. Amavi autem ex quo noſſe te cœpi, nitidámque tuam & ingenuam indolem, atque ad virtutum, honeſtatúmque rerum ſatus excipiendos apprimè ſactam. Quas quia colere pergis, & ad pietatis honeſtatiſque ſtudia, illa etiam doctinarum, artiúmque ſic adjicis, pluris ut hæc tamen poſteriora facias. (Ita enim te facere demonſtras) valde id me quidem delectat, ~~atque ut perpetuò~~ ſic tu inſtituas, hortor plurimùm, & obteſtor. Nam quòd mirificâ, ex tuo illo docendi munere, jucunditate perfundi te ſignificas: non minùs eſt hoc mihi, quàm tibi jucundum. Eſt autem hic fructus animi, non ſolum obedientiæ præmium; quæ tota, hac ſuavitate perfunditur: ſed etiam illecebra laborum ac ſtudiorum iſtorum, ac vocantis & incitantis ad illa te Dei vox quædam & ſignificatio. cui te parêre, & ad ea accommodare te, uti facis, oportet. Quamobrem fac conſtanti & erecto animo ſis; neque te difficultates iſtæ frangant ac dejiciant, quibus obſideri ſolent magnarum omnium ſummeque expetendarum initia rerum. Ego, ſi quid ad uſum tuum, aut ſolatium conferre poſſum, volo id apertè palámque à me poſtules: nihil enim, quod quidem in me ſitum erit, deſiderari abs te patiar. Tu tantum cura, uti animo, corporéque valeas. P. Rectori plurimam à me ſalutem dicito: & quod de Theologico me opere ſciſcitari voluit; hoc illi meo nomine reſpondeto, id in curſu eſſe, & in dies procedere. Vale.

EPISTOLA XCI.

EX voto tibi ceſſiſſe profectionem hinc tuam, & cum Fixano te cœlo paullatim in gratiam redire, valdè gratulor. Sed exſpectanda eſt hiems: ea ſtomacho tuo decretoria tempeſtas erit. Quæ ſi moleſtior ſit, quàm ut ferri debeat; tu verò & ad me, & uti juſſum te ais, ad P. Provincialem ſcribes. ego, quod ſum pollicitus, curabo

curabo ſedulò; nec te conflictari priſtinis illis incommodis patiar. Quamquam maxima ſum in ſpe, commodiùs te illic, quàm dudum, fore: cura modò ut valeas, ac divinorum colloquiorum ſuavitate, beatóque illo otio ſic fruere, ut valetudinis rationem interim habeas; nec ultra corpuſculi tui vires enitare. Plura itidem, ut facturum te minaris, ad te ſcribam poſtea. Nunc tam multis reſpondendum mihi fuit, ut longiori eſſe non liceat. Tu velim fratres noſtros, qui ex ovili hoc noſtro in longinqua paſcua nuper evolarunt, à me ſalutes; quibus omnibus, ut & tibi, læta omnia precor ac tranquilla. Vale.

EPISTOLA XCII.

JAMDUDUM in ære tuo me eſſe, non ſolùm memini, quod quivis debitores faciunt: ſed etiam præ me fero, quod non ſolent, niſi probi & ad ſolvendum parati. Itaque tardum licèt, certum tamen nomen hoc experiere ſemper. Ac niſi tu me, ego te penitùs noſſem: hoc eſt, niſi ego te minimè querulum ac moroſum exactorem eſſe ſcirem, & tu me in tui amore perſeverantem & conſtantem conſideres: tarditatem illam meam excuſarem diligentiùs. Nunc pluribus nihil opus eſt. Ac tanta eſt mea de te fiducia, ut tanto intervallo reſcribens, etiam perbrevi epiſtolâ defungi ſatis habeam, neque offenſionem ullam ex ea re metuam. Quòd igitur animo vales & corpore; & utroque, ſed illo maximè, confirmaris in dies, & ſis robuſtior, id quod ex tuis litteris intellexi; magnam mihi affert voluptatem: quia te amo plurimùm, ac tibi eſſe quàm optimè cupio. Erit autem ſi, quod hactenus facis, pietatis religioſæ cultum cum litterarum ſtudiis ita temperes, ut pluſculum priori illi potioríque parti tribuas; & utrumque tamen ex virium tuarum, ac corpuſculi modulo & captu metiare: ne idem, quod agris interdum, eveniat tibi; ut in unum alterúmque proventum, quidquid in te eſt roboris ac ſucci profundas, atque conſumas. Vale.

EPISTOLA XCIII.

NON concedam tibi, majori ut voluptati tibi ſit, quàm mihi, quòd inſequente anno futuri unà ſumus. Hoc enim jamdudum, quod tu ipſe ſcis, non ſolùm optaveram, ſed efficere conatus eram: quod ſuaviſſima & amantiſſima Dei providentia utrique tandem ex voto tribuit; de quo immortales illi gratias ago. Equidem ſi mea erga te tibi dubia voluntas eſſet, ac niſi te certò confidere putarem, tuâ me cauſſâ omnia cupere: longior eſſem in venditanda ac deſpondenda tibi opera mea. Sed quia nihil eſt, quod quidem in me ſitum ſit, quod de me polliceri tibi non poſſis: hoc unum dicam; quantæcumque ſpei exſpectationique tuæ reſponſurum me eſſe, quibus poſſum officiis; ac te tuáque ſtudia in me eſſe ſuſcepturum. Vale.

EPISTOLA XCIV.

POSTREMÆ litteræ tuæ, etſi aliquantulùm iis indormierim, haud penitus exciderunt animo meo. Iis ſi minùs tempeſtivè reſcribo, ignoſcere debebis occupationibus noſtris; è quibus tamen evigilare quamlibet longo intervallo, & expergiſci ſoleo; ut amicis meis, officióque ſatisfaciam. Tu cùm de priſtino pietatis ſtudio neque remittis quicquam, & novis etiam auctibus cumulas; antiquum obtines: facíſque quod te facere ſemper volui, & verò ſum hortatus. Sed adjunges etiam, ſi me audis, amorem litterarum, contentionémque diſcendi; ne altero pede claudices, ſi uni tantùm inſiſtas. Spero non defuturam tibi voluntatem: ſed neque deeſt ingenium, cui tu nimiùm diffidere mihi videris, ac de te ſentire demiſſiùs. Quæ tum laudanda moderatio eſt, ſi non ex anguſto & puſillo animo prodeat; quem in te magnum & erectum eſſe cupio, atque ut terrena omnia contemnentem, ſic de Divina ope & gratia nihil non ſperantem: quæ tuis conatibus ſine dubio reſpondebit, & ſucceſſum dabit ſpe etiam tua votóque majorem. Vale.

EPISTOLA XCV.

QUOD morbi genus ſit, quo tamdiu conflictor ac maceror, peramanter ac benevole requiris. Ego, ut paucis tibi ſatisfaciam, ſcire te volo varium illud eſſe, nec uniuſmodi. Sed præcipuus in eo capitis eſt dolor, quod dimidium atrociter, ac pænè ſine intermiſſione, dies me noctéſque pungit ac lacerat. hoc græci medici ἡμίκρανον vocant; ſed hoc intereſt quod plerumque temporarium eſſe ſolet, nec ſanè perpetuum: in me, uti dixi, propemodum continuum eſt, & adversùs remedia contumax. Ad hoc levandum cùm varia tentata ſint, tum hoc tandem perleve nactus ſum allevamentum, Nicotianæ, quam vocant, uſum. Eſt id herbæ cujuſdam genus, oppidò vehementis: cujus folia mandere cùm cœpi, paullulùm dolor interquieſcit: ſed ei ſuccedit ſtupor quidam, ac velut torpor capitis, qui in totum corpus redundat. eam Græci νάρκωσιν appellant. Is ubi ſuas partes agere cœpit, tantus virium defectus ac deliquium oritur, ut propemodum intermortuus jaceam. Sed qualiſcumque is eſt, tolerabilis mihi videtur, præut eſt morſus ille ac laniena capitis, quàm ἡμίκρανον affert. Quocirca hæc me alternis, ac per vices, ægritudinis angit ſucceſſio, vix ut reſpirandi locus ſit. Hoc in tanto cruciatu unicum ac ſingulare remedium eſt, Chriſti Domini recordatio, qui ſummam Chriſtianæ felicitatis in cruce conſtituit, id eſt, dolore perferendo tum animi tum corporis. Sed pervincenda, & ſuperanda eſt, illius ope, ægritudo hæc, quæ quamlibet diuturna, perpetua certè eſſe non poteſt, nec ultra mortem extenditur. Cujus cùm vel ipſa memoria horrori eſſe ſoleat, mihi ſuaviſſima, & optatiſſima jampridem eſſe cœpit. Hanc enim velut portum ac terminum angorum omnium ex intervallo reſpicio, non ſine jucundiſſimo quodam ſenſu voluptatis. Idque non meritis adſcribo meis, ſed promiſſis Domini Jeſu, qui nobis certiſſimam ſpem æternæ vitæ, ac quietis, morte ſua repræſentavit. Quam, ut ratam aliquando faciat, tuis ac piorum omnium precibus aſſecuturum me eſſe confido. Vale, ac meâ cauſſâ, quod te facere non dubito, id ab illius clementia poſtulare perge.

EPISTOLA XCVI.

ΟΥΙΛΛΕΛΜΩι ΤΩι ΛΕΩΝΑΡΔΩι

τῷ ἐκ τῆς ἑταιρείας Ἰησοῦ, εἰς Γερμανίαν.

χαίρειν Πετάβιος τῷ Λεονάρδῳ λέγει.

Οὐκ ἔστιν, ὦ τᾶν, νητρεκὴς ἥδ᾽ αἰτία
Δι᾽ ἣν ἐλινῦσαί μ᾽ ἐπιστολῶν πόνου·
Οὔτ᾽ ἀντιγράψαι μηδὲν οἷς φίλοις γράφων,
Ἐπλίνωσας καὶ πόντε, καὶ κομψοῖς μέτροις.
Ὁ δὴ ξυναμφοῖν, οἷς τ᾽ ἐς ὑμᾶς ἔμφυτον
Στοργῆς, φρενῶν τε τῆς σοφῆς τέκμαρ λαβεῖν
Αἰνῶς ἰάνθην. ἀλλ᾽ ἀμοιβαίαν ὅμως
Ἐς τὴν παροῦσαν, οὐκ ἔτισά πω χάριν.
Τί δὴ παθόντα μ᾽ εἰκὸς ὀκνῆσαι πόνου;
Μάθοις ἂν ἤδη. Νομάδος ᾠήθην Σκύθου,
Ἢ καὶ πλάνητος Ἄραβος, ἐν τῷ νῦν βίον
Ὀχοῦντα σκηνῆς ἢ, ὅπως σεμνῶς ἐρῶ
Μᾶλλον, μαθητῶν τοῦ βροτωθέντος λόγου,
Ἄοικον, ἀστατοῦντα, μὴ πῆξαι στέγην.
Τοῦδ᾽ αὖ πάλιν, κἀκεῖσε, φυξίμῳ ποδὶ
Χώρας ἀμείβοντ᾽, καὶ πόλεις, ὡς ἂν τύχοι,
Δίκην πετεινοῦ, οὔτ᾽ ἀσπέρμου πνεύματος·
Οὐκοῦν ἐμῆς τι πρὸς σὲ γεγραφὼς χερὸς
Οὐ πρᾶξιν εἶναι τῆς γὰρ ἂν χαρᾶς χέρσος
Τί μοι ποθεινὸν γράμμα, καὶ τί νῦν σιλοῖς;
Νῦν δ᾽ ὡς στέφ᾽ εἰδὼς τῆς σῆς γαίης εἰ πρόσω,
Θάῤῥων ἔπεμψα τοῦθ᾽, ὃ μοι χαίρων δέχου·
Κἀμοὶ λιτῇσι σαῖς εὐμενῆ πρόξον θεὸν,
Τἄξεσθ᾽ ὁμοίαν ἐξ ἐμοῦ πεπεισμένος.
Ἔῤῥωσο, καὶ σὺ μοι προσείπ᾽ Ἐλπιδίου.

Ἐν τῇ Λυτετίᾳ τῇ κε´ Ἰουνίου.

EPISTOLA XCVII.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΩι ΤΩι ΛΟΓΓΟΤΕΤΩι
τῷ ἐκ τῆς ἑταιρείας Ἰησοῦ, εἰς Ῥωτόμαγον.

ΕΥ͂ΓΕ ὅτι καινοτομοῦν ἔφθης οὐδένα τινα τὸ τῆς ἐπιστολῆς τρόπον, καὶ ἑλληνίζειν ἐπιχείρησας, οὐκ εἰθὼς ὢν πρότερον τοῦτο ποιεῖν, ὅτι μάλιστα πρὸς ἐμὲ ἐβούλου. Ἄγαμαι μὲν οὖν σε τῆς φιλοκαλίας ἐκείνης, καὶ δέχομαι τὴν πρόκλησιν, οὐδ᾽ τι ἴσοις, καὶ ὁμοίοις ἀντιμείβεσθαί σε βούλομαι ὅσον ἂν ἐγχωρῇ. Οὐ γὰρ ἔξεστί μοι αἰεὶ, τῶν ἀσχολιῶν ἕνεκα, καὶ τῶν πάρεργα πραγμάτων. Τοιγαροῦν συγγνώσῃ μοι ἂν μὴ πρὸς τὸν καιρὸν ἀπαντῷ ἥδε ἡ ἐπιστολή· ἀλλὰ τοῦ προσήκοντος ὑστερῇ. Οἶσθα γὰρ σαφῶς, οὐκ ἀκούσας μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἰδὼν, πόσος τις ἀεί με τῶν πραγμάτων ὄχλος περιέστηκε, καὶ ἡ ἐπιλήσμονα συντάσσειν τῶν ἄλλων ἀπάντων, ἡ μελέτη γοῦν ἀπεργάζεται, καὶ πόῤῥω τι τῆς προθυμίας ἐκφέρει. Ἀλλὰ τὰ μὲν προσηπείχθαι ἐάσωμεν. Τί δὲ νῦν ἔχοι, ἴσθι πολλοὺς τῶν σε πρώην μαθητῶν, αὐτὸ δὴ τοῦτο, ὃ δι᾽ εὐχῆς εἶναί σοι πρότερον ἔγραψας, εἰς τὸ τῆς ἀντιπερθέντα ἑταιρείαν ἀπογραψαμένους· ἐνίους δὲ καὶ μέλλοντας ὅσον οὔπω. Ἀμέλει ὁ Γισμβέρτος ἤδη παρ᾽ ἡμῶν ἐδέχθη, καὶ ἕτεροί τινες· οἱ δὲ ἄλλοι, περὶ ὧν ἐσήμανες, οὐδέπω καὶ τήμερον. Ὅτι μὲν οὖν ἔῤῥωσαι, καὶ ὑγιῶς ἔχεις, καὶ πάντα σοι κατὰ γνώμην ἐκεῖ χωρεῖ, χαίρω μάλιστα, καὶ τῷ Θεῷ εὐχαριστῶ. τὰ δὲ δὴ καθ᾽ ἡμᾶς, οἷα καὶ πέρυσιν· καὶ καινὸν οὐδὲν ἀπίθεν· τοιγαροῦν διὰ πλειόνων οὐδαμῶς γράφειν ἀνάγκη ἐστί μοι. ἀλλ᾽ ἕν τινι παρακαλῶν, καὶ δέομαί σου, ὅπως μνήμην ἔχειν ἐμοῦ διαπαντὸς, ἀξίαν τι σοῦ, καὶ τῆς ἡμῶν φιλίας, ἐν ταῖς ἱεραῖς σου, καὶ καθημεριναῖς θυσίαις, καὶ ἐν προσευχαῖς· ἵνα ἀλλήλοις ἀεὶ συνδεδεμένοι, καὶ τῷ Θεῷ, καὶ ἀλλήλοις ὀναίμεθα ποτε βέλτιον, καὶ εἰλικρινέστερον ἐν Χριστῷ. Ἔῤῥωσο μάλιστα αἰεὶ, καὶ παρ᾽ ἐμοῦ ἄσπασαι τὸν πατέρα τὸν προεστῶτα ὑμῶν. Ἐν τῇ Λευτεκίᾳ, Γανουαρίου τῇ ιη΄. ͵αχλϛ΄.

EPISTOLA XCVIII.

Ο῝ΣΟΝ μὲν εἰς τοὺς λόγους σπουδῆς, καὶ προθυμίας εἰσενήνοχας, ἐξ οὗ ἐνταῦθα εἰς τοὺς Ἑνετοὺς ἀπῆλθες, πρότερον ἐξ ὧν πρὸς ἐμὲ γράφειν ἔφθης, καὶ ταῦτα ἑλληνιστὶ καίτοι τῆσδε τῆς γλώττης χθὲς καὶ πρώην οὐ μάλα ἔμπειρος ὢν, ὥστε γε ἡμᾶς εἰδέναι μᾶλλον ἢ τι πρότερον ἀνήκοος. Τοιγαροῦν ἥσθην διαφερόντως, ὁρῶν οὕτω γενναίως ἀψάμενόν σε παιδείας τῆς παιδείας, καὶ τὴν εἰς ἅπαντα σε καταμαθεῖν εὐφυΐαν τι, καὶ ἀγχίνοιαν ᾗ τις ἐπιδεξιός ἐστι, πάντα ἂν ῥᾳδίως κατορθώσειν, οἷς ἂν ὁμοίως, τουτέστι φιλοπόνως, καὶ μετὰ κρίτου ἐπιβάλληται. Θαυμάζειν δὲ μοι ἔπεισι καὶ τὴν θείαν ἀμφί σε προμήθειαν, ὅτι δημοσίαν ἐκείνην συμφορὰν, καὶ ἀπευκταιοτάτην ἐκεχειρίαν ἔδωκέ σοι ἐν δέοντι καταθέσθαι, ὡς ἀφορμὴν εἶναί σοι μεγάλης τινὸς ἐμπειρίας τῆς περὶ τὰ ἀναγκαιότατα τῶν ἐπιτηδευμάτων. Οὔπω γοῦν ἄξιος εἰμὶ οὐ μόνον εἰδέναι χάριν τοσοῦτον εὐεργετήσαντί σε Θεῷ, καὶ ἐν λοιποῖς πέρας εὑρόντι· ἀλλὰ καὶ σοὶ προϋπηργμένοις, οἷα πρέπον ἐστὶν, ἐπιχαιρομένῳ, καὶ καθ᾽ ἡμέραν ἐπιδιδόναι πρὸς τοὺς λόγους, φιλομαθῶς ἐχόμενος, καὶ οὐκ ἀεὶ, πρὶν ἂν εἰς ἄκρον ἐλάσῃς παντοδαπῆς παιδείας. Τοιαῦτα γάρ ἐστι τὰ προοίμια ταῦτα, ὡς ἐλπίζειν ἡμᾶς πάντας ἐκεῖνα σε τεύξεσθαι, ἂν μὴ ἑκὼν ἀφειμένος ἐθελοκακήσῃς, καὶ προδῷς ἑαυτὸν ὅπερ οὐκ ἂν οἶμαι πεισθείης ποτε· μᾶλλον δὲ οὐ πρὸς ἐπικλινόμενον, λαμπρῶς, ἵνα καὶ τάχα καρπώσασθαι τῶν ἐν τούτοις πόνων, καὶ ἱδρώτων, τὰ ἔπαθλα. Ἔῤῥωσο ποθεινοτάτη μοι κεφαλὴ, καὶ ἐν ταῖς εὐχαῖς μνείαν ἐμοῦ ποιούμενος οὔποτε παύσαιο. Ἀσπάζονταί σε πάντες οἱ γνώριμοί σου τῶν ἀδελφῶν ἐκ παρὰ σοῦ προεστῶτι ἐπιλαθομένους ἡμᾶς.

EPISTOLA XCIX.

ΔΙΑ΄ πολλοῦ μὲν, καὶ ὀψέ ποτε ἀντεπιστέλλω τῇ τιμίᾳ σου κεφαλῇ· κρεῖττον δὲ καὶ οὕτως ἀφοσιώσασθαι, καὶ τὸ καθῆκον ἁμωσγέπως ποιεῖν, ἢ σε παντάπασι ἀπολιπεῖν· ὥσπερ καὶ σὲ χρεὼς ἀπολῦσαι ὅτι ἂν, καὶ ὅσον ἂν ἐγχωρῇ, ἢ παντελῶς ἐξαρκοῦν εἶναι, καὶ χρεωκοπεῖν, πολὺ βέλτιόν ἐστι, καὶ φιλανθρωπότερον. Εἰ μὲν οὖν πρὸς ξένον τινὰ, καὶ οὐκ εἰδότα τοῦ με ταύτην ἔγραφον τὴν ἐπιστολὴν, πολὺς ἂν τις ἦν, ἀπολογούμενος, καὶ παραμυθούμενος τὴν αἰτίαν, ἵνα ὁ περὶ ἐκείνην ἴσως ἂν φυγεῖν ἔδοξα, ταυτησὶ τῆς μεθόδου ἕνεκα, καὶ τοῦ ἄγαν ἀκηδοῦς. ἐπειδὴ δὲ τὰ καθ᾽ ἡμᾶς ἅπαντα σαφῶς ἔγνωκας, καὶ ἐν ὅσαις καθ᾽ ἡμέραν ἀσχολίαις τὸν βίον ἄγομεν, οὐδὲν ἐμοὶ τοιαύτης πρὸς σὲ τῆς ἀπολογίας δεήσειν δοκῶ. Τὰ μὲν δὴ κατ᾽ ἐμὲ, τοιαῦτα. Σὺ δὲ, ὦ προσφιλεστάτη κεφαλὴ, ἄγαμαι, καὶ θαυμάζω τῆς εἰς τὰ ἑλληνικὰ προκοπῆς, ἣν ἐν βραχεῖ οὕτω λαμπρὰν, καὶ ὑπερφυῆ πεποιηκέναι δοκεῖς, ὡς ἀπορῆσαί με μεταξὺ τὴν σὴν ἐπιστολὴν ἀναγινώσκοντα εἴπερ ὁ αὐτὸς ἂν εἴη ὁ Τυρμήλιος, ὁ πρώην ἑλληνίζειν πρὸς ἐμὲ, ὁ τοσοῦτοι παντὸς τῆς περὶ τοῦτο ὑπερβαλλούσης ἐπιστολῆς, κατά τε τὸν ἑλληνικὸν χαρακτῆρα, καὶ περὶ τὴν ὀρθότητα τῆς συγγραφῆς. Εὖγε, καὶ οὕτω βαῖνε, περὶ τὸν Ὅμηρον, καὶ ἴσθι, ὡς μετ᾽ ὀλίγον εἰς ἄκρον ἐλάσεις τῆς ἑλληνικῆς παιδείας, ἂν οὕτως ἀεὶ διατελῇς εἰς τὸ πρόσω ἱέμενος, καὶ καθ᾽ ἡμέραν ἐπιδιδῷς. Ἔῤῥωσο, καὶ ὑπὲρ ἡμῶν προσευχόμενος μὴ παύσαι ποτε.

EPISTOLA C.

ΝΙΚΟΛΑΩι ΤΩι ΖΟΡΑΒΙΩι
ἰατρῷ καὶ μαθηματικῷ βασιλικῷ, εἰς Οὐαρσοβίαν.

ΤΗ΄Ν παρὰ σοῦ εἰς ἐμὲ πεμφθεῖσαν ἐπιστολὴν ἀναγινώσκοντί μοι, πρῶτον μὲν ἐπῆλθεν ἄγασθαί σε τῆς δαιμονίας ἔτι περὶ τὰ ἑλληνικὰ σπουδῆς ὑφ᾽ ἧς προήχθης κἂν τῷ μακρῷ ἀφεστηκότι, καὶ ὡς εἰπεῖν, οἰκουμένην ἀπῳκισμένον, πρὸς τὴν αὐτὴν ἐκκαλέσασθαι φιλοτιμίαν, δι᾽ ἧς ἔγραψας ἑλληνιστὶ φθεγγομένης ἐπιστολῆς, μεγάλης οὔσης σὴ τὸ φίλου, καὶ πολλὴν κατηγορίαν τοῦ σωθέντος περὶ τὰ τοιαῦτα τελείων. Ἔπειτα δὲ λίαν ἐξεπλάγην οἷς ἔγραψας, καὶ ὃ τὸ πλεῖστον ἐπεῖχε μέρος τῆς ἐπιστολῆς· ὡς ἐγὼ πάσας τὰς τοῦ Κικέρωνος ἐπιστολὰς, καὶ τἄλλα αὐτοῦ ἔργα, ἑλληνιστὶ μεταφράζειν προαιρούμενός ποτε, μετὰ ταῦτα σὴ δόξαν ἀνεθέμην. Καίτοι οὐδὲ σμικρόν τι σύνοιδα πώποτ᾽ ἐμοὶ εἰς νοῦν βαλομένῳ· πολλοῦ γε καὶ δέουσα μὴ κἂν μέγα, κἂν σμικρόν τι ἐπισημηνάμενος περὶ τούτου, ἐν τῇ προοιμιώδει τῶν Παρέργων ἐπιστολῇ ὅθεν ἐκεῖνος τοῦ σχηματισμοῦ (εἰ γὰρ ἐπίρρηθὲν οὕτω) ἀφορμὴν εἰληφέναι δοκεῖς. εἰ μὲν οὖν οὕτω μανθάνω, ὡς κἂν ψιλὴν εἰς ἔννοιαν ἐλθεῖν τοῦ τοιούτου ἐγχειρήματος παιδαριώδους τῷ ὄντι, καὶ τῇ ἐμῇ ἡλικίᾳ παντάπασιν ἀπρεπές. Ὥστε γοῦν ἤδη σοι, ἐπιπροσγράψῃ ἀφεῖναι τῷ οἰκείῳ λογιστικῇ τούτῳ, ὑπομιμνήσκεσθαι ὅτι πάρεργον πρόθυμον οὐκ ἔργον, ἐκείνην ἐκδοῦναι τὴν μετάφρασιν ἤπερ, ἐὰν τῆς προαίρῃ, καὶ τὸ θεῖον συγχωρῇ, σὺ περὶ φιλίας βιβλίον τοῦ αὐτοῦ Κικέρωνος μετ᾽ ὀλίγον προσθεῖναι ἂν τάχα, [illegible] ὑπ᾽ ἐμοῦ μεθερμηνευθὲν, καὶ εἰς ἑτέραν ἔκδοσιν ἤδη παρεσκευασμένον· ἵνα κἂν τοῦτο γοῦν χαρίσωμαι τοῖς φιλολόγοις ὑμῖν, καὶ τῆς ἑλληνικῆς διαίτης ἐπιδοῦναι. Ἔῤῥωσο.

EPISTOLA CI.

ΓΑΒΡΙΗΛ ΤΩι ΚΟΣΣΑΡΤΙΩι
εἰς Λυτεκίαν.

Ο῞ΥΚ ἐν αἰτίᾳ ἔχοιμί σε, ὦ ᾽γαθὲ, οὐχ ὡς μεμψίμοιρος ὢν ὅλον, ὡς ἀναίτιον αἰτιάσασθαι· τοὐναντίον δὲ χάριν ἴσημι πολλὴν, ἀνθ᾽ ὧν ἔγραψας πρὸς ἐμὲ, καὶ ταῦτα ἑλληνιστὶ, μάλα σοφῶς, καὶ ἐπιτηδείως, νὴ τὰς Μούσας. περὶ δ᾽ ὧν ἔγραψας, οὐδὲν δυσχερὲς, οὐδὲ γραφῆς δεόμενόν ἐστι. πάντα γὰρ ἐπιτετραφαί σοι τιμὴ, ἵνα διαθείνης ἅπαντα, ᾗ ἂν ἐθέλῃς. Τὸ μὲν οὖν ῥαΐσαι σε, καὶ βέλτιον ἔχειν, εἰσιόντος δὲ καὶ τὸ κάλλιστον βέλτιον, καὶ βροντήσαντα, ἴσθι ἡμᾶς, ὅσον εἰπεῖν οὐ δυνάμεθα. Εὖγε ὅτι ὁ νόσος ἀπέσβη, καλῶς ποιῶν. Ἀλλ᾽ ὅτι ἡμεῖς ἐχαίρημεν τῇ τῶν πατέρων οἰνοδιοσ· τοσοῦτον ἐλύπησεν ὁ θάνατος τοῦ καλλίστου καὶ εὐσεβεστάτου ὑπηρέτου. Φεῦ τῆς ἀωρίας τῆς εἱμαρμένης, ἣ ἐμὲ προλελοιπότι, τὰς ἀναξίους ἄλλο, καὶ μηκέτι δεομένους, ὡς τὸν εὐδαίμονα μετήγαγε βίον. ὡς ἀντίψυχος ὢν ἐκεῖνος, τοῦ ἡμῶν μὲν ὑπηρέτου τῷ δὲ ὄντι, διδασκάλῳ τῆς εὐσεβείας. ἀλλὰ ταῦτα μὲν τοῦ θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Τὰ δὲ καθ᾽ ἡμᾶς ἔχει, ὡς φίλον ἐστὶ τῷ θεῷ, τοῦτ᾽ ἔστι κατὰ τὸ εἰωθὸς· καὶ οὐδὲν ἀπεκδέχομαι πω τῆς μεταβολῆς τοῦ ἀέρος. τοὐναντίον δὲ, χεῖρον ἔχω ἢ πρότερον. νικάτω δὲ σὺ θεῷ δοκοῦν. Ἄσπασαι τοὺς συμβιωτάς σου φίλους παρ᾽ ἐμοῦ· διαφερόντως δὲ τόνδε, τὸν προεστῶτα πατέρα, ὃν ἐν Χριστῷ προσαγορεύω, καὶ δέομαι ὑπὲρ ἐμοῦ εὔξασθαι ἀδιαλείπτως, ἕως ἂν εἰς ὑμᾶς ἐπανακάμψω. Ἔῤῥωσο, ἐν Αὐρηλιανοῖς τῇ τοῦ Αὐγούστου δεκάτῃ. ͵αχνϛ.

EPISTOLA CII.

PErois de me benè mereri, & quæ meâ intereſſe putas, officioſè commonere. Vel illud cujuſmodi eſt, quòd nuperrimè ſignificaſti, furtivo neſcio quo libro famam meam appeti à novæ doctrinæ fautoribus: quaſi mutatâ ſententiâ id ego nunc impugnem, quod antè ſtudioſè propugnaveram; nec levi quidem in re,

ſed quæ religionis Catholicæ ſummam contineat? Ais ergo vulgari hoc ab hominibus iſtis, me in Prædeſtinationis negotio, non à Catholicis tantùm, ſed etiam à me ipſo deſciviſſe. Non eſt recens illa calumnia, nec in me conflata nuper: ſed vetus & rancida querela, quam ſexcentis locis obtritam à me habes, & manifeſtè convictam. Quidnam igitur eſt, cujus causâ tanti ab imputa illa natione clamores editi ſunt? Aiunt me in ſexto capite libri primi Theologicorum Dogmatum, Tomo I. ita de Prædeſtinatione ſenſiſſe; ante prævisa ulla merita ad æternam ſalutem deſtinari homines, idque non tantùm Auguſtino ita viſum eſſe, ſed etiam pro fidei decreto à Catholicis habitum; quod ſecùs deinde ſcripſi, & ſedulò docui.

Magnum illud crimen eſt, nec ſimplici pœnâ mulctandum, ſi tamen verum eſt: quod profectò non eſt; ſed inſignis oſcitantiæ eſt hæc illorum criminatio. Attenderent, quàm ego cautè ac ſubtiliter iſta diſtinxi; Gratiam, & Prædeſtinationem. Dixi primùm universè, in iis quæ ad Gratiam & Prædeſtinationem attinent, majorem Auguſtini rationem, quàm ceterorum Patrum, habitam. Sed cùm ad eam veni partem, quæ fide certa & Catholica eſſe meo judicio deberet, ita ſum locutus: *Cujus*, Auguſtini, *de Gratia ſententiam, quotquot deinde conſecuti ſunt Patres ac Doctores, tum verò Eccleſiæ Romanæ Præſules, Præſulúmque conventus aliorum, ratam & Catholicam eſſe judicarunt.* Num qua hìc Prædeſtinationis mentio? De Prædeſtinatione verò non idem dixi; ſed etſi viſum eſt Auguſtino, eam ſola ex Dei voluntate pendêre: liberum tamen cuique eſſe monui, quam vellet ſectam perſequi; idque adeo disertè ac perſpicuè docui, ut quaſi ſolaribus radiis teſtatum & expreſſum illud reliquerim. Velut iſta ſunt, quæ in primo capite libri decimi, his verbis expoſui. *Verùm non omnia, quæ in refellendis hæreticis iſtis ab Auguſtino propoſita ſunt, pro Catholicis immotiſque decretis habentur ab iis ipſis, qui illius doctrinam commendant, Pontificibus*, &c. Tum inferiùs paullò: *Ex eo genere profundiorum quæſtionum, quæ nihil ad negotium Gratiæ pertinent, eſt illa de Prædeſtinatione controverſia, de qua cuivis, utrum volet, ſequi, Romani Pontificis ſententiâ illâ permittitur.* Quorſum igitur tanti latratus, & querelæ de iſtis editæ ſunt ab illis? aut quis contrariæ opinioni locus, in his verbis, quæ tam certis & Catholicis præſidiis undique vallata, ac munita reliqui?

Venio jam ad illam reprehenſionem Latinorum verſuum, in quibus ita me locutum criminantur, ut Semipelagianorum ſententiam totidem verbis amplexus videar. His maximè offenduntur:

> —— *tamquam non gratia cunctos*
> *Oblata illiciat, vitióque ſit irrita noſtro,*
> *Cui nos deficimus, non deficit illa volentes.*

Sed quis non videt verba illa probo & Catholico ſenſu uſurpari? Neque verò hæreſis, quam Proſper & alii Catholici in iſtorum verbis ſubodorati ſunt, hæſit in vocibus præcisè ſumptis: ſed in iiſdem, quatenus hæretico ſenſu ab illis uſurpabantur. Filium ingenitum eſſe qui dixerunt, facilè pro hæreticis judicati ſunt: cùm tamen alio ſenſu Filius ingenitus, hoc eſt, increatus à Catholicis paſſim vocatus ſit, nimirum ſi ἀγέννητος per unicum ν concipiatur. Cujus tamen diſcriminis nullâ ratione habitâ, complures Veterum, ſimpliciter Filium ἀγέννητον & ἀγένητον dici vetuerunt: ac primum Epiphanius, differentiam eſſe aliquam inter utrumque, conceptis verbis adnotavit, ut in quinto libro Tomi ſecundi diligenter obſervare memini. Qui tum igitur ἀγέννητον eſſe dixerunt Filium, & ἀγένητον, promiſcuè ſumptis vocibus, hæretici habiti ſunt: donec poſtea, re diligentius perſpectâ, differentia vocum in auctoritatem abiit. Lege, ſi quidem otium eſt, quæ nos accuratè de iſtis vocibus expendimus in libris de Trinitate. Idem & in myſterio Incarnationis, de variis vocibus dici poteſt; quarum obſervatio facilis, difficilis ac moroſa commemoratio, & epiſtolæ modulum ſuperans. Hinc perſpicuum eſt, pleraſque voces à Catholicis uſitatas, aut contrà ſuſpectas iiſdem, ac repudiatas, in uſus tranſiſſe contrarios: ac Semipelagianos juſtè à Catholicis notatos, quòd *oblatam eſſe omnibus gratiam* dicerent; ſic nimirum illud intelligentes, ut ſuapte induſtriâ, & naturæ viribus, ſine ullo ſupernaturali præſidio, per ſe niti & aſſentiri poſſent: me in Catholico hæſiſſe ſenſu, qui tam clarè, tam conſtanter, gratiæ adjutorium ad conſenſum neceſſarium eſſe, ſum teſtatus. Sileant igitur, & moleſti obtrectatores gratis eſſe deſinant: ne toties iiſdem calumniis repetitis, eadem ſit fidei repetenda profeſſio.

Hæc de illorum conviciis, & maledictis, habui quæ breviter tibi reſcriberem. Quas enim contumelias, & probroſa, ac mordacia de me dicta paſſim injiciunt, ea contemptu magis videntur, quàm ſeriâ refutatione digna: cùm facile id omnes intelligant, talibus conqueſtionibus hoc illos quæſiſſe ſolum, ut vel impeditum aliis rebus ac diſtractum, ad ſeſe importunè verterent; vel ægrum & corpore malè habitum implicarent magis, neque conquieſcere ſinerent: ſi eum nacti eſſent, qui illorum importunitate moveretur. Quòd verò mihi ſenectutem & ejus incommoda, tamquam divinitus inflictam pœnam objiciunt: faciunt illiberaliter, qui & ea dicendo majora faciant, & communem omnibus conditionem neceſſariò ſubeundam in crimen trahant, ac contemptæ & ludibrio habitæ doctrinæ ſuæ ſupplicium id eſſe nominatim fingant, quod illius ſectæ fautoribus, velint, nolint, inevitabile eſt. Niſi fortè perpetuitatem quamdam florentis ævi propterea meriti adeptique dici poſſint: quòd communem parentem Eccleſiam Catholicam adeo fœdè contempſerint, & ejus decreta nihili hodiéque pergant facere, ſed ſpernant potiùs, & impugnent. Ego verò in ea, quam illatam mihi divinitus objiciunt, calamitate hærere malim, atque in illa citiùs emori, quàm partes iſtas, ac dogmata, aut amplecti, aut non toto pectore deteſtari. Quam meam profeſſionem, tamquam ultimam ac cycneam vocem, ita obſignatam relinquere ſtatui: ut in ea ſalutem omnem, ac pietatem, quâ religioſus ad hanc diem haberi ſtudui, verti ac contineri perpetuò velim. Vale, & poſtremum hoc meum de nova iſta doctrina judicium, pro certa fidei regula haberi à me, teſtatum omnibus, quorum intereſt, facere memineris. Aurelianis 8. Septembris, 1652.

INDEX EPISTOLARUM.

LIBER I.

NUNCUPATORIÆ.

Ep. I. Ludovico XIII.	298	XI. *Ludovico Borbonio.*	305
II. *Henrico Borbonio Metenſi Epiſcopo.*	299	XII. *Ludovico* XIII.	ibid.
III. *Eſdem.*	ibid.	XIII. *Petro Jannino.*	306
IV. *Antonio Borbonio Comiti Moretano.*	300	XIV. *Carolo Bellomanorio.*	ibid.
V. *Franciſco Brularto.*	ibid.	XV. *Ant. Seguerio.*	307
VI. *Nicolao Verduno.*	ibid.	XVI. *Ludovico Caumartino.*	ibid.
VII. *Joanni Nicolao.*	301	XVII. Οὐρβάνῳ τῷ ὀγδόῳ.	ibid.
VIII. *Gulielmo Vairio.*	ibid.	XVIII. Τῷ αὐτῷ.	308
IX. *Franciſco Card. Rupifucaldo.*	302	XIX. Φιλοκάλῳ νεανίᾳ.	309
X. *Gabrieli Albaſpinao.*	304		

LIBER II.

PHILOLOGICÆ.

Ep. I. Jacobo *Mallebrancquio.*	310	XVI. *Eidem.*	322
II. *Joanni Billio.*	311	XVII. *Eidem.*	ibid.
III. *Antonio Lalouvero.*	ibid.	XVIII. *Heriberto Roſweydo.*	324
IV. *Eidem.*	312	XIX. *Eidem.*	325
V. *Petro Poſſino.*	313	XX. *Eidem.*	ibid.
VI. *Eidem.*	314	XXI. *Auberto Miræo.*	ibid.
VII. *Eidem.*	ibid.	XXII. *Petro Crugero.*	326
VIII. *Ægidio Bucherio.*	315	XXIII. *Eidem.*	ibid.
IX. *Georgio Schonbergo.*	316	XXIV. *Eidem.*	328
X. *Stephano Vito.*	ibid.	XXV. *Joſepho Maria Suareſio.*	330
XI. *Arnoldo Cathio.*	317	XXVI. *Caſimiro Sarbievio.*	ibid.
XII. *Brunoni Cognato.*	318	XXVII. *Rolando Mareſio.*	331
XIII. *N.*	ibid.	XXVIII. *N.*	332
XIV. *Gottifredo Vendelino.*	319	XXIX. *N.*	333
XV. *Eidem.*	ibid.	XXX. *Joſepho de Voiſin.*	ibid.

LIBER III.

OFFICIOSÆ.

Ep. I. Urbano VIII.	335	XXI. *Eidem.*	ibid.
II. *Eidem.*	ibid.	XXII. *Eidem.*	ibid.
III. *Eidem.*	336	XXIII. *Eidem.*	ibid.
IV. *Franciſco Card. Barberino.*	337	XXIV. *Eidem.*	342
V. *Eidem.*	ibid.	XXV. *Eidem.*	ibid.
VI. *Eidem.*	ibid.	XXVI. *Eidem.*	ibid.
VII. *Eidem.*	338	XXVII. *Franciſco Vavaſſori.*	ibid.
VIII. *Eidem.*	ibid.	XXVIII. *Eidem.*	343
IX. *Eidem.*	ibid.	XXIX. *Eidem.*	ibid.
X. *Eidem.*	ibid.	XXX. *Eidem.*	ibid.
XI. *Andrea Schotto.*	339	XXXI. *Eidem.*	344
XII. *Eidem.*	ibid.	XXXII. *Eidem.*	ibid.
XIII. *Eidem.*	ibid.	XXXIII. *Eidem.*	ibid.
XIV. *Eidem.*	ibid.	XXXIV. *Eidem.*	345
XV. *Eidem.*	340	XXXV. *Eidem.*	ibid.
XVI. *Heriberto Roſweydo.*	ibid.	XXXVI. *Eidem.*	346
XVII. *Eidem.*	ibid.	XXXVII. *Eidem.*	ibid.
XVIII. *Eidem.*	ibid.	XXXVIII. *Eidem.*	ibid.
XIX. *Eidem.*	341	XXXIX. *Nicolao Borbonio.*	ibid.
XX. *Eidem.*	ibid.	XL. *Eidem.*	347

XLI. *Sichardo Gachienſi.*	ibid.	LXXII. *Joanni Bollando.*	ibid.
XLII. *Franciſco Bravo.*	ibid.	LXXIII. *Eidem.*	ibid.
XLIII. *Vincentio Marinerio.*	348	LXXIV. *Eidem.*	ibid.
XLIV. *Euſebio Nierembergio.*	ibid.	LXXV. *Eidem.*	ibid.
XLV. *Petro Caſtellarnauo.*	ibid.	LXXVI. *Eidem.*	357
XLVI. *Bartholomæo Morlanezio.*	ibid.	LXXVII. *Eidem.*	ibid.
XLVII. *Hieronymo Aleandro.*	349	LXXVIII. *Eidem.*	ibid.
XLVIII. *Lucæ Holſteinio.*	ibid	LXXIX. *Eidem.*	ibid.
XLIX. *Mutio Viſelleſco.*	ibid.	LXXX. *Eidem.*	ibid.
L. *Eidem.*	350	LXXXI. *Eidem.*	ibid.
LI. *Eidem.*	ibid.	LXXXII. *Eidem.*	358
LII. *Eidem.*	351	LXXXIII. *Eidem.*	ibid.
LIII. *Eidem.*	ibid.	LXXXIV *Eidem.*	ibid.
LIV. *Eidem.*	ibid.	LXXXV. *Eidem.*	ibid.
LV. *Franciſco Piccolomineo.*	ibid.	LXXXVI. *Eidem.*	ibid.
LVI. *Gaſpari Gevartio.*	352	LXXXVII. *N.*	359
LVII. *Eidem.*	ibid.	LXXXVIII. *Iſacio Haberto.*	ibid.
LVIII. *Eidem.*	ibid.	LXXXIX. *N.*	ibid.
LIX. *Alberto Cicitio.*	ibid.	XC. *N.*	ibid.
LX. *Stephano Menochio.*	353	XCI. *N.*	ibid.
LXI. *Terentio Alciato.*	ibid.	XCII. *N.*	360
LXII. *Eidem.*	ibid.	XCIII. *N.*	ibid.
LXIII. *Joan. Bapt. Roſſio.*	354	XCIV. *N.*	ibid.
LXIV. *Eidem.*	ibid.	XCV. *N.*	ibid.
LXV. *Athanaſio Kirchero.*	ibid.	XCVI. Οὐιλιέλμῳ τῷ Λεωνάρδῳ.	ibid.
LXVI. *N.*	ibid.	XCVII. Φερδινάνδῳ τῷ Λογγίνῳ.	361
LXVII. *N.*	355	XCVIII. *N.*	ibid.
LXVIII. *N.*	ibid.	XCIX. *N.*	ibid.
LXIX. *Franciſco Hardiſio.*	ibid.	C. Νικολάῳ τῷ Ζορζβίῳ.	ibid.
LXX. *N.*	ibid.	CI. Γαβριὴλ τῷ Κοσταρτίῳ.	ibid.
LXXI. *N.*	356	CII. *N.*	ibid.

F I N I S.

A01 1469155

Digitized by Google

Digitized by Google